C. 9.

Digitized by Google



GASPARIS SANCTII CENTVMPVTEOLANI, E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI
Sacrarum literarum Interpretis

IN IEREMIAM PROPHETAM COMMENTARII

cum paraphraſi.

ACCESSIT EXPLICATIO
Pſalmi CXXXVI. Paraphraſis item poëtica ad Threnos, & eundem Pſalmum.

HÆC OMNIA NVNC PRIMVM
prodeunt cum quatuor INDICIBVS, pernecesſariis.

Cum priuilegio Regis.

LVGDVNI
SVMPTIBVS HORATII CARDON
M.DC.XVIII

EXCELLENTISSI^MO PRINCIPI

D. IOANNI HVRTADO DE MENDOZA,

DE LA VEGA, ET LVNA, DVCI INFANTATVS,

MARCHIONI DEL CENETE DE SANTILLANA DE CAMPOO, & Argueſo, Comiti del Real de Manzanares, de Saldanna, & Cid, Domino fraternitatum Alauæ, Baroni de Alcozer, Alberique, & Alazquez, &c. Philippo Regi à conſiliis de Regni ſtatu, ac belli, Regiæque domus Præfecto maximo,

GASPAR SANCTIVS è Societate IESV ſalutem.

CVM vacui temporis facultatem nactus eſſem, quod vix àquotidianis lectionibus impetrare potui(PRINCEPS EXCELLENTISSIME) contigit mihi peropportunè,vt bonam illius partem apud Franciſcum fratrem Almirantē Aragoniæ non minùs vtiliter,quàm iucundè ponerem.Capiebat enim animum meum vehementer illius humanitas, quæ nunquā me à familiari cōgreſſu repulit, cuíque nullū tempus importunum erat, ſi modò cum illo de religione, ac pietate,aut de diuinarum literarum ſtudio futurus eſſet ſermo, qui fiebat plerumque non modò illo non inuito, ſed etiam laceſſente. Mirabar in illo Principe,cuius à iuuentute ad grauem vſque ætatem tempus omne in bellicis rebus conſumptum audieram, pietatis ſtudium, & ſitim quandam Chriſtianæ, ac ſacræ eruditionis incredibilem, ſed illud maximè, quòd cùm extremis hiſce temporibus durè eſſet à fortuna iactatus (ſi tamen aliquid eſt in rebus humanis à fortuna) pertulerit illa fortunæ non tam aduerſantis, quàm inſidiantis incommoda, grauia licèt,& quæ minùs conſtantem animum frangere potuiſſent, non patienter ſolùm,ſed etiam alacriter. Audiui ab eo perſæpe,quia creber ea de re,atque iucundus ſermo,immortales ſe habere gratias Deo,quòd eò eſſet adductus, vt humana iam ipſi ſorderent omnia,& ab illis eſſet liberatus curis, quæ ſi non ſemper auocant, ſemper tamen,aut frequenter retardant eorum ſpiritus,qui aliquid cæleſte, atque ſublime meditantur. Neque enim ſibi aiebat tantum futurum otij,quod,poſt operam aliis diuturnam,ac difficilem naua-

tam, Deo tandem impenderet, niſi ex illis emerſiſſet fluctibus, quos excitat ambitionis æſtus, rationéſque publicæ, quibus obniti, obluctaríque conſtanter magnarum eſt virium, & animi planè, qui contra humanos caſus, fortunæque ludibria Diuino ſe præſidio muniuit. Quod tempus ſingulari Dei benignitate cõceſſum ſic arripit auidè, vt nullam illius partem perire patiatur. Sic enim illud orationi, & ſacro Miſſæ miniſterio peragendo largitur, vt hoc illi ſit, aut ſolum, aut omnium certè grauiſſimum negotium. Interdum tamen de te, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, ſermo non infrequens. Et inter alia plurima, quæ maximorum Principum propria cenſentur ornamenta, quæ hîc commemorare neceſſe nõ eſt, quia maiora ſunt, quàm tentare nedum ſuſtinere poſſit hæc nuncupatoria ſcribendi ratio; illud commẽdabat ſtudium, quo noſtram Societatem ſic es amplexus, vt non aliter de illa cogites, aut labores, quàm de rebus, quæ tibi ſunt maximè in amore ac pretio. Quo ſibi, qui noſtrum Ordinem æquè amat, & curat, dicebat nihil accidere potuiſſe iucundius. Audiui hæc à fratre humaniſſimo, ac prudentiſſimo Principe, ſed nihil audiui, quod non antea millies à Noſtris accepiſſem. Cui enim ex Noſtris ignotum eſſe poterat, quod ex alienis ignoraret nemo, quemadmodum quotidie præbeas beneuolentiæ in noſtram Societatem eximiæ documenta maxima, vel à tuo ingenio ipſa penè cogente naturæ bonitate, vel à parentibus optimis inſtitutus, à quibus vt alia plurima ingenui animi, & antiquę Nobilitatis inſignia, hoc etiam quaſi hęreditarium accepiſti. Quod quidem licèt in te ſingulare videri poſſet, habes tamen illud cum illuſtriſſima Mendozarum familia planè commune. Quid ab Infantatus, quid à Mondexarenſium Principum liberalitate, ac gratia Societas acceperit, nouit ipſa, & ſecum grata recolit, & eorum in ſuis alumnis, ac filiis perpetuam ſtudet eſſe memoriam. Sed illud eſt non obſcurum, quòd Maria amita, & Catharina ſoror, Heroides planè lectiſſimæ, quales ætas noſtra tulit admodum paucas, in quarum moribus ſpectabamus antiquæ ſanctitatis recens quoddam atque viuum exemplar, Collegium hoc Complutenſe ea auiditate, ac ſtudio fundarunt, vt nihil niſi de illo aut inſtruendo, aut ornando cogitaſſe viderentur. Quare licèt debere ſe plurimum tuæ familiæ cognoſcat, profiteatúrque Societas, hoc tamen Complutenſe Collegium præcipua quadam ratione fatetur, & prædicat. quod quia tuorum ſumptibus excitatur, & alitur, tuũ etiam ſe fateatur neceſſe eſt. Quare cùm hoſce in Ieremiam Prophetam Commentarios in hoc tuo Collegio, vbi ſacrarum literarum Interpretem ago, elaborarim, illos tuo tibi iure vendicaſti. Quos credo admittes non grauatè, licèt ineruditos ac rudes; quales à mediocri ingenio non tam ſperari, quàm timeri poterant, quia ab illius opera profectos, quem tuorum profuſa liberalitas ſuſtentat, atque ornat. Vale, PRINCEPS OPTIME, quem publicæ ſalutis amantem quamdiutiſſimè viuere multorum preces, & publica vota deſiderant.

PRÆFA

Præfatio ad Lectorem.

HABES, amice Lector, Commentarios in Ieremiam Prophetam, in quibus id ſpectauimus maximè, quod tuo vſui, ac votis magis opportunum fore cenſebamus. In quibus illud ſequuti ſumus inſtitutum, & modum, qui in Iſaiæ Commentariis antea viſus eſt ad Prophetæ ſenſum enucleandum magis accommodatus. Addidimus paraphraſim ſingulis capitibus, niſi cùm ſcriptor ſacer non tam agit Prophetam, quàm hiſtoricum, vbi filum à Lectore facilè contexitur, neque res eſt eiuſmodi, quæ lucem deſideret, qualis requiri ſolet à paraphraſi. Et vt humaniori aliquo ſtudio animum tibi laxaremus grauiorum rerum commentatione fatigatum, paraphraſi etiam Poëticis alligata numeris Ieremiæ Lamentationes illuſtrauimus, quam olim in iuuentute luſimus, cùm ætas pangendis carminibus minùs eſſet inepta. His fruere, & vale: & nouos Commentarios in Ezechielem, quos iam penè ad exitum proueximus, vrgemúſque diurna, atque nocturna opera, propediem expecta.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in prouincia Lugdunenſi.

EGo BARTHOLO. IACQVINOTIVS Societatis IESV in prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, Opus quod inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centūputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpetis, in Ieremiam Prophetam Commentarij cum paraphraſi, & explicatione Pſalmi CXXXVI. atque etiam Threnorum*, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunenſi Bibliopolæ, vt ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 7. Iulij 1617.

B. IACQVINOTIVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in ſacra Theologia Magiſter, & in S. Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi, à Domino Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus, nos *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate Ieſu Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpretis, in Ieremiam Prophetam Commentarios cum paraphraſi, & explicatione Pſalmi CXXXVI. atque etiam Threnorum*, perlegiſſe, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione exponi. Lugduni apud ſanctum Paulum 15. Iunij 1617.

DEVILLE.

R.D.D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpretis, in Ieremiam Prophetam Commentarij cum paraphraſi, & explicatione Pſalmi CXXXVI. atque etiam Threnorum*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 16. Iunij 1617.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA PRIVILEGII A CHRIſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum Interpretis, in Ieremiam Prophetam Commentarij, cum paraphraſi, & explicatione Pſalmi CXXXVI. atque etiam Threnorum*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſve pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis,

Signatum

BERRVYER.

INDEX

INDEX PROVERBIORVM,

PROVERBIALIVMQVE FORMARVM,

QVÆ IN HIS COMMENTARIIS TRADVNTVR.

Prior numerus caput; poſterior numerum marginalem; Thren. Threnos; col. columnam indicat.

OLLA, pro cruciatu. 1.43.col.30.
Ciſterna diſſipata. 2.45.col.66.
Vſque ad verticem. 2.51.col.68.
Manus ſuper caput. 2.113.col.88.
Libellus repudij. 3.2.col.97.
Dormire in confuſione. 3.63.col.117.
Vſque ad animam. 4.21.col.133.
Ventus vrens. 4.22.col.ead. & 18.26.col. 428.
Contritio ſuper contritionem. 4.41.col.139.
Tabernaculum, pro re momentanea. 4.43.col. 140.
Inane, & vacuum, ſeu nihili. 4.47.col.141.
Montes commoueri. 4.49.col.142.
Neque homo, neque volucris. 4.51.col.ead.
Carmelus, pro re fœcunda, & pulchra. 4.53.col. 143.
Equi amatores. 5.15.col.159.
In ventum loqui. 5.23.col.161.
Ignis, & ligna. 5.24.col.ead.
Sepulcrum patens. 5.28.col.162.
Vſque ad racemum. 6.20.col.182.
Luctus vnigeniti. 6.46.col.189.
Manè conſurgere. 7.21.col.206. & 25.7.col. 550.
Non eſt vua in vitibus. 8.19.col.229.
In aqua fellis. 8.26.col.231.
Reſina in Galaad. 8.39.col.236.
Seminauerunt triticum, & ſpinas meſſuerunt. 12.35.col.308.
Sicut myrica. 17.20.col.404.
In terra ſcribi. 17.37.col.408.
Dorſum, & non facies. 18.27.col.428.
Foueam fodere. 18.33.col.430.
Tinnire aures. 19.5.col.438.
Sicut vas figuli. 19.12.col.440.
Quaſi ſpolium. 21.18.col.469.
A vento paſci, & ventum paſcere. 22.33.col. 491.
Nidificare in cedris, aut in alto. 22.35.col.492.
Annulus in manu. 22.36.col.ead.
Vas confractum. 22.45.col.495.
Lubricum in tenebris. 23.24.col.515.
Ficus primæ. 24.6.col.535.
Sanguis contra aliquem. 26.7.col.579.
Iugum ferreum. 28.17.col.602.
Libertas ex Aegypto. 31.3.col.655.
Prægnans, & pariens. 31.18.col.660.
Mercenarij dies. 31.39.col.668.
Leo de ſuperbia Iordanis. 49.41.col.943.
Non lapis in angulum. 51.36.col.1011.
Tempus meſſionis. 51.47.col.1014.
Ad cælum aſcendere. 51.70.col.1020.
Panis lapidoſus. Thren.3.26.col.1127.
Vas fictile. Thren.4.4.col.1158.
Cutis adhærens oſſibus. Thren.4.26.col.1166.

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

Prior numerus caput; poſterior numerum indicat marginalem; Pſal. Pſalmum; col. verò columnam.

Geneſis.

CAP. 3. MALEDICTA terra in opere tuo. 33. 14. columna 730.
17. Ambula coram me. 17.47.col.412.
22. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli. 31.120.col.694.
25. Iſaac amabat Eſau,& Rebecca diligebat Iacob. 31.112.col.691.
35. Et inaures quæ erant in auribus eorum. 17.7.col.400.
41. Vt obliuioni tradatur cuncta retroabundantia. 50.19.col.969.
42. Dij ſancti ipſe. 2.40.col.65.
43. In meam hoc feciſti miſeriam. Thren. 2.52. col. 1099.
47. Conuerſus eſt ad lectuli caput. 48.38.col. 910.

Exodus.

4. Tetigitque pedes eius. 2.83.col.79.
23. Et eſt nomen meum in illo. 22.41.col.494.

Leuiticus.

6. Quicquid tetigerit carnem eius, ſanctificabitur. 11.14.col.286.
19. Non facies caluitium. 16.9.col.382.
19. Nec pollues nomen meum. 34.23.col.751.

Numeri.

23. Sta Balac,& auſculta. 1.58.col.37.
21. Scopuli torrentium inclinati ſunt. 4.50.col. 142.
12. Lætaberis,& reficieris. 32.47.col.718.
14. Non vos incidetis,neque facietis caluitium. 16.9.col.382.
22. Pariter ſanctificantur. 11.14.col.286.

Ioſue.

7. Fili mi,da gloriam Deo. 13.16.col.322.

Iudic.

4. Statim ſurrexit de throno. 1.58.col.37.
5. Terra mota eſt. 4.50.col.142.
7. Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis. 1.39.col. 29.

Lib.1. Regum.

2. Filij Belial neſcientes Dominum. 9.31.col. 253.
5. Donec deficerent in eis lacrymæ. 9.2.col. 243.
18. Miſit eos in peram paſtoralem. 22.43.col.495.
24. Percuſſit cor ſuum. 4.21.col.133.
31. Tulerunt cadauera Saül, & cæterorum, & combuſſerunt ea. 34.6.col.744.

Lib.2. Regum.

12. Fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire. 51.46.col.1014.
13. Noli facere ſtultitiam hanc. 29.24.col.620.

Lib. 3. Regum.

1. Quæ ſtat coram Rege. 35.16.col.763.
14. Ex omnibus Tribubus Iſraël. 4.24.col.134.

Lib.1. Paralip.

28. Scito Deum patris tui. 31.111.col.691.

Lib.2. Paralip.

16. Et combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia. 34.9.col.745.
21. Et non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exequias. 34.9.col.ead.

Tobia.

4. Panem tuum,& vinum tuum ſuper ſepulcrum iuſti conſtitue. 16.10.col.383.
14. Qui diſperſi ſunt à terra Iſraël, reuertentur ad eam. 31.23.col.662.

Iob.

9. Et interiora Auſtri. 4.22.col.133.
12. Ducit Sacerdotes inglorios. 33.28.col.735.
13. Poſuiſti in neruo pedem meum. 20.5.col. 448.
14. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea. 51.27. col.1008.
22. Semitam ſæculorum. 18.21.col.427.
31. Si vidi Solem cùm fulgeret. 10.2.col.263.
33. Increpat quoque per dolorem in lectulo. 3.63.col.117.
37. Ab interioribus orietur tempeſtas. 4.22.col. 133.
38. Accinge lumbos tuos. 1.56.col.36.

Pſalm.

13. Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt. 48.71.col.921.
15. A dextris eſt mihi ne commouear. Pſal.23. col.1201.
17. Cornu ſalutis meæ. 48.40.col.911.
23. Super fluuiina præparauit eum. 10.16.col. 268.
24. Ignorantias meas ne memineris. 29.24.col. 620.
28. Vox Domini ſuper aquas. 10.18.col.269.
36. Quia peccatores peribunt. 48.71.col.921.
38. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. 1.49. col.33.
39. Eduxit me de lacu miſeriæ. 38.4.col.790.
40. Homo pacis meæ. 20.18.col.454.
44. Obliuiſcere populum tuum. 3.15.col.101.
48. Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.17.36. col.408.
55. Ab altitudine diei timebo. 17.46.col.412.
59. Lætabor, & partibor Sichimam. 32.47.col. 718.
67. Terra mota eſt. 4.49.col.142.
87. Poſuerunt me in lacu inferiori.38.4.col.790.

104.Omne

104. Omne firmamentum panis contriui. 48. 38.col.910.
105. Si non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione. 1.63.col.39.
106. Omnem eſcam abominata eſt anima mea. 1.49.col.33.
108. Diabolus ſtet à dextris eius. Pſ.23.col.1201.
109. Dominus à dextris tuis. Pſ.23.col.ead.
124. Montes in circuitu eius,& Dominus in circuitu populi ſui. 23.26.col.516.
136. Obliuioni detur dextera mea. 17.11. col. 401.
138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.49.37. col.942.
142. Sicut mortuos ſæculi. Thren. 3.12. col. 1124.

Prouerb.

2. Quæ reliquit ducem pubertatis ſuæ. 3.18.col. 102.
7. Donec transfigat ſagitta iecur eius. Thren.2. 42.col.1097.
8. Quando præparabat cælos, aderam. 10.16.col. 268.
10. Hic paſcit ventum. 22.33.col.491.
13. Scribe in tabulis cordis tui. 17.10.col.401.
29. Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur populus. 1.63.col.39.
30. Et ſcientiam Sanctorum noui. 38.27. col. 798.
31. Date ſiceram mœrentibus. 16.10.col.385.

Cantic.

7. Et ad me conuerſio eius. 15.73.col.374.
8. Sub arbore malo excitaui te. 3.16.col.101.
8. Ibi me docebis. 3.15.col.ead.

Sapient.

4. Spuria vitulamina non dabunt radices. 31.90. col.685.

Eccleſiaſtic.

11. Malitia horæ obliuionem facit lætitiæ magnæ. 50.19.col.969.
49. Qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta. 1.18.col.11.

Iſaias.

2. Ingredere in petra. 4.55.col.144. & 12.33.col. 308.
2. Erat præparatus mons domus Domini.10.16. col.268.
3. Omne robur panis,& omne robur aquæ. 48. 38.col.910.
6. Et in manu eius calculus. 31.90.col.685.
6. Et duabus velabant pedes eius. 2.83.col.79.
8. A Dan auditus eſt fremitus. 4.30.col.135.
13. Ego mandaui ſanctificatis meis. 6.6. col. 178.
13. Procul à ſummitate cæli. 10.19.col.269.
14. Ne læteris Philiſtæa omnis tu. 1.49.col.33.
16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit. 46.49.col.878.
21. Si quæritis,quærite. 4.3.col.127.
24. Secretum meum mihi. 6.24.col.183.
25. Extendet manus ſuas ſub eo. Thren. 1.83. col.1072.
27. Triturabitur Moab ſub eo. 51.40.col.1012.
29. Additus eſt annus ad annum. 8.38.col.235.
43. Ponam in deſerto viam,& in inuio flumina. 31.3.col.656.
48. Repentè operatus ſum. 18.8.col.423.
48. Qui vocamini nomine Iſraël. 22.41. col. 494.
49. In manibus meis deſcripſi te. 17.11.col.401.
51. Cæli ſicut fumus liqueſcent.31.119.col.693.
52. Et populus terræ. 34.30.col.754.
53. Nec deſiderauimus eum. 6.34.col.186.
53. Contaminaui Principes ſanctos. 3.27. col. 105.
59. Impegimus meridie. 15.34.col.362.
60. Laudes Domini annunciantes. 7.23. col. 207.
62. Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. 23.26.col.516.
63. Torcular calcaui ſolus.Thren.1.78.col.1070.
64. Occurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam. 32. 47.col.718.
65. Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores. 50. 19.col.969.

Threnor.

3. In contritione filiæ populi mei. 33.14. col. 729.

Baruch.

4. Super ceruices ipſius aſcendes. Thren.3.52. col.1135.
5. Nonunabitur pars iuſtitiæ. 33.25.col.734.

Ezechiel.

5. Conteram in vobis baculum panis. 48.38. col.910.
11. Hæc eſt lebes, vos autem carnes. 1.43.col. 31.
14. Conteram virgam panis eius. 48. 38. col. 910.
16. Non es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ. 2.2.col.53.
16. Suſcitabo tibi pactum ſempiternum. 50.17. col.968.
16. Iuſtificaſti ſorores tuas. 3.27.col.105.
17. Floruit virga. 1.38.col.29.
24. Pone ollam. 1.43.col.31. & Thren.1.66. col. 1066.
26. Ab omni aqua proxima bibet. 2.84.col.79.
26. Et radent puluerem eius de ea. 51.36.col. 1011.
29. Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne. 51.51.col.1015.
37. Ecce ego aperiam tumulos veſtros.Thren.3. 12.col.1124.
37. Sume tibi ſignum vnum. 31.23.col.662.
39. Concurrite vndique ad victimam meam. Thren.2.79.col.1108.
43. Et audiui loquentem ad me de domo.Thren. 2.4.col.1085.
44. Incircunciſus carne non ingredietur Sanctuarium meum. Thren.1.56.col.1063.
48. Nomen ciuitatis ex illa die,Dominus ibidem 33.25.col.734.

Daniel.

14. Dabantur eis quotidie duo corpora, & duæ oues. 22.43.col.494.

Oſeas.

2. Canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ. 2.2.col. 53.
2. Adulteria ſua de medio vberum ſuorum. 17. 9.col.400.
10. Secundùm multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria. 2.9.col.1087.
11. Ex Ægypto vocaui filium meum. 31.37.col. 667.
12. Ephraim paſcit ventum. 22.33.col.491.
13. Diſrumpam interiora iecoris. Thren. 2.42. col.1097.

Ioel.

3. Per feneſtras intrabunt quaſi fur.9.26.col.251.

Amos.

1. Eò quòd triturauerint in plauſtris ferreis Galaad. 51.46.col.1014.
6. Aſſumpſimus nobis cornua. 48.40.col.910.
8. Occidet Sol in meridie. 15.34.col.362.
9. Nunquid non vt filij Æthiopum vos eſtis. 38.5.col.791.

Abdias.

Verſ. 18. Omnes viri fœderis tui. 20.18.col.454.

Michaas.

3. Verſ. 3. Et quaſi carnem in medio ollæ. 1.43.col.31.

Habacuc.

3. Turbabuntur pelles terræ Madian.35.5.c.759.

Aggeus.

2. Ponam te quaſi ſignaculum. 22.39.col.493.

Zacharias.

1. Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. Thren.5.35.col.1189.
9. Emiſiſti vinctos tuos de lacu. 38.4.col.790.
10. Tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus. 31.3.col.655.
11.Aſſumpſi mihi duas virgas.Thr.2.26.col.1092.

Malachias.

3.6. Ego Deus, & non mutor, & vos filij Iacob non eſtis conſumpti. 3.22.col.104.

Euangel. Matthæi.

1. Ioſias genuit Iechoniam. 1.12.col.18.
5. Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam. Pſ.19.col.1200.
7. Quia nunquam noui vos. 4.35.col.137.
8. Mittite in tenebras exteriores. 38.4.col.790.
15. Non ſum miſſus niſi ad oues,quæ perierunt, domus Iſraël. 31.112.col.691.
18. Patientiam habe in me. 15.51.col.367.
21. Dicite quia Dominus his opus habet. 4.35.col.137.
20. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea,&c. 31.119.col.693.
24. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus. 31.17.col.660.
24. A ſummis cælorum. 10.19.col.269.
26. Procidit in faciem ſuam. Thren. 3.53.col.1135.
27. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam. 32.21.col.709.

Marcus.

4. Et dixit mari, Tace, & obmuteſce,& ceſſauit ventus. 51.10.col.1002.

Lucas.

2. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. 4.21.col.133.
2. Poſtquam conſummati ſunt dies octo. 34.19.col.750.
3. Qui fuit Heli. 1.10.col.18.
7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. 4.36.col.138.
8. Fructum afferunt in patientia. 15.51.col.367.
12. Sint lumbi veſtri præcincti. 1.56.col.36.
14.Si quis venit ad me, & non odit patrem.Thr.3.21.col.1126.
18.Deſcendit hic iuſtificatus ab illo.49.37.c.942.

Ioannes.

4. Quia non habeo virum. 4.35.col.137.
8. Scribebat in terra. 17.37.col.408.
9. Da gloriam Deo. 13.16.col.322.
12. Propterea non poterant credere,quia iterum dicit Iſaias. 4.36.col.138.
13. Quod facis,fac citiùs. 4.3.col.127.
17. Quos dediſti mihi,non perdidi ex eis quenquam. 23.11.col.511.
19. Sicut mos eſt Iudæis ſepelire. 34.9.col.745.
22. Quod ſcripſi,ſcripſi. 4.3.col.127.

Acta Apoſtolorum.

2. Cùm complerentur dies Pentecoſtes. 34.19.col.749.

1.ad Corinthios.

4. Vultis in virga veniam ad vos? 1.40.col.30.
4. Vt à vobis iudicer,aut ab humano die. 17.46.col.412.

Ad Galatas.

6. Videte qualibus literis ſcripſi vobis mea manu. 36.5.col.770.

Ad Philipp.

2. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. 21.19.col.469.

Ad Theſſal.

5. Repentinus eis ſuperueniet interitus. 18.8.col.423.

Ad Hebræos.

1. Et ad Angelos quidem dicit. 49.15.col.935.
4. Pertingens vſque ad diuiſionem animæ. 4.21.col.133.
4. Ad quem nobis ſermo. 49.15.col.935.
11. Adorauit faſtigium virgæ eius. 48.38.c.910.

2.Petri.

2. Perditio eorum non dormitat. 1.38.col.29.

Apocalypſis.

19. Ipſe calcat torcular vini furoris.Thren.1.78.col.1070.

INDEX
REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS TRADVNTVR.

Prior numerus caput ; poſterior numerum marginalem ; P. Prolegomena; Thren.Threnos; Pſ. Pſalmum; col.columnam indicat.

Exigui numeri ratio in Scriptura haberi non ſolet. 1.5.col.15.
Nomen iteratum tranſcriptorem decipit. 1.13.col.19.
Actus ſecundus.pro primo. 1.27.col.25.
Genus ſeruat interpres originalis linguæ. 1.28.col.ead.
Is aliquid facere dicitur, qui faciendum denunciat. 1.34.col.27.& 6.22.col.183.& 50.43.col.979.
Omne,& *ſimilia,cum epitaſi.* 1.49.col.33.
Verba pro interiectionibus. 2.1.col.53.
Scriptura hominum conſuetudinem in loquendo ſequitur. 2.27.col.60.10.19.col.269.
Aliquid tunc periiſſe dicitur, cùm non apparet. 2.37.col.64.
Pluralis numerus pro ſingulari quando ponitur. 2.40.col.65.
Id dicitur quis velle,licèt maximè oderit, quod in cauſa vult. 2.56.col.70.
Filij veſtri,ideſt,vos. 2.92.col.82.
Ex effectibus nomen accommodatur rebus, ex quibus communiter oriuntur. 3.21 col.103.
Sibi,& tibi *paragogica.* 3.26.col.105.
Aliquid ab eo fieri dicitur,qui factum eſſe oſtendit. 3.27.col.ead.
Imperatiuus pro futuro. 4.2.col.127.
Cùm verbum repetitur, quod cum conditionali, aut aliqua ſimili particula præceſſerat, epitaſis eſt. 4.3.col.ead.
Deus feciſſe dicitur,quod fieri permiſit. 4.20.col.132.
Ex,*interdum comparat cum exceſſu.* 4.24.col.134.
Relatiuum ſæpe ſine antecedenti. 4.25.col.134.
Quia,*ſæpe redundat.* 4.35.col.137.
Quia,*ex effectu cauſam probat.* 4.36.col.ead.
Verbum,pro aduerbio. 4.54.col.143.
Quæ otioſa ſunt, aut inutilia, cenſentur ac ſi non eſſent. 5.30.col.163.
Illud fieri dicitur, quod dignum eſt vt fiat, aut quod fieri debet. 6.34.col.186.
Relatiuum ſupplendum. 8.20.col.230.
Me,& te,*particulæ paragogicæ.* 9.4.col.244.
Pauci cenſentur pro nullis. 9.20.col.249.& 44.10.col.846.
Quæ otioſa ſunt,dicuntur non eſſe. 9.32.col.253.
In aliquo tempore fieri dicitur, quod parum ab illo diſtat. 11.2.col.281.
Cùm viri aliquid ignobile faciunt, genus illi fœmineum datur. 11.14.col.286.
Quæ munditiem, & ſanctitatem ſignificant, interdum in contrariam ſignificationem aſſumuntur. ibid.col.ead.
Quæ imprecationes videntur, prædictiones ſunt. 11.26.col.290.
Etſi ratio deſit, nomen tamen ſeruatur, quod paulò antè res habebat. 12.23.col.304.
In genere maſculino,& fœminino vniuerſalitas indicatur. 13.28.col.327.
Illud alicui tribuitur,qui aliis vt illud facerent, exemplo fuit. 15.19.col.359.
Futurum ſæpe pro præterito. 15.25.col.360.
In,*idem quod* propter. 15.47.col.366.& 33.14.col.730.
Genus fœmineum, pro neutro. 15.65.col.371.& 33.2.col.725.
Scriptura ſæpe triſtibus læta ſubiungit. 16.17.col.385.
Si,*conditionalis particula ſubaudienda.* 17.41.col.410.& 50.42.col.977.
Actio, pro actionis obiecto. 17.42.col.410.
Verba pro interiectionibus. 18.3.col.421.
Verba loco aduerbiorum. 18.6.col.422.
Vniuerſale ſignum cum negatione ſuo æquipollet contrario. 18.32.col.430.
Ad mutationem fortunæ nomen mutari ſolitum. 20.8.col.450.
Aliquid factum Scriptura dicit eo conſilio,atque affectu, quo plerumque fieri ſolet, licèt longè aliter ſe habeat. 20.10.col.451.
Ab eo nomen ſumitur,quod fieri plerunque ſolet, etiamſi aliter res contingat. 22.29.col.489.
Et,*particula expoſitiua.* 22.43.col.494.
Quæ inutilia ſunt,aut quæ ſuum non conſequuntur finem,exiſtimantur ac ſi non eſſent. 22.47.col.495.
Ex re commemorata Teſtamenti veteris, ad eius contrarium ex nouo gradus fit. 23.3.col.508.
Non vltrà, *& ſimilia, aliquando valent id quod longè pòſt,aut quod minus frequenter fiet.* 23.10.col.510.
Vniuerſale ſignum non ſemper dicit aliquid vniuerſaliter. 23.11.col.ead.
Tale alicui dicitur futurum nomen, qualis conditio, aut merita. 23.15.col.512.
Comparationis genus ſine nota ſimilitudinis. 23.26.col.515.
Vt,*non ſemper eſt finalis particula, ſed effectum ſignificat.* 23.47.col.521.
Pronomina poſſeſſiua tertiæ perſonæ modò reciproca ſunt, modò ſimplicia. 23.56.col.524.
Imperfectus annus in numerando interdum additur, interdum omittitur. 25.2.col.549.
Epitaſis eſt in affirmatione cum negatione contrarij. 25.57.col.566.& *Thren.*3.79.col.1142.& 20.27.col.456.& 42.7.col.826.
Duo eiuſdem ſignificati nomina epitaſim habent. 25.86.col.576.& *Thren.*1.65.col.1066.
Et,*diſiunctiua,pro* vel. 16.2.col.379.
Ad,& in,*pro* de. 27.19.col.594.& 33.6.col.727.
Relatiuum ſæpe ſubauditur. 28.4.col.598.
Dies annis appoſiti nihil interdum ſpatij addunt. 28.8.col.599.

Numero

Numero plurali,nomen, aut verbum additur ſingulare. 28.12.col.601.
Hebræis familiare,nomina cognata verbis addere. 30.4. col.631.
Non ampliùs,non vltrà, & ſimilia, tempus ſignificant interdum diuturnum, aut quod minùs ſit frequenter. 30.11.col.633.
Vniuerſalia ſigna accommodatè ad rem ſubiectam explicanda. 31.2.col.654.
Per datiuum æqualitas,ſeu identitas ſignificatur. 31.21. col.661.
Sæpe explicatio,ſeu notatio nominis pro nomine ſumitur. 31.34.col.665.
Aliquid impleri dicitur, aut fieri,cùm incrementum accipit,ſeu perfectionem. 31.36.col.666.
Epitaſis eſt in ſententia actiuè, & paſſiuè ſignificata. 31. 41.col.669.
Ab vmbra ſæpe ad veritatē tranſit oratio. 31.87.c.683.
Cùm vox habet duas ſignificationes, vna pro altera frequenter ſumitur. 31.90.col.685.
Aliquid in aliquo tempore factum dicitur, quod tempore non longè diſtante factum eſt. 31.95.col.686.
Omnes,pro multis ſumitur;& ſemper,pro frequenter. 31.105.col.689.
Id fieri dicitur,quod vt fiat, rerum natura poſtulat. 31. 106.col.ead.
Affirmatur de vno,& de aliis negatur, aut negari videtur,quod in illo frequentius eſt,& illuſtrius, licèt illud habeat cum aliis commune. 31.112.col.691.
Actus primus pro ſecundo. 31.114.col.692.
Si,conditionalis,in comparationibus ſæpe ſubauditur.31. 119.col.693.
Scriptura in loquendo hominum ſe opinionibus accommodat. 31.120.col.ead.& 10.19.col.269.
Ad,& in,aliquando redundant. 32.3.col.703.
Id feciſſe dicitur aliquis,quod inſtaurauit, aut amplificauit. 32.37.col.714.
Cùm minùs homo propter peccata ſperare poterat,magna illi Dominus promittit. 32.42.col.716.
Illud negatur factum, aut futurum, quod minùs quàm antea fit ſtudioſè,atque frequenter. 32.45.col.717.& 34.15.col.748.
Verba nonnunquam pro aduerbiis. 32.47.col.718.
Id factum dicitur,quod proximum eſt vt fiat. 33.5.col. 727.
Actio pro eius obiecto. 33.16.col.730.49.11.col.934. & Thren.3.54.col.1136.
Alicui tribuuntur quæ in id magis conueniunt, quod in eius gratiam fit. 34.10.746.
Aliquando quod inchoatum eſt,factum eſſe dicitur. 34. 19.col.749.
Quamuis in generali voce aliquis comprehendatur, ſi in eo ſit aliquid eximium,ſeorſim ab aliis memorari ſolet. 34.32.col.754.
Hebræi in numerando rationem habent aut perfecti numeri,aut quantitatis magis notæ. 36.21.col.774.
Cùm res ſit certa, Scriptura aliquando ponit fermè, quaſi circiter,& ſimilia. ibid.col.775.
Exiguum tempus pro nullo cenſetur. 36.26.col.777.
Sicut peccator in re, aut actione non bona typus eſt rei ſanctæ;ſic Sanctus, in actione etiam ſancta,typus eſſe poteſt rei malæ. 38.10.col.792.
Negatio, quæ in priori membro poſita eſt,in poſteriori repetenda. 38.27.col.798.
Verba quædam nomen aliquod ſubaudiunt. 43.12.col. 833.
Cùm è magno numero pauci reliqui ſunt, omnes dicuntur periiſſe. 44.2.col.843.
In nominibus futuri euentus portenduntur. 46.40. col. 875.
Ex nominibus compoſitis altera tantùm pars interdum conuerſa. 46.54.col.879.
Nomina compoſita non eodem ab omnibus modo conuertuntur. 46.55.col.ead.
In loco illo eſſe dicitur aliquid,à quo non longè abeſt. 47. 11.col.886.
Significatio interdum magis ſpectatur,quàm nominis proprietas. 49.55.col.947.
Cùm nomen in plurali præceſſit,adiectiuum, aut verbum aliquando in ſingulari ponitur. 49.56.col.ead.
Hyperbolicæ locutiones in Scriptura. 50.31.col.974.
Nominatiuus abſolutus. 51.70.1020.
Commune nomen veſtimento, & parti veſtitæ. Thren.1. 48.col.1061.
Epitaſis eſt in vocibus ſynonymis. Thren.1.65.col.1066.
Verba neutra actionem interdum habent, cum aliqua tamen epitaſi. Thren.1.71.col.1068.
Id aliquis eo affectu feciſſe dicitur, quo fieri plerùmque ſolet,licèt aliter ſe res habeat.Thren.2.22.col.1091.& 3.58.col.1137.
Id aliquis voluiſſe, aut intendiſſe dicitur,quod ex illius opere conſecutum eſt. Thren.2.57.col.1101.
Relatiuum pro antecedente. Thren.3.3.col.1122.
Iod ſæpe in fine redundat. Thren.3.24.col.1127.
Antecedens pro relatiuo. Thren.3.67.col.1139.
Aliter Patres interdum accipiunt Scripturæ loca, dum expoſitorem agunt, quàm antea dum Eccleſiaſten. Thren.4.45.col.1171.
Cùm in Teſtamento veteri vmbra occurrit noui, ad illud interdum gradus fit. Thren.4.48.col.ead.
Relatiuum ſæpe deficit. Pſ.13.col.1198.
Cùm nobis precamur bona, hoſtibus precamur interdum mala. Pſ.28.col.1202.
Ex diuerſis teſtimoniis veteris Teſtamenti vnum conflatur à ſacris ſcriptoribus. 32.20.col.708.
Cùm ex duobus autoribus teſtimonium vnum componatur,interdum tamen alter tantùm citatur autor.32.21. col.709.
Multa loca nomen ſumunt ab aliquo euentu. 32.25. col.710.
Interdum rebus, & earum autoribus commune nomen. 32.26.col.711.

IN

IN IEREMIAM PROPHETAM COMMENTARII.

PROLEGOMENA QVÆDAM IN IEREMIAM.

PROLEGOMENON I.

De Jeremiæ genere, & patria.

1. *Ieremiæ genus.* DE Ieremiæ genere illud certum eſt, ortum eſſe de ſtirpe Leui, quod ipſe fatetur ſtatim in principio; dũ ſe fuiſſe dicit de Sacerdotibus Anathoth, ideſt, aut vnum de Sacerdotali ordine; aut, Helcia parente, natum è Sacerdotum numero: vtrumque verum eſſe puto, & Sacerdotem eſſe Ieremiam, & Helcia prognatum Sacerdote. Quis autem fuerit Helcias iſte, ſummúſne Sacerdos, qui 4. Regum capite 22. inueniſſe traditur librum Deuteronomij; aut alius eiuſdem nominis, incertum eſt. Hebræi filium eſſe opinantur ſummi Sacerdotis, quorum ſententiæ ſubſcribit Burgenſis; neque diſplicet aliquibus è recentioribus, è quorum numero eſt Maldonatus, Sixtus Senenſis lib. 1. in Ieremiã, Garcia de Galarça lib. 4. Inſtitutionum, capite 4. neque longè abit Chaldæus, qui Ieremiam Sacerdotem magnum appellat. Sed quominus hæc ſententia placeat, facit, quia 1. Paralipomenon, capite 6. dum magni Sacerdotis Helciæ progenies adducitur, neque vllum de Ieremia verbum, qui tamen non videbatur omittendus, cùm tanto eſſet numero, ac loco inter Hebræos. Deinde, quia ſi Helciam parentem habuiſſet ſummum Sacerdotẽ, aut Azariam fratrem, qui Helciæ Sacerdo- *Helcias pater Ieremiæ.*
A tis maximi filius fuit, neque tam fuiſſet ab iis, qui Ioſiæ in regno ſucceſsêre, durè vexatus, neque ludibrio habitus, & dignus, cui ab ignobili, atque audaci homine infligeretur alapa. *non Sacerdos ſummus.* Quòd ſi Phaſſur, à quo percuſſus traditur Ieremias capite 20. ſummus Sacerdos fuit, vt putat Hieronymus, Lyra, & Iſidorus, ſanè incredibile eſt, ab eo, qui aut frater eſſet, aut genere coniunctus, tam ignominioſè, atque crudeliter tractatum fuiſſe Ieremiam. 2. Accedit, quòd ab iis Sacerdotibus ortus eſſe traditur, qui fuerunt in Anathoth; at ſummus Pontifex B non in viculo ignobili, atque exiguo, ſed in Ieruſalem, Iudaicæ Gentis prima ſede, & proprio religioſi cultus domicilio morabatur. Neque præterea bellè cum Pontificia dignitate conuenit modus ipſe dicendi: nõ enim quaſi in confuſa Sacerdotum turba Pontifex ſummus numerari debuit, quaſi vnus è multis, neque Sacerdotale ſibi genus, ſed Pontificium aſcriberet Propheta, quò ſuis ſcriptis maiorem conciliaret fidem; neque Iudæis tam eſſet notus, quia C in viculo natus Anathoth, quàm quòd Pontifice ſatus parente.

PROLEGOMENON II.

De patria Jeremiæ, & de ſtylo in ſcribendo.

3. *Ieremiæ patria.* PAtria fuit Anathoth, quam ex Tribu Benjamin Ioſue capite 21. Sacerdotalem eſſe voluit. Hæc verò, vt docet

Hieronymus in Prologo, & infrà in caput 11. ad finem, tribus diſtat millibus à Ieruſalem. Eſt autem in Tribu Benjamin, quæ eo ſitu eſt, vt magna pars Hieroſolymæ cũ templo ad Tribum illam pertineat. Ibi ſuam habuit Propheta cognationem, atque hæreditatem, vt ex capite 32. apertè liquet, vbi eo loco agrum dicitur emiſſe Ieremias. Ex etymologia viculi illius indicat Hieronymus in caput 11. qualis eſſe debeat Sacerdotalis vita; ſignificat enim Anathoth obedientiã, quæ ſanè à Sacerdotum inſtituto abeſſe non debet. In eo tamen vico durè acceptus eſt Ieremias à Sacerdotibus, & in lacum demiſſus, capite 37. falsò inſimulatus ab inuidis, in quo illuſtris fuit typus Chriſti; qui in Ieruſalem, quę erat in Tribu Iuda, à cognato genere, à Iudæis nempe, & accuſatus falsò, & acceptus contumelioſè, atque crudeliter eſt.

Sacerdos obediens.

Ieremias Chriſti typus.

Ieremiæ ſtylus qualis.

4. Ab hoc vico minùs vrbano, & culto, dicit in Prologo Hieronymus, traxiſſe ſimplicem ſcribendi ſtylum, & ſubruſticam orationis formam: ſed ſanè ego hìc nihil ruſticum, aut incultum video: ideo fortaſſe, quia de re tanta iudicare non poſſum. Eſt enim hoc ingenij acris, & maturi iudicij, quæ à me procul abeſſe, & planè video, & ingenuè profiteor. Non tamen ſiquid in hac Ieremiæ prophetia ruſticum occurrit, aut impoſitum, id tribuendum eſſe puto viculo Anathoth, quia cùm proximè abeſſet à Hieroſolymis, non ab alia ciuitate, ac loco, haurire debuit ſcribendi, atque loquendi formam: præſertim cùm Sacerdotalis Tribus non tam colendis agris, quàm religioni vacaret, & per vices ſuas habitaret in Ieruſalem, & in templo ſæpius; vbi ſermo, ſicubi, quàm longiſſimè aberat à ruſtico. Potiùs crederem, ſi ſimplici vſus eſt, minúſque exactè elaborato dicendi genere Propheta, id feciſſe aut conſultò, quia tempus illud infortunatum, & durum non tam egebat oratione ſuaui, quæ mulceret, quàm ſtimulis, qui pungerent, ac lacerarent obſtinatos animos. Aut ſanè, quia Spiritu rapiebatur ardenti, qui non tam artem inſtruit, quàm animum afflat, & inflammat, qui verba fundit minùs quidem ſonora, atque concinna, acria tamen, inflammata, aculeata, & dura. Quòd verò ſtylum habuerit Ieremias elegantem, & grauem, ſatis docent Lamentationes, quas ad extremum addidit, quibus nihil habuit antiquitas grauius, numeroſius, & ſonantius.

***

PROLEGOMENON III.

De tempore quo prophetauit.

Exorſum eſſe in ætate adhuc iuuenili, & tenera prophetandi munus, ipſe apertè in principio ſuæ prophetiæ teſtatur; cùm puerum ſe eſſe clamat, neque ſatis ſibi expeditam linguam ad formandã vocem; de ætate nihil prætereà habemus. 5.
Cœpit autem prophetare anno 13. Ioſiæ, ad annum 11. Sedeciæ, quo exciſum eſt templum, & euerſa ciuitas; immo vſque ad tempus, quo reliquiæ Solymitanæ cladis ad Ægyptios migrarunt per annos fermè quadraginta vnum: quibus adde tempus, quod exul poſuit apud Ægyptios, in quo etiam non ſemel prophetaſſe conſtat; id totum habes ex capite 1. vbi anno decimotertio Ioſiæ Ieremias ipſe dicit, factum ad ſe verbum Domini, & ex capitibus 40. 41. 42. 43. & 44. ex quibus diſces plurima, quæ in Iudæos, & Babylonios prædicuntur. Prophetauit autem eodem fermè tempore, quo Sophonias, & Ezechiel. Interceſſerunt autem inter Iſaiam, & Ieremiam anni centum, & quinquaginta, vt docet Hieronymus in caput 30. Iſaiæ, ſtatim in principio.

Ieremias quandiu prophetauit.

PROLEGOMENON IV.

De ſcriptis Ieremiæ.

De his latè Sixtus Senenſis libro 2. Bibliothecæ in Ieremiã. 6.
Et primùm de prophetia ipſius, quæ magna etiam ex parte hiſtorica eſt, quæque quinquaginta duobus capitibus abſoluitur, & de Threnis, ſeu Lamentationibus, nemo dubitat: alia ipſius ſcripta exiſtimantur; partim, quę nunc extant, partim, quæ cum aliis ſacræ Scripturæ libris iam pridem exciderunt. Ex his quædam enumerabimus, quæ Ieremiæ non ſine aliquo fundamento aſcripſit antiquitas.

Scripſiſſe dicitur lugubre carmen, ſiue 7.
epicedium in funere Ioſiæ, de quo libro 2. capite 35. Paralipomenon. *Mortuúſque eſt Ioſias, & ſepultus in mauſolæo patrum ſuorum, & vniuerſa Iuda, & Ieruſalem luxerunt eum: Ieremias maximè, cuius omnes cantores, atque cantatrices, vſque in præſentem diem lamentationem replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſraël. Ecce ſcriptum fertur in Lamentationibus.* Has verò lamentationes ad ſuam vſque ætatem duraſſe, teſtis eſt Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 6. Quidam autem ex

Ieremiæ ſcripta.

Hebræo

Hebræorum magiſtris lugubrem hanc næniam in Lamentationibus Ieremiæ ſtatuunt,in capite nempe 4.à quibus non abhorret Hieronymus,quem Maldonatus ſequitur:qua de re nos ſuo loco pluribus.

Liber ſecundus Machabæorum capite 2. meminit libri Commentariorum, ſeu Deſcriptionum Ieremiæ, qui tradit, quæ fecerit Ieremias, poſtquam euerſa eſt ciuitas ab hoſte Chaldæo, vbi multa commemorantur,quæ tu vide.

Quidam ab illo compoſitum eſſe dicunt Pſalmum 137.cuius initium eſt:*Super flumina Babylonis.* quibus fidem facit Pſalmi titulus apud Græcos,vbi reperitur Ieremiæ nomen:& ipſa materies, quæ euerſam ciuitatem à Babyloniis, & Iudæorum fugam, atque exilium deplorat. Alij etiam addunt Pſalmum 46. quem Ieremiæ cum Ezechiele putant eſſe communem,quia illorum in titulo præfiguntur nomina.Quid de vtriuſque Pſalmi auctoribus iudicandum ſit, viderint Pſalmorum interpretes. Ego Pſalmos omnes à Dauide puto fuiſſe compoſitos, cui ſententiæ fauet Tridentina Cenſura.

Sunt qui, Ieremiæ opus eſſe, dicunt, librum 3.&4.Regum,quos refert Sixtus Senenſis ſuprà, immo & Abulenſis quatuor libros Regum ab illo conſcriptos eſſe dicit. Ratio ſatis eſt infirma,quia vltimum caput Ieremiæ ferè idem eſt cum capite 25. libri quarti Regum. Quod argumentum eodẽ etiam modo concluderet, libros illos ab Iſaia fuiſſe compoſitos,quia à capite 36. ad caput 39.eadem ferè traduntur, quæ in libro 4.Regum à capite 18.per totidem fermè capita.

8. *Liber Baruch à quo compoſitus.* Alij prophetiam Baruch, quæ ſex abſoluitur capitibus, Ieremiæ attribuunt, cuius ipſe miniſter, atque amanuenſis fuit: neque huic cogitationi pondus abeſt, aut veterum auctoritas: communiter enim antiqui Patres, neque Baruch meminêre, dum verba recitant huius prophetiæ, ſed illam citant ſub Ieremiæ nomine. Sic Auguſtinus libro 18.de ciuitate, capite 33. Chryſoſtomus libro 2. aduersùs Iudæos, capite 6. Clemens libro 1. Pædagogi, capite 10. Ambroſius libro 3.exhameron, capite 14. & alibi ſæpe, Epiphanius,Baſilius,& plures alij. Et facit,quòd epiſtola, quam ſcripſiſſe Ieremiam, & titulus ipſe ſuadet, & communis ſcriptorum conſenſus,in libro reperitur Baruch,& eſt ordine ſexta:quàre non eſt incredibile, reliqua ab eodem auctore fuiſſe compoſita. Nos de hac re nihil ſtatuimus,quia ante ſuum tempus, id eſt, ante explicationem Baruch, præcox eſt, neque dum maturum iudicium.

Hoc certius,ſcripſiſſe Ieremiam librum minarum, & Diuinæ in ſuum populum indignationis, de quo capite 36. quem lacerari iuſſit Ioacim,& incendio comburi:qui tamen, iubente Domino, iterum à Ieremia conſcriptus eſt. Quid verò liber ille contineret, partim habes in capite illo 36. neque eſt improbabile, quæ tunc ſcripta fuêre,per longum hoc opus Ieremiæ fuiſſe diſperſa, quia multa in eo legimus quàm ſimillima his, quæ illi combuſto, ac lacerato volumini videntur fuiſſe mandata. 9.

Scripſit etiam de Babylonis ſtrage librũ vnum,quem alligatum ſaxo in Euphratem deiici iuſſit, quaſi perpetuũ futurum eſſet Babylonis excidium. de quo libro vide capite 51. Alia plura Ieremiæ ab aliis adſcribuntur,quæ ego nunc prudens omitto; tu illa vide apud Sixtum Senenſem ſuprà, & Chriſtophorum Caſtrum in Commentariis ſuper hunc Prophetam,in principio.

PROLEGOMENON V.

De vita Ieremiæ.

AB vtero matris ad prophetandi munus eſſe vocatum, & conſecratum, 10. *Ieremiæ vita.* ipſe fatetur Ieremias capite 1. Vitæ verò genus conſentaneum fuit alto, ſacróque miniſterio:nam, vt Athanaſius ait ſermone 4. contra Arrianos, vitam egit integram, & ſceleris expertem, virginitatem amauit,& perpetuò coluit, vt dicit Hieronymus in illud capitis 23. Ieremiæ, *Contritum eſt cor meum.* Iſidorus de vita,atque obitu Sanctorum, capite 38. & ita communiter alij. Quàm verò toto vitæ curſu ægrum traxerit, atque afflictum ſpiritum, dum proditos carpit populi mores, dum infortunium multò antè præſagit,& luget,dum carcerem tetrum, atque cœnoſum ſubit, dum aliis, atque aliis non contumeliis ſolùm, ſed plagis conciditur, ab ipſo docemur. A cuius tamen pectore nulla vel iniuria, vel plaga extorquere potuit miſericordiam, & ſalutis publicæ deſiderium. Quare quandiu vixit, pro populo orauit quantumuis infenſo, Threnorum capite 18.numero 20.*Recordare* (inquit) *quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.* Nã ſiquid eo loco durius videtur imprecari populo, non tam illa malorum imprecatio, quàm prædictio eſt. Neque mortuus curam,precéſque depoſuit:nam de illo dictum eſt 2. Machabæorum 15. *Hic eſt fratrum amator,& populi Iſraël; hic eſt, qui multùm orat pro populo,& vniuerſa ſancta ciuitate,*

Ieremias Propheta Dei. Quare Chriſti Seruatoris quidam typus fuit; in quo, vt in vmbra fas eſt, ſpectare licet illuſtrem imaginem, quæ Chriſti mores, & vitam expreſſit. Chronicum Alexandrinum, cuius auctor antiquiſſimus eſt, licèt incertus, hæc de Ieremia tradit. *Hoc dedit Sacerdotibus Aegypti ſignum futurum olim, vt idola illorũ per terræ tremorem concuſſa prociderent, natò ſalutis Auctore ex Virgine in præſepi iacenti. Quare hodiéque fabricant imaginem Virginis puerperæ, & infantem in præſepi repoſitum adorant. Cuius rei Ptolomæo cauſam ſciſcitanti Sacerdotes reſponderunt, id myſterium à venerando Propheta Ieremia maioribus olim ſuis fuiſſe editum.*

PROLEGOMENON VI.

De morte Ieremiæ.

Ieremiæ mors.

11. EXciſa iam vrbe, abductóque populo Babylonem, & ſublato per inſidias Godolia, in quo ſpes aliqua videbatur inſtaurandæ patriæ, non tam vltrò profectus, quàm vi coactus in Ægyptum abiit Ieremias, vbi contra Ægyptios multa, multa item in Iudæos, qui eò commigrarant, vaticinatus eſt. Eo dicendi ſpiritu, ac prophetica libertate, multorum in ſe conflauit inuidiam, & armauit manus. Quare, vt antè Hieroſolymis, dum grauia ciuibus infortunia denunciat, multa ſubiit indigna, ac dura, & tantùm à ſuis interfectus non eſt: ſic in Ægypto, cùm nihil, mutato ſolo, de conſtantia, ac ſpiritu mutaſſet, nec minùs egiſſet liberè, quàm antea ſolitus, lapidibus obrutus dicitur à Iudæis. Ita Hieronymus in Proœmio, Iſidorus in libro de vita, atque obitu Sanctorum, Dorotheus in Synopſi, Epiphanius libro de vita, & obitu Prophetarum, Tertullianus in Scorpiaco, capite 8. De ſepulcro, honoréque illi ab Ægyptiis impenſo multa narrant Epiphanius, Iſidorus & Dorotheus ſuprà. Dicunt enim, dum apud Ægyptios egit Ieremias, ipſius opera profligatos eſſe ab illorum finibus crocodilos, & aſpides, noxias feras, & Ægyptiorum commodis importunas; neque mortuum ceſſaſſe ab illorum vita, atque commoditate tuenda. Aiunt enim, puluerem ex ipſius ſepultura collectum eundem habere vſum, quem viuus adhuc Ieremias antè præſtiterat: quare ſepulcrum eius magno populorum ſtudio, ac religione frequentari. Chronicum Alexandrinum, de quo nuper, ſic de Ieremiæ ſepulcro. *Accepimus*, inquit, *nos ab Antigoni, & Ptolomæi poſteris, viris magno natu, Alexandrum Macedonum Regem, cùm ad Vatis ſepulcrum viſeret, & ea, quæ de ſe prædixerat, cognouiſſet, eius cineres Alexandriam deportaſſe, illiſque illuſtre monumentum vndequaque ornatum excitaſſe. Vnde factum, vt aſpides inde arcerentur, vti ex flumine.*

Illud non omittendum, quibuſdam videri, in viuis adhuc Ieremiam agere, expectaréque cùm Elia, atque Enoch, extremum ſæculorum articulum, vt opera diſſoluant Antichriſti, & ſummũ tunc obeat diem. Ita putat Victorinus in illud Apocalypſis 11. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis. Multi* (inquit) *putant, vnum ex his teſtibus eſſe Eliam, aut Eliſæum, aut Moyſẽ, ſed vtrique mortui ſunt. Ieremiæ autem mors non inuenitur: quia omnes veteres noſtri tradiderunt, illum eſſe Ieremiam; nam & ipſum verbum, quod factum eſt ad eum, teſtificatur ei dicens: Priuſquam figurarem te in ventre, cognoui te, & priuſquã de vulua procederes, ſanctificaui te, & Prophetã in Gentibus poſui te. In Gentibus autem Propheta non fuit, & ideo verbum Domini verax neceſſe habet, quod promiſit exhibere, vt in Gentibus Propheta ſit.* Hæc Victorinus. Hanc opinionem refert, & improbat Hilarius canone in Matthæum 20. vbi ait, hanc plurimorum eſſe ſententiam, quod item dicit Victorinus: ſed hoc ab aliis omnino reiicitur; quantum verò ponderis habeat Victorini ratio, ſuo loco dicemus. 12.

Ieremias an viuat?

Dicit autem Pratum ſpirituale, Ieremiæ oſſa ad Tetraphilum fuiſſe tranſlata; in cuius fouea, vt refert Nicephorus libro 8. capite 30. illuſtre narrat excitatum ædificium ab Helena Conſtantini matre.

De loco, vbi prophetiam aut ſcripſerit, aut fulminarit, nihil eſt, quod dicamus. Lamentationes in ſpelunca quadam prope Hieroſolymam (vnde ſpectari poſſit nõ tã ciuitas, quàm triſte ciuitatis, & immane buſtum) à Ieremia fuiſſe compoſitas, recentiorum opinio eſt. Vide Hadricomium in deſcriptione Ieruſalem, numero 224. 13.

Plato an aliquid à Ieremia didicerit.

Ad extremum addo, viſum eſſe Ambroſio, vt Auguſtinus refert libro 2. de doctrina Chriſtiana, capite 28. Platonem Philoſophum multa à Ieremia didiciſſe, cùm eſſet in Ægypto, eáque in ſua ſcripta contuliſſe, quæ multis in locis aliquid olẽt aut ſacrum, & canonicum, aut certè ſacro, atque canonico quàm ſimillimum. Scio, hanc Ambroſij ſententiam aliis in locis minùs Auguſtino probari, qui incidiſſe in idem tempus Ieremiam cum Platone non putat. 14.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS I.

CAPVT hoc totum proœmium quoddam eſt eorum, quæ in hoc Ieremiæ libro continentur, & verſus tres primi inſtar habent tituli. Primùm Deus Ieremiam aduocat ad Prophetale munus dubitantem, & cauſas, quibus ab eo retardari poterat miniſterio, obtendentem liberali promiſsione confirmat. Duobus deinde ſpectris, virgæ nimirũ vigilantis, & ardentis ollæ, quid Gentibus, & Regnis euenturum, quídve à Ieremia illis ſit denunciandum, oſtendit. Quia verò ex illa ſeuera denunciatione timere ſibi ab offenſa atque laceſsita potentia Ieremias poterat infortunium, illum rurſus ad omnem conatum & audaciam confirmat.

IEREM. CAP. I.

1\. *VErba Ieremiæ filij Helciæ, de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin.*

2\. *Quod factum eſt verbum Domini ad eum in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius.*

3\. *Et factum eſt in diebus Ioakim filij Ioſiæ regis Iuda, vſque ad conſummationem vndecimi anni Sedeciæ filij Ioſiæ regis Iudæ, vſque ad tranſmigrationem Ieruſalem, in menſe quinto.*

4\. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:*

5\. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te.*

6\. *Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.*

7\. *Et dixit Dominus ad me: Noli dicere; Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa, quæcumque mandauero tibi, loquêris.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. VErba Ieremiæ Prophetæ, qui Helcia prognatus eſt parente, ex illorum Sacerdotum numero, qui fuerunt in vico Anathoth de terra Benjamin.

2\. Hæc verba à Domino Ieremias primùm accepit ab anno decimotertio Ioſiæ filij Amon Regis Iuda per annos quadraginta, & eo amplius.

3\. Quæ item accepit Ieremias à Deo à diebus Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda ad vndecimum vſque annum iam præcipirantẽ Sedeciæ filij etiam Ioſiæ, ideſt, vſque ad
B excidium vrbis, Iudæorúmque tranſmigrationem, quæ accidit vndecimi anni menſe quinto.

4\. Hoc primum verbum fuit quod ad me factum eſt à Domino in hanc ſententiam:

5\. Antequam in materno formareris vtero, dicit Dominus, noui te meorum conſiliorum nuncium, & interpretem: & priùs quàm in lucem & communem aurã emergeres, prophetico te miniſterio deſtinaui: neque ſolùm ad contribules tuos, & Iſraëlitici ſeminis conſortes, ſed ad externos etiam populos Prophetam te, ac nun-
C cium eſſe volui.

6\. Ad hæc ego ſubitò cohorrui, dixíque infantili atque balbutienti ſermone elinguem eſſe me, neque in puerili ætate ſatis eſſe facundiæ ad Prophetale munus.

7\. Tunc rurſus ad me Deus: Non eſt cur dubites, ô Ieremia, ac timeas aut de ſermonis facultate, aut de conſtantia & robore ad obeundum prophetale munus; quæ à puerili ætate abeſſe ſolent. Ego enim linguam tibi largiar, vt poſſis mandata mea ad populum exprimere, & robur ad ſuperandas, quæ ab aduerſariis difficultates occurrent.

8. *Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit Dominus.*

A 8. Fac ergo bono atque alacri animo ſis, neque ab homine quicquam tibi aduerſum reformides: ego enim tibi ſemper adero, vt ab omni te periculo præſtem incolumem.

9. *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo:*

9. Sub hæc verba viſus ſum videre os meum attingi à Diuina manu, deinde Dominum his verbis affari:

10. *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.*

10. En, ô Ieremia, quæ dicturus ſis ad gentes & regna verba ſuppeditaui, en iam verborum fœcundus es, & animo ad agendum audaci. En propheticum à me Spiri- B
tum habes, vt annuncies euertenda, atque mutanda regna, & noua ſtabilienda, & inſtauranda vetera; & quæ iam omnino collapſa ſunt.

11. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video.*

11. Quæ verbis me priùs Dominus, eadem ſtatim oblata diuinitus ſpecie docuit. Ait enim ad me cùm ſpectrum obieciſſet vigilanti: Ecquid eſt quod vides, Ieremia? Cui ego ſpectari à me dixi virgam vigilantem, vltricem videlicet iram, quæ iam exitium rebus inuehebat.

12. *Et dixit Dominus ad me: Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo vt faciam illud.*

C 12. Tunc ad me Deus, Nec te fallit, inquit, viſio, ô Ieremia, bene vidiſti; ſed audi quid oblata prætendat ſpecies: ſicut enim vigilat virga amygdalina, quę flores & baccas affulgente primùm vere producit, ſic ego quoque vigilabo, vt primo quoque tempore compleam quod locutus ſum.

13. *Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.*

13. Addidit præterea Dominus, vt ad me ſecundò loqueretur, dicens: Et quid eſt quod vides, Ieremia? Cui ego: Ollam ego video, & in ea candentes prunas, & flammam erumpentem: quæ ſpeciem mihi offert quaſi ab Aquilone ingruat.

14. *Et dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ.*

D 14. Tunc Dominus, quid Aquilonaris illa facies portenderet, oſtendit. Non temere, inquit, ollam vides ab Aquilone progredi in Iſraeliticos fines: maximum enim atque vniuerſum Iudæorum malum ab Aquilonis ſe regione diffundet.

15. *Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponent vnuſquiſque ſolium ſuum in introitu portarum Ieruſalem, & ſuper omnes muros eius in circuitu, & ſuper vniuerſas vrbes Iuda.*

15. Ego enim tanquam imperator, & dux, Aquilonares acies, quæ Nabuchodonoſoris aut ſubſunt imperio, aut obſequũtur ſtudiis, armabo, euocabóque contra Ieruſalem. Qui vſque adeò erunt animo ſtrenuo ac confidenti, vt audeant, adeò fortes, & in ſuo conatu felices, vt poſſint in E
ipſis ciuitatis portis, vbi firmiſſimum eſt præſidium, conſidere, & muros eius omni ex parte vallare. Quod etiam audebunt, perficiéntque in omnibus ciuitatibus, quæ latè parent Iudæorum nomini.

16. *Et loquar iudicia mea cum eis, ſuper omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libauerunt diis alienis, & adorauerunt opus manuum ſuarum.*

16. Statui namque Iudæorum cauſam in examen, atque iudicium vocare, & eorum malitiam iudiciali trutina diligenter expendere, qui fide, quam mihi ſeruare integram debuêre, ſcelerate prodita, externam religionem, & impia ſacra complexi

A ſunt: & Deos, quos ſuis ſibi manibus aut dolarunt è ligno, aut finxerunt è lapide, ſupplices adorarunt.

17. Tu ergo accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum.

17. Macte igitur animo, Ieremia, accingere, & quod à me mandatum accepiſti audacter eloquere: Neque te illorum facies truculenta commoueat: illos enim tibi animos aſpirabo, eo te confirmabo robore, atque conſtantia, vt ab illorum vultu minaci, ac toruo nihil omnino metuendum putes.

18. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, ſuper omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & ſacerdotibus, & populo terræ.

18. Ego quippe ſic te contra Principum minas, & armatum odium comparabo, vt B nulla te frangat inimicorum offenſio, nulla debilitet potentia. Eris namque ſicut vrbs egregia ab arte, atque natura munita, quæ hoſtiles appulſus ridet, adeò non veretur. Et ſicut columna ferrea, cui licèt grandis inſideat moles, ipſius tamen neque flectitur, neque frangitur pondere. Et ſicut murus æreus, qui ab ariete, atque catapulta nihil metuit. Horum tu firmitatem, & duritiem oppones, vbicumque terrarum tibi certandum fuerit, Regum atque Principum Iuda infenſis animis, & machinis ad C bellicam molitionem inſtructis, Sacerdotum inſidiis, populo denique terræ & reliquis de vulgo, qui ſanè contra te obſtinato dimicabunt animo; nihilque facient reliqui, aut conſiliorum, aut virium, irritò tamen, & ludicro conatu. Nuſquam enim abero pro te pugnans, efficiámque vt ab hoſtili odio & liberum præſtem, & incolumem.

19. Et bellabunt aduersùm te, & non præualebunt: quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te.

IN CAPVT PRIMVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Verba Ieremiæ filij Helciæ*, &c.]

1. TITVLVS eſt totius libri; in quo plurimæ continentur prophetiæ; quas ſuo loco, atque ordine dinumerat Abulenſis in fine libri 4. Regum. Dicuntur autem Ieremiæ verba, quæ paulò pòſt verba dicuntur Dei; quia Ieremiæ ore iubente Domino tam Iudaico, quàm Gentili populo denunciata ſunt. Multi multa dicunt de numeri mutatione, cur cùm prius *verba* in plurali poſuerit Ieremias, ſtatim *verbū* in ſingulari ſubiecerit. Ego, vt omittā alia, *verba*, vt Logici dicūt, collectiuè ſumo, & quaſi vniuerſum, quæ deinde in ſuas partes, in aliud, atque aliud verbum per Regum tempora diſtribuo; ac ſi dicas, Hæc ſunt Ieremiæ verba, quorum aliud ſub Ioſia, aliud ſub Ioachim, aliud ſub Sedecia fuit. Cùm verò in hoc dicendi genere, in quo diſtributio partium eſt, dicendum eſſet, non *verba Ieremiæ*, ſed *verborum* D *Ieremiæ*, more tamen Græcorum *verba* dixit, quia hi genitiuum partitionis mutant in caſum partiū; vt τοὺς φίλους τοὺς μὲν ἀπέκτεινε, τοὺς δὲ αὐτοὺς ἀπέδιξε. De Parente Helcia, atq; Anathoth Sacerdotali vico, iam à nobis dictum eſt in Prolegomenis.

Verſ. 2. *Quòd factum eſt verbum Domini ad eum.*] 2.

Quòd prius verbum Ieremiæ vocatum eſt, illud iam verbum appellatur Domini, quia inſtinctus, & eruditus à Deo verbum illud protulit Ieremias. Cùm autem ſub quolibet Regum, qui à Ieremia nominantur, multa ſint verba, id eſt, prophetiæ; verbum tamen dicitur in ſingulari; quia numerus hic magis eſt ad diſtributionem accommodatus; & quia per ſynecdochen in vno multa ſignificantur, & continentur; quod in aliis ſæpe; in prophetiis verò frequentiſſimum eſt. quare cùm multa fuerint Iſaiæ, Amos, atque Michææ vaticinia; illa tamen omnia in ſingulari numero *viſionis*, ac *verbi* nomine notantur.

3. *In diebus Ioſiæ filij Amon Regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius.*]. Cùm Ioſias triginta vno annis regnauerit, conſequens eſt, illum ſub Ioſia decem & nouem annis prophetaſſe.

Verſ. 3. *Et factum eſt in diebus Ioachim filij Ioſiæ Regis Iuda*, &c.] A morte Ioſiæ vſque ad annum Sedeciæ vndecimum, anni interceſsêre vigintiduo: vndecim ſumo ex regno Ioacim, totidem ex regno Sedeciæ, quibus adde ſex menſes, quibus Ioacim, & Ioachaz filij Ioſiæ regnauere, vterque ternos. Quare totum tempus, quo ſtante templo, atque vrbe vaticinatus eſt Ieremias, quadraginta vnius annorum fuit.

4. *Vſque ad tranſmigrationem Ieruſalem, in menſe quinto.*] Sub finem anni vndecimi Sedeciæ, vt habes hîc, traductus eſt populus in Babylonem, menſe nempe quinto, vt liquet ex libro 4. Regum, capite 25. numero 8. in quo Nabuzardan Princeps exercitus Babylonij, poſt interfectos Sedeciæ filios, & Regis ipſius oculos effoſſos, Hieroſolymam venit, vt res Iudaicas partim excinderet dirutis manibus, & combuſto templo, abductâque cum populo ſacra, atque profana gaza in Babylonem, partim conſtitueret, pauperibus, vinitoribúſque relictis, qui regionem illam ſyluéſcere, atque efferari non ſinerent, & excitato Godolia, qui populo ab ea calamitate reliquo præeſſet. Id verò contigit menſe quinto, qui Hebraicè dicitur *Ab*, nobis verò Iulius eſt. Cuius die nono ieiunium ſibi indixerunt Iudæi, propter templi, ciuitatíſque ſtragem, de quo Zacharias capite 8. Neque contra facit, quòd Ieremiæ capite 39. numero 2. capta dicatur ciuitas menſe quarto: quia capta tunc dicitur ciuitas; non abducti ciues, à quorum exilio vocata eſt tranſmigratio. A direptione autem ciuitatis ad ciuium tranſmigrationem aliud ſpatij interceſſiſſe ſacræ docent literæ. Hucuſque titulus Ieremiæ prophetiæ præfixus. Hinc iam incumbunt Prophetæ vaticinia.

5. Quæret hîc aliquis primò, cùm inter Ioſiam, & Sedeciam tres Reges imperauerint, Ioacim, qui & Eliacim, Ioachaz, & Ioachim, vnius tantùm meminit Ioacim? Reſponſio difficilis non eſt, quia cùm ex vſu Scripturæ ſacræ exigui temporis ratio haberi non ſoleat, quales ſunt dies, aut menſes, qui non ſatis ſunt ad complendum annum, omiſſum eſt tempus illud, in quo cum poteſtate fuerunt duo Reges Ioachaz, & Ioachim, qui ternis regnâuere menſibus, vt habes de Ioachaz 4. Regum 22. de Ioachim verò ibidem capite 23. Exemplum habes accommodatum in Dauid, qui cùm 2. Regum capite 5. numero 5. dicatur in Hebron regnaſſe ſeptem annis, & menſibus ſex, libro tamen 3. capite 2. numero 11. regnaſſe traditur ſeptem annis, & in hoc ipſo, de quo nunc nobis ſermo, Ioachim; hic enim 4. Regum 24. regnaſſe dicitur tribus menſibus; & libro 2. Paralipomenon capite 36. his tribus menſibus decem adduntur dies.

REGVLA. Exigui numeri ratio in Scriptura haberi non ſolet.

6. Quæret ſecundò aliquis, cur prophetandi tempus anno Ioſiæ decimotertio, & Sedeciæ vndecimo, ac populi tranſmigratione definierit Ieremias, cùm conſtet, illum poſt exciſam vrbem, tranſlatúmque populum, non in Iudæa ſolùm, ſed etiam in Ægypto prophetaſſe? Reſpondent aliqui, rationem tantum habuiſſe Ieremiam in hoc præfigendo titulo eorum, quæ ſub his Regibus vaticinatus eſt; reliqua non curaſſe, quia iam ad vrbem, templúmque Solymitanum, quod

A exciſum erat, non pertinebat. Hæc mihi ſolutio nunquam probari potuit; quia poſt vndecimum Sedeciæ annum, populúmque tranſcriptum in Babylonem, manebant tamen eodem ſitu ciuiū, ciuitatíſque reliquiæ; neque templum funditus erat euerſum, quando viri quidam de Sichem, & de Silo, & Samaria, & poſt Godoliæ cædem veniſſe dicuntur in Ieruſalem, vt munera, & thus offerrent in domo Domini, 4. Regum capite 41. Verius exiſtimo, aut ſcripſiſſe Ieremiam prophetias, vſque ad euerſam ciuitatem, & templum, illíſque præpoſuiſſe, quem nunc habemus, titulum; ad illa verò, quæ ab eo tempore ad finem vſque vitæ fecit, & dixit, illum titulum non pertinere, tum quia ſcripturum ſe iam ampliùs non B putarat, exciſo templo, & ciuibus fame, ferro, exilióque mulctatis, quorum gratia inſtinctum ſe prophetico ſpiritu putabat: tum quia in ea rerum perturbatione, cùm neque ſedatum haberet animum, neque tempus ad ſcribendum vacuum, & idoneum, ceſſandum ſibi ab ſcribendo exiſtimabat. Quare extincto Iudæorum regno, & illorum ſublato, aut obſcurato nomine; his, quæ illius minas continebant, titulum præfixit. Deinde verò ſcripſit alia non pauca; quæ tamen eodem titulo conſignata non ſunt. Quemadmodum de Iſaia diximus in Commentariis noſtris, qui cùm prophetaſſe exiſtimetur ſub Manaſſe, à quo neci deditus, tamen ſub Ozia, Ioatham, Achaz, & C Ezechia prophetaſſe traditur, non ſub Manaſſe; quia aut ante Manaſſem præpoſitus erat ille titulus, aut quia præceps in deliberando conſilium iniqui Regis, facultatem nullam Iſaiæ fecit, ſcribendi illius temporis vaticinia.

Facit ad hoc, quòd non eodem ordine deſcripta ſunt à Propheta vaticinia, quo aut inſpirata à Deo, aut denunciata populo, vt ſuis quæque locis obſeruabimus. Quare veriſimile eſt, titulum fuiſſe præpoſitum his, quæ ordine illo confuſo, ac perturbato ſcripta fuêre ante profectionem in Ægyptum, reliqua verò pòſt fuiſſe addita; extra titulum tamen, quaſi quædam fuerint ſuperiorum appendix. Hæc mihi in re coniecturali videtur non inepta ratio; ſi quiſpiam aliam D meliorem adduxerit, lubens amplectar.

Antequam prophetiæ expoſitionem aggrediar, præmittenda eſſe quædam exiſtimaui, quæ expeditum reddant, & facilem curſum multorum, quæ nobis ſæpe in Commentariis occurrent, ne ſæpius nobis aut hærendum ſit, aut eadem cum faſtidio iterum, atque iterum inculcanda.

Quia quæcunque à Ieremia ſcripta fuerunt, aut certè eorum pleraque ſub Ioſia Rege, eorúmque filiis geſta ſunt, quorum frequens occurrit nomen, & tempus, agè videamus, quinam illi fuerint, quóve tempore, atque ordine, ac quandiu E regnauerint. Ioſias, vt habes Paralipomenon libro 1. capite 3. quatuor ſuſcepit filios, quorum *primogenitus Iohanam, ſecundus Ioachim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* Hic porro Sellum, qui fratrum vltimus ponitur, primus regnauit omnium, ſucceſsítque patri Ioſiæ. hoc mihi videtur eſſe certum ex Ieremiæ capite 22. *Hæc dicit Dominus ad Sellum, filium Ioſiæ, Regem Iuda, qui regnauit pro Ioſia patre ſuo, qui egreſſus eſt de loco iſto. Non reuertetur huc ampliùs, ſed in loco, ad quem tranſtuli eum, ibi morietur.* Hic porro Sellum idem eſſe videtur, qui 4. Regum 23. & 2. Paralipomenon 36. vocatur Ioachaz, quia & hic ſucceſſiſſe traditur parenti Ioſiæ, 7.

Ioſiæ quot filij.

Sellum idem qui Ioachaz.

ſit, & ex pertuliſſe exul in Ægypto, quæ capite 22. minatus fuerat Ieremias; licèt autem Sellum vltimo loco inter fratres numeretur, non tamen vltimo inter fratres loco natus eſt, ſed medius inter illos fuit. Primus fuit Heliacim, qui & Ioacim, qui vigeſimoquinto ætatis anno regnare cœpit; ſecundus Ioachaz, ſeu Sellum, qui tertio ante Ioacim menſe regnum iniit, natus ipſe viginti tres annos, vt habetur 4. Regum capite 23. tertius fuit Sedecias, qui poſt Ioacim, & Iechoniæ regnum, quod ſupra vndecim durauit annos, regnum ſuſcepit, annos natus vnum & viginti, vt habes ibidem capite 24. numero 18. nihil hìc dico de Iohanam, quia licèt primogenitus fuerit, ad regnum tamen non peruenit.

De Iohanam nihil, quod ego viderim, habemus ampliùs, quàm nomen ipſum, & genus: aut quia viuente patre deceſſit; aut quia, cùm regnum non obtinuerit, vitam egit obſcuram, & ignobilem, neque quidquam molitus eſt eiuſmodi, vt in ſacros Annales referri debuerit.

8. Ioacim, qui & Heliacim, ſecundus filius Ioſiæ, abducto fratre Ioachaz, qui & Sellum in Ægyptum, ſuffectus eſt eius loco à Pharaone Nechao in regno Iuda. Cúmque priùs Heliacim diceretur, à Pharaone vocatus eſt Ioacim. Reges enim tam Babylonij, quàm Ægyptij, vt de aliis ſileam, vt ſe poteſtatem in alios habere ſignificarent, nomen illis aut nouum, aut aliqua ratione mutatū imponebant. Quare & Ægyptius alter Pharao nomen indidit nouum Ioſeph, Geneſis 41. & Nabuchodonoſor, qui Mathatiam Ioſiæ filium Sedeciam vocauit, Danielis, & ſociorum eius nomen antè mutauerat. Puto autem Heliacim nomen eſſe compoſitum ab Heli, & Ioacim, & quò melior eſſet iunctura, & ſonus ſuauior, per aphæreſim ex altera compoſitionis parte ſublatum eſſe *io*, atque ideo cùm vocandus eſſet Heliioacim, appellatum fuiſſe Heliacim. Neque id nouum eſt apud Hebræos, qui in principio ſyllabam aut contrahunt, aut mutant. Exemplum habemus in hoc ipſo nomine: nam cùm Hebraicè dicatur יהויכים idest, *Iehoiachim*, nos autem vna ſublata ſyllaba dicimus Ioacim. Quod verò, qui Ioacim ſeu Ioacimus dicitur, Iacim ſeu Iacimus appellari ſit ſolitus, docet Ioſephus libro 20. Antiquitatum, vbi Pontificem quendam maximum Iacinum vocat, non Ioacimum.

Superiores, & domini nomina ſubditorum mutare ſoliti.

9. Puto item, hunc Heliacim ſolitum eſſe vocari *Heli*, quæ prior eſt pars nominis compoſiti, & *Ioacim*, quæ poſterior: idque etiā iuxta Hebræorum morem; qui, cùm nomen alicuius proprium compoſitum eſt, alteram compoſitionis partem remouere ſolent. quo modo Iemini dicitur Benjaminita, Amon, quæ Hebraicè vocatur Benami, Ram, qui Abram, Salem, quæ Ieruſalem, de quibus nos pluribus in caput 15. Iſaiæ. Neque tantùm prior pars compoſitionis adimit, ſed etiam aliquādo poſterior. 4. Reg. 10. vicus qui priùs vocatus fuerat, v. 12. *camera paſtorum*, ſtatim v. 14. vocatur *camera*, ſicut hìc ex Heliacim ſublata poſteriori parte, tantùm manet Heli, quæ prior eſt pars. Quare exiſtimo, Pharaonem non impoſuiſſe Heliacim nomen aliquod nouum, ſed priorem nominis partem ademiſſe, vetuiſſéque, ne iam ampliùs gemino vocaretur nomine; ſed vno cōtentus eſſet Ioacim, ídque non ſine cauſa. Cùm enim Heliacim valeat idem, quod *Deus ſuſcitabit*, vel, *Deus firmabit*, noluit Pharao ſubiectum ſibi Regem nomen habere, quod firmitatem à Deo

Nomen Dei ex quibuſdā nominibus ſublatum.

A portenderet, ideſt, nulla humana virtute ſuperabilem. Exemplum habemus ſatis accommodatum in huius Ioacim filio Iechoniæ, qui cùm nomen haberet illuſtre, quod ſignificat *Dei preparationem*, ſeu *preparatum à Deo*, quando de illo iam exauthorato, atque ignobili agitur, Ieremiæ capite 22. ſublata priori ſyllaba יה *ia*, quę Deum ſonat, *Chonias*, appellatur, non Iechonias; ſicut in antiquis codicibus antè legebatur, & nunc etiam in ſuis Commentariis legit Hieronymus. Sed eſt exemplum aliud, non tam ſimile quàm idem, Iudith capite 4. numero 5. & 11. Sacerdos magnus dicitur Heliachim, & idem capite 15. numero 9. vocatur Ioachim, quia vtrumque, vt reor, nomen familiare habuit. Immò & Heli vo-

B catum eſſe crediderim, ab altera parte compoſiti nominis, ſicut etiam Sacerdos alius magnus vocatus eſt Heli, 1. Regum capite 11.

Hinc ergo colligere poſſe videor, verum id eſſe, quod quidam è Patribus exiſtimant, de Ioachim Beatæ Virginis parente, quem vocatum eſſe putant etiam Heli. Cùm enim Lucas cap. 3. in Chriſti generatione deſcribenda ad Chriſti auum, Virginíſque parentem deſcenderet, illum appellat Heli. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph, qui* (nempe Chriſtus,) *fuit Heli.* Puto ergo Virginis parentem vocatum eſſe Heliacim, ſiue, quod idem eſt, Heliioachim; & interdum iuxta Hebræorum

C conſuetudinem *Heli*, interdum vocari ſolitum *Ioachim*; quare quem alij Ioachim, Lucas appellauit Heli. & in re vſque adeò implexa, atque difficili non mea mihi diſplicet coniectura. 10.

Pater Virginis Mariæ vocatus Heli, Heliacim, & Ioacim.

Quia magna eſt in filiis Ioſiæ nominum confuſio, illud etiam addendum, eos, qui poſt Ioſiam regnauère; & quorū ætate prophetauit Ieremias (vnū excipio Sedeciam, de quo nihil mihi compertum eſt) commune habuiſſe Iechoniæ nomen. De Ioachaz, qui & Sellum, qui proximè in regno parenti ſucceſſit, tradit Eſdras libro 3. capite 1. *Et aſſumentes qui erant ex Gente Iechoniam filium Ioſiæ, conſtituerunt Regem pro Ioſia patre ſuo, cùm eſſet annorum triginta trium, & regnauit ſuper Iſraël menſibus tribus; & amouit eum Rex Ægypti,* 11.

Omnes Ioſiæ filij vocati Iechoniæ.

D *ne regnaret in Hieroſolymam etiam, & conſtituit Rex Ægypti Ioacim fratrem eius Regem Iudæ*, &c. Hæc omnia dicta ſunt de Ioachaz 4. Regum 23. & 2. Paralip. capite 36. Quod verò, qui Heliacim, ſiue Ioacim vocatus eſt, appellatus quoque fuerit Iechonias, docet Epiphanius in hæreſi Epicuræorum ad finem; & habemus ex Matthæi capite 1. vbi Ioſias dicitur Iechoniam genuiſſe, illum nempe, à quo Chriſti progenies propagata eſt: ideo enim in ea auorum ſerie Reges numerantur, vt generationis Chriſti texeretur ordo, & omnibus de ipſius nobili, atque antiqua ſtirpe conſtaret. Fuit verò Iechonias ille, cuius fratres, nempe Ioachaz, & Sedecias, regnauerunt: ideo

E enim genuiſſe dicitur Iechoniam, & fratres eius. Quod autem huius Ioacim, ſiue Iechoniæ filius, atque Ioſiæ nepos, Iechonias quoque vocatus fuerit, Matthæus ipſe docet, dum à Iechonia poſt tranſmigrationem Babylonis genitum eſſe dicit Salatielem, & multò clariùs Ieremias capite 22. *Si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda, annulus in manu mea.* En quomodo tribus Regibus, qui ſtatim à Ioſia continenter regnum obtinuère Iuda, commune fuerit Iechoniæ nomen.

Ex hac nominis confuſione, ac communitate ſic elucidata multa lucem accipiunt non 12.

parum

parum obſcura. Vnum adducam, quod diu torſit Doctorum ingenia, neque dum ſatis explicatum eſt, ad cuius cognitionem hæc fortaſſe obſeruatio viam aperiet. Diuiſit Matthæus Chriſti progeniem in tres auorum teſſaradecadas, ideſt, in tres partes, quarum quælibet quatuordecim numerat generationes. *Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim, & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtũ, generationes quatuordecim.* Sed in tertia parte, id eſt, à tranſmigratione Babylonis, vt conſtat, tredecim tantùm generationes ad Chriſtũ vſque deprehendũtur. At quatuordecim fuiſſe, Euangeliſta teſtãte, dubitare nefas. Item Ioſias genuiſſe dicitur Iechoniam in tranſmigratione Babylonis, quod qua ratione fieri potuerit, non video, cùm multò ante tranſmigrationem occiſus fuerit à Pharaone Ioſias, & Iechonias natus anno ante parentis obitum vigeſimoquinto. Vt enim habes 4. Regum 23. erat vigintiquinque annorum, cùm regnare cœpiſſet, & vndecim regnauit annis in Ieruſalem, multis videlicet annis ante tranſmigrationem. Deinde Iechonias, qui genitus eſſe dicitur à Ioſia, genuiſſe dicitur Salatielem, poſt tranſmigrationem Babylonis; at Iechonias filius Ioſiæ neque in Babyloniam migrauit, niſi forte ad exiguum tempus, neque Salatielis pater fuit; ſed nepos illius, & pronepos Ioſiæ. Tentemus igitur, ſi quo modo Matthæum cum Matthæo, qui tres teſſaradecadas numerando expleuiſſe non videtur, & cum hiſtoria veteri, quæ omnino non admittit, à Ioſia Iechoniam in tranſmigratione fuiſſe generatum, conciliare poſſimus.

Reg. Nomen iteratum tranſcriptorem decipit.

13. Diximus tres Reges, qui proximè Ioſiæ ſucceſſere, vocatos eſſe Iechonias, nempe Ioachaz, ſiue Sellum, de quo nullus ſermo in hac Chriſti generatione, quia ſine filiis deceſſit, & Heliacim, qui & Ioachim, qui regnum obtinuit proximè poſt Ioachaz, & Ioachim, qui & Iechonias, Heliacim ſiue Iechoniæ filium, & Ioſiæ nepotem: in hac ergo generationum ſerie librariorum incuria aliquid omiſſum, aut expunctum eſt, quod aliis Scripturæ locis factum eſſe teſtatur Hieronymus, in illud Iſaiæ capite 42. *In veritate educet iudicium.* vbi docet ſcriptoris errore ſublata quædam, qui deceptus eſt ſimilitudine vocis; nam cùm prius membrum voce *iudicij* clauderetur, & ſimilis exitus eſſet etiam in poſteriori, omiſſa ſunt à parum attento, aut plus ſatis properante ſcriptore, quæ inter vtrunque clauſularum exitum claudebant, apud Matthæum capite 12. in quo decurtatus eſſe videtur Iſaiæ locus.

14. Puto igitur omiſſum eſſe ab ſcriptore parum attento (quod ab aliis deinde ad noſtrum vſque tempus eodem errore productum eſt) Ioacim, ſiue Iechoniæ nomen, qui filius fuit Ioſiæ, & alterius Iechoniæ pater. Ita putat Auguſtinus libro 2. de conſenſu Euangeliſtarum, capite 4. Epiphanius in ſecta Epicuræorum, cui ſubſcribit Maldonatus in Matthæum, & alij è recentioribus. Erroris verò cauſa fuit, quia ſicut ex ſententia Hieronymi, *iudicij* nomen iteratum decepit incautum tranſcriptorem, vt quædam omitteret apud Matthæum, capite 12. ſic etiam apud eundem iteratum Iechoniæ nomen fecit, vt ſcriptor aliqua prætermitteret, quod ſi omiſſum non eſſet, expeditum redderet generationis ordinem, & ortas inde difficultates diſſolueret. Sic itaque lego: *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius; Iechonias autem genuit Iechoniam, in tranſmigratione Babylonis; & poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salatiel.*

15. Ex his difficultates antè propoſitæ, quæ ſanè leues non ſunt, facile ſoluuntur. Nam primùm, ſi alter addatur Iechonias, implebitur tertia teſſaradecas, habebítque quatuordecim generationes, ſicut numerat Matthæus. Deinde liquet, quomodo Iechonias genitus à Ioſia fuerit, idque longè ante tranſmigrationem, quia de priori Iechonia ſermo eſt, non de ſecundo. Hic verò Iechonias Iechoniam alterum genuit, in tranſmigratione Babylonis, id eſt, ſub id tempus, in quo inchoata eſt Babylonica tranſmigratio, quæ cœpit regnante Ioacim; non longè ante Nabuchodonoſoris appulſum: alter porro Iechonias poſt tranſmigrationem, cùm exul eſſet, apud Babylonios genuit Salatiel, vt conſtat. Quare nihil eſt, in quo offendat generationum ordo à Matthæo deſcriptus.

16. Verſ. 5. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te.*] Solẽt aliquando ſcriptores ſacri, præſertim Prophetæ, ſcriptis ſuis conciliare auctoritatem, dum omnem à ſe mendacij ſuſpicionem amoueant, quod fecit Lucas in prologo tam Euangelij, quàm Actuum, Paulus ad Galat. Ioannes in Apocalypſi. Eódem ſpectat, quod ſuis plerunque vaticiniis Prophetæ præponunt, *Verbum Domini*, aut, *Hæc dicit Dominus*, & ſimilia. Aliquid maius indicat hoc loco Ieremias, certè aliquid expreſſum magis, quod tamen ipſi cum Prophetis aliis commune fuit. Qui etiam à Deo, quo ſenſu dicemus poſtea, antequam in vtero formarentur, cogniti fuerunt, & antequam egrederentur e vulua, ſanctificati. Porro *noſſe* idem eſt, quod deſtinaſſe, approbaſſéque, tanquam idoneum prophetici muneris miniſtrum. De priori ſenſu eſt illud Pauli ad Romanos 11. *Nam repulit Deus plebem ſuam, quam preſciuit.* De poſteriori plurima ſunt exempla, quibus Deus ignorare dicitur, quæ non probat.

Cognoſco, idem quod deſtino.

17. *Ieremias quomodo ſanctificatus.*

Et antequam exires de vulua, ſanctificaui te.] Longa hæc quæſtio, neque explicatu facilis, diſceptatur à Patribus, quorum aliqui ita ſanctificatum eſſe dicunt Prophetam in matris vtero, vt ab originali macula mundus exierit: alij aliud ſanctificationis genus intelligunt, de quo poſtea. Sanè qui priori modo capiunt, neque pauci ſunt, neque ignobiles. Ex interpretibus tenent Hieronymus, ſanctus Thomas, Rabanus, Hugo, Dionyſius, & Lyra. quibus accedunt Origenes homilia 1. in Ieremiam, Athanaſius contra Arrianum oratione 4. Ambroſius libro 1. in Lucam capite 5. Nazianzenus oratione 4. apologetica, ad finem, Bernardus ſermone de excellentia ſancti Ioannis Baptiſtæ, & plures alij.

18. *Sanctifico, idem quod deſtino.*

Alij de alio ſanctificationis genere loquuntur; nempe de deputatione aliqua, aut conſecratione ad prophetandi munus: ita putat Hieronymus in illud ad Galatas 1. *Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* vbi idem eſſe putat, ex vtero ſegregari, atque in vtero ſanctificari. Irenæus libro 5. capite 15. eodem modo ſanctificatum Ieremiam cenſet, & Paulum è matris vtero ſegregatum: idem Theodoretus in hunc locum. Chryſoſtomus homilia de Ieremia, tomo 1. quibuſcum è recentioribus plures conſentiũt. His adde Chaldæum, qui ſic hunc reddit locum: *Antequam venires ad ſæculum, præparaui te Prophetam.* Plura in hanc

hanc ſententiam adducit Chriſtophorus Caſtro, quem tu vide. Neque deſunt in ſacra Scriptura aliqua huius cogitationis veſtigia. Nam Ieremias capite 20. numero 14. maledictam appellat diem, in qua natus eſt, quod ſanè dicturus non videbatur, ſi purus à culpa è materni vteri latebris in communem hanc lucem emerſiſſet. Ex his verbis ſanctus Ildefonſus in libro de perpetua Mariæ virginitate deducit, Ieremiam in matris vtero non fuiſſe ab originali macula purgatum. Sed de huius loci ſententia, cùm res ipſa poſcat, pluribus agemus. Alius locus eſt multò magis apertus Eccleſiaſtici capite 49. qui ſic de Ieremia: *Nam malè tractauerunt illum, qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta, euertere, & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renouare.*

19. In hanc ſententiam pronior eſt animus, ad cuius intelligentiam obſeruo, verbum *ſanctificare*, Hebraicè קדש *Kadas*, vſus habere in Scriptura varios, neque ſemper id valere, quod maculam delet, & munditiam ac pulchritudinem conciliat: ſiue illa legalis ſit, qualis eſt ea, qua ſe quis vel à ſanguine, vel à mortuo certa aliqua legis cæremonia purificat, ſeu certè iam à peccato liber, quæ vera labes eſt, gratus Deo fit, & abſolutè iuſtus, & ſanctus appellatur. Interdū enim idem eſt, quod ſegregare rem ad miniſterium aliquod ſacrum, quæcunque illa ſit, ſeu rationalis, & animata, ſeu rationis omnino, atque animæ expers, vt nuper ex Hieronymo, Irenæo, atque Theodoreto dicebamus, quomodo ſanctificara dicuntur primogenita boum, atque armentorum, Deuteronomij 15. & locus religioni ſacer, & dies Diuino cultui conſecrati, qua ratione ſanctificari dicitur Sabbathum. Denique illi, quorum opera ad opus aliquod ſacrum deſtinantur, quantumuis illi ſcelerati ſint, dicuntur ſanctificati, dummodo in illorum deſignatione aliquid ſacrum intercedat, qualis eſt ritus, ac cæremonia ſacra, aut certè finis intentus à Domino; quomodo ſanctificatum dicitur bellum, quod Chaldæi Solymitanis intulerunt, Ieremiæ capite 6. quia illud Deus ad punienda Iudæorum peccata conflauit; & ſanctificati milites, Perſæ videlicet, & Medi, à quibus longè aberat ſanctitas, Iſaiæ capite 13. & Sophoniæ capite 1. quia ad ſtragem Solymorum, plectendámque populi impietatem à Domino conſcripti.

Sanctificantur etiam inanimata.

20. Hæc mihi certa ſunt, neque exiſtimo ex hoc loco colligi poſſe, aliquid Ieremiæ conceſſum eſſe, quod alicui aliorum Prophetarum negatum ſit. Tametſi hîc de Ieremia multò ſignificatum apertiùs, immo credo in ſecundo hemiſtichio nihil explicari ampliùs, quàm in priori, per figuram epexegeſim, quæ non tam addit aliquid nouum in altero membro, quàm explicat, & ponderat id, quod ſimpliciùs expreſſum fuerat in priori. quaſi idem omnino ſit, *Antequam te formarem in vtero, noui te*; &, *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te*. nempe, antequam in lucem è materno clauſtro prodiiſſet Propheta, iam à Domino ad propheticum munus fuiſſe deſtinatum. Neque enim magnum aliquod diſcrimen eſt inter *ſcire*, atque *ſanctificare*, cùm vtrunque, vt nuper dicebamus, deputationem indicet: neque inter tempus, quod formationem, & illud, quod ortum anteceſſit, cùm tempus illud, quod inter formationem, atque natiuitatem medium, ſi cum æternitate, in qua notus fuit, atque ſanctificatus Ieremias, comparetur.

21. Hîc tu pro re morali obſerua, quantum referat, aliquem notum eſſe, & ſanctificatum à Deo, ideſt, ad aliquod munus, quodcunque illud ſit, à Deo deſtinatum, maximè ad prophetandi, atque prædicandi arduum, & graue miniſterium, vt non ſolùm illud vtiliter, ſed etiam alacriter, & conſtanter obeat. Habet enim ſecum magiſtrum, atque patronum Deum, à quo verbum accipit, quod ad populum effundat, & qui animum inſpiret, & robur, quo non ſolùm aggrediatur, ſed etiam ſternat obnitentes aduerſariorum vires. Hoc, vt ſtatim dicemus, promiſſum eſt Ieremiæ, & à Deo cumulatè præſtitum. Quòd ſi quis ſignum aliquod, & coniecturam deſideret, quo ſe prudenter exiſtimare poſſit, ad concionandi munus eſſe ſanctificatum, ex eo nonnullam poteſt coniecturam ſumere, ſi verba in concionando meditetur, atque loquatur Dei: ſic enim Dominus ad Ieremiam: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Verba, inquam, non compta, non ſonantia, non quæ alieno fuco, ſtultæ multitudinis demulceant prurientes aures, ſed grauia, ſancta, & quæ compungant animos, & lacrymas extorqueant, non quæ inanes aut afferant, aut captent voluptates. Hos ſanè Deus neque nouit, neque ſanctificat; id eſt, neque mittit, neque approbat: quia potiùs in alienum irrumpunt, quàm in ſuum aſpirant miniſterium. De quibus eſt illud Oſeæ capite 8. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.* de quibus Gregorius 1. parte Paſtoralis, capite 1. *Ex ſe*, inquit, *& non ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, ſed ſua cupiditate accenſi, culmen regiminis rapiunt, potiùs quàm aſſequuntur.* & illud de Diuini verbi miniſtris Ieremiæ capite 23. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* nota illud, *currebant*, quod præproperam feſtinationem indicat, & adhuc immaturam.

Vir Apoſtolicus à Deo mittendus.

22. *Et Prophetam in Gentibus dedi te.*] Ex hoc loco colligit Victorinus, vt obſeruauimus pluribus in Prolegomenis, nondum vita functum eſſe Ieremiam, ſed expectare donec in vltimo ſæculorum articulo, ſimul cum Helia, Antichriſti inſidiis, & fraudibus occurrat: quia cùm Ieremiæ vaticinium non poſſit non expleri, neque Gentibus inueniatur prophetaſſe, deſignandum neceſſariò aliquod tempus eſt, in quo ad Gentes ipſius quoque extendatur prophetia. Nullum autem videtur eſſe aliud, quàm quod ſuis fraudibus, atque præſtigiis peruertet Antichriſtus. Sed ſanè impleta hæc eſſe, quo tempore prophetauit Ieremias, ſatis ex ipſius ſeu hiſtoria, ſeu vaticiniis conſtat. Nam & contra Gentium Reges, & Imperia prædixit multa, vt habes à capite 46. ad finem vſque prophetiæ; & dum eſſet in Ægypto, vt caput ipſius 44. oſtendit. Et quidem ipſe capite 46. in principio dicit: *Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam contra Gentes.* Chaldæus hoc loco legit, *Præparaui te, vt calicem maledictionis populis propinares.* Quomodo contra Gentes multas prophetarit, ſub calicis allegoria, vide caput 25. & ſub catenarum metaphora contra Moabitas, Amonitas, Idumæos, Tyrios, & Sidonios, vide caput 27.

Ieremias mortuus.

23. *Et dixi, A, A, A, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.*] Subodoratus credo fuerat iam Ieremias, quantum ineſſet ponderis, quantum difficultatis, ac periculi prophetali muneri; atque ideo cauſas obtendit præcipienti Domino non parum, vt ipſe exiſtimabat, graues. Quia nimirum impar eſſet ætas tanto ponderi, neque linguam

guam haberet ad propheticam vocem ſatis expeditam. Pro, A,A, A, Hebraicè eſt vna tantùm vox אהה *ahah*. Eſt autem obſcurum, an vox illa ſit ſonus quidam rudis, & informis, qualis eſſe ſolet infantis, qui bleſa, atque imperita lingua aliquid balbutit infantile; qua Propheta per mimeſim infantem ſe eſſe profitetur: an verò auerſantis oblatum ſibi miniſterium, ac ſi diceret: Apage, Domine; aut, Abſit à me Domine: aut certè particula ſit, aut interiectio dolentis, qua ſuum dolorem Ieremias prodat, cùm coniici ſe videat in ponderis planè importabilis neceſſitatem, & in quotidianum propè vitæ periculum. Hoc poſtremum mihi videtur vero quàm ſimilius: nam vox illa Hebraica אהה *ahah*, dolorem indicat, & ſolicitudinem in aliis fermè omnibus ſacræ Scripturæ locis, vt ſtatim capite 4. numero 10. vbi noſter vertit, *heu, heu, heu, Domine Deus.*

24. Ait verò Propheta imperitum ſe eſſe formandi ſermonis, neque puto de quocunque ſermone hunc intelligendum eſſe locum, ſed aut de erudito, & graui, qualem deſiderant politiorum hominum elegantes aures; aut veriùs de prophetali, qui conſtans deſiderat pectus, & audaces ſpiritus. An verò id ab ætate adhuc immatura, ac iuuenili habeat, an potiùs à natura vaſta, atque agreſti, dubitari ſolet. Ego primùm in Ieremia nihil eſſe puto ruſticum, & tardum, neque in ſermone, vt in Prolegomenis dixi, neque in ingenio; ſaltem locus iſte non cogit, vt hæc de Ieremia in præſenti rerum articulo ſentiamus. Scio impeditioris fuiſſe linguę Moyſé, & Iſaiam, miſſos tamen ad loquendi miniſterium à Deo; atque adeò id etiam in Ieremia probabiliter factum videri. Non nego idem etiam de Ieremia exiſtimari poſſe; verùm de aliis magis aperta ratio eſt, quàm de Ieremia, vt conſtat. Nam Moyſes impeditam ſe habuiſſe linguam confeſſus, & ideo datus eſt illi tanquam adminiſter Aaron, qui linguæ illius inpedimento ſeruiret; Iſaiæ verò admotus ex altari candens carbo ſatis indicat aliquid eſſe in Iſaiæ labiis, quod promptum, & facilem ſermonis vſum impediret; at de Ieremia tantùm habemus: *Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Quo loco neque purgata dicuntur eſſe labia Ieremiæ, neque impedimentum eſſe vllum labiorum, aut linguæ, ſed tantùm verborum defuiſſe pondus, & facultatem, quæ Deus admota manu affatim impertitus eſt. Neque prę terea ratio, quam adducit Propheta, aliquid oſtendit à natura aut impeditum, aut hebes: ætatem enim cauſatur apud Dominum, non ingenium ſtupidum, & agreſte, aut linguam tardam, aut abſonam vocem. *Neſcio,* inquit, *loqui, quia puer ego ſum.*

Sanctis quibuſdam impedita lingua.

25. An verò ætate puer, eo rerum articulo, fuerit Ieremias, dubitari ſolet. Qua in re nihil certum affirmare habeo; eſt tamen veriſimile, illum non valde ætate progreſſum cœpiſſe prophetare; tum quia ipſe hoc loco nō obſcurè ſignificat, tū quia ſi ab anno decimotertio Ioſiæ ad annum vſque Sedeciæ vndecimum, & deinde aliquot annis in Ægypto vaticinatus eſt, per annos circiter quadragintaquinque, conſtat, inire non potuiſſe prophetandi munus, niſi in adoleſcentia. Sed, vt dixi, locus iſte nullam nobis neceſſitatem affert, vt arbitremur, Ieremiam à tenera adhuc ac rudi ætate exorſum eſſe munus illud propheticum. Neque enim admodum eſſet grandis, cùm in

A Ægypto poſt annos quadraginta quinque impenſos prophetiæ, defunctus eſt. Neque pueri nomen, quo prophetale pondus dealienare vult, in oppoſitum cogit. Vt enim Scripturæ ſacræ conſuetudo eſt, omittitur hîc ſimilitudinis nota, in hanc ſententiam; quia puerorum inſtar elinguis ſum, neque paratam habeo aut verborum copiam, aut linguæ vſum. Porro hîc Septuaginta pro *A, A, A, Domine,* legunt; *Qui es Dominator Domine.* nacti ſunt ſine dubio alios codices, quàm noſter Vulgatus; fortaſſe legerunt, אהיה à verbo ſubſtantiuo, quo Deus vocatus eſt, *qui eſt,* Exodi 3. Eſt autem ſimilitudo maxima inter אהיה quod nomen videtur eſſe Dei, & אהה, quod aduerbium lugentis, aut dolentis eſt.

B Hîc porro quæri à nonnullis ſolet, cur audacter Iſaias in omnem ſe caſum, & periculum offerat, capite 6. dum ait, *Ecce ego, mitte me*; Ieremias autem in vtero ad munus illud ſanctificatus, tantopere recuſat; quod etiam fecit non minùs timidè, atque obſtinatè Moyſes, Exodi capite 3. Quidam id tribuunt amori, ac zelo Iſaiæ, quo in Deum ardenter inflammatus in omnem ſe aleam, atque diſcrimen offert, vt Dei voluntati, atque conſiliis ſeruiat; & Ieremiæ modeſtię, qui cùm de ſe humiliter ſentiat, & cogitet, munus à ſe reſpicit, quod viros decet maiori ingenio, atque conſilio præditos: & idem etiam ſentiunt de Moyſe. Ita indicat Nazianzenus oratione 41. in Paſcha; quæ ratio mihi omnium probatur maximè. Gregorius vtrunque putat ex amore procedere, *Ex Dei,* inquit, *amore, recuſat Ieremias, ne à Dei ſemoueatur contemplatione; ex amore proximi ſe offert Iſaias, vt ſuis impertiret, quod à Deo bonum acceperat.* Alia poſſet adduci ratio, cur Ieremias non ſolùm non ſe offerat vltrò, quod fecit Iſaias, ſed etiam detractet prophetiæ pondus. Cùm enim in ipſo Iſaia iam eſſet expertus, quid periculi afferat loquendi libertas, & ſpiritus in reprehendendo vehemens, cùm illum viderit diſſectum eſſe ſerra, timet, ne quid ſibi ſimile contingat. At Iſaias, cui inexperto dulce videbatur eſſe bellum, ad illud vltrò properat. Cui ſententiæ fauet illius Rabbini cogitatio, quam non improbat Hieronymus in illud Iſaiæ 40. *Quid clamabo?* cui etiam ſubſcribunt Hugo, Haymo, & Gloſſa; qui ideo putant, Iſaiam non promiſiſſe ſe clamaturum, donec Deus oſtenderet clamandi materiam; quia expertus fuerat, quanti ſibi ſteriſſet clamor alius, quo in ſe Principum, ac plebis inuidiam conflauit. Quare ſi periculum eſſet odoratus, quod poſtea ſuſtinuit, vt nunc cognouiſſe creditur Ieremias, ipſe quoque prophetandi non tam munus, quàm onus declinaſſet. Sed quàm id alienum eſſet ab Iſaiæ ſpiritu, atque conſtantia, diximus in noſtris Commentariis in illum Iſaiæ locum. 26.

Ieremias prophetare recuſas.

Iſaias vltrò ad prophetandum offertur.

E Verſ. 7. *Noli dicere: Puer ſum; quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa, quæcunque mandauero tibi, loquêris.*] Infirmas ætatis teneræ vires, & linguæ imperitiam obiecerat Ieremias, quo minus poſſet imperata complere; ſuum contrà vtrique impedimento Dominus ſubſidium adhibet, & linguam eruditam, & promptam ad ſermonis prophetici opportunum vſum; & virium firmitatē ad id, quod importabile videbatur, prophetiæ pondus. Porro illud, *ibis,* & illud, *loqueris,* cùm actum, vt Logici dicunt, videantur ſignificare ſecundum, ideſt, actionem, tamen ex ſacræ Scripturæ more actum primum important, ideſt, 27.

agendi

agendi facultatem; quomodo dicimus de infante, cui cùm iam pluſculum acceſſit ætatis, & roboris, *Hic iam loquitur, & ambulat*, ideſt, iam habet ad ambulandum facultatem, & vires, & ad loquendum aptitudinem. Erit ergo ſenſus: Non eſt, cur dubites, ô Ieremia, aut de ſermonis facultate, aut de robore, atque conſtantia, ad obeundum impoſitum tibi prophetandi munus; ego enim dabo tibi linguam, vt poſſis mandata mea ad populum expromere, & vires, ad ſuperandas, quæ ab aduerſariis occurrent, in eo munere præſtando, difficultates.

REGVLA. *Actus ſecundus pro primo.*

28. Verſ. 8. *Ne timeas à facie eorum.*] Quidam hîc putant, antecedens ſupprimi, & illius tantùm relatiuum aſſumi; quaſi illud, *eorum*, homines referat, quibus obiicienda turpitudo, & intentandæ prophetiæ minæ. Ego nihil hîc ſubaudio; ſed illud, *eorum*, ad Gentes refero, ad quas mittendus dicitur Ieremias; neque incommodat, quòd illud neutrius ſit generis, hoc verò fœminini: quia vſitatum eſt Interpreti vulgato, vt in vertendo genus retineat, quod in originali lingua fuit. Exemplis abundamus. Apocalypſis 10. *Accipe librum, &c. & erit dulce.* reſpexit non ad librum, qui maſculinus eſt; ſed ad βιβλαρίδιον, quod eſt neutrum. & capite 11. *Duo candelabra in conſpectu Domini terra ſtantes*, coniunxit non cum Latino nomine *candelabra*, quod neutrius eſt generis, ſed cum Græco, λυχνίαι, quod fœminei eſt. & in hoc ipſo nomine exemplum habemus Lucæ 22. capite 25. *Reges Gentium dominantur eorum*, reſpexit ad Græcam vocē ἔθνος, non ad Latinam *Gentes*: aut certè, quia in *Gentibus* homines intelliguntur, non tam vocem, quàm eius ſignificationem obſeruauit. quomodo propter eandem cauſam Matthæi vltimo dicitur: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris.* illud *eos*, non ad vocem *Gentes*, ſed ad homines referendum.

REGVLA. *Genus ſeruat Interpres originalis linguæ.*

29. Verſ. 9. *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum.*] Duo hîc nobis explicanda, an manus iſta Domini fuerit, & quænam manus, & qualiſnam attactus, qui expeditam reddidit, & eloquentem Ieremiæ linguam. Quidam in manu prophetiam intelligunt, quaſi Deus Ieremiam ſpiritu afflauerit prophetico. ita Chaldæus, qui ſic hunc reddit locum: *Miſit Dominus verba prophetiæ ſuæ, & ordinauit ea in ore meo.* Et facit huc loquendi modus in Scriptura frequens, *In manu Aggæi*, Aggæi capite 1. Oſeæ 12. *in manu Prophetarum aſſimilatus ſum*, ideſt, in verbis, ſeu oraculis. Quam ſententiam non improbat Ribera, in illud Aggæi 1. *In manu Aggæi.* & probat Maldonatus in illud capit. 2. Ezechielis, *Quodcunque inueneris.* Ego neque in hoc Ieremiæ loco, neque in aliis adductis à Ribera, puto manum adhibitam eſſe pro prophetia, ſed pro conatu, auxilio, inſtrumēto, aut ſimilibus. Eſt enim vſitatus hic loquendi modus, *in manu ſeruorum*, ideſt, per ſeruos. *manus facta ſuper aliquem.* ideſt, vigor alicui additus, aut impetus impreſſus. Quare in manu Aggæi, aut Prophetarum, nihil eſt aliud, quàm per Aggæum, aut Prophetas. Alij viſibilem quandam manum eſſe putant, quæ Ieremiæ tetigit linguam; ſicut etiam viſibilis fuit illa manus, quæ ſumpta ex altari pruna Iſaiæ labia purgauit, & ad facilem ſermonis vſum expediuit. ita putat Hieronymus, & cum eo Rabanus, ſed vero exiſtimo ſimilius, imaginariam hanc fuiſſe ſpeciem; quæ Prophetæ aut abalienato à ſenſibus, aut in altam aliquam cogitationem intento obiecit lo-

A quentem Dominum, & manum ad os vſque Prophetæ porrigentem. Ita putat ſanctus Thomas, Hugo, Dionyſius, & Lyra. quod ſanè ſatis fuit, vt & Prophetæ robur accreſceret, & ſpiritus ad arduum prophetandi negotium, & verbis abundaret, ad tantam illam prouinciam opportunis. Quòd ſi manum intelligas illam Angeli fuiſſe, non Domini, magis eſt, & ad Interpretum ſententiam, & ad ſacræ Scripturæ conſuetudinem, quæ, vt communior eſt Theologorum ſententia, quæ Angelorum miniſterio facta ſunt, illa à Deo facta fuiſſe tradit. Et ita in præſenti contigiſſe putat Dionyſius, Vatablus, & Maldonatus.

B Pro re morali nonnulla hîc tibi conſideranda ſunt; primùm tam in Ieremia, quàm in Iſaia, ac Moyſe, qui ſtrenui fuerunt Diuinorum conſiliorum interpretes, & cæleſtium mandatorum legati, impedita fuiſſe labia, neque à natura habuiſſe ad illud munus præſtandum paratam eloquentiam; ſed omnia à Deo fuiſſe conceſſa, eáque eiuſmodi, vt in prophetico, aut paſtorali, ſeu imperatorio munere præſtando, omnes videantur partes expleuiſſe. Sanè natura parum eſt idonea quamuis ab arte, ſeu ſtudio munita, ſi Diuinæ manus ſubſidium abſit: neque naturæ quantumlibet informæ, atque inopi deſperandum eſt, ſi C auxilio illi ſit Diuina manus: de cuius ſubſidio ſpem aliquam affert vera de propria infirmitate cognitio. Quod experti ſunt inter Prophetas, ac Duces Iſraëliticæ gentis tres magni Principes; de quibus nuper, qui quàm parum eſſent ad prophetiæ, ac legationis partes idonei, ſeriò confeſſi ſunt, ac verè. 30.

Deus infirmis & ineptis ad prædicandi munus robur, & eloquentiam præbet.

Conſiderandum deinde, variè Prophetas ad loquendi, ac prophetandi miniſterium fuiſſe diſpoſitos, prout varia ipſi ad datum ſibi munus habuerunt impedimenta; quod idem eſt iudicandum de iis, qui ad Apoſtolicum, ſeu concionatorium miniſterium accinguntur. Erat, vt apparet, in ætate adhuc iuuenili Ieremias, &, vt multi putant, in vtero ſanctificatus materno; D quare aut innocens erat, aut non longè aberat ab innocentia. Quare curatus à Deo fuit, leni aliqua, & minimè moleſta medicina: molli videlicet attactu Diuinæ manus; quæ de nouo formaſſe videtur Ieremiæ labia, atque Diuino conſecraſſe miniſterio. At quia Iſaias vir erat, cuíque labia malorum conſuetudo polluerat, durius aliud medicinæ genus admouendum fuit, calculus videlicet, non è quolibet, ſed ex altaris igne candens; pollutum quippe os cauterium ex igne ſacro deſiderat. At Ezechielis, qui profligatis vixit Iudæorum temporibus, & nonnihil etiam traxit è Babylonicis moribus, apud quos captiuus agebat, quo tempore propheticum accepit Spiritum, duriori adhuc ſanatus pharmaco: E nam ſicut æger potionem ſumit amaram, quæ noxios humores diluit, & euacuat; ſic ipſe librum deuorare iuſſus, qui amaritudine viſcera compleuit; & veteri aut excluſa, aut conſopita ſcientia nouam cognitionem, & altioris ſcientiæ notitiam infudit. Ad horum ſimilitudinem quicunque volet propheticum, ſeu Apoſtolicum obire miniſterium, nempe concionatorium, verbum oportet accipiat à Deo, & noua afferat, & inflammata labia, alia nimirum ab eis, quæ hauſit à natura: illa enim bleſa ſunt, & polluta, neque ſatis idonea ad Euangelicos formandos ſonos. 31.

Vir Apoſtolicus quomodo à Deo ad ſuum munus diſponitur.

A ſe ipſo retexendus.

Tria hominem ineptum reddunt Euangelio prædicando.

32. Sanctus Thomas in triplicata interiectione A dolentis, ideſt,tergemino, *A*, tria agnouit impedimenta, quæ ipſius animum à prophetico munere retardant. *A*, primum, defectum indicat ætatis, & vitæ; quia puer erat, & puerilis ætas non eſt apta virili, immo & ſenili miniſterio. Puerum hic voco, qui aut puer eſt ætate, quem magis ſilentium decet, quàm eloquium; aut illum,qui in ætate ſenili,& graui mores tamen retinet infantiles,qualis eſt ille,qui centum annorum appellatur puer. Hunc enim tam dedecet Euangelicus ſermo,quàm illum. *A*, ſecundum, defectum indicat ſcientiæ,quæ nunquam reperitur in puero. *A*, tertium defectum eloquentiæ. Hæc tria continentur in illo, *Neſcio loqui, quia puer ego ſum.* B Neſciebat quidem loqui Ieremias, nempe propheticè,grauiter,vtique,conſtanter,& ad inſtruendos, ac compungendos animos accommodatè. Si à quoquam huiuſmodi abſit eloquentia,quantumuis ille verbis abundet, illáque numeroſè, atque conciunè voluat, mutus erit, & omnino prophetici, aut concionatorij ſermonis inops; quales occurrunt multi quotidie, qui non tam ad ſuggeſtum vocantur à Domino,quàm temerariè, atque audacter in ſuggeſtum irrumpunt.Qui ſi ſaperent,cogentibus aliis ad concionandi munus, aptè reſponderent, *A,A, A, quia neſcio loqui, quia puer ego ſum*; & non priùs illud ſubirent graue miniſterium, donec C Deus tetigiſſet,mutaſſétque labia, aptáque redderet Euangelio.

33. Verſ.10. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.*] Elinguem ſe putabat Ieremias,& pro rei magnitudine puſillum,& languidum; Deus contrà ad opus illud ſacrum,& difficile,& verbis inſtruit, & robore communit. Id verò momento temporis præſtitit Deus; id enim valet illud, *Ecce dedi.* Quàm verò Dei verba, quæ Dominus tactis priùs,& conſecratis labiis impartitus eſt, grauia ſint, aculeata,& ignea, tota Ieremiæ prophetia declarat. Quòd ſi his concionatorum verba ſimilia non ſint, planè docent, illa non prodire à labiis tactis à Domino, & ad concionandi munus conſecratis. D

Qualia concionatoris verba.

34. *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas.*] Idoneum hactenus fecit miniſtrum Ieremiam prophetici muneris; nunc materiam proponit, in quam inuehi,aut inflammari debeat propheticus Spiritus: ſignificat enim,eò ſpectare maximè datam Ieremiæ linguę facultatem, & pectoris conſtantiam, vt non hominum ſolùm,ſed etiam ciuitatum,atque regnorum mutationem,ſtragémque denunciet.

Multi hæc de Chriſto Seruatore interpretantur,qui diſſipato antiquo, & nouo regno conſtituto,cunſa vna,& alia plantata lege,cópleuit ſatis luculéter omnia,quæ nunc à Ieremia primùm audimus. E Sed ſanè hæc de Ieremia eſſe intelligenda,& textus ipſe ſuadet,& multorum Patrum conſenſio confirmat:neque dubitandi,vt ego arbitror, locum relinquit Eccleſiaſticus, qui hæc omnia aſcribit Ieremiæ,de quo capite 49.numero 9. *Qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta,euertere,eruere, & perdere: & item ædificare, & renouare.* Quomodo verò Ieremias hæc præſtare potuerit, cùm neque Imperator fuerit,neque agricola, aut faber, quorum eſt ciuitates excindere, ædificare, plantare,& his affinia,conſtat ex illa regula, quã adduximus ad illud Iſaiæ capite 6. *Excæca cor populi huius.* quæ tradit, in Scriptura aliquid fieri elici ab eo, quæ facienda eſſe denunciat, aut iudicat, quo ſenſu Iſaias ſuprà dicitur excæcatutus cor populi,quia prædicturus eſt,excæcandum eſſe populi cor; & Leuitici 13. vbi de iudicio lepræ ſermo eſt,ſcribitur,*Contaminabit eum* (nempe leproſum) *Sacerdos*,ideſt, leproſum,& contaminatum eſſe declarabit. Iuxta hæc huius loci ſententia difficilis non eſt: Conſtitui te hodie Prophetam,vt annuncies euertenda, atque mutanda regna, & noua ſtabilienda,& inſtauranda vetera, & iam antè collapſa.

Regvla. Is aliquid facere dicitur, qui faciendum denunciat.

35. Regna hìc tam externa puto, quàm domeſtica:nam contra Gentes, ideſt, Gentiles populos multa vaticinatus eſt Propheta à capite 44. contra Ægyptios, Babylonios, Palæſtinos, Idumæos,Amonitas,& Moabitas, quorum imperia mutanda, aut euertenda prædicit. Vaticinatus item eſt contra domeſticos, ideſt, contra Iudæos, de quorum euertendo, atque ædificando regno, euellenda, atque plantanda Republica, multò plura prophetat.Quæ verò Ieremias, Domino iubente, populis, ac Gentibus prænunciauit,illa deinde Dominus ad vnum compleuit. ſic autem dicitur Ieremiæ 12. numero 14. *Ecce ego euellam eos de terra ſua,& domum Iuda euellam de medio eorum. Et cùm ædificauero eos,& miſerebor eorum,& reducam eos,virum ad hæreditatem ſuam, & virum ad terram ſuam.* Idem, & ſub eadem tranſlatione capite 24.numero 6. Porrò hìc teſte Gregorio 3. parte Paſtoralis, capite 35. forma concionatori præſcribitur, cui Deus & format linguam, & verba largitur.Id enim agere ſedulò, atque omnino debet,vt regna conuellat,Babylonica putà, Ægyptia, atque Idumæa; quæ libido, ſuperbia, atque auaritia in hominum animis erexerunt. Et regna excitet noua,aut euerſa reædificet, & inſtauret.regna,inquam,quæ fundat,& inhabitat pietas,cuíque præeſt Dominus,& iura conſtituit. Magnæ autem molis eſt,aut illa diruere, aut hæc integrare. Quod quidem præſtabit nullo modo ſpiritus mollis, & infirmus, qui aut primo languet impetu, aut machinas admouet, ad ludum magis, & ſpeciem, quàm ad verberationem, & plagam; illa dico, quæ non tam acrem, & vehementem, quàm comptam, & putidam reddunt orationem.Quorum (prô dedecus,& dolor!)magnus eſt hoc ſæculo numerus, quibus mollis eſt impetus, & irritus conatus. Quare ciuitas Dei, ideſt,animæ ſanctitas,& mundities multis in locis aut euerſa eſt, aut certè non procul abeſt à ruina.

Viri Apoſtolici munus.

36. Verſ.11. *Quid tu vides,Ieremia?*] Hæc eſt prima viſio, quæ ſtragem reſpicit, & diſſipationem, quod virgæ opus eſt vtique ferreæ, quæ quod ſolidum eſt, ac firmum comminuit, & ſoluit. Hæc porro Diuina vox attentum iubet eſſe Prophetam,& diligenter aſpicere, quæ in illo obiiciuntur ſpectro; quæ fortaſſe non tam notaſſet diligenter, niſi ad eius contemplationem eſſet excitatus.

37. *Virgam vigilantem ego video.*] Variè Auctores hunc locum conuertunt.Quidam pro *vigilantem*, *amygdalam* reddunt, in quibus ſiunt Symmachus, Aquila, Theodotio, Pagninus, & Vatablus. Septuaginta,*virgulam nuceam*, noſter omnium optimè *vigilantem* conuertit. Huius tantæ varietatis cauſa,multiplex ſignificatio vocis שקד *ſacad*, quę vigilare, ac feſtinare ſignificat, & aliis notata punctis amygdalum. Deductam autem puto amygdalum ab ea radice, propter eius ſatis omnibus

nibus

nibus notam proprietatem, quæ vbi primùm affulſit verna temperies, erumpit in gemmas, & flores fundit, & ideo vigilare dicitur, quia expectare videtur, donec ſummota hyeme, mitior aſpiret aura; & feſtinare, ne in germinando alia præcurrat arbor. ſicut à tarditate, & mora, vt nonnulli putant, appellatur morus, quæ omnium arborum poſtrema frondeſcit.

38. Ego primùm exiſtimo, Interpretes alios à Vulgato propriè conuertiſſe *virgam amygdalinam*, in qua figuratè explicatur feſtina ſtrages, & iam iam impendens Iſraëlitici populi conuerſio. Noſtrum verò Interpretem, dum *vigilantem* reddit, exprimere voluiſſe, atque euoluere, quod in ænigmate obſcurum, & in eo quaſi cortice concluſum latebat. Nam qui vigilat, eò eſſe videtur intentus, vt cùm primùm offerri viderit occaſionem, illam ne prætereat; ſicut amygdalus, cùm primùm cælum intepeſcit, non procraſtinat. Sic in Iudæorum infortunatum caput virga vigilat, ideſt, malum impendet, quod ſtatim illorum nomen obſcuret, & perdat. Ad hunc loquendi modum reſpexit, vt arbitror, Petrus epiſtola 2. capite 2. cùm ait: *Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Pro *non dormitat*, Græcè, ἀργῶ, ideſt, *non pigritat*: ſed vigilat. Reſpexit ſine dubio Ezechiel. capite 7. numero 10. qui cùm de Nabuchodonoſor ageret, quem Deus tanquam virgam, ad puniendum Iudæorum ſcelus adhibuit, quaſi iam iam graſſaturus eſſet in illorum fines ait: *Ecce dies, ecce venit: egreſſa eſt contra-Ctio, floruit virga.* illa, inquam, virga, de qua Ieremias, quam, vt puto, florentem viderat Propheta, quia aliter noſſe non poterat eſſe amygdalinam, & vigilantem; vigilantem vtique, quia in germinando cæteras anteuertit arbores.

Petri epiſt. 2. cap. 2.

Ezech. cap. 7.

39. Hîc nota, quod etiam nos antè obſeruauimus, ad illud Canticorum 7. *Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum*; & iterum ad illud Iſaiæ 14. *In profundum laci*, familiarem eſſe ſcriptoribus ſacris luſum illum, qui naſcitur ex ambiguitate vocabuli. Exemplum habes optimum apud Danielem, capite 13. vbi ex ambigua ſignificatione *prini* & *ſchini*, quorum alterum *ſecare*, aut *ſerrare*, alterum *diuidere* ſignificat, alterum ſenem ſecandum, alterum ab Angelo diuidendum iudicat Daniel. Sic puto, cùm vox Heb. לחם *lecham*, panem ſignificat, & gladium, ſiue bellum, luſit optimè coniectator Madianita, Iudicum 7. qui ex pane, qui in Madianitarum caſtra volui videbatur, Gedeonis gladium diſtrictum iam eſſe in Madianitarum iugulum coniectauit: nam inter panem & gladium nulla eſt naturæ vicinitas: eſt autem maxima in ambigua nominis ſignificatione; ac ſi diceret, לחם *lechem* quam tu vidiſti, non lechem eſſe interpretor in ea ſignificatione, qua panem ſonat, ſed in alia, quam etiam importat, nempe gladium: non itaque naturæ, ſed vocis communitas coniectandi, Madianitæ locum, & anſam præbuit.

Iudic. 7.

40. Verſ. 12. *Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo.*] Iam ſeſe magis aperit inuolucrum illud virgæ ſiue amygdalinæ, ſiue vigilantis, vbi etiam facilè intelligitur, quàm aptè noſter reddiderit Interpres, *virgam vigilantem*, in qua Deus ipſe optimus ſuorum verborum, ac conſiliorum interpres obſcurè portenderat, imminentem iam Iudæorum genti durum, feſtinúmque iudicium. In virga ſignificari correctionem, & pœnã, ſatis eſt Scriptura frequens. virgam autem intelligo, non illam, quam Zacharias capite 11. vocauit *decorem*, quæ benignè paſcit, & molliter regit obſequentem gregem; ſed quam dixit *funiculum*, quæ verberat, comminuit, & perdit. de qua Pſalmo 2. *Reges eos in virga ferrea.* Paulus 1. Corinthiorum 4. *Vultis in virga veniam ad vos?* & Aſſur virga dicitur Dei Iſaiæ capite 10. quia illo vſus eſt Deus, tanquam ſuæ offenſionis adminiſtro. Vigilabit itaque Dominus, feſtinabítque, vt virgam ſcelerum vltricem impingat, nimiùm iam obdurato Iudæorum dorſo. Ad hunc credo locum, atque ictum vigilantis virgæ reſpexit Dominus Ieremiæ 31. numero 28. cùm dixit: *Sicut vigilaui ſuper eos, vt euellerem, & demolirer eis.* & cap. 44. num. 27. *Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum, & non in bonum.*

1. Corinth. 4.

41. Hæc non obſcura ſunt, ſed illud etiam notandum, non ſolùm vigilantem eſſe virgam, quam Dominus appellauit *funiculum*, ideſt, ad vulnus, & dolorem intentam; ſed etiam, quam decorem vocauit, quæ molliter regit, & indulgenter, cumulátque potiùs, quàm expoliat bonis. Id vno verbo complexus eſt Dominus Ieremiæ capite 31. *Sicut vigilaui ſuper eos, vt euellerem, & demolirer, ſic vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & plantem.* Quare nunquam à metu peccator debet eſſe ſolutus, quia virga peccatorum vindex nunquam dormitat; neque iuſtus animo eſſe deiecto, ac languido, quia virga illa Diuina, quæ non tam conterit, quàm ſuſtentat; quæque laborantium curam, & laborem cumulatè compenſat, ſemper vigilat. Et ſicuti amygdalus in flores, & gemmas; ſic illa in opportunum auxilium celeriter erumpit.

Deus ad puniendum & auxiliandum vigil.

42. Alij virgam vigilantem virgam latronum interpretantur; quorum meminit ſanctus Thomas & Lyra, & probat Hugo: quæ quidem cogitatio ad hiſtoricum ſenſũ durior eſt, quia nõ bene cum vocis proprietate conuenit: quæ, vt diximus, amygdalum valet; ad ſenſum tamen tropologicum minùs eſt importuna, neque ab eo, quod antè produximus, admodum diuerſa. Significatur enim hoc dicendi genere penè prouerbiali, feſtinatus, atque inopinatus inimicorum incurſus, qui nihilo magis aut expectatur, aut cauetur, quàm nocturna latronum irruptio. Quare hac ſimilitudine Chriſtus extremum Iudicij tempus, mundíque vaſtitatem inopinatam futuram eſſe docuit, Lucæ capite 12. numero 39. *Si ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, &c. Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Idem Paulus 1. ad Theſſalonicenſes 5. numero 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte veniet: cùm enim dixerint, Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Quomodo verò Diuinæ virgæ correctio, dura quamuis, atque diuturna, non ſolùm æquo, ſed etiam libenti animo ferenda ſit, ſpe dulcis, atque diuturni fructus, qui ex illo virgæ vigilantis inflictu proueniat, docet Hieronymus, & cum eo omnes fermè Doctores alij amygdalæ, ac nucis ſimilitudine; quæ cùm duro tegatur, & amaro cortice, nucleum tamen continet dulcem, & lautiorum etiam hominum menſis expetitũ. Vnde eſt tritum illud, *Literarum* (adde tamen & virtutũ) *radices amaræ, fructus verò dulces.*

Dies Domini incautus.

43. Verſ. 13. *Ollam ſuccenſam ego video.*] Diuerſa viſio eſt, & cùm aliud à priori portendat, eodem tamen ſpectat; ad ciuitatis nempe Solymitanæ vindictam, & cladem. In virga vigilante minæ proponebantur Iudæis propediem adfuturæ: at in ſuccenſa olla, quam ab Aquilone intuebatur Propheta, iam imminere ſignificatur exitium.

PROVERB. *Olla, pro cruciatu.*

Puto autem in *olla ſuccenſa*, apud Hebræos,& cruciatum vehementem, & extremam ſignificari miſeriam; idque prouerbiali ſpecie. Quod ſumo ex Michæa capite 3. numero 3. vbi afflicta ſubditorum fortuna,quæ à potentioribus tyrannicè, atque inclementer vexatur, in olla exprimitur, quæ carnes coquit in fruſta conciſas. ſic enim de Principum in ſubditos inclementia: *Pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ.* Sed clarius Ezechielis cap. 24. vbi ſermo eſt de Solymitani populi ſupplicio: *Pone ollam,pone,inquam, & mitte in eam aquam. Congere fruſta eius in eam,omnem partem bonam,femur,armū,electa, & oſſibus plena.* & cap. 11. num. 3. *Hæc eſt lebes,nos autē carnes.*

Mich.c.3. Ezech.c.24. Ezech.c.11.

Hæc mihi certa ſunt,illud verò dubium,quænam ſit olla,de qua nunc Ieremias. Quidam putant eſſe Ieruſalem, vbi longa obſidione ciues, ærumnis,& fame,quaſi carnes in olla excocti,& diſſoluti ſunt.Neque illorum mihi cogitatio diſplicet. Nam Ezechiel, qui in hunc Ieremiæ locum videbatur intentus, capite 4.ollam appellat Ieruſalem, vt ex eo loco non obſcurè colligere poſſe videor, & capite 11.apertè indicant ſcelerati ciues,quos eo loco audacioris inſaniæ coarguit Propheta. Qui quaſi hoc Ieremiæ ſpectrum feruentis ollæ ſubſannarent, cùm firma quæque contra multorum ſæculorum iniurias obduraſſent,domos habitarent, ſic ſecum de ſua ſecuritate blanditi loquebantur: *Hæc eſt lebes,nos autem carnes.* Ac ſi dicerent: *Quod Ieremias putabat, hanc eſſe ſuccenſam ollam, quæ ciues ſuos torreret, & ſolueret, ridiculum eſt:hæc enim, quæ diu ſtetit contra tot Regum, ac ſeculorum appulſus, ſtabit quoque contra Babylonios, quorum mœnibus noſtris inſtructas machinas minatur Ieremias.*

44. Hæc mihi ſatis probabilis videtur opinio, ſed quominus mihi omnino probetur, facit, quia Propheta huius ſpectri verus interpres aliò videtur inflexiſſe ſententiam. Tum quia ab Aquilone aduenire cernebat ſuccenſam ollam; quare Ieruſalē eſſe non poterat, quæ in antiqua ſede ſtabat immobilis. Deinde, quia olla ſuccenſa non tantùm Hieroſolymis,ſed toti etiam Iudææ minabatur incendium. De quo ſtatim. Maximè cùm id, quod reliquum eſt capitis in deſcribenda olla, ideſt, Chaldæorum exercitu, bona ex parte conſumptum ſit.

Puto aliter eſſe accipiendum hunc locum, idque dupliciter: primùm, vt olla ſumatur pro Chaldæorum exercitu (quod ab ipſo docemur Ieremia) crudeli videlicet,quique inſtar feruentis ollæ, quidquid amplectitur, atque intra ſe cohibet, totum comminuit,& coquit.Illud verò, *ſuccenſam*,non ſignificat,aut connotat incendium,vt aiunt, proprium, & formalem, ſed quodcunque excidium, aut grauem, atque moleſtam iactationem;ſicut etiam *ignis* ex Scripturæ ſacræ vſu pro ſupplicio ponitur,aut vexatione dura.Nam multæ etiam vrbes Iudæorum ab ea olla attactæ, atque vexatæ eſſe dicuntur,quas tamen Babylonicus nō modò nō eſt populatus, ſed etiam neque leuiter afflauit ignis,qui propriè vocatur ignis.

Ego aliam crederem huius loci ſententiam, ſi modò ducem haberem illum,quem in ea cogitatione ſequerer. Quam mihi non improbari dixi, in illud Iſaiæ capite 33. *Spinæ congregatæ igni comburentur.* & fuſius ad illud Actorum 7. *Et ſidus dei veſtri Remphan.* Tu paucis accipe,quæ nos eo loco pluribus.

Coluiſſe pro Deo Chaldæos ignem, res eſt tam à profanis, quam à ſacris ſcriptoribus neque obſcure,neq; vno tātùm loco prodita. Hanc fuiſſe Hebræorum traditionem docet Hieronymus in Traditionibus Hebraicis ſuper Geneſim; qui ideo dicunt, in ignem fuiſſe conie&ctū Abrahamum, quòd ignem Chaldæorum Deum adorare noluerit.Quod etiam docet Lyranus, atque Burgenſis in illud Geneſis 11. *Mortuus eſt Aram ante Thare patrem ſuum,in terra natiuitatis ſuæ in Vr Chaldæorum.* Vt ergo ignē pro Deo coluēre Chaldæi, ſic etiam plus eſt,quàm veriſimile, aliarum Gentium more ſecum in caſtris circumtuliſſe tutelarem vtique Deum: omnes enim Gentes deos viæ duces, & comites ſecum aſportabant, vt docet Seruius ad illud Virgilij 6. 45. **Sol & ignis Chaldæorū Deus.**

Erraméſque deos,&c.

Ab his,ſicut alia plurima ſumpſerunt Perſæ, qui Babylonicum Imperium ad ſuam Gentem, & nomen tranſtulerunt. ex quorum conſuetudine Chaldæorum quoque ritum, & militare inſigne coniectare licet;quia veriſimile eſt,id, quod erat Babylonici imperij, ad Perſicum quoque imperium fuiſſe tranſcriptum.Certè Agathias libro 2. hiſtoriæ, Perſas à Chaldæis accepiſſe religioſum hunc ignis cultum prodit. Reges porro Perſarum, qui reliqua deorum turba reiecta, & ignem, & ſolem coluerunt, quocunque procederent, antecedebat ignis, viæ comes,& dux. Ita Xenophon libro 8. Cyripædiæ, Quintus Curtius libro 3. Procopius libro 2.belli Perſici, Ammianus Marcellinus libro 23. Tertullianus in Apologetico, capite 16. cuius etiam rei aliquod habemus in Scriptura ſacra veſtigium. Nam Iudith capite 10.iuxta Septuaginta verſionem,Holophernem Chaldæorum ducem (vt multis probat Serarius, qui putat hiſtoriam Iudith contigiſſe ante ſolutam captiuitatem, quod non leuiter ſuadet Nabuchodonoſoris nomen,à quo imperatorium illud nomen accepit) lampades antecedebant argenteæ. *Et annunciauerunt ei de ea* (nēpe Holopherni de Iudith illius ſerui) *& exiuit in proſcenium, & lampades argenteæ præcedentes eum.* Quòd verò lampades illæ non eſſent ad exigendas tenebras, ex eo fit perſpicuum; quia quo tempore egreſſus eſt Holophernes, multus iam erat dies, quia Iudith orto iam die prodiit è Bethulia. Aliquid verò temporis in progreſſu, colloquióque ſeruorum cum Iudith, & rurſus cum Holopherne poſitum eſſe optimè:quare propter tenebras nulla indigebat Holophernes præluc ente lampade.

Ad hanc credo conſuetudinem reſpexiſſe Ieremiam,& in olla ſuccenſa vidiſſe Chaldæorum exercitū, cuius erat ſignum præuius ignis in olla,ſeu prunario,quod olla dicitur, ſicut etiam lebes; quia illius fundum altius eſt, ſicut lebetis eſſe ſolet, ne ignis illo facer vel à vento diſſipetur, extinguatúrve, vel aliquo motu,ſeu concuſſu excidat.Ex hac explicatione lucem accipit illud Ioëlis capite 2. vbi loquitur de Chaldæorum exercitu: *Ante faciem eius ignis vorans.* In hanc ergo ſententiam magis inclino,quia lenior eſt; neque video, quid in ea aut durum occurrat,aut ineruditum:& facit, quòd non olla dicitur accendens, aut inflammans, quod vaſtatoris exercitus epithetum eſt; ſed accenſa, quod ollæ ſeu lebetis proprium eſt,in qua portatur ignis. Accenſa verò dicitur,aut quia ab igne, quem in ſe cohibet, igneſcit,aut per metonymiam, quia ignem continet 46.

tinet

A tinet ardentem. Huc facit, quod dicitur Ieremiæ capite 4. numero 15. *Notum facientis idolum de monte Ephraim.* Erat autem ibi ſermo de Chaldæis, neque procul de monte Ephraim cognoſci poſſet Chaldæorum idolum, niſi eſſet ignis: qui è longinquo loco videri ſolet, atque cognoſci. Vide quæ ibi diximus.

47. *Deus priùs admonet, quàm feriat.* Pro re morali notant cum Hieronymo plures alij, Deum priùs admonere, & corrigere humaniùs, oſtenderéque amygdalinam, ſeu vigilantem virgam, quæ non tam luxat, ac frangit, quàm monet, & emendat; amarum offert corticem pœnitentiæ, qui humores diluat, & pellat noxios, non qui veneni inſtar, lethalis ſit. At ſi obſtinatò impius peccatis hæreat, neque ad vigilantis virgæ conſpectum horreat, ardentem oſtentat ollam, ignem videlicet gehennæ, qui mortuos iam, id eſt, ſine vlla ſpiritualis vitæ ſpe abſorbet, & torret, ſicut carnes in olla, non iam ampliùs ad vitam redituræ, coquuntur.

48. *Et faciem eius à facie Aquilonis.*] Faciem ollæ pro olla ipſa ſumi, ſicut Aquilonis faciem pro ipſo Aquilone, Hebraicæ linguæ proprietas, & conſuetudo docet. Vt enim in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam, ad illud capitis 25. *Faciem vinculi colligati*, docuimus, addito *faciei* vocabulo ad id, cuius dicitur eſſe facies, aliquid circunſcribimus: vt, *facies frigoris*, pro frigore; *facies iræ*, pro ira; ſi verò in facie aliquid eſſe ſtatuas peculiare, aſpectum intellige, aut ſpeciem. hoc ſenſu: Ollam video ſuccenſam, quæ ſpeciem mihi offert, quaſi ab Aquilone veniat, cuius etiam Aquilonis, id eſt, Aquilonaris plagæ ſpeciem quandam intueri videor. Quòd verò in Aquilone Chaldæorum regio ſit intelligenda, nemini obſcurum eſt, qui Prophetarum ſcriptis aſſueuit. Reſpicit enim ab Aquilone Chaldæa Hieroſolymam, cuius comparatione regiones aliæ ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ad Ortum, ſiue ad Occaſum pertinere dicuntur, vt docuit Hieronymus ad illud Zachariæ capite 2. *De terra Aquilonis.*

49. Verſ. 14. *Ab Aquilone pandetur omne malum.*] Hic duo credo clariùs explicari, quæ in Aquilonari olla propoſita videbantur obſcuriùs. Quia ab Aquilone olla ſuccenſa ſeſe propheticis obiicitbat oculis, ab Aquilone, id eſt, à Chaldæa, venturum eſſe dicitur malum, quod ſpectrum illud portendebat. Porro in olla illa ardente (ſiue vas prunarium eſſe putes, militare ſcilicet Chaldæorum inſigne; ſiue vas culinarium, in quo ſubiecto igne carnes coquuntur) grauiſſimum ſignificatur malum, & cruciatus dirus, qualia in igne alibi ſæpe notari, atque explicari ſolent. Hæc porro acerbitas, & calamitas maxima in voce, *omne*, videtur indicari, ita vt omne malum maximum malum ſit. Id enim interdum valet vniuerſale illud ſignum, in quo non infrequens epitaſis eſt. Exemplis abundamus. pauca nunc accipe. Iſaiæ capite 14. numero 29. *Ne læteris Philiſtæa omnis tu.* id eſt, ne tu vſque adeò læteris, ſeu immodico efferaris gaudio. & Pſalmo 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*, id eſt, nobiliſſimam, atque ſuauiſſimam eſcam. cæleſte videlicet manna. & Pſalmo 38. *Vniuerſa vanitas, omnis homo viuens.* id eſt, mera, ſumma, atque omnimoda vanitas. Sic ergo, quod ab Aquilone pandetur, *omne dicitur malum*. id eſt, ſummum, plenum, & prorſus horribile.

Reg. Omne, & ſimilia, cum epitaſi. — *Iſai. 14.* — *Pſal. 106.* — *Pſal. 38.*

50. *Super omnes habitatores terræ.*] Illud, *pandetur*, quod proximè anteceſſit, aliquid indicat; non in vnam coactum ciuitatem, aut locum, ſed in multa loca latè diſperſum. id iam clariùs euoluit Propheta. Porro, *omnes habitatores terræ*, non ſunt, qui terram latè, vbiuis locorum, & gentium habitant; ſed qui regionem incolunt, quæ ad Iudæorum ſortem, aut ditionem ſpectant, vt ſtatim magis explicatur. In Scriptura autem, vt Hieronymus docet, in caput 13. Iſaiæ, ad illud, *Vt diſperdat omnem terram, Idioma eſt*, inquit, *Scripturæ ſacræ, vt omnem terram illius ſignificet prouinciam, de qua ſermo eſt.* Quomodo Actor. 2. Iudæi ad Pentecoſtes feſtum veniſſe dicuntur, *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*; in qua nimirum diſperſi morabantur Iudæi: dici etiam poſſunt habitatores terræ vicinæ B Iudæorum finibus. Nam Chaldæi, vt ſæpe videbimus in hoc Propheta, vicinas etiam Gentes populati ſunt: & contra has non ſemel vaticinatus eſt Propheta.

Verſ. 15. *Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis.*] Cognationes hoc loco Gentium magnam, multiplicémque, ac variam multitudinem ſignificant, quas in Iudæos Nabuchodonoſor multarum prouinciarum dominus coëgit. Dicuntur verò cognationes, tametſi moribus, atque ingenio, atque etiam locorum ſitu diuerſæ, quia vnius domini voluntati parent, & ex eius placito, atque inſtituto viuunt. vt enim, qui aliis præeſt, quocunque ille genere pater ap- C pellatur ſubditorum, vt 4. Regum capite 9. Naaman à ſeruis pater appellatur: ſic qui illius imperio ſubſunt, fratres viciſſim inter ſe vocantur, atque adeò cognati. Niſi mauis cognatos dici, qui ex eadem familia, vtcunque propagati ſunt; vt Idumæi v.g. qui ab Edom; Ammonitæ, & Moabitæ, qui ab Amon, & Moab; Iudæi, à Iuda. Cùm ergo multæ eiuſmodi familiæ Babylonico ſubiacerent imperio, ab eodem ortæ principio, multæ quoque cognationes ſub eius imperio fuiſſe exiſtimari poſſunt. Quas omnes Nabuchodonoſor in Iudæorum interitum armauit. 51.

Cognatio non ſemper ſanguinis ſocietatem deſignat.

D *Et ponent vnuſquiſque ſolium ſuum in introitu portarum Ieruſalem, & ſuper omnes muros eius in circuitu.*] Multitudinem indicat, & audaces ſpiritus Chaldæorum; qui & audent ad portas Ieruſalem, vbi maius eſt, magiſque munitum ciuitatis præſidium, ſolium collocare, id eſt, caſtra ponere; & pro multitudine poſſunt omni ex parte latè porrectos in circuitu muros obſidere. In portis eſſe præcipua propugnacula, atque ibi diſpoſitam vim militum, & machinarum maximam, ſatis eſt notum: neque vllus dubitare poteſt de Ieruſalem; an verò id cum aliis ciuitatibus commune fuerit, non adeò certum, mihi veriſimile eſt. In quam ſententiam non parum lucis affert Scriptura. Geneſis 22. numero 17. Dominus ad Abraham: *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum* E *ſuorum.* Et idem Geneſis 24. numero 70. dixerunt fratres ad Rebeccam. & Iudicum 5. numero 8. *Noua bella elegit Dominus; & portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Solium ergo ſuum ad ciuitatis portas conſtituiſ Babylonius, quia nihil ſibi à Iudæorum machinis, & viribus metuebat. Idem multò antea dixerat Iſaias capite 22. *Equites ponent ſedes ſuas in porta: & reuelabitur operimentum Iudæ.* Qua de re nos poſtea pluribus, ad caput 39. Ieremiæ, quod interea legetur. 52.

Porta, pro arce.

Verſ. 16. *Et loquar iudicia mea cum eis.*] Hieronymus hæc ad illud tempus refert, quod conſecutum eſt Hieroſolymæ cladem; in quo Domi- 53.

nus oſtendit Iudæis, digniſſimas illas fuiſſe pœnas, quibus mulctata fuerunt illorum peccata, idololatria præſertim, in quam prona valde fuit Iudaicæ gentis inconſtantia. Alij hæc iudicia pro ſupplicio ſumunt, quod pro ſuis erratis Domino dependerunt Iudæi: quaſi dicat Dominus, Tunc cum illis diſceptabo, eo tamen modo, quo cum hoſtibus hoſtes aſſolent; non tam verbis, ac legibus, quàm manu, ferróque conſerti. Sunt, qui illud, *cum eis*, non tam ad Iudæos, quàm ad Babylonios pertinere putant: quaſi Deus aduocaturus ſit e Babylone Gentes, quibuſcum de Iudæorum culpis iudicaturus ſit, ideſt, ſumpturus pœnas; ſumit autem è iudicio, atque foro metaphoram, vbi iudicia potiùs exercentur, quàm arma; ita tamen, vt in eo legitimo congreſſu, ſpecies quædam appareat militaris, in quo aduerſariorum damnatio, quaſi quædam victoria eſt. Ad quam ſententiam non parum facit, quòd ſolium, quod ad portas futurum eſſe dicitur, nomen eſt iudiciale: neque portarum vox contrà pugnat: nam iudicia ad ciuitatum portas exercentur, vt conſtat. In quam ego ſententiam libenter inclinarem, niſi alia occurreret, & ſoluta magis, & minùs ad ſermonis textum difficilis.

54. Et primùm illud; *cum eis*, ad Iudæos refero, quibus per Prophetam denunciare vult, & quo ipſi in ſcelere fuerint, & quod propter ſcelus ſupplicium immineat. Expreſſerat, quanta futura eſſet Iudæorum clades ab hoſte Chaldæo, quam ne ſupra merita inflictã eſſe crederent, cum illis diſceptare vult, & quid ipſe in illum populum benignè contulerit, quid ille populus officiorum memor rependere deberet: quáſque pro ea liberalitate gratias, aut iniurias potiùs, & contumelias retulerit, oſtendere. Cum Iudæis igitur expoſtulare vult, & quaſi legitimo, ac iudiciali cõgreſſu diſceptare, beneficia exaggerans, & exprobrans immemoris, ac perfidioſi animi turpitudinem: quod facit ſtatim ſequenti capite; in quo ſermonem vides officij, offenſionis, & querimoniæ plenum: qui ſic Iudæorum cauſam, & ſua in illos merita proponit, vt ipſi in caput ſuum iudicium durum laturi videantur. Ait itaque ad Ieremiam Deus: Statui Iudæorum cauſam in iudicium, atque examen vocare; & per te, ô Ieremia, illis officij proditi, & ingratitudinis vitium exprobrare: quæ res, cùm ad eorum aures non poſſit accedere non ingrata, ab illorum exulceratis animis metus tibi periculi proponitur. Veruntamen bono eſto, atque audaci animo: neque enim, vt maxima tuorum verborum libertate, & ſuppliciorum acerbitate illorum animos perſtringas, ipsíque contra te extrema moliantur omnia, quidquam efficient; pugnabunt quidem contra te, tanquam publicæ pacis turbatorem; ſed quia ego ſemper tecum adero, vindex, & patronus, nunquã præualebunt. Hic proprius videtur, & expeditus ſenſus, nunc ad ſingula redeo.

55. *Loquar iudicia mea cum eis.*] Diſceptare cum eis ſtatuo, & qualis ego in populum, qualíſque viciſſim in me populus fuerit, expendere. Quod etiam cum eodem populo fecerat priùs per Iſaiã capite 43. numero 26. *Reduc me in memoriam, vt iudicemur ſimul: narra, ſi quid habes, vt iuſtificeris.*

Qui dereliquerunt me, & libauerunt diis alienis.] Hæc præſertim in Diuina querimonia, & quaſi intentato iudicio obiiciuntur Iudæis, vt ſtatim explicabitur magis; quod non leue cogitationis noſtræ firmamentum eſt.

Verſ. 17: *Tu ergo accinge lumbos tuos & ſurge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi.*] Hortatur Prophetam ſe vt ad arduum illud accingat diſceptandi, atque obiurgandi negotium, & quæcunque ab ipſo acceperit verba, quæ non poſſunt eſſe non moleſta Iudæorum auribus, liberè, atque impauidè loquatur. Hìc porro duo à nobis obſeruanda; alterum eſt illud, *Accinge lumbos tuos.* qui dicendi modus ſtudium acre, & curſum ad agendum liberum, & expeditum importat, idque prouerbiali, vt opinor, figura. Sic Deus capite 38. & capite 40. cum ad difficilium quæſtionum reſponſionem excitat, & comparat Iob: *Accinge*, inquit, *lumbos tuos.* ſic Lucæ capite 12. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Sic alia plurima occurrent eiuſmodi lectori mediocriter attento. Vnde verò natus fuerit hic loquendi modus, cognitu difficile non eſt. Habuerunt olim Orientales omnes, ſicut noſtro etiam ſæculo, defluentes tunicarum lacinias, quæ cùm ad iter, & curſum, aliáſque domeſticas functiones nonnihil poſſent afferre impedimenti, ad zonam reducebantur, & lumbos. Quare, qui aliquid facere iubentur, celeriter, & promptè præcingi etiam iubentur, aut ſuccinctos habere lumbos; vnde illud vſitatum dominorum ad ſeruos Lucæ capite 17. numero 8. *Præcinge te, & miniſtra.* & Elias 3. Regum 18. præcinctis lumbis curſu præuertebat Regem Achab; & dum Petrus ad fugam inſtruitur ex Herodis carcere, præcingi iubetur. Quod etiam Chriſtus abluturus Diſcipulorum pedes fecit, qui quò meliùs ſeruulorum formam exprimeret, præcinxit ſe. Ex hac puto prouerbiali forma, ad quodcunque negotium, quod citò, atque ſtudiosè expeditum oportuit, ſiue illi ſedendo, ſiue ſtando nauanda ſit opera, accingi homines, ſeu præcingi dicuntur, vt de Iob ſuprà, qui ad reſpondendum, & de Ieremia modò, qui ad vaticinandum accingi iubentur.

P r o v.

Accingere lumbos, quid?

Iob.38.
Lucæ 12.

Orientalium longa lacinia.

57. Hieronymus hîc in Ieremia, accinctis lumbis formam quandam exprimi putat Euangelici viri, in lumbis verò ſuccinctis, ſtudium caſtitatis intelligit: cui niſi vir Apoſtolicus conſtanter inuigilet, perdat, neceſſe eſt, non officium ſolùm, ſed etiam nomen. Ego hîc concionatoris optimam ſpeciem intueor, in Ieremia, quem hîc Dominus comparat, atque inſtruit ad vaticinandi, ſeu concionandi munus. Nam primùm non vult, illum longas, ac terræ proximas geſtare lacinias, quæ puluerem verrant, & colligant, ſermonémque cæleſtem terrenarum rerum ſtudio, atque cogitatione contaminent. Deinde, quia Ieremias nihil loquitur aliud, niſi quod ipſi Deus, vt loquatur, præfinit; *Loquere*, inquit, *ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi.* Ad cuius ſimilitudinẽ fidelis Euangelij miniſter nihil omnino loqui aut debet, aut poteſt, quàm quod ſonat, atque præſcribit Euãgeliũ.

Concionatoru forma in Ieremia.

58. In Diuino præterea mandato Ieremiæ propoſito obſeruandum eſt illud, *ſurge: Accinge*, inquit, *lumbos tuos, & ſurge.* quod item celeritatem notat, & in agendo ardorem: & hoc præcipuè, & fortaſſe ſolum: ſed hîc videre videor aliquid, quod Diuini verbi religionem, & maieſtatem indicat. Quod priuſquã explicare aggredior, iterum obſeruo, verbum Dei olim etiam à paganis ea obſeruantia, ac religione ſolitum audiri, vt non indecorè, ac molliter ſedentes, ſed religiosè, ac reuerenter ſtantes acciperent. De Regibus Moab duo habemus exempla; alterum Numerorũ 23. verſ. 22. Nam cùm Balam verbum haberet Dei ad Balac Moabitarum Regem, ſic illum ad audiendum

Verbum Dei quanta reuerentia audiendum.

Ab ſtãtibus olim Dei verbũ auditum.

Numerorum 23.

diendum comparat: *Sta Balac, & auſculta.* Græcè magis accommodatè ad hunc Ieremiæ locum, ἀνάστηθι, id eſt, *Surge:* alterum Iudicum capite 4.
Iud. 4. nam cùm Eglon Rex item Moab audiiſſet ab Aod, *Verbum Dei habeo ad te*, vt illum acciperet, *ſtatim ſurrexit de throno:* Quod fuiſſe tunc omnibus vſitatum, argumento eſt, quia eo Aod vſus eſt artificio, quòd ſedentem nō ita commodè, quàm ſtantẽ vulnerare poterat. ſciebat autem, illū ſtatim ac verbū audiiſſet Dei, è throno ſurrecturū.

59. Quare fideles olim, non ſolùm dum Euangelium in Sacro recitabatur, quod etiam hodie fit, ſed quando Sanctorum hiſtoriæ, aut denique aliquid aliud ſacrum legebatur, ſtantes audiebant. ita Auguſtinus tomo 10. homilia 26. quem omnino lege. Illuſtre hac de re magni Imperatoris Conſtantini exemplum habemus, de quo Euſebius in Conſtantini vita lib. 4. capite 29. *Quòd ſi eo dicente aliquando aliqua occaſio incidiſſet de Theologia loquendi, erecto corpore conſiſtens, contractoque vultu, & depreſſa voce, adhibita ſumma prudentia, ac moderatione, præſentium animos cæleſti diſciplina initiare ac deuouere videbatur.* Quomodo verò ſtantes Diuinū, aut Theologicum verbum audierint, docet idem Euſebius ſuprà, capite 33. quod quia mirè ad præſens inſtitutū facit, libuit hūc tranſcribere. Sic ergo ibi de Conſtantino Euſebius: *Ac ne illud quidem mihi tacitè prætermittendum videtur, quod nobis ipſis præſentibus ſumma cum admiratione geſſerat. Nã cùm eius ſingulari ergà Deum pietate adducti, poſtularemus, vt de Seruatoris monumento, & ſepultura diſputantes nos audire vellet, libentiſſimè ſanè aures ſuas ſermonibus noſtris prebuit; & in ipſa Baſilica magno auditorum cœtu circumfuſus, erectuſque ſtans communem cum reliquis audiendi operam exhibuit, cùmque flagitaremus, vt Regali in ſolio, quod ibi ſeſſionis cauſa poſitum erat, ſe reclinaret, minimè ceſſit noſtris precibus, quin potiùs contento animo, quæ dicebantur ſecum diiudicabat: & Theologiæ decretis, veritatis teſtimonium dabat. Sed cùm iam multum temporis fluxiſſet, & nos longiores eſſemus, finémque facere ſtatueremus: hic quidem ille reſtitit, & vt omnem ſermonem abſolueremus hortatus eſt. Rurſus verò vt ſederet depoſcentibus nobis, ſubtriſti, & auſtero vultu reſpondit: Nefas eſſe, inſtitutis de Deo diſputationibus negligentes aures præbere. Sibi verò hoc eſſe inprimis vtile, præſertim cùm pium ſit de Diuinis rebus diſſerentes, erectos audire.* Quantum verò honoris Senatorum, aut Principū mandatis habuerint Romani, indicat Plinius libro 18. capite 3. apud quem viator, qui Senatus mandata ad Cincinnatum operi intentum ruſtico deferebat, cùm nudum videret, vt agreſtis illa cura poſcebat, minúſque, quàm decebat Senatorij mandati dignitas, compoſitum, ſic illum ad audiendum parat; *Vela corpus, & proferam Senatus, populique Romani mandata.*

60. Ab ſtantibus audiendum eſſe verbū Dei docet Gregorius libro 27. Moralium, capite 23: *Auſcultabat Iob, ſta, & conſidera:* alio tamen ſenſu, nempe, vt ſtatim ad implendum, quidquid à Domini, accepimus mandato, properemus, neque enim, quicquam audiiſſe confert, ſi complere ſpernas.
Quod à Deo audimus, ſtatim opere complendū. *Sæpe quidam ſuperna iudicia prædicamenta cæleſtis patriæ cùm audiunt, diligūt: mira opera internæ diſpoſitionis obſtupeſcunt: ſed tamen ammodo ſe tenere, ad hæc eadem opera aſſurgere negligunt.* Vide reliquam. In vtramque ſententiam hunc Ieremiæ locum interpretor, cui iubetur aſſurgere, & lumbos accingere, vt reuerenter nempe audiat Diuinum oraculum, & ad illud implendum confeſtim aſſurgat.

A *Ne formides à facie eorum, neque enim timere te faciam vultum eorum.*] Retardare poſſe videbantur Prophetæ ſtudium, quominus & lumbos accingeret, & quamprimum ad datam ſibi prouinciam exiliret, & rei magnitudo, & eorum, ad quos dura perferebantur mandata, grauis offenſio. His occurrit Deus, dum Ieremiæ pectus ad ardua communit, promittitque ſic ſe moderaturum omnia, vt nihil illi à Principum victorum offenſione formidandum ſit. Porrò illud, *à facie eorum*, idem eſt, quod *ab eis*, vt ſuperdiximus numero 48. Sicut etiam *vultum eorum*, pro *illorum*: hoc ſenſu, ne formides ab eis, neque enim te illos timere faciam. 61.

B Verſ. 18. *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram Regibus Iuda.*] Norat Dominus cæleſtium minarum denunciatorem Ieremiam, Regum, ac Principum ſubiturum odia, & quæ ex offenſione naſcuntur incommoda; ſed contra tot Principum minas, & iactationum fluctus ſtabilem illum, & ſtrenuum fore prædicit: non ſecus atque ſcopulus medius in feruente mari illiſos fluctus frangit, atque debilitat. Comparat autem Dominus Ieremiæ pectus Diuino patrocinio, atque præſentia munitum cum ciuitate, quæ contra inimicorum appulſus, & machinas egregiè comparata eſt. Addit autem illa, quæ in ciuitate, aut arce præcipua exiſtimantur
C firmamenta. Nam ſi ſingularum domuum fulcra conſideras, quæ molem ſuſtinent incumbentem, columnæ ſunt ferreæ, quæ neque pondere ſuccumbunt, neque machinarum impetu franguntur. Si mœnia, quibus vndique vallatur, & clauditur, ærea ſunt, in quæ nihil ſibi iuris habent inimicorum arma, quia neque ab ariete concuti, neque ab æneis pilis perforari poſſunt. Hic porro Hebræorum more ſubauditur comparationis nota, quaſi dicat Deus, faciam te eſſe vſque adeò munitum, vt inimicorum tela frangas, & illudas, non aliter quàm ciuitas hoſtiles machinas ridet, atque arcet, quàm ferreæ ſuſtinent columnæ, & murus aheneus circumuallat. 62. Viri Apoſtolici conſtantia.
D

Hæc ciuitatum munimenta, quæ ſecuritatem promittunt, & libertatem à metu, etiam à profanis ad prouerbialem ſpeciem adhiberi ſolent. Horatius libro 3. Carminum, ode
Terſi reſurgat murus aheneus.
& iterum libro 1. Epiſtolarum:
—— *Hic murus aheneus eſto,*
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Vt autem in ſuccinctis lumbis, & in ſtatu recto Prophetæ Apoſtolici viri formam expreſſam eſſe diximus; ſic etiam in æreo muro, & columna ferrea, optimè eiuſdem officium, atque natura
E deſcribitur: vt enim ferrea columna neque ab impoſita flectitur mole, neque concuſſu frangitur; aut æreus murus, qui arieti reſiſtit, & catapultæ: ſic vir, qui Apoſtolicus videri vult, neque minis flectitur, neque plagarum horret, aut timet inflictus. Qui etiam, cùm maximè contra peccatores ardet inflammatus Domini furor, medium ſe offerre debet tanquam murus: quod quia viri quidam ſui officij immemores non præſtiterunt, grauiter à Deo reprehenduntur Ezech. 13. v. 5. *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murū pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Quod facturus Ieremias videbatur, quando illi Dominus dixit ca. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc,* 63. Vir Apoſtolicus murus ciuitatis.

 neque

neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſi- A *ſtas mihi.* Hic porro vir Euangelicus, qualis à Deo in Ieremia proponitur, tanto eſt ciuitatibus vſui, vt propter illum ſtent interdum, quantumuis ab hoſte vehementer oppugnatæ. Quod ſi cadere aliquando contingat, id vel inopiæ, vel incuriæ Apoſtolici pectoris tribuendum eſt. Prouerbiorum 29. numero 18. *Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur populus.* quia nempe murus aberit æreus, qui vim quandam indomitam hoſtibus opponat. Hanc verò eiuſmodi Prophetarum vel abſentiã, vel incuriam deplorabat Iſaias cap. 64. cùm diceret: *Non eſt, qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Huc facit illud Pſalmi 105. verſu 24. de Moyſe, qui ſe pro muro oppoſuit Deo in populum hoſtilem in modum ſæuienti. *Dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.* id eſt, niſi ſtetiſſet in parte diſiecti muri, qua ingreſſurus videbatur in populum Diuinus furor.

Prou. 29. Pſal. 105.

Verſ. 19. *Bellabunt aduerſùm te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum.*] Quanto Sacerdotes, & 64.
Principes odio bacchati fuerint in Ieremiam, vt illum diu, ſæpéque iactauerint, ſatis ex tota ipſius prophetia conſtat; ex qua etiam habes, quomodo preſſus quidem fuerit, non tamen oppreſſus, vt merſus in lacum, ex eo poſtea incolumis emerſerit, vt nulla denique poteſtas, quantumcunque pugnax in illum præualuerit. Id verò totum ſingulari Domini patrocinio tribuendũ eſt, qui nunquã Prophetæ non adfuit, in eius cauſa, & pro ſalute populi laboranti. Explicit caput 1.

ARGVMENTVM CAPITIS II.

VEHEMENS eſt hoc caput, & grauis plenum indignationis, & querelæ; in quo priùs Deus ſua in Hebræorum populum beneficia commemorat, & amplificat, & quàm ille populus ſtolidus fuerit, & ingratus, miris modis exaggerat, & aptiſſimis explicat ſimilitudinibus, & exemplis. Ad extremum cùm ſe innocentem clamet, ſuáque ſcelera artificiosè celari poſſe putet, illum ſceleratæ vitæ & proditæ religionis reum eſſe conuincit, edicítque non aliter ab Ægyptiis, in quorum fide, atque tutela ſpem ſalutis, & libertatem collocarant; fore tractandum, quàm parentes ólim ab Aſſyriis.

IEREM. CAP. II.

1. *ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens:*

2. *Vade, & clama in auribus Ieruſalẽ, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto, in terra quæ non ſeminatur.*

3. *Sanctus Iſraël Domino, primitiæ frugum eius: omnes, qui deuorant eum, delinquunt: mala venient ſuper eos, dicit Dominus.*

4. Audite

IN IDEM CAP. PARAPH.

B 1. POſtquam mihi Deus ſpiritum afflauit propheticum, & animos indidit ad prophetandum impauidos, in hunc mihi modum primùm locutus eſt.

2. Agedum, Ieremia, quantum potes libero clamore contende, vt hæc abs te meo nomine vel inuita audiat Ieruſalem. Recordatus, inquit Dominus, ſum temporis illius primi, in quo Ægyptium iugum excuſſiſti, tui miſertus ſum, quando adoleſcens vocari poteras. Recordatus inquam ſum temporis, quo tuam adoleſcentiam amaui, quando me tibi ducem in deſerto C præbui; in terra videlicet, quæ propter ſqualorem, & maciem neque à viatore veſtigio, neque ab aratore vomere impreſſa eſt; aut eius naturæ, vt cum ſpe meſſis à quoquam ſeminari queat.

3. Fuit populus ille, dicit Dominus, mihi in eo honore, ac loco, quo haberi ſolent illa, quæ ſancta ſunt, & Diuino nomini, ac cultui conſecrata: quæ violari quoquó modo religio vetat. Fuit in deliciis ad eum prorſus modum, quo frugum primitiæ, quæ & plurimi fiunt, & gratæ accidunt vehementer palato: quas ſi quis deuoret, quia

4. Audite verbum Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Iſraël:

5. Hæc dicit Dominus: Quid inuenerũt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt?

6. Et non dixerunt: Vbi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Aegypti: qui traduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram ſitis, & imaginem mortis: per terram, in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo?

7. Et induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius: & ingreſſi contaminaſtis terram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem.

8. Sacerdotes non dixerunt: Vbi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me: & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola ſecuti ſunt.

9. Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus: & cũ filiis veſtris diſceptabo.

10. Tran

A quia illas Deus ſpeciali ſibi lege vendicauit, ſacrilegij reus exiſtimatur, & inflicto vel à lege, vel à Deo infortunio, punitur.

4. Audite ergo domus Iſraël, attentas, & dociles aures adhibete, cognationes, atque familiæ ex Iacob antiquo ſemine propagatæ, ad audiendam grauem, & iuſtam querimoniam ab offenſo Deo.

5. Diſcite ergo à Deo & ipſius in vos ingentia beneficia, & veſtra in eum indigna promerita. Et primùm audire à vobis ſtudeo, ait Dominus, qua in re parentes B quondam veſtri arguere me iniquitatis, aut iniuſtitiæ potuerunt. Propter quod receſſerunt longè à fide mihi data, & Diuinos honores vanitati, ideſt, marmoreis ac ligneis ſimulacris impenderunt: & conſectati vana inutiles ipſi, ac vani facti ſunt.

6. Cùm tam forent parentes veſtri à me beneficiis cumulati, vſque adeò tamen ingrati, ac ſtupidi fuêre, vt mei non meminerint poſtea, quæſierintque, vbi ſit Deus, à quo euocati fuerant ex Ægypto, & per horribilem ſolitudinem in terram promiſ- C ſionis traducti; per ſolitudinem, inquam, quæ neque habitari poteſt, neque à viatore luſtrari: per terram ſiticuloſam, & arentem, & in qua paſſim occurſat oculis, aut imago mortis, aut moriendi votum atque neceſſitas: per terram neque ab aliquo habitatam, neque à prætereunte peregrino calcatam.

7. Ex regione ſterili atque arenti in terram vſque adeò felicem, & vberem induxi vos, vt cum Carmelo de amœnitate, ac fructuum affluentia certare poſſit; vos au- D tem inductis idolorum ſordibus illam polluiſtis, feciſtíſque peccando, vt decori, atque vbertati primæ macies, atque abominatio ſuccederet.

8. Omnis populus contaminatus eſt, & ab eo, quod in ſuo quiſque munere præſtare debuit, defecit: Sacerdotes, quorum erat proprium Dominum quærere, ídque vt alij facerent identidem hortari, tam fuerunt ſui muneris, ac pudoris obliti, vt neque de loco, vbi quærendus eſſet Deus, quæſierint, cogitauerintve. Legis E autem periti nihilo plus in cognitione legis, quàm cætera multitudo progreſſi ſunt. Duces verò populi atque paſtores præuaricati ſunt, dum ſe ipſos, & commiſſum ſibi populum ad ſtultam idolorum inſaniam inſipienter abducunt. Prophetæ verò non tam Diuino afflati ſpiritu, quàm furore exagitati diabolico, figmenta ludicra, quaſi Diuina forent oracula, populo proponunt.

9. Propterea dicit Dominus, lege vobiſcum, atque iudicio contendam. Neque

vobiſcum

10. *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi.*

11. *Si mutauit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dij: populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum.*

12. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus.*

13. *Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

14. *Numquid ſeruus eſt Iſraël, aut vernaculus? quare ergo factus eſt in prædam?*

15. *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram eius in ſolitudinem: ciuitates eius exuſtæ ſunt, & non eſt qui habitet in eis.*

16. *Filij quoque Mempheos & Taphnes conſtuprauerunt te vſque ad verticem.*

17. Num

A vobiſcum ſolùm, ſed cum omni etiam filiorum poſteritate diſceptandum eſt.

10. In hoc iudicio ſua in retinenda patria religione conſtantia condemnabunt vos barbari homines, & inculti, qui tenaciores fuêre diſciplinæ à fallaci dæmone, quàm vos illius quam à me docente quondam accepiſtis. Tranſite igitur ad Cethæas inſulas, Cedarinos conſulite agreſte hominum genus, & quàm maximè poteſtis attentè conſiderate, ſi in illorum regionibus aliquid vnquam eiuſmodi
B peccatum eſt.

11. Videte an aliquando religionem, quam ſemel ſunt amplexi, & deos, quos olim colere cœperunt, aliquando reliquerint. Populus verò meus neque barbarus, neque incultus Deum ſuum non futilem, & vanum, ſed glorioſum, ac verum deſerendo religioſum cultum ad idolorum ſordidam vanitatem traduxit.

12. Obſtupeſcite igitur, ô cæli, dicit Dominus, ad tantum hominum ſtuporem, & inſaniam, & ſplendori veſtro ad
C tantam hominum impudentiam tenebras obducite. Soluatur à ſuis cardinibus ætherea machina, & cæleſtia ſigna, quæ cælorum portæ ſeu feneſtræ videntur, ſic denſa obſcurentur caligine, vt in æternum extabuiſſe videri potuerint.

13. Quòd obſtupeſcere cæli, & eorum portæ conuelli, ac deſolari debeant, faciunt duo mala, quæ meus in me populus admiſit. Me etenim abiecit, à quo bonum omne ſperari poterat, ſicut à iugi fonte viua hauritur & perennis aqua, & ad idola ſe ſordida conuertit, à quibus ſpe-
D rari poterat nihil; ſicut neque à hianti, ſeu perforata ciſterna, quæ à ſe nihil habet aquæ, & ſi quid aliunde colligere contingat, illud ad hominum vſus retinere non poteſt.

14. Hinc tota populi calamitas, hinc barbaris & immitibus hoſtibus in prædam datus. Neque enim illum ego tanquam ſeruum, atque vernaculum vendidi; ſed ipſe dum ſua ſe libidine regit in illa ſe incommoda ſpontaneus induit, illis ſe vltrò vinculis implicuit.

15. In prædam infelix ille populus da-
E bitur non aliter quàm agnus, aut ceruus in leonum fauces. Aderit enim tempus quando immani in illum fremitu rugiant leones, & eò redigatur ciuitas luculenta priùs, & frequens, vt neque vnus è multis reliquus ſit, qui illius ruinas habitare velit.

16. Neque duram tantùm apud Chaldæos ſeruitutem, atque ignominiam ſubiit,

A biit,ſed etiam apud Ægyptios: à quibus ita ſubacta eſt gens illa miſera, vt nulla fuerit tanti corporis pars à contumelia atque ignominia libera, ad verticem enim vſque demerſa atque fœdata eſt.

17. Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?

17. Numquid hanc tibi calamitatem & opprobrium nō tibi, ô ſtulte popule, ideo conflaſti, quia à viuentis aquæ fonte ad turbidas ciſternas confugiſti? quia reliquiſti Deum ducem, & patronum, cùm tibi facilem oſtenderet, atque ſecuram viam?

18. Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis?

18. Et nunc, dum auxiliares copias ab B Ægyptiis imploras, id agis omnino, vt ad Ægyptios aliquando profectus extorris à patria aquam è Nilo haurias fœculentam, & turbidam: ex quo etiam ſequetur, vt quia Deo parere non vis, dum te ab Ægyptio fœdere, atque auxilio deterrer, Babylonicum actus in exilium, aquam ex Euphrate, qui mediam interfluit Babylonem, bibas.

19. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.

19. Tua te malitia condemnabit, qua ad idola, ideſt, ad ciſternas diſſipatas confugiſti: & auerſio, qua me viuentis aquæ C fontem aſpernatus es. Diſce igitur hinc, ait Dominus, & magno tuo malo cognoſce, quàm amarum ſit à Domino Deo tuo defeciſſe.

20. A ſaculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam. In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix.

20. Iampridem, ô malè ſane popule, tanquam efferus atque indomitus taurus excuſſiſti è ceruicibus, & confregiſti iugum: diripuiſti lora, quibus illum aſtrinxeram, dixiſtique in ardenti illo libertatis ardore, nolle te Dei tui iam ampliùs imperio ſubeſſe. Quare ſic vagè ferebare ad omnium idolorum amplexum D ad lucos omnes, & excelſos colles, vbi impiæ excitabantur aræ, ſicut meretrix vaga, quæ frontem iam perfricuit, & virorum appetens omnium ſe libidini proſtituit.

21. Ego autem plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?

21. Elegi ego te, plantauíque eo ſtudio, ac etiam maiori, quo ſedulus, & attentus agricola vineam, ex qua fructus ſperat vberes & gratos: ſurculos excerpſi non vanos, & ignobiles, ſed veros, & ex ſtirpe generoſa deſumptos, ex Abraham nempe, Iſaac, & Iacob. Quomodo ergo ſic E à præclaro illo ſemine degeneraſti? & fructus, quos ex meo labore vberes expectabam, ad alienos vſus traduxiſti?

22. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.

22. Si maxima quædam ad detergendam maculam, aut conciliandam animi pulchritudinem medicamenta compares, qualia ſunt, quæ ars adhibet fullonia ad vindicandos à ſqualore pannos, aut pigmentaria ad fucatæ medicamina pulchritudinis; nitrum putà, atque herbam borith, non tamen efficies, dicit Dominus,

A vt à tua te deformitate, ac macula purifices.

23. Quomodo dicis: Non ſum polluta, poſt Baalim non ambulaui? vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris: curſor leuis explicans vias ſuas.

23. Cùm diu, ô Ieruſalem, meretricata fueris, & è proſtibulo, ac luſtris ſqualorem, atrorémque contraxeris, quia tamen nitrum adhibes & borith, & alia medicamenta candoris, puram te eſſe ſimulas, dicíſque non minùs inuerecundè, quàm falsò, Non ſum polluta, neque ad idolorum me ſordes abieci. Non tamen vt maximo artificio turpitudinem celes, efficies quominus ſciam quo te modo in turpitudinis cœno volutaueris. Recognoſce ergo B valles, & lucos, atque ibi occurrent non veſtigia ſolùm, ſed etiam flagitiorum cubilia. Vt enim dromedaria, quæ furoris impatiens venerei, omnia loca incredibili velocitate luſtrat, in quibus ſeſe explendæ libidinis commoditas oſtentat, ſic tu viam tibi in omnem locum aperuiſti, vbi rabidæ libidinis exaturandæ opportunum aliquid occurrebat.

24. Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam: omnes qui quærunt eam, non deficient: in menſtruis eius inuenient eam.

24. Non aliter ad impias idolorum aras, ideſt, ad myſticam libidinem aduolabas, quàm onagra, dum libidine furit, quæ C maſculi prurientis amorem odorata, ſic in quamcumque partem arripitur, vt à nullo prorſus cohiberi poſſit. Quare venatores, aut domini, in reuocandis onagris non laborant, quia norunt, incitatum furorem retineri non poſſe: quare ad locum aduolant, vbi libidinis explendæ opportunitas eſt, & ibi comprehendunt.

25. Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti. Et dixiſti: Deſperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe alienos, & poſt eos ambulabo.

25. Fac, ô gens Iudæa, quæ meretricium in modum hactenus vitam inſtituiſti, ne pedem, ideſt, quod velatum eſſe o- D portet, nudes, venaléque proſtituas aliorum libidini: néve amatoriam ſitim, ideſt, libidinem tuam explere ſtudeas. Cùm hæc à me audires, perfricuiſti iam apertè frontem, præciſéque negaſti, id abs te omnino fieri debere. Cùm enim iam alienos amare inſtituiſſes, faciendum tibi neceſſariò exiſtimaſti, vt in illorum ſemper amplexu viueres.

26. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum,

26. Quemadmodum in ipſo ſcelere deprehenſus erubeſcit, & confunditur fur, ſic Iſraëliticus populus, cùm Deus il- E lius meritis digna rependerit ſupplicia, rubore ſuffundetur. Ex qua confuſione non eximo Reges, non Sacerdotes, non Prophetas, quos ipſe in maximarum rerum deliberatione conſuluit.

27. Dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuiſti. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge, & libera nos.

27. Neque id ſine magno ſuo merito, cùm eò progreſſi fuerint veſaniæ, vt idolis referant acceptum, quod habent à bonorum omnium largitore Deo. Dicunt enim lapidi, aut ligno, Abs te habeo, quòd viuam, & ſim; & quam à me faciem auer- terunt

28. *Vbi ſunt dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ: ſecundùm numerum quippe ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda.*

29. *Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.*

30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt: deuorauit gladius veſter Prophetas veſtros, quaſi leo vaſtator*

31. *Generatio veſtra. Videte verbum Domini: Numquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? quare ergo dixit populus meus: Receſſimus, non veniemus vltrà ad te?*

32. *Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris.*

A terunt ſtolidi, ad muta ſimulacra conuerterunt. At cùm afflictionis tempus aduenerit, erroris ſui gnari, & priora deteſtati conſilia, redibunt ad me, & in eo tot procellarum æſtu, auxilium à me, & ab ea iactatione fugam implorabunt.

28. Tunc à me hanc dignam ſua obſtinatione reſponſionem populus accipiet: vbi ſunt dij illi, quos tu tibi è ligno, & marmore finxiſti? Inuoca illos, & ſiquis illis in eſt ſenſus, & motus, ſurgant, & cùm grauia vrgent, ac diuexant incommoda, B opem, ſi poſſunt, afferant imploranti. Neque verò pauci ſunt dij illi: quot enim erant in Iudæa ciuitates, tot ibi Gentilicæ ſuperſtitionis viſebantur aræ, diuerſis diis, prout cuiuſque ferebat inſania, conſecratæ.

29. Quare nihil eſt, quod quiſquam veſtrûm iudicio mecum velit agere legitimo: neque enim quicquam habebit, quod mihi verè poſſit obiicere; cùm tamen ego quàmplurima habeam, de quibus grauiter vobiſcum expoſtulem. Quæ C omnia hoc vno verbo comprehendo, quod me de vobis largiſſimè meritum ad vnum omnes abieciſtis.

30. Cùm vellem vos ad alia omnia digreſſos ad me reuocare, percuſſi vos, & quaſi ſtimulis ad iugum, & officium adegi, diſciplinæ tamen ſemper indociles fuiſtis. Tam longè verò fuit, vt Prophetarum pareretis oraculis, per quos vos formare, atque dolare volui, vt in illos potiùs diſtringeretis ferrum. Fuit enim generatio veſtra vſque adeò ferox, & immitis, vt non D facilè à leone diſtinguas prædatore, qui obuium quodque lacerat, & vorat, neque aliud agit, quàm vt alieno ſanguine famem ſuam exſaturet.

31. Excitate animos, & quod nunc verbum audietis, diligenter expendite. Quid eſt, quod vobis perſuaſit, vt ex vſu veſtro fore diceretis, à me quàm longiſſimè recedere? quaſi ego fuerim ſicut ſterilis ager, qui ideo ab aratore ſolus, & incultus relinquitur, aut quaſi terra, quæ licèt fructum ferat humanis vſibus opportu- E num, fert tamen ſerò, diùque ſuſpendit, & cruciat auidum agricolam. Non ſic ego, non ſic, qui in compenſando opere largus ſum, & in largiendo feſtinus.

32. Minori ego vobis in pretio ſum, quàm virgini, aut ſponſæ ioculares deliciæ, & meræ nugæ: illa enim neque ornamentorum ſuorum obliuiſcitur, hæc pectoralem faſciam ſic amat, vt illius dulcem habeat, & aſſiduam memoriam. At vos iampridem mei ex animis veſtris memoriam abieciſtis.

33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas,*

A 33. Quid ergo vias probare mihi ſtudes? quid ſpeciem illis obtendis honeſtatis, vt violatam gratiam, & amicitiam inſtaures, ex qua errore ſeducta turpiter excidiſti? Cùm ſcelera tua ſic in aliorum oculis apertè defixeris, vt ignoret illa nemo: quare artificium omne vanum, & otioſum eſt?

34. *Et in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum? non in foſſis inueni eos, ſed in omnibus quæ ſuprà memoraui.*

34. Fruſtra cælare ſtudes ſcelera, quorum ſigna præteſers non obſcurà: quemadmodum ſic aquila occultare ſtudeat rapinam, & cædem, cùm pennas referat ſtillantes ſanguine. B Idem tibi planè contigit, ô popule, qui manus tuas innocentum, ac pauperum ſanguine imbuiſti: quorum cædis vſque adeò te non pudet, vt non illorum cadauera aut ſepulcris inferas, aut abſcondas in foueis, ſed relinquas inhumata, & in conſpectu hominum, quæque tuam omnibus crudelitatem aſſiduè teſtentur.

35. *Et dixiſti: Abſque peccato, & innocens ego ſum: & propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quòd dixeris: Non peccaui.*

35. Et nihilominus non es verecundatus fateri, longè à te omnem abeſſe culpam, & eo nomine ſupplicare, vt iram C temperem, & manum ſcelerum vltricem auertam. Quia ergo innocentem te prædicas, & dignum cenſes, cui ego iam placatus ignoſcam, vitam tuam ad examen, & iudicium vocabo, efficiámque vt in eo flagitioſum eſſe te licèt inuitus recognoſcas.

36. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! & ab Ægypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur.*

36. Hinc diſce, qualia mediteris, quàm ſis vilis, & ſordidus; cùm repetere ſtudeas illam viam, quæ tibi olim, ac moribus labem inuſſit longè turpiſſimam. Supplicaſti quondam idolis apud Ægyptios; atque ideo cùm iterum velis ad Ægyptia re- D uerti, oſtendis planè, qualis etiam in poſterum futurus ſis. Hæc enim iterata via totius vitæ coniecturam facit: neque minorem ignominiam ab Ægyptiis ſubibis, quàm parentes olim tui tulerunt ab Aſſyriis.

37. *Nam & ab iſta egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum: quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum in ea.*

37. Sic enim ab Ægypto mulctaberis, à qua certum tibi polliceris auxilium, vt manus gemebunda referas ſuper caput. Deus enim ſic obteret confidentem animum, & ſpem fallacem, vt nihil ex ea profectione ſanum, nihil contingat proſperè.

IN CA

IN CAPVT SECVNDVM IEREMIÆ.

Verſ. 2. *Vade, & clama in auribus Ieruſalem, dicens:*]

1. IAM Dominus diſceptare vult, ſeu iudicia loqui cum Iudæorum gente, per Ieremiam ſuorum conſiliorum, ac minarum interpretem. Cui iubet, vt ſe iam murum oſtendat æreum, & ferream columnam, quia grauia ſunt, quæ non ſummiſſa, atque humili voce, ſed audaci, ac libero clamore Iudæorum auribus inſtillanda ſunt. Quidam ex

REGVLA. *Verba pro interiectionibus.* illa voce, *vade*, accepiſſe coniectant Ieremiam verbum hoc à Deo, cùm eſſet in Anathoth, quaſi indè exire iubeatur, vt hæc clamet traductus in Ieruſalem: quod mihi non omnino diſplicet: puto tamen illud *vade*, interiectionem eſſe familiarem Hebræis, qua vrgere alios ſolent, vt seriò ſtatim aliquid faciant. Qualia ſunt apud Latinos, *Age, Agedum*, apud Græcos, φέρε, φέρε δὴ, δεῦτε, & ſimilia. Porro *vade, veni, venite*, & quæ eiuſmodi ſunt, apud Hebræos pro interiectionibus vſurpari, docent plurima, in quibus eiuſmodi adhibentur verba, vbi tamen nullus eſt motus; exempla ſunt obuia, & fermè cum vſum habent omnia, vbi his verbis in modo imperatiuo alia ſubiiciuntur verba; vt, *Venite, adoremus, Venite exultemus, Vade, & poſſide, Vade, & ſolue ſaccum.* Quare tantùm exiſtimo vrgeri Diuino præcepto Ieremiam, vt Dei nomine Iudæis exprobret quæ ſequuntur.

2. *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.*] Locus iſte mihi non tam videtur ſolutus, & facilis, quàm apparet aliis. Illud mihi certum eſt, quod etiam pleriſque probari video, hîc

Adoleſcentia populi Hebræorum. proponi beneficia omnia, quibus Deus populum primùm egreſſum ex Ægypto ad terram vſque promiſſam proſequutus eſt, quibus tamen ingratus ille populus peſſimè reſpondit. Illud quoque certum, adoleſcentiæ tempus eſſe id, quod primum populus ille duxit ab Ægyptio iugo li-

Oſeæ 2. beratus. Hoc perſpicuum ex Oſea ſit, capite 2. *Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti.* illud, *&*, particula eſt

Ezech. 16. expoſitiua, *ideſt, iuxta dies aſcenſionis.* Idem Ezechiel, licèt figuratè, capite 16. *Non es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, quando eras nuda, & confuſione plena.*

3. Hoc mihi certum, illud valde dubium, ad quémnam ſint illa referenda, quæ ſequuntur: ad gentémne Iudaicam ſub ſponſæ metaphora, vel ad Deum tanquam ſponſum humanum, & beneficum. Quidam vtrunque ad ſponſam referendum cenſent, ita vt gens illa miſerta dicatur Dei, ideſt, piè in illum animata; & eùndem eo tempore impensè dilexerit. Alij alteram partem, ideſt, miſericordiam ad Deum, alteram, ideſt, charitatem ad ſponſam, ſpectare cenſent; ita vt Deus recordari ſe dicat miſericordiæ, quia olim abiectum illum populum proſecutus eſt, & charitatis, cuius tunc ſigna edidit non obſcura, quando ab ipſo per arentem ſolitudinem non receſſit, & eius charitatis gratia abſtinuiſſe

A Deum manus vltrices ab infideli gente, quas quotidie noua ſemper impietas armabat. Ita Chaldæus, Theodoretus, Lyra, Dionyſius, Maldonatus, & Caſtrus. Alij vtrunque referunt ad Deum, qui & miſertus eſt olim populi in iuuenili æuo, & eum ita dilexit, vt ad thalami vſque ſocietatem vocauerit. Ita Hieronymus, ſanctus Thomas, Vatablus.

Ex his ſententiis magis mihi probatur iſta 4.
poſtrema, quæ tam miſericordiam, quàm amorē adſcribit Deo. Neque enim hîc quicquam audio præter querimonias, & aſſidua in gentem illam, malè tamen compenſata, cognita beneficia. Commemorat autem Deus hoc loco beneficia, deinde illorum obliuionem, & contemptum exprobrat. Sed iam ſingula exploremus, vt ad po-

B ſtremam hanc cogitationem referamus.

Recordatus ſum tui.] Recordor in Scriptura 5.
duo valet, & id, quod frequenter ſonat, memoriam videlicet eorum, quæ iam præterierũt; & fauorem, ſeu gratiam, cùm de rebus illis ſermo eſt, quę ſtudium in alium, & amorem ſignificant. *Recordor, fauorem & gratiam ſonat.* Pſalmo 73. *Memento congregationis tuæ*, id eſt, miſerere, aut auxiliare. Quò verò ſpectarit illa recordatio, docet quod ſtatim ſuccedit, *miſerans adoleſcentiam tuam.* Deinde, *recordor*, aliquid indicat altè defixum animo, ſiue quia magnum, & gratum, ſiue quia graue, & durum, hoſtríſque rationibus importunum: vtrunque enim eius eſt generis, vt exuri ex animo, aut è memoria deleri non poſſit. *Item aliquid aliud in mente defixum.* Vtrunque in querelarum exordio importat hoc verbum: oſtendit enim Dominus & ſuam libera-

C litatem, & officia in populum illum, ab Ægyptio dominio vehementer oppreſſum, & quanti faciat illum ſuum antiquum amorem, quámque ferat grauiter tam malè populum illum pluſquam barbarum tantæ humanitati reſpondiſſe; quandoquidem exactis iam tot ſæculis illorum adhuc recentem conſeruat memoriam. Loquitur autem Deus humano modo, quod ſæpe in Scriptura facit: neque enim in Diuinam mentem minimarum etiam rerum vnquam cadit obliuio.

Miſerans adoleſcentiam tuam.] Adoleſcentia, vt 6.
diximus, illius populi fuit ab eo tempore, quo populus è ſeruitute emerſit Ægyptia, donec poſt annos quadraginta in terram promiſſionis intrauit. Quàm verò tunc Deus miſericorditer il-

D lius populi miſerias leuauerit, tota Scriptura ſacra clamat, neque ſilet hoc loco Ieremias.

Et charitatem deſponſationis tuæ.] Memini eius 7.
charitatis, qua vſque adeò te complexus ſum amanter, vt te ex omnibus Gentibus vnam in ſponſam elegerim. Hunc credo verum eſſe ſenſum, & his, quæ deinde ſequuntur, valde conſentaneum. Ad quem cætera, quæ in longa hac querimonia traduntur à Propheta, attemperabimus. Sed audi alium fortaſſe non ineptum; ſed priùs obſerua quædam certa ætatis ſigna, aut opera, pro ætate, cuius illa ſunt ſigna, aut cui talia debentur opera, frequenter adhiberi; quòd pluri- *Ætatis nota, pro ætate.*

bus oſtendimus ad illud Iſaiæ 7. *Antequam ſciat puer reprobare malum.* exempla ibi ſunt optima. Diſcutioſius primus vſus, quando videlicet incipit puer reprobare malum,& eligere bonum,aut quando patrem appellat,aut matrem, ſeu ablactatur ab vbere,pro ætate ſumitur trienni,aut eò circiter; cani pro ſenectute; pubertas pro ætate nubili; dentium mutatio pro ſeptenni;& ſimilia. Sic ætas Senatoria, Conſularis, Sacerdotalis, & Nubilis, certum annorum numerum, & ætatis incrementum deſignant.

8. Sic puto deſponſationem hoc loco ſumi pro ætate illa, in qua communiter Hebrææ fœminæ nuptias inire conſueuere:illa verò puellaris erat, quæ ab Ezechiele dicitur cap. 16. *tempus amantium.* & vertit Aquila, συναλλαγῆς, ideſt, ſponſalium; illud verò tempus eſt, vt proximè dixerat Ezechiel,quo primùm incipit germinare pubertas. Quæ res ſic erat Hebræis vſitata,vt ignominiæ duceretur,ſi quis virginem ætate iam prouectam domi haberet innuptam, quæ à Paulo 1. Corinthiorum 7. *ſuperadulta* dicitur, ideſt, quæ iam grandis eſt, & annos nubiles tranſgreſſa.ſic enim ille, *Si quis turpem ſe videri putat ſuper virginem ſuam,quòd ſit ſuperadulta.* Quare Beata Virgo, vbi primùm decimumquartum impleuit annum, nupſit Ioſepho,iuxta frequentem,& penè legitimam Hebræorum conſuetudinem.

9. Ex his ego non temere,vt mihi videbar, coniectabam, in deſponſatione ætatem ſignificari nubilem,ſeu adoleſcentiam, & eandem per epexegeſim iterari ſententiam. Hoc ſenſu:Recordatus ſum temporis illius,in quo tuæ miſertus ſum adoleſcentiæ;recordatus,inquam,ſum temporis, quo tuam adoleſcentiam amaui.

10. *Quando ſecuta es me in deſerto:in terra, quæ non ſeminatur.*] Si priorem explicationem ſequare, de deſponſatione, nempe, populi,quod magis probabamus, facilis eſt ſententia:nihil enim videtur eſſe aliud, quàm gentem illam iuxta nuptialem ritum in ſponſi domum, in terram nempe promiſſionis,fuiſſe traductam, in quo maximè apparuit in illum populum effuſa charitas; qui non minùs amanter populum illum complexus eſt, quàm ſponſus illam,quam vnam è multis ſponſam elegit:ſed ſi aliam explicationem amplectare, non minùs erit expedita ſententia; quæ eò ſpectat,vt Diuinam clementiam,& largitatem in populum,& populi contrà in Deum ingratitudinem, & vecordiam amplificet. Magnum autem aliquid indicatur duobus illis verbis,*ſecuta es,* & *in deſerto,& in terra,quæ non ſeminatur.*In priori proponitur,vt reor, ſingularis illa prouidentia, qua Deus in terra inuia, neque hominum antè propter horrorem impreſſa veſtigiis, ducem ſe præbuit,præluxitque per noctem columna ignis;interdiu verò obtenta nube, quæ & monſtraret viam, & ab æſtu tegeret:illud enim valet,*ſequuta es*, me ſcilicet præeuntem. Non itaque iuxta hanc explicationem tam laudatur populus,quòd ſecutus,quàm Dominus,quòd ignarum populum viæ antegreſſus eſt. Sumitur autem per ſynecdochen,aut conſequens pro antecedente,pro deductione,videlicet, inſecutio, quæ poſterior eſt; aut vnum relatiuum pro alio;inſequens, nempe, pro ductore:neque enim aliquis ſequi poteſt,niſi aliquis ſit,qui ducat,aut præcedat.

Singularis Dei amor, & prouidentia.

11. In poſteriori aliud proponitur Diuinæ prouidentiæ, & charitatis officium:nam cùm terra eſſet eiuſmodi,propter ſterilitatem,& ſitim,vt neque arari à quoquam,aut ſeminari poſſet, neque cibum aleret vllum humanis vſibus opportunum;effecit tamen Deus, non modò vt populus ille ad vſum,& neceſſitatē, ſed etiam ad luxum, & delicias eſcis abundaret: dedit etenim Angelicum de cælo cibum, omnis ſaporis ſuauitatem habentem;eduxit de petra aquam,quam aſſiſtentem ſibi, aut conſequentem plurimos annos habuit. Quare eo in loco,de quo populus ipſe grauiter conqueſtus,dicebat ad Moyſem, & Aaron, Numerorum cap. 20. *Adduxiſtis*(nos)*in locum iſtum peſſimum,qui ſeri non poteſt; qui nec ficum gignit,nec vineas,nec malogranata; inſuper & aquam non habet ad bibendum.* ſic præſtitit omnia luculenter Dominus,vt in totius orbis vberrimo ſolo viuere non poſſet,aut abundantiùs,aut meliùs.

Deſertum ſterile.

Verſ.3. *Sanctus Iſraël Domino.*] Ecce beneficium aliud non minus illuſtre, quàm aliorum quoduis. Nam è multis populum illum elegit, quem ſibi ſpeciali quodam ritu notari, ac conſecrari voluit; atque eo loco haberi, vt ſiquis illum aliqua ratione violaret, aut tanquam vaſa ſacra pollutis contrectaret manibus, temeratæ religionis haberetur, aut ſacrilegij reus. Deeſt, credo,hìc ſimilitudinis nota, quaſi dicas, Populus ille eo loco habitus eſt, ac ſi Domino ſanctus, & conſecratus eſſet. Porro quæ in magno honore, ac veneratione ſunt ſacra,& qui illuſtri in loco ſunt, quóſque homines maximè obſeruant, Sacerdotes dicuntur; tametſi illi ab eo loco, atque ordine, quàm longiſſimè abſint. Vide quæ diximus ad illud Iſaiæ cap. 61. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini.* 12.

Magno in pretio habitus à Deo populus,& quaſi ſanctus.

Primitiæ frugum eius.] Duo in his frugum primitiis obſeruo; alterum, primas fruges frugum appellari primitias; alterum, primas illas fruges ſacras eſſe Deo, neque præter Sacerdotes poſſe quempiam illis impunè veſci. Quod ad primum attinet, conſtat, quæ prima ſunt in frugibus,illa & amari magis, & expeti ad menſam vehementiùs. Quare quæ ſuauiſſima ſunt, in ſacra Scriptura, illa cum primis aut terræ, aut arborum frugibus comparari ſolent. Oſeæ cap.9. *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſraël, quaſi prima poma ficulneæ vidi patres eorum.*& Iſaiæ capite 28. *Quaſi temporaneum ante maturitatem autumni,quod cum aſpexerit videns,ſtatim vt manu tenuerit,deuorabit illud.* Quod ad ſecundum, ſignificare videtur Dominus illum populum aut elegiſſe ſibi ex omnibus, ſicut primitiæ frugum Deo conſecrantur; aut certè populum illum habuiſſe principem inter omnes loco: quod etiam expreſſiſſe videtur, vt putat Theodoretus,Exodi capite 4. cùm Deus Iſraëlem filium appellat primogenitum. Vtrunque hìc ſignificari puto; ſed præcipuè illud prius de primitiis Domino conſecratis, vt probant quæ deinceps ſequuntur. In vtroque autem notam ſimilitudinis ſubaudiri exiſtimo, hoc ſenſu: Fuit ille populus mihi ſanctus, ſicut frugum primitiæ: atque ita gratus, ſicut primæ fruges eſſe ſolent palato. 13.

Primitiæ frugum gratiſſimæ, & Deo conſecratæ.

Qui deuorant eum, delinquunt: mala venient ſuper eos.] Hæc ſatis credo probant, de populo, tanquam de re ſacra, ſuperiora fuiſſe dicta: neque enim, qui fruges deuorat primas, ſceleris arguitur, aut violatæ religionis pœnas dat; ſecus verò, qui re Deo conſecrata veſcitur, vno excepto Sacerdote. Numerorum 5. *Omnes primitiæ,quas afferunt filij Iſraël, ad Sacerdotem pertinent.* & Leuitici 22. *Omnis homo,qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea,quæ conſe* 14.

conſecrata ſunt, & obtulerunt filij Iſrael Domino, peribit coram Domino.

15. Verſ. 4. *Audite verbum Domini domus Iacob.*] Hic loquendi modus attentionem captat,& magna ſperare,aut timere iubet. Attentas exigit, & dociles aures, ad audiendam grauem, & iuſtam querimoniam.

16. Verſ. 5. *Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis?*] Remouet à ſe Deus quidquid obtendere poſſent aduerſarij, & in ſuorum ſcelerum depulſionem adducere: tum, vt illos exagitet, damnétque peccatorum conſcientia; tum vt ipſe iuſtus videatur in reprehendendo, & ipſa reprehenſio plus habeat acerbitatis,& ponderis. Fecit idem antea Samuel 1. Reg. 12. cùm populi eiuſdem iudicium ſubiit, & ex innocentia iam explorata ſpiritus aſſumpſit,& vires,vt in populum illum malè ſanum aculeos exereret audaciùs. Fecit idem Dominus ipſe Iſaiæ cap. 5. *Quid eſt,quod debui facere vineæ meæ,& non feci?* & Michææ cap. 6. *Populus meus quid feci tibi?* & rurſus Iſaiæ cap. 43. *Reduc me in memoriam,vt iudicemur ſimul: narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* Idem denique in Teſtamento nouo Chriſtus fecit; qui vitam ſuam impiis etiam,atque inuidis iudicibus examinandam propoſuit. Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vt ergo tunc cognita Dei benignitate,& omnimodis in illum populum officiis liberior, atque acrior incubuit expoſtulatio: ſic etiam nunc eodem vſus artificio Deus liberiùs cum populo,atque duriùs expoſtulat.

Conſcientia innocentis vita audaciam parit.

Deus hominum iudicio ſuam innocentiam ſupponit.

Hoc loco Theodoretus Diuinam admiratur clementiam,& benignitatem. *Quis ſatis* (inquit) *idoneus ad extollendam laudibus pro dignitate beneuolentiam Domini, atque humanitatem; quippe qui non vt iudex iudicat, ſed quaſi reus defenſionem proponit, & vult conuinci? Cùmque ſit Deus ſacroſanctus,iniquis hominibus dicit: Quid peccaui?* Idem penè Baſilius ad illud Iſai. c. 1. *Venite, & arguite me.* Vide quæ nos ibi pluribus.

17. *Quia elongauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem,& vani facti ſunt ipſi.*] Verbum,*elongare*,cùm actiuum ſit,paſſiuè in ſacra Scriptura aliquando ſumitur. Pſalmo 58. *Ecce elongaui fugiens.* & Ezechielis 35. *Dominus non elongabit.* Sed eſt ſubaudiendus accuſatiuus perſonæ, vt alibi in ſacra Scriptura ſæpe. Ambulare poſt vanitatem nihil eſt aliud, ex omnium ſententia, quàm idola ſectari: éſtque omnino neceſſarium,vt qui à vero, & ſummo bono receſſerint, vana conſectentur, & inutilia; ac ipſi inutiles, & vani fiant, ſimiles videlicet dolato ligno,in quo nihil eſt ſenſus.De quibus Pſalmo 113.*Similes illis fiant,qui faciunt ea.*

18. Verſ. 6. *Et non dixerunt, Vbi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per deſertum?*] Stupidi planè, atque vecordis eſt, alienis vti beneficiis, neque tamen cogitare, aut cognoſcere, à quo ſint profecta. Quod neque in aſinum,aut bouem conuenire, animalia ſtuporis notiſſimi,dixit Iſaias, eodémque Ieremias ardore, ac ſpiritu, capite 1.*Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſraël autem me non cognouit.* Fuêre quidem non ſolùm magna, atque opportuna laboranti, ſed etiam omnibus ſæculis admiranda beneficia, quibus ingratum, & ſtolidum populum complexus eſt Dominus; ipſe verò neque à quo profectum eſſet beneficium,quo præſens fruebatur,cogitabat. Quo verò magis ſtuporem amplificet vecordis populi,grauia illa, quæ ſuperata ſunt incommoda, in horrenda, at-

Ingrati animi ſtupor.

A que ſitienti ſolitudine dinumerat.

Imaginem mortis.] Summa hæc ærumnoſi ſtatus amplificatio eſt, vbi ſemper mortis periculum, aut moriendi deſiderium occurrit. Aliis in locis, *vmbra* dicitur *mortis*, quod eſt maximè in ſacra Scriptura obuium. Eſt autem vmbra mortis,aut vbi ſeſe paſſim oſtentat moriendi neceſſitas,aut vbi vita ſic eſt miſera, vt inſtar obtineat mortis, aut quæ non ægrè à iuſto rerum æſtimatore commutari cum morte poſſit. Sic Ieremias cap.13.num.16. *Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis.* Vt autem ſtatus, quem habuerunt olim filij Iſraël, imago mortis dicitur nunc à Ieremia, ſic ab aliis ſæpe vmbra dicitur mortis,Pſal. 106. nu.11.& nu.14. *Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis.* Ponitur præterea pro eo 19.

Vmbra ſeu imago mortis quid.

B tempore, quod Chriſti anteceſſit aduentum: in quo cùm magna eſſet in hominis principis tenebrarum poteſtas,mórſque per peccatum ingreſſa latè dominaretur,verè in mundo vmbra videbatur mortis: quia in illo erat imago quædam mortis paſſim oberrans; aut à peccato,& morte amaræ mortis inducta caligo. Sic Iſaias cap. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Ad quem reſpexit Zacharias Lucæ cap. 1. *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent.* Quibus verbis optimè explicatur & diaboli regnum,& peccatoris ſtatus,qui in tenebris ſedent non aliter,atque in ſepulcris mortui, & in quo,

C abſcedente Deo,quo mouetur, & viuit, circumfert ſecum triſtem mortis imaginem.

Per terram,in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo.] Magna ſanè amplificatio regionis ſterilis, peſtilentis, & maiorem in modum execrabilis.Sed eſt dubium,an hyperbole ſit in hoc loquendi modo, an re vera ita contigerit, vt hoc loco ſimpliciter à Ieremia proponitur, ita vt ab omni ſæculo nemo per illam regionem ambulauerit, aut in ea domicilium habuerit. Poſterius veriſimile facit,quòd regio illa his ab aliis notatur nominibus, quæ nullo modo permittunt, quemquam in ea commorari. Deuteronomij 32. dicitur,*Locus horroris,& vaſtæ ſolitudinis.*& nomen, quod nunc audis, nempe *imago mortis*; aut, *vmbra* 20.

Deſertum Pharã à nemine habitatum.

D *mortis*, planè indicant, homines illius habitationem exhorruiſſe. Quis enim cùm ad habitandum regiones eſſent aliæ ſpatioſæ,atque vberes, eum ſibi deligeret locum, in quo ſemper ante oculos imago obſeruaretur mortis? Deinde, in parte illa,quæ deſertum,aut ſolitudo dicitur,non legimus occurriſſe quemquam filiis Iſraël, aut cum illis habuiſſe commercia, donec ad Amorrhæorum terminos ventum eſt.

Eſt tamen mihi veriſimilius, regionem illam ſecundùm ſaltem aliquam illius partem, habitatam eſſe:nam Geneſis 21. Iſmaël habitaſſe dicitur in regione Pharan, quæ ad deſertum pertinet, quam etiam olim, hodiéque incolunt Ma- 21.

Aliqua pars deſerti habitata.

E dianitæ Iſmaëlis filij.Et de Sina,quę ad Hebræorum peregrinationem ſpectat, nemo dubitat: nam & ibi pauit Moyſes greges, & ſocer eius Iethro Sacerdos Madian domicilium habuit. De hoc nemo, credo, dubitat; de illo tamen tractu, qui eſt à deſerto Sin,vſquè ad Cadeſbarnæ, alia ratio eſt;quia regio talis eſt, qualis hîc à Ieremia deſcribitur; *Terra nempe,inhabitabilis,inuia, terra ſitis,& imago mortis.* Et quidem de hac primùm ſic cenſeo. Quo tempore filij Iſraël in ea ſolitudine peregrinati ſunt,terram fuiſſe deſertam,& à cultore vacuam. Hoc mihi ſuadent, quæ nuper ad- 22.

duxi. An verò poſt tempus illud habitari cœperit, dubitare meritò non nemo poſſet. Quia ea maximè de cauſa vaſta ad illud vſque ſæculum illa regio fuerat, quia ſterilis erat, & inaquoſa, neque ſeminari poterat, aut arari. At poſtquam è ſaxo Deus aquas produxit, vſque adeò vberes, vt implere totam potuerit innumeræ gentis, & gregis copioſiſſimi ſitim: quæque aridam terram in ſtagna conuerterunt: credo, magnam illius regionis partem habitari cœptam ab hominibus, illam nimirum, quam fons, qui è lapide ſcaturiit, irriguam fecit, & opportunam ſementi. Eſt enim ſatis probabile, quod Abulenſis putat in caput 20. Numerorum, quæſtione 2. & 3. vbi ait, Ex eo tempore, quo tranſierunt Iſraëlitæ, factam eſſe Arabiam habitabilem, propter aquas excuſſas è ſilice, quæ adhuc perſeuerant, cùm priùs propter ſiccitatem, & æſtum, habitari non poſſet. Vide quæ nos in noſtris Commentariis diximus ad illud Iſaiæ 43. *Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones, quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio.* Ex quo loco colligebam durare adhuc aquarum profluuium, quando dracones, propter aquas miraculosè in illam regionem aridam influentes, laudaturi dicuntur eſſe Deum.

23. *Poſt eductā aquam de petra deſertum habitabile.*

Quod verò dicitur, *nec ambulauit in ea*, per hyperbolem dictum eſſe arbitror, aut certè, iuxta ſacræ Scripturæ conſuetudinem, quæ id negat factum, aut fieri poſſe, quod perquàm rarò fit, aut fieri poteſt perquàm difficilè, quomodo dicimus, non dimitti peccatum contra Spiritum ſanctum, aut eos, qui ſemel ſunt illuminati, non poſſe renouari. Vide quæ diximus ex Nazianzeno infrà, ad illud cap. 13. n. 14. *Si poteſt Æthiops mutare.*

24. *Carmelus, pro loco vbere ac lato.*

Verſ. 7. *Et induxi vos in terram Carmeli.*] Carmelus nomen montis ita vberis, & ſpecioſi, vt in rerum pulcherrimarum comparationem aduocari ſoleat. Iſaias cap. 35. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli.* & capite 29. *Carmel in ſaltum reputabitur.* Quemadmodum Tempe, & Heſperidum horti pro locis lætis, & ad hominum delicias comparatis adhibentur. Nihil ergo Dominus ſignificat aliud, quàm populum illum è ſquallida, atque ſterili, in vberem, ac lætam poſſeſſionem fuiſſe tranſlatum, quæ ſit inſtar Carmeli, vt clariùs expreſſit Chaldæus.

25. *Terra promiſſionis quomodo propter peccata abominabilis.*

Et ingreſſi contaminaſtis terram meam, & hereditatem meam poſuiſtis in abominationem.] Dedit populo Deus poſſeſſionem, & feracis glebæ, & pulchritudinis eximiæ: populus verò, dum ſuo ſe magis arbitratu regit, quàm Diuino, exuſſit ſpeciem illam, & ſqualorem, & horrorem induxit, fecitque, vt decori antiquo macies, abominatióque ſuccederet, quia ea in Deum admiſerunt peccata, propter quæ felix illa regio, negato cælitus imbre, ſpeciem perdidit antiquam: neque cultoribus operæ in agro colendo poſitæ reddidit fructum, aut non niſi pertenuem. Quod ſæpe clamant, & deplorant Prophetæ, Ieremias infrà capite 12. numero 4. & capite 14. numero 4. Aut certè contaminata dicitur, quia in regionem priùs Deo conſecratam, idola omnium ferè Gentium induxit, & eam Gētilica illa abominatione, atque immunditia, immundam fecit, & abominabilem. Eſt autem in ſacra Scriptura frequens, vt idololatria abominatio dicatur, & ſordes; & hoc ipſo capite numero 23. polluta dicitur gens, quæ ſecuta eſt Baalim.

26. Verſ. 8. *Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt Dominus?*

A *& tenentes legem, neſcierunt me; & paſtores præuaricati ſunt in me: & Prophetæ prophetauerunt in Baal.*] Totum populum contaminatum eſſe ait, & ab eo, quod in ſuo quiſque munere præſtare debuit, defeciſſe. Et licet de ignobili, atque imperita plebe nihil dicat; ſatis tamen oſtendit, illam eſſe corruptam, diſſluxiſséque poſt idolorum ſordes, cùm illius capita, atquè rectores peruertiſſe omnia, & idolorum ſuperſtitionibus addictos fuiſſe commemorat. Illos verò omnes plena dinumeratione complectitur, docétque quale ſit cuiuſlibet illorum ordinum officium. Sacerdotum proprium eſt, vt Dominum quærant, eiúſque cultui & ipſi vacent, & reliquos ad veri Dei cultum, & honorem hortentur: ipſi tamen tam fuerunt ſui muneris, ac pudoris obliti, vt neque de loco, vbi colendus eſt Deus, aut quæſierint, aut cogitarint. *Tenentes legem.* id eſt, legis periti, qui & ſcribæ: qui aſſiduam ſacrarum literarum lectioni, atque doctrinæ operam nauare debuiſſent, vſque eò datum ſibi nomen, & partes neglexerunt, dum in ſtultis idolorum figmentis operam, & tempus perdunt, nihilo plus in cognitione legis, quàm cætera multitudo progreſſi ſint. *Paſtores,* quo nomine in ſacra Scriptura ſæpe Principes vocantur Reges, in qua etiam *paſcere, regere* eſt, qui à Domino paſcendo gregi, id eſt, in officio continendo præpoſiti ſunt, præuaricati ſunt in Deum, dum ſe ipſos, & commiſſum ſibi populum abducunt ab eo, cuius omnibus ſtudiis religioni ſeruire, & voluntati omnino obſequi debuiſſent. Ad extremum *Prophetæ*, quorum erat proprium, accepta à Deo oracula ad populum denunciare, Dæmonum eluſi præſtigiis figmenta vana, quaſi à Deo vera excepiſſent oracula, proferebant Spiritu afflati, non tam Diuino, quàm furore inſtincti, atque exagitati diabolico. Dicuntur autem Prophetæ, qui pſeudo erant prophetæ, cùm tamen cum Prophetis nihil haberent commune, præter nomen: ſicut etiam dæmones & idola vocantur dij, cùm tamen ab eius nomine, & dignitate, totis aberrent vniuerſi ſpatiis. Quia Scriptura ſacra hominum in loquendo conſuetudinem ſequitur. Homines verò idola Gentium deos appellant, & eos, qui cultu, atque habitu ſunt prophetico, etiamſi vana, atque ſtulta fundant vaticinia, Prophetas ſalutant. Sumitur autem hoc loco Baal per ſynecdochen, pro quocunque dæmone, ſeu idolo; aut certè Baal commune nomen eſt, quod idolis omnibus accommodari poteſt, cùm *dominum*, aut, *dominantem* ſignificet.

Quid proprium Sacerdotum, & Doctorum.

27. REGVL. *Scriptura hominum conſuetudinem in loquendo ſequitur.*

28. *Quomodo parentum peccata filij luant.*

Verſ. 9. *Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo.*] Iudicio contendere eſt, ſuum quaſi ius perſequi, & ſummo cum aduerſariis iure agere, aut vbi mitior cum illis diſceptatio eſt, oſtendere ſaltem, quid illorum meritis ſupplicij debeatur: neque tantùm dicit, agendum eſſe iudicio, ac lege, cum his, qui præſentes aderant, ſed etiam cum eorum poſteris, quia & ipſi à parentum veſtigiis non diſcedent; & parentum peccata eiuſmodi ſunt, vt eorum ſuppliciis non ſatis expiari, aut mulctari poſſe videantur. Vbi Vulgatus, *cum filiis veſtris,* textus Hebraicus habet, *cum filiis filiorum:* qui dicendi modus poſteritatem indicat, vt eſt illud Latini Vatis,

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Et ſanè quocunque modo capias, nati natorum pœnas pro parentum erratis diuturnas dedetunt,

runt, longo captiuitatis tempore. Sed quia in Scriptura filiorum nomine, quantumcunque longa ſignificatur poſteritas, idem eſt ſenſus, ſiue *cum filiis* legas, ſiue *cum natorum filiis*, licèt illud minùs explicatè.

29. Verſ. 10. *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte: in Cedar mittite, & conſiderate vehementer.*] Amplificari ſolet, & augeri facti alicuius turpitudo, aut dignitas, illarum rerum comparatione, quæ in eo genere abeſſe maximè videri poterant, quod laudatur, aut reprehenditur. Quomodo Iſaias cap. 1. ſtuporem aſini, ac bouis ſuperari dixit ab Iſraële. Nunc ergo Deus populi ſui perfidiam, & leuitatem exagitat illorum exemplo, qui vt loco, ſic etiam longè aberant à religione, quam à Deo vero iam dudum accepit Iſraël; illorum nempe, qui inſulas habitabant Cethim, in quibus alij etiam intelliguntur populi, quos longè diſſitos à Iudæis vana deluſit, atque imbuit deorum ſuperſtitio. Illorum item comparatione, qui licèt non abeſſent procul à Iudæorum finibus, ingenio tamen erant agreſti, & tardo, apud quos nemo fidem ſperaret, aut in ſuſcepta religione conſtantiam. Cùm autem tam hi, quàm illi, neque deos mutauerint, neque ab accepta religione defecerint, apparet multò magis, quanta fuerit Hebrææ gentis & leuitas, in mutando quotidie, aut aſſumendo idolorum cultu, & in deſerendo Deo, patriáque religione, quanta perfidia.

30. *Cethim quid.* De Cethim diximus plura in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam, ad illud: *Super omnes naues Tharſis*; vbi oſtendimus inſulas omnes, quæ ſunt à Cypro ad Occidentem versùs, & regiones, quæ illis adiacent inſulis, appellari Cethim: ſicut Tharſis vocantur, quæ ab eadem inſula ad Orientalem plagam, & Aquilonarem aſcendunt. Eſt autem mihi valde probabile, inſulas omnes, quæ à Cypro ad Occidentale mare pertinent, ad Gades vſque, & fretum Herculeum, ſorte contigiſſe Cethim Iauæ filio (nam Iauæ filiis Tharſis, Cethim, Eliſam, & Dodanim diſtributas eſſe inſulas, docet caput Geneſeos 10.) à quo accepêre nomen, ſicut etiam à ſuis conditoribus regiones aliæ; ſiue illæ inſulæ ad mare Libycum, ſiue ad Græcum, ſiue ad Italicum pertineant. Immo & regiones, quæ ex continente reſpiciunt inſulas illas, non ſecus atque inſulas, appellari exiſtimo Cethim. Quod mihi facilè perſuadeo, quia Vulgatus Cethim aliquando Italiam conuertit. Numerorũ 24. *Venient in triremibus de Italia*, Hebraicè *Cethim*. item Ezechielis 27. & Danielis 11. Et Alexander Macedo, qui è Græcia exiit, egreſſus eſſe dicitur de terra Cethim, 1. Machabæorum 1. Neque mihi improbabile eſt, nationes omnes, quæ procul à Palæſtina diſſitæ ſunt, quamcunque in partem ſpectent, modò ad illas nauibus tranſeundum ſit, appellari Cethim, figuratè tamen, & impropriè, quomodo regiones omnes longinquas, aut inexploratas Indos vocamus.

Cur verò Cethim, ſeu Cethæorum præſertim meminerit Ieremias, ea ratio eſt, quia gens illa, quæ Occidentem ſpectat, plurimos coluit deos, & tunc ſe magis religioſam putabat, ſi nullam reſpueret religionem. Adeò vt Græcia Deo, quem ignorabat, aram erexerit, ſub hoc titulo, *Ignoto Deo*, vt habes in Actis Apoſtolorum.

31. *Cedar quid.* Quid ſit Cedar, & quo ingenio, diximus ad illud Iſaiæ 60. *Omne pecus Cedar congregabitur*, vbi diximus, gentem eſſe, quæ vt vitam inſtituit

A agreſtem, paſcendis pecoribus addictam, ſic etiã ſyluestre habet, neque valde à pecorino diuerſum ingenium. Ciuitates enim fugiunt, in tabernaculis degunt, belluis magis quàm hominibus noti. In hoc tamen inculto, atque horrido vitæ genere tenaciùs ſeruant quam imbibere primam religionem, quàm Iudæi, qui ciuili cultu, & politioribus diſciplinis mores ſuos excoluerunt.

Verſ. 11. *Populus verò meus mutauit gloriam ſuam* 32. *in idolum.*] Fatentur omnes in *gloria* ſignificari *Deus dicitur gloria.* Deum, quod alibi in ſacra Scriptura non raró reperitur. Pſalmo 3. *Tu es gloria mea.* Et eodem quo Ieremias modo ac ſenſu Dauid Pſalmo 105. *Mutauerunt gloriam* (ideſt, Deum ſuum) *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, & Paulus ad Ro-

B manos capite 1. *Mutauerunt gloriam corruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Dicitur verò Deus *gloria*, aut paſſiuè, quia laudari debet, & glorificari à cultoribus ſuis: vel actiuè, quia Deus cultores ſuos glorioſos reddit, & honoribus cumulat. Iuxta illud: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* & hic ſenſus ſecundus magis mihi probatur, quia grauior eſt ad inſtitutam querimoniam, & ad explicandum ſtolidæ gentis ſtuporem ingentem. Et hanc ſententiam ſequutus eſt Chaldæus, qui ſic locum conuertit: *Et populus meus deſeruit cultum meum, propter quem ego induco ſuper eos gloriam.*

Hæc Hieronymus optimè putat accommo- 33.

C dari poſſe ad illos, qui aliquando inanes ſæculi *Deo ita ſeruiendum, ſicut antea vanitati.* nugas aucupati à vanitate tandem ad ſolidum virtutis ſtudium conuerſi ſunt. Qui dum vanitati ſeruierunt, nulla vis, aut ratio ab eo, quod aut carnis blandimenta, aut hominum iudicia magnum, aut expetendum proponebant, amouere poterant. In his ergo duas quaſi perſonas conſiderat Hieronymus, alteram Cethæorum, aut Cedarenorum, qui nunquam deos ſuos, fallaces licèt, & inutiles, prodiderunt; alteram illorum, qui à Cedareno ſtupore, ſeu ſuperſtitione Cethæa liberati, veram religionem amplexi ſunt. Admoneri hi, vt inquit Hieronymus, deberent, vt tam conſtanter, ac fideliter Deo, in cuius ſe complexum, & fidem tradiderunt, inſeruiant, quam ſtudipsè priùs, cùm Cedareni eſſent, ac Cethæi va-

D nitati ſeruierant, ac fugaci gloriæ. adducitque illud Pauli ad Romanos 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.*

Verſ. 12. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc.*] Vehemens 34. hæc proſopopœia commotum eſſe docet ingenti dolore Diuinum pectus, & grauem eſſe plagam, quam minatur, & ſcelus non iam ampliùs ferendum, quod vocem illam magni doloris, atque offenſionis teſtem expreſſit. *Obſtupeſcere*, & quod ſtatim additur, *deſolari cælos*, idem eſſe puto, quod obſcurari, neque iam hominum vſibus ſe præbere, vt antè, opportunos, & faciles, quomodo alibi

E ſæpe in graui calamitate tabeſcere dicuntur, complicari, ac ſolui. Sic Iſaias capite 34. *Et tabeſcet omnis malitia cælorum, & complicabuntur, ſicut liber cæli: & omnis militia eorum deſluet.* Idem penè iterum capite 13. & Ieremias capite 4. & magis ad hunc locum Ioel capite 2. *Moti ſunt cæli; Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* vide quæ in hanc ſententiam diximus in caput Iſaiæ 34. Quia verò ſtupor mentem indicat alicui ereptam, quod contingere plerunque aſſolet, vbi aut ingens dolor, aut grauis admira-

tio, aut ſubitus aliquis caſus hominem inceſſit; ad ſuperiora ſtuporis nomen aliquid addit incrementi. Quaſi dicas, Ea eſt hominum impudentia, ea neglectæ religionis indignitas, vt ſi animatum eſſet cælum, obſtupeſceret, & dolor illi de tanta improbitate conceptus vim omnem eriperet ſentiendi. Vide quo loco ponat Deus contemni ſe ab hominibus, ac ſuo præferre Numini ſordidiſſima idolorum portenta: quando illa edi è cælo doloris, ac ſtuporis ſigna iubet, quæ moriente Chriſto poſtea edidit, tenebris in terram vniuerſam inductis (cui cogitationi fauet plurimùm Septuaginta tranſlatio, *Obſtupuit cælum ſuper hoc, & inhorruit extra modum vehementer.*) Admiratur etenim, obſtupeſcitque cælum, deſpecto Deo, póſtquehabito rebus indigniſſimis; ſicut in crucem acto, & ibi per ſummum ludibrium, atque ignominiam moriente.

Grauiſſimè fert Deus ſe ab hominibus deſeri.

35. *Et portæ eius deſolamini vehementer.*] Vbi Vulgatus *portæ eius*, Hebraicè eſt, שערו *ſaaru*, pro quo alij verterunt, *exhorreſcite.* Pagninus, & Vatablus, & ex parte Septuaginta, qui paulò antè vertunt, *obſtupuit cælum, & inhorruit.* Noſter verò Interpres legiſſe videtur שעריו *ſearau*, ideſt, *portæ eius.* Sed ſi benè expendas, idem eſt, aut certè non admodum diuerſus ſenſus. Deſolari etenim portas, nihil eſt aliud, quàm effringi, aut conuelli, id quod in cælo plus videtur habere firmitatis, ſumpta à ciuitatibus metaphora, in quibus maximum præſidium in illarum portis ſitum eſt. Quid verò deſolari, quid portæ ſignificent, obſcurum eſt. de portis priùs. Sanctus Thomas, qui in cælis Angelos intelligit, in portis cælorum Angelorum Principes ſignificari putat. Quidam hæc non de ſummo, ſed de aëreo cælo interpretantur (nam & aërem cælum vocari, tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores ſatis eſt compertum) quod obſtupeſcere, atque horrere ſolet, cùm tonitrua ciet, vibrat fulmina, & fulgetris coruſcat. Huius verò cæli portæ vocari poſſunt cataractæ, quæ dum ſeſe aperiunt, & quaſi deſolantur, imber decidit largus, & torrens, qui quod habet obuium, latè populatur, & perdit. In hanc ſententiam Dionyſius, & Lyra; iuxta quam Deus præcipere videtur nubibus, vt ad puniendam ſceleratorum inſaniam expromant illa, quæ in diem belli, & pugnæ ſeruata ſunt. de quibus Iob cap. 38. *Num quid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? quæ preparaui in tempus hoſtis, in die pugnæ, & belli?*

Peccatorum ſupercilia.

36. Mihi multò probatur magis illorum ſententia, qui hæc de illo capiunt, quod citra figuram vllam, aut ſimilitudinem appellatur cælum. Tunc verò portæ cæli figuratè vocari poſſunt aut cæli cardines, in quibus tota cælorum voluitur moles, ſicut portæ in ſuis ſe cardinibus verſant: aut ortus, & occaſus, per quos quaſi per portas ingrediuntur, atque egrediuntur noctes, & dies. Aut certè Sol, & Luna, & aſtra reliqua portæ ſunt cæli, quia per illa ad hominum vſus, vniuerſique ſpeciem, quaſi per portas infinitæ propè commoditates expromuntur. Et quidem aſtra appellata fuiſſe cælorum feneſtras, alicubi me legiſſe memini, auctor non ſuccurrit. Quocunque modo ſumas, non eſt explicatio difficilis. Erit enim tunc ſenſus; obſcuranda hæc eſſe, vt & hominum inſaniam deplorare, & eorum punire flagitia videantur. Si tamen in portis nobiliſſimam, atque firmiſſimam cælorum partem eſſe putes, quales in ciuitatibus, apud Hebræos, à quibus ducitur metaphora, portæ ſunt, non erit nimis aut apta tranſlatio, aut accommodata ſententia. Quod patebit multò magis, vbi quid ſit deſolari, ſtatim explicuerimus: ſignificatur enim, cum futurum ſtuporem, & quaſi conſternationem animi in iis etiam partibus, quæ in cælo ſolidiſſimæ ſunt, vt illis quoque deſolatio, ac vaſtitas immineat, de qua ſtatim.

Vbi noſter *deſolamini*, Hebr. eſt חרבו *Chorbu*, 37.
quod ſolitudinem, vaſtitatem, & demolitionem ſignificat. Quare *deſolamini*, non indicat mœrorem, aut luctum, ideſt, *non conſolationem*, ſed ruinam: non enim à *ſolor* deriuatur, ſed à *ſolo*, cui coæquari dicuntur illa, quæ ſternuntur, & cadunt. Deſolari autem dici cæli poſſunt, & aſtra, quando ſplendorem ſubtrahunt, & inductis tenebris ſpeciem amittunt: ídque iuxta hominum ſenſum, cui ſe ſacra Scriptura frequenter attemperat; qui tunc aliquid periiſſe exiſtimant, cùm non apparet. Scimus olim exiſtimatam eſſe Lunam, cùm eclipſim patitur, abſorberi à dracone, atque ideo obſtrepi ab hominibus, ne illa æternum ſubiens defectum interiret. Scimus homines olim etiam non inſipientes ſemiſphæricam exiſtimare cælorum formam, quia talis apparet, cui ſe cogitationi Scriptura ſæpius accommodat, vt docuimus ad illud Iſaiæ 13. *à ſummitate cæli.* Sic etiam perire putant cælos, aut deſolari, cùm eorum non apparet ſplendor; aut cùm vibrato fulmine, & crebreſcente tonitru, emicante flamma, diſrumpi videntur, aut tabeſcere. Cùm ergo deſolandi cæli dicuntur, accommodatè ad hominum cogitationem, perituri dicuntur, quomodo periiſſe, aut deſolati dici potuerunt, cùm in cruce Chriſtus ſpiritum emiſit? & quando extremo ſæculorum articulo Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, & cælum tanquam ſaccum induet cilicinum, neque quicquam apparebit reliquum ſplendoris antiqui.

Regvla. Aliquid tunc periiſſe exiſtimatur, cùm nõ apparet.

Hunc ergo ſenſum proprium eſſe puto, neque 38.
tamen admodum pugnauerim, ſiquis in cælis mœrorem interpretetur, & luctum: quod nonnulli faciunt, propter aliam ſacræ Scripturæ conſuetudinem, quæ id, quod deſertum eſt, atque ſubuerſum, in luctu eſſe, atque in ſquallore dicit; aut quia lacrymas commouet, & ad lugendum inuitat, quomodo dicimus, Spiritum ſanctum clamare, qui clamare facit: ſeu per metaphoram, quæ deſerta, atque vaſtata lugere videntur, ſicut quæ pulchra ſunt, ridere, ſeu lætari. Sic Threnorum 1. *Viæ Sion lugent*, quia herbis iam ac fructibus obſitæ ſunt, quæ multorum antea pedibus tritæ. Sic Ieremiæ 14. *Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt.* ideſt, euerſa eſt. & Iſaiæ capite 33. *Luxit, & elanguit terra.* & capite 3. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit.* Itaque ſi pro *deſolamini*, aliquis, *lugete*, verteret, aut *dolete*, non me haberet ad illam explicationem difficilem; dummodo iuxta prædicta, in dolore, ac luctu excidium, aut vaſtitatem intelligeret.

Lugeo, idem quod pereo.

Eſt tamen hîc aliquid obſeruandum in tranſ- 39.
latione Vulgati: nam cùm præceſſiſſet in plurali numero *cæli*, ſtatim additur, *portæ eius* in ſingulari, cùm *portæ eorum* dicèdum videretur. Cui ego difficultati duobus modis occurrere poſſe videor, primus natus ex voce ipſa שמים *ſamaim*, quæ tantùm in plurali forma reperitur, in qua ſicut alia eiuſdem rationis nomina in omni fermè idiomate, rem etiam ſignificat ſingularē, ſicut Athenæ, Thebæ. Quare noſter Intetptes, & alij ſæpe pro

pro שמים cælum in ſingulari reddiderunt. Cùm ergo vox שמים rem etiam ſignificet ſingularem, Scriptura ſacra, quæ non tam aliquando numerum, aut genus, quàm vocis ſignificationem ſpectat, ſignificationi ſingulari, ſingularis etiam numeri pronomen affixit. Quod in ſimilibus fecit ſæpe, vt Matthæi 15. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum.*

40. Alter modus natus eſt ex Hebraici ſermonis proprietate, in qua adiectiuum, aut verbum, ac etiam pronomen ſingulare, nomini adiungitur plurali, vt Pagninus docet libro 4. inſtitutionum, capite 15. apud quem habes exempla plurima. Solet autem per ſingularem numerum pluralis, qui anteceſſerat, in ſuas diſtribui partes, vt idem Pagninus ſuprà. Geneſis 27. Hebraicè: *Maledicentes tibi maledictus, & benedicentes tibi benedictus.* ideſt, quicũque eorum, qui maledixerunt, maledictus erit, &c. & 49. *Filiæ incedebat,* ideſt, quælibet filiarum; 1. Regum 4. *Oculi caliginis;* quilibet oculorum. Sic etiam cùm dicitur, *Obſtupeſcite cæli, & portæ eius,* ſenſus erit, *Quodlibet cælorum obſtupeſce, & porta eius, &c.* Adde, quod tunc maximè contingit, vt Pagninus docet libro 2. capite 4. quando nomen propter honorem, aut excellentiam aliquam, in numero ponitur multitudinis, vt de Ioſeph Geneſis 42. numero 30. Hebraicè dicitur, *domini terræ,* pro, *dominus terræ.* & Ioſue capite 24. numero 19. exemplum affert huic quàm ſimillimum; *Dij ſancti ipſe,* pro quo Vulgatus, *Deus enim ſanctus.* Cùm ergo cælum ſublime ſit, ſpecie pulchrum, & natura nobile, data illi videtur pluralis forma, cùm tamen rem ſignificaret ſingularem, ad quam affixum, ſeu pronomen, *eius*, reſpexiſſe videtur. Et quidem quodlibet cælorum in numero poni multitudinis, probat modus loquendi in Scriptura frequens, quæ cælos cælorum appellat empireum cælum, ideſt, cælorum maximum, & ſupremum. Scio alias eſſe rationes, cur Hebraicè cælum in numero ſignificatur plurali, quas ego magis probo, ſed hæc interea ratio mihi non diſplicet.

Pluralis numerus pro ſingulari aliquãdo ponitur. Gen. 42.

41. Verſ. 13. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas.*] Stuporis, deſolationíſque cælorum cauſam iam antè propoſuerat, quòd nempe gens illa veſana, contempto Deo, ad impium idolorum cultum diffluxiſſet. Idem nunc iterat, & apta quadam ſimilitudine declarat, quæ Hebræorum coniunctam cum impietate ſtultitiam oſtendit. Duo verò hîc aperiuntur mala: alterum, relictum eſſe Deum, à quo indeficiens ſperari bonum poterat, ſicut è iugi fonte viua hauritur, & indeficiens aqua: alterum, abiiſſe poſt idola, à quibus ſperari nihil poterat, ſicut neque à hianti, ſeu perforata ciſterna, quæ à ſe nihil habet aquæ, & ſiquid aliunde collegiſſe videtur, illud retinere ſibi, & ad aliorum vſum conſeruare non poteſt.

Duo in peccatore, auerſio, & conuerſio.

42. Nemo hîc dubitat, Deum fontem eſſe viuentis aquæ, ideſt, qui à ſe habet, non aliunde collectam, quam ad hominum vſus vbertim, & continenter effundat. Dicitur verò aqua viua, quæ ſuomet nutu fluere, ac moueri videtur, quod proprium eſt viuentis opus. Sicut flamma dicitur viua, & viuum argentum, quia motum habere videntur naturalem. quomodo etiam viuam appellamus fidem, quæ non eſt otioſa, & ſegnis, ſicut aqua ſtagnans, & in lacu concluſa. Quid capiat ager ab aqua viuente fœcundus, & irriguus,

Deus ſicut aqua viua quid boni afferat?

A docet locus ille ſterilis, de quo nuper, in quo priùs erat horror, & imago mortis, pòſt verò cum ſpecie pulchra, & irriguò ſolo conſequutus eſt multiplex vſus, & inexpectata commoditas. Hanc capit quotidie, qui Deo ſe familiariter adiungit, qui plantatus eſt ſecus decurſus aquarum, qui vitam captat à viuenti fonte, & eius influxu, nouos in ſingula momenta parturit fructus, in quem illud conuenit Iſaiæ capite 58. numero 11. *Eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficiunt aquæ.*

Ciſterna dicitur, quæ alibi *lacus*, quæ alienas colligit aquas, & eas plerunque in terra promiſſionis pluuiales: quæ, quia ſtagnantes, niſi magna adhibeatur diligentia, cœnoſæ ſunt, & odoris ingrati, quas ſi perforari, aut rimas agere contingat, nihil afferunt hominibus præter merum cœnum, anhelitum noxium, & graue faſtidium: aut (ſiquid aliud petas) obſcœna quædam animalia, & turpia, quæ è putri, ſordidáque materia, aut certè in cœno fœtenti, ac putri generantur. 43.

B

E mundo nihil niſi noxium & vile.

Hæc Irenæus hæreticis accommodat, qui ab Eccleſia diuulſi ad aliam abeunt. *Qui non participant eum* (Spiritum nempe Dei) *neque à mammillis matrum nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem, ſed effodiunt ſibi lacus detritos de foſſis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Eccleſiæ.* Hæc etiam nos ad eos transferre poſſumus, qui humana captãt commoda, Diuinorũ immemores. Qui cùm ſemper inhient, nunquam tamen ſatiare poſſunt, aut pacare vrentem illam ſitim æſtuantis animi. Quod etiam optimè in viros religioſos quadrat, qui, vt afflictiones, quæ, neceſſe eſt, aliquando inuadant piorum animos, ſedare, aut declinare ſtudent, orationem faſtidiunt, neque Diuinum meditantur, aut quærunt perfugium, à quo vera conſolatio petenda, ſed ludicra potiùs aucupantur, & vana oblectamenta, à quibus ægri animi nihilo magis leuamenti accipiunt, quàm à ciſterna diſſipata, & arente diuturnæ ſitis ſedamentum. 44.

C

Terrenarũ rerum quãta futilitas.

D Porro prouerbiali, vt reor, figura *ciſterna diſſipata*, aut *vas contuſum, atque confractum*, pro re ſumuntur vili, nulliúſque vſus: quia ſeruare non poſſunt creditum ſibi liquorem. Sic appellatur homo futilis, qualis à Terentio deſcribitur. *Plenus rimarum ſum, hac, & illac perfluo.* Eo ſenſu dixit Ieremias capite 22. numero 28. *Nunquid vas fictile, atque contritum vir iſte Iechonias?* quod de diis gentium affirmauit Baruch capite 6. numero 58. *Sicut vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt & dij illorum.* 45.

PROVERB. *Ciſterna diſſipata.*

Verſ. 14. *Nunquid ſeruus eſt Iſraël, aut vernaculus? Quare ergo datus eſt in prædam?*] Iudicio Deus cum populo contendebat Iudaico, vt vidimus, ſuámque cauſam iniquis etiam iudicibus examinandam tradiderat. Nunc à ſe remouet, quòd in ipſo incuſare poterat non nemo. Diceret enim aliquis, Deum aut durum eſſe dominum, aut inclementem patrem, qui filium vendidiſſet, aut immitibus hoſtibus tradidiſſet in prædam. Quibus occurrit Dominus, & affirmat à ſeruili conditione alienum fuiſſe populum illum, quem ipſe filium, immo & primogenitum filium ſibi eſſe voluerit. Quod cognouerunt ipſi quoque Iudæi, & in eo ſibi nomine maximè placebant. Ioannis capite 8. *Semen,* inquiunt, *Abrahæ ſumus; & nemini ſeruiuimus.* Quòd autem in hoſtium poteſtate ſit, id non obliuioni 46.

E

Peccator ſua culpa perit.

obliuioni Diuinæ,aut inclementiæ tribuendum, ſed illorum peccatis,vt numero ſtatim 17. magis declarat. Neque enim tam Deus populum illum à ſe repulit, quàm populus ille receſſit à Deo, ſeruitéque voluiſſe viſus eſt illis, in quorum ſe nunc eſſe poteſtate queritur. Dixit hoc idem Iſaias capite 50. *Cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis.* Vide, quæ in hunc Iſaiæ locum adduximus. Tam verò ſeruus, quàm vernaculus liberi non ſunt,aut ſui ſibi iuris, aut imperij,eſt tamen aliquid in ipſis diſcriminis: nam ſeruus dicitur ille,qui emitur pecunia,& ab aliena poteſtate in noſtram tranſcribitur: vernaculi, qui nati domi ſunt, è ſeruili nempe vtero domeſtici partus. Quæ ſeruulorum differentia oſtenditur Geneſis 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis,tam vernaculus,quàm emptitius.*

Vernaculus quis.

47. Hîc præteritum pro futuro ſumi puto, quod familiare Prophetis eſt, quibus æquè certa ſunt futura, atque illa, quæ antè iam præterierunt. Neque enim populus ille Iudaicus,quo tempore hæc à Ieremia dicebantur, ſub Ioſia nempe, abducti captiui fuerant in Babylonem, aut Ægyptum. Datus itaque in prædam, idem eſt, atque in prædam dabitur. Quomodo in cauſam direptionis futuræ, & prædæ adducantur populi peccata in via olim commiſſa, dicemus ſtatim ſuo loco.

48. Verſ. 15. *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam: poſuerunt terram eius in ſolitudinem.*] Explicat, qualis illa futura ſit præda, in quam populus ille dandus ſit. Neque enim aliter in Chaldæorum manus dabitur populus, quàm agnus, aut ceruus in leonum fauces. Quare eò redigetur ciuitas, antea luculenta, & frequens, vt neque è multis vnus reliquus ſit, qui illius ruinas habitare velit. In leonibus autem Chaldæos adumbrari, videtur mihi certum, quia & ipſi fortes eſſe dicuntur, impauidi, atque appetentes ſanguinis. Et quidem Iſaias capite 5. eorum vocem rugitum eſſe leonum dicit, & vſque adeò tenaces eſſe prædæ, vt nemo ex eorum vnguibus eruere aut audeat, aut poſſit. Accedit quod ſtatim de Ægyptiis loquitur, tanquam de populo à leonibus illis diuerſo: *Filij quoque Mempheos*, &c. At præter Ægyptios, ac Babylonios, nulli vnquam populo dati vnquam fuerunt in prædam Iudæi,ad quos nunc agit Ieremias.

49. Verſ. 16. *Filij quoque Mempheos, & Taneos conſtuprauerunt te vſque ad verticem.*] Quid conſtuprare ſit,nemo dubitat, quo tamen ſenſu accipiendum, obſcurum eſt. Tres ego hîc inuenio cogitandi,atque exponendi vias; prima eſt,ſi in propria hæc ſumantur ſignificatione, ita vt re vera populus ille à Chaldæis, Ægyptiiſque ſubactus illorum ſuccubuerit intemperantiæ.Quod ignominiæ genus ſubiiſſe captiuum illum, & infelicem populum mihi certum eſt: quia id ſibi iuris aſſumebat inſolens victor; gens illa præſertim, quæ in omne libidinis genus erat effuſa, & quia id apertè docet Ieremias Threnorum capite 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda, adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt.* Quæ ſententia non improbatur ſancto Thomæ, qui illud, *conſtuprauerunt vſque ad verticem*, multiplicem interpretatur libidinem, quam omnia corporis membra patiuntur. Tam verò de Chaldæis intelligendum eſſe, quàm de Ægyptiis illud intemperantiæ genus, docet illa coniunctio *quoque*, quæ aliquid indicat Ægyptiis cum Chaldæis commune.

Secunda via eſt, ſi conſtuprationem idololatriam eſſe interpretemur; quod in Scriptura frequens, in qua nihil magis obuium, quam vt idolorum cultus fornicatio dicatur, aut adulterium. Cuius exempla nobis abunde ſuppetet Ieremias capite 9. Conſtuprata ergo dicitur ad ſummum vſque verticem,quia ita ſe apud Babylonios impensè dedit idolorum cultui, vt nullas illorum ſordes, nullum illorum proſtibulum horruerint. Quòd idola coluerint captiui Iudæi in Babylonia, docet capite 16. Ieremias. *Eiiciam vos de terra hac,in terram,quam ignoratis vos,& patres veſtri, & ſeruietis ibi diis alienis die, ac nocte.* Idem quoque feciſſe apud Ægyptios, & multò forſan impudentiùs, conſtat ex Ieremia capite 44. vbi cùm grauiter reprehéderentur à Propheta, quòd diis ſacrificarent alienis,obſtinatè reſponderunt: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus Reginæ cœli, & libemus libamina*; &c. & hunc ſenſum probat Hieronymus, Rabanus, &, ſanctus Thomas. 50.

Iudæi apud Chaldæos & Ægyptios idola coluerunt.

Tertia via eſt, quæ in metaphorico ſtupro omnia calamitatum genera conſiderat, quæ captiui ſubeunt, à duro, atque inſolente domino. ita Hugo,& Dionyſius,Lyra, & Maldonatus,neque diſplicet Caſtro, & mihi valde placet. Sumi autem exiſtimo genus illud oppreſſionis turpiſſimæ,de quo hîc etiam loqui Prophetam cenſeo, pro aliis ludibrij, atque ignominiæ formis, quibus obnoxia fuit gens Hebræa, apud Ægyptios, & Babylonios extorris, per ſynecdochen, quæ ſpeciem aliquam accipit pro toto genere. Illud verò, *vſque ad verticem*, ſi propriè loquaris, profundam indicat, multiplicémque libidinem, quam à victore ſubiit gens illa,in duram, ac fœdam turpitudinem data. Si verò conſtupratio illa metaphorica oppreſſionem ſignificet,& ſeruitutem duram,illius oſtenditur pondus,& acerbitas,cui impar eſſe videtur vis omnis humana, & quantumuis patiens tolerantia. Dolor enim ingẽs,& grauis calamitas eo fermè modo explicari ſolet.Sic Iſaias capite 1. *Vſque ad collum veniet.* & capite 30. de calamitate ſimili, *Quaſi torrens incidens vſque ad medium colli.* Sed grauius hîc indicatur infortunium, quando non tantùm ad collum, ſed etiam ad verticem aſcenſurum eſſe prædicitur.Poſſe tamen exponi aliter, neque incommodè ad metaphoram, neque alienum ab hiſtoria. Populus aliquis, aut bene conſtituta Reſpublica,qualis olim erat Iſraëlitica,corpus vocatur, quia in illa caput eſt, & pedes, & reliqua membra,tum excelſa, & robuſta, tum ſordida, atque infirma. Quæ verò infirma ſunt,& ignobilia, illa & primo loco, &,vt plerunque aſſolet, ſi quid incurrit aduerſum, grauiſſimè conflictantur: eò enim imminente malo,reliqua conſpirant membra,vt caput tueantur incolume. Ait igitur Propheta in illo graui, atque communi Hebrææ gentis exitio, neque parcitum eſſe Principibus, qui vertex erant, & caput Reipublicæ. Et ſanè ita accidit: nemo enim ignorat, quid Ioachim, & Sedecias, quid alij Iudæorum Senatores, & Principes ab hoſte Chaldæo paſſi ſint. Totum ſanè corpus graui eſſe vulnere violatum lamentatur Ieremias Threnorum 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda; Principes manu ſuſpenſi ſunt; facies ſenum non erubuerunt.* 51.

Prov. Vſque ad verticem.

Nullus ordo Iudæorũ nõ vexatus.

Adoleſcen

Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt: ſenes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium. Ecce totum Hebræi populi corpus conſtupratum, & ſaucium, vide, quomodo ne vertex quidem immunis fuerit à plaga. *Cecidit corona capitis noſtri.* Hanc capitis coronam Sedeciam eſſe putãt nonnulli, qui effoſſis priùs oculis ignobile apud Chaldæos ſubiit exilium. In his ſunt ſanctus Thomas, Lyra, Dionyſius, & Hugo. Sed de hoc poſtea ſuo loco: neque enim mihi admodum probatur.

52. Verſ. 17. *Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?*] Hic locus aliquos in eam cogitationem induxit, vt opinarentur, illa ſuperiora de rugitu leonum, & de conſtupratione Ægyptiorum eſſe intelligenda de ſuperiori aliqua calamitate, qua iam olim perfuncti fuerant Iudæi. ita Lyra, Dionyſius, & Caſtrus. ego hæc, vt antè dixi, de futura Iudææ vaſtitate, exilióque Iudæorum apud Babylonios, & Ægyptios intelligo, neque parum ad eam ſententiam faciunt, quòd pro *rugierunt*, & *conſtuprauerunt*, Hebraicè eſt, *rugient*, *& conſtuprabunt*. quod de re præterita dici non ſolet, ſicut contrà per præteritum, maximè apud Prophetas, explicari ſolent res futuræ. Neque locus iſte admodum premit. Significat enim, ideo populum iſtum illa ſubiturum incommoda, quia Dei opportuna conſilia à Ieremia, atque ab aliis Prophetis denunciata contempſerant: quæ conſilia vſitata ſacræ Scripturæ phraſi via nominantur. Ducebat Dominus ignarum illum populum, arreptæque ſemel ſententię tenaciſſimum per viam, quæ pacem oſtendebat, & quietem, nempe vt à ſe ſubſidium peteret ſalutis in rebus anguſtis, non ab Aſſyriorum, aut Ægyptiorum copiis. id eſt, fontem adirent viuentis aquæ, non diſſipatas, cœnoſáſque ciſternas, quæ nihil habent vtile, quod effundant. At illi quo tempore per viam procliuem, & apertam ad ſalutem, & pacem deducebantur à Deo, illo contempto, per ſcopuloſam, & arduam abiêre præcipites, inciderúntque miſeri in rugientes leones, & in conſtuprantes, indignéque vexantes Ægyptios. Hæc magis conſtabunt ex ſequentibus.

53. Verſ. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis?*] Deducebat Dominus errantem illum, & præcipitem populum, per viam expeditam, & facilem, ad ſecuritatem, & otium, ipſe tamen ſuo ſe conſilio, ſeu libidine agens, vires accerſebat, & nunc ab Ægyptiis contra Chaldæos, & non multò antea ſub Achaz contra Syriam, atque Samariam ab Aſſyriis; quæ conſiliorum nimiùm præceps inſania deduxit populum in Babylonem, vbi captiuus biberet ex Euphrate peregrino fluuio, & populi reliquias in Ægyptum, vt è Nilo turbidas hauriret, & fœculentas aquas. Hæc mihi vera, atque obuia eſſe videtur ſententia. nunc expendamus ſingula.

54. Capite 7. Iſaiæ edixerat Dominus ad Achaz eius populi Regem, ad quem nunc verba facit Ieremias, vt otioſo eſſet, atque tranquillo animo, & à ſe præſens expectaret conſilium; quod ſi non crederet, & externas mallet euocare copias, minatus eſt talia, qualia nunc eidem populo annunciat Ieremias, *Si non credideritis*, inquit, *non permanebitis.* Deinde deſcribit Iudæorum exi-

A tium, quòd ab Ægyptiis, atque Chaldæis comparatum eſt. Vide caput illud ab eo loco, *Adducet Dominus ſuper te*, numero 16. Quia ergo non horruit Aſſyriorum viam, ſed in illam ingreſſus eſt, vt auxiliares inde copias accerſeret, captiuus poſtea, vt priùs minatus fuerat Iſaias, & nunc à noſtro Propheta rurſus edicitur, aquas bibit Babylonici fluminis.

Admonuerat ſæpe Ieremias, vaſtata iam vrbe, 55.
& exuſto templo, ne populi reliquiæ ſpem ſuam in Ægypto ponerent, futurúmque affirmarat, vt malè ipſi apud Ægyptios, & cum Ægyptiis eſſet pereundum, vt in hac prophetia multi clamitant loci. Quia verò magis ſe Pharaonis auxilio,
B quàm Deo ſecuritatem, atque otium promittenti crediderunt, in Ægypto, quò ſe præſidij gratiâ contulerant, aquam biberunt turbidam, id eſt, vitam egerunt ærumnoſam, & fœdam: ac demum non minùs iactati ſunt crudeliter in Ægypto, quàm alij ex eodem genere Iudæi aut fame, & ferro in obſidione longa; aut oppreſſi onere, & ſqualore confecti in Babylonico ſolo interierunt.

Ad extremum obſerua, interdum tum à ſacris, 56.
tum à profanis ſcriptoribus dici, aliquem velle id, quod execratur maximè, cùm cauſam amat, vnde illud natum eſt, quod Theologi dicunt, velle indirectè, ſeu in cauſa. Qua ratione dicun-
C tur ſpoliari velle, qui theſaurum portant in via, quia id volunt, ex quo ſæpe ſolet ſpoliatio ſequi: & velle cadere, qui cum fortiore congreditur, quia ex eiuſmodi conflictu infortunium ſequitur, & ruina. Sic ergo exilium amant Babylonicum, & aquam turbidam è Nilo, id eſt, vitam in Ægypto laborioſam, & turpem, qui viam meditantur Aſſyriam, & Ægyptiam. Ait ergo Propheta, *Quid vis in via Ægypti?* id nempe, quod minimè vis, neque cogitas, vt ibi miſeram, atque ignobilem vitam agas.

REGVLA. *Id dicitur quis velle, licèt maximè oderit, quod in cauſa vult.*

Verſ. 19. *Arguet te malitia tua, & auerſatio tua increpabit te.*] Iudicij hîc formam quandam induxerat Deus, in quo populum incuſat ſceleris, & ſe ipſum ab omni culpæ ſuſpicione liberat. Nunc in 57.
D eadem iudicij forma accuſari dicit, damnaríque Iudæos ab iis peccatis, propter quæ dati ſunt in prædam. Peccata verò duo numerari, ſeu potiùs duo multorum peccatorum ſeminaria, malitiam videlicet, quâ ad idola, id eſt, ciſternas diſſipatas & rimoſas confugerunt, & auerſionem, qua à Deo viuentis aquæ fonte defecêre. Hinc enim orta eſt Solymitani fundi tota calamitas: atque ideo ſubiungit, *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum.* quod eſt epiphonema quoddam, & acclamata ſuperioris narrationis comprehenſio.

Verſ. 20. *A ſæculo confregiſti iugum meum; rupiſti vincula mea; dixiſti, Non ſeruiam.*] Iuxta textum Hebraicum aliter legunt omnes fermè iu- 58.
E niores, Pagninus, Tigurina, Vatablus, adde & Chaldæum: *A ſæculo confregi iugum tuum; rupi vincula tua; & dixiſti, Non ſeruiam.* Alij, *non præteribo.* Quòd ſi ita legas, ſenſus erit: Iam olim ab eo tempore, quo populus meus vocari, ac conſignari cœpiſti, confregi iugum, quod ceruici tuæ Rex impoſuerat Ægyptius; dirupi vincula, quæ tibi emergendi è dominatu duro facultatem abſtulerant; quibus obligata beneficiis, vt memorem animum, & gratum oſtenderes, dixiſti, Non ſeruiam diis alienis, aut non præteribo quam tu mihi legem imponere volueris. Sed planè aliter

Vulga

Vulgatus legit,& Septuaginta: qui ſine dubio codices habuerunt correctos magis:neque difficile fuit, à ſecunda perſona lapſum eſſe ad primam, cùm maxima ſit ſimilitudo inter illas; & multò maior inter עבד *abad*, ideſt,ſeruire, vt legit Vulgatus, & עבר *abar*, ideſt,tranſire,ſeu præuaricari,vt legunt iuniores.

59. Sed eſt adhuc in Vulgata lectione explicandum, vndénam ſumpta fuerit iugi, vinculíque metaphora:& an iugum à Domino, vel à ſponſo impoſitum videri poſſit? Hieronymus, quem Maldonatus ſequitur, à ſponſo cenſent: nam inter coniuges vincula intercedunt, quæ non animos ſolùm & fidem, ſed etiam corpus alligant:& iugum, à quo *coniuges* dicti, quia idem trahunt matrimonij iugum. de quibus Paulus 2. Corinthiorum 6.numero 14. *Nolite iugum ducere*(ideſt, matrimonium inire) *cum infidelibus*. Vtrunque verò coniunxit Latinus Poëta, cùm ſancta connubij iura vincula appellauit iugalia. Tunc verò ſenſus eſt:Iam olim, ô popule, cùm matrimonij fœdus primum iniuimus, recens adhuc confregiſti iugum,& vincula,quibus fidem tuam, & vitam alligaras,dirupiſti; & eò tandem prouectus es impudentiæ, vt libera,& petulanti voce apertè clamaueris, Non ſeruiam:ideſt, nolo,quod à fœmina ius coniugale poſcit,tuæ ſubeſſe voluntati, ſed aliorum experiri blanditias, & amatorum aliorum captare munera, & in ſinu foueri. Quam ſententiam explicare, & confirmare videntur, quæ ſtatim ſuccedunt: ſic enim cum illo populo agitur, quaſi cum adultera, quæ prodito coniugali toro, omnino ſe libidini proſtituit. Neque ego ab hac explicatione alienus ſum.

60. Alij verò ſunt, neque pauci, neque ignobiles, qui nō à ſponſo,ſed à Domino conſtricta lora,& impoſitum iugum arbitrantur.Tum quia iugum, & vincula, non tam coniugalem fidem, & illud fœdus ſacroſanctum, quàm ſeruilem conditionem oſtendunt. Neque ſeruituris nomen vxori vnquam accommodatum eſt: præſertim apud Hebræos, apud quos fœmina ita ſuberat viro, vt nihil ab eo pateretur ſeruile; immo vt in epithalamiis ſponſus Rex, ſic etiam ſponſa Regina vocabatur. Et Paulus ad Epheſios capite 5. amorem Chriſti in Eccleſiam formam eſſe voluit amoris,atque animi, quo viri affecti eſſe debent in vxores. Neque aliam ob cauſam è virili coſta formata mulier, niſi vt ex ea corporis parte,quæ media eſt,viri, ac fœminæ ſignificaretur æqualitas: ita Hugo de ſancto Victore,& Abulenſis in 13.caput Geneſis,quæſtione 1.

Ab vxore ſeruile nomen alienū.

Quare cùm neque ſponſus iugum imponat honeſtæ, atque ingenuæ ceruici, neque ſponſæ ſeruilis ſtatus in connubio ſit; neque ſponſus dicere potuit, *Fregiſti iugum meum*, neque ſponſa, *Non ſeruiam*. A dominatu ergo potiùs,quàm à cōnubio petenda videtur iugi, vinculorúmque tranſlatio.Et ita videntur exiſtimare, qui in vinculis, & iugo legem intelligunt. Hæc verò non tam ſponſa à ſponſo, quàm ſeruus accipit à domino,ſuperiorique poteſtate.

61. Sumitur metaphora primùm à belluis efferis, atque indomitis, quas ſiquis condocefacere velit,& ad iugum agere, aut oneri ſubmittere, iugum excutiunt à ceruice,& onus è dorſo,& dum eluctantur,vt ſe ab aliorum dominatu exſoluant, diſrumpunt vincula, dicúntque in ardenti illo libertatis ſtudio, *Non ſeruiam*. Quod credo nemo non probabit, quia iugum belluarum proprium

A eſt,quæ plauſtrum trahunt,aut aratrum:& ab his ad quoduis aliud ſeruituris genus ſignificatio traducitur. Et quidem quòd à belluis ad ſeruum alligatum aliorum imperio, iugum transferatur, & lora,apertè docet Eccleſiaſticus capite 33. numero 27.vbi ſeruorum opera à iugo,vinculiſque ſecernit.*Iugum, & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ.*

Hic tamen pro re morali expende, quot Dominus vinculis homines ſuo alligauerit imperio; quot modis, & meritis eorum ſibi libertatem vendicauerit.Iugum quidem,quo pro tot meritis nobis alligauit Deus,leue eſt: vincula,quibus illud conſtrinxit, planè fortiſſima: quare ceruix ferrea ſit oportet,quæ illud excutere,& vis planè B diabolica,quæ hæc diſſoluere,atque confringere aut velit,aut poſſit. 62.

In omni enim colle ſublimi,& ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix.] Oſtendit excuſſum iugum,& vincula ſoluta,ideſt, proditam eſſe Diuinam voluntatem, & contemptum imperium. Id verò explicat alia metaphora in ſacra Scriptura familiari, quæ idolorum cultum fornicationem vocat,aut opus meretricium. Quòd ſi meretricari eſt,idolis ſe, tanquam ſcortatoribus proſtituere,ſanè ſi in colle ſublimi,& ſub frondoſo ligno, erecta ſunt idolorum altaria, ibi quoque ſub eadem figura metaphorica hæc meretrix lupanar inſtituit,atque proſtibulum. Quòd in montibus C nefaria inſtituta fuerint ſacrificia,docet excelſorum,& lucorum nomen millies in Scriptura ſacra repetitum. Quòd ſub frondoſis arboribus, conſtat ex Iſaia capite 57. numero 5. & Ieremia capite 3.numero 6.Vide,quæ nos longiùs diſputauimus in illud Iſaiæ 42. *Deſertos faciam montes, & colles*; & ad illud capite 57. *Subter omne lignum frondoſum*. 63.

Verſ. 21. *Ego autem plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?*] Adhuc iudicio cum populo contendit, ſub alia metaphora, de quo nos plura in caput 5.Iſaiæ, ad quod videtur ſpectaſſe Ieremias. Pro *electa*, Hebraicè eſt שורק *ſorek*, quæ vitis eſt nobiliſſima, aut certè ita dicta, quòd ex D regione aduecta ſit eius nominis. Plura de ſorek diximus in caput 5. Iſaiæ, numero 14. quæ huc tranſcribere libet, quia non minùs hîc quàm illic opportuna. Pro *electa*,Hebr. שורק *ſorek*,de qua voce ſi vera ſunt, quæ ab aliis afferuntur,mirum in modum amplificant hunc Ieremiæ locum. Certum eſt enim hac voce ſignificari genus eximiæ vitis: quidam putant eiuſmodi vitibus eſſe à natura quod ab arte, & induſtria agricolarum aliis arboribus accidit,vt in earum vuis nulli inueniantur acini. Quod ſi verum eſſet, non vulgaris eſſet commendatio vitis, in qua nihil eſſet E non molle, nihil non vtile, ac dulce. Et ad mores ſatis accommodatum,cùm ex vite,in qua nihil futurum eſſet durum,& acerbum, nihil Deus poſt tantum ſtudium percipiat, niſi acerbum, & durum. Sed an hoc verum ſit,Rabbini, quorum hæc eſt ſententia, viderint. Mihi certè non placet: niſi fortè dicamus acinos non eſſe,quia carnis vinoſíque ſucci plenæ ſunt vuæ; & adeò exigui acini, vt nulli eſſe videantur. Ex vſu verò Scripturæ ſicut pauci nulli, & multi in numerando omnes, eſſe dicuntur, ſic quod exiguum, atque vile eſt, perinde cenſetur ac ſi non eſſet. Seu certè שורק *ſorek*, regio eſt abundans generoſis vitibus, illa fortaſſe vbi viſa eſt à Samſone, 64.

&

& adamata Dalila Iudic. 16. à qua generoſæ vites ſorek appellantur. Sicut ætate noſtra quamplurimæ plantæ nomen, & nobilitatem habent ab ea regione, vnde ad nos tranſportatæ. Hieronymus generatim *vineam electam* tranſtulit hic, & Iſa. cap. 5.

Illud hîc non omittendum, שורק ſorek non ſolùm ſignificare vitem, ſed etiam palmitem Iſai. 16. vbi Vulgatus, *flagella eius*, Hebra. eſt, שרוקיה *ſerukeiah*, fortaſſe ab hac voce deductum eſt nomen *ſurculi*, quod ſi ita eſt, grauis eſt querimonia, quam Dominus de infideli hac vinea nunc inſtituit. Ac ſi dicat, ego te plantaui ſurculum, id eſt, à principio, antequam vitis appellari poſſes, quare quidquid nunc habes aut incrementi, aut fructus, meum eſt, atque adeò quidquid habes, meæ voluntati ac gloriæ ſeruire debet.

65. *Quod ſemen verum.* *Omne ſemen verum.*] Multa ſunt, quæ veritatis quidem ſpeciem habent, à vero tamen abſunt quàm longiſſimè, quod paſſim in metallis videmus, lapillis, & aromatibus: ſed hoc non minùs ſæpe in hominibus experimur, & plantis, quæ ſæpe attentum olitorem, & agricolam rerum ſimilitudine decipiunt. Sed in ipſa arbore ſurculi quidam ſunt, quos odêre agricolæ, vtpote noxios plantis. Qui neque fructum procreare, neque plantam generare poſſent fructus feracem, qui ſtolones dicuntur, ſeu nepotes. Hi autem appellari poſſunt ſemen, non tamen verum. Dicit ergo Dominus, vineam illam ſorek plantatam eſſe ex vero, atque fœcundo ſemine, ex Abraham nempe, Iſaac, & Iacob, non ex ignobilibus, atque infelicibus ramis, qui tanquam ſtolones ex generoſa ſtirpe prodierũt, putà Iſmaël, Eſau, & ſi qui alij fuerunt ab ea illa nobili radice degeneres.

66. *Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?*] Prauum eſt infidele, flexuoſum, aut deuium, quod aliò fertur, quàm ab auctore deſtinatur, aut etiam quod in illum perfidioſè conuertitur, quem tueri, aut venerari debuit; qualis in cauſis eſt præuaricator, aut is, qui accepta ab altero beneficia, & arma ad ipſius exitium, aut ignominiam conuertit. Aut medicina, quæ cùm valetudinis gratia eſſet ægrotanti porrecta, mortem tamen attulit, aut morbi incrementum. Sic Pſalmo 77. ver. 64. arcus dicitur prauus, qui ſcopum non appetit, ſed fractus, vel inuerſus ipſum petit, & vulnerat ſagittarium. Prauam ergo appellat Deus, atque alienam vineam, quæ cùm plantata eſſet tanto ſtudio, atque ſolertia vinitoris; ſi quid tamen fructus attulit, illud ad aliorum vſus adduxit, contrà quàm ſator ipſe inſtituerat. Sacrificauit enim idolis, & ex infelici illo vitium prouentu excitauit altaria, nihílque fecit reliqui, quominus vinea iudicari poſſet aliena.

67. *Semina aliquando degenerant.* Vbi Vulgatus, *Conuerſa es in prauum vitis aliena*, Hebraicè, *conuerſa es in auerſiones vitis alienæ*. Pagninus, *in ſarmenta vitis alienæ*. Vatablus, *in propagines, ſeu palmites degenerares vitis alienæ*. Quomodo etiam legit antiqua tranſlatio Hiſpanica. Iuxta quam lectionem ſignificat Propheta, populum ex ſanctiſſimis prognatum parentibus in Gentilicos degeneraſſe mores, neque quicquam differre iam ab alienis. Quod etiam ſub eadem metaphora conqueſtus eſt Dominus per Iſaiam capite 5. *Expectaui, vt faceret vuas*, fructum videlicet electæ vineæ ſorek, *fecit autem labruſcas*. Fœtentes nimirum vuas, & alienæ vitis, atque agre-

A ſtis naturalem fructum; quomodo bonum ſemen in deterius aliquando degenerat, diximus ad illud Iſaiæ capite 57. *filij ſceleſti, ſemen mendax*. Dicuntur autem *ſemen mendax*, qui nunc, iuxta Hebraicum textum, *ſarmenta alienæ vitis* appellantur. Solent autem nonnunquam ſurculi, aut grana, quæ ex nobili radice funduntur, in ſpeciem ignobilem, & infrugiferam, & in herbas inutiles euaneſcere: vt de ſiligine tradit Columella libro 2 capite 9. *Omne*, inquit, *triticum in loco vliginoſo poſt tertiam ſationem conuertitur in ſiliginem.* Idem de Zea, & Tipha tradit Plinius libro 18. capite 10.

Verſ. 22. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi* 68.
B *herbam borith, maculata es.*] Magnas fuiſſe ſordes, *Peccata quàm eluantur difficilè.* quas ex eo viuendi genere, & meretricio quæſtu contraxit ſcortum illud metaphoricum, prouerbiali hac, vt reor, dicendi figura Propheta ſignificat. Nitrum, & borith ſummum indicant ſtudium, exquiſitámque ſolicitudinem quærendæ munditiæ. Quam etiam ſi adhibuerit meretrix illa, quæ in omni colle, & ſub omni ligno frondoſo proſternebatur, non tamen efficiet, vt diuinos oculos ſordes illæ meretriciæ latere poſſint. Quæ ſit huius loci ſententia, & quantum pateat, ex duarum vocum expoſitione conſtabit.

Nitrum vox eſt Hebraica, aut certè ex He- 69. *Nitrum quid.*
braico fonte deriuata, Hebraicè נתר *nether*, qui-
C dam alumen, quidam cretæ genus quoddam ad eluendas maculas potentiſſimum. Vulgatus cum Septuaginta nitrum reddidit. Eſt autem nitrum, vt habes è Plinio libro 31. capite 10. ſpuma quædam, ſeu ſputum, quod ex ſalſuginoſis præcipuè paludibus ex aqua pluuiali colligitur, Hiſpanicè, *ſalitre*, quod vim habet ad detergendum maximam. Addo ego, numerari etiam nitrum inter ea medicamenta, quibus fœminæ candorem inducunt, atque nitorem faciei. Quare in mundo muliebri ſtatuit Pollux libro 7. capite 22. Onomaſticon. Et Ouidius de medicamine faciei aliquid nitrum conferre dicit, ad conciliandam cuti pulchritudinem, næuóſque tollendos. Hoc idem docet Iſidorus libro 16. Etymologiarum, capite 2. &
D ante hunc Athanaſius libro de virginitate, ad medium. *Cùm laueris* (inquit ad virginem) *faciem tuam, &c. neque herba, neque nitro vtere.*

Borith, quæ etiam herba dicitur fullonum, à 70. *Borith quid.* quibuſdã ſapo eſſe creditur, aut certè herba, quæ vulgo ſaponaria vocatur. Fortaſſe illa eſt, quam Hiſpani *ſoſam* appellant, cuius vis vbi in cinerem redacta eſt, ad purgandum vehemens. Hanc Hieronymus in Palæſtinæ humidis, atque virentibus locis naſci tradit, illique cum nitro parem eſſe vim ad eluendas ſordes.

Ex his colligere mihi poſſe videor duo in hac 71.
metaphorica meretrice ſordium, ſiue macularum genera, quibus detergendis, aut velandis, purifi-
E catorium iſtud ſmigma, ſeu medicamentum valde opportunum eſt. Eſt etenim fœdum aliquid in facie, vel à Solis inclemẽtia, vel à morbo, ſeu à liuore contractum, ad quod artificioſè cælandum facit nitrum, ideſt, fucati medicamentum candoris: quod in mundo muliebri numerari, & à fœminis ad genarum candorem adhiberi diximus. Sunt præterea ſordes in veſtibus, quibus carere non ſolent, qui vitam inſtituunt vagam, & communem, à quibus abeſſe plerunque aſſolent nitor, & mundities: ad hos eluendos afferunt fullones artificio quodam concinnatam herbam borith. Significari igitur arbitror à

Propheta,ſic proſtitutam illam gentem ſordibus eſſe, atque illuuie fœdam, vt nihil in ea ſit non contaminatum,nihil, quod non nauſeam, atque faſtidium moueat, non externum cultum ab externa, non internos colores, ac ſpeciem naturalem,& propriam,ab interna macula;inſediſſeque turpitudinem illam vſque adeò altè,vt exuri, aut artificiosè tegi à nitro non poſſit, aut ab herba borith. Nam quicquid humana excogitauit ſolertia, efficere nullo poteſt modo, vt quod cælari interdum hominibus ſolet, Diuinos lateat oculos, qui abditiſſima quæque ſcrutantur, & vident.

72. Pro morali ſenſu nitrum iſtud, aut herba fullonia, pigmenta illa ſunt, aut commenta hominum,quæ tegunt, non ſanant vulnera:quæ ſimulatam pulchritudinem obiiciunt oculis, veram tamen illuuiem, & atrorem ſeruant in animo. Huiuſmodi ſunt externæ actiones, quæ tactum malefactorum pœnitentia animum præſeferunt; quales ſunt inutiles lacrymæ,aſper cultus,pectus identidem percuſſum,& ſimilia: quæ tamen neque peccatum expellunt, neque gratiam aduocant, quæ vera animorum mundities,& pulchritudo eſt. Verum autem nitrum, & ad eleuandas maculas efficax pœnitentia eſt, per quam Chriſti ſanguis veſtimenta, quantumuis illis ſpiritales inoleuerint ſordes, mundat, & candefacit. Sic Apocalypſis capite 7. qui ſunt ante thronum Dei,veniſſe dicuntur de tribulatione magna, lauiſſéque ſtolas ſuas, eáſque Agni ſanguine dealbaſſe. Eo peccata inſtar vermiculi rubentia quaſi nix candefiunt, & ſi animo ſic adhæſerint maculæ, ſicut ſucci lanæ, quos ſæpius imbiberunt, mundabitur tamen,fiétque tanquam lana, quam nullus vnquam color infecit. vt cap.1.docet Iſaias,*Si fuerint peccata veſtra vt coccinum,velut nix dealbabuntur.* Vide in hanc ſententiam plura,quæ eo loco adduximus. Sunt autem optima illa Chryſoſtomi verba, homilia 80. ad populum, vbi docet, pœnitentia non tantùm animæ ſauciæ ſanitatem, ſed etiam pulchritudinem reſtitui,deleri etiam cicatricem, neque vllum relinqui antiquæ maculæ veſtigium.

Pœnitentia peccata lauat.

73. Verſ.23. *Quomodo dicis: Non ſum polluta, poſt Baalim non ambulaui?*] Facit credo Propheta gentem illam diu meretricatam, illuuie fœdam, & ſquallore horridam texiſſe atrorem candido fuco,voluiſſéque nitro à næuis, & rugis emaculare faciem:& ſiquid veſtes contraxére ſordium, illud eluere herba fullonia. Sic autem in eo ſibi artificio blandiebantur, vt Deo quoque maculas illas cælari poſſe exiſtimaret. Quare dicebat non minùs ſtolidè, quàm inuerecundè, *Non ſum polluta.* Quam Dominus reprehendit, & eius ſcelerum commemoratione conſcientiam teſtatur, & exagitat. Non valde diuerſum eſt,quod Prouerbiorum 30. de muliere dicitur fornicata: *Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit, Non ſum operata malum.* Nam hæc non minùs apud Deum adulterium occultat, quàm quæ poſtquam multa obliguriuit intemperanter, tergendo os ciborum infectum adipe, negat ſe quicquam comediſſe.Eſt autem hoc non ſolùm vaniſſimum,ſed etiam inutile defenſionis genus; neque enim cælari poſſunt occulta iſtæc animorum vlcera, etiam apud homines ſæpe: quid confert deterſiſſe ex ore furtiui cibi relicta ſigna, cùm halitus ipſe probat,& ructus immoderatam ingluuiem:ſic nos cælamus ſæpe artifi-

Peccata fruſtra ſimulatione celantur.

A cio,& fuco,quæ vultus,geſtus, & quæ ab habitu naſcuntur,ſubiti motus, cum pudore noſtro manifeſtant.

Vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris.] In montibus, & ſub frondoſo ligno meretricatam fuiſſe gentem Hebræam paulò antè audiuimus à Propheta;quo ergo, commemoratis metaphoricis illis adulteriis, & quaſi repetitis veſtigiis, illius compungat animum, & frontem, quam perfricuerat, pudefaciat,iubet,vt ſuperiorem vitam recognoſcat, relegátque vias, vbi non veſtigia ſolùm,ſed etiam cubilia, ac volutabra ſcelerum inueniet. 74.

Curſor leuis explicans vias ſuas.] Hîc primùm ſimilitudinis notam ſubaudio, ſenſúmque puto: 75.
B explicuiſſe, ideſt, aperuiſſe ſibi vias, alioqui difficiles, & implexas meretricem illam explendæ ſitientiſſimam libidinis,ita vt nullum prętererit locum,quem rei meretriciæ, ideſt, impio idolorum cultui conſecratum, aut opportunum videret. Hæc credo ſatis expedita, non ita de *curſore leui*, Hebraicè בכרה *bicrah*, pro quo *curſorem* reddidit Hieronymus. Dicit tamen capream eſſe ſylueſtrem, quæ velociſſima eſt, cuíque nihil eſt inacceſſum, aut arduum, modò ſe aliqua pabuli commoditas oſtentet. Sed communiter alij omnes camelum fœminam, aut dromedariam intelligunt. Camelis autem nimia celeritas,& ardens libido, quæ furoris impatientes venerei, omnia
C permeant, luſtrántque, neque conſiſtunt vllibi, donec rabidam illam ſitim extinguant. Et hoc de camelis, ſeu dromedariis magis probo, tum quia ſic communiter omnes; neque ipſe contra ſtat Hieronymus, qui vocem eandem in genere tamen maſculino dromedarium vertit Iſaiæ capite 60. *Dromedarij Madian, & Hepham*; tum etiam,quia dromedarius magis implet rationem, etymologiámque nominis curſoris. Significat enim *dromedarius* curſorem, δρόμος quippe Græcè curſus eſt. & Septuaginta, quod etiam Hieronymus in Commentariis probat, δρομὰς reddiderunt. Eſt autem in hoc veloci,atque erranti, ac pertinaci curſu camelorum optima petulan-
D tis, ac libidinoſæ fœminæ deſcriptio: quam ita definit Salomon Prouerbiorum 7. *Quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis: nunc foris,nunc in plateis,nunc iuxta angulos inſidians.*

Camela libido.

Verſ.24. *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui.* Onager generis eſt epicæni, qui ſub vna terminatione, & genere vtrumque continet ſexum. Hîc ſine dubio generis eſt fœminei, vt ſtatim explicatur magis, dum dicitur: *Nullus auertet eam*;nempe onagrum. Eſt autem onager, ſiue claritatis gratia, onagra, animal velox, ſylueſtre,ſalax, huc illuc explendæ libidinis cauſa continenter diſcurſans. In qua, ſicut in camela, ineffrænatus Iudææ gentis in
E idolorum cultum furor exprimitur. Onager, vt nominis ipſius notatio indicat, aſinus eſt agreſtis, & indomitus, vt explicat id, quod ſtatim, *aſſuetus in ſolitudine.* Antiqua tranſlatio Hiſpanica, *cebra.* 76.

Onager quid?

Attraxit ventum amoris ſui.]Duas hîc video ab Auctoribus adduci, probaríque ſententias. Altera locum hunc non de onagrorum libidine capit, qua furunt, ſed de fame,ac ſiti, quam grauiter ferunt,& impatienter:dicunt enim,cùm vrgetur onager ſiti, rupem aſcendere, vbi ſpirando haurit auram, atque ita ſedat, aut ſuſtentat ſitim,draconis more, quibus hoc ipſum in grauiſ- 77.

ſima

ſima ſiti leuamentum eſt. Et facit huc, quod de onagro Ieremias tradit capite 14. numero 6. *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones.* Quam ſententiam probaſſe videtur Chaldæus, cum ita tranſtulit: *Sicut onager, qui habitat in deſerto, & ambulat in voluntate animæ ſuæ, bibens ventum ſicut draco.*

77. Communis tamen ſenſus eſt, hoc dicendi modo explicari pulſum illum furentis libidinis, quæ onagrum in quamcumque partem abripit, donec ſuo ſibi ardori ſatisfaciat: vt enim Laconicus canis odoratus prædam, illam inſequitur, omnibúſque cubilibus, ac veſtigiis indagat; de quo Latinus quidam Poëta:

Sæuit in abſentem, & circùm veſtigia luſtrans
Æthera per nitidum tenues ſectatur odores;

ſic onager fœmina, cùm ad Venerem calet, odorem captans maſculi, qui procul abeſt, ad illum rapitur impotenti curſu. Hac verò ſimilitudine ſtudium Iudæorum, ſeu dira rabies exprimitur, qua inſtimulante, & odoratu captant, & curſu petunt loca idolorum ſuperſtitioni nefariæ conſecrata.

Ventum porro amoris, pro odore ſumo, quem afflat, adducitque ad onagri nares aura ex ea regione ſpirans, vbi maſculus eſt, quo maximè tempore furit in Venerem. A prurientibus enim animalibus odor quidam certus habetur, ex quo alter illorum ſexus intelligit, amoris eſſe ventum illum, & Veneris nuncium.

78. *Cantus meretricius.* Alius mihi ſuccurrit ſenſus, quem ad extremum ſeruo, neque tamen omnino mihi diſplicet, & in vento amoris ſignificationem aliquam eſſe puto, & ſonum amatorium, quo & onager libidine æſtuans ſuum deſiderium proclamat; & gens Hebræa ardere ſe libidinis metaphoricæ æſtu ſignificat. Quæ ſententia non diſplicet Hieronymo: cùm enim adduceret Septuaginta verſionem, qui vbi noſter, *attraxit ventum*, ipſi vertunt πνευμάτων ἐφέρετο, vocem illam Græcam ſic exponit: *Siue peruerſo ſpiritu ducebatur, ſiue trahebat amoris refrigerium, vel certè canebat turpitudinis ſuæ carmina.* Ad quam ſententiam facit, quòd Ieremiæ ſæculo, ſicut etiam Romano meretrices, ſub quarum metaphora de Ieruſalem Propheta loquitur, cantu venale ſe habere corpus clamitabant. De Tyro ſub eadem metaphora dixit Iſaias capite 23. *Poſt ſeptuaginta*, inquit, *annos erit Tyro, velut canticum meretricis*, quo videlicet impuras illas merces euulgant. De Romanis eſt illud Horatij libro 4. Carminum, Ode 13.

Et cantu tremulo pota cupidinem
Lentum ſollicitas. —

Et Athenæus eam ob cauſam docet meretrices muſicam olim ſolitas eſſe doceri.

79. *Nullus auertet eam.*] Iam apparet ex affixo genus fœmineũ, cuius generis plures aliæ notæ tam in affixis, quàm in verbis occurrunt, quæ tu expende. Adeò verò præcipitem ferri dicit ad concubitum, vt à nemine reuocari poſſit, aut auerti ab eo loco, vnde Aphrodiſius ille exhalatur odor.

Omnes, qui quærunt eam, non deficient.] Norunt omnes rabidum illum impetum onagri furentis in Venerem: cùmque iam vſu, atque experientia didicerint, reuocari non poſſe, non laborant; nec defatigantur in reuocando, quia vident inanem operam, & ſtultam aſſumi, ſed tempus aliud captant opportunum, de quo iam.

80. *In menſtruis eius inuenient eam.*] Locus hic obſcurus, & eius lectio multiplex: Hebraicè בחדשה *bechadſah*, pro quo Aquila, Hieronymo teſte, vertit, *Kalendas*, Symmachus, *menſem*, quem ſecuti ſunt Pagninus, & Vatablus, Septuaginta, & Theodotio *humilitatem*. Iuxta hæc, explicatio quoque multiplex.

Hebræorum fabula. Rabbi Salomon hic, vt ſolet, nugatur egregiè, affingítque inauditum aliquid, & fabuloſum, quod ſæpe facit, cùm aliter non poſſit extricare impeditum locum. Dicit enim onagro per vnum menſem integrum ſomnum accidere, quo tempore à venatoribus capitur, quia alio tempore propter velocitatem nullo modo poteſt; & hoc putat in menſe ſuo, aut in menſtruis onagrum inueniri.

Vatablus, & Iſidorus, eo tempore capi poſſe onagrum arbitrantur, quo vterum gerit, vltimo fortaſſe menſe, & proximo partui: nam tunc pondere grauante vteri, non tam eſt ad curſum, aut ad eludendas venatorum inſidias expeditus.

Alium ſenſum ſequuntur communiter Auctores, quem priuſquam expono, obſeruo, in mẽſtruis ab Hebræis abominationem ſignificari maximam, ídque prouerbiali forma: vſque adeò vt Leuitici 15. verſ. 18. omne vas, aut veſtimentum vbi conſederit, aut quod tetigerit menſtruata fœmina, polluatur. & Leuitici 20. verſ. 18. capitis rei indicantur, qui menſtrui ſanguinis tempore corpora miſcuerint. Plura de his adduximus ad illud Iſaiæ 64. *Quaſi pannus menſtruatæ.* 81. *Menſtruorũ abominatio.*

Quare menſtruata, ſeu quæ in menſtruis eſt, pro abominabili ſumitur, aut quæ in ærumnoſo ſtatu eſt, & ſordidam inſtituit, aut patitur vitam.

Ex his duæ mihi ſententiæ ſuccurrunt; altera, quæ propter meretricios mores, à quibus abduci non poterat gens Hebræa, dicit, inueniendam eſſe aliquando in menſtruis, ideſt, in exilio captiuam, & ſordidis addictam miniſteriis apud Ægyptios, ſeu Babylonios, & tunc deferuente æſtu, quæ in libidinem illam metaphoricam rapiebatur, cogitaturam ſceleratum ſuperioris vitæ conſilium, damnaturámque. Hanc ergo ſententiam minùs probo, quia ab auctore nudam alioqui, vt reor, non improbabilem. Cui nonnihil fauet Ieremias Threnorum capite 1. dum ait: *Sordes eius in pedibus eius:* vt enim ibi nonnulli putant, *ſordes in pedibus* menſtrua ſunt.

Libidinoſi ſtatio. Altera mihi certa eſt, & omnibus fermè Auctoribus probata, quæ onagrum hanc libidinis immenſæ, gentem videlicet Hebræam, non alio in loco, quàm in proſtibulo inueniendam affirmat, quia curſus ille celer eò tantùm ſpectat, vt ad idolorum, tanquam ad meretricum luſtra ſe proſternat. Hic verò dicendi modus aſſiduam alicuius artem, aut frequẽtiam ſignificat. Quemadmodum vultus ad cadauer aduolat, & pardus ad prædam, quia eò allectat, & rapit naturæ vis innata, & ganeas, atque popinas helluo, aleator menſas aleatoriis luſibus deſtinatas frequenter obit, quia ſtudia illa ſollicitant, & trahunt ingenium aliquando bonum, peſſima tamen conſuetudine corruptum. Quare cùm aleatorem ſignificare volumus, illum in ea domo inueniendum dicimus; vbi aleæ aſſiduè impenduntur, & luditur opera; ſi ganeonem in popinis; ſi pium, & religioſum in tẽplo; ſic dum meretricem, & idololatridem appellare vult Hieroſolymam, illam dicit inueniendam eſſe in menſtruis, ideſt, in lupanaribus; & ſordibus meretriciis, in lucis, & collibus ad impias idolorum aras.

Ex his colligo, cur venatores dicantur non

deficere, dum onagros quęrunt, quia nēpe ſciunt, quo loco, aut quibus illecebris illos in plagas inducant. Certum eſt enim, illis in menſtruis, ideſt, eo loco vbi mares, quaſi quidam ilex collocentur, fore capiendas.

82. Verſ. 25. *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti.*] Communis Auctorum conſenſus, reuocari Iudæos, ne auxilij gratia ad regiones ſeſe conferant peregrinas, nève dum iter illud longum ſuſcipiunt, calceamenta deterant, ſitímque experiantur vrentem, qualem experti olim dum in deſerto de Deo, ac Moyſe amarè conqueſti ſunt. Aut certè deterreri earum rerum propoſito metu, quæ ipſis horrori ſunt maximo. Quia videlicet vbi eò ventum fuerit, nudis incedent pedibus, quod ſeruilis conditionis eſt argumentum, & tolerandam eſſe ſitim, quod extremam indicat fortunam, cùm illud eorum vſibus defuturum ſit, quo omnes ſummi, atque infimi abundant. Seu certè futurum, ſi perſtare volent in eo viuendi genere, vt capti ad Babylonios, & Ægyptios ſeruilem conditionem ſubeant, & nudis incedant pedibus, & ſiti laborent, quorum alterum ad ignominiam graue, alterum ad dolorem acerbum eſt.

83. Hæc ergo vera puto, & omnino amplectenda, quia ita putant viri non pauci, iidémque grauiſſimi. Sed addam explicationem aliam, quæ neque ab orationis diſcrepat filo, neque, vt reor, ab Scripturæ ſacræ phraſi. Hactenus de gente illa Hebræa quaſi de meretrice, quæ in libidinem furit, loquutus fuerat Propheta; in eadem, vt credo, metaphora etiam nunc verſatur; & illam ab eo meretricio ſtudio auocat, ideſt, à ſacrilegis idolorum aris: ſed vtitur eo dicendi modo, qui pudicis verbis & honeſtis rem celat obſcœnam, & planè meretriciam. Iubet enim vt pedem à nuditate cuſtodiat, ideſt, ne pedem nudet, expo-

Pes aliquid obſcœnum.

nátque aliorum petulantiæ. Porro *pedem* pro ea corporis parte ſumi, quæ nullo modo reuelari, aut nominari poteſt, res eſt notiſſima, de qua nos

Iſaiæ 6.

pluribus ad illud Iſa. 6. *& duabus velabāt pedes.* vbi eius ſententiæ Auctores adduximus, & exempla.

Iſaiæ 7.

Ex his conſtat, quid ſignificet illud Iſaiæ 7. *Radet Dominus in nouacula conducta pilos pedum.* & illud

Exodi 4.

Exodi 4. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit preputium filij ſui tetigítque pedes eius.* Quare eodem ſenſu dicitur nudare pedem à Ieremia, quo ab Ezechiele cap. 16. *diuidere pedes.*

84. Quòd verò in *ſiti* affectus ſignificatur animi

Sitis, pro libidine.

æſtuantis in Venerem, multa in ſacra Scriptura ſuadent. Nam dum vir iubetur Prouerbiorum 5. continere ſe à turpi, vetitóque concubitu, & legitimo frui, monetur, vt de ciſterna ſua bibat, vbi etiam vxor, vbi amatoriam illam ſitim ſedat, ſponſus legitimo hauſtu, *vena* appellatur *benedicta*; & Canticorum 4. *fons* dicitur *ſignatus.* Eodem etiam modo ſitire dicitur fœmina virorum appetens. Eccleſiaſtici 16. de impudica fœmina, &

Eccli. 26.

famæ nimiùm prodiga dicitur: *Ab omni aqua proxima bibet. & contra omnem palum ſedebit, & contra omnem ſagittam aperiet pharetram.* Quibus metaphoris rē ſignificauit eandem obſcœnam quidem, nō tamen obſcœnè. In hanc ſententiā hunc locum accipit Pineda, in caput 31. Iob. verſu 10.

85. Duo ergo præcipit huic meretrici Ieremias; alterum, ne pedes aliis nudet, ideſt, ne corpus ſuum aliis venale proſtituat, tribuátque ex ignominioſo corporis vſu voluptatem; alterum, ne ipſa capiat voluptatem illam fœdam, dum ſitim illam amatoriam e cœnoſa, diſſipatáque ciſterna ſedare cupit: alterum in pedum nuditate, alterum in ſitienti gutture modeſtè ſignificatur.

In hanc me cogitationem nonnulla vocant; 86.
primùm ipſa continens metaphora: nam cùm ſermo præceſſiſſet ſumptus ex inſtituto, vitáque meretricia; idémque ſtatim ſeruata eadem allegoria ſuccedat: non eſt veriſimile, ſermonem iſtum allegoricum interiectis his verbis fuiſſe interruptum. Deinde, quia cùm Deus pedem à nuditate, & à ſiti guttur prohiberet, reſpondet illa metaphorica meretrix, nequaquam illud ſibi eſſe faciendum, ſed potiùs eundum poſt alienos, quos adamauit. Quæ verba in alias explicationes duriùs, in hanc tamen noſtram bellè cadunt.

Sed quia res eſt obſcura, variéque tentata, 87.
licebit, credo, mihi aliter ad extremum exponere. Auocat Deus populum ſuum, qui meretricis in modum idolis adhæſerat, ab illorum amore, ſtudióque prorſus inutili. Nam, vt ſtatim pluribus oſtendit, neque in rebus anguſtis, auxilio erunt cultoribus ſuis, neque eſſe vlla ratione poterunt. Hortatur ergo Deus errantem populum, ne inani ſe labore conficiat, & ab illis inire gratiam velit, à quibus præter ignominiam, & extremam rerum etiam minimarum inopiam, nihil ſit habiturus. Alterum in nudis pedibus, alterum in ſiti gutturis expreſſit. Cui populus ille ſtolidus reſpondet, deſperare ſe ab aliis, habere poſſe paratum auxilium, neque deſerendos illos, quos amare cœpit. Quare de reliquo nihil laborare, dummodo in præſens eorum ſe conſuetudine oblectet.

Deſperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe 88.
alienos.] Hæc planè meretricia vox eſt, inuerecunda nempe, & obſtinata, quæque eò turpitudinum demerſa eſt, vt emergere ſe poſſe deſperet. Hîc ego ſpectare illud videor Prouerbiorum 18. *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium.* Ex praua conſuetudine (quæ in naturæ penè neceſſitatem abit, quam exuere etiamſi poſſit homo, non ſemper audet, ſicut neque naturam, quam etſi ſæpe, ac longè repulerit, recurrit tamen vſque, neque à ſuo ſibi domicilio, atque arce facilè dimouetur) deſperatio naſcitur, quæ in re ſpirituali grauiſſimum exiſtimatur malum, cùm ad aliquid arduum, & accliue languens ex deſperatione pectus non poſſit aſſurgere. Quòd ſi ex aliquo vitio deſperatio naſcitur, maximè ex eo, quo duo in vnum animi non adglutinantur modò, ſed etiam coaleſcunt per fortiſſimum, idémque coniunctiſſimum glutinum amoris. Nam, vt non ſine grauiſſimo doloris ſenſu in humano corpore pars apertè diuellitur; ſic etiam ab eo, quem amas, qui pars eſt tui, &, vt dixit Lyricus, dimidium animæ, ægrè admodum, & non ſine graui doloris ſenſu diſtraheris. Hinc fit, vt ab his, qui diu in turpi hac conſuetudine inueterarunt, rarò ſperanda correctio ſit. De quibus Oſeas capite 5. *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum; quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.* Quam rationem reddit hoc loco meretrix, vt oſtendat ſe meritò deſperaſſe; neque poſſe iam obſequi monenti Domino, quia amare incœpit,

Vnde naſcitur deſperatio.

Non facilè libidinoſus conuertetur.

neque

neque animum auocari iam poſſe ab eo, quod amauit. Et licèt ſtulta ſit, & inepta reſponſio, ſumitur tamen ab eo, quod in eiuſmodi animis euenire ſolet: quódque ſibi perſuadent, qui in eam ſe conſuetudinem demerſerunt.

89. Verſ. 26. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, &c.*] Ex hoc loco vſque ad illud verſu 28. afflictionis ſuæ ſenſus eſt apertus: ſignificat enim Deus inanem operam idolorum cultui à Iudæis impendi, à quibus, cùm vrgentibus malis maximè clamant, nihil extorquebunt: neque enim pedem liberabunt à nuditate, neque gutturis extinguent ſitim, quod valde facit ad eam explicationem verſiculi 25. quam poſtremo loco produximus. Ex hoc autem omiſſa meretricis allegoria, propriè loquitur, & non figuratè.

90. Verſ. 28. *Secundùm numerum quippe ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda.*] Superſtitioſos appellauit Paulus Athenienſes, Actorum capite 17. quia non ſolùm patrios deos, & cognitos, ſed etiam externos, atque etiam incognitos colebant. Idem multò meliùs iactari poterat in mobile, ac varium Iudæorum genus, quod ad obuium quodque gentium idolum inſano cæcæ mentis ardore ferebatur: & quot erant in Iudæa ciuitates, tot ibi Gentilicæ ſuperſtitionis viſebantur aræ, diuerſis quæque diis, prout cuiuſque ferebat veſania, atque libido, conſecratæ. Eas verò ſic obibant, ornabántque intemperanter, & effusè, vt bona pars eorum, quæ data à Domino terra producebat, in illam idolorum turbam conferretur. Quibus abundantia rerum materiam dedit, & occaſionem idololatriæ. Quod de Iſraël dixerat antè Oſeas capite 10. & idem de Iuda dicamus neceſſe eſt, quia, vt ſtatim capite 3. à Ieremia docebimur, imitata eſt ſororem ſuam Samariam in idolorum cultu, immo in eo ſtudio longè poſt ſe reliquit. Sic autem Oſeas de Iſraël: *Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei; ſecundùm multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris.* Sanè Moyſes hoc ipſum exprobrat Hebræis, Deuteronomij 32. qui quò magis à Deo ornati, auctíque beneficiis; hoc etiam magis à Domino receſſerunt, & quæ à Deo acceperunt, non ad ſubſidium ſolùm vitæ, ſed etiam ad delicias, & ornamenta, illa ad muta deorum ſimulacra conuerterunt. *Incraſſatus* (inquit) *eſt dilectus, & recalcitrauit; incraſſatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in diis alienis.* Quare præclarè tunc actum eſt cum illo populo, cùm expoliatus eſt opibus, expulſus à patria, quando id quoque conſecutus eſt à Deo, vt ſublata idololatrandi materia, idola ex ſuis etiam finibus ablegaret; neque minùs modò nobiſcum clementer agitur, cùm patriis orbamur bonis, & ex æreo cælo pluuiæ negantur, quando ea ratione nobis eripitur grauis, & vſitata peccandi licentia.

Iudæi magnam deorũ turbam coluerunt.

Oſeæ.10.

Vtile aliquando bonis ſpoliari.

91. Verſ. 29. *Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dereliquiſtis me.*] Agebat, vt vidimus, Deus cum populo, ſicut legitimo foro diſceptare ſolent, qui actionem alteri aut intendunt, aut depellunt. Se ipſum examinandum Iudæis, aut coarguendum tradiderat, illos exagitarat, connumeratis eorum ſceleribus, conuicerat & ingrati animi, atque inuerecundi, deſertæ denique religionis damnarat: nunc vno verbo

A complectitur omnia, dum dicit, ab omnibus ſe fuiſſe derelictum. Quare concludit, nihil eſſe, quod ſibi obiiciant, neque de quo ſecum velint iudicio agere legitimo; immo habere ſe plurima, de quibus ipſe meritò poſſit cum illis expoſtulare, quæ iam commemorat paucis quidem, valde tamen ſignificantibus verbis. *Omnes* hoc loco poſiti ſunt pro *plerique*, aut *plurimi*, quod ſæpe in Scriptura contingit, vt dicemus capite 31. *Omnes enim cognoſcent me à minimo.* 92.

Verſ. 30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.*] In beneficiis numerat Deus, percuſſos eſſe Iudæorum filios, à qua plaga ne ipſi quidem parentes immunes fuerunt. Nam hoc dicendi genere, vſitato Scripturæ more, patres B ipſi comprehenduntur. Quomodo Chriſtus dixit Matthæi 12. *Filij veſtri in quo eiiciunt?* id eſt, vos. Nam ſi filij taurorum tauri ſunt, & filij Babylonis Babylonij, & filij Iudæorum Iudæi, cur non *filij veſtri* idem erit, quod vos? Sanè ita exponeremus, ſi pro ſecunda perſona tertia fuiſſet poſita: nam ſi dixiſſet Propheta, percuſſi filios Iudæorum, Iudæos vtique intellexiſſet. Ait itaque Deus percuſſiſſe ſe, & quaſi dedolaſſe populum, illum tamen ab ea via non ideo receſſiſſe, in quam eſſet ingreſſus, neque accepiſſe formam illam, quam artifex ſummus inducere percutiendo voluit. Sicut durum, & indocile ſaxum atteritur quidem, & frangitur, impolitum tamen C manet, & rude, neque enim obſequitur arti, & diſciplinæ: neque ex eo artifex tundendo quicquam aliud refert, quàm crepitus, & quaſi ſcintillas, quæ in ipſius oculos è ſaxo diſſultant. Diſciplinam accipere nihil aliud eſt, quàm præcipienti, aut inſtituenti parere; vnde diſciplinam accipit bos, cùm iugo ac loro ceruicem ſubmittit; & elephas, cùm dorſum magnæ moli ſubſternit, ad quam ſæpe ſtimulis adiguntur & fuſtibus. Sic Iudæi malis adacti longis, & duris confoſſi ſunt ſtimulis, & contuſi fuſtibus; non tamen ad rectam viuendi normam reuocati. De quibus Pſal. 34. *Diſſipati ſunt, nec compuncti,* cùm illis vexatio intellectum non dederit.

Regvla. Filij veſtri, ideſt, vos.

Indocilis peccator.

Deuorauit gladius veſter Prophetas veſtros, quaſi 93. D *leo vaſtator generatio veſtra.*] Iam oſtendit cauſam, quare percuſſi tandiu Iudæi, tanquam durus ſilex, & indocilis, exculpti tamen non ſint, aut in aliquam religioſam ſpeciem informati, quia in Prophetas, quibus Deus ad illorum diſciplinam quaſi inſtrumentis vtebatur, diſtrinxère ferrum, reddideréque necem pro tam ardenti ſtudio ſalutis afferendæ, & pro tanto beneficio tantam iniuriam. Generationi autem illi, ideſt, progeniei Iudæorum, leoninam dicit crudelitatem ineſſe. Nam vt leo obuium quodque lacerat, & vorat, neque quicquam agit, niE ſi vt alieno ſanguine famem expleat ſuam: ſic vaſtator ille populus ſanguinem videtur ſitiiſſe, atque effudiſſe Prophetarum. Non diſſimili modo loquutus eſt Deus, in materia ſimili, Oſeæ capite 6. cùm dixit: *Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos.* ideſt, vehementer corripui per Prophetas, malleóque, & celte expolire volui; ac tandem permiſi, vt in eo opere duro, & longo mortem oppeterent: ab iis nimirum extincti, in quorum ſalutem, & diſciplinam incumbebant.

Verſ. 31. *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut* 94. *terra ſerotina? Quare ergo dixit populus meus: Receſſimus,*

Deus in largiendo liberalis & velox.

ſimus, non veniemus vltrà ad te?] Remouet Deus id, quo ſuam perfidiam, atque impietatem excuſare poterant Iudæi. Nam, vt eſt hominum genus vtilitatis appetens, ac moleſtè ferens laboris ſui fructum perire, non videbatur vſque adeò mirum, ſi minùs accederent ad Deum, ſi illum ad referendam gratiam inopem, aut in compenſando labore parcum forent experti. Hoc igitur primum à ſe repellit Deus, idque duplici ſimilitudine declarat. Ait enim ſe non eſſe ſimilem ſolitudini, ideſt, agro, qui incultus, & ſolus ab aratore relinquitur, quia ex illo laboris fructum nullum expectat. Aut agro ſolitudinis, & qui, vt ſuprà dixit capite 1. propter infelicem, ac ſterilem glebam non ſeminatur. Neque præterea eſſe terram ſerotinam, quæ licèt fructum reddat agricolæ, reddit tamen ſerò, qui eo nomine, quantumuis copioſus, ingratus eſſe ſolet. Non ſic autem Deus, qui in compenſando opere largus eſt, & in retribuendo feſtinus.

95. Pro ſerotina Hebraicè, מאפליה *mapeleiah*, ideſt, terra caliginoſa, & horrida (& ita vertunt alij fermè omnes à Vulgato) quam ſol non ſpectat, aut vlla fœcundat cælorum influentia; qualem ſtatum imprecatur Dauid 2. Regum 1. montibus Gelboë: *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos: neque ſint agri primitiarum.* Aut quales à Solino deſcribuntur capite 20. regiones, quæ proximæ ſunt Boreæ, & glaciali freto. *Damnata* (inquit) *pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis merſa, ipsiſque prorſus Aquilonis conceptaculis rigentiſſima, ſola terrarum non nouit vices temporum: nec de cælo aliud accipit, quàm hyemem ſempiternam.* Si Hebraicam vocem ſecundùm vim totam interpreteris, caliginem ſignificat Dei, ideſt, ingentem, & plus quàm Cymeriam, quo modo *montes Dei* dicimus, & *cedros Dei.* Quare terra caliginoſa à Deo illa eſt, quæ etiam à Deo maledicta vocari potuit, cuíque Deus in æterna caligine ſterilitatem induxit ſempiternam. Hanc ego regionem inferno quàmſimillimam puto; neque aliam ad cultum, & ſementem aut diabolus, aut mundus peccatori largitur. Ex qua quid fructus ſperari poſſet, diuinare difficile non eſt. Vt ergo ab eiuſmodi terra omnes abeſſe quàm longiſſimè cuperent, ſic Iudæi à Deo ad alia omnia quàm longiſſimè abierant. At quàm hæc ſterilitas, & caligo à Deo abſint, argumenta Iudæi habuerunt non obſcura; vel in promiſſa terra, quæ lacte manabat & melle, vel in beneficiis aliis recentibus, quibus Deus quotidie humanum ſe Patrem, & liberalem Dominum oſtendebat. Septuaginta pro *ſerotina* habent *regionem ſpinis obſitam.* Vtraque expoſitio terram indicat infelicem, & ſterilem.

Inferni deſcriptio.

96. Illud, *receſſimus*, animum indicat in ſententia pertinaciter obſtinatum, quíque iam omnino conſtituit ab illa non eſſe recedendum; ſic puto Pilatus, cùm dixit, *Quod ſcripſi ſcripſi*, nihil aliud ſignificare voluit, obſtrepenti Iudæorum turbæ, quàm ſibi conſtitutum iam eſſe, nihil de illo Crucifixi titulo fore mutandum. Idem ex profanis Latinus comicus, apud quem ſenex, vt oſtenderet de eo, quod ſemel inſediſſet animo, nihil eſſe remittendum, hac vna voce, *dixi*, in eo conſilio ſtabilem ſe fore demonſtrauit. Dum ergo Iudæi, *receſſimus*, dicunt, ſignificant à vita ſibi potiùs, quàm à ſuſcepto conſilio fore diſcedendum. vox planè animi, qui omnino iam in peccatis obdurauit. Quam emittunt hoc tempore quamplurimi, qui cùm iam ſæculo, atque honoribus ſeruire cœperunt, licèt propoſitam ſibi mortem eſſe videant, inde tamen extricare ſe neque volunt, neque audent: dicúntque ſtolido, ac deſperato conſilio, Ex quo iam à Deo receſſimus, ad illum cum honoris noſtri, rerúmque diſpendio redeundum non eſt. Vndenam hæc obſtinati animi quaſi neceſſitas oriatur, docet Auguſtinus libro 1. Confeſſionum. *Suſpirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat: ex peruerſa enim voluntate facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas: quibus quaſi quibuſdam annulis ſibimet annexis tenebat me ſtrictè dura ſeruitus.*

Obſtinati animi vox.

Verſ. 32. *Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui,* 97.
aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei.] Alia rurſus comparatione veſani populi ſtuporem, atque perfidiam amplificat, docétque minori ſe in pretio apud Iudæos haberi, quàm ornamenta, & pectoralis faſcia æſtimantur à virgine. Quæ cùm ioculares ſint deliciæ, & meræ nugæ, ſeruant tamen illa, adeóque cuſtodiunt diligenter, vt illarum vbique præſens memoria ſit. Populus autem Iudæus, quaſi Deus res foret nihili, illius in longum tempus memoriam abiecit.

Pectoralis faſcia, quæ ſtrophium etiam dicitur, 98.
eſt quę puellarum velat, atque conſtringit vbera, ne indecorè tumeant. Quia vberum tumor in ætate præſertim puellari, & tunc, & noſtro etiam tempore minus exiſtimatur habere dignitatis, minus pulchritudinis. Quia ergo fœminæ pulchritudinem amant, & decentiam, illiúſque non minimam partem eſſe putant in vberum preſſa, & caſtigata forma, faſciam mamillarem, ſeu pectoralem plurimùm amant, quæ tantam ipſis dignitatem conciliat.

Verſ. 33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam,* 99.
ad quærendam dilectionem?] Cùm nullum populus iam ſceleris conuictus effugium haberet, concludit Deus, nullùm iam illi reliquum eſſe excuſationis, aut defenſionis locum. Quidam hæc referunt ad vias illas, quas populus ſuis diffiſus viribus ſuſcipere ſtatuerat, quo externa ſibi quæreret auxilia. Quam viam, ſeu conſilium aliis probatam eſſe cupiebat; illud verò, *ad quærendam dilectionem*, ſic accipiunt, quaſi gratiam inire voluerit ab Aſſyriis, ſeu Ægyptiis, ad quorum miſericordiam ſupplex accurrerat, ita Vatablus cum Chaldæo.

Communior eſt aliorum ſententia, quos ego 100.
breuitatis gratia non numero, qui id agere putant Iudæos, vt dilectionem iſtam à Deo, non ab externis populis obtineant: hoc ſenſu: Quid rationem hanc vitæ obducto fuco celas? Quid ſpeciem illi obtendis honeſtatis? Quid, vt violatam gratiam inſtaures, & eo loco apud me iterum ſis, ex quo errore ſeducta turpiter excidiſti, noua non tam ornamenta, quàm pigmenta virtutum excogitaſti? quaſi quicquam meam poſſit intelligentiam latere, qui abditiſſima cordis penetralia penitus introſpicio.

Excuſatio peccatorum vana.

Quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas.] 101.
Modus dicendi impeditus, & obſcurus: cuius Hieronymus, & cum eo plures alij, hanc putat eſſe ſententiam. Nequicquam vias tuas mihi probare ſtudes, ô Iſraël, cùm eò ſis progreſſus, vt non tantùm vias tuas ſceleratè viuendo contaminaueris, ſed etiam illas exemplum, & allectamentum

mētum ſcelerū aliis eſſe volueris:ita vt non impietatis ſolùm amans, atque ſectator, ſed dux quoque fueris,& magiſter. Placet expoſitio; ſed aliam addo,nec minùs cum Hebraico textu, aut cum inſtituto filo congruentem.

Mala,atque inutiliter faciei,cuius atror nemini compertus non eſt, fucati illinitur medicamentum candoris. Et fruſtra quærit doctrinæ ſpecimen aliquod,aut inſigne,qui ignorantiæ ſuę quotidie omnibus documenta præbuit;eáque nō obſcura. Sic populus hic, quem Dominus coarguit, fruſtra figmenta quærit, quæ ſuæ obtendat deformitati, ſimulatámque aliorum oculis ſanctitatem obiiciat: cùm nemo ſit, qui ignoret, quanto in ſcelere verſatus, quanto in cœno volutatus ſit. Ait ergo Dominus: Quid ſtudes artificio,atque aſtu probare nobis, vitam tibi fuiſſe honeſtè traductam, cùm ſcelera tua ſic in aliorum oculis apertè defixeris,vt ignoret illa nemo? Id meo iudicio apertè indicat textus Hebraicus, neque reſpuit Vulgati Latina tranſlatio. ſic enim verto:Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, vt quæras dilectionem, quandoquidem vias tuas iniquas eſſe iam ſatis oſtendiſti,ſeu docuiſti?Quaſi dicat,Ex mea,atque etiam ex hominum mente delere non poteris opinionem, quam iam olim peſſimè viuendo in illorum animis impreſſiſti.

102. Verſ.34. *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum,& innocentum.*] Septuaginta,*in manibus tuis*. Senſus idem eſt, metaphora non eadem; legerunt ipſi כף *caph*, quod manum: noſter verò כנף *keneph*, quod alam ſignificat. Sanguis porro plurima figuratè ſignificat:primùm tyrannicam ſæuitiam, cuius ſanguis teſtimonium eſt, & vulgare ſymbolum;item vitam.Prouerbiorum 1:numero 11. *Inſidiemur ſanguini,abſcondamus tendiculas contra inſontem.* Et quia alimenta vitam ſuſtentant hominum, ſicut etiam ſanguis, ideo ipſa quoque *ſanguis* appellantur.Ex quo etiam fit, vt opes,& diuitię,quę parant hominibus alimēta, eodem nuncupentur nomine. Deinde, quia ex ſanguine & carne illa præcipuè naſcitur paſſio, quæ generationi ſeruit, fit, vt ſanguis ſæpe pro illa ſumatur intemperantia, quæ à libidine eſt. Dum ergo Propheta dicit ſanguinem in manibus, aut in alis inueniri Iudæorum, oſtendit id, quod multò antè dixerat Iſaias capite 1. *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Iudæos nempe ſanguinarios eſſe, ad vim,& cædem,ad rapinam, & venerem, ad quiduis denique flagitioſè tentandum impudentes,& promptos.Quæ adeò occultè non admittunt, vt in alis, & manibus palàm eorum obiiciant teſtimonia.

Sanguis multa ſignificat.

De alis hæc potiùs cum Vulgato accipio, & metaphoram ſumo ab aquilis, quæ vbi ad prædam inuolarunt, lacerarúnque, pennas referunt rubentes ſanguine, ita vt quilibet cognoſcat facilè illam ex tenuiorum volucrum,aut leporum, & ſimilium laniena reuerti. Quæ explicatio valde confirmat ſententiam, quam in explicando proximo verſu poſtrèmam adduximus:fruſtra videlicet Iudæam gentem diſſimulare ſordes antiquas,cùm illarum propalam omnium oculis obiiciant argumenta, ſicut fruſtra aquila, aut leo ſe mites ac innoxios ſimulant,cùm ſæuitiæ ſigna in alis,aut in rictu circunferāt ſanguine madētibus.

103. *Non in foſſis inueni eos,ſed in omnibus,quæ ſuprà memoraui.*] Hic quoque locus dubius, & in plures explicationes patens.Illud *eos*,ad *ſanguinem* refert Maldonatus,qui *ſanguines* in plurali putat eſſe legendum. quaſi gens illa non occultè, & pauidè, ſed palàm,& audacter homicidia committat; neque in foſſis tegat effuſum ſanguinem, ſed in loco relinquat aperto ſpectandum hominibus; quos neque ſceleris pudet, neque manus homicidij vindices reformidant.

Alij *eos*, ad pauperes, & innocentes pertinere 104. putant,qui neque ſepulcris mandantur occiſi,neque foueis teguntur,qui vltimus honor mortuorum, & conſolatio eſt;ſed inhumati in viis publicè,atque in plateis,ſub cælo putreſcunt. Hos autem innocentes, & pauperes quidam Prophetas eſſe cenſent,& viros iuſtos,qui tempore Manaſſæ eo numero interfecti ſunt, vt eorum ſanguine publica ciuitatis loca redundarint: ſic enim de Manaſſe 4.Regum cap.21.verſu 16.*Inſuper,& ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os.* Ita Rabbi Salomon citatus à Lyra,& Lyra ipſe, Dionyſius, & Vatablus.

105. Sunt qui ad pueros illos referant,quos parentes impij nefario ritu ſimulacris immolarunt, quorum cædem non tegunt foueæ, ſed crudeles aræ innoxio delibutæ ſanguine mactatos ibi innocentes infantes aſſiduè clamitant. Ad quam ſententiam plurimum facit, quod Septuaginta, vbi Vulgatus, *ſed in omnibus*,ipſi vertunt,*ſed in omni quercu.* Notum eſt autem, vt ſuprà vidimus, ſub omni ligno frondoſo excitari ſolita idolorū altaria. Hæc mihi ſententia maximè omniū probatur, quam tradunt cum Hieronymo ſanctus Thomas, Theodoretus, & Hugo.Alluſiſſe autem videtur Propheta ad illud Pſalmi 105.*Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis: & effuderunt ſanguinem innocentem,ſanguinem filiorum ſuorum, quos ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.*

Addam ego explicationem aliam,quam tu,lector, expendes, vtinam non abs re. Sermonem 106. de Iudæorum populo nefariis ſacrificiis infecto, quaſi de meretrice,cui nulla frons eſt,aut pudoris cura,fecerat Ieremias, ad eam allegoriam præſētem reuocat accuſationem;docétque vſque adeò profligaſſe pudorem inuerecundam illam meretricem, vt publicè oſtendat in alis,putà veſtimētorum, & toto corporis habitu, ac præſertim in manibus,quæ omnium operum adminiſtræ ſunt, atque adeò pro operibus vſurpantur, ſuæ libidinis certa ſigna,& vitæ corruptiſſimæ documenta maxima.Illa verò in ſanguine notantur ſigna,aut quia allegorica illa fornicatio in mactandis,conſecrandíſque filiis Beelphegor, aut Moloch præcipuè ſpectabatur,aut quia libido, vt ſuprà diximus, ſignificatur in ſanguine. Hæc autem vſque adeò famæ ſuæ, atque pudoris curam abiecerat, vt non in foueis,ac luſtris,ſed in plateis,locíſque apertis,atque frequentibus, adornauerit ſibi immane proſtibulū.*Non*(inquit)*inueni eos in foſſis, ſed in omnibus,quæ ſuprà memoraui*; in conualle videlicet, aut ſub vmbroſo ligno,ſiue, vt Septuaginta vertunt,*ſub omni quercu.* Hæc iam nos ſigillatim, & propriùs expendamus.

Sanguis, pro libidine.

Mulierculaum illud ſordidum genus, quæ 107. venale corpus aliorum libidini proſtituunt,tenebricoſum locum amant, & occultos receſſus, quos foueas potiùs dixeris, quàm domos;dicuntur ſanè fornices,qui quaſi antra quædā ſunt, & luſtra,qualia ferarū cubilia,quæ luſtra etiā dicuntur. Nam quemadmodum feræ ſuas habent latebras tenebricoſas,fœdas, & odoris tetri;ſic ſcor-

ta latebras ſubeunt, vbi ab aliorum oculis ſemo- A
ta libidinentur. Hinc credo meretrices lupas, & meretricum diuerticula appellari lupanar, quia illæ vt lupæ voraces, & ſæuæ ſtultam iuuentutem lacerant, & deglubunt, & in obſcuris locis plerumque cubant. Hoc quia obſcurum eſt, Hiſpani obſcurum locum cubile vocant lupi, *boca de lobo*. Hæc ergo luſtra meretricia fornices, ſeu lupanaria foſſę, vt credo, vocantur, vbi ſordidæ illæ mulierculæ nefarium illum vſum corporis occultant. Dicit itaque Deus, meretricem illam non quæſiiſſe tenebras, & foſſam, vbi lateret turpis ille quæſtus, ſed omnem locum quantumuis publicum, & apertum iudicaſſe ſuis ſcortationibus opportunum. Quod ſanè ita conti- B
git in illa metaphorica fornicatione: nam vſque eò verecundatus non eſt, in eo meretricandi genere, Hebræorum populus, vt in omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo proſterneretur, &, vt ſtatim capite 3. dicetur, nullum locum libidini ſuæ cenſebat importunum. *Vide*, inquit, *vbi proſtrata non ſis, in viis ſedebas*, &c. Et Ezechielis cap. 16. verſu 24. *Ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis: ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.* Quin etiam in ipſo templo proſtibulum illud metaphoricum erexit: nam non multò antè in templo Gentilico ritu aram excitauit Achaz, 4. Regum cap. 16. & publica, & quaſi ſolenni cæremonia mulieres Ado- C
nidi Veneris amaſio parentabant, Ezechielis capite 8. vbi plura inuenies idololatriæ genera, quæ viri etiam religioſi, & Principes exercebant in templo. De quibus etiam vide libro 4. Regum capite 23. vbi, quæ ad idolorum cultum comparata fuerant, ſubuerſa dicuntur à Ioſia.

Meretrix cur dicta lupa.

Non libidinatum in aperto.

In omni loco Iudæorũ idololatria.

Neque etiam populus ille inuerecundus, atque impius ab opere propriè meretricio, atque nefario commune templum eſſe voluit: nam in eo meritoriis pueris domicilia locauerat, hoc ipſo tempore, quo hęc à Ieremia dicebantur, quæ Ioſias euertit, 4. Reg. 23. de quo ibidem: *Deſtruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini.*

108. At dices, contra hanc expoſitionem pugnare, D
quòd nõ dicitur in Vulgato textu, *inueni te*, nempe, *ô meretrix*, aut *inueni eam*, ſed, *inueni eos*, nempe Prophetas, aut pueros innocentes occiſos in foſſis. Reſpondeo, Scripturam ſæpe à figurata oratione ad propriam redire: quare cùm in meretrice intelligantur Iudæi, cùm de meretrice metaphoricè locutus eſſet, de Iudæis ſublata metaphora propriè loquutus eſt. Secundò reſpondeo, in illo, *inueni eos*, intelligi *ſanguines*, in quibus opera ſanguinis, ea maximè, quæ ad naturæ propagationem ſpectant, intelliguntur. Et ita putat hîc Maldonatus. Et in plurali numero *ſanguines* reddunt Septuaginta. Inueniſſe itaque dicitur Deus E
ſanguines, quibus infectæ erant meretricis alæ, ideſt, immunda opera, quæ à ſanguine ſunt, non in foſſis, ideſt, in occulto, ſed in publico, atque etiam ſacrato loco. Quòd autem ſanguines pro eo carnis opere ſumantur, quod proli ſeruit, aut libidini, tenent communiter Interpretes in illud Ioan. cap. 1. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hanc ego ſententiam ita propono, vt cõmunem, quam Hieronymus tradidit, præferẽdam putem.

Ioan. 1.

Verſ. 35. *Et dixiſti: Abſque peccato, & innocens ego ſum; propterea auertatur furor tuus à me.*] Credo viti- 109.
tatum olim inter Hebræos, vt in precando ſuam innocentiam, aut in Deum merita proponerent, quod Dauid ſæpe fecit in Pſalmis. Pſalmo 131. *Memento, Domine, Dauid, & omnis mãſuetudinis eius.* Et Iſaiæ capite 38. Ezechias: *Obſecro, Domine, memento, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto: & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Secundùm quam conſuetudinem Phariſæus ſic apud Lucam capite 18. orat: *Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo.* Sic populus ille innocentiam ſuam proponebat Domino, vt illius in ſe miſericordiam inflecteret, cùm tamen plurima admiſiſſet peccata, eáque ſic omnibus manifeſta, vt nulla poſſent tergiuerſatione diſſimulari.

Merita in precando proponi ſolita.

Ecce ego iudicio contendã tecum, eò quòd dixeris, Non peccaui.] Periculoſum eſt, aliquem, licèt ab omni 110.
liberum culpa, bene de ſe, atque honeſtè ſentire, eo præſertim tempore, cùm ſe ad Dominum in preces dat. Quare Deus illos, quos ornare vult, & cumulare bonis, eò priùs adigit, vt fracta ſpirituum inſolentia, minùs de ſe magnificè cogitent, vt pluribus docuimus ad illud Canticorum 1. *Nigra ſum.* Deus nunc id agit cum ſuperbo populo, ſibíque de innocentia ſtultè blandienti, ſua vt ſcelera iudicio conuictus recognoſcat, deponátque, quam antè de ſe cogitationem habuerat.

Verſ. 36. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.*] Ex eo quod nunc populus facere molitur, 111.
qualis antea fuerit, coniectare iubet. Abierat olim populus in Ægyptum, vbi durum, ac vile miniſterium ſubiit, vbi etiam iuxta Ægyptiorum mores idolis ſupplicauit; cùm iterare viam illam velit, & rurſus ad Ægyptios reuerti, oſtendit, quales etiam inpoſterum futuri ſint, nempe, idololatræ, vt nuper probauimus n. 107. & miſeri, vt re ipſa non longè poſt reditum experti ſunt. hac ergo repetita via, totius vitæ coniecturam facit, & documentum præbet.

Ab Ægypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur.] 112.
Ab Aſſyriis auxilium ſibi petiit Achaz, à quibus poſtea grauiter attrita eſt res Iudaica, & decem aliæ Tribus in exilium abductæ. Non itaque magis propitios habebunt Ægyptios Iudæi, neque minorem apud illos ignominiam ſubibunt: quàm Iſraëlitæ priùs captiui, aut poſtea ſub Ezechia Iudæi habuerunt Aſſyrios.

Verſ. 37. *Nam & ab iſta egredieris, & manus tua* 113.
erunt ſuper caput tuum.] Quæ nunc ad Ægyptios ingredi vult, inanis confidentiæ plena, inde egredietur confuſa, adeóque ſeuerè mulctata, vt manus gemebunda referat ſupra caput. Quod ignominiæ ſummæ, atque doloris argumentum eſt. Dominus enim infelicem illum curſum ita moderabitur, vt nihil ex eo proſperum contingat, & quidem ita accidit, vt aliis in locis ſæpe prædicit Ieremias. Manus autem ſuper caput habere, doloris ſignum eſt, atque infortunij, quaſi grauiter vulneratum ſit caput, ideſt, res in humano corpore præcipua. Sic Hiſpanus cùm tale aliquid ſignificare vult, prouerbiali forma dicit, *Voluio con las manos en la cabeça.* Sic Thamar 2. Regum 13. à fratre violata: *Aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat, ingrediens, & clamans.* Hæc de capite 2.

Prov. Manus ſuper caput.

ARGVMENTVM CAPITIS III.

VOCAT Dominus verbis amantiſſimis Judæorum populum ad ſe, licèt ea admiſerit, longéque grauiora iis, propter quæ vxor cum libello repudij à viro dimittitur. Deinde decem Tribuum exemplo propoſito, duarum impietatem amplificat, & tam illas, quàm has ad vitæ conuerſionem inducit, promittítque grandia, ipſiſq; opportuna maximè beneficia. Ad extremum inducuntur ad pœnitentiam Judæi, ſub Joſia nempe Rege, quo tempore hæc à Jeremia producta ſunt; qui priora conſilia deteſtantur, & dolent, ſolúmque Deum confitentur Iſraëliticæ auctorem, conſeruatorémque ſalutis.

IEREM. CAP. III.

1. Vlgò dicitur: Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam vltrà? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.

2. Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non proſtrata ſis: in viis ſedebas, expectans eos quaſi latro in ſolitudine: & polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.

3. Quam ob rem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & ſerotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.

4. Ergò ſaltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.

4. Nun

IN IDEM CAP. PARAPH.

A 1. Vlgare prouerbium eſt, quod imperita etiam hominum multitudo paſſim vſurpat, ſi vxor à viro repudiata, & ab eo digreſſa alterius ſe nuptiis implicauerit, nunquid ad priorem thalamum aliquando redibit? Nunquid ea fœmina non eo cenſebitur loco, quo polluta, & menſtruata, quam omnes execrantur, & horrent? Tu autem non vnius viri legitimum thalamum iniiſti, ſed amatoribus multis implicata es; veruntamen reuertere ad me: non enim, quod alij facerent, ab amplexu repellam.

B 2. Aſpice quantum aſſequi potes oculorum coniectu, & omnia loca, vbi idolorum excitantur aræ, latéque proſpecta, & nullum inuenies, vbi meretricata non fueris. In viis tibi lupanar excitabas, vt ad nefarios amplexus incautum viatorem alliceres, non aliter ac latro, qui iuxta vias in ſolitudine inſidiis excipit tranſeuntes: & eò tandem progreſſa es, vt omnem terram ſcortationibus, ac flagitiis fœdè contaminaueris.

3. Hinc enim factum eſt, vt deficiente imbre temporaneo, ſqualleſcant agri, & areſcant ſiti, & pluuiæ ſerotinæ defectu
C ſpes nulla ſit frugum ex copioſa ſemente. Perfricuiſti planè frontem, non aliter ac vile, & publicum ſcortũ, quod cum honeſtate ipſam quoque verecundiã deponit.

4. Cùm diu amatoribus aliis nimium te facilem, & obſequentem præbueris, ex hoc ſaltem die ad torum illum reuertere, quem cum tanto tuo malo, atque dedecore prodidiſti: inſtauremus nuptias, & illis me nominibus deinceps compella, quibus ſponſa ſolenni ritu ſponſum appellat, patrem videlicet ſuum, & quem ætatis puellaris, & teneræ ducem, atque magiſtrum habuerit.

5. Nun

5. Nunquid iraſcêris in perpetuum, aut perſeuerabis in finem? Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti.

A 5. Nunquid, ô ſponſa fugitiua, tot modis vocata, tot exagitata conuitiis, & iam ſcelerum conſcia, & periculi admonita, iraſcêris tamen contra ſponſum, tam benignè de te, atque prolixè meritum, neque vllus erit auerſioni modus? Ecce quod cogitaſti apud te, facere tentaſti, &, quod mirandùm magis, perficere potuiſti.

6. Et dixit Dominus ad me in diebus Ioſiæ regis: Nunquid vidiſti quæ fecerit auerſatrix Iſraël? abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi.

6. Dum adhuc regnaret in Iudæa Ioſias, in hunc me modum alloquutus eſt Deus: Nunquid vidiſti, ô Ieremia; quid fecerint antè decem Tribubus, quæ ſine
B vlla ſimulatione, inuerecundè, ac liberè ad impia idolorum ſacra defecerunt? Nullum enim omiſerunt aut collem ſublimem, aut vmbroſum lucũ, vbi nefariæ religionis excitantur aræ, vbi meretricatæ non fuerint.

7. Et dixi, cùm feciſſet hæc omnia: Ad me reuertere: & non eſt reuerſa. Et vidit præuaricatrix ſoror eius Iuda,

7. Cùm tamen eò ſe turpitudinis proieciſſet pars illa Iſraël, admonui ſæpe, & amanter, vt ad me rediret, inuitaui; neque aures mihi præbuit obſequentes. Quod vidit (nec enim latêre poterat) præuaricatrix, quæque ſimulatè tantùm, & ad ſpeciem me colit, & obſeruat, Iuda, quæ idem
C cum ipſis genus, & parentem agnoſcit.

8. Quia pro eo, quòd mœchata eſſet auerſatrix Iſraël, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum repudij: & non timuit præuaricatrix Iuda ſoror eius, ſed abiit, & fornicata eſt etiam ipſa.

8. Vidit, inquam, quemadmodum, propterea quòd alienum thalamum ambierit, inieritque Iſraël, quæ faciem à me impudenter auerterat, abieciſſem eam, datóque repudij libello, quaſi ſolenni, atque legitima forma dimiſiſſem; neque tamen ideo alieno edocta periculo, Iuda, quæ minùs quidem apertè, magis tamen veteratoriè à me defecit, timuit; ſed abiit etiam ad aliena ſacra, & eodem, quo ſoror, animo fornicata eſt.

9. Et facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno.

D 9. Et dum facilem ſe aliorum libidini proſtituit, cum ligno, & marmore non ſtolidè ſolùm, ſed etiam inuerecundè fornicata contaminauit, & perdidit terram, effecítque, vt nihil afferret humanis vſibus opportunum.

10. Et in omnibus his non eſt reuerſa ad me præuaricatrix ſoror eius Iuda in toto corde ſuo, ſed in mendacio, ait Dominus.

10. His omnibus adde, quòd Iſraëlis ſoror præuaricatrix, & doloſa Iuda, nunquam ad me, dicit Dominus, ſeriò, atque ex animo reuerſa eſt, ſed ſimulatè, & falsò: non tam ſyncera, ac ſimplici, quàm fucata pietatis ſpecie.

11. Et dixit Dominus ad me: Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſraël, comparatione præuaricatricis Iudæ.

11. Pòſt ſic ad me Dominus: Ea eſt Iu-
E dæ impietas, & cum idolomaniæ ſtudio, tam impudens religionis veræ ſimulatio, vt eius comparatione iuſta cenſeri poſſit auerſatrix Iſraël, quæ tamen multis ſe contaminauit flagitiis.

12. Vade, & clama ſermones iſtos contra Aquilonẽ, & dices: Reuertere auerſatrix Iſraël, ait Dominus; & non auertam faciem meam à vobis: quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum.

12. Nihilo tamẽ minùs ad deſerti thalami ſocietatẽ reuertere, neque enim ab eo repellêris. Quódque vt magis tibi perſuadeas, vide quemadmodum poſt datum repudij librum, ſororem tuam Iſraël aduocari iubeo. Quare, ô Ieremia, quantum potes,

A clamore contende contra Aquilonem, vbi
decem Tribus captiuæ degunt., & vociferare ad Iſraël,& dic: Reuertere Iſraël,quæ meum antea conſpectũm, & nomen auerſata es. Neque enim auertam faciem à vobis, ſed obuiis potiùs manibus amplexabor: ſanctus etenim, & miſericors ſum, neque in animo ad miſerendum prono æternæ conſeruantur iræ.

13. *Veruntamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es: & diſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo, & vocem meam non audiſti, ait Dominus.*

13. Nunc iam diſce, quomodo ad me
redire debeas: primùm ſuperioris vitæ ve-
B ſtigia relege,& quę admiſiſti in Deum ſce-
lera dolendo recognoſce. Quemadmo-
dum in viis omnibus, & ſub omni ligno
frondoſo lupanar excitaſti, vbi alienorum
libidini ſuccumberes, & ad voces meas,
quæ te ab eo viuendi genere reuocabant,
aures obſtruxiſti.

14. *Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego vir veſter: & aſſumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion:*

14. Conuertimini ad me non ſimula-
tè, ſed ex animo, ac ſeriò, dicit Dominus;
quia ego vir veſter ſum, ſponſúſque legi-
timus, alij verò omnes prorſus adulteri.
Quos eodẽ habebo numero, ac loco, quo
C olim integra, atque florente Republica: nã
ſi eò fueritis redacti, vt è ſingulis ciuitati-
bus ſinguli, atque è ſingulis cognationi-
bus, & Tribubus, in quibus plurimę ciuita-
tes ſunt, bini tantùm ſuperſint, aſſumam
tamen vos in ſinum molliter, non aliter at-
que ſponſus, quam vnicè amat ſponſam.

15. *Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.*

15. Præponam autem vobis, dicit Do-
minus, non ſtultos, & ſomniculoſos, ſed
ſtrenuos, ac vigilantes paſtores, qui non
tam ex ſuo, quàm ex Diuino conſilio, cui
ipſi ſemper obſequentur, doctrinæ ſanæ
pabulo paſcent vos.

16. *Cúmque multiplicati fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent vltrà: Arca teſtamenti Domini: neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius: nec viſitabitur, nec fiet vltrà.*

D 16. Cùm autem in patriam ſedem re-
uerſi magnum in numerum excreueritis,
ſic eritis ab omni periculorum metu libe-
ri, ſic vobiſcum agam familiariter, vt ad
arcam auxilij, vel oraculi petendi gratiâ
confugere neceſſarium non ſit. Neque
erit, cur venire debeat in mentem cogita-
tio de arca; quia nec viſitabitur, neque
fiet, aut erit ampliùs in templo.

17. *In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini: & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Ieruſalem, & non ambulabunt poſt prauitatem cordis ſui peſſimi.*

17. Cur neque neceſſaria futura ſit arca,
neque arcæ in Iudæorũ animis deſideriũ,
ea ratio eſt, quia Deus id præſtabit in tota
E Hieroſolyma, quod olim in arca: vt enim
arca ſolium erat Dei, ſic deinde tota ciui-
tas ſolium Dei appellabitur. In quam vn-
decunque Gentium plurimi conuenient,
Diuinum auſpicium, & imperium ſequuti:
neque poſt animi ſui ſenſus immoderatos,
& prauos ambulabunt.

18. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus veſtris.*

18. In diebus illis decem Tribus adiungent ſe duabus, & inter ſe commixtæ ab Aquilonari plaga in terram, quam parentes olim veſtri tenuerunt, reuertemini, dicit Dominus.

19. Ego 19. Dixi

A 19. *Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.*

B 20. *Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſraël, dicit Dominus.*

21. *Vox in viis audita eſt, ploratus & vlulatus filiorum Iſraël: quoniam iniquam fecerunt viam ſuam, obliti ſunt Domini Dei ſui.*

C 22. *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noſter.*

D 23. *Verè mendaces erant colles, & multitudo montium: verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël.*

24. *Confuſio comedit laborem patrum noſtrorum ab adoleſcentia noſtra, greges eorum, & armenta eorum, filios eorum, & filias eorum.*

E 25. *Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra: quoniam Domino Deo noſtro peccauimus nos, & patres noſtri, ab adoleſcentia noſtra vſque ad diem hanc: & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri.*

19. Dixi olim, quod re etiam præſtiti, quàm libenter te, ô Iſraël, in filium mihi, & populum aſſumam, dabóque regionem vberem, & pulchram, & omnium votis deſiderabilem, quam vacuam tibi reddidi, exturbatis inde robuſtis, atque pugnacibus habitatoribus: præcepi tamen, vt perpetua tibi foret illa poſſeſſio, ſi tamen neminem patrem, aut ſponſum vocares præter me, neque à mea voluntate quóquam vnquam diſcederes.

20. Defecit tamen populus à fide, quam integram mihi ſeruare debuit: neque aliter affectus in liberalem, & amantem Dominum fuit, quàm mulier in amatorem, à quo decepta eſt. Quæ multò magis illum odit deluſa, quàm amauerat antea muneribus, ac blandimentis allecta; quare contempſit me, dicit Dominus Deus Iſraël.

21. Quia ſceleratam viam ingreſſi ſunt, & Dei ſui penitus abiecére memoriam filij Iſraël, ideo videre iam illos videor diſperſos in viis, cum flebili vlulatu, miſerandum in modum in exilium abduci.

22. Conuertimini ad me ſeriò, atque ex animo, non ſeruili, atque ignobili, ſed ingenua, ac vera conuerſione. Et quidquid propter auerſionem vobis accidit malè, ſanum præſtabo. Ad hæc Domini verba compuncti Iudæi, ſic ad Dominum clamant: Quando nos ad te venire iubes, ecce venimus, te vt patrem, & magiſtrum ſequamur: neque enim vllus extra te Deus nobis, ac Dominus eſt.

23. Verè mendaces erant dij, quorum aras in collibus, & montibus innumeris, frequentes obibamus. Verè iam experti ſumus in vno Domino Deo Iſraëlis ſalutem eſſe poſitam.

24. Idolorum nefanda religio, ex qua nihil præter confuſionem accepimus, iampridem omnem parētum noſtrorum operam aſſumpſit. Comedit enim non ſolùm greges, & armenta, ſed etiam filios, & filias, quæ ad impias idolorum aras mactabantur: traducebantur namque per ignem, aut aliis etiam modis ſacrabantur idolis.

25. Tam erit grauis dolor, quem ex peccatis, confuſionéque concepimus, vt neque nocturna quiete laxari poſſit: ſic nos operiet, atque opprimet ignominia, vt neque liberè, neque facilè reſpirare ſinat: dum recordamur, quemadmodum nos, maioréſque noſtri ab antiquiſſimis populi noſtri temporibus ad hunc vſque diem Diuina præcepta violauimus, & ad illum ſæpius inclamantem aures obſtruximus.

IN CA

IN CAPVT TERTIVM IEREMIÆ.

1. ANTEQVAM ad explicationem capitis accedo, explicandum mihi cenſeo, quid de libello repudij ſacra Scriptura doceat. Neque enim aliter, quæ in hoc capite præcipua ſunt, quiſpiam intelliget. Egimus de his in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam ad illud cap.50. *Quis eſt hic liber repudij?* Ex quo loco aliqua nobis ſumenda ſunt. Repudij lex, vt certa forma deſcribitur Deuteronomij cap.24. cuius hæc ſunt verba: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cúmque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederítque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem.* Ex his verbis duo licet inferre. Alterum, vxorem nullo modo poſſe dimitti, niſi legitima, atque ſolennis intercederet forma, ideſt, niſi daretur vxori dimiſſæ libellus repudij, ſiue diuortij, vt publico teſtimonio, ac fide probaret, ſe iam eſſe ſolutam à priori viro. Alterum eſt, vxorem repudiatam, ſi alteri nupſiſſet viro, & ab illo rurſus eſſet dimiſſa, vel illo vita functo, vidua eſſet relicta, à priori viro ad thalamum, ſocialémque vitam reuocari non poſſe. Quot verò ad legitimam libelli formam, olim fortaſſe, noſtro certè tempore requirant Iudæi, docet Sixtus Senenſis libro 2. Bibliothecæ, titulo, *Repudij humani libellus;* vbi libelli formam deſcribit, quam nos in Iſaiam ſuprà retulimus.

Repudij lex. Deut.24.

2. Hanc repudij legem prouerbialem quondam fuiſſe mihi certum eſt, qua indicatur, ſocietatem ſic inter aliquos eſſe diſciſſam, vt nulla ratione, aut vllo modo conglutinari poſſit. Quod Hebræi corui diſceſſu, qui ſic auolauit ex arca, vt nunquam remigrarit, ſignificare ſolent. Sicut etiam Hiſpani, qui cùm perpetuum volunt oſtendere diſſidium, aut cùm perpetuam alicui precantur abſentiam, dicunt: *la yda del cueruo.* De ſenſu myſtico nihil hîc dicam, ſatis enim multa, eáque ad mores grauia, retuli in illum Iſaiæ locum, de quo ſuprà. Quæ verò de libello repudij dicenda ſuperſunt, illa in hoc cap. vt quæque res exigat, ſuo loco dicentur.

PROVERB. Libellus repudij.

3. Verſ.1. *Vulgò dicitur.*] Hæc verba ſatis probant, prouerbialem hanc eſſe ſententiam, vel ita notam, propter repudij frequentem vſum, vt Iudæorum nullus illam ignotet. Septuaginta omiſerunt hæc verba, inchoauerúntque caput ab illis, *Si dimiſerit,* &c. In textu Hebraico nulla pars eſt quæ *vulgò* reſpondeat. Quare Hebræi vocem לאמור *lemor,* à qua caput hoc tertium ducitur, extremam eſſe putant præcedentis capitis; quaſi Dominus oſtendat, quomodo obterenda ſit populi confidentia, dicendo videlicet, *Si dimiſerit vir vxorem ſuam,* &c. Verumtamen, hæc verba, vt vides, & vt optimè notauit Maldonatus, non ſunt eius, qui obterere velit alicuius ſpem, ſed eius potiùs, qui ſpem confirmet, & ad ſalutem coniugalémque fidem hortetur, & accerſat. Noſter autem interpres Hebraicæ voci *vulgò* adiungit, quia

A ſententiam, quam ſtatim adiungit, prouerbialem eſſe nouerat: neque tantùm ad verba, ſed etiam ad ſententiam aſpexit.

Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltrà?] Hæc eſt altera pars legis de repudio, quam nuper explicuimus.

Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa?] Contaminatum dicitur, & pollutum, quod legalem aliquam immunditiam contraxit, qualis eſt mulier menſtruata, & quæ nondum à puerperij ſanguine purificata eſt. Ab his autem, qui polluti ſunt, aut quæ polluere alios poſſunt, lex cauet abſtinendum: vnde ortum eſt, vt ſi quid eſt eiuſmodi, vt cum eo conuiuere, aut conuerſari nefas, vt ſunt, qui Eccleſiam legitimè admoniti audire noluerunt, B illi cenſeantur tanquam polluti, & contaminati, nempe, tanquam ethnicus, & publicanus, qui eodem etiam ſenſu polluti dicuntur. Dicuntur igitur polluti, non tam illi, qui ſordes contraxêre legales, ſed qui è congreſſu, & menſa repelluntur, pollutorum in morem. Subaudienda eſt autem ſimilitudinis nota, *Nunquid non ſicut polluta, & cõtaminata iudicabitur illa mulier?* reſpectu nempe prioris viri, cui lex interdixit vxoris eo modo repudiatæ commercium: nam aliis illam ducere, & cum illa conuiuere permiſſum, quod ſanè nullo liceret modo, ſi illa verè, & propriè foret polluta. 4.

Vxor repudiata vilis.

Hæc mihi ratio ſoluta videtur, & facilis, ſed non omnino toti ſatiſfacit capiti, quod iuxta textum Hebraicum, & aliorum tranſlationem C communem, pro *muliere polluta,* terram pollutam habet. Quare ſic puto accipiendum hoc loco *polluo,* vt contemptum ſignificet, & vilitatem, cùm aliquid illa infamia notatum eſſe videmus, vt vili eſſe numero debeat, & loco, in quo eſt, infamiam afferat, aut in cauſa ſit, vt horrori aliis, aut pudori ſit. De contemptu, aut vilitate docuit Abulenſis in caput 22. Leuitici, quæſtione 17. & quæſtione 25. vbi explicat, quid ſit pollui nomen Domini, & pollui ſanctificata, nempe contemni. Terra verò polluta dicitur, cùm repudiata vxor à viro recipitur; quia indicat & in eo loco legem Dei eſſe neglectam, & viles eſſe homines, qui repudiatas à ſe vxores in thalami rurſus ſocietatem accerſant. 5.

Repudiata quomodo terram contaminet.

Vbi Vulgatus, *Polluta, & contaminata erit mulier* D *illa,* Hebraicus habet, *terra illa.* & ita iuniores interpretes conuertunt. Et quidem Deuteronomij capite 24. recepta à viro priori vxor repudiata polluere dicitur, & contaminare terram; ſed Vulgatus, etiamſi pro *terra mulierem* adhibuerit, ſententiam non mutauit, quia explicuit, aut continuauit metaphoram, quæ terram Iuda repudiatam ſæpe tam in hoc quàm in præcedenti capite in muliere adultera repræſentat. 6.

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me.] Suam Dominus clementiam oſtendit, ingeniúmque ad miſerendum pronum, quando quod viri minus è ſua dignitate exiſtimarent, ſi repudiatam priùs vxorem rurſus admitterent, id Deus vſque adeò à ſua dignitate 7.

Dei humanitas & amor.

putauit non alienum, vt illam poſtliminio reuocet, immo ſibi putet eſſe glorioſum, habere illam lecti genialis conſortem. Putat ſanè vir turpe, illam habere ſecum, qui alteríus aſſueuit legitimo thalamo, ſi tamen prius à ſe digreſſa eſt. At Deus, etiamſi cum amatoribus multis libidinata ſit, pudorémque ſuum omnibus, ſine vllo prorſus delectu aut temporis, aut loci prodiderit, illam rurſus amplecti, & ſuo fouere in ſinu deſiderat.

Amici inutiles quomodo ab Hiſpanis vocentur.

Illud etiam hîc obſeruari non abs re fuerit, amatores hoſce, qui non tam aliorum animos, quàm corpus amant, qui amori potiùs Aphrodiſio, ideſt, turpi, ſtudent, quàm Vranio, ideſt, honeſto, appellari olim apud Hiſpanos non *amigos*, quia nomen iſtud honeſtum eſt, & dignitatis plenum, ſed *amigotes*, vt docet antiquiſſima tranſlatio Hiſpanica. Nunc verò corruptis moribus, ipſa quoque corrumpuntur vocabula, rebúſque turpiſſimis, prò dedecus, & pudor! honeſtæ voces accommodantur.

8. Verſ. 2. *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi proſtrata non ſis.*] Commendat clementiam ſuam Deus, dum profuſam Iudæorum intemperantiam oſtendit, neque ad illos flagitij coarguendos, alios adhibet teſtes, quàm illorum animos ſcelerum conſcios. Pro *in directum*, Hebraicè eſt שפים *ſephaiim*, quæ vox *colles, rupes, & excelſa loca* ſignificat, vt etiam aliquando Hieronymus conuertit. Quaſi Dominus iubeat, vt loca intueatur excelſa iſta metaphorica meretrix, vbi ad impias aras idolis ſupplicauit. Sed idem eſt ſenſus, ſi *in directum* interpretere, immo aliquantò ſignificantior. Ac ſi dicas: Aſpice quantum aſſequi potes oculorum coniectu. Oculi verò directo obtutu, quia & ipſi in excelſa corporis parte ſiti ſunt, excelſa loca conſpiciunt.

Meretrix in via.

9. *In viis ſedebas, expectans eos, quaſi latro in ſolitudine.*] Perſequitur meretricis allegoriam, & populo Iudæorum id aſcribit, quod ſcortorum viliſſimorum proprium eſt, nempe, vt in viis ſedeant, & incautos homines, neque quicquam cogitantes impurum, ad congreſſus flagitioſos allectent. Fuit autem olim apud Hebræos frequens, vt meretrices publicas obſiderent vias, quia locus ille maximè ad nefarium illum quæſtum putabatur opportunus. Sic Thamar, cùm ſpeciem aſſumeret meretriciam, iuxta viam ſedit, ſecurúmque decepit, & attraxit Iudam, Geneſis 38. Ex hac conſuetudine ortum eſt illud Ezechielis capite 16. verſu 25. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.* & iterum verſu 31. *Fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ.* Illud *eos*, refert *amatores*, de quibus paulò antea. hi verò ſunt alieni dij, quorum voluntati, atque libidini ſuccubuit. Expectare autem dicitur in viis, tum quia ibi meliùs peregrina ſacra noſſe poterat, cùm viatores vndecunque commeantes, quę ſua ſunt, aliò frequenter conuehunt, tum quia, quæ in via ſedet, nihil habet clauſum, nihil, quo ſe ab aliorum iniuria tegat, atque ideò aperto pectore non modò quamcunque patitur vim, ſed quemcunque etiam afflatum, & ſpiritum haurit.

Ezech. c. 16.

Arabes, latrones & mercatores.

10. Vbi Vulgatus, *quaſi latro*. Septuaginta, *quaſi cornix*. Hebraicè, כערבי *kaarabi*, communiter alij, *ſicut Arabs*, noſter à textu Hebraico nihilo differt, tantùm propriè ſumpſit, quod Hebraicus textus expreſſit figuratè. Sumpſit Hebraicus ſpeciem pro genere, Arabem nempe, pro quocunque latrone. Vulgatus ſine figura latronem

A adhibuit. Eſt autem veriſimile, cùm Arabes in ſolitudine vitam agant ſylueſtrem, vtrinque vias inſidijs, ác cædibus opportunas, conſueuiſſe illas obſidere, vt viatores exciperent, & ſternerent incautos. Alij in Arabibus non vim, aut inſidias agnoſcũt, ſed induſtriam ad coëmendas, vel diſtrahendas merces: cùm enim ciuitates non habeant, ſed in tabernaculis plerunque degant, emporium nullum habent certum, vbi & ipſi venales proponant merces, & quò alij negotiandi cauſa conueniant. Sic meretrix illa, vt merces illas metaphoricas vendat, ſuam nimirum voluntatem, & ſenſus, ipſámque animam, quam B venalem habet, multis ſimulacris, aut ibidem quicquid peregrinæ religionis à viatore comportatur, magno ſuarum rerum diſpendio coëmat, vias elegit, vbi ad impurum, ſacrilegúmque commercium aſſiſteret.

11. Quoad tranſlationem Septuaginta, qui *cornicem* tranſtulerunt, eſt aliquid, quod diuinem potiùs, quàm quod affirmare certò poſſim. Cornicem aiunt iuxta viam ſedere, quia in via fortaſſe cadauera ſunt, vel aliquid à viatore relictum, quod ipſa voret. Hoc certè de coruis, quod vox ſignificat Hebraica, audaciùs dixerim, qui putridis éſcis, & grauiter olentibus cadaueribus oblectantur, quibus ad capturam illam putrem, C & fœtentem, opportuna viſa eſt ſtatio prope viam. His ergo optimè aſſimilatur illa meretrix, & idolorum amatrix, quæ mortua captat ſimulacra, & mortuos deos, multò grauiùs fœtentes, quàm tabida aſinorum cadauera, quæ in viis putreſcunt, & ſoluuntur in ſaniem.

Luxurioſus fœtens & putris.

12. *Et polluiſti terram in fornicationibus tuis.*] Polluit terram, quia in ea aliquid admiſcet, quod illi religioni pudori eſſe, atque horrori debuerit. Quomodo filij Iudæ Geneſis 38. ſemine in terram nequiter effuſo, illam polluiſſe videri poſſent; ſed hic terra alio etiam modo polluta dici poteſt, quia propter infandum illud ſcelus prohibita de cælo pluuia ſterilitatem contraxit, & maciem, quod proximè ſtatim ſignificatur.

Peccata publica ciuitatem polluunt.

D Verſ. 3. *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum.*] Ex his duo colliget ſpiritualis lector. Alterum eſt, peccato publico, ſi impunè committitur, non modò familiam, ſed totam ciuitatem vileſcere, ac contaminari. & quidem impunitum peccatum, quod occultum non eſt, indicium eſt grauiter affectæ, atque ægrotantis ciuitatis.

Alterum, publicum peccatum publicæ calamitatis eſſe cauſam, famis videlicet, peſtis, belli, & ſi quid eſt aliud, quod commune bonum obterit, & affligit: neque ratio deeſt publici damni, propter publicum ſcelus, quia in publico peccato publicè etiam ab omnibus peccari cenſetur, dum alij ferunt, alij diſſimulant, alij annuunt, alij conniuent, & horum multi ægrè admodum liberari poſſunt à culpa.

Publicum peccatum publicæ calamitatis cauſa.

E *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.*] 13. Peccant ſcorta, peccant etiam interdum fœminæ, quæ putantur honeſtæ; & quæ non ita pudorem abiecerunt, vt honoris quoque ſtudium neglexerint. At ſcorta peccant inuerecundè, vſque adeò perfricta fronte, vt neque aliorum oculos vereantur, neque reprehenſionem, aut publicam infamiam reformident. Eò progreſſa fuerat Hebræa gens, in ſuo metaphorico proſtibulo, quo in ſuo lupanari illa, quæ propriè dicitur meretrix: neque vtraque ita verecundata eſt, vt non publicè in oculis omnium ſibi

Peſſimus peccatorum ſtatus cum pudorem abiicit.

libidines ſuas proſtituerit. Hic ſtatus planè eſt, quem nobis Salomon Prou.18.v.3.proponit: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit;* & quem expreſſit Iudex ille apud Lucam cap. 18.qui neque Deum timebat, neque homines reuerebatur.

14. Verſ.4. *Ergo ſaltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.*] Verba hæc variè à variis explicari video, à quorum ſententiis quia facilè apud auctores ſuos videri poſſunt, abſtineo. Illa mihi vehementer probatur, quam pluribus explicui, probauíque ad illud Canticorum 8. *Sub arbore malo excitaui te.* vnde aliqua mihi neceſſariò ſumenda ſunt.

15. Et primùm obſeruo in nuptialibus ſacris, ſiue primò inſtitutis, ſiue inſtauratis denuò (quales futuræ erant illæ, ad quas nunc Deus fornicariam aduocat ſponſam) præcepta quædam tradi connubialia, quod Sponſa ipſa ſignificat Canticorum capite 8. cùm dixit de extremo ſacrorum illorum articulo, *Vbi me docebis?* Documentum autem & primum, & maximum illud erat, quo Sponſa iubebatur relictis parentibus adhærere viro ſuo, quod edictum eſt à Deo in ipſo mundi naſcentis exordio; quódque in nuptiali Pſalmo 44. poſuit Dauid, cùm dixit: *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Quaſi iam Sponſa nihil parentibus deberet, neque quicquam ab illorum prouidentia expectaret: quia iam à Sponſo tota pendet, & ab illo habere ſe omnia exiſtimatur. Docuit hoc optimè Ezechiel capite 16. vbi Sponſam facit proiectam à parentibus in abiectionem animæ, & à ſordido materni ſanguinis volutabro excitatam à Sponſo, ab eo vitam, & ornatum omnem, ad cultum, & delicias accepiſſe; quare optime illum appellare parentem ſuum potuit; à quo excitata recens nata de puluere, nutrita, atque inſtituta, non minora recepit, quàm ab indulgenti, atque prouida parentum

16. cuſtodia recepiſſet. Hoc idem ſignificauit Sponſus Canticorum 8. cùm ad Sponſæ votum, quæ inſtitui ſe cupiebat à Sponſo nuptialibus, & legitimis documentis, dum dixit, *Vbi me docebis?* reſpondit: *Sub arbore malo ſuſcitaui te. Vbi corrupta eſt mater tua; vbi violata eſt genitrix tua.* Ac ſi dicat; ſcio te à matre ſub arbore fuiſſe relictam, vbi te primùm enixa eſt; neque lotam, neque ſalitam ſale, neque præciſo vmbilico, in abiectionem denique animæ, & fœdè morituram: vnde ego te ſuſcitaui, alui, ornaui, & ad regnum vſque prouexi. Quare meo mihi merito pero, vt abs te habear parentis loco, & ideo ab Sponſa petit, vt ſe ipſo tanquam ſignaculo cor conſignet, & brachium, ideſt, nihil aut faciat, aut velit, niſi quod nouerit Sponſo fore non ingratum. Id quod filij parentibus ſuis præſtare debent. Quare mihi dubium non eſt, ſponſos eo rerum articulo parentes à noua nupta vocari ſolitos. Plura de his vide in noſtris Commentariis ſuper Cantica, vbi de hac conſuetudine, & loquendi formula fuſiùs egimus.

Ex his difficile non eſt ſtatuere, quid ſibi à fornicaria ſponſa, & poſt vaga omnium amatorum veſtigia diffluente poſcat. nèpe, vt ad ſponſi antiqui caſtos ſe referat amplexus, & inſtauret coniugalem fidem, quam toties inuerecundè violarat; matrimonium verò per metonymiam, matrimonij quodam ſigno declaratur. Eſt autem matrimonij apud Hebræos legitimum, ac ſolenne ſignum illa compellatio, qua ſponſus vocatur pater à ſponſa. Quare cùm Deus ait, *Amodò voca me, Pater meus*, hoc figuratè dicit, renoua nuptias, & ad thalamum redi. vide quæ diximus infrà num.53. vbi pater amatori opponitur, ſponſus videlicet fornicario.

Dux virginitatis meæ.] Hebraicè, נעורי *neurai*: quod non tam virginitatem valet, quàm adoleſcentiam, & ætatem teneram; ſed quam plerunque, vt ipſa fert natura, comitatur virginitas, ſi tenera ſignificatur ætas, ſignificatur illud tempus, in quo populum in adoleſcentia, ideſt, cùm primùm egreſſus eſt ex Ægypto, per deſertum duxit, de quo Deuteronomij 32. *Dominus ſolus Deus eis fuit.* aut, quod mihi videtur magis veriſimile, per epexegeſim eadem iteratur ſententia. Neque enim alius ætatem filiarum inſtituit, ducit, & moderatur, quàm pater, & ideo idem eſt omnino pater, & virginitatis dux. Quæ ſententia mihi valde probatur; ſed aliquid occurrit occultum magis, magíſque conſentaneum ad Hebræorum ritus. Notum eſt, cùm primùm puella viro eſſet locata, excedere à paterna familia, & in ſponſi ſui familiam, & cognationem immigrare; quod aliis etiam gentibus cum Hebræo populo commune fuit, vt diximus ad illud capitis 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea.* id quod facilè conſtat ex Leuitici capite 21. vbi Sacerdos prohibetur contaminari in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, & propinquis, & vt explicet, quínam ſint illi conſanguinei, additū eſt, *ſuper matrem, & patrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & ſororem virginem, quæ non eſt nupta viro.* Ecce quo modo, quę nupta viro eſt, ad cognationem fratris non pertineat. & cap.22. cùm iis, qui ex Sacerdotis familia ſunt, ſanctificatis veſci permittatur, non tamen Sacerdotis filiæ, quæ alteri iam tradita eſt. Hinc optimè conſtat, cur pater virginitatis filiæ ſuæ dicatur dux, quia poſtquam alteri nupſit; & eſſe virgo deſiit, nullam iam habet illius curam, quia tota cura ad ſponſum traducitur; & ex eo tempore pater eſſe deſinit, & dux virginitatis, & in eius locum ſponſus ſuccedit. Quod ex Hebræorum ritu, prima nuptiarum nocte fit, antequam nuptialis turba diſcedat, quibus in ſuppoſito linteo oſtenduntur depoſitatæ virginitatis ſigna, quæ ſeruat pater, vt habeat, quid contra mariti intentam vxori calumniam opponat, quæ ſigna vocantur virginitatis, de quibus Deuteronomij 22. numero 15. Et ſicut pater dux appellatur virginitatis, ſic etiam ſponſus. Prouerbiorum 2. Sic enim ibi de vxore aliena, & vaga dicitur: *Quæ reliquit ducem pubertatis ſuæ,* ideſt, maritum.

Verſ. 5. *Nunquid iraſceris in perpetuum, aut perſeuerabis in finem?*] Hæc verba Maldonatus ſponſæ tribuit fornicariæ, quæ quaſi à Deo docta clamat: *Pater meus es tu, & dux virginitatis meæ.* Ne, quæſo, perpetua ſit tibi in noſtram alienationem, atque repudium offenſio, ſed aliquando iam inimicum animum ad benignitatem, & miſericordiam inflecte. Sic etiam, aut paulò aliter exponunt quidam è recentioribus cum ſancto Thoma, & Chaldæo, Vatablus, Iſidorus, & Caſtrus, qui verba hæc Deo tribuunt: ita tamen, vt ſibi offenſionem, & animum ad vindictam æſtuantem, futurum non eſſe diuturnum oſtendat, ſed potiùs præſcribat orandi modum; ita vt illud, *nunquid iraſceris,* &c. forma ſit orandi, aut certè proponat veniam non difficilem. & facit ad hoc poſterius, quòd in textu Hebraico non 19.

Margin notes: Cant.8. — Pſal.44. — *Vxor omnia ſe viro debere exiſtimatur.* — Cant.8. — Deuter.32. — *Pater virginem filiæ cuſtodit.* — Leu c.21. *Sponſa in ſponſi familiam cooptatur.* — Prouer.2. — *Deus exorari vult.*

eſt *iraſcêris*,& *perſeuerabis*, in ſecunda perſona,ſed, *iraſcetur*, & *perſeuerabit*. Quaſi dicat de ſeipſo Deus; ille,qui tibi orandi formam præſcribit, & ad antiquam amicitiam, & gratiam vocat, non iraſcetur in perpetuum, neque ſe tibi inexorabilem præbebit;qui precandi modus in ſacra Scriptura frequens eſt. Pſalmo 84. *Nunquid in æternum iraſcêris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?* & Pſalmo 102. *Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur.* Et ſanè iuxta hanc explicationem valde commendatur, & apparet Diuini pectoris lenitas, & humanitas, qui non tantùm promptus eſt poſtulata concedere,ſed ad petendum hortatur, & orationis formam præſcribit.

Pſal.84. Pſal.102.

20. Nihilominus credo,hæc eſſe verba non ſponſæ profugæ, ac vagæ, neque Dei orandi modum illi præſcribentis,aut promittentis facilem,& liberalem veniam, ſed potiùs pertinacem illius in peccando inuerecundiam exprobrantis. Ita cum Hieronymo tenet Hugo, Dionyſius,Lyra,Theodoretus, qui in his verbis Iudææ gentis obſtinatum in peccãdo animum agnoſcunt. Neque difficile, credo, illi videbitur, qui orationis filum paulò conſiderauerit attentiùs, qui obfirmatum in peccando conſilium reprehendit. Tunc verò ſic huius loci ſententiam inſtituo: Nunquid tot modis vocata,totque exagitata conuitiis,& iam niſi mens omnino excidit flagitiorum, & periculi conſcia, iraſcêris tamen contra ſponſum, tam benignè de te,támque prolixè meritum; neque furori tuo vnquam erit, atque auerſioni modus?

REGVLA. *Ex effectis nomen accommodatū rebus, ex quibus communiter oriuntur.*

21. Notandum hìc eſt, interdum in Scriptura ſacra ex effectis nomen accommodari rebus, quæ vt plurimum effectus illos parere ſolent. Quomodo delero per diluuium mundo, Deus pœnituiſſe dicitur, quia id communiter in rebus accidit, vt illa diſſoluamus, quæ non probantur, aut quæ nos feciſſe pœnitet,& pudet. Et propius ad id, quod præ manibus habemus, homo patrem, & matrem odiſſe dicitur, dum ſequitur Chriſtum, Lucæ 14. numero 26.quia patrem, & matrem relinquit, quod ex odio plerumque naſci ſolet. Sic ergo nunc irata in Dominum dicitur gens illa Hebræa, quia à Domino pertinaciter aufugit, quod offenſi animi, atque indignantis eſt.

Lucæ 14.

22. Hinc,credo, diligere dicitur ille, qui aliis obſequium, aut beneficium præbet,quia talia plerúque ex amore naſcuntur, quomodo eleemoſyna dicitur agape,ſeu charitas, & Magdalena dicitur plurimùm dilexiſſe, quia plurima dedit amoris ſigna Chriſto in domo Simonis; propter quod illi remiſſa ſunt peccata multa.ideſt,quæ pro peccatis iam antè dimiſſis ſupplicia debebat:notum eſt enim,peccatum dici peccati pœnam.

Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti.] Maldonatus ad ſuam ſententiam accommodatè ſic locum exponit: *Ecce ſimul atque hæc, quæ modo dixi, loquuta fueris, quamuis multa mala feceris, poteris, ideſt, praualebis contra me.* Sed iuxta ſententiam noſtram, aliter explicemus, neceſſe eſt,ita vt ſeuera ſit dictorum,factorúmque reprehenſio, quia non modò impiè locuta, ſed impiè etiam operata eſt. Sed illud admirandum magis,quòd ita Deus fuerit in tolerando patiens, ita in ſuſtinendò longanimis, vt quod cogitauit, facere tentauerit, & quod tentauit, perficere potuerit, ſponſa illa infidelis,& procax: eodem modo ſuam in ſuſtinendo peccatore patientiam admiratur Deus Malachiæ capite 3. numero 6. *Ego Deus, & non mutor, & vos filij Iacob non eſtis conſumpti?*

Dei admirabilis patientia.

Malachiæ c.3.

23. Hic, credo, verus ſenſus eſt, ſed accipe alium, & de illo, vt voles, ſtatue. Pertinaciam ſponſæ fugitiuæ proximè inſinuarat Deus, eámque in finem perſeueraturam affirmarat; idem nunc iterat, amplificátque breui commemoratione, quæ prædictorum inſtar epilogi eſt: dicítque loquutam fuiſſe, dixiſséque mala, quæ voluit, neque defeſſam fuiſſe illa graui peccatorum ſarcina, & in ardua, ac confragoſa adulterantium via, ſed adhuc nouis, atque integris eſſe ad peccandum viribus, perinde atque ſi nunc illud peccandi curriculum foret ingreſſa. Id enim valet illud *potuiſti*, ideſt, potens es adhuc, & indefeſſo ad peccandum animo. Exemplum habemus in profanis, quod hoc loquendi genus, & ſignificationem probat Martialis in Amphitheatro Cæſaris, epigramma.15.de Carpophoro,quẽ poſt occiſum vrſum, & leonem, confectum venabulo pardum, & aptum, adhuc tamen poſſe,ideſt, adhuc indefeſſo eſſe corpore, & integris viribus, neque animum, aut facultatem deeſſe, vt plura aggrederetur,conficerétque certamina.

Animus in peccando pertinax.

Præmia cùm laudis ferret,adhuc poterat.

Sanè mirum eſt, quenquam diu ferre potuiſſe peccatorum pondus, aut animum peſſima peccandi conſuetudine non eſſe laſſatum, ſed longè admirabilius, poſt tot moleſtias, atque faſtidia, quæ neceſſariò ſecum afferunt peccata, quæcunque illa ſint, quenquam retinere animi vires, in ea ſcelerum proſequutione vegetas, auidas, & quaſi recentes;laſſatos ſe dicunt in via iniquitatis peccatores,Sapientiæ capite 5.v.7.

24. Verſ.6. *Et dixit Dominus ad me, in die Ioſiæ Regis.*] Ex hoc loco vſque ad verſum 11. nihil eſt aliud, quàm exhortatio Iudæorum, vt ad Deum ſeriò, atque ex animo reuertantur,eorum exemplo, qui cùm eundem viuendi, ſeu peccandi modum eſſent amplexi, repudiati iam à Domino ſunt, & captiui in Aſſyriorum fines abducti. Quæ verò decem Tribus fecerint, quomodo iterum, atque iterum, vt ad meliorem frugem reuerterentur admonitæ, in peccandi tamen obſtinato conſilio perſtiterint, vt hæc cognouerint aliæ duæ Tribus, deterreríque alieno periculo à peccando debuerint, atque ideo nullus illis ſuperſit excuſationis locus, latè perſequitur. Quæ quia perſpicua ſunt, parum nobis in illorum explicatione ponendum eſt moræ, tantummodo paucula,eáque breuiter obſeruabimus.

25. Primùm Iſraël, quæ ſoror dicitur Iuda, vtpote ex eodem genere, *auerſatrix* vocatur, Iuda verò *præuaricatrix*. Horum nominum ratio nobis inueſtiganda eſt. *Auerſatrix* Hebraicè משובה *meſubah*, ſignificat gentem illam, quæ apertè, atque ſine vlla ſimulatione ab aliquo recedit,& deficit. Quod fecere decem Tribus, quæ abierunt à templo,vbi ſancto atque aſpectabili cultu Deus præcipuo quodam modo colebatur, & vitulis cõflatis ex auro Diuinos honores exhibuerunt, idque publicè, neque lege vlla humana, aut regia auctoritate prohibente. *Præuaricatrix* verò gentem ſonat, quæ non apertè, & liberè, ſicut *auerſatrix*, ſed occultè, ſimulatè, atque inſidioſè ab aliquo recedit,& illum, pro quo ſtare ſe ſimulat,callidis conſiliis oppugnat. Qualis in iudiciis exercendis dicitur ille, qui clientem ſuum,cuius cauſa laborare ſe profitetur, perfidioſè prodit, & euertit, Hebraicè

Cur auerſatrix Iſraël, & Iuda præuaricatrix.

Hebraicè בגודה *bagodah*. Talis fuit Iuda, quæ templum habuit, verámque religionem ſe tenere profeſſa eſt. Tamen, vt ſtatim queritur Dominus, non toto ad Deum corde, ſed in mendacio, ideſt, ſimulatè, & ſpecie tenus ſacrificium obibat, & præceptum à Domino cultum exhibebat. Vocatur autem gens illa, quæ ſpeciem potiùs religioſi cultus exhibet, quam verum cultum, בגודה *bagodah*, quia contemnit, & quaſi ſubſannat Deum, quaſi ſimulatum à vero diſcernere non poſſit. Et quia hoc peccati genus graue eſt, ideo de hoc aut ſacrificandi, aut delinquendi genere, grauis Dei per omnes fermè Prophetas expoſtulatio eſt.

REGVLA. Sibi, & tibi *paragogica.*

26. *Abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum.*] Dictum nuper eſt, in montibus, lociſque ſylueſtribus, atque frondoſis ſolitos eſſe ſacrificare Gentiles. Illud *ſibimet*, quidam ita interpretantur, vt auerſatrix Iſraël ſuis potiùs ſenſibus, quàm Domini voluntati obſecuta fuerit. Quod licèt verum ſit, non tamen puto, id ſibi velle vocem illam, ſed potiùs ornatus gratia additam, quod ſæpe fit ab Hebræis, ex quorum idiomate noſter Interpres multa in Latinam verſionem ſæpe transfert. Obſeruandum itaque eſt, datiuum pronominis paragogicè adhiberi ab Hebræis ornatus tantùm, & explendi numeri gratia, quod pluribus oſtendimus ad illud Canticorum 1. *Si ignoras te*, ad verbum, *Si ignoras tibi*, ideſt, ſimpliciter, *ſi ignoras*. & vbi ſtatim, *egredere*, Hebraicè *egredere tibi*. & capite 2. vbi Vulgata, *ſurge*, & ſtatim, *veni*, Hebraicè eſt, *ſurge tibi*, &, *veni tibi*. Eodem modo explicuimus illud Iſaiæ capite 59. numero 16. *Saluauit ſibi brachium ſuum*, ideſt, ſaluauit ſimpliciter. Sic ergo *abiit ſibimet*, nihil eſt aliud quàm *abiit*, iuxta Hebræorum idioma, ad quod ſæpe ſtylum ſuum Interpres noſter vulgatus attemperat. Textus Hebraicus ad verbum habet, *abiit ipſa*, ſicut alij omnes à Vulgato reddiderunt.

Ezech. c. 16.

REG. *Aliquid ab eo fieri dicitur, qui factum eſſe oſtendit.*

Iſai. c. 5. Iſai. c. 53.

27. Verſ. 11. *Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſraël, comparatione præuaricatricis Iudæ.*] Idem apud Ezechielem capite 16. *Iuſtificaſti ſorores tuas, in omnibus abominationibus, quæ operata es.* Multa verba occurrunt in Scriptura paſſim, quæ cùm aliquid fieri ſignificare videantur, tantùm tamen oſtendunt fuiſſe facta. Quomodo Iſaiæ capite 5. iniquus iudex iuſtificare dicitur impium pro muneribus; quia impium ſuo iudicio iuſtum eſſe declarat. & capite 53. *Contaminaui principes ſanctos*, ideſt, contaminatos declaraui. Ea igitur erit Iudæorum impietas, & cum idololatria tam impudens religionis veræ ſimulatio, vt eius comparatione iuſta videri poſſit auerſatrix Iſraël, quæ tamen multis ſe contaminauit flagitiis. Eſt autem hic amplificandi modus tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores non infrequens, quando aliquid alicui negamus, quod in ipſo maximum, & celebre eſt, eius comparatione, quem in aliquo genere attollere, & illuſtrare volumus. Vt ſi ab arte muſica, vociſque ſuauitate aliquem commendamus, dicimus eius comparatione Orpheum eſſe abſonum, & agreſtem, & mutam Philomelam; ſi à corporis proceritate, & vaſtitate, infantem præ illo vocamus Polyphemum, &c. Sic modò comparatione Iudæ iuſtum, & ſanctum appellat Iſraëlem. Porro *iuſtificare animam ſuam*, idem eſt, atque iuſtificare ſe. Nam, vt in Iſaia non ſemel oſtendimus, per *animam*, id cuius eſt anima, circumſcribimus. Quare *odiſſe animam ſuam*, nihil eſt aliud, quàm odiſſe ſe. *Placet anima*

Comparationis ſpecialis modus.

Anima alicuius, pro aliquo.

A *meæ*, idem eſt, quod placet mihi. *Animas iumentorum ſuorum nouit*, idem eſt, quod ſua nouit iumenta.

Verſ. 12. *Vade, & clama ſermones iſtos contra Aquilonem, & dices: Reuertere auerſatrix Iſraël.*] Difficile eſt ſtatuere, quid ſibi velit clamor hic ad Iſraël? & hæc auerſatricis gentis ad veniam, & miſericordiam aduocatio. Quidam putant, aduocari Iſraël ad antiquas ſedes, & religionem, vt populus Iudæorum prouocatus æmulæ gentis oſtentata, aut ſignificata gloria, mentem mutaret. Cùm enim populus ille ſuperbus eſſet, & natura inuidus, adeò vt gloriam etiam in fratribus, tanquàm in alienis inuiſam habeat, grauis videbatur futurus ſtimulus, ſi pelli ſe videret ab antiquo, B eóque perilluſtri loco, eodémque aduocari gentem, quam & quondam oderat, & nunc vtpote captiuam, & exulem contemnebat. Sic Chriſtus Matthæi 21. eidem Iudæorum populo minatus eſt, ipſis repulſis, in ipſorum locum, & gloriam ſucceſſuros eſſe Gentiles. quod ipſi ita ferebant ægrè, vt diſrumpente illorum latus inuidia, dolorem ex aliena proſperitate cóceptum diſſimulare non poſſent. Quæ explicatio mihi difficilis non eſt, & explicat, atque confirmat tritam illam Sanctorum cogitationem, qui dicunt, non defuturos eſſe Deo, quos in deficientium, & aufugientium ab ipſius fide, vel obſequio locum & ordinem ſufficiat, iuxta illud Iob. 34. *Conteret* C *multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Quomodo in Angelorum deſertos ordines aduocati ſunt homines, in Iudæorum locum ſuffecti Gentiles, & nunc in duarum Tribuum poſſeſſionem, & gradum, quibus repudium minatur, & exilium, decem alias vocat, quas antè apud Aſſyrios in ſeruitutem dederat. Quare non ſine cauſa à Domino Philadelphiæ Angelus admonetur, ſibi caueat, ne alter in ipſius locum accerſatur. Apocalypſis 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Vide Gregorium libro 25. Moralium, capite 9. & 10. vbi locum explicat Iob, quem nuper adduximus. 28.

Iudæi inuidi.

Deus alios pro aliis ſufficit.

Hanc ego explicationem, vt dixi, lubens amplector, verùm alia ſuccurrit, quæ magis ad textum, D niſi fallor, & ad Dei mitiſſimum ingenium facit. Adduxerat ſtatim in capitis exordio ſeueram legem de libello repudij, quæ cauebat, ne vxor à viro legitimè dimiſſa, ab eo rurſus ad antiquam matrimonij fidem admitteretur; ſibi verò aliam eſſe legem, aliud ingenium; neque mitiſſimam ſuam naturam ad illud commune præceptum coarctari. Quare dixerat: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Vt ergo oſtenderet neminem, quantumcunque adulterij ſordibus inquinatum, atque eò demerſum, vnde ſpe- E rari ſalus, & libertas non poſſet, à ſua benignitate, & ſuauiſſimo thalami complexu non excludi, ad auerſatricem Iſraëlem tot flagitiis ſordidam, cui repudij libellum antè dederat, verba fieri iubet, à clamante Propheta, verbis videlicet vſque adeò contentis, vt audiri poſſint à Iudæis, quibus gentem illam captiuam, & cum libello repudij iam digreſſam, tanquam pronubus, & nuptialis fidei, atque amoris conciliator ad torum, & amplexum rurſus adduceret, vt hoc exemplo adducti Iudæi, modò reſipiſcerent, quidlibet ſibi de Diuina clementia, ac largitate promitterent. *Reuertere*, inquit, *auerſatrix Iſraël, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis: quia Sanctus ego ſum*, 29.

dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum.

30. Quærunt hic Doctores, an cùm Dominus Ieremiæ dixit, *Vade, & clama*, præceperit illi, vt ad Aſſyrios proficiſceretur, illóſque ſermones Iſraëlitis à Domino deferret. Alij profectum eſſe dicunt, alij per literas Diuinam propoſuiſſe clementiam, alij eo loco clamaſſe ad Iſraël, quæ vox per linguas, & manus ad Aſſyrios vſque captiuos peruenire potuit. Ego ex voce *vade*, nihil coniecturæ capio ad hanc vel illam cogitationem, quia, vt capite 1. dixi, illud *vade* interiectio eſt, nihílque ſignificat aliud, quàm *agedum*, aut ſimile aliquid, quod ſecurum hominem, aut cunctantem acuit, vel inſtigat ad agendum. Neque aliquid exiſtimo aliud Ieremiæ mandari, quàm vt clamet coram Iudæis ad Iſraël, quæ vox, quia in publico, atque legitimo loco, ignota eſſe non poterat abſentibus, ad quos è Iudæis aliqui non rarò commearent. Et quia à Ieremia, cui tanquam Prophetæ noto magna inerat auctoritas, multum ponderis haberet oratio.

Vade interiectio.

31. *Clama ſermones iſtos contra Aquilonem.*] Contra Aquilonem, ideſt, Aſſyrios, qui ab Aquilone Hieroſolymam ſpectant, clamare iubetur Ieremias, ideſt, ad eos, qui captiui degunt in Aquilonari plaga: neque illud *contra* aliquid indicat inimicum, & durum, cùm oratio tota melle ſit, & nectare ſuauior: ſed tantùm docet, conuertendum eſſe Prophetæ vultum ad Aquilonem.

32. *Quia Sanctus ego ſum, dicit Dominus.*] Vbi Vulgatus *Sanctus*, Hebraicè eſt, חסיד *Chaſid*, ideſt, miſericors. & ita vertunt cum Septuaginta alij, & eſt facilis, & conſentanea ratio. Quomodo enim miſericors æternas conſeruabit iras? aut quis non ſperet à miſericorde miſericordiam ſe conſequuturum, & veniam? nempe cùm miſerendi tempus eſt, & adhuc homo ſpirat, & viuit. Hucuſque ad Iſraël, nunc ad Iudam reuertitur propheticus ſermo.

Dei clementia.

33. Verſ. 13. *Verumtamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es.*] Exemplo decem Tribuum, quæ apud Aſſyrios exulabant, quas poſt tot auerſiones vocatat ad veniam, ſpem obtulerat duabus aliis Tribubus indulgentiæ. Nunc docet, quo ſe modo primùm ad oblatum miſericordiæ beneficium parare debeant, nempe vt ſuperioris vitæ veſtigia relegant, & quæ admiſerunt in Dominum ſcelera dolendo recognoſcant. Hæc primùm illuſtrata anima à præuenienre luce, & excitante ſpiritu præſtare debet; quod opus, & officium pœnitentiæ eſt. Cùm autem Dominus auerſatricem, ſeu præuaricatricem animam ad thalami conſortium, fœdúſque connubiale aduocat, ad pœnitentiam vtique vocat, ad lacrymas, ad ſuorum cognitionem, deteſtationémque ſcelerum.

Pœnitentia nos Deo conciliat.

34. *Et diſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo.*] Simul atque à Deo præuaricata eſt vxor illa infidelis, & adultera, deos ſibi quæſiuit alienos, quorum voluntati atque libidini ſuccubuit. Sic enim videtur poſſe ſumi illud, *diſperſiſti vias tuas.* Quod aliis verbis explicuit Ezechiel capite 16. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, &c. & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.* ita vt idem ſit, vias diſpergere, & pedes diuidere. Vias autem pro pedibus ſumi, non eſt admodum durum, ſicut etiam veſtigia, quia vtrumque ſignum eſt calcantis, ſeu incedentis pedis. Ita putant Maldonatus, & Lyra. Alij ideo diſperſas eſſe vias

A arbitrantur, quia ipſa fornicationes ſuas variè diſpertit, ideſt, quod modò ex Ezechiele produximus, ad omne caput viæ ſignum proſtitutionis erexit, ideſt, propoſuit titulum, quo aliorum ſcortorum more ſignificabat pudorem ſuum ibi eſſe venalem. Sumitur autem via pro fornicatione, aut quia via, iuxta Scripturæ ſacræ morem & inſtitutum ſonat, aut profeſſionem, quæ vt ex adiunctis liquet, hoc loco meretricia eſt; vel quia locus per metonymiam pro re ſumitur, quæ in loco fit. In viis autem ſuas exercebat libidines allegorica illa meretrix; & hæc poſterior explicatio mihi probatur magis, quam ſequitur ſanctus Thomas, Dionyſius, & Hugo.

B Verſ. 14. *Conuertimini filij reuertentes.*] Quidam pro *reuertentes*, aut vertunt, aut explicant *rebelles, deficientes, apoſtatæ, vagi.* Ego exiſtimo, hîc eſſe epitaſim illam, quæ ex geminata, ſeu coniugata voce frequens eſt apud Hebræos: ita vt hîc non aliquid ſignificetur fucatum, & futile, ſed ſyncerum, & ſolidum. Quomodo dicitur, *veniens veniet, faciens faciam*, & ſimilia: quibus aut velocitas, aut ſtudium in faciendo declaratur. Puto igitur iis, qui à Deo tanquam repudiati defecerant, iuberi vt ſeriò, atque ex animo reuertantur, non in mendacio, quod factum aliquando fuiſſe, nuper exprobrarat. Quo loquendi modo vſus eſt, & iiſdem omninò verbis Ieremias capite 4. ſtatim in principio. *Si reuerteris Iſraël, ait Dominus, ad me conC uertere.* Neque curo hoc loco *conuerti* dicantur, an *reuerti*, quia vox Hebraica vtroque loco eadem eſt, & in Latina nihil, aut parum eſt diſcriminis. 35.

Vera pœnitentia.

Et aſſumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione.] Magnus hîc oſtenditur Dei in eos, qui ad ipſius ſinum, & fidem reuerti volent, amor, & indulgentia, quando ſignificat, ac promittit, in eodem illos numero ſe habiturum, in quo olim integra, atque florente Republica, etiam ſi eò redacti fuerint paucitatis, vt è ſingulis ciuitatibus ſinguli; immo, quod longè miſerius eſt, ſi ex ſingulis cognationibus, & Tribubus, in quibus plurimæ, eædémque copioſæ ciuitates fuerant, biD ni tantùm ſuperſint. Illud porro *&*, quod ſecundum inchoat hemiſtichium, non coniungit, vt credo, ſententiam, ſed id, quod ſubſequitur, auget, & amplificat. Ac ſi dicat: Aſſumam vnum de ciuitate, immo & duos de cognatione. Hanc nos obſeruationem de *&*, adduximus in noſtris Commentariis in Iſaiam, ad illud capitis 62. *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam: & gaudebit ſuper te Deus tuus.* vbi illud *&*, eodem modo explicandum cenſebamus. 36.

Hoc loco diſceptant, & quærunt expoſitores, ad quódnam tempus hæc promiſſio, ac liberalitas Diuina pertineat; ad poſtremúmne ſæculorum articulum, ideſt, extremi iudicij tempus, vt E putarunt nonnulli, teſte Hieronymo; aut ad primum aduentum Chriſti, & Euangelij ſæculum, quod communiter ſentiunt Patres cum Hieronymo; aut de reditu duarum Tribuum è Babylone, quod exiſtimarunt Theodoretus, ſanctus Thomas, & Hugo? Et horum ſententias eo modo conciliari poſſe reor, quo olim eaſdem penè in eadem certè materia conciliaui, in præfatione quadam, quam Iſaiæ capiti quadrageſimo præfixi, vbi multis probaui, probaríque oſtendi aliis & numero plurimis, & auctoritate principibus, Iudæorum reditum è Babylone glorioſum, & dignitatis plenũ, vmbram eſſe Euangelici 37.

temporis,

temporis, & Eccleſiæ à Chriſto vindice conſtitutæ: ſicut etiam exilij ſqualIor, atque deformitas typus quidem fuit eius ætatis, quæ Eccleſiæ conſtitutionem anteceſſit, in qua ſub ſæua dæmonis tyrannide humanum genus oppreſſum videbatur. Cùm ergo tunc idem omnino apud Iſaiam, quod apud Ieremiam modò diſſidium eſſet inter auctores, cùm alij ad Eccleſiæ tempus, alij ad libertatem è Babylonico iugo retuliſſent, ita diremptum eſt à nobis, vt hiſtoricè, & in vmbra de Babylonico ſtatu, allegoricè tamen de Eccleſia ſumeretur propheticus ille ſermo. Eo igitur modo nunc in exponendo me geram, quod in Iſaia ſæpe feci, vt in vmbra priùs, deinde in luce, id eſt, priùs in ſtatu Iudæorum explicando, deinde in aureo Euangelij ſæculo, noſtra verſetur commentatio.

38. Quàm facilè hæc, quæ de ciuitatũ ſingulis, biniſque cognationum, ſeu Tribuum nuper explicuimus, in tempus illud Babylonicum quadrent, nemo non videt. Nam pro numero captiuorum, & exulum, pauci admodum in patriam rediêre, aſſumptique ſunt à Domino tãquam ſponſa: nam multi agrorum bonitate capti, in quibus conſederant, & quia vxores alienigenas duxerant, prolémque ſuſceperant ex illo prohibito coniugio, durum putabãt, & illiberale illis in Babylonico ſolo derelictis in patriam remigrare. Alij neque ſecurum putabant eſſe reditum, neque Solymitanam rem ſic iri compoſitum, vt ibi tutò, ac ſine moléſtia, quod reliquum erat vitæ tranſigerent. Quòd ſi de his, ad quos tunc Ieremias loquebatur, qui omnes fermè Babylonicum iugum ſubierunt, ſermo eſt, ſanè conſtat, pauciſſimos in patrias ſedes fuiſſe reuerſos. Nam, vt nihil obſidione longa gladius peregiſſet, aut fames, certè ſeptuaginta annorum ſpatio, quibus durauit Iudæorum captiuitas, maximam illorum partem periiſſe, non eſt incredibile: rediiſſe tamen aliquos, qui Hieroſolymis vixerant ante excidium ciuitatis, ac templi, conſtat ex libro 1. Eſdræ capite 3. vbi fletus ponit eorum, qui cùm antiquum templum antea vidiſſent, & cum eo exiguum, quod inchoauerat Eſdras, comparaſſent, cohibere non poterant erumpentes lacrymas.

39. Verſ. 15. *Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum.*] In his paſtoribus Duces intelliguntur & Sacerdotes, qui ſublato, aut extincto cum Sedecia regio nomine, ac faſtu, non tam ex ſuo, quàm ex Diuino conſilio rem adminiſtrauêre Iudaicam. Hi verò fuerunt Eſdras, Ieſus filius Ioſedech, Zorobabel, & alij, quorum gubernatio non tam Regum inſolentes mores, quàm antiquorum Iudicum modeſtiam imitata eſt. Vt autem Reges, ſi admodum paucos excipias, omnes peccatores fuerunt, & impij; ſic contrà Iudices ſancti, & iuxta cor Domini. De quibus ad Hebræos 11. & Ezechielis 46. *Sit memoria eorum in benedictione.* iuxta horum mores, & ingenium Paſtores Dominus, ſeu Rectores promittit.

40. *Arca in ſecundo templo non fuit.* Verſ. 16. *Cùmque multiplicati fueritis, & creueritis in terra, in diebus illis, ait Dominus, non dicent vltrà, arca teſtamenti Domini, neque aſcendet ſuper cor.*] In ſecundo templo, quod captiuitate ſoluta ab exulibus ædificatum eſt, arca Domini non fuit, quam Ieremias abſcondit, ſubduxítque Chaldæorum prædæ, vt conſtat 2. Machabæorum 2. neque Machabæorum tempore in templo erat, neque vnquam fuit. Nam Ioſephus libro 6. capite 6.

A quo tempore exciſſum eſt à Veſpaſiano templum, ab omni prorſus inſtrumento ſacro vacua fuiſſe tradit Sancta Sanctorum. Neque credo Titus, cùm de Hieroſolyma domita triumphauit, oblitus eſſet portare in triumpho id, quod à Iudæis maximo habebatur in pretio, ſicut candelabrum duxit, menſam, & legem; non tamen duxit arcam; quia illa tunc in templo non erat: nam, vt dicit Ioſephus libro 7. de bello Iud. cap. 24. tulit Titus, quæ in templo reperta ſunt, quæ ibi commemorat, ſed arcæ non meminit. Sed cur Deus, cùm magna promittat populo, ab exilio reduci arcam negat, quam olim tanti fecêre, atque amauêre Iudæi? Ego ſic exiſtimo, aut promitti à Deo, B ſic ſe futurum populo reſtituto familiarem, & propitium, vt non ſit deinceps futurum neceſſarium, ad arcam confugere oraculi petendi gratia: quia tota Ieruſalem erit Deo pro ſcabello, & ſolio, quem vſum priùs Domino præbebat arca, vt ſtatim dicetur. Aut certè tempora ſic futura felicia, vt auxilij gratia neceſſe non ſit, ad illam confugere, quod in rebus anguſtis fieri ſolitum. Aut ſic Deum compenſaturum vſus, quos ex arcæ præſentia capiebant Iudæi, vt neque arcæ deſiderio dolerent, neque illius recordarentur vnquam. An in ſecundo templo arca fuerit, vide Abulenſem in caput 25. Exodi quæſtione 14. & Riberam libro 2. de templo, cap. 2.

Verſ. 17. *In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini.*] Rationem reddit, cur non magnum 41. C futurũ ſit arcæ deſiderium, quia Deus id præſtabit Iudæis in tota ciuitate, quod in Sanctis Sanctorum olim, vbi arca repoſita erat, ſolitus erat præſtare. Vt enim antea arca Domini ſolium erat Dei, & propitiatorium, id eſt, aureum arcæ operimentum ſcabellum pedum ipſius: ſic deinceps tota ciuitas Dei maieſtati ſcabelli, ac ſolij vſum exhibebat, vnde oracula reddat, ſicut olim ex arca.

Et congregabunt ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ieruſalem.] Quantus omnium gentium, 42. populorúmque concurſus futurus ſit in Ieruſalem, Iudæis cum gloria in ciuitatem reſtitutis, docuimus apud Zachariam ad illud capitis 8. D *Vſquequo veniant populi.* Nam acceſſiſſe Gentium plurimos ad Iudæorum ſacra, probat proſelytorum nomen, quorum magna vis ex omnibus populis. Vnde ad feſtum Pentecoſtes confluxerunt Iudæi, proſelyti quoque cum ipſis conueniſſe traduntur Actorum cap. 2. vide quæ in illum Zachariæ locum adduximus.

Verſ. 18. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terra Aquilonis.*] Ex 43. *Quo ſenſu decem Tribus dicatur ab exilio reuerſæ.* hoc loco planè conſtat (ſi de reditu ab exilio Babylonico ſermo eſt) cum duabus Tribubus decem alias in antiquas ſedes remigraſſe. Quod cum aliis Scripturæ ſacræ locis apertè pugnat, in quibus apertè dicũtur nunquam rediturę. Diſputauimus hæc ad illud Iſaiæ cap. 11. *Auferetur zelus Ephraim*, & fuſiùs in caput 8. Zachariæ, ad E illud, *Domus Iuda, & domus Iſraël, ſic ſaluabit vos.* vbi diximus è decem Tribubus rediiſſe plurimos, quia Cyrus, qui tam Aſſyriis, quàm Babyloniis dominabatur, omnibus, qui in omni regno ſuo captiui tenebantur, liberam fecit redeundi facultatem, Eſdræ libro 1. cap. 1. quod etiam Ieremias perſpicuè tradit, capite 50. numero 4. qui cùm egiſſet de Babylone per Cyrum euerſa, addit: *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, venient filij Iſraël, ipſi, & filij Iuda ſimul.* Propter hæc Cyril-

lus, in Prologo Zachariæ, & in Oſeæ capite 11. A
& Theodoretus, ac Theophylactus in illud Oſeę 3. *Quia multos dies ſedebunt*, illas à captiuitate ſolutas eſſe putant.

44. Nihilominus filij Iſraël, ideſt, decem Tribus ſubituræ dicuntur æternum exilium, neque vnquam in Diuino pectore miſericordiam inuenturæ. Oſeæ capite 1. *Non addam vltrà miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eorum; & domui Iuda miſerebor.* & 4. Reg. 17. *Tranſlatúſquè eſt Iſraël de terra ſua in Aſſyrios vſque in diem hanc.* ideſt, in perpetuum. Id enim ſignificat ille loquendi modus ex Origene homilia 7. in Ioſue: quin addit Ioſephus libro 11. Antiquitatum, cap. 5. & Hieronymus multis locis, ſuis etiam temporibus decem Tribus in regione Medorum exulare. B

Illas à captiuitate ſaluatas eſſe putant.

45. Nunc hæc, quæ pugnare videntur inter ſe, conciliare tentemus: rediere quidem è decem Tribubus non pauci, ita tamen, vt ſine aliquo Duce, nec diſcreti ab aliis, aut certo aliquo diſtincti ſigno, ſicut olim in deſerto gradum mouebantur, neque ad certas regiones deſtinati, quas ante captiuitatem habuerunt aſſignatas multis antea ſæculis à Ioſue, ſed confuſi ſimul cum duabus Tribubus, & illorum Ducem Zorobabel, & Nehemiam ſequutæ, quæque à ſuis familiis nomen non aſſumpſere, ſed à Tribu Iuda omnes, quacunque eſſent ex Tribu, indiſcriminatè vocabantur Iudæi; ſicut etiam, qui ex C eiſdem Tribubus ſe ad alias duas ante captiuitatem adiunxerant, non dicebantur exempli gratia Rubenitæ, Ephraimitæ, quia illarum nullus erat definitus locus, aut certa Reſpublica, ſed Iudæi. Quare cùm multi ex decem Tribubus relicti tunc fuerint, vt profectò fuerunt, decem tamen Tribus non dicuntur relictæ: ſic quamuis modò cum Iudæis ex decem Tribubus in patriam ſint reuerſi quamplurimi, Tribus tamen illæ non dicuntur formaliter, vt ita dicam, reuerſæ, quia neque ſuis auſpiciis, aut à ſuis Ducibus reductæ, neque in ſuis finibus denique conſedere, ſed vnà cum Iudæis Iudaici iam nominis participes eandem conſtituère Rempublicam. Id verò docuit non obſcurè Ezechiel cap. 37. nume- D ro 16. vbi ſub duorum lignorum metaphora, quæ in vnum coaluère, duos populos in vnum redactos, aut conflatum vnum è duobus fore ſignificauit. Quod etiam hoc loco docet Ieremias, cùm ait: *Ibit domus Iuda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terra Aquilonis.* Dicitur autem domus Iuda ad domum Iſraël eſſe profecta, quia illam admonuit factam eſſe à Cyro redeundi copiam: quare ſe, niſi aliud ſibi ex vſu fore exiſtimarent, ad profectionem accingerent. Septuaginta inuertunt ordinem, & dicunt: *Ibit domus Iſraël ad domum Iuda.* quia videbant non tam Iuda ad Iſraël, quam Iſraël adhæſiſſe Iudæ. Hucuſque hiſtoricè de Iudæorum Republica, reditúque ab exilio, nunc de Eccleſia myſticè, ac tempore Euangelij. E

46. *Aſſumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione.*] Significat hic dicendi modus, quàm pauci è Iudæorum genere Christiana ſacra complexuri ſint, comparatione illorum, qui infinito propè numero è Gentibus, ad Eccleſiam, Chriſtíque religionem ſeſe applicuerunt. Qua de re multa habes in Actibus Apoſtolorum, & nos ea de re ſæpe.

Altera explicatio de tempore Euangelij.

47. *Et dabo vobis Paſtores iuxta cor meum.*] Illi dicuntur eſſe iuxta Domini cor, qui cogitationes ſuas atque conſilia iuxta Domini præſcriptum moderantur. Talis fuit Zorobabel, in cuius manu Dominus lapidem ſtanneum, ideſt, fabrile perpendiculum poſuit, Zachariæ 4. vt ad ipſius cogitationem, atque præceptum templum exciſum inſtauraret; tales fuerunt Apoſtoli, & alij, quos Dominus Eccleſiæ Rectores eſſe voluit, quibus & materiam, & doctrinæ modum præſcripſit: qui Apoſtolicum illud munus ſic obierunt, vt omnia ex Dei voluntate, ideſt, iuxta cor Domini, moderati fuerint, in myſtici templi conſtructionem intenti, iuxta regulam illam, & perpendiculum, quod inſtar Zorobabelis accepere, à Dei voluntate non receſſerunt.

Quid iuxta cor Domini.

Non dicent vltrà, arca teſtamenti Dei.] Audierant 48.
olim Hebræi in medio populi figendum eſſe tabernaculum, in quo erat arca, quod futurum erat pignus Diuinæ protectionis. Leuitici 26. numero 11. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri: & non abiiciet vos anima mea.* Quare multum erat in illorum ore, *arca teſtamenti Domini*, ſicut etiam inclamato ſæpe templo Domini, ſe ad bene ſperandum identidem excitabant. Ad quos Ieremias capite 7. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini.* Ait ergo, quia Euangelico tempore, arca non erit, atque etiam ſi arca ſuperſtes foret, illius tamen nulla futura eſſet obſeruatio; tunc etiam, quia aliunde maius eſt, magíſque certum, ac familiare præſidium; ideo nullus erit poſtea, qui Salomonis templi, aut antiqui fœderis arcæ recordetur.

In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini.] 49.
Satis omnibus exploratum eſt, in Ieruſalem terrena myſticam deſignari, Eccleſiam dico, ſiue quæ in terris legitimè pugnat, ſiue quæ iam regnat, ac triumphat in cælis. Nunc de militante Eccleſia ſermo eſt, in qua Dominus vbicunque locorum ſolium habebit multò luculentius, & illuſtrius, quàm inter duos Cherubinos, qui eminebant ex arca, cui aureum propitiatorium pro ſcabello fuit; vnde ſe propitium magis ac familiarem oſtendit, quàm Iudæis quondam ex arca Teſtamenti, vnde ſciſcitantibus reddebat oracula. Et ſicut olim ea erat Solymitani templi dignitas, & maieſtas, vt in eo ſolùm ſanctè atque legitimè offerre ſacrificia potuerint, ſic in tota Eccleſia, vbiuis gentium, offerrentur victimæ: neque enim vllum erit templum in Eccleſia, quod non ſit Salomonis ſanctius, & auguſtius.

Eccleſia dignitas.

Et congregabuntur ad eam omnes gentes.] Quan- 50.
tus vndecunque locorum factus fuerit ad Eccleſiam concurſus, & prædictum eſt à Prophetis ſæpe, & reipſa ſuo tempore compertum. qua de re nos pluribus ad illud Iſaiæ 2. *Et fluent ad eum omnes gentes.* & latè toto cap. 60.

In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Iſraël.] 51.
In Eccleſia magna erit animorum, ſtudiorúmque conſenſio, neque illi iam ampliùs inter ſe diſſidebũt, qui antequam in illud corpus myſticum coaluiſſent, nõ animis ſolùm, atque ſtudiis, ſed caſtris etiã ſibi ipſis viciſſim aduerſabuntur. Hucuſque de Eccleſia, atque allegorico ſenſu, nunc quæ ſuperſunt ex capite, ad illa, quæ interrupta fuerant, reuocemus.

Verſ. 19. *Ego autem dixi: Quomodo ponam te in* 52.
filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hereditatem præclaram exercituum gentium?] Hæc ego refero ad antiquam promiſſionem, qua Deus populum Hebræorum in filios elegit, promiſítque terram ſpatio

Terra promiſſa laus.

ſpatioſam, lacte,& melle manantem,deſiderabilem,& frequentibus,robuſtiſque populis habitatam:de quibus ſæpe tam in Geneſi ad Abraham, quàm in aliis locis ad Moyſem. Quam eiſdem fermè verbis Dauid deſiderabilem vocat, & hæreditatem præclaram. Dicitur autem hæreditas exercituum gentium,quia gentes robuſtæ,atque bellatrices illam occupabant. *Gentes autem exercituum* eo ſenſu dicuntur, quo Dominus *Deus exercituum* dicitur,ideſt, Deus virtutum, ſeu fortitudinum: aut gentes exercituum, quia inſtructam atque paratam habebant ad reſiſtendum aciem. Quàm verò illius regionis incolæ robuſti fuerint, & ad bellandum prompti, docet exploratorum oratio, qui vidiſſe ſe dicebant ſtirpem Enoc de genere giganteo;& quæ de Og Rege Baſan, toróque ipſius regno egregiè contra hoſtiles impetus munito dicitur Deuteronomij cap.3. & apertè Deus ipſe Deuteronomij cap.11. *Si cuſtodieritis mandata,quæ ego præcipio vobis, &c. diſperdet Dominus omnes gentes ante faciem veſtram, & poſſidebitis eas, quæ maiores,& fortiores vobis ſunt.* Deus itaque cùm videat indignum eſſe populum toties rebellem, qui in promiſſa iampridem regione conſiſtat, cùm pactum violauerit, ſub quo data priùs, atque occupata fuerat hæreditas illa præclara, quam gentes exercituum obtinuerant:quaſi gemebundus dolet adduci ſe eò, clamante,ac penè inſtimulante peccatorum infinito numero, vt expellere cogatur ex ea regione populum priùs cum tanta indigenarum cæde, atque ſtupore in illam introductum.Horum itaque verborum ſenſum eſſe puto, aut *quomodo, quod antè promiſeram, te in filios habebo,ô Iuda, dabóque hæreditatem, aut in illa retinebo, quam à robuſtis, atque pugnacibus Gentibus eripui, cùm contrà ſtet tuorum ſcelerum tanta proluuies?* Aut, *Statueram tibi tanquam filiis paternam indulgentiam impendere,conſeruaréque poſſeſſionem antè datam, ſed tu effeciſti violato pacto,ne tibi perpetua foret illa poſſeſſio.*

53. *Et dixi: Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.*] Nunc oſtendit conditionem, ſub qua daturum ſe dixerat Dominus, conſeruaturúmque hæreditatem præclaram filiis Iſraël, de qua Deuteronomij cap.11. & cap.12. vbi dicit, ſi à Domino recedant,eiúſque mandata neglexerint, poſſeſſionem illam non fore perpetuam. Patrem autem vocare, ideſt, honorare Deum, neque ab eo digreſſum aliis adhærere, idem eſt, quod illũ habere Deum,& eius cuſtodire mãdata, ſub qua lege data eſt terra illa deſiderabilis, ac præclara.Hic credo pater pro ſponſo ponitur. Sic enim à ſponſa vocatur,vt diximus ſuprà n.14.ad illud, *Amodo voca me,Pater meus es.* Et facit,quòd ſtatim repulſum ſe eſſe dicit,quaſi amator eſſet, qui illudit,non ſponſus,qui liberalis eſt,& in amore conſtans.

54. Verſ.20. *Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſraël.*] Cauſam oſtendit,cur populum ab antiqua poſſeſſione repellat,quia non aliter affectus populus ille,in liberalem, ac benemerentem Dominum fuit, quàm mulier in amatorem, à quo decepta eſt, quæ multò magis illum odit deluſa, quàm amauerat antea muneribus,aut blandimentis allecta. Neque puto ſine cauſa non virum, ſed amatorem dici à muliere derelictum, quia in viro aliquid eſſe poteſt, quod digreſſa, aut repudiata mulier,aut amet, aut obſeruet, quare ab eo non eſt alieno prorſus animo: ſed in amatore præter libidinem, & fraudem nihil eſt, quod experta fuerit mulier, quæ ſe ab illius familiaritate ſubduxit. Atque ideo ſic ab illo recedit,vt de repetenda iterum conſuetudine ſibi cogitandum non putet. Eo prorſus modo populus ille Deum contempſit, iam ad illum non iterum reuerſurus.

Verſ.21. *Vox in viis audita eſt,ploratus,& vlulatus* 55.
filiorũ Iſraël:quoniam iniquã fecerunt viam ſuam,obliti ſunt Domini Dei ſui.] Difficilè hæc cum ſuperioribus contexuntur, atque ideo variè explicantur à variis. Hieronymus ploratum hunc à pœnitentibus profectum eſſe dicit, qui admoniti à Deo vitam damnant ſuperiorem, & ignoſci ſibi à Domino petunt. Cum Hieronymo ſentiunt Theodoretus, Maldonatus, & Caſtrus. Alij de fletu accipiunt, quem exprimit non dolor de peccatis, ſed de calamitate,quam ſpoliati, captiuíque ab hoſte pertulerunt. Licèt hi etiam variè, Lyra, & Dionyſius flere putant Iudæos, quo tempore à Romanis capti trahebantur. Hugo hæc ad excidium refert, quod vrbi, ac templo inflixêre Babylonij,à quo etiam Iudæi in exilium abducti,quo tempore ſuum, Reique publicæ caſum lamentabantur. Quod verò potiùs de Babylonico, quàm de Romano tempore loquatur Hugo conſtat, quia breuem dicit futurum eſſe planctum. Ego hæc doloris ſigna non puto ex eo dolore profecta, qui ex peccatorum memoria conceptus eſt,quia neque illa, quæ præceſſerunt, aut quæ ſuccedunt ſtatim, & ſequenti capite,ad illam ſententiam valde faciunt: cur enim,ſi modò verè dolent propter peccatum, à Deo audiunt ſtatim, *Conuertimini filij reuertentes?* Et fletus, qui mox ad finem vſque capitis producitur, ſatis indicat ante illum articulum, grauem aliquam anteceſſiſſe calamitatem, qualis Babylonica, aut Romana fuit. De Romana non puto accipiendum eſſe planctum, quia non tam de illa, quàm de Babylonia laborabat Propheta, vt conſtat.

Eſt ergo ſenſus,Vocaui te, ô Iuda,ſed tu contempſiſti me non aliter ac mulier amatorem ſuum; ideo videre iam videor filios Iſraël in viis latè diſperſos, abductóſque miſerandum in modum ab hoſte Chaldæo, qui iam tandem ſuo edocti periculo, ſerò licèt, cognouerunt, quàm illis caro ſteterit, viam iniiſſe ſceleratam, & Dei ſui penitus abieciſſe memoriam. Dolent itaque non tam peccaſſe, quàm ſe eſſe deceptos, non tam reliquiſſe Deum,quàm ſubiiſſe pœnas, quæ propter flagitium illud inflictæ ſunt. Ideo additur, [illegible]

Verſ.22. *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo* 56. *Pœnitentia vera.*
auerſiones veſtras.] Quia plurimos video, hæc ad tempus, in quo hæc à Ieremia dicebantur, referre, alios ad Babylonſei, aut Romani temporis exilium,ideo iuxta vtranque ſententiam hæc, quæ ſequuntur ád finem vſque capitis, explicanda ſunt:& primùm de exilij tempore: Iudæi quo tempore ab hoſte Babylonico duriùs accepti in via,illa plangendo repetebant, quæ proximè audiuimus, cùm ſerò noſſent, à veſana cogitatione ſe fuiſſe deceptos. Quare ſenſus duplex eſſe poteſt: ita vt Deus illos alloquatur, & moneat, vt ſi velint ab ea auerſione ſanari (ſiue auerſio ſit, qua à Deo peccantes defecêre, ſiue qua à patriis ſedibus abducti traduntur in alienas) non doleant propter recens illud incommodum, quod ſubeunt, ſed propter admiſſi peccati turpi-

tudi

Verus pœnitens neque ſomnum habet liberum à dolore. turnum laborem, aut ignominiam ſignificare volumus. Qua vſus videtur Dauid Pſalmo 6. cùm dixit: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* & Iob capite 33. *Increpet quoque per dolorem in lectulo.* & capite 7. *Si dixero, conſolabitur me lectulus meus: & releuabor loquens mecum in ſtratu meo, terrebis me per ſomnia.* Ratio verò prouerbij, ſi tamen prouerbium eſſe ſtatuamus, ea eſt, quia in lectulo, ac ſomno curarum leuamentum, & laborum laxationem ponimus: cùm verò labor, aut mœror talis eſt, vt nos in lectulo ſomnos capere, aut quietem non ſinat, aut eiuſmodi, vt ſpectris horrificis quies ipſa magis quàm vigiliarum labor excruciet, magnus iudicatur dolor: ſic profanus Poëta dum animi ægritudinem amplificare vult, ait illam neque nocturna quiete laxari ſolitam:

Iob.33.
Iob.7.

At puto cùm requies, medicinàque publica curæ
Somnus adeſt, ſolitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent veros imitantia caſus,
Et vigilant ſenſus in mea damna mei.

In confuſione ergo dormiturum ſe dicit populus ille peccatorum memor, & ſuppliciorum acerbitate compunctus, quia neque dormiens A triſtem ſuorum ſcelerum recordationem deponet.

In illo præterea, *Operiet nos ignominia noſtra,* 64. aliquid etiam odoror prouerbiale: nam huc ſpectare videntur multa Scripturæ ſacræ loca, vt illud Pſalmi 108. *Operientur ſicut diploide confuſione ſua.* & alia, quæ in operimento rerum tum abundantiam, tum propinquitatem ſignificat. Vtrunque verò facit, ne quis à ſe quod inſtar habet operimenti, remouere poſſit. Sed optimè hæc pars ſecunda cum altera priori de lectulo, ſomnóque coniungitur. Nam ſi in lectulo quis pro lodice ac ſtragulo confuſione operitur, & vndique ab ea circunuallante premitur, quomodo B fieri poteſt, vt etiam dormiens non erubeſcat, aut doleat? His porro allegoricis locutionibus ſatis ſignificanter exprimitur pœnitentiæ vis, quæ vbique pungit, atque ſollicitat, neque ſomnum eſſe patitur à dolore, ac confuſione vacuum. Neque id mirum, aut indubitatum iudicabit, qui altè conſiderare volet, quod ſtatim ſubiungitur, & cuius tantopere pudet pœnitentem animum, qui in Dominum peccauit, neque Diuinam eius vocem audiuit. Hæc de capite 3.

PROVI.
Pſal.108.
Operire ignominia.

ARGVMENTVM CAPITIS IV.

HORTATVR Dominus Iudæorum gentem, vt ſeſe verè, non falsò, aut ſimulatè conuertat: quod ſi facere reſpuat, extrema omnia minatur ab hoſte Chaldæo, cuius ardorem, atque impetum, & Iudæorum ſtragem mirificè deſcribit. Ad extremum docet in ſummis rerum anguſtiis, acerbiſſimóque dolore, neque ſolatij, neque præſidij quicquam ſperari poſſe ab idolorum nugis.

IEREM. CAP. IV.	IN IDEM CAP. PARAPH.
1. *SI reuerteris Iſraël, ait Dominus, ad me conuertere: ſi abſtuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis.*	C 1. SI conuerteris te, ô Iſraël, ad me, dicit Dominus, fac te vt ſeriò, atque conſtanter conuertas; non fictè, atque inconſtanter: & idolorum nomen, & cultum omnino deteſtare. Si enim offendicula, quæ ab idolorum impietate ſunt, ſic abieceris, vt ante oculos meos nuſquam appareant, tunc neque à ſtatu tuo deiicieris, neque in Babylonicum abduceris exilium.
2. *Et iurabis: Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia: & benedicent eum Gentes, ipsúmque laudabunt.*	2. Nihil præ te feras, quod Gentilicam inſaniam, & ſtudium oleat; per me iurabis, D non per fallaces deos; ita tamen; vt vera ſint, quæ iuramento confirmas, vt attentè id facias, circumſpectè, ac reuerenter: vt nihil denique iuramento promittas turpe, vel iniuſtum. Tunc verò Deus ſic ornabit te luculenter, vt etiam Gentes, quæ externis adhæſere ſacris, laudent Deum, quando tam fidelem experiuntur in promiſſis, & tam in largiendo liberalem.
3. *Hæc enim dicit Dominus viro Iuda, & Ieruſa*	3. Hæc dicit Dominus viro Iudæo, ac Hieroſo

Ieruſalem: Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas:

4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda, & habitatores Ieruſalem: ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat, propter malitiam cogitationum veſtrarum.*

5. *Annunciate in Iuda, & in Ieruſalem auditum facite: loquimini, & canite tuba in terra: clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas.*

6. *Leuate ſignum in Sion Confortamini, nolite ſtare, quia malum ego adduco ab Aquilone, & contritionem magnam.*

7. *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo Gentium ſe leuauit: egreſſus eſt de loco ſuo, vt ponat terram tuam in ſolitudinem: ciuitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore.*

8. *Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, & vlulate: quia non eſt auerſa ira furoris Domini à nobis.*

9. *Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor Regis, & cor Principum: & obſtupeſcent Sacerdotes, & Prophetæ conſternabuntur.*

10. *Et dixi: Heu, heu, heu, Domine Deus, ergóne decepiſti populum iſtum & Ieruſalem, dicens: Pax erit vobis: & ecce peruenit gladius vſque ad animam?*

11. *In*

A Hieroſolymitano, vt verè Deum colat, neque religioni ſacræ ſuperſtitionem admiſceat externam; ſimiliſque ſit agricolæ ſtulto, qui ſemen iacit in ſenticoſum locum, antequam illum vomere proſcindat, & à vepribus purget.

4. Neque ſatis vobis ad religionem arbitremini, externas adhibuiſſe cæremonias, & carnem habere ferro circumciſam, niſi cor etiam veſtrum, carníſque motus, & illecebras omnes amputetis. Ne ſi in
B corde ſeruetis carnale præputium propter cogitationes peſſimas, & Gentilicos ſenſus, quæ à præputiato corde proueniunt, ſic à furore meo excitetur incendium, vt nullo à vobis artificio poſſit extingui.

5. Videre mihi videor quemadmodum gentis imperator Iudaicæ, qui cùm inſtare iam Chaldæorum exercitum cognoſcat, ſollicitudinis plenus, & timoris, ſic ad ſubiectum ſibi populum inclamat: Annunciate iterum, atque iterum in Ieruſalem, & Iuda: iterum ac ſæpius clamate,
C vt omnes audiant, quantò magis potueritis, & vocis contentione, & tubæ clangore, ſignificate, ac dicite, vt omnes ex agris, apertíſque locis congregentur, & in munita loca feſtinatò confugiant.

6. Leuate igitur ſignum in Sion, & delectos milites vndecunque conſcribite, aduocate vires omnes, nolite ſtare, ac deſidere, neque quicquam ad quietem, & otium temporis aſſumatis. Ego enim, dicit Dominus, ab Aquilonari plaga grande malum, & plagam ingentem in Iudæorum caput, & fortunas induco.

D 7. Aſcendit enim Nabuchodonoſor Gentium, regnorúmque vaſtator, non aliter, quàm ſitiens ſanguinis leo de cubili ſuo ſurgit ad prædam, vt regionem in ſolitudinem redigat, ciuitatéſque vſque adeò populetur, & vaſtet, vt nec vnus è multis habitatoribus relinquatur.

8. Eam igitur ob rem ſacco cilicino, atque vlulatu lugubri publicam calamitatem deplorate, quia in veſtrum exitium Diuinus acuitur, & intenditur furor.

9. In illo die, dicit Dominus, non ſolùm vires ad propugnandum in bellatore
E deficient, ſed etiam in Rege, Sacerdote, ac Propheta perturbatione, ac metu conſternatis, conſilium omne, atque prudentia vaneſcat.

10. Tunc ego, inquit Ieremias, dixi: Eheu Domine, quare permiſiſti à pſeudoprophetis populum deludi: qui cùm pacem, & otium tuo pollicerentur nomine; ecce gladius ab hoſte iam impendet, qui cum acerbiſſimo doloris ſenſu ad animam vſque penetrabit?

11. In

A *11. In tempore illo dicetur populo huic, & Ieruſalem: Ventus vrens in viis, quæ ſunt in deſerto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum & ad purgandum.*

11. In tempore illo clamabit ad Ieruſalem ſpeculator, aut nuncius: Ecce venit ab Aquilone Chaldæorum exercitus contra Ieruſalem, eo impetu, quo ventus vehemens, & vrens perflare ſolet à deſerto. Ventus autem ille non eſt, qualis expeti ſolet ab agricola, lenis, & benignus ad ventilandam aream, & purgandum frumentum, ſed qui firmiſſimum quodque concutiat, & ſternat.

12. Spiritus plenus ex his veniet mihi: & nunc ego loquar iudicia mea cum eis.

12. Spiritus ille, qui ab Aquilone perflat, multò plenior, ac vehementior eſt illo,
B lo, qui optari ſolet ad purgandam aream. Hactenùs, inquit Dominus, obſcuriùs egiſſe viſus ſum, nunc iam apertiùs, quid in populum agere conſtitui, ediſſeram.

13. Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi illius: væ nobis, quoniam vaſtati ſumus.

13. Ecce exercitus, quem vrentem ventum appellaui, inſtar nubis adueniet, quæ terram operiet, mundabítque non aliter, quàm cælum offuſa nubes, & quaſi tempeſtas, impetúſque rotarum, quæ celerem inuehunt, atque repentinam ſtragem: neque equi minùs erunt, quàm aquilæ, veloces. Væ igitur nobis, de quibus actum iam eſſe exiſtimare poſſumus.

C *14. Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias: vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

14. Ergo Ieruſalem, vt ab his te incommodis expedias, fac vt internas animi ſordes abſtergas: neque enim offenſum Domini pectus placat, atque conciliat externa mundities, & fucata ſanctitas. Cur enim ſines tandiu in animo tuo conſeneſcere cogitationes, quæ tibi nihil præter exitium afferunt?

15. Vox enim annunciantis à Dan: & notum facientis idolum de monte Ephraim.

15. Ex Dan, quæ regio primùm Babylonicis copiis obuia eſt, vox audietur, quæ aduentare dicit hoſtiles acies: vox item ex Ephraim, quæ ſpectari clamabit Chaldæorum idolum, ignem videlicet, quem
D tanquam Deum venerantur Chaldæi, & illorum agmina quaſi militare ſignum antecedit.

16. Dicite gentibus: Ecce auditum eſt in Ieruſalem, cuſtodes venire de terra longinqua, & dare ſuper ciuitates Iuda vocem ſuam.

16. Dicite ergo Gentibus, quò magis excrucietur Ieruſalem, dum externos ſua calamitate lætificat; à quibus ſe illudendam, & ſubſannandam nouit: annunciatum eſſe Hieroſolymæ, imminere iam de terra longinqua non tam hoſtes, qui expugnent aliena, quàm qui ſua bona cuſtodiant: nam in ciuium poſſeſſionem eairrumpent facilitate, qua in bona quieto ſibi iure iam antè quæſita. Qui ſanè clama-
E bunt, non quaſi pugnantes, ſed quaſi incubantes prædæ, & ſubactas cuſtodientes ciuitates Iuda.

17. Quaſi cuſtodes agrorum facti ſunt ſuper eam in gyro: quia me ad iracundiam prouocauit, dicit Dominus.

17. Obſidebunt vndique Ieruſalem, vt vinearum, atque hortorum cuſtodes, qui ſua potiùs à prædatore tuentur, quàm inuadunt aliena; quæ ideo tantam accipiet plagam, dicit Dominus, quia meum in ſe furorem exacuit.

18. Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: iſta malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. A

18. Hæc verò nunquam obtinuiſſent, aut tentaſſent Chaldæi, niſi peſſima viuendi ratio, & ſcelerata conſilia bellatorum incidiſſet neruos, vrbémque à propugnatoribus nudam hoſtibus prodidiſſet. Hæc te malitia felle repleuit, & abſynthio, hæc ferrum in viſcera, & in ipſam etiam animam adegit.

19. Ventrem meum, ventrem meum doleo; ſenſus cordis mei turbati ſunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij.

19. Verè ita eſt, Domine, inquit Ieremias, iam in me ipſo minarum tuarum pondus experior; iam amaritudo cor tetigit meum. Dolent enim mihi vehementer B viſcera; viſcera, inquam, mihi dolore rumpuntur, turbantúrque ſenſus ex cordis vehementi concuſſione, atque æſtu. Quare non committam, vt taceam: quando iam audiui & tubæ clangorem, & bellicum celeuma.

20. Contritio ſuper contritionem vocata eſt, & vaſtata eſt omnis terra: repentè vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò pelles meæ.

20. Nullum tempus eſt à labore vacuum, calamitas calamitati, eáque quotidie grauior ſuccedit: vniuerſæ denique terræ vaſtitas inducta: & Ieruſalem ſubito caſu ſic eſt euerſa, quemadmodum paſtorum, aut cucumerarij cuſtodum tuguria C reuelluntur, quorum nullum in eo, in quo fuerunt antè loco, veſtigium relinquitur.

21. Vſquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ?

21. Quandiu, ô Domine, in populum tuum ira tua deſæuiet? Quandiu duratura populi calamitas? Vſquequo militarem audiam ſtrepitum, & buccinæ clangorem? Vſquequò gentem meam fugitiuam à patria, atque exulantem videbo?

22. Quia ſtultus populus meus me non cognouit: filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt.

22. Magno ſuo merito, dicit Dominus, populus tam grauibus premitur incommodis, quia ſtultus eſt: neque de me cognoſcendo, meáque voluntate complenD da laborat, quia tardus, ſtupidus, ac vecors ad illa tantùm adiecit animum, quæ ipſi tam graui nocumento fuerunt; cùm tamen ad fraudes, atque rapinas, ita ſolers, & vigilans ſit, vt ad id vnum fictus, aut natus videatur.

23. Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cælos, & non erat lux in eis.

23. Aſpexi totam Iudæorum prouinciam, & ita mihi vacua, & informis apparuit, ſicut in rerum exordio terra fuit, inanis nimirum, & vacua. Aſpexi cælos, qui ſic erant obſcuri, ſicut olim, cùm nondum eſſent ornati, atque irradiati luminaribus.

24. Vidi montes, & ecce mouebantur: & omnes colles conturbati ſunt. E

24. Res denique Iudaica ſic mihi viſa eſt anguſtè premi, & exagitari vehementer, vt montes ipſi, & colles conturbari, & maxima rerum firmamenta nutare, atque conuelli viderentur.

25. Intuitus ſum, & non erat homo: & omne volatile cæli receſſit.

25. Cùm rurſus me ad contemplandam ſtragem retuliſſem, ſic omnia vidi deſerta, ac nuda, vt neque vllus appareret homo, neque volucris vlla ex his, quæ nutriuntur, aut cicurantur ab homine.

26. Aſpexi, & ecce Carmelus deſertus: & omnes vrbes eius deſtructæ ſunt à facie Domini,

26. Aſpexi tandem, vidíque Carmelum, atque ea, quæ amœnitate ac fructu,

Carme

ni, & à facie iræ furoris eius.

A Carmelo diſſimilia non ſunt, omnino deſerta, & ab offenſo, atque furente Domino ciuitates euerſas.

27. *Hæc enim dicit Dominus: Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam.*

27. Nihilominus, dicit Deus, ſic terra vexabitur, deſeretúrque, vt tamen neque perpetua futura ſit illa clades, neque ita euertenda funditus, vt non aliquando rurſus inſtauretur.

28. *Lugebit terra, & mœrebunt cæli deſuper: eo quòd locutus ſum, cogitaui, & non pœnituit me, nec auerſus ſum ab eo.*

28. Erit tamen diu deſerta regio Iudæorum, & eorum fortuna ærumnoſa, & lugubris: ſquallebit quippe terra, neque
B candidus illi fulgebit dies: quia neque me pœnitebit, dicit Dominus, neque auertar ab eo, quod minatus ſum, neque mutabo conſilium, quod antè ſuſcepi.

29. *A voce equitis & mittentis ſagittam, fugit omnis ciuitas: ingreſſi ſunt ardua, & aſcenderunt rupes: vniuerſæ vrbes derelictæ ſunt, & non habitat in eis homo.*

29. Perterruit ciuitates equorum hinnitus, equitum clamor, & ſagittariorum ſtridor, quare ab eorum conſpectu ſic aufugerunt perculſi metu ciues, vt derelictis vrbibus, neque vllo in eis habitatore relicto, ad rupes conſcenderint, & inacceſſa loca.

30. *Tu autem vaſtata quid facies? cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris: contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent.*

C 30. Et tu, Ieruſalem, quæ idolis ſic placere ſtudes, quemadmodum amatoribus meretrix, aut vxor infidelis adulteris, eóque conſilio purpureis te veſtibus exornas, quibus aurei monilis ſplendorem adiungis, & nitorem oculis à ſtibio concilias: idque omnino fruſtra, quid facies, cùm te amatores tui, qui in illam te moriendi neceſſitatem compegêre, prodant, atque contemnant?

31. *Vocem enim quaſi parturientis audiui, anguſtias vt puerperæ. Vox filiæ Sion intermorientis, expandentíſque manus ſuas: Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.*

31. Audire iam videor vocem, & eiulatum non minùs luctuoſum, & triſtem,
D quàm quem in ipſo pariendi nixu edit puerpera; vocem, inquam, & gemitum iam iam exſanguis, & agentis animam, & expanſis in ſummo dolore, ac turbatione manibus exclamantis: Væ mihi, quia dum filios meos gladio corruiſſe conſpicio, nihil propius eſſe video, quàm vt illis ego quoque commoriar.

IN CAPVT QVARTVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Si reuerteris Iſraël, ait Dominus, ad me conuertere.*]

1. HVNC locum varij variè interpretantur, propter varias, quas habet, aut habere putant ſignificationes verbum שוב *ſub*, quod *redire* valet, atque *conuerti* ad id, ex quo quis receſſerat, aut certè *requieſcere*. Iuxta poſteriorem ſignificationem, ſic exponunt: Si redieris, ô Iſraël, ad me, viámque reliqueris, quæ rectà ducit ad interitum, quieſces, ideſt, in tua tibi poſſeſſione viues, neque captus
E migrabis in alienam. Iuxta poſteriorem varia item explicatio eſt. Quidam tam *reuerteris*, quàm *reuertere*, per tempus futurum exponendum cenſent: & re vera in Hebraico textu vtrunque temporis eſt futuri, hoc ſenſu: Si à peſſimo viuendi conſilio receſſeris, ad me redibis, ideſt, gratiam inibis à me, & iterum tibi ſub alis meis perfugium parabis. Aut tunc à peccando abſtinuiſſe videbere, cùm mecum viuere, & meæ ſubeſſe voluntati volueris. Tunc autem illud, *ad me*, con-

iungendum eſt cum *conuertere*. Alij repetendam eſſe putant per Zeugma particulam, *ſi*, & omnia verba referenda ad illud extremum, *non commoueberis*, hoc ſenſu: Si reuerteris, Iſraël, ſi ad me reuertère, ſi abſtuleris offendicula, non commoueberis. hoc poſtremum probant Iſidorus, Clarius, & Caſtrus.

2. Ego expoſitiones iſtas ita probo, vt tamen in aliam magis inclinet animus, quam priuſquam expono, obſeruo duo. Alterum eſt, apud Hebræos futura pro imperatiuis frequenter adhiberi. Exemplorum ſatis eſt Exod. 20. vbi tradita ſunt præcepta per futurum tempus. Hoc autem loco ſine dubio noſter interpres ſecundo loco futurum תשוב *thaſub*, per imperatiuum reddidit, ſicut illud prius תשוב *thaſub*, pro quo Vulgatus *reuerteris* repoſuit, in coniunctiuo modo eſt, vt oſtendit *ſi*, verbo præpoſitum.

REGVLA. *Imperatiuus pro futuro.*

3. Alterum eſt, omnium fermè linguarum vſu, cùm verbum aliquod repetitur, quod cum conditionali, aut aliqua ſimili particula præceſſerat, poſteriori loco epitaſim habere, ita vt quod priori loco fieri dicitur, vtcunque poſteriori fieri dicatur ſtrenuè, non ſimulatè, meliori conſilio, &c. In hanc ſententiam explicuimus illud Iſaiæ 21. *Si quæritis, quærite.* ideſt, prudenter, vtiliter, opportunè. Quam epitaſim expleuit Chriſtus, cùm dixit Iudæ, Ioannis 13. *Quod facis, fac citiùs.* & Pilatus Ioannis 19. numero 22. *Quod ſcripſi, ſcripſi:* ideſt, conſtanter, conſideratè, ita vt nunquam illud deleri patiar. Quam planè vim habet vulgatum illud, *Age, quod agis.* Eſt exemplum optimum apud Senecam libro 2. de Beneficiis, cap. 5. vbi quod tardè impenditur, beneficium eſſe negat, immo iniuriam eſſe putat, beneficium lentum. *Veriſſimum*, inquit, *exiſtimo, quod ille Comicus dixit: Quid? tu non intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis? Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit, fac, ſi quid facis.*

REGVLA. *Cùm verbū repetitur cū conditionali, aut aliqua ſimilis particula præceſſerat, epitaſis eſt.* Iſaiæ 21. Ioannis 13. Ioannis 19.

Beneficium tardum.

4. His ergo poſitis ſenſus erit, meo iudicio, facilis, ſi Propheta moneat Iſraëlem, vt quod facit aut negligenter, & timidè, aut inconſtanter, & fictè, id ſeriò agat, neque quidquam habeat, aut potius, aut prius, quàm vt ſe totum ad Diuinam voluntatem attemperet. Reuerſus fuerat populus ſub Rege Ioſia à nefario ſimulacrorum cultu, aliiſque ſordibus inquinatæ vitæ, ſed non multò pòſt ſublato Ioſia, ſub quatuor aliis Regibus ad caſum vſque Hieroſolymæ ad antiquæ vitæ nefarium inſtitutum rediturus erat. Quare iſti iuxta omnium penè Gentium conſuetudinem reuerſi, ſeu conuerſi dici non poterant. Quod enim breui ſoluendum eſt, non iudicatur eſſe factum. Sicut etiam non exiſtimatur in aliquem veniſſe locum, qui in illo non ſtetit. Sanè qui caſam, aut tabernaculum ita figit, aut conſtruit, vt non multò pòſt diſſoluturus ſit, aut aliò tranſlaturus, non dicitur ædificare: aut qui ita imprudenter, vt ſuper arenam conſtruat, vbi ſtabile fundamentum non eſt, demoliri potiùs exiſtimatur, quàm ædificare, quia moles illa non poteſt eſſe diuturna; ſic populus ille, ſi ſtatim reuocaturus erat animum ad ea, quæ reliquerat ſtudia, planè rediiſſe non videbatur; aut certè, ſi aliquid in ſe retinebat impiæ religionis, quod religio vera nullo modo patitur, hærere adhuc videri poterat in ſordibus. Quare ſtatim adiicit: *Nolite ſerere ſuper ſpinas.* ac ſi dicat: Euellite ſtirpitus radices, quas nullo ſecum patitur modo vera religio: qui enim ſuper ſpinas ſemen ſpargit ſuum, quia inutilem

Vera conuerſio, ac ficta.

A ſumit operam, perinde cenſetur, atque ſi otioſum omnino duceret tempus. In hunc ſenſum videntur accepiſſe cum Hieronymo ſanctus Thomas, & Hugo, qui aliter etiam explicant, & Dionyſius, & mihi maximè, & omnino placet.

Si abſtuleris offendicula tua à facie mea.] Offēdicu- 5.
la dicuntur peccata omnia, quæ ſe nobis opponunt à facie Domini, ideſt, ne Dominus oculis nos intueatur beneuolis. Aut quæ nubem opponunt obſcuram, & craſſam, ne faciem Dei videre, aut ad eius vſque aurem orationem extendere poſſimus. Sed præcipuè in offendiculis intelliguntur idola, quæ tunc homines dicuntur habere ante faciem Dei, aut quia ſimul cum Deo B Gentium venerabantur ſimulacra, & Chriſtum cum Belial, & cum tenebris lucem coniungi poſſe opinabantur. De quibus Paulus 2. Corinthiorum 6. Quo nomine 3. Regum cap. 18. reprehendit populum grauiter Elias, *Vſquequo,* inquit, *claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* Quod perin- 6.
de eſt, ac ſi diceret, Si colitis Deum, illum colite, ideſt, verè & ſolum, iuxta ea, quæ diximus paulò antè. Seu certè offendicula à facie Dei dicuntur remouenda; quia Gentium idola in templo colebantur, vt diximus cap. 2. num. 17. Quod cum populo grauiter expoſtulabat Deus, Iſaiæ cap. 57. *Iuxta me diſcooperuiſti, ſuſcepiſti adulterum.* Vide, quæ ibi nos pluribus. Quòd autem idolum dicatur C offenſio, vel offendiculum, conſtat ex Ezechiele cap. 5. & cap. 20. & clariùs Ieremiæ cap. 7. vbi hunc locum videtur expreſſiſſe: *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum.* Offendicula plerique Interpretum idola faciunt, & fortaſſe idololatriam intellexit Ieremias Threnorum 1. alluſitque ad hunc locum cùm dixit: *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* ideſt, in exilium abiit. Peccatum verò pro idolis ſumi ſatis notum.

Ierem. 7.

Idolum, offendiculum.

Verſ. 2. *Et iurabis: Viuit Dominus, in veritate, & in* 7.
iudicio, & in iuſtitia.] Iuramentum opus eſt religionis, quo veracem, fidelem, & internorum conſcium, ac tandem periurij vindicē profitetur eſſe Deū. Quare dum per Deum Iſraëli iuramen- D tum commendat, iubet vt verum Deum ſolum veneretur, & inanium deorum curam, & obſeruantiam abiiciat. Nam qui per deos iurat, illis aliquid humano maius attribuit: atque ideo Exodi 23. prohibentur Iudæi in promiſſorum fidem falſorum deorum teſtimonium adducere. Quæ ſit huius iuramenti, *Viuit Dominus,* ſententia, atque etiam aliorum, quibus interdum vtitur Deus, diximus ad illud Iſaiæ capite 62. *Iurauit Dominus in dextera ſua.* Quemadmodum Deus iurare ſolet, *Viuo ego,* quo ſe à diis ligneis, atque marmoreis diſtinguit: ſic cùm homo iurat, *Viuit Dominus,* Deum viuum eſſe profitetur, quem co- E lit; mortua verò Gentilium ſimulacra. Quando ſine vllo peccato interponi poſſit iuriſiurandi religio, docent Theologi, ſumúntque ex hoc Ieremiæ loco, dicúntque intercedere debere hæc tria, veritatem, iudicium, & iuſtitiam: ideſt, vt vera ſint, quæ iurando affirmat; vt attentè id facias, circunſpectè, reuerenter: ac denique, vt ea, ad quę iuriſiurandi religio cogit, aut vocat, eiuſmodi ſint, vt nihil habeant turpe, vel iniuſtum, cùm nefas ſit iniqui conſilij, vel promiſſi complendi à iureiurando nobis ſpeciem aliquam neceſſitatis imponere.

Iuramenti religio.

Et benedicent eum gentes, ipsúmque laudabunt.] Hęc 8.
obſcura

Qui ſanctè iurant feli- ces. obſcura non ſunt, modò conſtet, ad quem referri debeat illud, *eum*, ad Deúmne, vel ad populum, qui in veritate, atque iudicio per Deum iurabit. Multi cum Hieronymo ad populum referunt, ſenſúmque eſſe putant: vſque adeò fore felicem populum, qui ſe totum conſecrarit Deo, vt à Gentibus benedicatur, ideſt, habeatur, prædicetúrque fortunatus, quòd diuinæ ſe tutelæ crediderit; immo dum ſibi bene precabuntur, nomen Iſraëlis ad votum, & preces adhibebunt, hoc modo: *Contingat nobis, quod Iudæorum populo.* & ſe ſuáque cùm laudare, ac prædicare volent, ſimiles ſe dicent illi populo, cui bene merenti tot Dominus ornamenta contulit, quibus fauet Chaldæus. Hæc ego non improbo, immo laudo, amplectórque lubens; ſed neſcio quomodo illud, *eum*, trahi videtur violenter ad *populum*, qui longiùs aberat, atque in ſecunda perſona: quare dicendum eſſet potiùs, *Benedicent te*, &, *laudabuntur in te.*

9\. Quare mihi in illam ſententiam pronior eſt animus, quæ ab illo pronomine referri Deum opinatur: neque dura eſt expoſitio, aut parum ad inſtitutum accommodata. Si Deum verè, ſerióque colueritis, neque ab alio, quàm ab eius nomine veſtris verbis fidem conciliare volueritis, ſic Deus ornabit vos, & eius liberalitas ſic erit nota, vt omnes gentes, etiam quæ externis adhæſere ſacris, laudent Deum, & bene de illo loquátur, & prædicent: quando tam fidelem experiuntur in promiſſis, & in largiendo liberalem, quod in diis ſuis nunquam experti ſunt. Hæc iuxta verſionem vulgatam. Neque credo, alius eſt ſenſus, etiamſi iuxta Hebraicum textum ita legas: *Benedicent ſe in eo gentes, & in eo gloriabuntur, vel laudabuntur.* Significabimus enim gentes cognita veri Dei larga munificentia, non ab alio gloriam, aut benedictionem, & proſperitatem quæſituras. Quaſi relicta nugacium deorum religione, ad veri Dei cultum migraturi ſint. Hanc ſententiam apertè ſequitur ſanctus Thomas, Theodoretus, Maldonatus, Rabbi Dauid, alij vehementer in eam inclinant, fauétque plurimùm Septuaginta tranſlatio.

10\. Verſ. 3. *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.*] Hæc planè probant explicationem, quam adduximus nuper, quòd videlicet, primo verſu populum, aut inconſtantem, aut in fucata ſanctitate ſibi placentem admonet Deus, vt ſaniora meditetur, neque dum Dei religioni ſuperſtitionem admiſcet externam, vacuam referat operam ab omni fructu; perinde enim faceret, atque is, qui in agrum ſenticoſum atque ſylueſtrem ſpargeret ſemen, quod ſi radices agere contigiſſet, ſuffocaretur tamen à ſpinarum luxuria, antequã in culmum, aut ſpicam aſſurgeret. Ac ſi dicat; *Si ſeminatis, ſeminate.* fructuosè nempe, & ex ruſticorum diſciplina. In ſpinis quidam vanum idolorum cultum intelligunt, quem euellere ſtirpitus iubentur, qui ex ſpiritali ſatu fructum exarare volunt opportunum. Alij peccata, quæ ſicut olim Adæ, ſic modò peccatori terram ſentibus obſeuerunt. Aut tandem illa, quæ à carne profecta ſpiritui, atque animæ bellum indixerunt implacabile.

PROVE. *Vera pœnitentia, ac fructuoſa.*

11\. *Nouale, quid.* Eſt autem nouale incultus priùs, & ſylueſtris ager, recénſque aratro ad ſationem proſciſſus, ideſt, aruum nouum, cùm priùs foret ſylua vetus. Aut certè cùm diu à vomere, atque à ſemente ceſſauit, aliquandiu rurſus ad ſatus renouatur.

A In quo optimè exprimitur animus, qui perdiu naturæ, genióque ſeruiuit, & in ſyluaticum modum efferatus, cæleſte ſemen excipere non poteſt, niſi ſe ipſum ſoluat, atque omnino deſerat. Tertullianus aduerſus Iudæos capite 3. pro *nouali, nouitatem* poſuit. & libro 1. contra Marcionem cap. 20. *nouamen nouum.* quæ explicatio non parum eſt ad allegoricum ſenſum accommodata, quæ docet, qualis debeat eſſe illa, quæ à Paulo vocatur noua creatura. Hic porro locus ad docendam, ſuadendámque mortificationem, quæ carnis ſemina, & vitiorum fibras omnes elidit, valde opportunus eſt, & à vitæ ſpiritualis magiſtris ſæpius vſurpatus. *Spiritus renouatio.*

B Caſſianus collatione 4. cap. 19. aliter interpretatur hunc locum: cùm enim docuiſſet, inutilem operam plerunque poni in admonendis, inſtituendíſque iis, qui religioſam vitam profeſſi, in ea tamen repent, & languent, admonet, vt ſtudium illud transferatur ad eos, qui quaſi ſylueſtris ager nunquam excultus eſt diſciplina, à quo multò copioſiorem prouentum ſperandum dicit. Iuuat eius verba huc accerſere, quia pulchra. *Frequenter*, inquit, *vidimus de frigidis, atque carnalibus, ideſt, de ſæcularibus ac paganis ad ſpiritualem perueniſſe feruorem, de tepidis, atque animalibus omnino non vidimus. Quos etiam per Prophetam ita legimus Dominum deteſtari, vt ſpiritualibus viris, atque doctoribus* C *præcipiatur, vt ab eis monendis, docendíſque diſcedant: & nequaquam velut in ſterili, atque infructuoſa terra, noxiíſque ſentibus occupata, ſemen verbi ſalutaris expendant, ſed vt contemnentes eam nouam potiùs excolant terram. Ideſt, erga paganos ac ſæculares omnem doctrinæ culturam, ac verbi transferant ſalutaris inſtantiam: quod ita legimus, Hæc dicit Dominus viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem: Nouate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* 12. *Tepidi periculum.*

Verſ. 4. *Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.*] Hæc metaphora explicatio quædam eſt prioris allegoriæ, de nouali, & primi verſus de vera, atque perfecta in Deum conuerſione. Perſuaſerant ſibi, credo, Iudæi, ſatis ſe D ad Deum fuiſſe conuerſos, qui intermiſſa iam diu ſacra, & externas cæremonias inſtaurarant, cùm tamen adhuc ſenſus retinerent antiquos, neque minùs quàm antea profusè à carnis deſideriis traherentur. Quare iubet, vt non tantùm externo corporis greſſu, ſed etiam toto præcordiorum affectu, ad Deum reuertantur. Abſtulerant quidem carnis præputium, ſeque externo illo, atque carnali ſtigmate conſignarant, ſed erat animus incircunciſus, nihilóque minùs à carnis illecebris ducebantur, quàm præputiati Gentiles. Hos igitur hortatur Deus, ne ſimulata ſanctitate in corde celent carnale præputium. Hoc puto dixit Paulus ad Galatas 6. *In Chriſto Ieſu neque circuncſio aliquid valet, neque præputium,* E *ſed noua creatura.* ideſt, cor circunciſum, aut nouatus ager, & purgatus à ſentibus. Cæterùm, ſiquid mortificatum non eſt, & adhuc naturæ ſeruit, Hebraica phraſi incircunciſum dicitur. Exodi 6. Moyſes habere ſe dicit incircunciſa labia, & Ieremiæ 6. aures dicuntur incircunciſæ, item Actorum 7. Corda verò ſæpe dicuntur habere præputium, & incircunciſa, quia à carne reguntur, neque quicquam habent penſi, quid ſpiritus velit, aut æqua ratio. Dicentur ergo aures incircunciſæ, quæ ad ineptias, & nugas patulæ; ad ſeria, & religioſa obduratæ ſunt. Incircunciſa labia, quæ aut nimium loquuntur, aut ineptè, quæ 13. *Cor incircunciſum.* ad Galat. 6. *Incircunciſæ aures & labia.*

profanum aliquid ſonant,& fœdum,non religioſum,ac purum.

14. *Ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat propter malitiam cogitationum.*] Graues iſtæ ſunt minæ intentæ præputiato cordi, & cogitationibus, quæ malitiam meditantur, & dolos, quando illud proponitur à Diuina indignatione incendium, quod humana vis aut induſtria nunquam extinguet. Agit hîc hiſtoricè de Chaldæorum aduentu, ſtragéque Hieroſolymæ, quam non tam hoſtilis, quam à Diuina dextera vibratus ignis exuſſit. Sed allegoricè de gehennali flamma ſermo eſt, quam non extinguet, aut debilitabit æternitas, quia neque materia vnquam deerit,& flatus Domini ſuccendet eam. Optimus locus contra fucatam religionem, & latentem in præcordiorum receſſu malitiam.

Supplicium fucatæ ſanctitatis.

15. Verſ. 5. *Annunciate in Iuda*, &c. *Ingrediamur ciuitates munitas.*] Cùm verba aut eadē, aut ſignificationis cognatæ ſæpius iterantur, certitudo ſignificatur, & firmitas ſiue benigni, ſiue minacis vaticinij, tum etiam cum epitaſi rei, quæ denunciari iubetur, declaratur acerbitas. Inducitur autem hîc per ethopœiam Imperator, aut Dux, qui perturbationis, atque formidinis plenus ſeuerè commiſſo ſibi populo denunciat, vt quàm poſſit feſtinatò tutum quærat profugium, ciuitatéſque adeat,quæ maximè ſecuræ videntur à metu. Vel potiùs hîc ſubamara quadam ironia, qua videtur ſignificare Dominus, quanticunque ſtudij ad propugnandum adhibeant Iudæi, non tamen liberos futuros ab impendente ferro. Pro fortiter,Hebraicè eſt מלאו *milhu*, ideſt, implete: ſumitur,credo,verbum pro aduerbio. quod apud Hebræos non infrequens; vt docuimus ad illud Iſaiæ 64. *Lætanti, & facienti iniuſtitiam.* Et in verbo *implendi* peculiaris eſt ratio, quia hoc verbum totum ſignificat corporis, & animi conatum. quaſi quis totas impleat vires, ſeu nihil faciat roboris, atque ſtudij reliquum. eſt autem *impleo* militare verbum, vt diximus ad illud Zachariæ capite 9. *Extendi mihi Iudam quaſi arcum: impleui Ephraim.*

16. Verſ. 6. *Leuate ſignum in Sion*, &c. *quia malum ego adduco ab Aquilone.*] Militare ſignum eſt, quod excitari iubetur, ad quod conſcripti militum delectus vndecunque confluant. Ratio verò tam feſtinati, atque ſolliciti apparatus ea eſt, quia ab Aquilone,ideſt, à Babylone, quæ Aquilonaris eſt, agente Deo peccatorum vindice, Chaldæorum ingens, & truculenta manus in Iudæorum fines populabunda graſſatur.

17. Verſ. 7. *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit.*] Hic ſine dubio Nabuchodonoſor eſt,qui ex Babylonia regione depreſſa, atque humili in Ieruſalem ſitu arduam, atque montoſam exercitum coëgit,promouítque.Comparatur autem cum leone, qui cùm de cubili ſuo in ſyluas egreditur, vrgente fame, quam diu ieiunus ſuſtinuit, ad prædam famelicus, & violentus egreditur. Porro Nabuchodonoſor prædo dicitur gentium, quia domita multarum gentium colla ſub iugum egit. De quo Iſaias capite 54. *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna? Qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit?*

18. Verſ. 8. *Super hoc accingite vos ciliciis, plangite.*] Vſitatum eſſe inter Hebræos, vt in luctu ſe ciliciis operirent, ſatis eſt notum, & magnorum etiam Principum exemplo confirmatum. Solennem item,& quaſi legitimam eſſe plangendi formulam, ex Ieremia docemur capite 22. numero 18. Iubet ergo Propheta,quaſi iam clades vrbem, gentémque Solymitanam peruaſiſſet, vt priuatam,publicámque calamitatem ſacco, atque vlulatu lugubri proſequantur, ſibique ac patriæ parentare iam iam incipiant: quem honorem poſtea ſuo tempore ſuorum ac patriæ funeri impendere non poterunt.

Verſ. 9. *Peribit cor Regis,& cor Principum, & obſtupeſcent Sacerdotes, & Prophetæ conſternabuntur.*] 19.
Non ſolùm in duro illo, longóque conflictu vires ad propugnandum deficient in bellatore, ac Duce,ſed etiam in Principe, ac Rege, Sacerdote, ac Propheta; conſilium vaneſcet omne, omníſque prudens,ac ſana cogitatio peribit. Idem antè dixerat Iſaias capite 5. vbi, quæ hîc paucis à Ieremia, pluribus explicuit, & oratoriè magis. Obſtupeſcere porro, ac conſternari, idem eſt, ac menti ſtuporem, & animo languorem, ac trepidationem induci; ita vt neque quod facto opus eſt,mente proſpicere, neque quod è re communi fore viſum fuerit, viribus, ac lacertis præſtare poſſint. In Rege hoc loco non vnum intelligo Sedeciam, quamuis hic omnium maximè in deliberando peccauerit, ſed Reges omnes, qui poſtquam res Iudaica inclinari cœpit, atque labaſcere premente Chaldæo, malè & ſibi, & patriæ conſuluerunt.

Verſ.10. *Et dixi,heu,heu,heu Domine Deus;ergóne decepiſti populum iſtum, & Ieruſalem, dicens: Pax erit vobis,& ecce peruenit gladius vſque ad animam?*] Hæc 20.
puto verba vſque ad finem verſiculi claudenda parentheſi,quia ſtatim ſuperior continuat narratio. Pollicitus erat Dominus ſuprà, capite 3. Iudæis ſecunda omnia, quod etiam in huius capitis initio confirmaſſe videbatur; nunc cùm dura denunciat, neque his, quæ proximè promiſſa fuerant, vt vulgus hominum exiſtimare poterat, conſentanea, admiratur, queritúrque Propheta, quòd Deus ita ſe in hoſtem repente conuerterit, & pro pace, quæ iam afflictis rebus affulgere videbatur, gladium in ipſa etiam Iudæorum viſcera diſtringat. Ita Hieronymus, Rabbanus,& ſanctus Thomas, qui hoc à Propheta dictum eſſe putant, Diuinorum conſiliorum ignaro,à dolore potiùs,& ignoratione, quàm ab vlla recta cogitatione, in illam querimoniam erumpente. In quam ego ſententiam adduci nulla ratione poſſum. Neque enim credibile eſt, ignoraſſe Prophetam, quod proximè ipſe tam apertè docuerat, felicitatem illam poſt captiuitatem ſolutam eſſe promiſſam; aut certè ſub ea lege, vt nouarent noualia, neque ſuper ſpinas ſererent, ideſt, vt ſaniora conſilia meditarentur. Neque credo, tantus Propheta veritatem, & fidem in ſumma fide, ac veritate requireret, populúmque ab ipſo deceptum quereretur. Quare in illorum ſententiam magis inclinat animus, qui ideo populum à Deo deceptum eſſe putat, quia vt ab aliis in fraudem induceretur permiſit. Deceperunt autem veſanam illam gentem, & nimiùm credulam Prophetæ falſi, qui cùm omnia ſecunda, atque pacata promitterent, in illud infortunium traxerunt, quod nunc quamprimùm euenturum minatur Deus. Qui loquendi modus in Scriptura ſacra infrequens non eſt,quæ id à Deo factum eſſe dicit, quod fieri paſſus eſt, quantumcunque illud Deo odio ſit, & horrori, vt pluribus oſtendimus

Regula. Deus feciſſe dicitur quod fieri permiſit.

dimus ad illud Iſaiæ 61. *Quare errare nos feciſti Domine?* vbi hæc pluribus ſimilitudinibus, atque teſtimoniis firmauimus. Sic Deus decepiſſe dicitur Prophetam, Ezechielis 14. verſu 9. & 3. Regum vltimo, poſuiſſe traditur in ore Prophetarum ſpiritum mendacij. & hanc ſententiam amplectuntur Theodoretus, Hugo, Dionyſius, & Lyra, Maldonatus, & communiter alij.

PROVE. *Vſque ad animam.*

21. *Ecce peruenit gladius vſque ad animam.*] Prouerbialem reor eſſe dicendi formam, qua infortunium graue, cum acerbiſſimo doloris ſenſu coniunctum eſſe oſtenditur, aut certè ſtrages maxima, & vulnus inſanabile. Qua dicendi ſpecie declarauit Simeon, quantus dolor affecturus eſſet Virginis animam, Lucæ 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Et Paulus ad Hebræos 4. eodem fortaſſe ſenſu dixit de verbo Domini ſub gladij metaphora: *Pertingens vſque ad diuiſionem animæ.* & Dauid 1. Regum capite 24. cùm oram chlamydis Saülis præſcidiſſet, facti pœnitens, *percuſſit cor ſuum.* Quam phraſim, ſicut plures alias, ab Hebræis ſuſceperunt Hiſpani, qui cùm grauem dolorem exprimere volunt, dicunt: *Hiriome en el alma.* vel, *dueleme en el alma. ſientolo en alma.*

Lucæ 2. ad Heb. 4. 1. Re. c. 24.

PROVE. *Ventus vrens.*

A deſerto & Auſtro tempeſtas.

22. Verſ. 11. *In tempore illo dicetur populo huic, & Ieruſalem: Ventus vrens in viis, quæ ſunt in deſerto filiæ populi mei.*] Repentinus indicatur Chaldæorum aduentus inſtar turbinis, qui à deſerto præceps, ac violentus voluitur. Illud, *ventus vrens*, &c. verba ſunt ſpeculatoris, ſeu alterius, qui ad inopinatum Chaldæorum aduentum clamat, impendere iam extremum diem Hieroſolymæ. Subaudienda hîc ſimilitudinis nota, hoc ſenſu, Veniet Chaldæorum exercitus eo impetu, quo ventus vehemens, & vrens perflare ſolet à deſerto. Hîc verò obſeruandum, ab ea regione, quæ ab Auſtro reſpicit Palæſtinam (quæ magna ex parte arida eſt, atque infrugifera, & ideo communi gentium vſu deſertum appellatur, in quo diu errauerunt Hebræi, excuſſo primùm Pharaonis iugo) vehementes excitari turbines, & vrentes ventos, vtpote ab æſtuoſa, atque arenti plaga. Quod non obſcurè colligitur ex Iob cap. 9. vbi cum Arcturo, Orione, atque Hyadibus, nimboſis nempe ſignis Auſtri interiora conſociat, ſiue, vt Septuaginta vertunt, Auſtri promptuaria, vnde tempeſtates erumpunt. ſicut ex rupe Æolide, vt nugantur Poëtæ, immanes ventorum flatus aſpirant. Cui loco ſi alterum adiungas ex eodem Iob cap. 37. plurimum accipiet momenti noſtra hæc cogitatio. ſic enim ibi: *Ab interioribus* (nempe Auſtri) *orietur tẽpeſtas.* Pagninus: *A Meridie veniet turbo.* Vide quæ diximus ad illud Iſaiæ 21. *De deſerto veniet.* vbi eodem impetu venturi dicuntur contra Chaldæos Perſæ, ac Medi, quo nunc Chaldæi contra Solymitanos. ibi nos oſtendimus, ab ea regione turbines frequenter ingruere.

Iob. 9. Iob. 37.

23. *Non ad ventilandum, & ad purgandum.*] Eſt ventus lenis, ac ſecundus, qui nauem molliter impellit ad portum, & granum in area emundat à paleis. Eſt & alius incitatus, & acer, qui nauem aut mergit in fluctibus, aut allidit ad ſaxa, & quicquid obuium eſt, diſperdit, & diſſipat; ille vtilis eſt, & expetendus; hic noxius, & horribilis. Ait ergo Deus, ventum illum, qui à deſerto veniet, ideſt, Chaldæorum agmen, non fore eiuſmodi, vt quod tetrum eſt, ac fœtidum, halitu ſuo diſpellat, ac difflet; aut quod vanum eſt, euentilet, & purget: ſed qui omnino ſternat, quæ firma videbantur Iudæorum præſidia, neque vllum relinquat antiquæ nobilitatis argumentum. Ventus ille, qui ventilat, & purgat, optari ſæpe ſolet ab agricola, quia ita feſtucas diſſipat, vt tamen ibi granum purum, nudúmque relinquat; at ſpiritus alius vehementior, cum paleis ipſa quoque grana diſpergit, qualis videri poteſt iſte, qui à Babylone perflat.

Verſ. 12. *Spiritus plenus ex his veniet mihi.*] Hæc verba adhuc ſpeculatoris ſunt, aut eius, qui communem præuidet, ac dolet Reipublicæ caſum. Ille igitur, quicunque eſt, aduenire ſibi, ideſt, contra ſe, dicit ventum, multò magis vehementem, ac plenum, illo, quo ventilatur, atque purgatur area. Nam hic optari ſolet, præbétque ruſticis non vulgarem vſum; ille verò, qui à Babyloniis impendet, neque ita iucundus eſt, neque adeò benignus, qui non tam purgat, atque refrigerat, quàm perdit, ac diſſipat, quod habet obnium. Pro eo, quod Vulgatus reddit, *ex his*, Hebraicè eſt מאלה *min eleh.* Illud מן *min*, particula quædam eſt, quæ cum exceſſu comparat, quam Latinus interpres ſæpe conuertit, *præ*, interdum tamen, *ex*, cum eadem tamen ſignificatione, atque vſu, vt Pſalmo 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* ideſt, præ me, altior nimirum, quàm vt illam ego meditando aſſequar. & 3. Regum cap. 14. *Ieruſalem elegit Dominus, vt poneret nomen ſuum ibi ex omnibus tribubus Iſraël.* id eſt, præ omnibus. Sic ergo ventus venturus eſſe dicitur plenior vento, quo ventilatur palea, & quo purgatur frumentum. Hucuſque ſpeculator. 24.

REGVLA. *Ex, interdũ comparatur cum exceſſu.*

3. Re. c. 14.

Et nunc ego loquar iudicia mea cum eis.] Iudicij nomen aliquid hoc loco durum, & inimicum importat. Sunt autem hæc Domini verba, quæ clariùs iam explicant id, quod obſcuriùs antea quibuſdam quaſi integumentis inuoluerat. Quare iam explicatiùs impendentem populo calamitatem denunciat. Illud, *cum eis*, ad Solymitanos refero, qui priùs *populus*, & *Ieruſalem* nominati ſunt. Subauditur autem hîc aliquid per apoſiopeſim, ad quod referenda ſint nonnulla, quæ ſtatim ſubiiciuntur, quod in Scriptura ſacra non rarò contingit, vbi ſine antecedente relatiua ponuntur, quæ dicentis potiùs cogitationem tacitam, quàm ſcripta verba, aut expreſſa reſpiciunt. Qualia ſunt illa Pſalmo 86. *Fundamentum eius in montibus ſanctis.* id eſt, Ieruſalem, de qua ego mecum tacitus cogitabam. Et Ioan. c. 20. Magdalena: *Si tu ſuſtuliſti eum,* ideſt, Chriſtum, in quo vno defixa mens. Sic puto hîc omiſſum eſſe Iudæorum nomen, quibus inſtare dicuntur, quæ mox ſuccedunt. In quibuſdam Bibliis legitur: *Et nunc ego, ſed loquar*, &c. vbi Interpretes apoſiopeſim quandam agnoſcunt: ſed magis correcti codices, & in his Sixtiani, ita legunt, ſicut nos hîc. 25.

REGVLA. *Relatiuum ſæpe ſine antecedẽte.*

Verſ. 13. *Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tẽpeſtas currus eius: velociores aquilis equi illius.*] Tribus ſimilitudinibus explicat, quanta ſit comparata contra Solymitanos Chaldæorũ vis, quàm præceps curſus, quàm feſtinus aduentus. In nube Chaldæorum multitudo ſignificatur, quæ terram operiet, inundabítque non aliter, quàm cælum offuſa nubes: in tempeſtate incitatus curſus, ſtrepitúſque rotarum, & repentina ſtrages: in aquilis velocitas agminis, quod priùs imminere ciuitati cernitur, quàm aut conſcriptum militem, aut mota loco caſtra nunciarẽtur. Hæc fermè omnia de hoc 26.

Chaldæorũ equi velociſſimi.

etiam Chaldæorum tempore dixerat Habacuch cap. 1. præcipuè de equorum velocitate, quos cum pardis comparat, & lupis veſpertinis, atque adeò cum aquila, quæ feſtinat ad prædam. Loquitur autem vterque Propheta accommodatè ad illorum equorum naturam, qui Euphratem bibunt, qui velociſſimi eſſe dicuntur, & vſque adeò impauidi, & audaces, vt non tam illis leuitas ad fugiendum, quàm ad inſequendum, à natura tributa eſſe videatur. De quibus ſic Oppianus:

—Qui habitant virides Euphratis ad vndas
Magnanimis vtuntur equis in bella leonum;
Accedit leuitas curſus, quòdque ora leonis
Intrepidè perferre valent, vocéſque ſuperbas,
Cùm reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.

Hæc verba Dei ſunt, iudicia cum populo loquentis, & ſicut nuper in *eis*, Iudæi, ſic modò in *eius*, Chaldæorum exercitus intelligitur.

27. *Væ nobis, quoniam vaſtati ſumus.*] Hæc ego vſque ad, *cogitationes noxiæ*, à reliquis diſcludo, & includo parentheſi. Neque enim verba Dei ſunt, vt conſtat; atque ideo contexi nequeunt cũ iis, quæ proximè anteceſſerunt, aut quæ mox conſequentur. Aſcribi poſſent cuilibet è populo, qui graui perculſus metu, communem dolet cladem. Ita Hieronymus, ſanctus Thomas, Rabbanus: ſed inclinat animus in illorum ſententiam, qui hæc Ieremiæ tribuunt, qui multò quàm alij meliùs calamitatem proſpectat, & dolentiùs plangit. Ita Lyra, Dionyſius, & Hugo.

28. Verſ. 14. *Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias.*] Hæc item verba Ieremiæ ſunt, qui impẽdentis mali ſpeciem intuitus, ſalutare præbet conſilium, quo à ſuis iugulis gladium auertant, ne videlicet externa religione contenti internam abiiciant, tantũmque templo tribuant, aut victimarum cædi, & illis ſe ſatis paratos eſſe putent ad arcendum hoſtem; ſed potiùs domeſticos hoſtes, qui præſidiis nudant ciuitatem, prodúntque ruinæ; & faces ad incendium congerunt, ex animis ſeriò, atque conſtantes pellant, neque tandiu noxias cogitationes inueteraſcere patiantur. Hæc enim grauiùs indicunt bellum ciuitati, quàm vltrix Chaldæorum potentia. Faciebant nunc Iudæi fucata religionis ſpecie contenti, quod longè poſtea illorum filij paternæ ſimulationis hæredes, quos eodem nomine Chriſtus reprehendit: *Vſquequo morabuntur in te cogita-*
29. *tiones noxiæ?* Ex hoc loco viri ſpirituales docent noxias, & impuras cogitationes, ſimul atque ad ſecuram mentem appulerint, extinguendas eſſe. Quæ ſanè niſi ibi per inertis animi deſidiam inſederint, noxiæ non ſunt: ſecus ſi ibi aliquandiu commorari ſinas. Quæ ſententia apud Patres frequens, & à ſpiritali viro obſeruanda maximè.

Tribus Dan quo loco ſita.

30. Verſ. 15. *Vox enim annunciantis à Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim.*] Perſequitur Deus minas, quas populo denunciare cœperat: oſtendítque, vnde primùm afflaturus eſſet ſecuram, atque imparatam vrbem de Chaldæorum aduentu bellicus rumor. Satis conſtat, partem illam regionis Chanaanitidis, quæ ſortitò contigit Tribui Dan, excipere primùm eos, qui è Babylone Palæſtinæ fines ingrediuntur: quare ſæpe in Chaldæorum ingreſſu illius Tribus meminit iterum Propheta cap. 8. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius.* Quòd ſi quis ex eo loco Hieroſolymam verſùs ire pergat, tranſeat quoque neceſſe eſt per Ephraim, quæ media eſt inter Dan, & Ieruſalem: atque ideo in Chaldæorum traiectu cum Dan Ephraimitis quoque plaga coniungitur.

Ier. 8.

Quodnam ſit idolum, quod notum faciet cla- 31.
mor, aut rumor de monte Ephraim, incertum eſt. Hugo, Lyra, & Dionyſius, in idolo Nabuchodonoſor interpretantur, qui excitata aurea ſtatua, pro Deo ſe ab omnibus adorari voluit. Quæ ſententia ne mihi probetur, facit, quia quo tempore primùm contra Iudæos aciem inſtruxit Nabuchodonoſor, de quo tempore nunc ſermonem eſſe credo, nondum prodigioſa illa moles ex auro excitata fuerat; neque illa ſatis videbatur idonea ratio, cur Nabuchodonoſor dici deberit idolum. Alij meliùs de alio quodam idolo vaticinium accipiunt: nam, vt pluribus docuimus ſuper caput 7. Actuum, ad illud, *Et ſydus Dei veſtri Rempham*; & ad id Iſaiæ 46. *Onera veſtra graui pondere*, dij Gentium à ſuis cultoribus in via portabantur, in acie præſertim, tanquam agminis duces. Hieronymus idolum, quod Chaldæorum agmen antecedebat, putat eſſe Baal: nam hic magno, immo & primo loco à Babyloniis colebatur. Ego in idolo ignem accipio, qui, vt ſuprà cap. 1. diximus, Babyloniis erat pro Deo, geſtabatúrque in prima acie, tanquam viæ, atque caſtrorum dux. Vide quæ nos ibi notauimus, neque illi cogitationi noſtræ parum fauet, quòd idolum, quod Chaldæorum agmen præcedebat, notum eſſe dicitur iis, qui ſpeculabantur de monte Ephraim. Quomodo enim Chaldæorum idolum eſſe cognoſcerent, ſi non ita foret aſpectabile, vt à longinquo cerni à ſpeculatore, & à rebus aliis internoſci poſſet? At cui hæc præter ignem conuenire poſſint, non video; igni autem, qui in longo haſtili præferebatur, omnium aut ſoli, aut maximè. Neque aliud, credo, ſignificat hîc, quicunque hoc Chaldæorum idolum intuetur, quàm Ieremias ſuprà capite 1. dum dicit: *Ollam ſuccenſam ego video.* Vterque enim videt præcipiti incedentem gradu Chaldæorum exercitum.

Ignis Chaldæorum ſignum.

Porro illud, *vox annunciantis à Dan*, ex He- 32.
bræorum idiomate, abſolutè ponitur: ſicut etiam infrà ad finem capitis: *Vox filiæ Sion intermorientis.* Quomodo dicimus, *Vox clamantis in deſerto*; Iſaiæ 40. & ibidem: *Vox dicentis.* & Canticorum 2. *Vox dilecti mei.* & capite 5. *Vox dilecti mei pulſantis.* ſubauditur autem, *ſonat*, aut, *auditur*, aut quid ſimile.

Verſ. 16. *Dicite Gentibus: Ecce auditum eſt in Ie-* 33.
ruſalem, cuſtodes venire de terra longinqua.] Hieronymus admonendas eſſe putat Gentes, vt periculum faciant in Iudæorũ capite: diſcántque, qualis in alienos futurus ſit Deus, qui tam ſeuere animaduertit in ſuos. Hanc eſſe puto Hieronymi ſententiam, quam alij aliò deflectunt, quam ſanctus Thomas, & Rabbanus ſequuntur. Alij, *concitate Gentes*, legunt, putántque iuberi his verbis, ſibi vt à Chaldæorum exercitu, ac furore caueant. Mihi primùm probatur Hieronymi ſententia, ſed aſcribam aliam, quæ aliis fortaſſe non diſplicebit. Non minima nobilium hominum ignominiæ, ac cladis pars exiſtimatur, cùm acceptæ plagæ aut iniuſtæ labis rumor ad hoſtes, & peregrinos emanat, qui fortunæ illudunt miſerorum, & cum ſibilo, & plauſu, aut venientes excipiunt, aut recedentes proſequuntur. Quare non ſine cauſa Dauid 2. Regum 1. poſt attritas Iſraëlis vires, cæſúmque Saülem, publicè edixit: *Nolite an-*

Hoſtibus noſtra calamitas celãda.

nuncia

nunciare in Geth, neque nuncietis in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſtim, ne exultent filiæ incircunciſorum. Quod verò hîc futurum eſſe prædicitur, experta eſt in ſuo caſu Ieruſalem, ſicut idem plangebat Ieremias Threnórum 2. *Plauſerunt ſuper te manibus, omnes tranſeuntes per viam*(nempe Gentiles, quibus Iudæorum clades dolori non fuit)*ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum, ſuper filiam Ieruſalem, Haccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* Vide quid infrà diximus ad illud cap.2.Thren.*Lætificauit ſuper te inimicum.*

34. Annunciatur verò Gentibus repentinus hic caſus, vt ſtatim ſubſannare, atque contẽnere incipiant Iudæorum genus, eò vſque glorioſum. Annunciatur, inquam, auditum eſſe Hieroſolymis Chaldæorum aduentum, ipſóſque obſidere Ieruſalem, non quaſi hoſtes, qui alienam oppugnant ciuitatem,ſed tanquam dominos,qui poſſident, & cuſtodiunt ſuam. Vt enim vinearum, aut cucumerarij cuſtodes,aut etiam ciuitarum,vt habes apud Iſaiam cap.62. die ac nocte clamant, vt furaces arceant manus, aut occultas manifeſtent inſidias; ſic Chaldæorum clamor non tam pugnantium erit, quàm incubantium prædæ, & ſubactam ſibi cuſtodientium ciuitatem.

Verſ.18. *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi.*] Mirum planè eſt,quòd ciuitas vſque adeò arte, atque natura munita, tam breui, tam facilè in hoſtium vota,atque poteſtatem venerit;quod ſanè nunquam perficere potuiſſet Chaldæorum potentia, niſi quæ intra mœnia graſſabatur iniquitas,& mentem ademiſſet Principibus, & bellatorum incidiſſet neruos, nudámque propugnatoribus vrbem hoſtibus prodidiſſet. Huc ſpectant,quæ diximus ad illud Iſaiæ cap.1. *Erit fortitudo veſtra,quaſi fauilla ſtupæ.* Vbi oſtendimus omnia præſidia, quæ parare poteſt humana ſolertia, eſſe prorſus infirma, ſi peccatum intus contrà pugnet. Porro *viam*, pro vitæ inſtituto, atque conſilio ſumi,nimis compertum eſt.

35. *Iſta malitia tua, quia amara,quia tetigit cor tuum.*]
REGVLA. Particula,*quia*,aut,*quoniã*,Hebraicè,כי *ki*,nõ sẽper
Quia, ſæpe redundat. apud Hebræos cauſalis eſt: ſed interdum redundat, vt optimè obſeruat, confirmátque exemplis
Ioan.4. Salmeron prolegomeno 16. pagina 414. Ioannis
Mat.7. 4. *Bene dixiſti, quia non habeo virum.*& Matthæi 7.
Mat.21. *Tunc confitebor illis,quia nunquam noui eos.* & cap.21. *Dicite, quia Dominus his opus habet.* In quibus ſi particulam, *quia*,expungas,conſtabit tamen idem
Peccati damna. omnino ſenſus. Idem eſt enim, *Bene dixiſti, quia non habeo virum*, ac ſi mutata verborum forma dixiſſet,*Bene dixiſti,ſe non habere virum.*Si ita accipias hoc loco *quia*,ſententia difficilis non eſt. *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, iſta malitia tua amara tetigit cor tuum.* Tangere autem cor, idem eſſe puto, quod gladium ad animam perueniſſe, quo ſenſu paulò antè explicuimus, ideſt, durum, aut inſanabile vulnus intuliſſe. Dicitur autem malitia *amara* per metonymiam, quia amaritudinem inducit,quomodo mortem pallidam,& triſtem,appellamus ſenectam.

Niſi mauis,*quia*, ex effectu probarè peſtilentis
36. cauſæ dirum influxum. Notum eſt illud Dialecticorum,demonſtrationem *quia*, illã vocari,quę
quia,ex effectu cauſã probat. ex effectu cauſæ naturam & proprietatem demonſtrat. Quare ipſi non dubitant affirmare, rationalem eſſe naturam humanam, quia riſibilis eſt:riſus enim rationem prodit,& mentem,à qua ſolùm emanare poteſt. Licèt autem hic loquendi modus paulò ſit apud Latinos durior, eſt tamen

A Scripturæ ſacræ familiaris, quæ particulas, *quoniam*, aut *quia*, ſæpe cum effectu coniungit.vt eſt illud Ioannis cap.12. *Propterea non poterant crede-* Ioa.12.
re, quia iterum dicit Iſaias. vbi planè Iſaiæ vaticiniũ cauſa non fuit incredulitatis Iudæorum,ſed effectus: neque enim prædixiſſet Iſaias, niſi id aliquando futurum eſſet. Sic nonnulli accipiunt illud Lucæ cap.7. de Magdalena: *Dimiſſa ſunt ei* Lucæ 7.
peccata multa, quoniam dilexit multum. vbi amoris magnitudo oſtendit, quot illi à Deo priùs eſſent peccata dimiſſa. Iúxta hæc igitur, non videtur explicatio aut difficilis, aut contorta, ſi ex magnitudine doloris,& cladis magnitudinem quoque,ac pondus cauſæ peſtilentis intelligas.Quaſi dicas, iniquas eſſe vias, & cogitationes peruer-
B ſas, idque ex effectu colligi non obſcurè, quia malitia, ideſt,peccati pœna amara fuit: amarum quippe propinauit poculum, de quo infrà cap.8. & cap.9. *Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio: & potum dabo eis aquam fellis.* Hæc tetigit cor, ideſt, peruenit ad animam,ſeu diuiſit animam, quo dicendi genere sũmus,vt diximus, ſignificatur dolor.Talem autem ſiue dolorem, ſiue ſupplicium non inflexiſſet Chaldæorum potentia, niſi arma ipſis ad vulnerandum idonea porrexiſſet iniuſtæ viæ, & iniquæ cogitationis improbitas. Hinc *Peccatorum*
diſcat peccator, quo ſenſu eſſe debeat, vbi pri- *amaritudo.*
mùm ad animam ſcelus admiſerit: niſi enim pro cibo illi abſynthium, & pro potu aqua fellis ſit,
C ſi gladius illi non diuiſerit animam, ſtimuliſque compunxerit acutis, mentem iam amiſiſſe videtur, & ſenſum; quo ſtatu nihil excogitari poteſt infortunatius.

Verſ.19. *Ventrem meum, ventrem meum doleo.*] 37.
Hieronymus hæc verba Deo attribuit, quaſi do- *Deus ad pu-*
leat,quòd tam grauia populus paſſurus ſit infor- *niendum in-*
tunia, neque mihi improbatur, immo valde pla- *uitus.*
cet, quia eiuſinodi dolor ex aliorum calamitate conceptus affeciſſe ſæpe dicitur Diuinum animum. Sanè cùm de inducendo diluuio cogitabat Geneſis 6. dolore cordis intrinſecùs tangebatur, & Iſaiæ cap.1. nullam ſe conſolationem accipere dicebat,cùm de eodẽ ſupplicio deliberabat,de quo nunc loquitur Ieremias. *Heu*, inquit, *conſo-*
D *labor ſuper hoſtibus meis.* Sed communiter alij Ie- *Dolor ex*
remiæ tribuunt, qui gentis ſuæ caſum lamenta- *peccato.*
tur, & dolet, in quorum ego ſententiam magis inclino; quia neſcio, quomodo affectus iſte,qua ratione ſignificatur à Propheta, minùs in Deum aptè conuenit, in Prophetam autem perquàm bellè. Dixerat enim Dominus, amaram eſſe populo malitiam,ideſt, malitiæ irrogatam pœnam; & illa tangi cor, ac diuidi animam Iudæorum, nunc id ſibi accidiſſe clamat Ieremias, dicitque, *Ventrem meum doleo.*ac ſi diceret, Verè ita eſt Domine; iam in me ipſo tuarum experior minarum pondus. En ventrem doleo,ideſt, ſentio mea in-
E tra me viſcera diſrumpi. Tangor dolore cordis intrinſecùs, & ad animam vſque peruenit gladius. Ventrem autem pro viſceribus ſumi,atque præcordiis, immo pro corde, ſatis ex Scriptura conſtat:vox enim מעי *meghi*,interiora omnia,quæ ſunt in animali,ſignificat.

Niſi mauis,in ventris, ideſt, viſcerum torſio- 38.
ne explicari parturientis cruciatum, qui prouerbiali forma pro ſummo dolore adhiberi aſſolet. Vnde contuſio lumborum, & renum tremor,atque concuſſio, quæ eòdem ſpectant, aliquid præter modum triſte, atque acerbum ſonant. Iuxta hanc explicationem ſubaudienda eſt

ſimi

ſimilitudinis nota, in hunc ſenſum: Sic excrucior, & doleo, vt mihi non aliter concutiantur, ac rumpantur viſcera, quàm ſolent in graui parturientium nixu.

39. *Senſus cordis mei turbati ſunt in me.*] Hebraicè, parietes cordis mei reſonat, ſeu tumultuat in me cor meum; ſed eſt idem omnino ſenſus: eſt autem optima præcordiorum deſcriptio, *parietes cordis*, qui ambiunt, & muniunt cor. Dum verò ſenſus cordis turbati dicuntur, turbata ſignificantur præcordia, & cor ipſum concuſſum. Cur verò præcordia ſenſus dicantur cordis, non facile explicatu eſt. An quia cordis affectum ſuo motu, concuſſúque ſignificant; vel quia mœrente, ſiue languente corde, ipſa quoque languent, & quodammodo mœrent? vel potiùs, quia turbata præcordia exhilarare nequeunt, aut refrigerare cor, aduocato foris, atque reciprocato ſpiritu, quo deficiente cor arctè laborat? Anguſtiæ verò, mœrórque grauis hoc fermè modo ſignificari ſolent, vnde ſingultus prouenit, qui nihil eſt aliud, quàm quædam ſpirandi difficultas, qui pro gemitu, atque mœrore ſumitur. Sanè Manaſſes, cùm maximè apud Babylonios premeretur, mœroris ſui vim maximè hoc modo ſignificabat. *Non eſt reſpiratio mihi.* Si verò pro *tumultuatur*, ſeu *conturbatur*, legas, *reſonat*, alia ratio eſt, de qua tunc agemus pluribus, quando ventum fuerit ad illud capitis 48. *Cor meum ad Moab, quaſi tibia reſonabit.* Vide quæ diximus ad illud Iſaiæ 16. *Venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit.*

40. *Non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea.*] Hæc itẽ verba ſunt Ieremię, qui iamiam audire ſibi videtur armorum ſtrepitum, & bellicum celeuma, & buccinæ clangorem. Quare negat ſibi temperandum à clamoribus, quibus ad auertendam inimicorum aciem populum inſtimulat. Notat autem Rabbi Dauid, non dixiſſe Prophetam, *audiuit auris mea*, ſed, *anima mea*, quia ſpiritu tantùm buccinam concrepantem audiebat, non auribus. Acutè hæc quidem, ſed puto, vt alibi à me ſæpius probatum eſt, per *animam meam* circumſcribi pronomen, *ego*, ita vt idem ſit, *Audiuit anima mea*, atque, *Audiui ego.*

41. Verſ. 20. *Contritio ſuper contritionem vocata eſt.*] Non vno modo vexata eſt Iudæorum fortuna, neque momento temporis à labore ceſſatum: quia priùs fame, deinde ferro, pòſt verò exilio, ac ſeruitute penè conſumpta ſunt. Hæc autem dicendi forma aut prouerbialis eſt, aut certè non longè à prouerbiali abeſt, qua ſignificamus, nullum tempus à labore, aut à periculo vacuum. Hæc lugendi forma infelicibus familiaris. Seneca in Hercule furente:

PROVER. *Contritio ſuper cōtritionem.*

Malorum ſucceſſio.

——— *Nulla lux vnquam mihi*
Secura fulſit, finis alterius mali
Gradus eſt futuri. ——

Et Homerus Iliade ϖ, catenam dixit eſſe malorum, & maiora ex magnis, & ex aliis alia perpetuò gigni. Simili querimonia, aut planctu vſus eſt Ieremias capite 8. *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.* Et Ezechiel. capite 7. *Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum.* Septuaginta, *Væ ſuper væ.*

Ezech. 7.

42 *Repentè vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò pelles meæ.*] Videbat propheticis oculis Ieremias repentè magnam illam, & antiquiſſimam molem corruiſſe, quam tabernaculum, aut, quod idem eſt, pelles vocat: quia hæc maximè in vſu quondam erant apud Palæſtinos, cùm iter habendum

A eſſet, aut ſub cælo alicubi pernoctandum. Quare ſcenofactoria ars, cui operam dabat Paulus, Actorum capite 18. non erat, vt apparet, vulgari in pretio, & Salomonis pelles Canticorum capite 1. commendantur. Appellatur autem Solymitana ciuitas, & templum in ea omnium auguſtiſſimum tabernaculum Iſaiæ capite 33. *Oculi tui videbunt Ieruſalem opulentam: tabernaculum, quod nunquam transferri poterit.* Et Ieremias Threnorum 2. *Diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum.*

Hæc fortaſſe vera, ſed illud, *repentè*, in aliam me cogitationem, atque explicationem vocat. Non eſt neſcius, qui in Scriptura ſacra verſatus B eſt, ſubaudiri ex Hebræorum idiomate ſimilitudinis notam: item tabernaculum adagiali ſpecie pro re momentanea ſumi, quod vt breui excitatur, & figitur, ſic etiam breui, ac facilè reuellitur, ac ſoluitur. Texunt vineæ, aut cucumerarij cuſtodes tuguria, aut tabernacula, quæ peracta vindemia, aut collectis cucumerarij fructibus diſturbantur, neque illorum deinde, præter ſitum, quidquam reliquum eſt. Cui ab Iſaia capite 1. aſſimilatur Ieruſalem à Chaldæis exciſa; excitant præterea paſtores ſua quoque tabernacula, quæ ſecum circumferunt, figúntque iis in locis, vbi pernoctandum, aut aliquandiu commorandum eſt, quæ deinde aliò, atque aliò pro C gregis commoditate transferuntur, quibus vitam ſuam, quam iam iam finitam eſſe meditabatur, ſimilem appellauit Ezechias Iſaiæ 38. *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernacula paſtorum.* Ex his hanc mihi ſententiam colligere poſſe videor, euerſam fuiſſe Ieruſalem ante propheticos Ieremiæ oculos repentino caſu, non aliter atque paſtorum, ſeu cuſtodum vinearum tuguria reuelli, atque diſſipari repentè ſolent, quorum nullum manet veſtigium. Quod ſtatim explicat magis, dum omnino deſertam eſſe dicit Ieruſalem, neque vllas antiquæ gloriæ ſupereſſe reliquias.

43. PROVE. *Tabernaculi, pro re momentanea.*

Iſai. 38.

Verſ. 21. *Vſquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ?*] Vbi noſter, *fugientem*, Hebraicè eſt, D נס *nes*, quod vexillum ſignificat: & ita vertunt alij. Vox ipſa, ſi puncta mutes, vtrunque valet; neque ſenſus admodum diuerſus eſt, quocunque accipias modo. Quærit enim Propheta, cum aliqua doloris ſignificatione, quandiu duratura ſit populi calamitas, quam intuebatur, quæque *fugientis* continebatur voce, quæ exilium notat, aut bellum, aduerſo Marte, pugnatum: aut certè quandiu vexillum Chaldæorum in obſeſſorum caput erectum, ceruicibus minabitur aut iugum, aut vulnus, & quandiu terrificum aliquid clanget Chaldæorum buccina. Hucuſque Ieremias. quæ ſequuntur, verba Dei ſunt. 44.

Verſ. 22. *Quia ſtultus populus meus me non co-* 45.
E *gnouit.*] Hæc proculdubio verba Dei ſunt, quæ optimè coniunguntur cum illis, quæ interpoſita parentheſi diſcluſa ſunt. Ducitur autem parentheſis ab illis verbis, *ventrem meum doleo*, vſque ad, *ſonum buccinæ.* Oſtendit autem Deus, cur malitia, ideſt, ſupplicium pro malitia Solymitanis irrogatum amarum, tetigerit cor, & animam diuiſerit, quia videlicet populus ille ad nugas, & ludicra ſagaciſſimus; ad ea, quę Domini ſunt, quæque ad illorum ſalutem maximè ſpectant, tardus ſit, ac ſtolidus. Eandem rationem reddidit Iſaias capite 5. *Ideo captiuus ductus populus meus, quia non habuit ſcientiam.*

Sapientes

46. *Sapientes ſunt, vt faciant mala.*] Hi, qui neque de lege, Deóque cogitant, quique ad ſana conſilia ſtupido ſunt ingenio, atque hebeti, ad fraudes tamen, & rapinas ita ſolertes ſunt, atque vigilantes, vt ad id vnum ficti, atque nati videantur. Porro hi non ideo dicuntur ignorare Deum; quia quid illi gratum, atque probatum ſit, non intelligunt, ſed quia quæ norunt, à Deo fuiſſe præcepta, facere contemnunt. Eſt enim in Scriptura frequens, vt ille dicatur ſcire, qui practicè ſcit, ideſt, qui, quod ſcit eſſe ſecundùm legem, Diuinámque voluntatem, in opus confert. Quare Deus ignorare dicitur, aut non recordari, ſeu non audire, illa, quæ non probat, aut quibus, vbi audierit, non reſpondet, aut ſatisfacit; quia iuxta hominum iudicium ille ignorare cenſetur, qui ſcit quæ recta ſunt, ex vsúque ſuo, non tamen facit. Ignorant itaque Deum, humanáque, veteratoriáque conſilia præclarè norunt, qui ad illum ignauo ſunt animo, turpitérque languent: ad hæc omnem excitant intelligendi vim.

Quid Deus ignorare dicatur.

47. Verſ.23. *Aſpexi terram. & ecce vacua erat, & nihili.*] Hæc, quæ obiecta ſunt Prophetæ de Hieroſolymæ clade, grauiſſima ſunt: & haud ſcio, an grauior eſſe poſſit vlla deſcriptio ſummę calamitatis, & exitij. Quod ex ſingularum rerum explicatione patebit magis. Prouerbiali, vt reor, forma extrema mundi, aut alicuius ciuitatis calamitatis, in qua nihil eſt antiquæ gloriæ, atque fortunæ reliquum, his ferè verbis declaratur. Hebraicè eſt, תוהו ובוהו *tohu vabohu.* Quæ verba illam ſignificant ſpeciem, quam vniuerſum habuit, antequam à Domino conderetur, qua nihil triſtius eſſe potuit, nihil infirmius. Nam Geneſis cap.1. chaos illud, & illud nihil, quod mundi conſtitutionem anteceſſit, תוהו ובוהו dicitur, pro quo Vulgatus reddit *inanis, & vacua.* & Iſaias cap.34. *deſolationem.* Hoc ergo loco ſubaudienda eſt ſimilitudinis forma: & ſic exponendus hyperbolicus, & prouerbialis iſte dicendi modus. Aſpexi ſpiritu, ſeu intuitu prophetico totam Iudæorum prouinciam, & ita mihi vacua, atque informis apparuit, ſicut ante conditum orbem terra fuit inanis, nimirum & vacua.

PROV. *Inane, & vacuũ, ſeu nihili.*

Gen.1. Iſai.34.

48. *Et cælos, & non erat lux in eis.*] Quo tempore terra inanis erat, & vacua, cæli etiam obſcuri erant, nondum ornati, atque irradiati luminaribus. Quare hæc quoque pertinere videntur ad rudem illam, & obſcuram ſpeciem, quam habuit natura in primo ſæculorum articulo. Sed credo, in obſcuro cælo, atque ſummoto Sole miſeram alicuius ſignificari fortunam, prouerbiali etiam forma, quæ Latinis familiaris eſt, qui in obſcuro cęlo, ac nubilo lugubrem ſtatum, ac mœrentem ſpiritum intelligunt: ſed hoc in ſacra Scriptura maximè frequens. Iſaias c.13. cùm Babylonicæ ſtragis magnitudinem deſcriberet, iiſdem propè verbis vſus eſt: *Quoniam ſtellæ cæli non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Et cap.34. de Idumæorum clade: *Complicabuntur ſicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet.* Et Ioelis capite 2. de Ieruſalem: *Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Idem penè Ezechiel de Ægypto cap.32. *Operiam, cùm extinctus fueris, cælos, & nigreſcere faciam ſtellas eius, Solẽ nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum.* Cur verò hæc cælorum obnubilata ſpecies calamitatem ſignificet extremam, aut cur calamitoſis nigreſcere videatur cælum; cauſam adducit hoc loco Theodoretus: *Quibus* (nempe mœrentibus) *lux non videtur eſſe lux, nec dies videtur eſſe dies, nec dulcia habere dulcedinem, ſed omnia mutantur eis in contrarium.*

In cælo obſcuro mœror intelligitur, & ſtatus miſer.

Iſai.c.13. Iſai.34. Ioel.2. Ezech.32.

49. Verſ.24. *Vidi montes, & ecce mouebantur: & omnes colles conturbati ſunt.*] Prouerbij inſtar hæc etiam obtinent, quæ ad explicandam animorum conſternationem, & æſtum Scriptura ſæpe, & maximè ſignificanter adhibet: vt enim mœſtis cæli ſemper videntur obſcuri, ſic maxima rerum firmamenta nutare, ideſt, nihil eſſe ſtabile, nihil tutum. Quod certè tunc contigiſſe aut exiſtimatur, aut videtur, cùm ab vltrice Dei manu inflictum apparet eſſe ſupplicium. Neque nunc de Principibus loquor, ac de iis, in quibus prudens cenſebatur eſſe conſilium: quorum animos vbi primùm conturbauit, atque commouit metus, ſeu repentinus caſus: eadẽ conturbatio, ac metus agitat, atque conturbat reliquum vulgus, ſed de montibus ipſis, ac collibus propriè loquor, qui aſtante, atque vrgente Domino, aut re ipſa commouentur, aut certè conuelli è ſuis ſedibus, atque nutare exiſtimantur. De hac montium concuſſione, ac motu egimus pluribus ad illud Pſalmi 67. *Cùm pertranſires in deſerto, terra mota eſt.* Vbi oſtendimus verè, ac propriè, terram eſſe cõmmotam; ſicut Pſalmo 113. eodem continenti filo mare dicitur diuiſum, & Iordanis conuerſus eſſe retrorſum. Vt autem hæc propriè accipienda ſunt, & non figuratè, ſic etiam terræ motum proprium eſſe, non metaphoricum arbitrabamur.

PROV. *Montes commoueri.*

Pſal.67. Pſal.113.

50. Nunc quod propiùs facit ad noſtrum inſtitutum, prouerbiali, vt dicebamus, ſpecie, montes in maxima aliqua conſternationẽ, atque æſtu commoueri dicuntur in Scriptura non infrequenter, aut certè ad talem motum, ſeu propriũ, ſeu figuratum crebræ ſunt alluſiones. Exodi 19. vbi Vulgatus, *Erátque omnis mons terribilis,* Hebraicè eſt, יחרד *iachrod*; ideſt, *contremuit.* Iudicum 5. *Domine, cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt.* Eodem modo Pſalmo 67. & Pſalmo 113. Numerorum 21. *Scopuli torrentium inclinati ſunt.* Ioelis 2. cùm ſermo eſſet de Ieruſalem: *A facie eius contremuit terra, & moti ſunt cæli, Sol & Luna obtenebrati ſunt.* Quare in montium motu, colliúmque conturbatione non aliud videre videor, quàm graue ſupplicium inflictum à Deo, quo duro, ac repentino caſu Hieroſolyma corruit.

Terra quãdo mota, Iud.5. Num.21.

51. Verſ.25. *Intuitus ſum, & non erat homo: & omne volatile cæli receſſit.*] Hanc etiam prouerbialem eſſe formam reor, quæ omninò, & vniuersè vaſtandam eſſe dicit ciuitatem. Quomodo in magnâ expugnatione, aut cæde ciuitatis dicimus, ne canem quidem eſſe reliquum; & Hiſpanus cùm omnimodam cladem ſignificare vult, hoc explicat modo: *No ha dexado roſo ny belloſo, piante, ny mamante.* Niſi mauis alluſũ eſſe ad ciuitates, quæ è cælo tactæ ſunt, atque ità obrutæ maris mortui graue aliquid, ac peſtilens halanti gurgite, vt nec auis quidem vlla, vt tradit Cornelius Tacitus, & Lucretius, in toto illo tractu videatur, quia videlicet illam teter ille maris anhelitus aut abigit, aut exanimat, vt de Auerno, ſeu verè, ſeu fabuloſè vulgò circumfertur.

PROV. *Neque homo, neque volucris.*

52. Neque verò, vt Hieronymus putat, de omni intelligendum volucre, ſed de illis, quæ aut nutriuntur, & cicurantur ab homine, aut quæ in hominum tectis, ac ædibus nidificant, quales ſunt gallinæ, ciconiæ, hirundines, columbæ. Nam aliæ aues feræ, ac inauſpicatæ in ciuitatum

Aues inauſpicatæ & feræ in deſcribenda ciuitatum ſtrage. Iſai.30. Iſai 13.

tum ruinis, & latebris ex ædium collapſu relictis habitare ſolent: immo eiuſmodi ferales, & inauſpicatæ volucres ad deſcriptionem euerſæ ciuitatis adducuntur, vt de hac ipſa Ieruſalem euerſa dicitur Iſaiæ capite 30. *Et poſſidebunt eam onocrotalus, & ericius, & ibis, & coruus habitabunt in ea.* Eadem de Babylonia capite 13. *Et habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: & reſpondebunt ibi vlulæ.* De eadem Babylonia euerſa Apocalypſis capite 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt cuſtodia omnis volucris immundæ.*

Apocal.18.

53. PROVE. *Carmelus, pro re fœcũda, & pulchra.*

Verſ. 26. *Aſpexi, & ecce Carmelus deſertus.*] In Carmelo, qua eſt vbertate, atque ſpecie, quidquid pulchrum, ac ſpecioſum eſt, ſignificatur. Quare his verbis nihil aliud explicari puto, quam exuſtam eſſe, aut arefactam viriditatem omnem, & inductam eſſe ſterilitatem, & maciem rebus omnibus, quæ in Iudæorum tractu cenſebantur ad delicias, & genium, aut datæ à natura, aut arte, atque induſtria comparatæ. Vtrunque enim Carmelus habuit, de quo ſæpe, multúmque apud Prophetas.

54. Verſ. 27. *Sed tamen conſummationem non faciam.*] Duplex occurrit expoſitio huius loci: altera eſt, cùm exciſa fuerit Ieruſalem, Iudæorúmque regio tota in vaſtitatem, atque adeò in nihilum redacta, adhuc tamen extentum eſſe Domini brachium, & ad vlteriorem plagam armatum. Quod confirmari poſſe videtur toto conſequentis capitis continenti filo. Et quidem Dominus, poſtquam è ſuis ſedibus Iudæos exegit, variis vexauit modis ſub Chaldæorum iugo, vt docet capite Threno. 5. Ieremias: quæ explicatio non diſplicet Maldonato. Veruntamen propendet magis animus in communem ſententiam, quæ Dei indignationem ita temperat, vt nolit omnino delere Iudæorum populum, ſed eum vexare aliquandiu; ita tamen vt furorem nolit eſſe perpetuum: nam populus ille malè ab hoſte iactatus, diúque à patriis finibus extorris, in patriam tandem reuerſus, antiquam gloriam non ſolùm inſtaurauit, ſed etiam auxit. Hæc ſententia videtur ab ipſo Ieremia poſſe colligi, qui iiſdem penè verbis vſus eſt, cùm ſecundam populi fortunam explicare voluit capite 5. verſu 10. *Aſcendite muros, & diſſipate; conſummationem tamen eius nolite facere.* Et verſu 18. *Veruntamen in diebus illis, dicit Dominus, non faciam vos in conſummationem.*

Verbum, pro aduerbio.

Verſ. 28. *Lugebit terra, & mœrebunt cæli deſuper.*] Mœrore, & luctu deſertum aliquid ſignificatur & obſcurum, de cælo nubilo, ſuiſque luminaribus orbato, & quo modo pro ærumnoſa capiatur fortuna, diximus ſuprà. Quòd luctus pro ſolitudine, vaſtitatéque ſumatur, multa docent. Iſaias capite 33. *Luxit, & elanguit terra, confuſus eſt Libanus.* Et capite 3. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius.* Et capite 24. *Luxit, & defluxit terra.* Ieremias Threnorum 1. *Viæ Sion lugent.* Nihil ergo aliud hìc ſignificatur, quàm deſertam fore Iudæorum regionem, illorúmque fortunam ærumnoſam, & lugubrem.

Eo quòd loquutus ſum, cogitaui, & non pœnituit me.] Diuinæ minæ, & ſcelerum vltrices luctum indicunt terræ, & cælo tenebras. Quis enim lætitiæ, aut ſplendori locus offenſo, ac indignato Domino? Hìc verò aliquid fortaſſe requirat humana prudentia, & plus ſatis curioſa: cùm cogitatio linguam, ſermonémque præcedat in eo, qui in loquendo temerarius, & præceps videri non vult: hìc contrà Dominus locutus eſſe dicitur, deinde cogitaſſe: ait enim, *Eo quòd locutus ſum, cogitaui*, &c. Horum ego cogitationi reſpondeo, verbum interdum exponendum eſſe aduerbialiter, vt alibi à nobis ſæpe probatum eſt. vide quæ diximus in caput 6. Iſaiæ, numero 45. & in caput 64. numero 19. Sic nunc illud, *cogitaui*, per aduerbium expono hoc modo: Loquutus ſum non temere, aut præcipitante lingua, ſed attentè, meditatò, & poſt magnam deliberationem. Aut certè poſtquam attente cogitaui, vnde fiet, vt neque me conſilij factique pœniteat: neque ab eo, quod ſemel faciendum eſſe decreui, deficiam. Loquitur autem hìc Deus humano more: neque enim in Deo neceſſarium eſt, vt vlla deliberatio, aut meditatio præcedat, cùm hæc imbecillitatem ingenij, & obſcuram rerum cognitionem oſtendat.

Verſ. 29. *Ingreſſi ſunt ardua, & aſcenderunt rupes.*] Ex minacibus Domini verbis id conſequutus eſt populus ille miſer, vt conſternatus metu, fuga ſibi ab equitis ſtrepitu, & ſagittarij arcu canere conſtituerit. Quare ciuitate deſerta, & hoſtium prædationi relicta, ad ardua montium, atque condenſa loca conſcendit, ad quæ eniti non poterant hoſtiles equi, aut impreſſionem facere ſagittarij. Pro *arduis* Septuaginta *ſpeluncas*, reddiderunt; vtrunque verum, immo, vt reor, vtrunque idem eſt. Nam in montibus ſpeluncas eſſe, notáque miſerorum perfugia, certum eſt. Sanè Dauid in ſpelunca delituit, 1. Regum 14. & Ioſue capite 10. quinque Reges ex ſpelunca ad crucem extracti fuerunt; Ioſephus libro 14. Antiquitatum, capite 27. ſpeluncas eſſe dicit, commune miſerorum receptaculum, in præruptis montibus ſitas, anguſtis tramitibus acceſſibiles, & acutis cinctas rupibus. In has ſpeluncas, & rupes fugituros eſſe Iudæos prædixit, ante hoc Ieremiæ tempus, Iſaias capite 2. verſu 10. *Ingredere in petra, & abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini.* Et clariùs verſu 19. *Introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini.* Fugiſſe autem Iudæos in cauernas, montiúmque aſpera, præruptáque faſtigia, dubitandum non eſt; tum quia id fieri aliquando ſolitum à Iudæis; tum maximè, quia hoc tam ab Iſaia priùs, quàm à Ieremia modò prædictum. Fugiſſe quidem Sedeciam, & omnes viros bellatores conſtat 4. Regum capite 25. ſubiiſſe latebras, & occultos meatus fabulantur Rabbini, fingúntque ridiculum aliquid de cerua, quæ illum latentem prodidit. Sed ſanè ſuo dignum cerebro. Fabulam, ſi placet, & vacat, vide apud Lyram, & Abulenſem in caput 25. citatum. Illos autem bellatores, qui capto Rege variè diſperſi ſunt, veriſimile eſt, aſcendiſſe rupes, & ſubiiſſe latebras, in quas tutò fugam ſuam, ſalutémque conferrent. 55.

Iudæi in montiũ latebris abſcondi ſoliti. Iſa.c.2.

Verſ. 30. *Tu autem vaſtata quid facies? cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris.*] Loquitur cum Ieruſalem, quaſi cum adultera, aut meretrice, quæ ſe ad captandos amatorum oculos fucat, atque ornat. Meretrix dicitur Ieruſalem, & adultera, quia à vero Deo, quocum connubiale fœdus inierat, ad idola defecit, nihil non ab eorum ſibi præſidio, atque humanitate pollicita: ſed decepta eſt, quia ab iis ſalutis ſuæ ſubſidium quærebat, qui humanam ſibi ipſis potiùs opem expectabant, quàm hominibus poſſent offerre Diuinam. Quare fruſtra ſe ad impias illas, & ſordidas 56.

didas nuptias inſtruxit, fruſtra adhibuit medica- A
menta & ſtibium Ieruſalem, cùm aduersùs Diui-
nam offenſionem futilis ſit, & nihili non ſolùm
hominum, ſed etiam idolorum induſtria, quæ vt
ipſa nihili ſunt, ſic etiam amatoribus ſuis auxilij
nihil præſtare potuerunt. Fortaſſe alluſio eſt ad
notam illam hiſtoriam Iezabel, quæ 4. Regum 9.
cùm regio coniuge eſſet orbata, non multò antè,
& tunc recens filio Ioram, & victor Iehu, vltrices
Domini manus ſecum ferret contra impiæ, &
ſanguinariæ fœminæ ſceleſtum caput: ipſa tamen
cùm operta cilicio, & aſperſa cinere, placare de-
buiſſet offenſum Dominum, & Diuinæ vltionis
adminiſtrum Iehu, veſano tamen conſilio, &
meretrice digno, *Introitu eius* (nempe Iehu) *audito,* B
depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum. Sic
videtur feciſſe Ieruſalem, quæ inſtante hoſte, &
impendente iam clade, animum tamen retinebat
meretricium: ab idolis enim expectabat, implo-
rabátque ſubſidium, quorum oculis, dum ſe cul-
tiùs, atque putidiùs comit, ſeruiebat.
57. *Contempſerunt te amatores tui, animam tuam quæ-*
rent.] Occidiſſe dicitur medicus ægrotum, quem
propter incuriam, aut ignorationem ſanare non
potuit, cùm tamen illum in ſuam fidem, & cu-
ram recepiſſet; & nauis magiſter demerſiſſe na-
uigium, quod propter artis imperitiam, in mediis
fluctibus moderari non potuit, quam contem- C
pſiſſe potiùs videtur, quàm ſuſcepiſſe gubernan-
dam, quam ventorum inſaniæ, & fluctuum æſti-
bus, ſine rectore, ac duce, permiſſam eſſe voluit.
Sic nunc amatores iſti, ideſt, falſi, ac peregrini
dij, contempſerunt planè Ieruſalem; & dum ſa-
lutem promittunt, quam præſtare non poſſunt,
illam in apertum induxerunt exitium. Porro,
animam quærere, idem eſt, quod alicui mortem in-
tendere, vel inſidias.
Verſ. 31. *Vocem enim quaſi parturientis audiui,* 58.
anguſtias vt puerperæ.] Vt parturientis dolor gra-
uis eſt, & pro omnium grauiſſimo, prouerbialem
in modum vſurpatur, ſic etiam parturientis eiu-
latus gemitum ſignificat, quem acerbiſſimus
præcordiorum exprimit dolor. Ait ergo Domi-
nus, aut Propheta (neque enim facilè ſtatuas,
vtri illorum hæc ſint tribuenda, ego verba iſta
Dei eſſe puto) vſque adeò propè eſſe, vt extre-
ma dies, & ineluctabile exitium Hieroſolymis
adueniat, vt iam miſerorum vlulatus audiat non
minùs triſtes ac luctuoſos, quàm quos in ipſo
pariendi nixu edit puerpera.
Vox filiæ Sion intermorientis, expandentiſque manus 59.
ſuas.] Vox, quam iam Deus lugubre aliquid, &
infauſtum ſonantem audiuit, vox erat Sionis
iam exanimis, aut morienti ſimilis; quæ, quod
in dolore, ac perturbatione ſubita faciunt mu-
lieres, expandit manus, aut ſupplices pro filio-
rum ſalute, quos ferro ſubiectos eſſe videt, aut
quia is eſt dolentis extremúmque expectantis
exitium habitus, quod magis reor. Hæc ergo,
expanſis manibus, & toto corpore ad lamenta-
tionem compoſito, ſic exclamat:
Væ mihi, quia iam defecit anima mea propter interfe- 60.
ctos.] Væ mihi, quia dum filios meos gladio cor-
ruiſſe conſpicio, nihil propius eſſe video, quàm
vt illis ego quoque commoriar. Hæc de capi-
te 4.

ARGVMENTVM CAPITIS V.

IN tota Hieroſolyma virum vnum deſiderat Dominus, vt propter ipſum vniuerſæ placetur ciuitati, neque tamen inuenit, quia omnes tam ſummi, quàm infimi variis ſe peccatorum generibus implicuerunt. Propterea adducturum ſe dicit Dominus Chaldæorum gentem robuſtam, & immitem, quæ in genus, fortunáſque Iudæorum crudeliter, & pro ſua libidine graſſetur.

IEREM. CAP. V.

1. *CIrcuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.* D

IN IDEM CAP. PARAPH.

1. VIdete, ait Dominus, quanta inter Iudæos ſit vitæ corruptela, morúmque peruerſitas. Totam luſtrate Hieroſolymam, attentè omnia circumſpicite, tam quæ in viis, quàm quæ in plateis ſunt; & ſi vel vnum virum inueneritis, qui iuſtè viuat, propter virum vnicum ciuitati iamiam exitio deſtinatæ ſalutem, libertatémque placatus impertiar.

2. *Quòd ſi etiam Viuit Dominus, dixerint: & hoc falsò iurabunt.*

E 2. Neque verò curo, quòd per viuentem Deum aliquando iurent, non per ſimulacra, quod religioſi animi argumentum eſt: nam in eo grauiſſimè peccant, quia mendaciis ſuis Diuini nominis maieſtatem obtendunt, ipſúmque Deum aduocant periurij teſtem.

3. Domine oculi tui reſpiciunt fidem: percuſsiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.

A 3. Domine, inquit Ieremias, verè fidelis es, & benignus pater, qui non priùs ſeuerum illud ſupplicium inflixiſti, quàm populum mitioribus pœnis erudire, & ad ſaniorem mentem traducere conatus es. Ipſe tamen percuſſus, de peccatis, quorum erat admonitus, dolere noluit. Aggrauaſti mitem tamen, atque paternam manum, & quos antea percuſſeras, attriuiſti: neque tamen ideo Diuinæ ſe admonitioni dociles præbuerunt. Perfricuerunt etenim frontem, & in ſilicis modum indurarunt, neque ab ea, quam ſemel ſunt ingreſſi, ſce-
B lerata via, reuerſi ſunt.

4. Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui.

4. Ego autem, ait Ieremias, cùm audiſſem, neque vnum eſſe iuſtum, cogitare cœpi, an communis illa labes tantùm eſſet in vulgo ignobili, aut ſtulta multitudine, quæ legem Dei, & iudicium ignorat.

5. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui: & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula.

5. Ibo igitur ad optimates, & diſcam, quem probent, teneántque viuendi modum. Quis enim credat, ab illis viam Dei, ipſiúſque iudicium ignorari? Sed hi multò quàm alij inuerecundiùs Diuinum confregerunt iugum, nexúſque omnes diru-
C perunt pudoris, & legis.

6. Idcirco percuſsit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum: omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ ſunt præuaricationes eorum, confortatæ ſunt auerſiones eorum.

6. Idcirco Chaldæorum Rex Nabuchodonoſor variè illos, & acerbè vexabit. In quo ſpectabis leoninum robur, & audaciam, quibus è ſyluis ad prædandum egreditur: veſpertini lupi calliditatem, & ingluuiem, quæ nulla præda exſaturari poteſt: pardi denique celeritatem, & excubias, quibus intentus in prædam, & cædem, tandem eorum expugnabit ciuitates: neque tamen, qui ex illis effugerint, quamcunque ſe dederint in partem, ſalutem
D conſequentur: quia præuaricationes eorum plurimæ, & auerſiones omnino graues.

7. Super quo propitius tibi eſſe potero? filij tui dereliquerunt me, & iurant in his, qui non ſunt dij: ſaturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur.

7. Et quid eſt, ô Ieruſalem, propter quod in te placatus eſſe queam? neque enim vnus eſt in tanta multitudine; neque in tot vitiorum proluuie virtus vna, quæ ardentem ad vindictam animum emolliat. Filij tui defecerunt à me, & in iuriſiurandi ſacramentum falſos aduocant deos. Cúmque à me forent ſaturati, ac cu-
E mulati bonis, illa in nefarium luxum, & carnis blandimenta contulerunt: nam cum alienis mœchati, & in meretriciis luſtris ſcortati ſunt.

8. Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.

8. Vſque adeò ſe in omnem intemperantiam proiecerunt, vt tanquàm equi ſint admiſſarij, qui in Venerem impotenter ruunt. Nam quemadmodum equi, vrgente libidine, ad fœminas adhinniunt; ſic Iudæi hinnitu ſuo, atque procaci blandimento ad nefarium libidinis opus alienas vxores interpellant.

9. Nun 9. Nun

9. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? & in gente tali non vlciſcetur anima mea?

A 9. Nunquid impunè hæc abire patiar, dicit Dominus? & vlciſcar populum vſque adeò intemperanter in omnem libidinem effuſum?

10. Aſcendite muros eius, & diſsipate, conſummationem autem nolite facere: auferte propagines eius, quia non ſunt Domini.

10. Agite igitur, inquit dux, & Imperator Dominus, ô milites ad vrbem diripiendam conſcripti; aſcendite muros, ciuitatem excindite, ita tamen ne tota labaſcat moles, ſed aliquid ſit reliquum ab excidio. Abſcondantur propagines, & palmitum, foliorúmque luxuries; ſtirps tamen, & radix relinquatur. Id verò vobis difficile non
B erit, quia propagines illæ neque domini, neque in domini cuſtodia ſunt.

11. Præuaricatione enim præuaricata eſt in me domus Iſraël, & domus Iuda, ait Dominus.

11. Quid mirum, ſi tam de Iudæorum populo ſtatuam ſeuerè, cùm impudenti præuaricatione totus à me defecerit, ait Dominus?

12. Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non eſt ipſe: neque veniet ſuper nos malum: gladium & famem non videbimus.

12. Negauit enim Dominum, dixítque illum non eſſe Deum, cuius nomine Prophetæ identidem infortunia denunciant; à quo nihil habere ſe putabant, neque quicquam ſperandum, aut timendum
C cenſebant: quare dicebant, à gladio, & fame nihil eſſe periculi.

13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & reſponſum non fuit in eis: hæc ergo euenient illis.

13. Prophetarum oracula non fuerunt à Deo, ſed meræ nugæ, quæ vana fuerunt ex eorum cerebro commenta, non Diuina reſponſa. Hinc illi tanta rerum calamitas.

14. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti eſtis verbum iſtud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos.

14. Hæc dicit Dominus: quia ſic ſunt impiè loquuti, & verbis meis nihil ineſſe ponderis dicebant; ſed inanes ſonitus, & ventum merum; ideo, ô Ieremia, quæ accipis à me verba, inſtar ignis erunt, & populum illis tanquam materiam aridam
D ſupponam; in quem tuus ſermo quaſi ignis violentus incurret, conſumétque, atque in fauillas ſoluet.

15. Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſraël, ait Dominus: gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.

15. Videte iam, ô Iudęi, quomodo Ieremiæ verba inſtar habeant ignis: minantur enim vobis incendium, quod ego (cuius nomine Ieremias loquitur) quamprimùm inducam. Euocabo etenim contra vos è regione longinqua gentem robuſtam, quæ perferre poſſit temporum, ac bellorum incommoda; quæ iam pridem à multis ſæculis bellatrix eſt, ac potens; cuius animum precibus ad miſerationem non inflectes,
E quia te precantem non intelliget, cùm tibi cum illa, ſicut neque rerum, ſic etiam nec verborum communitas ſit.

16. Pharetra eius quaſi ſepulcrum patens, vniuerſi fortes.

16. Illius gentis ſpicula, quæ promuntur è pharetra, tanquam ſepulcrum ſunt, quod nullum tangit, aut cohibet niſi mortuum, neque in illa gentium numeroſa turba quiſquam eſt infirmus.

17. Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret vrbes muni-

17. Nihil erit ab illius furore, ſeu auaritia liberùm, ſegetes tuas, & panem tuum conculcabit, & comedet: neque à filiis, filiabúſque tuis abſtinebit. Abſumet gre-

tas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.

18. *Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in conſummationem.*

19. *Quòd ſi dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noſter hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquiſtis me, & ſeruiſtis Deo alieno in terra veſtra, ſic ſeruietis alienis in terra non veſtra.*

20. *Annunciate hoc domui Iacob, & auditum facite in Iuda, dicentes:*

21. *Audi popule ſtulte, qui non habes cor, qui habentes oculos, non videtis: & aures, & non auditis.*

22. *Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.*

23. *Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans: receſſerunt, & abierunt.*

24. *Et non dixerunt in corde ſuo: Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo: plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.*

25. *Iniquitates veſtræ declinauerunt hæc: & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis:*

26. *Quia inuenti ſunt in populo meo impij inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.*

27. Sicut

A ges, & armenta, vites, & ficus: vrbes denique munitas, in quibus ſecurum te fore confidebas, ferro vaſtabit.

18. Non tamen eo tempore, dicit Dominus, ad conſummationem vſque delebo, ſed ſtirpem relinquam, ex qua ſe rurſus Iudææ gentis propago diffundat.

19. Quòd ſi quiſquam veſtrûm ſecum reputet, ac dicat: Vnde hæc à Domino tam grauia nobis infortunia? Reſpondebis, A me, ô Ieremia, dicit Dominus, ſicut in patrio ſolo meam religionem auerſati deos
B coluiſtis alienos: ſic in terra non veſtra ærumnoſi, atque exules alienis ſeruietis dominis, viuetíſque alieno potiùs arbitratu, quàm veſtro.

20. Hæc ergo à me perfectè ad domum Iacob: Audiat hæc à vobis domus Iuda.

21. Audi popule inſipiens, & excors, cui neque mens ineſt, neque conſilium, qui cùm oculos habeas, & aures, ſtatuarum in modum nihil audis, aut vides.

22. Quis me, dicit Dominus, non veneretur, ac metuat? quem peccatorum
C ſuorum in conſpectu meo non pœniteat? Diſcat populus, à quo prorſus videtur excidiſſe cor, ab inerti, atque inanimata natura, quemadmodum me obſeruare, ac reuereri debeat. Obſeruat in ſempiternum mare, quod à me præceptum olim accepit: quantumuis enim à vento ſæuiat, nunquam tamen definitos ſibi terminos excedit: neque vim illam ſcopulorum firmitas, ſed arena mollis, ac diſſoluta, aquarum illam ingentem molem frangit, ac cohibet.

23. At populus iſte, in quo minus eſſe
D videtur mentis, aut non credit, quod marini credunt, & amplectuntur fluctus; aut corde rebelli, aut exaſperanti contra Domini, quod priùs accepêre mandatum, obluctantur, & ab illo denique recedunt.

24. Neque cogitarunt apud ſe, metuendum eſſe, atque obſeruandum illum, à quo magnis quotidie beneficiis ornantur. Qui dat imbrem non ſolùm temporaneum ad ſatum, ſed etiam ſerotinum, ad frugum maturitatem, meſſíſque plenitudinem. Cúmque multis interdum ſpes agricolarum eludatur incommodis, ipſe quaſi ſatorum cuſtos, adminicula parat, &
E illa contrà remouet, quæ obterere poſſet agrorum prouentus.

25. Quòd ſi minùs hæc à liberali Deo vobis contigêre, id veſtris iniquitatibus aſcribite, quæ tanta hæc bona à veſtris finibus remouerunt.

26. Inuenti quippe ſunt apud vos, qui vt aucupes auibus, ſic illi hominibus inſidias, laqueos, ac pedicas tetenderunt,

27. Neque

A

27. *Sicut decipula plena auibus,ſic domus eorum plena dolo:ideo magnificati ſunt,& ditati.*

27. Neque aliter eorum domus plena dolis, opibúſque per fraudem adquiſitis, quàm aucupum decipulæ, ac caueæ complentur auiculis.

28. *Incraſſati ſunt & impinguati: & præterierunt ſermones meos peſſimè. Cauſam viduæ non iudicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt.*

28. His conſiliis locupletati, & ad pinguiſſimam progreſſi fortunam, legem meam impudentiſſimè, & propoſita per Prophetas oracula contempſerunt, neque ſuſcepêre, direxerêque pupillum, cùm premeretur iniuſtè; neque viduæ, pauperíſque cauſam incorrupto, legitimóque iure iudicarunt.

29. *Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea?*

29. Nunquid impunè hæc abire patiar? dicit Dominus. & non vlciſcar populum, cui hoc viuendi genus ſtudio fuit?

B

30. *Stupor & mirabilia facta ſunt in terra.*

30. Planè res accidit in terra admiratione, atque ſtupore digna.

31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouiſſimo eius?*

31. Prophetæ interpoſita Diuini nominis maieſtate, ac fide, mendacium loquuntur: Sacerdotes illorum inſaniam, atque deliria, non ſolùm oratione, ac vultu, ſed etiam manuum comploſione commendant; reliquum vulgus diligit, ac probat, quæ à Sacerdotibus non improbari cernit. Quid ergo fiet populo, cùm ad extremum peccatorum progreſſus ſit, niſi vt illum immiſſis hoſtibus affligam, & perdam?

IN CAPVT QVINTVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.*]

1. *Iuſtus quàm vtilis Reipublicæ.*

EX his apparet, quanta ſit Dei benignitas, quanta inter Iudæos morum corruptela, & vitæ peruerſitas, quando vni tantùm viro iuſto, totius ciuitatis ſalutem, libertatémque condonat. Neque tamen reperitur vnus, vt probat ſuppliciorum acerbitas, quibus miſer ille populus perfunctus eſt. Sanè cùm minùs eſſent corrupti Iudæorum mores, dixit Iſaias cap. 56. *Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum.* & nunc Ieremias capite 6. *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent: à Propheta vſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum.* Et idem repetit cap. 8. numero 10. Ex quibus quiuis facilè intelliget; quanti Dominus faciat virum iuſtum: cuius cauſa, licèt multorum ſcelera vindictam inclament, manus tamen à plectendo cohibet. Mirabamur olim Deum decem iuſtorum meritis tantum tribuere, vt eorum memor Sodomæ tot corruptæ flagitiis, multiplicato ſcelerum clamore, tandem ignoſceret: nunc miremur multò magis, quòd vnus retardare poſſit ab vl-

2. *Dei ſingularis clementia.*

C

ciſcendo offenſum, atque ad vindictam properantem Deum. Quare iure optimo dolet Iſaias cap. 57. quòd moriente iuſto nemo recogitet, quantum videlicet ex eius interitu redundet in Rempublicam mali. Dum vias Ieruſalem luſtrari iubet, & plateas, oſtendit, neminem eſſe, qui publicas, aut priuatas cauſas aut legitimè obeat, aut incorruptè tractet. Porro illud, *propitius ero ei, Ieruſalem* reſpicit, non *iuſtum*, vt docet affixum generis fœminei: non enim eſt Hebraicè, לו *lo*, ſed, לה *lah*. Septuaginta legiſſe videntur, לחם *laham*, quando tranſtulêre *αὐτοῖς*, ideſt, *eis*.

Verſ. 2. *Quòd ſi etiã, Viuit Dominus, dixerint: & hoc falsò iurabunt.*] Poſſet aliquis Iudæorum patronus 2.

D

reſpondere, iuſtos eſſe multos in ciuitate, quandoquidem verum Deum colunt, & venerantur; idque ex eo probant, quia non per alienos, & mortuos deos iurant, ſed per verum, auitum, & viuentem. His reſpondet Deus, etiamſi ita ſit, tamen in eo peccare grauiſſimè, quòd mendaciis ſuis Diuini nominis ſanctitatem obtendunt, ipſúmque Deum aduocant periurij vadem, & mendacij teſtem.

3. Verſ. 3. *Domine oculi tui reſpiciunt fidem: percuſſiſti eos, & non doluerunt.*] Verba ſunt Ieremiæ, qui conſilium approbat Dei, & iuſtū appellat iudicium, quo populum illum ad Diuinam diſciplinam indocilem ſeuerè mulctauir. Et primùm, fidelem appellat Deum, qui non priùs ſeueritatis ſuæ gladium diſtrinxit, quàm populum, & benigniùs admonuit, & mitioribus pœnis ad ſaniorem mentem traducere conatus eſt. Quidam *fidem* non putant eſſe Dei, qui in ſuos fideliter agit, ſed illorum, qui periuriis ſuis propter Diuini nominis ſanctitatem fidem haberi ſtudent: quorum animum, ſimulatæque veritatis culpam agnoſcit, & punit Dominus. Vtrunque mihi probatur, ſed illud prius neſcio quo modo magis arridet. Vt Deus ergo ſuam æquitatem, & fidem, naturámque magis ad ignoſcendum, quàm ad plectendum pronam oſtenderet, percuſſit priùs molliter indocilem populum, vt ſui eum muneris admoneret, ipſe tamen, aut non doluit de peccatis, quorum agebatur reus, aut ita ſe geſſit à Domino percuſſus, quaſi plaga illi nullum attuliſſet dolorem, aut vltricem Domini manum nunquam foret expertus.

Deus quem ſeruat modum in peccatoris conuerſione.

4. *Attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.*] Aggrauauit Dominus mitem tamen adhuc, atque paternam manum, & quos antea percuſſerat, poſtea attriuit, ideſt, duriùs accepit: neque tamen ideo Diuinæ admonitioni faciles ſe, aut dociles præbuerunt. Perfricuerunt etenim frontem, & in ſilicis modum obdurarunt: quare neque pudor illos, neque plagarum acerbitas à peccandi ſiue libidine, ſiue inuerecundia temperarunt. Hîc ego metaphoram videre videor à latomo ſiue ſculptore deſumptam, qui cùm è ſaxo fingere ſimulacrum aggreditur, multis illud verſat, & atterit modis: quòd ſi ſaxum illud molle ſit, atque tractabile, facilè omnem admittit ſpeciem, neque in eo dolando aut perit, aut luditur artificis conatus: accipit enim diſciplinam, & paret non inuitum ſculptoris ferramento. Quòd ſi ſaxum durum eſſe, atque intractabile contingat, diſſultant ab ictu crepitus, qui & artificem conſauciant, & à labore deterrent: & ipſum licèt attritum, & comminutum tundendo, non tamen vllam accipit diſciplinam, ideſt, non politur arte: neque plus habet poſt ſudorem, & conatum artificis, quàm cùm nondum eſſet à lapidicinis exciſum, aut effoſſum è terra. Optimè igitur de ſaxeo peccatorum animo, & fronte in ſilicis modum obdurata dicitur: *Attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram.* Idem paulò antè dixit Ieremias capite 2. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non acceperunt.*

Peccatoris durities.

5. Ex his diſce quid Dominus agat, aut velit, cùm pœnas infligit peccatori, nimirum vt viam obſepiat ſpinis, vt tandem compunctus gradum cohibeat à peccando. Quod docuit hoc loco Hieronymus. Qua de re vide Gregorium libro 18. Moralium, cap. 12. vbi perquàm optimè de pœnis, quas à Domino peccator experitur. *In hac,* inquit, *vita, Dominus tantò magis ſtudet, vt pareat, quantò magis expectando flagellat.* Quando verò flagella peccatum expient, & non ſint æterni cruciatus quoddam quaſi prooemium, ex vitæ mutatione coniectandum dicit eſſe Gregorius. *Flagellum,* inquit, *tunc diluit culpam, cùm mutauerit vitam: nam cuius mores non mutat, non expiat actiones.*

Tribulatio quæ vtilis.

A *Omnis ergo Diuina percuſſio, aut purgatio nobis vitæ præſentis eſt, aut initium pœnæ ſequentis.* Et ſtatim: *De his verò, quos damnant, flagella non liberant, dicitur: Percuſſiſti eos, nec doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percuſſione perdurant.*

Hîc verò quæret aliquis, quomodo conſtare 6.
hæc poſſint cum his, quæ ab Ezechiele cap. 9. traduntur, vbi à Domino iubetur Angelus, vt tranſeat per mediam Ieruſalem, imprimátque ſignum illorum fronti, qui gemunt, & dolent ſuper cunctis abominationibus, quæ ſunt in medio eius. Hi enim, quorum frons videtur illuſtri illo charactere non indigna, accepiſſe videntur diſciplinam, & ad meliorem mentem rediiſſe.
B Nodus hic non videtur difficilem habere ſolutionem, ſi tempora ſecernas: nam quo tempore hæc à Ieremia dicebantur, cùm percuſſi eſſent Solymitani ciues à vicinis Gentibus, à Syris, videlicet, & Samaritis ſub Achaz: deinde ab Aſſyriis, pòſt grauiùs ab Ægyptiis, non tamen doluerunt, emollierúntve obduratum animum: neque cum his, atque aliis incommodis attriti, voluerunt accipere diſciplinam. Quare aduocatus eſt Nabuchodonoſor è Babylone, qui duro, ac propè inſanabili vulnere Hieroſolymam affligeret. Qui cùm ſecundò ciuitatem cepiſſet, expugnaſsétque, Ezechielem cum aliis captiuum abduxit, ideſt, longè poſt hoc Ieremiæ vaticinium.
C Hi ergo, qui frontem habuêre conſignatam Thau, acceperunt quidem diſciplinam, non tamen illis attriti malis, de quibus nunc loquitur Ieremias, ſed aliis, quæ à primo, atque altero Chaldæorum aduentu pertulerunt.

Iudæi quando acceperunt diſciplinam.

Ex his etiam patet, quomodo neque vnus di- 7.
catur eſſe ſanctus, in tam ampla, ac numeroſa ciuitate, qui Diuinum furorem frangeret, & auerteret: nam qui Sancti fuerunt in Ieruſalem, quorúmque meritis totius ciuitatis cladem condonare Dominus potuiſſet, fuerunt longè poſt hunc temporis articulum, nempe, Daniel cum duobus aliis pueris, & Ezechiel. Ab hoc enim tempore vſque ad primum Nabuchodonoſoris
D aduentum, anni interceſsêre viginti vnus: prophetauit enim Ieremias ſub Ioſia annos decem & octo, ab anno nempe Ioſiæ decimotertio, ad annum vſque ipſius trigeſimumprimum: tot enim annis regnauit Ioſias, quibus ſi addas tres annos Ioacim, ante primum Chaldæorum appulſum, conſtat viginti vno annis ante obſeſſam à Chaldæis Hieroſolymam prophetare Ieremiam cœpiſſe. Neque difficile creditu eſt, ea, in quorum nunc expoſitione verſamur, dicta fuiſſe in ipſo prophetiæ exordio, vt filum ipſum, & ordo perſuadet. Quare aut nondum nati erant viri illi iuſti, de quibus nuper, quod mihi videtur magis veriſimile, aut certè non ea ætate, in qua
E multùm in iuſtitia progreſſi viderentur, adeò vt properantem ad vindictam Dominum remorari poſſent.

Verſ. 4. & 5. *Ego autem dixi, forſitan pauperes* 8.
ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, &c. ibo igitur ad Optimates.] Cùm audiiſſet Propheta, neque vnū eſſe iuſtum, cogitare cœpit, an communis illa labes tantùm eſſet in ignobili vulgo, & ſtulta multitudine, quam plerunque ignoratio, atque error in aliena rapit, iniquáque conſilia. Quare ſcrutari voluit, qualis eſſet Optimatum vita, & an in illo magnorum hominum ordine repeririretur aliquis, qui Diuinam arceret, aut temperaret

Optimates longè quàm plebei priores.

ret iram; ſed hi, multò magis quàm alij inuerecundiùs, & audaciùs Diuinum excuſſerant iugum, & vt tauri præferoces, & indomiti, nexus omnes dirupetaut pudoris, & legis.

9. Verſ.6. *Idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum.*] Tribus ſimilitudinibus nihil credo ſignificari aliud, quàm variè eſſe vexandum, lacerandúmque à potentiſſimo, ſitientiſſimóque Iudaici ſanguinis Nabuchodonoſor, aut ita vndique eſſe circumuallandum populum ab hoſte in illius prædam vigilanti, vt quocunque ſe ſalutis cauſa conuertat, nullum omnino ſit habiturus effugium. In tribus his belluis optimè audacis, callidi, & ſtrenui ducis natura deſcribitur: leo etenim fortiſſimus eſt, quíque ad nullius pauebit occurſum, qui egreſſus è ſylua, ſiue, vt dixit ſuprà cap. 4. de cubili ſuo obuium quodque lacerat, ſibique in prædam, atque alimentum parat.

10. In lupo calliditas, quæque exſaturari non poſſet, fames exprimitur, cuius voracitas vſque in prouerbium abiit. Dicitur autem ad veſperam, ſiue veſpertinus, vt aliis ſæpe ſacræ Scripturæ locis, quia noctu graſſatur, captátque verſutus, & callidus prædo tempus, quo & ſomnus occupat paſtorem gregis, & minùs in eius cuſtodiam vigilant omnes, vt dixit Ambroſius in caput Lucæ 10. Sanè lupos veſpertinos quoque dicunt profani, ſeu, quod idem eſt, nocturnos, inſidiari gregibus. Virgilius 7. Æneidos:

Lupus veſpertinus.

Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili
Nocte ſuper media, tuti ſub matribus agni
Balatum exercent, ille aſper, & improbus ira
Sæuit in abſentes.———

Propertius libro 4.

Et ſua nocturno fallere terga lupo.

11. Hæc, vt credo, nominis vera ratio eſt. Sed quia omnes fermè belluæ nocturnas captant tenebras, vrpote maximè opportunas inſidiis, vt cecinit Dauid Pſalmo 103. ideo alij alias adducunt nominis notationes: quæ mihi non admodum videntur firmæ. Illam ego magis probo, quæ ideo veſpertinos, ſiue nocturnos appellat lupos, quòd illi maximè noctu cruciantur fame, atque ideo maiori ſtudio, ac rabie noctu prædantur. Quare hoſtis truculenti, & toto corporis, animíque conatu inhiantis ad prædam, impetus, & furor famelici lupi ſimilitudine declarantur. Sic Statius 1. Thebaid.

———*Rapidi ſic agmine miſſo*
Sub noctem coiêre lupi.———

& Virgilius 2. Æneidos:

———*Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventis
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant ſiccis, per tela, per hoſtes,
Vadimus haud dubiam in mortem.——

Accedit, quòd quemadmodum felles noctu venantur, quia noctu vident, atque ideo nocturni poſſunt appellari prædones: ſic etiam lupi, quia nullæ illis tenebræ videndi facultatem aut eripiunt, aut hebetant, nocturni, ſeu veſpertini dici poſſunt. De quibus Ælianus lib. 10. cap. 17. *Acerrimis, atque acutiſſimis* (lupus) *præditus eſt oculis. Enimuero intempeſta nocte, vel Luna ipſa ſilente, lucis vſura perfruitur; & tametſi omnibus tenebræ offenduntur, non huic tamen lux eripitur.*

12. In pardo calliditas ſignificatur, & excubiæ, quibus intentus in prædam Chaldæorum exercitus, tandem expugnauit Ieruſalem, de cuius vigiliis ſatis ſignificanter Iſaias cap. 5. *Non eſt deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit, neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius.* Quanta verò calliditate, quibus illecebris ſylueſtres capras ad ſe alliciat, venetúrque, docet Plinius libro 8. cap. 16. & Aelianus libro 5. cap. 40.

Verſ.7. *Super quo propitius tibi eſſe potero?*] Modus hic dicendi magnam indicat morum corruptelam, in omni ordine, tam religioſo, quàm profano: fieri etenim ſolet, vt Deus ipſe in principio capitis oſtendit, vt iuſtus vnus magno ſceleratorum numero ſaluti ſit. Contingit etiam non rarò, vt virtus aliqua, aut res præclarè geſta, ingentia obterat, atque obſcuret peccata, & eam ob rem veniam obtineat, aut Principis gratiam tueatur, qui ob alia plurima dignus videbatur eſſe ſupplicij. Exempla apud profanos obuia, ex ſacris vnum accipe atque alterum. Dignum iudicabat Salomon Ablathar, quem capitali damnaret ſupplicio, ignouit tamen propter opus aliquod religioſum, & pium. 3. Regum 2. *Vir*, inquit, *mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Dei coram Dauid patre meo.* Et 3. Regum 2. licèt multa maledicta Semei congeſſiſſet in Regem Dauid, quia tamen occurrit illi ad Iordanis traiectum, iuramento illum ſoluit à periculi metu. Nunc Deus neque vnum inuenit, cuius gratia reliquis peccata condonet: neque virtutem aliquam, aut opus egregium, propter quod leniatur animus ad furorem incenſus, atque ideo dicit: *Super quo propitius tibi eſſe potero?* Ac ſi dicat, neque perſona vna eſt in tanta multitudine, neque in tot vitiorum proluuie vna virtus, quæ laceſſitum ad vindictam animum ad lenitatem, & miſericordiam inflectat. 13.

Res vna præclarè geſta multa peccata obterit.

Filij tui dereliquerũt me, & iurant in his, qui nõ ſunt dij: ſaturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur.] Enumerat Deus illa vitia, quibus immoderatè traditi Iudæi non ſolùm religionis ſtudium, & amorem, ſed etiam pudoris curam à ſe prorſus abiecerant: quàm enim malè cum his ſordibus, quę hoc loco commemorantur, conuenire poſſet aliqua virtus, quæ Deum reddat facilem, & promptum, quis non videt? Inprimis docet Deus gentem illam à vera religione defeciſſe & in iuriſiurandi ſacramentum aduocare falſos, & peregrinos deos; quod etſi ſuapte natura graue ſit, nullóque ferendum modo, ex eo tamen apparet grauiſſimum, prætérque pudorem, & ſenſum hominum, quòd in eum iniurij ſunt, & ingrati, à quo omnium bonorum abundantiâ cumulati, ac ſaturati ſunt. Quam rerum vbertatem, & copiam, non ad gratiarum officium, neque ad religionis incrementum, ſed ad turpem, atque nefarium luxum, & ſordida carnis blandimenta contulerunt. Quidam tam in mœchia, quàm in meretricia conſuetudine idololatriam intelligunt: neque id mihi improbatur, quia ita fert Hebraici ſermonis idioma, & quia cum ſaturitate ſæpe in Scriptura impia ſimulacrorum adoratio coniungitur. Exiſtimo tamen mœchiam, aut meretricis ſordes ſumendas eſſe propriè, tum quia de idololatria ſatis multa proximè: quid enim aliud ſonat illud, *dereliquerũt me*, &c. *iurant in his, qui non ſunt dij?* tum etiam, quia aliqua ex illis, quæ ſequuntur, non facilè iuxta ſacræ Scripturæ conſuetudinem, ad idololatriam accommodari poſſunt. Populus etenim Iſraëliticus potiùs dicitur mœchatus cum aliena, aut cum meretrice libidinatus, quàm eſſe adulte- 14.

Donorum Dei abuſus.

ta,ſeu meretrix, cui nempe ſeſe nefario concubitu implicuerunt idola. Deinde, quia neſcio quomodo in idololatriæ ſenſum conueniat illud, *Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat,* quod intemperantiam propriè ſumptam aptiſſimè,figuratè verò de idolorum cultu, neque contortè quidem ſignificare poteſt. Quam ſententiam tenent cum Hieronymo Theodoretus, ſanctus Thomas,Rabbanus,& Maldonatus.

15. PROVE. *Equi amatores.* Verſ.8. *Equi amatores,& emiſſarij facti ſunt:vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.*] Quanta ſit equorum ſalacitas, quanta in Venerem ardor, docet Ariſtoteles libro 6.de hiſtoria animalium, capite 22. Vnde orta de equorum libidine prouerbia,ſeu prouerbiales formæ, vt ἱππομανεῖν, B ideſt,equinum aliquid furere,ſeu equorum in morem laſciuire, & qui immoderatè laſciuiunt, atque in Venerem impotentes ruunt, ἱππόπορνοι dicuntur,ſiue, ἱππόβιοι.: Et ſicut equi vrgente libidine ad equas adhinniunt, ſic intemperantes Iudæi,nihilóque equis ipſis,aut rationis vſu, aut in cohibendo libidinis impetu meliores hinnitu ſuo procaci, atque intemperanter effuſo, ad nefarium libidinis opus alienas interpellant vxores.

16. Hîc duæ voces nobis explicandæ. Vbi Vulgatus, *amatores*, Hebraicè eſt, מיזנים *Meiuzanim,* quod Rabbi Dauid deducit à יזן *iazan*, quod armare ſignificat,& armatos equos interpretatur. C Quo ſenſu, ex ipſo malo diſcat modeſtus lector, quam à me. Alij à זון *zun* deriuant, quod ſaturare,ſeu ſaginare valet. Quare qui *amatores* appellantur equi, iidem vocari etiam poſſunt ſaginati, *Saturitas, & otium alunt libidinem.* & ſaturi.Quam rem optimè Vulgatus per *amatores* expreſſit: nam equi bene paſti, & ſaturi laſciuire ſolent, & æſtu libidinis agitari, & ad fœminas vndecunque illarum afflauerit odor,adhinnire.Addidit etiam *emiſſarij*, quia hi cùm non tam labori ac iugo, quàm Veneri, & ſoboli deſtinati ſint,ſaginari à magiſtris,& impleri ſolent.

17. Pro, *emiſſarij facti ſunt*, Hebraicè eſt, משכים *maſkim*, quod manè ſignificat, quaſi dicat, *equi ſaginati tempore matutino*, quo tempore maiori furiunt libidine admiſſarij equi, cùm nocte à Venere D ceſſatum ſit. Tunc verò, & quia bene tota nocte paſti, & quia natura in Venerem proni ſunt,impetu illo vehementi tandiu repreſſo, vbi lux affulſerit, eluctatur equus, & totus ſoluitur, ac liqueſcit in Venerem. De hac peruerſa & planè ferina hominum intemperantia optimè Baſilius lib.de vera virginitate. *Ex rationali,*inquit, *& irrationali, ideſt, animali parte iuxta Gentilem philoſophiam hominem veluti Centaurum quendam Creator effingens ſuperiori parti à capite vſque ad pectus humana forma inſignita reliquum corpus ab vmbilico,& lumbis equina ſubiecit effigie, quæ ad ventris voluptates brutorum inſtar prona, atque ad concubitus effrenatè proclinis eſt. Neque enim ab irrationali parte per luxum rapi ratione præditam voluit, ſed à rationali potius rationis* E *expertem ad vſus neceſſarios regi ſæpiſſime ſtatuit.Huius denique ſibi indultæ diuinitus poteſtatis gratia, ſi quando rationalis pars peruerſo ordine ipſa non regit, improperat auriga ſermo Diuinus*(hoc nempe Ieremiæ loco) *equi inſanientes in fœminas facti ſunt.*

18. Verſ. 10. *Aſcendite muros eius,& diſſipate.*] Cùm Dominum tantarum populi ſui ſordium tæderet, neque iam ferre poſſet, quæ modò connumerauit flagitia, quibus neceſſe eſt, alia complura fuiſſe coniuncta,quæ idololatriæ ſocia ſunt,& libidinis adminiſtra, iubet tanquam Imperator,

A qui paratas ad oppugnationem acies habet, vt omnes ſe quamprimùm ad oppugnationem accingant: qui loquendi modus & ardorem indicat animorum maximum, & in opere moliundo celeritatem.

19. *Conſummationem autem nolite facere: auferte propagines eius, quia non ſunt Domini.*] Iubet Deus ſic oppugnari ciuitatem, vt non tota labaſcat moles;ſic excindi,vt aliquid ſit in excidio reliquum: quod etiam capite præcedenti dixerat, & hoc iterum capite numero 18. Id verò optima ſimilitudine declarat, dum iubet, vt tantùm abſcindantur propagines; quaſi dicat, amputandam illam palmitum, foliorúmque luxuriem, ſtirpem B tamen eſſe relinquendam, quæ poſt propagines alias, & aliam non diſſimilem vbertatem parturiret.& ita planè fuit:nam ex his, qui ex communi ſtrage reliqui fuerunt, tanquam ex ſemine orti ſunt alij, qui ciuitatem non ſolùm inſtaurarent, ſed in antiquam gloriam reſtituerent. Eadem ſimilitudine in cauſa non omnino diſſimili vſus eſt Dominus Danielis capite 4. vbi de Nabuchodonoſor non ſolùm è regno, ſed hominum etiam ſocietate pulſo dicitur: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, & excutite folia eius, & diſpergite fructus eius, &c. Verumtamen germen radicum eius in terra ſinite.*] Reddit autem rationem Deus, cur vacuam illam, frondentémque luxu- C riem, aut ſylueſcentis arboris inutilem propaginem tutò, ac facilè abſcindere poſſint inimici, quia illa Domini non ſunt,ſed aliena: quare ſpecialem illam curam abiecit, quæ ciuitatem quondam ſuam antè tuebatur. Hîc tu conſidera, quàm miſerum ſit, aliquem à Domino fuiſſe derelictum, cùm omnium ſtatim non ludibrio ſolùm,ſed prædæ pateat. *Qui à Domino deſeritur, præda atque iniuria patet.*

20. Verſ.11. *Præuaricatione enim præuaricata eſt in me domus Iſraël.*] Hæc eſt tanti illius incendij prima fax, præuaricatio in Deum fecit, vt Iſraël dimitteretur à Deo, & in omnium rapinam, ac petulantiam incurreret.

21. Verſ. 12. *Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non eſt ipſe,neque veniet ſuper nos malum.*] Explicat, D quid præuaricatio ſit,negaſſe videlicet Deum, & Gentium idolis honores exhibuiſſe Diuinos. Negauerunt itaque Dominum, quaſi nihil haberent, aut nihil expectarent ab ipſo, cùm à fortuna putarent & caſu, non à Diuina prouidentia, res adminiſtrari mortalium. Quare eò progreſſi ſunt veſaniæ, vt apertè dicerent, *Non eſt ipſe*; nempe Deus, cuius nomine Propheta nobis mala denunciant: quare nihil eſt, quod ab ipſo mali timeamus.ita communiter Interpretes cum Hieronymo. Quo errore in ſtolidam illam cogitationem abducti, laxatis in omnem intemperantiam habenis, nihil non tentarunt, quod aut collibuiſſet animo, aut voluptarios titillaſſet ſenſus. Vbi enim aliquis dicere apud ſe potuit, E *Non eſt Deus,* Pſalmo 13.mirandum non eſt, ſi talis fiat,qualis poſtea deſcribitur; *corruptus,& abominabilis factus eſt in ſtudiis ſuis.*

22. Ego hîc dici non improbabiliter puto, licèt ſuperiora magis probem, non quidem tam negaſſe Iudæos verum Deum, tametſi hoc & ſæpe aliquando, atque inuerecundè fecerint, cùm ad idola defecerunt; quàm negaſſe, Deum verum loquutum fuiſſe in Prophetis, & per ipſos propoſitis minis ſtolidum populum ad officium reuocare voluiſſe. Quaſi dicant: Non eſt Deus ipſe,qui Prophetas in has minaces voces inſtigat: quare

quare licèt nobis etiam, atque etiam increpantes obganniant, nullum tamen malum comprehendet nos, gladium, & famem non videbimus. Et facit ad hanc ſententiam valde, quod ſtatim ſequitur.

23. Prove. In ventum loqui. Verſ.13. *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & reſponſum non fuit in eis.*] Vana fuiſſe dicunt Prophetarum oracula, eóſque à ſuo potiùs cerebro confinxiſſe, quàm à vero Deo accepiſſe reſponſa. *Reſponſum* pro oraculo non ſolùm à ſacris, ſed etiam à profanis vſurpari ſatis eſt notum. *In ventum loqui*, pro vanos fundere, & ſine mente, aut ſine fructu ſonitus, prouerbialis eſt forma. Græci ea ſæpe vtuntur, cuius exempla vide apud Lambinum in illud Horatij libro 1. Ode 16.

Tradam proteruis portare ventis:

neque minùs frequenter Latini. Virgilius Æneidos 10. inane gaudium ſic explicat:

---Nec ferre videt ſua gaudia ventos.

& libro 9. mandata irrita Aſcanij ad parentem:

Multa patri portanda dabat mandata, ſed auræ
Omnia diſcerpunt.———

Apud ſacros hoc non minùs vſitatum. Iſaias cap. 57. de Gentium diis, *Omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Iob cap.6. *Et in ventum verba profertis.* & cap. 15. *Nunquid reſpondebit ſapiens, quaſi in ventum loquens?* Eccleſiaſtici 5. *Quid ergo prodeſt ei, quòd laborauit in ventum?* Paulus 1. Corinthiorum 14. *Niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.* Iuxta hæc, Prophetarum oracula vana eſſe putabantur, & eiuſmodi, vt antequam ſuam ſibi fidem ſucceſſu probarent, à vento difflata in nihilum vaneſcerent.

Iſai.57. Iob.6. Iob.15. Eccli.5. 1.Cor.14.

24. Prove. Ignis, & ligna. Verſ.14. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna.*] Ventum eſſe putabant ſtolidi Iudæorum animi minaces Prophetarum voces, eáſque in canticum vertebant, & ſannas, vt Dominus ipſe queritur Iſaiæ cap.28. & Ezechielis 33. Nunc Deus oſtendit effecturum ſe, vt quamprimùm magno ſuo incommodo experiantur, ineſſe pondus Prophetarum oraculis. Neque enim ventoſa erunt, & inane ſonantia (ſicut de aliis canebant malè ſani Iudæi) quæ mox daturum ſe dicit, in ore Ieremiæ verba; ſed quaſi ignis violentus, qui in materiam incidit vehementer aridam, quique grande ſuſcitat, & ſubitum incendium: qui dicendi modus prouerbium olet, quo vſus eſt Abdias v.8. in eundem vſum: *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula.*

25. Chaldæorū natura. Verſ.15. *Ecce ego adducam ſuper eos*, &c. *gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam.*] Explicat, cur Ieremiæ verba inſtar obtineant ignis, quia ignem minatur, & incendium, cuius materia, atque eſca futurus eſt Iudæorum populus; explicat verò, quis futurus ſit ignis, & tanti incendij fax, illámque deſcribit; cuius tres aſſignat proprietates, quas in Chaldæis facilè deprehendes. Primùm, appellat gentem robuſtam, quæ perferre queat temporum, & bellorum incommoda, quam neque franget diutinus labor, neque ab obſidione vrgenda vlla ſubmouebit difficultas. Hoc robur, atque in pugnando ardorem, & in ferendo tolerantiam optimè deſcripſit Iſaias cap.5. *Non eſt deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, neque rumpetur corrigia calceamenti eius: ſagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti, vngulæ equorum eius vt ſilex, & rotæ eius quaſi impetus*

A *tempeſtatis*, &c.

26. Babylonis antiquitas. *Gentem antiquam.*] De Babylonis antiquitate, vnde ad Hieroſolymæ excidium prodiêre Chaldæi, egimus in noſtris Commentariis ad illud Iſaiæ cap.47. *Non eſt ſolium filiæ Chaldæorum:* fuit enim paulò poſt diluuium ædificata Babylon à Nembrot, vt habes Geneſis cap.10. vbi de illo traditur: *Fuit autem principium regni eius Babylon*; & docet Oroſius libro 2. cap.6. hanc multorum eſſe ſententiam. Si verò fides habenda eſt Græcorum hiſtoriis, quibuſcum plerunque ſentiunt Latini, Babylonem condidit Semiramis, quod etiam Hieronymo placuit, in caput 2. Oſeæ, vbi hæc adducit ex Ouidio:

B *———vbi dicitur altam*
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.

Quomodo verò Babylon condita dici potuerit à Chaldæis, ſicut dici videtur ab Iſaia nuper citato, quódque de ſe ipſo prædicauit Nabuchodonoſor Danielis 4. *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni?* oſtendimus multis in ſuprà dictum Iſaiæ locum. Sed cur ab antiquitate bellatores hoſce Babylonios commendat? An quia antiquitas ciuitatis, & gentis virtutem prodit militarem, quæ tandiu tueri potuit ſedes illas, quas à principio tenuêre maiores? vel quia in milite antiquitas vſum indicet,

C & induſtriam, quæ in milite & timorem eximit, & auget audaciam? Vnde veterani milites in magno ſunt pretio, & in quibus ſtare exiſtimatur belli fortuna.

Cuius ignorabis linguam.] Hæc linguæ ignoratio 27. omnem videtur tollere, aut attenuare clementiam. Significatur enim maxima morum, locorúmque diſtantia, qualis eſſe ſolet inter eos, quibus nulla eſt ſermonis communitas. Ex quo etiam fit, vt nulla ab illis humanitas ſperanda ſit, quam excitare, atque fouere ſolet aut generis cognatio, conſuetudo, atque vſus, aut rerum commercium. Indicatur autem hoc dicendi modo hoſtium inexorabilis natura, quam neque preces emolliunt, neque vlla commiſeratio tan-

D git. Nam quemadmodum fruſtra clamas ad ſurdum, quia non audit, ſic etiam ad tui ſermonis imperitum: perinde enim eſt non audire, atque non intelligere clamantem. Quàm verò miſerum ſit cum illis agere, qui aliena ſunt lingua, indicat Pſalmus, qui hoc commemorat inter alias ærumnas, quas in Ægypto pertulit Ioſeph: *Linguam, quam non nouerat, audiuit.* Hæc porro, quæ nunc Propheta Iudæis euentura prædicit, multò antè Deus legis tranſgreſſoribus indixerat, Deuteronomij 28. *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo*, &c. *cuius linguam intelligere non poſſis. Gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli.*

Verſ.16. *Pharetra eius, quaſi ſepulcrum patens.*] Vt 28. gladio comminus, ſic pharetra, aut ſpiculis emi-

E nus pugnaturus dicitur hoſtis Babylonius. Quare non erit terribilis minùs manu, ferróque congreſſus, quàm longè iaculatus telum, quo fugientem aſſequetur, atque conficiet. Porro pharetram appellat ſepulcrum, oratione, vt reor, figurata, quo modo ſagittam mortem appellare poſſumus, quia mortem infligit. Eſt ergo Chaldæorum pharetra quaſi ſepulcrum, quia pro ſagittis ſumitur, quæ in pharetra continentur, per metonymiam; ſagitta verò pro morte, atque adeò pro mortuo ſumi poteſt. Et quia Chaldæi adeò ſunt ſagittandi periti, vt quot ſunt in pharetra

Prov. Sepulcrum patens. Pſal.13.

retra ſpicula, tot in illa mortui tanquam in ſepulcro conditi videantur: neque enim illorum irritum erit, aut innoxium telum, quod de Ionathæ arcu cecinit Dauid 2. Regum cap. 1. *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum.* & idem de ſuo Ænea Virgilius libro 10.

Dicitur verò ſepulcrum patens Chaldæorum pharetra, quia nunquam ſatiatur ſanguine, aut expletur cadaueribus, ſicut. ſepulcrum polyandrium, aut commune ſepulcrum, quod bellorum tempore non obcæcatur puluere, aut clauditur ſaxo, quia recens ſemper cadauer eſt, quod in illud ſingulis momentis inferatur. Exiſtimo autem prouerbiali ſpecie hominem crudelem, quíque ſemper ad aliorum cædem anhelat, eorúmque paſcitur, & oblectatur interitu, appellari *ſepulcrum patens,* quia ſemper aut perimit, aut deuorat mortuos. Sicut ob cauſam non diſſimilem Ambroſius diuites, qui pauperum deuorant facultates, ſepulcrum appellat pauperum. In quem ego ſenſum accipio illud Pſalmi 5. & Pſalmi 13. *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.* Quod non obſcurè indicant, quæ ſtatim ſubſequuntur verba, quæ planè ſignificant os impiorum, & linguam inſtar ſagittarum, aut veneni perniciem aliis, exitiúmque moliri. *Sepulcrum*, inquit, *patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Quæ omnia non tam ſignificant, quid impij ſcelerum, ſordiúmque contraxerint, quàm quid mali aliis inferre meditentur. Ad quam explicationem facit, quòd lingua interdum gladius, nonnunquam flagellum, aliquando telum appellatur, quia non minùs peſtilens, atque mortifera eſt, quàm horum quidlibet.

Verſ. 17. *Et comedet ſegetes tuas*, &c.] Quæ hic commemorantur incommoda, multò ante prædicta fuerant, Deuteronomij cap. 18. de quo nuper; illa tu lege, & cũ iſtis confer, quæ aperta ſunt.

29. Verſ. 19. *Sicut dereliquiſtis me, & ſeruiſtis Deo alieno in terra veſtra: ſic ſeruietis alienis in terra non veſtra.*] Æquum ſanè iudicium, vt qui liber & ſuarum rerum dominus, & compos cùm eſſet in patrio ſolo, vera religione contempta, deos coluit alienos, ille iam in alienam regionem abductus dominis ſeruiret alienis, ideſt, non tam ſuo, quàm alieno regeretur arbitratu.

30. Verſ. 21. *Audi, popule ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, nõ videtis.*] Vſitatum eſt in Scriptura, vt quæ inutilia ſunt, atque otioſa, perinde cenſeantur, ac ſi non eſſent.. Quo modo non audiſſe dicitur legem is, qui non ſeruat, neque memor eſſe alterius, qui illius indigentiæ non ſubuenit, quia cognitio illa legis nihil ad opus contulit, neque memoria alienæ paupertatis animum inclementem ad miſericordiam inflexit: ſic cæcos dicimus, & ſurdos, qui vtilia aſpernati, & ſancta, rebus futilibus, ac nugatoriis audiendis atque ſpectandis vacant. Sic excordes dicuntur, ideſt, cor non habere, qui ſtulta meditantur, & indigna prudentium hominum cogitatione. Porro vſitatiſſimum eſt in Scriptura, vt ſtultus dicatur non habere cor, ſicut etiam à profanis caudex dicitur *ſtipes, lapis, pantices*, quibus neque cor ineſt, neque ſenſus vllus. Sic *Ephraim columba* dicitur *ſeducta, non habens cor*, Oſeæ cap. 7. Prouerbiorum 11. *Qui deſpicit amicum, indigens corde eſt.* cap. 10. *Virga in dorſo eius, qui indiget corde.* Cor autem, ideſt, mentis intelligentiam, & ſenſum rectum à Venere, atque ebrietate auferri dixit

REGVLA. Quæ otioſa ſunt, aut inutilia, cenſentur ac ſi non eſſent.

Cor abeſſe dicitur à ſtulto.

Oſeæ c. 7.
Prouer. 11.

Oſeas cap. 4. Oſtendit autem hoc loco Dominus, quod multò antea teſtatum eſſe voluit, Pſalmo 113. qui in ligno & lapide, ac pretioſo metallo numen eſſe putant, non illis eſſe diſſimiles, qui aures habent, & non audient, oculos habent, & non videbunt, quæ de Gentium ſimulacris cecinit Pſaltes; eos autem, qui ad idola diffluũt, ſæculíque nugas, neque ad Deum approximant, digni planè ſunt, quorum maxillas Deus camo conſtringat, quóſque non cum hominibus numerare, ſed cum equis, & mulis, quibus non eſt intellectus. Hæc, quæ nunc Deus exprobrat Iudæis per Ieremiam, exprobrarat iam olim per Moyſem illorum parentibus, Deuteronomij 29. *Vos vidiſtis vniuerſa, quæ coram vobis Dominus fecit, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ poſſent audire.* Deuter. 29.

31. Verſ. 22. *Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit.*] Exemplis homines ſtuporis conuincit, minúſque habere cordis oſtendit, quàm res inanimatas, quales ſunt marini fluctus, & ſiquid eſt in rerum natura magis iners, & rude: ſuſcipiunt enim Diuinum præceptum, & quantumuis à vento ſæuiant, & tumeant, nunquam tamen definitos ſibi terminos à Domino tranſiliunt. Quod magis admirabile eſt, quia non obiectis ſcopulis, ſed arena leui, ac diſſoluta, incitatam illam aquarum molem frangit, & cohibet. Qua in re optimè Diuinæ potentiæ magnitudo cognoſcitur; de qua Iob cap. 38. *Circundedi illud* (mare) *terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi, Vſque huc venies, & non procedes ampliùs; & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Quam ad rem eſt valde notabile, quod de hoc ipſo domiti, atque concluſi maris fræno dicitur in oratione Manaſſæ, quæ eſt poſt librum ſecundum Paralipomenon. *Qui ligaſti mare verbo præcepti tui: qui concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili, & laudabili nomine tuo.* Credo, hæc Manaſſæ verba reſpicere ſolenne illud, atque legitimum, quod ſingulis præceptis quaſi ſigilli notam, & firmitatem ſubiiciebat Deus, dum diceret: *Ego Dominus.* quod nomen quaſi impreſſum arenæ, quam Deus maris clauſtrum eſſe voluit. Sic obſeruabat, horrebátque excitata illa gurgitis moles, vt oſcularetur tantùm, & adoraret, calcare autem, & tranſilire nunquam auderet. Quàm ergo par eſt, Diuini nominis maieſtatem homo veneretur, & tremat, qua conſignata illius præcepta fuiſſe cognoſcit? aut quàm in iureiurando teſtem interponit, cùm videat, vaſtam illam, atque inanimatam naturam tam obſeruare conſtanter, tam religioſè revereri?

Iob. 38.

Diuini nominis obſeruantia.

Iuramenti religio.

32. Verſ. 23. *Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans.*] Confert nunc cum efferatis illis gurgitis fluctibus, in arena tamen molli ad Diuini nominis maieſtatem repreſſis, hominum ſtuporem, atque incredulitatem: qui aut non credunt, quod credunt, & amplectuntur imperium marini fluctus; aut corde rebelli, atque exaſperanti, contra Domini, quod iam cognouerunt, mandatum obluctantur.

33. Verſ. 24. *Et non dixerunt in corde ſuo, Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & ſerotinam in tempore ſuo: plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.*] Aliam iam adhibet rationem, cur ſtolidum illud, atque rebelle Iudæorum genus Diuinæ potentiæ, atque benignitati ſubeſſe, omnéque obſequium, atque reuerentiam deferre debuiſſet. Quia ab illo non ſolùm

Dei ſingularis prouidentia.

ſolùm quòd viuat, ſed quòd abundanter, atque pacatè viuat, cùm terræ, quæ irrigua non eſt, ſed de cælo pluuiam ſpectat, Deuteronomij capite 11. opportunum imbrem non ſolùm temporaneum ad ſatum, ſed etiam ſerotinum ad maturitatem impertiat. Vbi notandum illud, *cuſtodientem nobis*, quod indicat Diuinos oculos noſtris attentos, atque inuigilantes commodis. Cùm enim plurima quotidie deſiderentur adminicula, ſubſidiáque ſatorum, plurima quotidie incurrant incommoda, illa adhibet, hæc remouet, admirabili prouidentia Deus. Ex quo fit, vt nullum ſit temporis momentum, in quo à Deo non ſit in hominum vitam recens beneficium.

34. Quid ſit *temporaneum*, *& ſerotinum*, nemo, credo, neſcit, & nos nuper leuiter oſtẽdimus. Quid ſit plenitudo meſſis, paulò obſcurius eſt. Hebraicè pro plenitudine habet, שבעת *ſibghath.* quam vocem Aquila, Symmachus, & Pagninus conuerterunt, *hebdomadas*; ſed idem eſt ſenſus, licèt parum diuerſa forma verborum. Quod priuſquam oſtendam, obſeruo, celebratas eſſe maximè inter Hebræos ſeptem illas hebdomadas, quæ ſunt ab azymorum feſto ad diem vſque Pentecoſtes, tum propter temporis illius ſanctitatem, tum quia in illis, quæ Deo offeruntur, fruges tam hordaceæ, quàm triticeæ maturantur, & colliguntur: quare in ſecundo azymorum die manipulus eleuatur ex hordeo, ideſt, ipſo ſeptem hebdomadarum exordio: in Pentecoſte autem, ideſt, in fine hebdomadarum, ſacrificium offerebatur ex tritico. vtrunque habes Leuitici capite 23. Eo verò tempore, vt conſtat, maxima imminent frugibus incommoda, ab vrente vento, à grandine, à locuſta, & brucho, à procella, & nimbo, quæ ſternunt, vrunt, & perdunt ſata læta, boum, ruſticorúmque labores. Hoc tempore cuſtodire dicitur annuam meſſem, ab his nempe incommodis, quæ modò produximus: cuſtodire namque non tam ſonat nouum conferre beneficium, quàm antiquum tueri. Aptiſſimè ergo dicitur Deus cuſtodire hebdomadas, quia ſub illud tempus plura impendent à cælo ſegeti pericula. Hebdomadas verò per metonymiam (quæ tempus ſumit pro his, quæ continentur in tempore) pro frugibus adhibentur, in eo ſtatu, quem illo hebdomadarum ſpatio habere ſolent.

Septem hebdomadæ cur celebres.

35. Ex his non eſt difficile, tranſlationem Vulgati, & Septuaginta cum aliorum interpretatione componere: nam qui ſegetes in illo ſeptem hebdomadarum tempore cuſtodit, planè efficit vt ad culmen veniat, & ad plenitudinem meſſis: atque adeò non eſt aliud, ſeptem cuſtodire hebdomadas, quàm annuæ meſſis cuſtodire plenitudinem. Erit ergo ſenſus: Metuamus, & obſeruemus Deum, qui aquam nobis autumnalem, & temporaneam ad ſatus largitur, deinde vernam ad incrementum, & ſpicam, deinde poſt vernam illam pluuiam, quò meſſis deducatur ad aream, ſuámque plenitudinem, quicquid extremo tempore ad meſſem vſque poſſet prouenire periculi, ab agris ſummouet, atque adeò ſemper noſtris inuigilat commodis. Hæc eadem Dominus pollicitus fuerat Iſraëli, modò ſe ipſius præceptis obſequentem præberet. *Terra* (inquit) *ad quam ingrederis, &c. montoſa eſt, & campeſtris, de cælo expectans pluuiam, quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius,* Deuter. cap. 11.

36. Vbi Vulgatus, *annuæ*, Hebraicè, חקות *chacoth,* ideſt, præceptorum; ſententia non diuerſa, in diuerſa tamen forma verborum, quam ſic expreſſit Chaldæus, *Quæ ſtatuto tempore hebdomadas, quæ ſunt in tempore meſſis, cuſtodit nobis.* Annuam itaque meſſem illam appellat, quam Dominus certo aliquo tempore definiuit, niſi mauis hebdomadas præceptorum meſſis ideo vocari, quia meſſes offerri præcipiuntur illo tempore, hordacea quidem ipſo hebdomadarum principio, ſecundo azymorum die, triticea in fine, expletis nempe hebdomadis ad feſtum Pentecoſtes.

37. Verſ. 25. *Iniquitates veſtræ declinauerunt hæc: & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis.*] Laboraſſe populum propter agrorum ſitim, famémque diu, ac ſæpè pertuliſſe, ſatis ex Prophetis conſtat, & hiſtoria ſacra. Ieremiæ ſuprà capite 3. *Prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & ſerotinus imber non fuit.* & Amos 4. & Aggæi 2. magna ſignificatur fames ex pluuiæ defectu, quod in huius capitis principio à Ieremia didicimus. Id verò propter populi peccata contigiſſe, omnibus his locis declaratur, ſicut comminatus Dominus antè fuerat Deuteronomij capite 11. Eſt autem mihi non improbabile, dum arena dicitur ingenti aquarum moli obiecta tanquam clauſtrum, ſpectaſſe Deum Chaldæorum aduentum, qui ſuperatis imperij clauſtris, tanquam ſi mare definitos ſibi terminos exceſſiſſet, exundarunt Iudæorum fines, eóſque latè graſſati, populati ſunt. Qua etiam metaphora in argumento ſimili non ſemel vtitur Scriptura, vt Iſaiæ 8. *Aſcendet ſuper omnes riuos eius: & fluet ſuper omnes ripas eius, & ibit per Iudæam inundans.* In hac cogitatione ſic ego ſententiam inſtituo, ſi Dominus in firma arenæ obiecta mole ingentes frænat, & cohibet Oceani fluctus, multò faciliùs intra ſuos fines poſſet cohibere Chaldæos. At illis permittet, quod negauit mari, vt è ſuis egreſſi clauſtris, gurgitis in modum, Palæſtinam obruant, ita vt ex illa nihil à fœda illa inundatione liberetur. Deinde peccatorum genera connumerat, quæ peſtem illam, & cladem inuexêre, quæ quia obſcura non ſunt, ab eorum me expoſitione contineo.

38. Verſ. 30. *Stupor, & mirabilia facta ſunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis.*] Planè res eſt admiratione, atque ſtupore digna, quo ad ſummum malorum aut perueniſſe, aut peruenturam indicat ciuitatem: cùm Prophetæ obtenta Diuini nominis maieſtate, ac fide, mendacium loquantur, & Sacerdotes adeò non reſpuant illorum inſaniam, atque deliria, vt non ſolùm oratione, ac vultu, ſed etiam manuum comploſione probent, atque ſuſcipiant. Hoc itaque mirabile eſt, ac monſtri ſimile: illud verò miſerum, minùs tamen mirabile, quia rerum naturæ, aut corruptelæ conſentaneum, reliquum vulgus diligere, probaréque, quæ à Prophetis propoſita, à Sacerdotibus non improbata intuebantur. Sic enim fert natura rerum, vt ſtulta multitudo, in qua nihil, aut parum certè conſilij eſt, illorum conſiliis, aut placitis adhæreat, in quibus arbitratur aliquid eſſe ſapientiæ. Ex quo id ſequitur, quod in principio huius capitis dictum eſt, nullum in tota ciuitate iuſtum inueniri, qui vltricem Domini manum à cæde cohibeat.

39. Verſ. 31. *Quid igitur fiet in nouiſſimo eius.*] Communiter omnes, &, vt credo, verè, hæc referunt ad

ad extremam ciuium calamitatem, quando vrbs A à Chaldæis exciſa fuit, & habitatores in exilium abducti. quaſi dicat Deus: Quid faciet infelix iſte populus, cùm Chaldæorum exercitus Diuinæ iniuriæ vindex ingruerit? Lugebit vtique, damnabítque quod antea ſanum putabat eſſe conſilium.

40. Tu vide, an alia poſſit eſſe huius loci ſententia, quam ego omnino ſequerer, ni contrà ſtaret aliorum conſenſio. Cùm numeraſſet Dominus populi peccata, addidiſſétque, *Nunquid ſuper his non viſitabo? dicit Dominus: aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea?* Ac tandem addidiſſet Prophetarum, Sacerdotúmque deliria, & totius populi eum ſtatum, qui in peccatrice Republica videtur eſſe nouiſſimus, nunc tãdem addit Deus: Quid fiet, nempe, à me, cùm ad peccatorum extremum ventum ſit, niſi vt immiſſis hoſtibus in Iudæorum fines, genus illorum aut perdam, aut affligam? Hæc de capite 5.

ARGVMENTVM CAPITIS VI.

ADVENTVM Chaldæorum imminere clamat Ieremias; futurúmque prædicit Iudæorum finibus exitio: quod multis deſcribit, verbiſq; maximè ſignificantibus. Tanti verò mali cauſam peccatum ait eſſe, à quo tam ſummi, quàm infimi, vſque ad Sacerdotes, & Prophetas, liberi non ſunt. Cúmque populi obſtinatum in peccatis animum oſtendiſſet, quàm parum Deo in illa obſtinatione grata ſint victimæ, & odorata dona, edocet. Ad extremum Chaldæorum ſtrenuòs, atque feroces ſpiritus, & Iudæorum languidos animos, & manus diſſolutas fore ſignificat.

IEREM. CAP. VI.

1. *CONfortamini filÿ Benjamin in medio Ieruſalem, & in Thecua clangite buccina, & ſuper Bethacarem leuate vexillum: quia malum viſum eſt ab Aquilone, & contritio magna.*

2. *Specioſa & delicata aſſimilaui filiam Sion.*

3. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu: paſcet vnuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt.*

4. *Sanctificate ſuper eam bellum: conſurgite, & aſcendamus in meridie: væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ veſperi.*

5. Surgite,

IN IDEM CAP. PARAPHR.

B 1. CVm graue immineat bellum Babyloniis, agite iam Solymitani ciues, & vos præſertim Benjaminitę, qui maximè exiſtimamini ad bellandum idonei, ſpiritus aſſumite bellicoſos, & acres; clangite in Thecua claſſicum, leuate ſignum in Bethacarem, & omne bellicum inſtrumentum ad propugnandum expromite, graue etenim infortunium ab Aquilone, & ingentem vaſtitatem intueor.

2. Sed longè te præſtabis aliam, ô Ieru-
C ſalem, quàm temporis ratio, & neceſſitas poſtulat: neque enim ſtrenuam te, & fortem hoſtibus oppones, ſed potiùs vt mollis, ac delicata virgo ſeceſſum amabis, & iners otium.

3. Ad Ieruſalem, quæ tanquam inermis, & imbecilla virgo mollitiæ ſe, atque deſidiæ tradiderat, paſtores venient, & duces externi, agénrque in illam innumeros bellatorum greges; vallabúntque vndique fixis circumcirca tentoriis, & vnuſ-
D quiſque ducum milites, quos ſub ſignis habet, Solymitanis opibus ad ſatietatem explebit.

4. Agite dum, ô Babylonij, quod in bello iuſto fieri ſolet, legitimo ritu ſanctificate milites, & aciem contra Ieruſalem. Quando Deus nos, inquiunt Chaldæi, ad arma euocat, agite quamprimùm aſcendamus: omnia etenim nobis ſecundos bellorum

exitus

A exitus oſtentant ; & in meridiana luce, ſtatu nempe proſpero, res noſtra verſatur. Væ tamen nobis, inquiunt Iudæi, quia dum meridiana luce fruuntur Babylonij, nobis aduesperaſcit, & longiores iam incumbunt vmbræ.

5. Surgite, & aſcendamus in nocte, & diſſipemus domos eius.

5. Tunc ſe mutuò cohortati Chaldæi, Aſcendamus, inquiunt, in nocte, quando illis nempe res in tenebris eſt: & neque vllum apparet mortis effugium, illorum vrbem diripiamus, & domos omnino diſſipemus.

6. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum eius; & fundite circa Ieruſalem aggerem: hæc eſt ciuitas viſitationis, omnis calumnia in medio eius.

B 6. Quia hæc, inquiunt Chaldæi, iubet Dominus exercituum; materiam cæduam comportate, & in vrbis circuitu aggerem inſtruite. Adeſt enim tempus quod patiens redditor Deus viſitandæ, atque militandæ ciuitati deſtinauerat; in medio quippe illius fraus eſt, & calumnia, quæ tanquam fax in vrbe incendium excitabit.

7. Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam: iniquitas & vaſtitas audietur in ea, coram me ſemper infirmitas & plaga.

7. Quemadmodum aqua frigore conglacians in lapidis interdum duritiem
C concreſcit; ſic malitiam ſuam Ieruſalem, quam intra ſe eo modo continuit, ſicut aquam ciſterna, ſic frigidam fecit, vt in ſilicis modum obduruerit, audietur tamen in ea à manu mea non tam inimica, quàm paterna, vaſtitas, & ſupplicium; plaga illi à me, & infirmitas adhæreſcet, vt glacies illa peccatorum liquefacta ſoluatur.

8. Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitabilem.

8. O igitur Ieruſalem, fac vt aliquando attrita plagis diſciplinam accipias, fac meliora vt cogites, ne fortè deſeraris à me ſicut ægrotus, cuius à medico deſperatur ſalus. Caue ne eò te indignatus redigam, vt
D inſtar deſertæ ſolitudinis, & efferatæ ſyluæ à nemine deinceps habitari poſſis.

9. Hæc dicit Dominus exercituum: Vſque ad racemum colligent quaſi in vinea reliquias Iſraël: conuerte manum tuam quaſi vindemiator ad cartallum.

9. Vt attentus vinitor, & auarus ſic vindemiam peragit, vt ad vnum racemos omnes colligat; ſic hoſtis non minùs auarus, & durus ipſas quoque colliget è Hieroſolyma reliquias. Quare, ô Chaldæe, dicit Dominus, vbi ſemel Ieruſalem vindemiaueris, refer te rurſus ad reliquias, & iterum ad cartallum reuertere, in quo ad torcular comportantur racemi.

10. Cui loquar? & quem conteſtabor vt audiat? ecce incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt: ecce verbum Domini factum eſt eis in opprobrium: & non ſuſcipient illud.

10. Cui loquar (inquit Ieremias, à Do-
E mino hæc nunciare iuſſus) & quem habebo æquum, & docilem auditorem? quem conteſter, & admoneam, cùm omnium aures incircumciſæ ſint, & ad capiendam veritatem obſtructæ? qui tam abſunt longè, vt Dei verbum ad animum admittant, vt illud potiùs irridendo ſubſannent.

11. Idcirco furore Domini plenus ſum, laboraui ſuſtinens: effunde ſuper paruulum foris, & ſuper conſilium iuuenum ſimul: vir enim cum muliere capietur, ſenex cum pleno dierum.

11. Idcirco, cùm aures dociles, & obſequentes non habeant, dum furori Domini, ac ſpiritui minaci, quo plenus ſum, & me ad loquendum cogit, iam dudum obluctor, cùm vim illius ſuſtinere non poſ-

A ſim, vehementer excrucior. Sed age, ô Iere-
mia (ſeipſum Ieremias inſtimulat) liberè
iam, & audacter vaticinium profer Diuinæ
plenum acerbitatis, quod latè ſe in omnem
ætatem, ordinémque diffundit. Non enim
parcit paruulis, qui foris, atque in plateis
luſitant; non iuuenibus, qui ad alia ætatis
oblectamenta ſuos habent conuentus; non
viris, ac fœminis, non ſenibus iam ætate
prouectiore decrepitis, quorum canicies
veneranda retardare ſolet armatas manus,
& ad plagam intentas.

12. Et tranſibunt domus eorum ad alteros, agri & vxores pariter: quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus.

12. Videbunt aliquando iſti Diuinarum
B vocum irriſores, quemadmodum in do-
mos, & agros externi prædatores irrum-
pant, vt ex ipſorum ſinu vxores abſtractæ
grauiora ſuſtineant, quàm fœmineus pa-
tiatur pudor. Quia in omnem terram, di-
cit Dominus, manum indignationis ple-
nam extendam.

13. A minore quippe vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent: & à Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.

13. Omnes enim ſummi, atque infimi
pecuniis vndecunque corradendis inuigi-
lant; Sacerdotes ipſi, atque Prophetæ, quo-
rum vita ab omni abeſſe dolo, atque iniu-
ria debuerat, iniuriam omnes meditantur,
C & fraudem.

14. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax.

14. Qui grandem populi ad mortem
laborantis plagam ita curabant fallaci
blandimento, vt illum ad grauem ignomi-
niam adduxerint. Nam cùm pacis ſpes eſ-
ſet nulla, ipſi tamen pacem, & ſecurum
otium promittebant.

15. Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt: quin potiùs confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt: quamobrem cadent inter ruentes: in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus.

15. Confundi ſanè Iudæi, atque eru-
beſcere debuiſſent, ſi quòd exigerent
ipſorum merita, conſideraſſent: ſed quia
aut propter inertiam nolunt, aut propter
ſtuporem non aſſequuntur, ideo aut no-
D luerunt, aut neſcierunt erubeſcere. Quam-
obrem ad illorum numerum aggregabun-
tur, dicit Dominus, qui in acie hoſtili ferro
corruerunt.

16. Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt: Non ambulabimus.

16. Hæc Dominus ad populum, de
ipſius libertate ſollicitus; Inſiſtite, inquit,
viis, veſtigiiſque parentum, quas ego illis
quondam oſtendi, illáſque recognoſcite,
ſi modò ab his, quæ hoſtili ferro impen-
dent, infortuniis liberari vultis. Quòd ſi
viarum ignari minùs in illos incurrere po-
E teſtis, conſulite Prophetas, & Doctores, &
ab illis diſcite, quæ ſit bona, atque expedi-
ta via, quam tutò, & ſine errore teneatis.
Hæc Dominus. At ſtulti, atque inuere-
cundi Iudæi placere ſibi negāt illam viam,
præciſéque reſpondent, per illam ſibi nun-
quam incedendum.

17. Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores: Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus.

17. Perſiſtit adhuc clementiſſimus
Deus. Speculatores habetis, quos ego vi-
tæ veſtræ cuſtodiendæ præpoſui: tubas il-
lis attribui, quarum clangor multò ſonan-
tior eſt humana voce; illorum clango-

18. Ideo

rem,

A rem, & clamorem excipite. At illi obſtinato conſilio obſtrepunt, & dicunt: Non audiemus.

18. Ideo audite gentes, & cognoſce congregatio, quanta ego faciam eis.

18. Audite ergo gentes, & omnes populorum conuentus intelligite, quid populus quondam meus impiè, atque inuerecundè reſponderit, quid illius exigat obſtinatus animus, & quid præterea illi pœnarum infligam.

19. Audi terra: Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt.

19. Aduerte huc animum, & audi, ô terra. Quid ego malorum inducam in procacem, & impudentem populum? Reddam il-
B li iudicium, quod illius veſani ſpiritus, & impiæ cogitationes exigebant: referet fructum, quem copioſa peccatorum ſementis abundè parturiit, cùm neque meam audire vocem, neque legem meam obſeruare voluerit.

20. Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuaueolentem de terra longinqua? holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi.

20. Non eſt, cur animis ſic impudenter inſtitutis, & affectis, thure, quod è Sabæa regione nobiliſſimum affertur, aut Indico calamo, qui odoris eſt gratiſſimi, placari me poſſe exiſtimetis. Neque enim holocauſta veſtra mihi probari, aut placere po-
C terunt frequentes victimæ.

21. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum iſtum ruinas, & ruent in eis patres & filij ſimul, vicinus, & proximus peribunt.

21. Quia externa me tantùm religione colitis, dicit Dominus, cùm animus procul abſit à me, ſubuertam veteratorem hunc populum; & tam qui ſanguinis cognatione, quàm qui locorum vicinitate coniuncti ſunt: pater nimirum, & filius, vicinus, & qui proximè apud illum habitat, omnes interibunt.

22. Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de terra Aquilonis, & gens magna conſurget à finibus terræ.

22. Ecce, inquit Dominus, de Aquilonari plaga populus egreditur, gẽs bellatrix, & potens, ab vltimis terræ finibus erũpit.

23. Sagittam & ſcutum arripiet: crudelis eſt, & non miſerebitur: vox eius quaſi mare ſonabit: & ſuper equos aſcendent, præparati quaſi vir ad prælium, aduerſùm te filia Sion.

23. Scutum aſſumet, & pharetram, ſed
D magis in te, ô filia Sion, animum truculentum, & durum, quem nequeas vllo modo ad miſericordiam inflectere. Vox eius ſic erit horribilis, vt ſæuientis pelagi fremitum eſſe putes. Conſcendit equum contra te, ſic inſtructus quaſi ad bellum, & exitium intentus.

24. Audiuimus famam eius, diſſolutæ ſunt manus noſtræ: tribulatio apprehendit nos, dolores vt parturientem.

24. Audiuimus (inquiunt Iudæi, quos timidos, aduentante Chaldæo, Ieremias inducit) potentem eſſe populum, & ingenium eius inexorabile, & animo cadente diſſolutæ ſunt manus, & ad arma tractandæ
E minimè idoneæ: neque aliter in duris rerum anguſtiis affecti ſumus, quàm ægra mulier in graui, atque periculoſo puerperio.

25. Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici pauor in circuitu.

25. Quare (dicent ſibi mutuò in ea perturbatione Iudæi) nemo ciuitatis clauſtra deſerat, nemo prodeat in agros, aut in viam ſe det, quoniam circundat nos vndique ab hoſtili ferro grande periculum.

26. Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi, plan

26. Aſſume, dicit Dominus, ô Sion, dolentis habitum, ſaccum nempe cilicinum, &

planctum amarum, quia repentè veniet vaſtator ſuper nos.

A & cinerem, quo caput aſpergas: aduoca lacrymas, & luctum, qualem mater morienti filio, quem habet vnicum, ſolet impẽdere.

27. *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: & ſcies, & probabis viam eorum.*

27. Et te, ô Ieremia, poſui quaſi conflatorem, ſeu probatorem argenti, qui non aliter à peregrinis ſordibus populum purifices, quàm argentarius excoquit ab argento rubiginem. Cùm autem populi examen, atque probatio, non diſſimilis debeat eſſe illi, quæ argento aduenit à fornace; atque adeò populo non poſſit eſſe non moleſta, ideo ſpiritum tibi robuſtum indidi, atque animum impauidum, vt illius explores vias examine ſeuero.

28. *Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: vniuerſi corrupti ſunt.*

B 28. Tunc conflator, atque probator Ieremias poſt ſeuerum examen, Omnes, inquit, Principes, ex quibus de reliquis ſumenda coniectura, declinarunt à lege, ſectati ſunt fraudes, vniuerſi ſordidi, atque corrupti, nihil in illis aureum, nihil argenteum, ſed tantùm æs, & ferrum, & metallum, nempe ſordidum, & vile.

29. *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ.*

29. Diu multúmque ſudaui in purgando, atque conflando populo, irritus tamen excidit conatus omnis, & omne conflatorium inſtrumentum periit. Diſrupti ſunt C folles, & plumbum omne ab igne expiatorio conſumptum: fruſtra conflator vim omnem, & induſtriam adhibuit: conſumptis enim omnibus, populi tamen iniquitas conſumpta non eſt.

30. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.*

30. Quid ergo ſupereſt, niſi vt tanquam vile, ac reprobum argentum populum appellemus, quando à Domino proiectus, ac reprobatus eſt?

IN CAPVT SEXTVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Confortamini filij Benjamin in medio Ieruſalem.*]

1. CVM ventum iam eſſet ad peccatorum nouiſſimum, ideſt, miſerrimum ſtatum, cùm æquè Sacerdotes & Prophetæ cum cætera multitudine, ſpreta religione vera, ac lege, in omnem ſe turpitudinem effudiſſent, ad ſummam etiam calamitatem, ſtatúmque maximè ærumnoſum. Solymitani vocabantur ciues, inſtabátque ab hoſte Babylonio communis interitus. Quare monet Propheta ſuos contribules, ac ciues, ſibi vt ab hoſte caueant, præſidiáque omnia, ac vires aduocent, ad depellendum malum. Suſpicor autem in hac exhortatione admixtum eſſe aliquid ironiæ: ſciebat enim Propheta, fruſtra dimicaturos eſſe Iudæos contra Babylonios, irato Deo, cogentéque, ac ducente contra ipſos infenſas inimicorum acies. Loquitur autem cum Benjamin, quia & ipſi ad pugnam expediti, & manu prompti, quique in medio ciuitatis habitabant. Vt enim traditur Ioſue cap. D 18. Ieruſalem in ſortem contributa fuerat Benjamin. Quomodo verò ad Tribum quoque pertineret Iuda, diximus ad illud Zachariæ cap. 1. *O Sion fuge.*

In Tribu Benjamin & Iuda erat Ieruſalem.

Et in Thecua clangite buccina, & ſuper Bethacarem leuate vexillum.] Hæc omnia ad excitandos, & acuendos animos ad bellicos motus, & cogendos vndecunque milites ſpectare videntur. Bethacarem, & Thecuam in collibus ſitas docet hîc Hieronymus, & res ipſa admonet: neque enim aut buccina concrepat ad mouendos, ſeu excitandos populos, aut in eundem finem excitatur vexillum, niſi edito loco, vnde à circunfuſis gentibus videri poſſet. Suſpicor autem luſum eſſe quendam non inelegantem, neque inuſitatum Hebræis in tribus nominibus, Benjamin, Thecua, & Bethacarem, ſecundùm notationem, etymologiámve vocabuli. Benjamin nanque, vt conſtat, filius eſt dexteræ, Geneſis cap. 35. ideſt, ſtrenuus, & fortis. Et quidem tales fuiſſe Benjaminitas; 2.

Luſus elegans in notatione vocabuli.

Benjaminitæ fortes.

minitas, conſtat Iudicum cap.20. *Ita ſiniſtra, ac dextera præliantes, & ſic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere.* Accommodatè igitur ad nomen Benjamin, ideſt, ad dexteros in pugna dicit, *confortamini*, ideſt, præſtate, quod nomen ipſum præſefert, vos viros fortes, & vobis otioſum non eſſe tale nomen, re ipſa probate.

3. Thecua buccinam valet, ideo ad eius etymologiam conſentaneè dicit Propheta, *in Thecua clangite*, ideſt, præſtet vicus ille, quod ſonat. Bethacarem idem eſt, quod domus vineæ, tugurium putà, in quo moratur cuſtos, quod in edito, atque eminenti loco excitari ſolet, aut turris, quæ in bene inſtructa vinea deeſſe non ſolet, & habes Iſaiæ cap.5. Credo autem, vicum illum ideo appellatum eſſe Bethacarem, quia inſtar tugurij, ſeu turris vinearum in eminenti aliquo montium faſtigio ædificata fuerat, tanquam fundi cuſtodia. Ait itaque Propheta: O Bethacarem, quæ cuſtos es vineæ fundi, nimirum Iſraelitici, vt tuo tibi nomini, ac muneri ſatisfacias, eleua ſignum, & prædonis aduentum populis denuncia:&, quod cuſtos facit vinearum, edic, vt omnes ad liberandum à prædatore fundum conueniant.

Quia malum viſum eſt ab Aquilone.] Bellici motus atque apparatus cauſam oſtendit, quia ab Aquilone, ideſt, à Babylonia, hoſtis iam mouet, à quo magna Solymitanis contritio imminet.

Imbelles vocati fœminarum nomine.

4. Verſ.2. *Specioſa, & delicata aſſimilaui filiam Sion.*] Deberet ſane contra hoſtes omni bellico apparatu inſtructos arma etiam & milites comparare Ieruſalem, & bellicoſam ſe, atque ſtrenuam præſtare, contra ſtrenuum, ac bellicoſum aduerſarium; ſed res multò contigit ſecus: nam ipſa nihil aliud eſt molita contra belli duros, atque horribiles caſus, quàm quod fœmina delicata, & mollis, quæque magis luxui, formæque vacat, quàm domeſticæ rationi, & curæ. Hæc enim vbi concrepuit buccina, aut leuis de hoſtium appulſu rumor afflauit, graui percuſſa metu ad eiulatus, & vota, ad tenebras, & occultos receſſus, potiùs quàm ad arma, & propugnationem feſtinat. Idem propè contigit Hieroſolymæ: nam cùm primùm venit cum exercitu Nabuchodonoſor, vſque adeò inermem, ac pauidam reperit ciuitatem ſub Ioacim, vt illam facili expugnauerit negotio: quod fecit etiam ſecundò, cùm aciem etiam inſtruxit contra Ioachim. Mollitiem itaque, & immoderatum luxum obiicit Dominus Hieroſolymæ, quæ neque ingenuos, & fortes alunt ſpiritus, & hoſtium potiùs libidinem inflammant, & auaritiam acuunt, quàm illorum aut debilitant vires, aut frangunt animos. Simili irriſionis genere inſultauit Troianis apud Virgilium Numanus Æneid.9.

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis,
Deſidiæ cordi iuuat indulgere choreis,
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ,
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.—

5. Verſ.3. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu.*] In præcedenti clauſula non eſt allegoria, ſed ſimilitudo, quæ ſuam quoque habet expreſſam formam, nempe, *aſſimilaui.* Quare non admodum laborandum eſt, quomodo quæ nunc dicuntur allegoricè ad ea, quæ proximè anteceſsêre, accommodemus. Cùm hæc allegoricè, illa propriè dicantur, imò potiùs, cùm hæc ſit ſimilitudo quædam, cui ta-

A men iuxta Hebræorum conſuetudinem nota non additur ſimilitudinis. Deſcribitur autem quomodo ad Ieruſalem, quam muliebrem in modum comptam, & effœminatã vocarat, venturi ſint Chaldæorum Principes cum numeroſis copiis, non aliter, quàm paſtores, qui tabernacula metabuntur in circuitu, paſcéntque ad ſatietatem vſque numeroſos greges. Quibus verbis magna oſtenditur rerum viciſſitudo: nam quæ priùs videbatur ſpecioſa, atque affluens deliciarum luxu, ſicut ager omni herbarum, ac florum varietate luxurians, illa eadem propediem ab hoſte nudabitur; ſicut ager ſpecie conſpicuus, vbi in illum à paſtoribus aguntur armenta; idem B propè de Ieruſalem, & de hoc ipſo tempore dixit Iſaias cap.3. vbi ſpoliandæ dicuntur filiæ Sion ab illis deliciis, de quibus eo loco multus ſermo, & ad horribilem ſpeciem traducendæ. Idem etiam Ieremias capite 46. de Ægypto: *Vitula elegans, atque formoſa Ægyptus: ſtimulator ab Aquilone veniet ei.*

6. *Sanctificatũ bellum, ſanctificati milites. Iſai.13.*

Verſ.4. *Sanctificate ſuper eam bellum.*] Idem quoque dixerat antè. Ioel. cap.3. ſanctificata dicuntur bella, ſicut etiam milites apud Iſaiam capite 13. verſu 3. *Ego mandaui ſanctificatis meis*; aut quia ſolenni quodam, & ſacto aut comparabantur, & indicebantur ritu, aut quia iureiurando adigebantur, & quaſi ſacrabantur milites; aut quia Dij C patrij comites, & quaſi duces caſtrorum adiungebantur, quod cùm aliis etiam nationibus commune ſit, de Chaldæis, apud noſtrum Prophetam, niſi ego fallor, non obſcurum eſt; qui tamen quem deorum maximè colebant, prælucentem, & quaſi viæ ducem ſequebantur. Sic enim ſuprà cap.1. exponebamus illud, *Ollam ſuccenſam ego video.* & cap.4. *Vox enim annunciantis à Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim.* ignem videlicet, quem ſecum in caſtris adducebant Chaldæi. Seu certè, vt indicat Hieronymus, ſanctificatum dicebatur bellum, quia Deum illum conflarat, indixerátque, quod etiam dicit Rabbanus, & Gloſſa. Aut quia Diuinas vlciſcebatur iniurias: qua ratione bellum ſacrum vocatur, quod D à Thebanis geſtum eſt pro religione contra Phocenſes, qui Delphici Apollinis templum compilarunt; & conſecratæ dicuntur illæ manus Exodi 33. quas imbuit illorum ſanguis, qui aureos conflarunt vitulos, quóſque Deus tanti ſceleris vltrices eſſe voluit.

7. *Surgite, & aſcendamus in meridie.*] Verba ſunt Chaldæorum, qui ſe mutuò hortantur, vt ſacrum illud bellum auidè ſuſcipiant. Quò pertineat illud, *in meridie*, obſcurum eſt. Hieronymus cum Rabbano, Hugone, ac Dionyſio, vocem hanc audacis animi, ſibíque ſecunda omnia pollicentis arbitratur: quaſi dicant Chaldæi, vſque adeò ſe ſuperiores eſſe cauſa, & viribus, vt neceſſe non ſit, nocturnas captare tenebras ad inſidias, cùm E tutò, atque feliciter in meridiana luce pugnare poſſint. Hæc ego non improbo, ſed in aliquem commodiorem ſenſum explicari puto poſſe: neque enim video, quomodo quod proximè ſequitur, in illam explicationem venire poſſit. Puto ergo, ſicut in tenebris infelicem ſtatum, & ærumnoſam ſortem intelligimus, ſic in luce, maximè ſi clara ſit omnino, qualis eſt meridiana, ſecundum ſtatum, & felicem euentum ſignificari. Dicunt igitur Chaldæi; quando nobis omnia ſecundos belli exitus oſtendant, & in meridiana luce res noſtra eſt, aſcendamus ſtatim. Il-

Meridies, pro felicitate.

lud porro, *conſurgite*, Hebræorum more, pro interiectione ponitur: idem eſt enim, atque, *agite dum*.

8. *Væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ veſperi.*] Hæc verba quidam Chaldæis aſcribunt, qui quo erant ad pugnandum ardore, etiam nocte ceſſandum ſibi ab oppugnatione non putabant. Ita Lyra, Dionyſius, Vatablus, & Maldonatus: ſed commodiùs hæc Iudæis accommodantur à Hieronymo, ſancto Thoma, Hugone, & Rabbano, qui nocturnos metuũt inimicorum congreſſus. Ego hìc noctem, aut veſpertinam vmbram, luci oppono meridianæ, ideſt, ærumnoſam Iudæorum cum ſecunda Chaldæorum fortuna. Gaudebant nuper, inſultabantque Chaldæi fortunæ Iudæorum, quia tempus ipſis ſerenum, & ſpes certa victoriæ iam arrideret; lugent nunc Iudæi, quia ipſis aduesperaſcit, & duplicantur vmbræ, ideſt, quia vmbram quandam intuentur imminentis noctis, nec longè abeſt ciuitatis exitium, & ciuium cædes, quæ nocturnis tenebris explicari ſolent. Hæc mihi dici poſſe videntur conſequenter, aliter non video, quomodo hæc cum ſuperioribus contexi queant. Cæterùm diei inclinatio, & vmbræ maiores pro nocte ſumuntur, ea figura, qua id, quod ſubſequitur ex eo, quod præceſſit, & res ſignificatur ex ſigno. Simile huic eſt illud Virgilij Ecloga 1. vt notauit Hieronymus,

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,
Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Et iterum Ecloga 2.

Et Sol creſcentes decedens duplicat vmbras.

9. Verſ. 5. *Surgite, & aſcendamus in nocte, & diſſipemus domos eius.*] Hæc verba Chaldæorum ſunt, qui aut ſe ipſos cohortantur mutuò, vt etiam noctu obſidionem vrgeant, neque tempus dent vllum quieti, ac ſomno. vel, quod ego potiùs duco, vt quando res hoſtibus in tenebris eſt, neque illis vllum apparet mortis effugium, incumbant ipſi acriter, & oblatam diuinitus occaſionem prudenter arripiant.

10. Verſ. 6. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum eius, & fundite circa Ieruſalem aggerem: hæc eſt ciuitas viſitationis.*] Hæc item verba Chaldæorum eſſe puto, qui ſibi id negotij datum dicunt à Domino, vt ciuitatem illam oppugnent, & excindant, edictúmque vt materiam cæduam ad aggerem comportent, exciſſis lignis, quæ in circuitu ſunt, quæ ad ſuas ſibi delicias populus pararat. Addunt præterea (quod ipſorum animos valde ad illud belli pondus acuit, atque confirmat) aduenisse iam tempus, quod patiens redditor Dominus viſitandæ, ideſt, mulctandæ ciuitati deſtinarat. Quare neque ſe ſpe, atque cogitatione ſua fruſtratum iri, neque Iudæis aliquam futuram eſſe viam, qua vltrices Domini manus, ideſt, Chaldæorum vires, & conatus effugiant.

11. *Omnis calumnia in medio eius.*] Cur ciuitas illa viſitari debeat, edocet, quia in medio illius calumnia eſt, de qua capite 5. à verſu 26. vbi cùm pluribus illam expreſſiſſet calumniam, ad extremum addidit: *Nunquid ſuper his non viſitabo?* Hanc ergo viſitationem nunc agnoſcunt Chaldæi, odorantúrque pugnaturam pro ſe contra Iudæos illam calumniam, quæ tanquam fax in vrbe magnum excitabit incendium.

12. Verſ. 7. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.*] Similitudo hæc,

A vndecunque petita ſit (neque enim omnes eodem legunt, aut explicant modo) magnam ſignificat morum corruptelam: ſi enim, quod neceſſe eſt, cum Vulgato legas, *frigidam facit ciſterna aquam*, ſignificatur animi in peccatis obſtinati durities: vt enim aqua frigore conglacians, in lapidis nonnunquam duritiam concreſcit; quod tunc plerunque contingit, quando eodem ſemper loco ſtagnatur immota: ſic peccatum, in quo diu inueterauit animus; aut, quod idem eſt, animus, in quo aliquandiu peccatum inſedit, concreſcit in glaciem, aut in ſilicis modum ita dureſcit, vt neque illum emolliat aliquando ardor à Sole, aut ab igne calor vehementior, aut mallei

Animus in malitia obſtinatus.

B conterat ſæpius ingeminata percuſſio. Hieronymus cum aliis aliter accipit, ſicut aqua in ciſterna infrigidata, quicquid antea caloris habuerat, amiſit: ſic Ieruſalem, quicquid caloris habere viſa eſt, pietatis putà, vel religionis, cùm ad profundum deſcendit peccatorum, ſicut aqua in ciſternam demiſſa, totum abiecit.

Alij ex recentioribus aliter vertunt, &, quod neceſſe eſt, aliter etiam interpretantur, in quibus ſunt Hebræorum magiſtri, & omnes fermè alij, præter Vulgatum, & Septuaginta. Sic enim illi: *Sicut ſcaturire facit puteus aquas ſuas, ſic ſcaturire fecit malitiã ſuam.* Qui loquendi modus non tam duritiem, aut obſtinationem in peccando, quàm multitudinem, atque frequentiam peccatorum 13.

Animus in peccando profuſus.

C oſtendit. Neque enim nouus vnquam influxus deeſt ſcaturienti puteo, neque diu eodem in loco aquarum ſcatebræ continentur. Sed ſanè mira ſignificatur corruptela, in eo, in cuius animo ebulliunt continenter, & efferueſcunt peccata, à quo non procul abeſt vltio Diuina, multò quidem formidanda magis, quàm illa, quæ Chaldæorum armis ſcaturienti ſceleribus Hieroſolymæ inflicta eſt.

Iniquitas, & vaſtitas audietur in ea: coram me ſemper iniquitas, & plaga.] Hæc quidam putant eſſe illa, quæ in profunda peccatorum ciſterna conglaciarunt, aut quibus ille abundabat puteus, qui nouis, ſibíque perpetuò ſuccedentibus ſcatebris bulliebat. Quod ego non improbo. Alij 14.

Digna peccati retributio.

D hæc ita ſecernunt, vt duo priora ad ciues pertineant Solymitanos, qui iniquè vexant, & crudeliter ſpoliant, ac lacerant pauperes, quorum Dominus pater, ac vindex eſt: duo verò poſteriora ad Deum, qui vt alij iniquitati, ac vaſtitati ſemper intenti ſunt: ſic Deus ab infirmitate, & ab inferenda plaga nunquam deſiſtet, quam diſtributionem aut tenent, aut indicant Chaldæus, & Septuaginta, amplectitur apertè Hugo.

Ego tertiam addam explicationem, de qua lector ſtatuat, vt volet, quæ mihi magis ſolutum reddit capitis continens filum. Putabam ego, 15.

E quatuor iſta neque diuidenda, neque Hieroſolymæ tantùm aſcribenda eſſe, ſed vni attribuenda Domino; ita vt Deus ſignificet, vaſtitate, & plagis, multiplicíque pœnarum modo, & curaſſe antea, & curaturum ſe poſtea, vt illa ſoluatur glacies, quæ longo peccatorum frigore concreuit, aut ſcaturire deſinat profundus ille ſcelerum puteus. Neque obſtat, quòd iniquitas à Deo prouenire non poteſt: vt enim norunt, qui mediocriter in ſacris literis verſati ſunt, *iniquitas, impietas,* & ſimilia, pro iniquitatis ſupplicio frequenter adhibentur. Ezechielis capite 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* & ibidem: *Impietas impij ſuper eum.*

Iniquitas, pro ſupplicio.

eum. Exodi 28. *Portabit Aaron iniquitates eorum.* Ieremiæ Threnorum 4. verſu 6. *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei.* & capite 5. verſu 7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Quibus locis ſine dubio non tam peccata, quàm illorum ſignificatur ſupplicium. Ad hanc explicationem aptè ſubiicitur, *Erudire Ieruſalem*, &c. Ac ſi dicat: his pœnis inflictis à molli, atque paterna manu edocta, ô Ieruſalem, ad meliorem te cogitationem traducito, ne plaga te inimici, atque crudeli caſtigatione percutiam.

16. Verſ. 8. *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te.*] Suppliciis aliis, atque aliis, tanquam medicamentis ægro corpori adhibitis, ſanare tentauerat Dominus Iudæos, gentem ad proximum iam interitum laborantem: neque tamen illa toties admota medicina morbum depulerat. Cùm ergo Deus videret, longum illud medendi ſtudium fruſtra eſſe ſuſceptum, minatur, quod ægroto grauiſſimum videri debet, non iam ampliùs ſibi de illius ſalute laborandum, quod de Babylone dixit Ieremias capite 51. verſu 9. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Varijs modis à Deo curatam eſſe Ieruſalem, neque tamen reſipuiſſe, aut accepiſſe ſanitatem, audiuimus nuper capite 5. verſu 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* Eſt autem idem, *accipere diſciplinam*, atque *erudiri*. Cùm autem attrita, atque conciſa plagis erudita non fuerit gens illa, monet Deus, vt duritiem illam aliquando deponat, & meliora cogitet, niſi fortè veſano conſilio, magis ex vſu ſibi futurum putet, à Domino in æternum deſeri, tanquam ægrotum, cuius à medio deſperatur ſalus, quo nihil poteſt cogitari miſerius.

Miſer, à quo Deus manū amouet medicam.

Ier.c.51.

17. Animam Domini ab aliquo recedere, eſt, mollem illam, atque paternam curam deponere, qua Deus illum in officio, atque in ſuo complexu continere ſtudebat, quod non vna ſemper, & ſimplici ratione facit: reuocat enim fugitiuum ad ſe, nunc fouendo, atque indulgendo molliter; nunc comminando, ac flagellando duriùs; vtrumque verò beneficium eſt à benefica, atque paterna manu. Tunc verò anima Domini ab aliquo recedit, cùm neque nouis emollit beneficiis, neque virga corrigit, & reducit ad officium, ſed propriis relinquit deſideriis, permittitque, vbicunque velit, impunè vagari. Quod quaſi ſuppliciorum maximum obſtinatis animis minatur, & intentat Dominus. De quo grauiſſima ſunt & Scripturarum oracula, & Patrum teſtimonia. Pſalmo 80. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi: & dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.* Ezech. capite 16. ver. 42. *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, neque iraſcar ampliùs.* Gregorius homilia 12. in Ezechielem: *Peccantes quoſque tunc conſideramus ampliùs miſeros, quando eos conſpicimus in culpa ſua, ſine flagello derelictos.* vide Hieronymum in illud Ezechielis capite 7. *Non parcet oculus meus ſuper te, neque miſerebor.*

Deū ab aliquo recedere, quid.

Graue ſupplicium, à Domino deſeri.

Pſal.80.

Ezech.16.

18. *Ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitabilem.*] Propoſito eo infortunio, quo Iudæis nihil poterat contingere durius, illos ab inueterata deterret peccandi conſuetudine. Amabant illi patriam, & templum, in quo ſuam ſibi incolumitatem, & vitam ab omni aut hoſtium, aut temporum iniuria tutam exiſtimabant, quibus nihil accidere poterat acerbius, quàm templum & ciuitatem excindi, eóque redigi ſolitudinis, vt neque vllum antiquæ frequentiæ; ac gloriæ reliquum eſſet veſtigium. Quod tandem experti ſunt miſeri, quia Prophetarum voce ſæpius admoniti, pertinaci tamen obſtinatione, in eadem ſemper amentia perſtiterunt. In hac autem nu- 19.
meroſæ quondam ciuitatis ſolitudine, ſine templo, atque altari, quam ſylueſtres oppleuerunt, atque efferarunt frutices, vbi inauſpicatæ volucres, & obſcœnæ, atque truculentæ belluæ luſtra ſibi parauerunt, & nidos, ſpectare videor imaginem quandam animi, quem dereliquit Deus; in quo fœdiſſimæ vitiorum ſordes, immanes belluæ, inauſpicatæ, atque nocturnæ volucres, id eſt, damnati ſpiritus, tanquam in ſuo domicilio æternas ſibi ſedes conſtituerunt. Neque obſcura ſunt, aut incerta impuri illius gregis in animo derelicto argumenta. Nam ſicut quid in ſylnis lateat, ex ipſo ſono diſcimus, neque enim cælari diu poteſt, cùm locus ille totus dirarum volucrum clangore, ſerpentium ſibilis, belluarum fremitu, atque vlulatu perſonet: ſic etiam in animo deſerto vitia rugitu ſuo, & incondito, atque horrifico ſono, ſe, naturámque ſuam non obſcurè produnt: de quo verè poſſis illud occinere, quod de Babylone non diſſimili ſtatu, dixit Angelus Apocalypſis capite 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Vide quæ nos de animo à Domino derelicto diximus Iſaiæ capite 50. numero 8. cùm ageremus de libello repudij.

Effigies animi à Deo relicti.

Verſ. 9. *Vſque ad racemum colligent, quaſi in vinea, reliquias Iſraël.*] Indicat Dominus, quanta ſit futura vrbis quondam frequentiſſimæ ſolitudo, quod apta quadam, prouerbialíque ſimilitudine declarat. Ad explicandam omnimodam vaſtitatem non ſemel adhibent ſcriptores ſacri hanc, aut huic affinem ſimilitudinem de ſpicilegio, aut oliuis, quæ in altiſſimis ramis relictæ ſunt. Iſaias capite 17. cùm ageret de Damaſco, *Et relinquetur in ea ſicut racemus, & ſicut excuſſio oleæ*, &c. *in ſummitate rami.* idem penè capite 24. ſed hoc loco aliquid ſignificatur maius. Dicit enim Propheta ex illa vindemia neque relinquendum quidem eſſe racemum, quod indicat, funditus ciuitatem illam eſſe delendam: nam in vulgari, propriáque vindemia quantumuis attentus ſit vinitor, & auarus, relinquit tamen racemos aliquot aut immaturos, & minùs aptos torculari, aut quia perſpicaces, atque attentos oculos latuerunt: non ſic in hac vindemia, ſiue prædatione Chaldæorum, quod expreſſit Abdias numero 5. *Si vindemiatores introiſſent ad te, nónne ſaltem racemum reliquiſſent tibi?* Id planè ſignificauit Dauid multò ante hoc tempus Pſalmo 136. *Qui dicunt, exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.* 20.

Prover. Vſque ad racemum.

Abdias n.5.

Illud, *ad racemum*, ex vſu Latinorum nihil excludit: perinde enim eſt, ac ſi dicas, ad vltimum racemum, ſiue omnes racemos ad vnum, ita vt neque vnus ſit à prædatione reliquus. Quomodo etiam dicimus, ſoluere ad libellum, ſiue ad dodrantem, quando nihil omnino de debito remittitur. 21.

Obſeruandum item, vindemiam pro prædatione, ſeu vaſtitate ſumi. Iſaias capite 32. de vaſtitate Iſraël, *Conſummata eſt vindemia, collectio vltrà non veniet.* Iudicum 20. vbi Vulgatus, *Occiderunt quinque millia viros*; Hebraicè, *Racemationem fecerunt.* Idem etiam dicendum de verbo *vindemia.*

Vindemia, pro vaſtitate.

Threnorum capite 1. *Vindemia eos, ſicut vindemiaſti me*, & capite 2. *Vide, Domine, & conſidera, quem vindemiaueris.* Colligere autem vſque ad racemum, nihil eſt aliud, vt patet, quam vindemiare.

REGVLA. *Id dicimur facere, quod futurum dicimus.*

22. *Conuerte manum tuam, ſicut vindemiator ad cartallum.*] Hic loquendi modus racemationem indicat, ideſt, ſtudium illud, & laborem ſecundum, quo vindemiator ad illa ſcrutanda, colligendáque reuertitur, quæ poſt priorem curam, atque vindemiam relicta ſunt. Quod accuratiſſimè præſtitère Chaldæi, qui poſt vberem vindemiam primo appulſu è Hieroſolyma collectam, iterum, & tertiò ad racemandum redierunt. Quod etiam factum dicit Iſaias ab Aſſyriis, qui eodem modo prius alias decem Tribus populati ſunt, capite 32. *Conſummata eſt,* inquit, *vindemia, collectio vltrà non veniet.* Erit itaque ſenſus, ſi ad Chaldæos ſit ſermo: Conuerte, ò Chaldæe, manum ad cartallum, ideſt, ad caniſtrum, in quo ad torcular comportantur racemi, ideſt, iterum vindemia: nam ad cartallum reuerti, vel rurſus apprehendere cartallum, nihil eſt aliud, quàm vindemiatoris iterum munus obire, cuius inſtrumentum, & ſignum cartallus eſt. Sed credo Deum cum Propheta loqui, vt planè confirmat, quod proximè ſuccedit. Tunc verò iuxta regulam ſæpe à nobis traditam, conuertenda dicitur Prophetæ manus ad cartallum, quia prædicere iubetur racemationem iterum, ac ſæpius futuram.

23. Verſ. 10. *Cui loquar, & quem conteſtabor, vt audiat? Ecce incircuncisæ aures eorum.*] Hæc accepit, vt apparet, Ieremias à Domino, vt deinde illa eadem ad populum referat; ſed Propheta dubitat, quid faciat, alioqui ad Domini præceptum promptus, & alacer, cùm minùs aptum, atque æquum auditorem habeat, cuius nimirum aures incircuncisæ ſunt, & ad veritatem audiendam obſtructæ; quæ non niſi ad iucunda patent, atque adulatoria pſeudoprophetarum mendacia; verba tamen Dei ſubſannant, & reſpuunt.

Durum eſt in dolore loqui non poſſe.

24. Verſ. 11. *Idcirco furore Domini plenus ſum, laboraui ſuſtinens.*] Graue eſt, in dolore, aut graui animorum æſtu, cohibere ſermonem, maximè ſi vis aliqua vrgens inſtiget, & vrgeat, & in loquendo grauia ſpectentur rerum momenta. Quare non temere dixit, & ſine cauſa Eliu Iob. capite 32. *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei, & venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit, loquar, & reſpirabo paululùm.* Et Iſaias multò etiam grauiùs, & ſignificantiùs, cùm loqui vellet, neque animi ſenſus aperire poſſet, confici ſe dicebat angoribus, & dolore tabeſcere. In hunc enim ſenſum accipiunt aliqui cum Hieronymo illud Iſaiæ 24. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, væ mihi.* Loquebatur ibi de pœnis, quæ ſceleratorum exitum manebant, quas cùm intueretur, neque tamen explicare poſſet, dicebat, ex Hieronymi, aliorúmque ſententia, *Non poſſum cuncta narrare, quæ cerno: hæret lingua faucibus meis: vox dolore concluditur: væ mihi, quantus ordo pœnarum ante oculos verſatur meos?* Hoc facit, quòd vbi Vulgatus legit, *Secretum meum mihi*, multi è recentioribus cum Hebræorum magiſtris legunt, *Macies mihi.* Sic fatuus in cohibendo verbo id pati dicitur, quod fœmina in duro, ac periculoſo puerperio, Eccli. 19. verſ. 11. *A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.*

Iob. 32. Iſai. 24.

25. Id puto hoc loco Ieremiam ſignificare voluiſſe, excruciari ſe vehementer, quod cùm Diui-
A no ageretur ſpiritu, & totus æſtuaret, loqui tamen non poſſet, cùm non haberet aut obſequentes aures, aut dociles animos, idcirco ſubdit, *Laboraui feſtinans*; ideſt, vim mihi ipſi ingentem affero, dum furori Domini, quo plenus ſum, & me ad loquendum cogit, iam dudum obluctor, neque pondus iam ampliùs ipſius ſuſtinere valeo.

Quid ſit hoc loco, *furor*, non omnino certum; fortaſſe furor ſpiritus ille vehemens eſt, qui Prophetæ animum inſtimulat, atque vrget, neque illum quietum eſſe ſinit: ſic ſanè præſagus appellatur ſpiritus à profanis, cùm acrior eſt, & mentem agitat. Cicero libro 1. de Diuinatione, B *Ineſt animus præſagitio intrinſecùs iniecta, atque incluſa diuinitus: ea ſi exarſit acriùs, furor appellatur, cùm à corpore animus abſtractus Diuino inſtinctu concitatur.* Sed hoc nomen longè abeſſe puto à Prophetarum ſpiritu, qui quantumuis ſit inflammatus, & acer, nihil tamen habet, quod furoris nomine explicari poſſit: qui aliquid cæcum ſonat, & à ratione alienum. 26.

Furoris ſpiritus quid.

Potiùs ego exiſtimo *furorem* pro vaticinio ſumi, non tamen quatenus furor mentem abripit, redditque cæcam, atque impotentem ſui: ſed quatenus iratum ſonat, aut offenſum animum, ea figura, qua cauſa ponitur pro his rebus, quæ oriuntur ex cauſis, quomodo indignatio aut ira pro ſuppliciis vſurpantur, quæ ab ira, & indi-
C gnatione prouenêre. Michæas cap. 7. *Iram Domini portabo.* Sic Iſaiæ cap. 13. dies Domini dicitur plenus indignationis, iræ, & furoris; quia Diuini furoris argumenta ſecum afferat: cadent enim ſtellæ, obſcurabitur ſol: ſic ergo, quia vaticinium durum, & minax à Dei furore, atque indignatione prouenit, furor appellatur. Puto igitur ideo affirmare Ieremiam, furore ſe Domini repleri, neque illius pondus ſuſtinere poſſe, quia vaticinium acceperat durum, quod in Iudæorum populum intorqueret, & vi illius intrinſecùs vrgente, loqui cogeretur, neque auderet, aut poſſet vtiliter efferre, quia animos habebat ad illa Diuina monita non ſolùm difficiles, ſed
D etiam aduerſos, atque adeò ſubſannantes. 27.

Ira atque indignatio, pro ſupplicio.

Effunde ſuper paruulum foris, & ſuper conſilium iuuenum ſimul: vir enim cum muliere capietur, ſenex cum pleno dierum.] Vbi Vulgatus, *effunde*, Hebraicè eſt, שפך *ſephoc*, quod Septuaginta *effundam*, conuerterunt, quod etiam Tigurina fecit, & Vatablus. Ego vt vtranque tranſlationem in eandem componam ſententiam, illud, *effunde*, de Ieremia ad Ieremiam ipſum refero; ita vt ſecum ipſe loquatur, ſéque cunctantem, atque torpentem acuat, vt tandem vaticinium Diuinæ plenum indignationis in populum effundat. Ita putat Caſtrus: aliorum alia mens. Ego, vt in ſimili nuper dixi, puto Ieremiam effundere iube-
E ri furorem, ideſt, minax vaticinium, quia quid futurum poſtea ſit, prædicere iubetur. Hæ verò propheticæ minæ nulli ætati, ac ſexui, nulli ordini, ac dignitati parcunt: non paruulis, qui foris, atque in plateis luſitant; non iuuenibus, qui ad alia ſuæ ętatis oblectaméta, ac ſtudia ſuos habent conuentus; non fœminis, à quibus abſtinere ſolet hoſtile ferrum; non ſenibus, ac plena iam ætate decrepitis, quorum veneranda canicies, & ætas iam exhauſta, retardare ſolent armatas ad plagam atque intentas manus. Hæc eadem, atque eodem penè ordine numerat Ieremias Threnorum capite 5. affirmátque eſſe à pueris, iuueni 28.

iuuenibus, fœminis, ac ſenibus illa tolerata, quæ nunc ab iiſdem ſubeunda fore prædicit.

Dierum plenus quis.

29. *Cum pleno dierum.*] Quis ex ſacræ Scripturæ vſu plenus dicatur dierum, diximus ad illud Iſaiæ capite 38. *Ego dixi, in dimidio dierum meorum.* Dicitur autem ille, qui paſſus non eſt dies ſuos abire à virtutum exercitatione vacuos. De quibus ita Hieronymus in illum Iſaiæ locum. *Sancti implent dies ſuos, qualis fuit Abraham, qui mortuus dicitur plenus dierum in ſenectute bona.* Et Gregorius in illud Iob. 42. *Et mortuus eſt ſenex plenus dierum. In ſacra,* inquit, *Scriptura non facilè plenus dierum ponitur, niſi is, cuius per eandem Scripturam vita laudatur.* Hoc tamen in loco plenus dierum ille dicitur, qui ad longam vſque ætatem vitam produxit; quem Latinus grandæuum, aut decrepitum vocat. quod ex eo ſit veriſimile, quia hîc de moribus, vt apparet, nullus, ſed tantùm de ætate, ac ſexu, ſermo eſt. Deinde, quia cùm nullus ſtatim in tanta ciuitate dicatur eſſe iuſtus, non aptè in plenos dierum, ideſt, iuſtos, ſæuituri Chaldæi dicerentur. Quare *plenus dierum* diuerſum aliquid indicat, quod cum ætate potiùs, quàm cum virtute coniungas.

30. Verſ. 12. *Et tranſibunt domos eorum ad alteros, agri, & vxores pariter.*] Hæc iam ſubiiſſe Iudæos, poſtea lamentatur Ieremias Threnorum 5. num. 9. *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos.* & ibidem numero 11. *Mulieres in Sion humiliauerunt.*

Securitas à Propheta falſo.

31. Verſ. 14. Et *curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax.*] Hæc de Sacerdotibus, atque Prophetis, de quibus proxime, qui contritionem imminentem putà ciuitati, perfidiosè, & quaſi per ludibrium curabãt, ideſt, otioſos, & vacuos eſſe ab omni metu iubebant, quaſi vanæ eſſent, & nugatoriæ Prophetarum minæ. Vbi noſter, *cum ignominia,* Hebraicè eſt, נקלה *necalah*, quod leue aliquid, vel futile importat; quare quidam exponunt, leniter, aut

Concionator falſus.

molli, vt aiunt, brachio, curatam eſſe plagam, cùm tamen contritio illa, ſeueram medicinam expoſceret, & quæ dolorem faceret. Alij cum eleuatione, ideſt, eleuantes, aut leuiſſimũ eſſe dicentes illud malum, quod grauiſſimum eſſe clamabant Prophetæ. De his eſt illud Ezechie-

Ezech. 13.

lis cap. 13. numero 10. qui cùm paries hiſceret, minareturque proximam ruinam, rimas tamen obliniebant luto abſque paleis, & cùm pacis ſpes eſſet nulla, ipſi tamen pacem, atque otium promittebant. Idem valet, quod eodem capite dicitur, numero 18. *Væ, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis.* Nam cùm bellum omne, ac metum remouerent, ſecurè miſeros, & molliter dormire faciebant, quo tempore excubias agere, & in patriæ, vitæque defenſionem incumbere magis è re foret.

32. Hæc mihi neque coacta videntur, neque abs re; ſed credo commodiorem eſſe ſententiam, ſi illud, *cum ignominia*, aut ad veros Prophetas referas, quos pſeudoprophetæ ignominiosè repellebant, tanquam deliros, eleuata illorum fide, quaſi mendaces funderent, & vacuos à ſana mente ſonos. Aut, quòd verius puto, cum ignominia Iudæorum, quos in falſam coniiciebant ſpem, dum nihil illorum euenturum eſſe dicerent, quæ in ipſorum caput Prophetarum voce denunciabantur. Ita vt idem ſit, *cum ignominia curare*, atque curare ad ignominiam; illorum vtique, quos falſa lactabant ſpe. Quod valde ſuadent, quæ deinde ſuccedunt: in quibus, vt vides, populus blanda aſſentatione deceptus, confuſus eſſe dicitur, aut certè debuiſſe confundi. Quæ verba eodem penè modo redeunt capite 8. numero 11. vbi Vulgatus eadem verba Hebraica non, *cum ignominia,* reddit, ſed, *ad ignominiam.* quod poſtremam explicationem maximè confirmat.

Illud, *Pax, pax, & non erat pax,* aliquid olet pro- 33.
uerbiale; qua dicendi forma vſus eſt Ieremias iterum capite 51. numero 11. & Ezechiel capite

Spes falſa.

13. Hæc autem verba Hieronymus Doctoribus, ac Sacerdotibus accommodat, qui diuitibus, & eis, quos cum poteſtate eſſe vident, blandiuntur, & aſſentantur, promittúntque ſecunda omnia, & ab omni metu, atque angore liberant, quo tempore illorum animos pungere, & concutere metu debuiſſent. Qui dum aut ſcelus eleuant, aut Deum clementem eſſe dicunt, illos ſupplicio, atque iracundiæ præparant, diſponúntque gehennæ, neque minùs fructus pacis ſperari poteſt, quàm cùm ſæpius, & clariùs nomen auditur pacis.

Verſ. 15. *Confuſi ſunt, quia abominationem fece-* 34.
runt, quin potiùs confuſione non ſunt confuſi.] Hieronymus hæc cum interrogatione putat eſſe legenda, *Cùm tanta* (inquit) *fecerint, nunquid confuſi ſunt? nunquid erubuerunt in ſceleribus ſuis? Quin potiùs,* &c. Alij affirmatiuè interpretantur, quaſi confuſionem ſubierint Iudæi, ſuorum ſcelerum fœditate comperta. Ego vtroſque ſic puto conciliari, atque in eandem ſententiam adduci poſſe, ſi illud, *confuſi ſunt,* pro *confuſione dignis* poſitum eſſe dicas.

REGVLA. Illud fieri dicitur, quod dignũ eſt vt fiat, aut quod fieri debet.

Eſt enim in ſacra Scriptura frequens, vt ſæpe diximus ſuper Iſaiam, maximè capite 53. numero 12. vt ſecundus actus, vt dicunt Logici, ponatur pro primo, ſeu, quod idem eſt, vt illud dicatur eſſe factum, quod vt fieret, aut rerum natura, aut vitæ, morúmque dignitas exigebat. Quomodo Chriſtiani in Eccleſiæ principio dicebantur Sancti, quia Chriſtianum inſtitutum, & Chriſtianorum vitam ſanctitas decebat. Et candidati, vt docet Seneca epiſtola 3. *boni* ſalutabantur, quia nullus Magiſtratum ambire poterat, niſi *bonus.* Quo ſenſu explicabamus Iſaiæ 53.
illud Iſaiæ 53. *Nec deſiderauimus eum.* ideſt, nec talem illum vidimus, vt eius aſpectus eſſet deſiderabilis, humano nempe modo. Plura exempla habes in noſtris Commentariis ad illum Iſaiæ locum. Erit igitur ſenſus, confundi ſanè Iudæi, atque erubeſcere debuiſſent, ſi, quid exigerent eorum merita, conſideraſſent: ſed quia aut propter inertiam nolunt, aut propter ſtuporem non aſſequuntur, ideo aut noluerunt, aut neſcierunt erubeſcere.

Quamobrem cadent inter ruentes.] ideſt, erunt ex eorum numero, qui cadent in prælio, aut ruent cum aliis. Quomodo Pſalmo 25. dicitur: *Lauabo inter innocentes manus meas.* ideſt, cum innocentibus, tanquam vnus ex ipſis.

Verſ. 16. *State ſuper vias, & videte, & interrogate* 35.
de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium.] Iubet Deus, vt vias Iudæi repetant, & recognoſcant antiquas, quas nempe ipſe parentibus olim præfiniuit, & illis inſiſtant, ſi modò ab his, quæ impendent, malis liberari volunt. Quòd ſi ipſi longo iam errore ſeducti, & oculis propter peccandi conſuetudinem cæcis, minùs viam illam intueri poſſunt; rogent Prophetas, & Doctores, & ab illis quæ ſit vitæ, ac

liber

libertatis via doceantur. Hæc eadem iubet Moyſes Deuteronomij 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. Interroga patrem tuum, & nunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Vide ſingularem Dei clementiam, qui deſperato populo, adhuc tamen medicinam adhibere non ceſſat.

36. *Et dixerunt: Non ambulabimus.* Hæc vox obſtinati animi eſt, qui nolit, aut ignaui, qui pigritetur ſemitam quærere, & de illa à peritis, & ducibus percontari. Quare tantæ humanitati præciſè, atque inuerecundè reſpondent, *Non ambulabimus*; ac ſi dicant, nobis iam omnino definitum eſt, ab ea, quam ſuſcepimus, via non eſſe recedendum: quare fruſtra nos aut ad viam reducis antiquam, aut ad eius magiſtros.

Peccator inuerecundus.

37. Verſ. 17. *Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores: Audite vocem tubæ.*] Quis poſt inuerecundam illam vocem populum adeò ſtolidum non abieciſſet in æternum? quis adhuc inueterato vlceri medicam manum admouere pergeret? Vide, quò Diuina prouehatur clementia. Ne laborem vllum aſſumerent ignaui illi, ſeu obſtinati homines, Deus vltrò magiſtros viæ, ſeu ſpeculatores offert, qui viam oſtendant, claméntque quotidie, & ad naturalem vocem, quæ minùs longè ſonat, tubæ quoque clangorem adiungant. Sed quid illi reſpondeant, audite.

Dei ſingularis lenitas, & patiētia.

38. *Et dixerunt: Non audiemus.*] Hæc planè obſtinati conſilij vox eſt, quæque nullum iam relinquit aditum admonitioni Diuinæ, quando non ſolùm animus ad amplectendum, ſed etiam auris ad audiendum ſalutare documentum obſtruitur. Cùm verò eò ventum eſt, illud eſt reliquum, vt obduratus animus confeſtim audiat horribilem illam vocem: *Ecce ego adducam mala,* &c.

39. Verſ. 18. *Audite gentes, & cognoſce congregatio.*] Futuri erant ex Gentibus, atque etiam ex Iudæorum genere non pauci, qui mirarentur populum illum electum à Deo, tantóque illatenus in honore habitum, tam graui affectum ignominia, tam latè, ac durè fuiſſe conciſum: quare in Deo aut ad propugnandum, ſeruandúmque potentiam, aut ad ſeruanda promiſſa, fidem defuiſſe ſuſpicari poterant. Horum ergo cogitationibus occurrit Deus, dum electi ſibi quondam populi obſtinatum, atque procacem animum, & in omnem inuerecundiam proiectum eſſe dicit: neque ſibi fidem, aut vires ad ſaluandum, ſed populi, vt ſaluaretur, pudorem, & merita defuiſſe.

Dei iuſta iudicia.

Verſ. 19. *Fructum cogitationum eius.*] Reddo illis iudicium, quod ipſorum cogitationes, & veſani ſpiritus exigebant: ex longa, quam fecerunt peccatorum ſementem, hos retulerunt fructus. Idem poſtea Dominus Ieremiæ capite 17. *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum.* Obſerua dicendi modum, qui maximè eſt ad mores. Erant in hoc populo opera ex ſuo genere non mala, imò ſi adeſſent cætera, religioſa ac pia, qualia ſunt, quæ ſtatim numerantur, *Thus de Saba, & calamus de terra longinqua,* qui fructus erant arborum nobilium, quæ pretioſa ſtillant aromata. Sed Deus non reſpicit hos fructus, ſed fructus cogitationum, i. cordis, quæ cùm corruptæ ſint, corruptos eſſe dicit. illarum fructus, vtpote de radice non bona.

Magis animus quàm nutus ſpectandus.

40. Verſ. 20. *Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum de terra longinqua?*] Populus ille vſque adeò in omni vitiorum genere proiectus, ſatis ſuæ ſaluti conſultum eſſe putabat, ſi in templo, quod ſibi æternum fore præſidium arbitrabatur, quotidiana obirent ſacrificia, & ex regionibus longè ſummotis peregrina comportarent aromata. At hæc Deo faſtidium mouent, & nauſeam, quia à ſcelerato animo, & ab impuris manibus offeruntur. Quod ſacrificiorum faſtidium, atque abominatio grauiſſimis verbis ſæpe in ſacra Scriptura ingeminatur. Sed eſt grauiſſimus locus apud Iſaiam capite 1. vbi propter animi ſordes, & manus ſtillantes ſanguine victimæ reprobantur, & ſuffimenta: *Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra,* &c.

Thus pro omni aromate vſurpatur, tanquam nobiliſſimum, tum quia ad res ſacras frequentiùs adhiberi ſolitum, vnde thus appellatum à θύω, quod eſt *ſacrifico,* ſeu *adoleo.* De Saba dicitur adduci, quia illud omnium nobiliſſimum eſt. Quare apud profanos Sabæi thuris prima laus. Plinius libro 6. cap. 18. *Sabæi Arabum propter thura clariſſimi.* Georg. 1. Virgilius: 41.

Thus & Saba nobile.

---- Molles ſua thura Sabæi.

Et lib. 1. Aeneid.

---- centúmque Sabæo
Mille calent aræ. ----

Et facit huc valde illud Iſaiæ capite 60. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes.* Quæ verò ſit hæc Saba, & qua ratione ab illa diſtinguatur, vnde Regina profecta fuiſſe traditur ad Salomonem, diximus in noſtris Commentariis ſuper modò citatum Iſaiæ locum.

De calamo res eſt magis incerta. Quidam cinnamomum eſſe putant, & facit ad hanc ſententiam, quòd Sabæa regio non ſolùm thuris, ſed etiam cinnamomi ferax eſſe dicitur à Strabone libro 16. Sed mihi veroſimilius eſſe, genus illud aromatis, quod Hiſpanus *canela* vocat, quod ſuadet & vox ipſa Hebraica, קנה *caneh*, à qua non longè abit vox *canela.* Et quia calamus iſte allatus eſſe dicitur de terra longinqua, qualis certè non eſt Saba. Longinquam ergo terram Indiam putat eſſe Hieronymus, vnde Salomoni pretioſa aduehebantur aromata. Ex India porro canelam in noſtrum orbem aſportari, res eſt ætate hac noſtra ſatis explorata. Qua de re nos pluribus ad illud Iſaiæ cap. 43. *Non me inuocaſti Iacob;* & in illud Canticorum 4. *Fiſtula, & cinnamomum.* illa tu vide. 42.

Calamus quid.

Verſ. 23. *Sagittam, & ſcutum arripiet: crudelis eſt, & non miſerebitur.*] Naturam truculentam, atque implacabilem deſcribit hoſtis Babylonici, quem ab Aquilone Deus inuehet in Iudæorum fines. Quàm durum fuerit Chaldæorum ingenium, experti ſunt Iudæi, tum in patria ſuâ, longo obſidionis tempore, tum in aliena, quando in exilium abducti tyrannicum illorum iugum ſubierunt. Deſcripſit eodem propè modo Chaldæorum mores, & ingenium Iſaias capite 5. ad finem, vbi arcuum, & equorum meminit, & vocis inſtar maris frementis. 43.

Verſ. 24. *Audiuimus famam eius, diſſolutæ ſunt manus noſtræ.*] Ethopœia hæc eſt populi ſolliciti, extremáque omnia ab hoſte vicino metuentis! Oſtendit autem Deus, quid animi Iudæorum populo futurum ſit, cùm vis aliqua potentior ingruerit, quemadmodum diſſolutæ manus minùs erunt ad militare munus idoneæ, dolebúntque vbi hoſtium concrepuerint arma: non aliter atque ægra mulier in duro, atque pericuLoſo puerperio: séque viciſſim hortabuntur, vt intra ciuitatis 44.

tis clauſtra ſe contineant: neque velint ſe foras
efferre, atque in hoſtium conſpectu vllo modo
prodire.
45. Verſ.26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere.*] Hæc verba Dei ſunt, vt magis faciunt probabile ſequentia; neque valde refert, ſi
illa Ieremiæ tribuamus, quæ infortunatum exitum, & ſtatum ærumnoſum denunciant Sioni,
dum illa cilicinum ſaccum, & cineris aſperſionem indicunt. Nam iſta in graui aliqua calamitate adhiberi ſolita, ſatis notum, ac repetitum
eſt in Scriptura ſacra. Quod in eo rerum articulo, de quo nunc eſt ſermo, feciſſe dicuntur
Iudæi à Ieremia Threnorum capite 2. numero
10. *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion: conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis.*
46. *Luctum vnigeniti fac tibi.*] Luctus indicitur maximus Sioni, qualem impendere mater ſolet
morienti filio, quem habet vnicum: vt autem
amor vnigeniti pro amore ſumitur ardentiſſimo,
prouerbiali, vt reor, ſpecie: quia materni animi
vis in vnius amorem tota confertur: ſic etiam
vnigeniti luctus in doloris acerbiſſimi amplificationem aſſumitur. De priori eſt illud 2. Regum
capite 1. Dauid de Ionatha: *Sicut mater amat vnicum filium ſuum, ita ego te diligebam.* Quæ loquendi forma apud profanos non infrequens. Vnde
ortum eſt illud, *vnicè amare*, ideſt, vehementer.
De luctu vnigeniti plura ſunt exempla. Amos
capite 8. *Ponam eam quaſi luctum vnigeniti.* Zachariæ 12. *Plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum:*
quod etiam apud profanos familiare. Cicero pro
Roſcio Amerino, & Philip. 9. eo ſe modo dicit luxiſſe Rempublicam, quo mater ſolet vnigenitum
filium.

Prov. Luctus vnigeniti.

2. Reg. 1.

47. Verſ.27. *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum.*] Quidam è recentioribus cum Rabbi Dauid vocem Hebraicam בחון *bachon*, munitionem,
aut arcem interpretantur, qui non ſatis conſideraſſe videntur, quàm malè cum iſta lectione reliqua in eandem conueniant allegoriam. Multò
Vulgatus meliùs, & Septuaginta reddiderunt,
probatorem, ſeu, *examinatorem*, qui exploret, & expendat, quid aurum, vel argentum admixtum
habeat ignobilis alterius metalli. Aut, quod
magis facit ad ſermonis filum, vt purget metallum illud, cui alieni metalli exoticæ ſordes inoleuerunt, illúdque recudat, eóque renouet, atque
refingat modo, vt à Deo admitti, atque probari
poſſit. Quæ probatio, aut purificatio metallifieri debet more omnino prophetico, monendo,
arguendo, terrendo, exprobrando. Quod quia
animum deſiderat conſtantem, & pectus adamantinum, addidit Deus, *robuſtum*, ideſt, fortem,
impauidum, quem neque aliorum temorentur
minæ, neque vis vlla ab ſtatu commoueat. Idem
quoque pollicitus fuerat capite 1. quando munus illi contulit prophetandi, ideſt, probatorem
fecit, ſeu conflatorem, aut purgatorem argenti.
Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum areum ſuper omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius, &c. & bellabunt aduerſùm te, & non praualebunt. Quam Dominus fortitudinem, atque conſtantiam indidit eis,
quos ad arduum probationis, aut conflationis
negotium deſtinauit. Ezechiel. capite 3. *Vt adamantem, & ſilicem poſui faciem tuam, ne timeas eos.*
Et Michææ capite 3. *Repletus ſum fortitudine ſpiritus Dei, iudicio, & virtute, vt annunciem Iacob ſcelus*
48. *ſuum.* Quare qui probator, aut conflator eſſe

Viro Apoſtolico animus debet eſſe robuſtus.

Iis, quos Deus mittit, animos inſpirat audaces.

A vult, robuſtus ſit oportet, neque alio ſpiritu
animatus, ſeu afflatus, quàm Diuino. Quem
verò Diuinus ſpiritus ad probandos mittit,
ſeu conflandos peccatorum animos, non eſt
quòd horreat hominum minas, & infenſas manus.
Verſ.28. *Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt.*] Præſtitit quod iniunctum fuerat negotij 49.
probator, aut explorator, & conflator Ieremias:
cúmque omne adhibuiſſet propheticum, & quaſi
argentarium inſtrumentum, nihil ſyncerum, nihil à ſcoria, ſeu rubigine purum deprehendit.
Quare poſtquam fornaci aſſediſſet, propheticè
dixit: *Omnes iſti Principes declinantes*, &c. & accom-
B modatè ad argentarij metaphoram addidit, *æs, & ferrum*; ac ſi dicat, nihil in illis eſſe aureum, aut è
pretioſo metallo, ſed è vili, futilique materia:
Aut id, quod aureum eſſe videbatur, habere plurimum ferri, atque æris admixtum. ideſt, monetam eſſe non probam, ſed adulterinam, quod
proximè ſignificarat, cùm dixit, *ambulantes fraudulenter.* Quod clariùs expreſſit Iſaias capite 1.
numero 22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua.* Vide quæ in hunc
Iſaiæ locum in noſtra Commentaria contulimus, quia in reprobam iſtam pecuniam plurimum faciunt.
Verſ.29. *Defecit ſufflatorium.*] Contexitur in 50.
C eadem metaphora conflatoris Ieremiæ labor, &
ſudor, qui omne in ſe adhibitum ſtudium, & conflatoris prophetici inſtrumentum docet, & conatum omnem irritum excidiſſe queritur: cùm
tamen in tam dura fornace ſordes excoctæ non
fuerint. Nunc quænam ſint conflatoria iſtæc,
ſeu purgatoria inſtrumenta, videamus.

Deus quomodo obſtinatum animum emolliat.

De ſufflatorio propriè nemo dubitat: ſunt
enim folles è pelle compacti, qui accipiendo,
reddendóque ſpiritu fornacem ventilant, & ac- 51.
cendunt. De ſufflatorio metaphorico res eſt
obſcura, & variè ab Auctoribus accepta. Mihi
conſentaneum ad venti ſeu ſpiritus naturam videtur, in ſufflatorio auram continenter inſpirante, aut inſpirationem intelligi Diuinam, quæ
D tunc defeciſſe exiſtimatur, cùm Dominus peccatorem deſerit, ſuæque voluntati, atque concupiſcentiæ permittit, quo ſenſu nuper diximus
verſu 8. ad illud, *Ne fortè recedat anima mea à te:*
aut certè Prophetæ vox, quæ aura quædam eſt
à pulmonibus per fauces tanquam à quibuſdam
follibus efflata. Quæ defeciſſe dicitur, aut quia
prophetiæ defecit, quæ auram inſpirat Prophetæ, quam deinde in populum effundat, aut quia
vox aſſidua clamandi contentione defeſſa eſt, &
ad rauim obtuſa. Eſt autem graue à Domino
ſupplicium, cùm aut ipſe relinquit obſtinatum
hominem, ſicut medicus ægrum, de cuius ſalu-
E te deſperat, aut quando Prophetæ, ſeu Concionatoris, ne poſſit, aut ne audeat clamare, ſpiritus præcluditur.

Inſpiratio contempta.

In igne conſumptum eſt plumbum.] Sentiunt cum 52.
Hieronymo, Theodoreto, & ſancto Thoma
complures alij, in expiatoria fornace admiſceri
ſolere plumbum argento, vt, dum vtrunque in
camino liquatur, quod decoqui de argento debuit, id de plumbo conſumatur, & pereat. Plumbum pro quacunque alia materia, ſeu adminiculo ponitur, quod ad conflandum, atque purgandum argentum adhibetur. Dum autem plumbum dicitur eſſe conſumptum, omnia ſignifican-
tur

tur adiumenta conſumpta, quæcunque illa ſint, quibus ad expiatorium illud opus vtuntur artifices. In ſenſu ergo allegorico ſignificari puto, nihil iam eſſe reliquum, quod in peccando iam pridem obduratis animis admoueri poſſit. Quē ſtatum peccatoris, ſuique animi affectionem in eo rerum veſtigio ſæpe declarauit Deus graui oratione, neque minùs quàm hoc loco ſignificante Iſaia cap. 1. *Super quo percutiam vos vltrà.* quaſi dicat, exhauſi pharetram, & nullum doloris ſeu expiationis genus omiſi. *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*, &c. *Hæc vox,* inquit Baſilius in illum Iſaiæ locum, *animi eſt non habentis in promptu quid ſtatuat, & deſperantis correctionem.*

53\. *Fruſtra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ.*] Eadē etiam ſentētia, & ſub allegoria ſimili expreſſa eſt ab Ezechiele ca. 24. num. 12. *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis: ſed neque mundaberis priùs, donec quieſcere faciam indignationem meam in te.* ideſt, efficies, dum in tam aſſidua, atque efficaci fornace purgari non vis, vt defatigatus iam quieſcam, & ab expiando ceſſem: relinquámque te tanquam impurum, & reprobum argentum in ſordibus tuis, indignum menſa, atque abaco, & ſterquilinio digniſſimum.

54\. *Obſtinati animi periculum.* Verſ. 30. *Argentum reprobum vocate eos.*] Sicut nomen v.g. Dei pro Deo ipſo ſumitur, ſic quod huic affine eſt, vocari aliquid tale, idem eſt, atque tale eſſe, vt pluribus oſtendimus ad illud

A Iſaiæ capite 62. *Sed vocaberis voluntas mea in ea.* Sicut autem probum argentum, ſeu moneta dicitur, in qua nihil eſt doli, quia argentum purū eſt, & ſine vlla metalli vilioris admixtione: ſic reprobum argentum dicitur, quod vile aliquod metallum habet admixtum, aut lacunam aliquam, quæ de legitimo pondere aliquid decoxit: ſed hîc de impuro, ac rubiginoſo argento ſermo eſt, quod Dominus reprobat, ac proiicit, quia propter operam in eo toties inutiliter poſitam, purgatricem ampliùs manum admouere non vult. Quo in ſtatu eſſe videbatur Ieruſalem, cui, cùm eſudiri nollet, aut expiari, dixit illi Dominus minacibus verbis: *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat à te anima mea.* & Babylon, de qua Ieremias cap. 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.*

B Eandem ſententiam, ſub alia tamen allegoria, expreſſit Paulus ad Hebræos capite 6. *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas, ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Talis fuit illa vinea, de qua Iſaias capite 5. quæ poſt longam ac ſedulam vinitoris curam expectata, vt faceret vuas, labruſcas fecit, cui tanquam reprobæ diruta eſt maceria, & negata pluuia; talis ficus, qui, quia nullum agricolæ operæ rependit fructum, ſecurim expectat. Ad extremum accipe quod ad hoc Pauli teſtimonium adducit ſanctus Thomas. *Quòd ergo aliquis frequenter rigetur præceptis ſalutaribus, ſignum eſt reprobationis, ſi perſiſtat in peccatis.* Hæc de capite ſexto. 55. *Peccator à Deo derelictus.* *Reprobationis ſignum.*

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS VII.

IVBETVR Ieremias ad templi ianuas futura populi infortunia denunciare, quod ipſe facit diligenter; & primùm docet, non eſſe cur Solymitanum templum animos populo addere debeat; aut ſpe veniæ propter externa ſacra concedendæ, ſpiritus alere ad peccandum audaces. Quàm verò vaſtam illam, & operoſam templi molem parui faciat, vbi interna deſideratur ſanctitas, exemplo docet tabernaculi, quod propter parentum ſcelera tranſtulit de Silo. Cùm autem inſano omnes ardore in idolorum ſtudia, ac cultum ſedulam impendant, ac ſollicitam operam, graue omnibus exitium minatur, futurúmque dicit, pro numero illorum, quibus aut fame, aut hoſtili ferro moriendum eſt; non ſatis fore in vrbe ad ſepulturam ſpatij, ſed aceruatim in vallem Gehinon fore ad volucrum, immaniúmque ferarum pabulum proiiciendos.

IEREM. CAP. VII.

1. *VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens:*

2. *Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum iſtud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominum.*

3. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & habitabo vobiſcum in loco iſto.*

4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.*

5. *Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra: ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius,*

6. *Aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis:*

7. *Habitabo vobiſcum in loco iſto: in terra, quam dedi patribus veſtris à ſæculo & vſque in ſæculum.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. HOc eſt verbum, quod à Domino Ieremias accepit:

2. Sta, ô Ieremia, ad oſtium templi, per quod ingrediuntur frequentes è populo; & eos in hunc modum alloquere: Audite verbum Domini, viri Iuda, qui vt adoretis Deum, per has portas in templum frequenter intratis.

3. Hæc dicit Dominus exercituum: Curate vt viæ, cogitationéſque veſtræ rectæ ſint, & in hoc ipſo loco vobiſcum ha-
B bitabo.

4. Nolite falſis abduci pſeudoprophetarum, aut inſipientum vocibus, qui oblatis in templo ab impiis etiam manibus ſacrificiis, omne ſcelus expiari poſſe credunt: neque vobis tam ſit in ore templum Domini, quo ſtante nihil arbitramini accidere poſſe contrarij.

5. Quoniam ſi inſtituta, conatúſque veſtros in finem direxeritis rectos, ſi eorum, qui iure inter ſe legitimo diſceptant, cauſam integrè, incorruptéque iudicaue-
C ritis:

6. Si viduis, aduenis, & pupillis nulla à vobis illata fuerit calumnia, nulla fraus intenta, ſi in loco hoc abſtinueritis ab innocente ſanguine, neque diis adhæſeritis alienis, quod vobis perniciem afferat extremam:

7. In hoc ipſo loco in aliud, atque aliud ſæculũ vobiſcum habitabo in terra, quam parentibus olim veſtris attribui.

8. *Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis:*

A 8. Sed vos in ſpem vanam mendaces alliciunt, abducúntque ſermones, qui nulli vobis vſui futuri ſunt.

9. *Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis.*

9. Fallaci Prophetarum oratione decepti, veſana confidentia deluſi, licere vobis quodcunque collibuerit arbitramini, atque ideo neque faſtiditis, neque turpe ducitis, cædem, furtum, adulterium, periurium; neque libare Baalim, & deorum, quos ignoratis, adhærere veſtigiis.

10. *Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: Liberati ſumus, eo quòd fecerimus omnes abominationes iſtas.*

10. Veniſtis tamen in templum, ſtetiſtis in conſpectu meo, & vbi nomen imploratur meum, fallaci ſpe lactati dixiſtis: B Ab his abominationibus, quas admiſimus, noſtra nos ſacrificia abundè expiarunt.

11. *Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? ego, ego ſum: ego vidi, dicit Dominus.*

11. Nunquid domus mea, meo conſecrata nomini, quæ à peccando prohibere debuit, propter veniæ ſpem, quæ in templo exiſtimatur eſſe parata, occaſioni peccandi vobis fuit? quemadmodum ſpelunca, vbi ſe, direptámque prædam latrones occultant, illorum alit vim, & audaciam? Ego, qui viuus ſum, & verus Deus, ego, inquam, vidi cogitationes, & ſtudia veſtra, quibus C quid debeatur ſupplicij non ignoro.

12. *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël.*

12. Si ſcire vobis animus eſt, quo loco apud me ſit templum, quod tantam vobis confidentiam parit, ite ad Silo, vbi tabernaculum quondam fuit à Moyſe conſtructum: vbi ego in principio, ſicut in templo poſtea ſtabile mihi fixi domicilium. Ac tandem expendite, quid ego de illa propter populi peccata veſtris quàm ſimillima actum eſſe voluerim.

13. *Et nunc, quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus ſum ad vos manè conſurgens, & loquens, & non audiſtis: & vocaui vos, & non reſpondiſtis:*

13. Et nunc, quia talia vobis admiſiſtis ſcelera, qualia veſtri quondam parentes, non maiori vobis erit præſidio templum à D Salomone, quàm parentibus antea tabernaculum à Moyſe constructum. Loquutus ſum ad vos multo manè; multò, inquam, antè, quàm inſtaret ab hoſte calamitas, neque dociles admouiſtis aures: vocaui vos, neque me tamen reſponſione dignum exiſtimaſtis.

14. *Faciam domui huic, in qua inuocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco, quem dedi vobis & patribus veſtris, ſicut feci Silo.*

14. Fiet ergo de domo hac, quæ mei nominis inuocationi dedicata eſt, quæ veſtram tantopere confidentiam alit; & de loco, quem vobis, patribúſque veſtris incolendum dedi, quod olim de Silo.

15. *Et proiiciam vos à facie mea, ſicut proieci omnes fratres veſtros, vniuerſum ſemen Ephraim.*

15. Et vos ab hoc loco, atque conſpe-E ctu meo procul expellam, ſicut antè decem Tribus vobis generis ſocietate coniunctas, quibus ex Ephraimitico ſemine Dux, & Princeps imperabat, procul à ſuis ſedibus abieci.

16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.*

16. Tu ergo, ô Ieremia, orare noli, noli vrgere precibus, abſtineto à laudibus, quas orationi plerunque pietas aſſociat. Neque te pro populo, furori meo ſupplicem opponas: neque enim vt maxima voce,

17. *Nônne*

ce,

17. Nónne vides quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem?

18. Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam prouocent.

19. Numquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? nónne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui?

20. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper viros, & ſuper iumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur, & non extinguetur.

21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes.

22. Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocauſtomatum, & victimarum.

23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt bene ſit vobis.

24. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis ſui mali: factíque ſunt retrorſum, & non in ante,

25. A die qua egreſſi ſunt patres eorum de terra Aegypti, vſque ad diem hanc. Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diem, conſurgens diluculo, & mittens.

A ce, orationéque contendas, quod petis, exorabis.

17. Nónne vides eò eſſe proiectam Iudæorum inſaniam, vt in plateis, atque omnium oculis ſuæ impietatis, atque perfidiæ publica documenta defixerint?

18. Nónne vides, quemadmodum in familia tota nemo ſit, qui ſtudij aliquid, atque operæ non conferat in execrandum idolorum cultum? Vt enim placentæ, ac libamenta alia pro deorum altaribus parentur, filij colligunt ligna, focum inſtruit pa-
B ter, mater, quod in farina purum eſt, ac delicatum magis, ſubigit, vt placentæ fiant in lunæ, externorúmque deorum obſequium. Hæc verò eo ſtudio faciunt, vt ægrè meum afficiant animum, aut faciant dolorem, cui admiſceri plerunque ſolet iracundia.

19. Sed longè ipſi falluntur, dum iracundia, cui dolor ineſt, & ægritudo, tangi me poſſe credunt. Quare iſta dolorem mihi non faciunt: me etenim nulli turbant, aut compungunt affectus, ſed auctoribus ſuis confuſionem, atque ignominiam pa-
C riunt.

20. Vt nemo eſt, qui in nefarium cultum aliquid non impendat operæ, ita nihil erit, in quod meus non inflammetur furor. Non enim templo parcam, non viris, non iumentis, non hortis, non agris, in quos ſic graſſabitur furoris incendium, vt extinguat nemo.

21. Hæc dicit Dominus, neque holocauſta veſtra mihi, neque victimæ placent. Quare holocauſta, quæ tota mihi debentur, in numero ponite victimarum. Ea igitur cum victimis quoque comedite, neque
D enim illorũ ad meum palatum aliquid eſt.

22. Neque enim quo tempore Ægyptium iugum, me vindice, veſtri parentes excuſſerunt, verbum acceperunt vllum à me de holocauſtis, ac victimis nomini meo conſecrandis.

23. Hoc tunc à me præceptum acceperunt. Audientes eſtote voci meę, & me Solum Deum veneramini; & ego tunc vos quaſi populum præcipua quadam ratione meum amplexabor. Illi inſiſtite viæ, quam vobis ad ſalutem oſtendero; & omnia vo-
E bis ex vſu veſtro, ac voto ſuccedent.

24. At illi contrà, neque audire, neque aures adhibere dociles voluerunt: ſed affectioni prauæ, & voluptariis ſenſibus obſequuti retro potiùs conuerſi ſunt, quàm ad vlteriora, melioráque progreſſi.

25. Quem vitæ, aut deſipientis animi modum, ab Ægyptia libertate, ad hunc vſque diem tenuerunt. Neque vos parentum aut mores, aut exitus exhorruiſtis. Miſi etenim ad vos ſtudioſè ſatis, & maturè Prophetas

A phetas per ſingulos dies, qui peccatorum vos,& futuræ calamitatis admonerent.

26. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed indurauerunt ceruicem ſuam: & peius operati ſunt, quàm patres eorum.

26. Sed non audiuit, neque dedit aures ſcelerata poſteritas,ſed ceruicem obiecit ferream,indocilem ad iugum, & multò quàm patres impudentiùs, in omnium ſe peccatorum genera proiecit.

27. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: & vocabis eos, & non reſpondebunt tibi.

27. Renoua igitur iſta,ô Ieremia, & exprobrãdo ingere Iudæorum auribus. Quibus tamen, vt aures tuis adhibeant vocibus,non perſuadebis:neque efficies, vt vnquam ad obiecta reſpondeant.

28. Et dices ad eos: Hæc eſt gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides, & ablata eſt de ore eorum.

B 28. Dices tamen ad eos, poſtquam te ab illis nihil obtinuiſſe cognoueris:Hic eſt populus rebellis legi Domini, qui informate ſe noluit diſciplina, in cuius animo periit,& à cuius ore excidit fides.

29. Tonde capillum tuum,& proiice,& ſume in directum planctum: quia proiecit Dominus,& reliquit generationem furoris ſui.

29. Tonde capillum tuum, ô Ieremia, quod lugẽtes faciunt,& crinem abs te proiice, quod exilium, diſperſionémque portendit: & lugubri, contentóque vlulatu grauem Reipublicæ calamitatem deplora: quia proiecit, deſeruítque Deus gentem illam, cui indignatus eſt, & in quam vltricem manum habet intentam.

30. Quia fecerunt filij Iuda malum in oculis meis, dicit Dominus. Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum,vt pollucrent eam:

C 30. Quia in domo,in qua nomen meum coli,atque implorari debuit, atque in conſpectu meo filij Iuda grande commiſerunt peccatum, dicit Dominus. Induxerunt enim in templum ſimulacra, offenſiones nempe, atque abominationes,quibus contaminatum eſt.

31. Et ædificauerunt excelſa Topheth, quæ eſt in valle filij Ennom: vt incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni: quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo.

31. Et in Topheth, in valle nempe ciuitati proxima, quæ quia poſſeſſio erat filiorum Ennom,gehenna nominatur,altare conſtruxerunt conſecratum Moloch, cui filios per ſummam acerbitatem traductos
D per ignem immolabant, quod neque præcepi, neque vt præciperem, vnquam cogitaui.

32. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ampliùs Topheth, & Vallis filij Ennom: ſed Vallis interfectionis: & ſepelient in Topheth,eo quòd non ſit locus.

32. Vt dictus eſt olim ab immani puerorum cæde Topheth, ſic poſtea à Iudæis, qui occiſi aut fame, aut ferro, in eum locum, tanquam in commune ſepulcrum, inferentur, quia nullus erit locus, qui tantæ cadauerum multitudini non ſufficiat, vallis dicetur interfectionis.

33. Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus cæli, & beſtiis terræ, & non erit qui abigat.

33. Erunt autem inhumata cadauera
E inauſpicatis auibus, belluíſque voracibus in eſcam: neque erit vllus,qui ab illo triſti pabulo carpendo deterreat.

34. Et quieſcere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem, vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ: in deſolationem enim erit terra.

34. Tunc verò ab omni lætitiæ voce, tã Hieroſolymæ plateis, quàm reliquis Iudææ ciuitatibus,ſilentium indicam: neque deinceps erunt, ſicut antè Iudæorum nuptiæ cum geniali plauſu: vniuerſa quippe regio deſerta relinquetur.

IN CAPVT SEPTIMVM IEREMIÆ.

Verſ. 2. *Sta in porta Domini, & prædica ibi verbum iſtud.*]

1. PLACEBANT ſibi plurimùm Iudæi in ſuo templo, eiúſque ſubſidio, A cautum ſibi ab omni periculo arbitrabantur. Ea perſuaſione ingrediebantur in templum ſæpe, in eóque ſtata ſacrificia antiquo ritu frequentes obibant: neque de interna munditia, quæ vera ſanctitas eſt, quicquam laborabant, externa tantùm religione contenti. Quo nomine ſæpe à Prophetis reprehenſi ſunt, & vanæ, atque inutilis ſanctitatis accuſati. Qua de re multa, & ſæpe Iſaias, maximè capite 1. vbi nos de externo Iudæorum cultu fuſiùs. Iubet ergo Dominus ſtare Prophetam ad oſtium templi, per quod ingrediebantur frequentes è populo, atque ibi edicere ſuo nomine nequicquam obire B ſacrum tempus, & locum, externámque ſeruare munditiam, niſi animum internis expient ſordibus, & vera excolant ſanctitate.

2. Verſ. 4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini.*] Hæc verba Ieremias audacter, tanquam probator robuſtus, in Iudæorum conuentu tonat. Verba mendacij, quibus ſibi propter templum ſecunda omnia pollicebantur Iudæi, aut erant pſeudoprophetarum, in quorum ore frequens, nihil, ſtante templo, timendum eſſe ab hoſtibus: aut aliorum potiùs, quos hîc à vana confidentia depellit; qui cùm hæc à pſeudoprophetis accepiſſent, iterabant ipſi eadem, ſéque templi nomine, contra minaces C Prophetarum voces, & infenſa inimicorum arma muniebant. Hæc verba mendacij appellat, quia nihil habent præter mendaces, & inutiles ſonos; vel certè verba vocantur mendacij, quibus ſibi ipſi perſuaſerat ſtultus ille populus, nullum fore tantum, támque multiplex ſcelus, quod non expiarent aut externæ quædam cæremoniæ, aut oblata in templo ab impiis etiam manibus ſacrificia: & hoc potiùs reor, quia cum ſequentibus magis apta. Cur ter hîc repetatur templi nomen, variæ à variis adducuntur cauſæ. Hebræorum quidam magiſtri cenſent, quod noſtrorum nonnullis non improbatur, ter gemina iſta templi repetitione tria loca præcipua deſignari, quæ totam penè templi ſancti fabricam abſoluunt, ideſt, atrium, templum, & adyta, ſiue Sancta Sanc- D ctorum.

Si interna abſit ſanctitas, externa Domino non probatur.

3. Ego hîc in ternario numero aliquid maius intueor, &, vt reor, magis ad Hebræorum vſum, immo omnium fermè linguarum, qui in voce ter ingeminata aut affectum magis ardentem, aut rem maximè certam explicare ſolent. Nunquam verò ſine graui epitaſi tertiò repetitur aliqua vox, quæ voluptatis, doloris, aut etiam multitudinis pondus importat magnum. Sic Zachariæ capite 2. ter repetitur ô, cùm Sion è captiuitate reuocatur. *O, ô, fugite de terra Aquilonis, ô Sion fuge.* Apocalypſis 8. magnus dolor indicatur, atque calamitas ter repetito *væ. Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Et infrà capite 22. *Terra, terra, terra, audi,* &c. Neque id apud profanos minùs vſitatum, apud quos tritum eſt valde, *Ter felix, ter maximus, ter ſapiens.* ideſt, valde felix, &c. &, quod ad multitudinem ſpectat, *ter* pro *ſæpe* ponitur. Virgilius 1. Æneid.

Ternarius numerus cũ epitaſi.

Zach. 2.

Apocal. 8.

Ierem. 22.

—*At illam ter fluctus ibidem*
Torquet agens circum.—

Et libro 2. Æneid.

Ter conatus ibi collo dare brachia circùm,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago.

Vbi Seruius *ter* poſitum eſſe dicit, pro *ſæpe.* Ex quibus facilè ſibi quiuis perſuadebit, ſæpe, idque cum magno affectu, ac ſpiritu, templi nomen à Iudæis vſurpari ſolitum, quaſi poſitum eſſet in illo æternum ciuitatis firmamentum.

Verſ. 7. *Habitabo vobiſcum in loco iſto: in terra,* 4.
quam dedi patribus veſtris à ſæculo, & vſque in ſæculum.] Pro, *habitabo vobiſcum*, Hebraicè eſt, אתכם שכנתי *ſicanthi ethkem*, pro quo Septuaginta & alij, *frequentes habitare vos faciam.* Quod ad ſententiam attinet, parum eſt diſcriminis: dum enim Dominus dicit, habitaturum ſe cum illis in loco illo, nihil aliud ſignificare videtur, quàm habiturum ſe apud eos templum, vbi cum ipſis perpetuò habitet. Templum autem Solymitanum ſæpe vocatur domus, ſeu habitaculum Dei. Quare ſenſus eſt, ſi veſtram vitam ex tradita vobis norma direxeritis, ſtabit in æternum ciuitas, & templum, in quo ego vobiſcum in ſæculum habitabo, neque hinc vos in Babylonicum ſolum emigrabitis. Cauſa verò diuerſæ tranſlationis eſt vox Hebraica את *eth*, quæ modò *cum* ſignificat, modò articulus eſt, ſeu nota accuſatiui caſus, pro varia verò ratione punctorum ſignificare poteſt *vobiſcum*, & *vos*, in tertio caſu.

A ſæculo, & vſque in ſæculum.] Non ſignificat, 5.
quod finem nunquam eſt habiturum, ſicut *in æternum*, & ſimilia ex vſu Scripturæ ſacræ, vt diximus ſuper Iſaiam capite 23. numero 29. Neque enim æterna futura erat Iſraëlitis promiſſæ terræ poſſeſſio, etiamſi Diuinæ voluntati conſtanter adhæſiſſent. Tam igitur *æternum*, quàm alia ſimilia, aliquid ſignificant diuturnum, quod tamen aliquando habiturum eſt exitum. Eſt ergo ſenſus, ſicut à ſæculo, ideſt, iam pridem promiſſam Abrahæ terram habitaſtis, ſic etiam deinceps diu quoque poſſidebitis, modò legis, atque officij memores. Eſt autem alluſum ad illud Geneſis 18. verſ. 8. *Dabo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam.*

Verſ. 8. & 9. *Ecce vos confiditis vobis in ſermoni-* 6.
bus mendacij, qui non proderunt vobis, &c. Libare Baalim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis.] Oſtendit, qua in re Iudæi mendacij verbis in alia ſcelera ſeducantur, dum promptam ſibi putant à templo medicinam. Qua elati confidentia, neque à rapina ſibi, neque à cæde, aut libidine temperabant, eò vſque progreſſi, vt deos quoque alienos, ſibique ignotos adorarent, & impia, at-

que impura ſacra in ipſum inueherent templum, vbi ſibi perſuaſeraut, nihil ſibi fore non expiabile.

Externa ſanctitas vana.

7. Verſ. 10. *Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: Liberati ſumus, eo quòd fecerimus omnes abominationes iſtas.*] Poſt tot ſcelera veſana quadam confidentia ingrediuntur in templum, dicúntque aut taciti apud ſe, aut etiam clara, ac publica voce, ſe à tot flagitiis externa aliqua cæremonia mundatos. Hic credo ſenſus eſt. Illud *eo quòd*, difficilem reddit huius loci ſententiam, Hebraicè eſt, למען *lemaghan*, quod varios habet vſus in ſacra Scriptura. Septuaginta ita vertunt: *Abſtinuimus à faciendo*, quare illud למען ſumpſiſſe videntur pro *ab*, qua ratione aut negat, aut ſeparat. Quia verò dum iſta dicunt, adhuc tamen in ſcelere perſeuerant, iuxta Septuaginta tranſlationem, ſic exponi poſſet: *Dixiſtis, liberati ſumus à faciendo abominationes*, ideſt, à patratione, ſeu commiſſione ſcelerum, ſeu à ſceleribus admiſſis, quantacunque illa ſint; dum templum ingredimur, & luſtratoria quædam ſacra obimus. Quam expoſitionem admittunt ſanctus Thomas, Lyra, & Hugo.

8. Alij *eo quòd* particulam cenſent eſſe cauſalem, putántque *abominationem* ſumi pro piacularibus ſacris, quæ ad eluendum ſcelus inſtituta ſunt, quomodo *peccatum* ſacrificium interdum pro peccato ſignificat. ita putat Dionyſius, nec improbat Lyra. & ſanè ſi vox Hebraica תעבה *toebah*, aliquando ſacrificium ſignificaret expiatorium, ſicut *peccatum*, hanc ego potiùs explicationem amplecterer. Sed non video ſignificare aliud, quàm quod apud homines vulgariter ſonat. Hugo cauſalem putat eſſe particulam, propriéque ſumendam, gratularíque ſuæ felicitati Iudæos, quòd iis vacarint ſacris, quæ Deus abominationes hoc loco appellat, quibus à flagitiis mundantur tam quotidianis, & grauibus. Sed hæc non ſatis congruunt cum illis, quæ mox ſequuntur.

9. Hieronymus ſatis obſcurè ſuam mentem explicuit; videtur autem ita hunc locum intellexiſſe, vt Iudæi ex templo Domini ſpiritus aſſumpſerint, in omnium ſcelerum intemperantiam audaces. Quia cùm ſibi perſuaſiſſent, quantumuis grauia forent peccata, tam facili negotio poſſe deleri, nihil horrebant, quod tamen audaciſſimis quibuſque horrori eſſe debuiſſet. Aut certè, quòd liberos ſe à peccatis ideo crediderint, quia non ſtatim Diuina ſecuta fuerit vindicta, cùm diu impuniti in peccatis vixerint, addiderintque, quod extremum eſſe ſolet, vt à Domino receſſerint, & diis ſupplicauerint alienis. Sic autem Hieronymus: *Hæc ſpiritaliter accidere in Eccleſia nemo dubitat; quando præſentis temporis conſiderantes felicitatem, ſua peccata non reputant, & latere arbitrantur Deum, quia non ſtatim vindicta conſequitur. Quin potiùs in tantam prorumpunt amentiam, vt liberatos ſe putent, quia poſt mala opera, etiam à cultu Domini receſſerunt.* Hæc obſcurè Hieronymus, & ad ſuam tranſlationem ſatis difficilè. Ad hanc explicationem, quæ audaciores ad peccandum occaſione templi facit Iudæos, ſiue ſit Hieronymi, ſiue non (neque enim Hieronymi ſententiam ſatis informare poſſum) plurimùm facit textus Hebraicus למען עשות *lemaghan ghaſoth*, ideſt, *propter facere*, aut, *vt faciamus* abominationes, quam ſententiam amplectitur Iſidorus, neque diſplicet Maldonato.

10. Alij *eo quòd* per *quanuis*, aut *licèt*, interpretantur in hunc ſenſum: Liberati ſumus, obeundis nempe in templo ſacrificiis, quanuis inania fuerint, quæ admiſimus flagitia. ita indicant Tigurinæ, & Pagnini tranſlationes, & ſequuntur apertè Maldonatus, & Emanuel Sà. Sed ego vſum illum particulæ למען *lemaghan*, nuſquam inuenio. iam paucis dicam, quid ipſe in tanta varietate ſentiam.

11. De ſenſu non dubito, in quo cum pluribus ſentio, quem in principio propoſui, quémque indicant ſanctus Thomas, Lyra, Hugo, Maldonatus, Caſtrus, & Emanuel Sà, & indicat Septuaginta tranſlatio, eo quo ſuprà explicuimus modo. Nempe exiſtimare, ac prædicare Iudæos ab omni ſe ſcelere, externis ſacrificiis, ac cæremoniis expiari. De particula, *eo quòd*, quæ non valde videtur huic fauere ſententiæ, nunc laboro. Quam ego, vt ad præſentem explicationem attemperem, exiſtimo cum Hugone, & ſancto Thoma, diuidendam eſſe, ita vt *eo* ſeparetur à *quod*, ſitque in ablatiuo caſu. Tunc verò huius clauſulæ, *Liberati ſumus eo quod fecerimus*, ſenſus erit, *liberati, atque mundati ſumus eo*, ideſt, ab eo, *quod fecimus*, ſeu ab eo, quod peccando contraximus; neque aliter video, retineri poſſe communem, quámque ego arbitror, veram eſſe ſententiam, ſalua tranſlatione Vulgati.

12. Verſ. 11. *Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?*] Ex his coniectari licet, quæ ſit germana proximi loci ſententia, quando tam grauiter queritur Dominus, domum ſui nominis maieſtati conſecratam factam eſſe Iudæis occaſionem peccandi. Spelunca latronum dicitur illa, in qua aut latrones occultantur, aut in quam ſuas coniiciunt prædas, quæ alit audaciam prædatorum, & expeditum facit inſtitutum illud, alioqui laborioſum, & turpe, in quo cum bonorum rapinis, ſanguis quoque miſerorum, & cædes coniungitur. Sic in templo Iudæi peccatorum omnium commune cenſebant eſſe perfugium: minùs enim horrebant illa peccata, quibus tam promptam cenſebant in templo fore veniam. Hæc verba Chriſtus iterum obiecit Iudæis, Matthæi capite 21. vbi etiam oſtendit, quem in vſum templum foret à Domino conſtructum. *Domus* (inquit) *mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

Graue peccatum, quod ex venia facilitate cōmittitur.

13. *Ego ſum, ego vidi.*] Latere putabat ſtolidus populus Diuinos oculos ſimulatam animorum, & fucatam ſanctitatis ſpeciem. At Deus ſibi dicit nihil eſſe clauſum, nihil occultum; vt illum ab hac pernicioſa cogitatione depellat. *Ego*, inquit, *ſum* verus, viuúſque Deus, non ſicut muta, & ſaxea ſimulacra, quæ mortua ſunt, & falli poſſunt. *Ego vidi*, illa oculos habent hominum artificio elaboratos, qui nihil vident; aſt ego occulta veſtra conſilia penitus introſpicio, quibus quid debeatur ſupplicij non ignoro. Prouer. 16. *Omnes viæ hominum patent oculis eius, & ſpirituum ponderator eſt Dominus.*

14. Verſ. 12. *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum in principio: & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël.*] Quid futurum ſit Iudæis firmitatis in templo, exemplo docet tabernaculi, in quo non minùs fidebat olim Iſraël, quàm nunc duæ Tribus, quæ in terra promiſſionis remanſerunt: omnibus enim dictum eſt illud Leuitici 26. numero 11. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri: & non abiiciet vos vltrà anima mea.*

Spes Iudæorū in templo quàm infirma.

mea. Vt autem de Silo ablatum eſt tabernaculum, génſque Ephraimitica, ad quam tabernaculi ſedes pertinebat, partim conciſa, partim in captiuitatem abducta: ſic futurum eſſe docet de Solymitano templo, Iudæorúmque populo, qui ſtante in perpetuum templo, ſe quoque incolumes in æternum fore arbitrabantur.

15. *Tabernaculum vbi primùm ſitum.* Hîc nobis aliquid de Silo dicendum, déque tabernaculo ibi quondam fixo, & poſtea propter hominum malitiam inde ſublato. Ex quo tabernaculum conſtructum eſt, donec in terram promiſſionis ingreſſi ſunt Hebræi, nullam habuit certam, atque ſtabilem ſedem, longo illo peregrinationis tempore, ſed cum peregrinante populo, ipſum quoque vago ſemper ingreſſu peregrinabatur. Cùm verò primùm ventum eſt ad terram Chanaamitidem à Domino promiſſam, *Tabernaculum quando in Silo.* in Galgalis, quæ ſtatim occurrunt tranſmiſſo Iordane, ſtabilem primam ſedem habere cœpit tabernaculum. Inde, vt capite 18. Ioſue traditur, tranſlatum eſt tabernaculum in Silo, ciuitatem ſpecioſam, atque munitam, quæ trium tantùm horarum itinere, ideſt, tribus leucis aberat à Ieruſalem, vt auctor eſt Brocardus. Hæc verò ſita eſt in Tribu Ephraim, quare Pſalmo 77. repulſum dicitur tabernaculum ex Ephraim, &c, quod idem eſt, ex Ioſeph, ex quo Ephraim natus. *Et repulit tabernaculum Ioſeph, & Tribum Ephraim non elegit.* Quandiu tabernaculum fuerit in Silo, definitè certum aliquid aſſignare non poſſumus. Hebræi in Seder Olam tercentes ſexaginta nouem annos deprehendunt: pauciores alij, Maſſius, & Caſtrus, fortaſſe illi à tranſlato tabernaculo, alij ab arca illinc abducta tempora dinumerant.

16. *Arca quando è tabernaculo ſublata.* Quo verò tempore arca fuerit è tabernaculo ſublata, conſtat ex libro 1. Regum capite 4. vltimo nempe anno Sacerdotis Heli; quando verò tabernaculum, quod nudatum ab arca fuerat, tranſlatum fuerit in ſedem aliam, prorſus incertum. Sanè in Silo nunquam dicitur ſacrificaſſe Samuel, ſed in Maſpha, Ramath, Bethlehem, *Quem in locum tabernaculum tranſlatum.* 1. Regum 7. 8. & 16. Et 1. Regum capite 21. tabernaculum dicitur eſſe in Nobe, viuente adhuc Samuele. Quare poſt abductam arcam non diu ſterit tabernaculum in Silo. Tranſlatum eſſe poſtea in Gabaon, liquet ex libro 2. Paralipomenon capite 1. vbi ſic de Salomone: *Et abiit cum vniuerſa multitudine in excelſum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyſes famulus Dei in ſolitudine.* De hoc tabernaculo vide Riberam libro 1. de Templi fabrica, capite 2. & Serarium in caput 18. Ioſue per multas quæſtiones, & Chriſtophorum Caſtrum in hunc Ieremiæ locum.

17. Dicit autem Ieremias, propter malitiam populi ſublatum eſſe tabernaculum è Silo. Illam verò malitiam, in qua multa, ac varia continentur peccata, ſed præcipuè impius idolorum cultus, declarauit Dauid latè Pſalmo 77. *In iram concitauerunt Deum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis, ad æmulationem eum prouocauerunt. Audiuit Deus, & ſpreuit: & ad nihilum redegit valde Iſraël, & repulit tabernaculum Silo, &c. Concluſit in gladio populum ſuum.*

18. *Tabernaculum non fuit in templo aliquo ante tempus Salomonis.* Vbi & malitiam vides, & malitiæ pœnam. Porro Moſaicum illud tabernaculum, tam in Silo, quàm in Nobe, & poſtea in Gabaon, non fuiſſe in templo aliquo, aut ſub ſtructura ſaxea, ſed ſub dio, ſub pellibus, ſicut priùs in ſolitudine, ſuaderi poteſt primò, quia de domo, & quaſi tegu-

A mento tabernaculi, neque tenue eſt Scripturæ ſacræ veſtigium; deinde, quia vt ſæculis antè Moſaicis ſatis à temporum iniuria pellibus defendi tabernaculum potuit; ſic etiam inde ad tempus vſque Salomonium. Adde, quod hoc non obſcurè indicauit Deus 2. Regum 7. qui ſic ad Dauidem per Nathan: *Vidéſne, quod ego habito in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium.* 2. Reg. c. 7. Ita putat Serarius in caput 18. Ioſue, quæſtione 5. Ait autem Hieronymus eo loco, vbi tabernaculum fuit in Silo, ſpectari ſuo tempore altaris nonnulla veſtigia: ſic enim in epitaphio Paulæ: *Quid narrem Silo, in quo altare dirutum hodie monſtratur?* Et idem in 1. caput Sophoniæ. Dicit autem B Hieronymus, locum, vbi quondam ſita fuit Silo, in ruinam, & cinerem fuiſſe collapſum.

Ad extremum, tabernaculum illud in Salomonis templum inuectum, atque incluſum eſt, vt probat Ribera libro 1. de templo, capite 2. quod conſtat ex libro 3. Regum capite 8. *Et portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo.* Fuiſſe verò tabernaculum idem, quod conſtructum fuerat à Moyſe, tradit Ioſephus libro 8. Antiquitatum capite 2. quod ad exciſum vſque templum à Chaldæis ibi perdurauit. Nam, vt habes 2. libro Machabæorum capite 2. tabernaculum, & arcam C Ieremias iniuriæ, ac prædæ Chaldæorum exemit. *Erat* (inquit) *in ipſa Scriptura* (nempe Ieremiæ) *quo modo tabernaculum, & arcam iuſſit Propheta, diuino reſponſo ad ſe facto, comitari ſecum: vſquequò exiit in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum ſpeluncæ, & tabernaculum, & arcam, & altare incenſi intulit illuc.* 19. *Tabernaculum Moyſis in templo Salomonis.*

Verſ. 13. *Et nunc, quia feciſtis omnia opera hæc.*] 20. Quia iuniores nihilo fuère minùs ſcelerati, quàm antiqui, non maiori erit illis præſidio templum à Salomone, quàm aliis tabernaculum fabricatum à Moyſe; immo neque templo ipſi parcet hoſtilis furor, qui manus à tabernaculo temperauit.

Et loquutus ſum ad vos manè conſurgens.] Digni 21. D planè fuerant Iudæi, in quos Dominus totam inſenſi pectoris acerbitatem euomeret, propter grandia, atque aſſidua peccata, de quibus ſæpe. Addit nunc cauſam aliam, quæ ad ſtragem, & cædem multum affert momenti. Cùm enim Deus multo mane, ideſt, longè antequam immineret ab hoſte calamitas, populum, & inſtantis ſupplicij, & ſceleratæ vitæ admonuiſſet, ipſe tamen, quaſi ſua parum, aut nihil intereſſet, quid prædixiſſet, aut edixiſſet Dominus, nihil habebat penſi. Hac verò populi inurbanitate grauiter ſuum furorem inflammari ſæpe oſtendit Dominus, verbíſque maiórem in modum ſignificantibus. Exemplis pluribus abſtineo, ab hoc noſtro Propheta vnum, atque alterum produ- PROV. *Manè conſurgere.* E cam, capite 11. verſu 8. *Manè conſurgens conteſtatus ſum, & dixi: Audite vocem meam, & non audierunt, aut inclinauerunt aurem ſuam.* Et capite 35. numero 14. *Ego autem locutus ſum ad vos, de mane conſurgens, & loquens, & non obediſtis mihi.* Qui loquendi modus magnam indicat ſedulitatem, & ſtudium: vt enim, qui negotium aliquod breui, atque feliciter expeditum vult, nihil illi negotio præuertendum putat; ſed primo mane ſurgit, & in illam curam toto die ſedulò, & totus incumbit: ſic Deus multo vigilat mane, neque alios ſomno, atque otio languere patitur. Et cùm manè excitarit è ſomnò, inſtat tamen momentis ſin-

gulis, ne peccatori ſubitum, atque inopinatum exitium obrepat. Facit ad hæc, quòd Deus capite 20. Matthæi, cùm ſurrexiſſet manè, conducturus in vineam operarios, non tamen ideo per alias, atque alias horas, ad vndecimam vſque vocare deſiit.

22. Verſ. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem: & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam.*] Quia populus ille ſui ſæpe admonitus officij, mentem non mutauerat, immo maiori tunc ſtudio, quàm antea in idolorum cultum ferebatur, vt ſtatim patebit, ſtatuerat Deus, non iam ampliùs differendum eſſe ſupplicium. Quare Prophetam iubet abſtinere à precibus, neque orare pergat, quod exorare non poterit. Hìc duo nobis obſeruanda.

23. Alterum eſt, *laudem* aliud interdum ſignificare, quàm quod communiter ſonat. Neque tantùm prædicat quod dignum eſt præconio, ſed etiam munus offert, quod aliquid oſtendit prædicatione dignum in eo, qui laudatur. Laus ergo pro munere, atque oblatione ſumitur, aut pro quacunque alia Diuinæ benignitatis, ſeu potentiæ ſignificatione. Quomodo ſilentium, laus, & hymnus eſſe dicitur Dei, quia ante Deum elinguis eſt facundia mortalium: vbi enim Vulgatus Pſalmo 64. *Te decet hymnus in Sion*, in textu Hebraico eſt, *ſilentium in Sion.* Et quicquid in cælo pulchrum eſt, & pretioſum, enarrare dicitur gloriam Dei, Pſalmo 64. quia Deum in architectando ſapientiam docent, & admirabilem in gubernando conſtantiam. Sic Madianitæ, atque Sabæi, laudare Dominum dicuntur ab Iſaia capite 60. quia muneribus pretioſis, auro, thure, & aromate vario, quibus onuſtos agebant dromedarios, honore, & laude dignum eſſe Dominum profitebantur. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Ponitur autem ſæpe ſimul cum oratione laus, vt infrà capite 11. verſu 14. & 3. Regum capite 8. verſu 18. *Audi hymnum, & orationem, quam ſeruus tuus orat.* Prohibetur ergo nunc Ieremias orare pro populo, & laudem aſſumere, id eſt, munera offerre ad placandum Deum. Niſi mauis laudem per epexegeſim pro oratione ſumi, quia dum oratur Deus, laudari etiam ſolet: & ſanè in ſacra Scriptura rarò inuenies accuratam aliquam, & paulò longiorem orationem, quæ admixtum non habeat aliqnid Diuinæ laudis. Vide quæ diximus ad illud Iſaiæ 2. verſ. 19. *Conſurge, & lauda in nocte.*

Laus, pro munere.

Iſai. 60.

Laus, pro oratione.

24. Alterum eſt, tantum ineſſe virtutis viri iuſti precibus, vt Deus vim afferri ſibi ab oratore iuſto fateatur. Hoc indicat illud, *Ne obſiſtas mihi.* Quaſi retardari dicat Dominus, & frangi quodammodo ſtudium vindictæ orationis oppoſitu. Dixit hoc Deus multò clariùs Exodi 32. ad Moyſem pro populo ſuo laborantem. *Dimitte* (inquit) *me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Iſaiæ capite 64. *Non eſt, qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Neque grauatè fert Deus, opponi ſibi aliquem, qui ad ſupplicium feſtinantem cohibeat, immo optat, & hortatur, vt ſe aliquis ad furorem remittendum offerat. Ezechiel. capite 22. verſ. 30. *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam: & non inueni.* Et capite 13. verſ. 5. *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël.*

Oratio iuſti potentiſſima.

Exod. 32.

Iſai. 64.

Ezech. 22.

25. Verſ. 17. *Nónne vides quid iſti faciunt?*] Docet, cur ſe orari nolit, quia vſque eò proiecta eſt Iu-

A dæorum impudentia, vt in plateis, atque in omnium oculis ſuæ impietatis, atque perfidiæ publica documenta locauerint; idque eo animorum ardore, vt certatim omnes, pro ſua quique facultate, in ſordidam illam religionem incumbant.

Verſ. 18. *Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli.*] Tunc maximè apparet ſtudium, atque alacritas in aliquo ſiue colendo, ſiue ornando, quando in magna familia nemo ceſſare permittitur, quin in ſtudium illud aliquid conferat laboris. Eo argumento probat Baſilius, magnum fuiſſe ardorem in Abraham in trium Angelorum adornando hoſpitio, quia & ipſe tardus B non fuit, & ſuorum neminem otioſum eſſe permiſit. Gene. 18. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcineritios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui feſtinauit, & coxit illum.* Vide quomodo in tota domo Abraham nemo ſit otioſus. Idem nunc ſtudij ſui documentum præbent Iudæi, dum toti ſunt in fallacium deorum inani cultu. Vt enim placentæ, & libamenta alia pro deorum altaribus parantur, nemo eſt in tota familia, quin operæ aliquid impendat. Filij ligna colligunt, mater farinam ſubigit, ſeu adipem, id eſt, quod in farina dulcius, atque purgatum ma- C gis eſt, quod frumenti adeps appellari ſolet; pater inſtruit focum, vt reginæ cæli, id eſt, lunæ placentas offerant, & diis alienis libamenta alia. Simile ſtudium in compingendis deorum ſimulacris expreſſit Iſaias capite 41. verſ. 7. & capite 44. verſ. 12. 26.

Obſequij ardentiſſimi ſignum.

Otioſus nemo in amãtu domo.

Regina cæli, Luna eſt, vt eſt communis Auctorum ſententia, quomodo etiam appellatur infrà capite 44. verſ. 17. 18. & 19. Ratio nominis inueſtiganda. Credo reginam cæli vocatam eſſe Lunam, ſicut rex etiam cæli dicitur Sol: quia inter aſtra cæli, quibus militiæ nomen datum eſt, Sol, & Luna, tanquam Reges & Duces, regium locum & ordinem obtinere videntur. Quod no- D men à ſacra Scriptura videtur ſumi potuiſſe. Nam cùm Geneſis 1. à noſtro interprete creatus dicitur eſſe Sol, *vt præeſſet diei*, & Luna, *vt præeſſet nocti*, in Hebraico textu eſt, *vt dominaretur*, quod munus Regis eſt, ac Reginæ. Vt autem Luna Hebraicè dicitur מלכה *Melachah*, id eſt, Regina, ſic puto Solem vocatum eſſe *Moloch*, ſeu *Melcho*, de quo in ſacra Scriptura non rarò; quæ vox Regem ſonat. In quam me cogitationem induxit, quia *Moloch*, ſeu *Melcho* coronam habuiſſe dicitur excultam gemmis, 1. Paralip. capite 20. id eſt, vt ego interpretor, ſyderibus radiantem: quam coronam inſtructam fuiſſe radiis veriſimile eſt, quales nunc Regiæ ſunt coronæ; quæ ad Perſi- E cum morem ad ſolarium ſimilitudinem radiorum efformantur. Addo, quòd ſicut lucifer Solem antegreditur, ſic Moloch antecedebat Rempham, id eſt, lucidiſſima quædam gemma, quæ ſydus appellatur Actorum 7. & Amos capite 5. infixa aut fronti, aut anteriori parti coronæ Moloch. Rempham autem fuiſſe Luciferum, aut Veneris ſtellam, docet Hieronymus in Amos caput 5. & Beda, Lyranus, & Gloſſa interlinearis, in illud Actorum capite 7. vbi cùm præceſſiſſet, *cæli militia*, cuius Princeps eſt Sol, dicitur, *Suſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Rempham.* Ex quo ſuſpicari licet, inter aſtra numerandum 27. 28.

Luna cur regina.

Sol Rex.

Moloch, ſeu Melchon, quid?

Actor. 7.

Rempham quid.

merandum eſſe Moloch. Adde his, quòd Iudæi cùm filios ſuos ſacrificabant Moloch, illos per ignem traduxiſſe dicuntur, quia Solis igneam eſſe naturam exiſtimabát, quod quia in Topheth plerunque fecère Iudæi, ideo locum illum con-
4.Regū 23.
taminauit Ioſias 4. Regum 23. *Contaminauit quoque Topheth, vt nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch.* Quòd ſi Moloch, aut Melchon Sol eſt, aſtrorum dominus, & Rex, ſanè probabile eſt, Lunam, quæ in fœminea forma nominatur *Melchah*, quæque Solis appellatur ſoror à Gentilibus, Reginam vocari cæli. Sic ſanè illam appellat Apuleius lib.11. Metamorphoſeos. De Regina cæli, ciúſque effigie in placentis expreſſa, vide quæ diximus infrà cap.44.n.17.

Iracundia dolor admixtus.

29. *Vtque ad iracundiam prouocet.*] Pro *iracundia* Hebraicè eſt, כעס *caas*, quæ non ſolùm iram, ſed etiam alium grauem affectum ſignificat, vt dolorem, triſtitiam, amaritudinem, ſicut vox Latina, *ira*, ſeu, *iracundia*. Eſt ergo ſenſus: Hæc fecère Iudæi, vt ægrè meum afficerent animum, aut dolere facerent, cui plerunque admiſceri ſolet iracundia.

30. Verſ.19. *Nunquid me ad iracundiam prouocant?*] Non Deus dolorem capit, aut moleſtiam, quem nulli pungunt, aut perturbant affectus, & in quem nihil iuris, aut poteſtatis habent, quæ homines commouere ſolent infortunia. Quòd ſi Deus aliquando iraſci dicitur, dolere, pœnitere, & ſimilia, accommodatè ad hominum ſenſus, ac motus iſta dicuntur. Non itaque hæc, quæ homines contra fidem, pudorémque moliuntur, iracundiam, quæ nunquam ſine dolore eſt, aut dolorem faciunt Deo, ſed auctoribus ſuis confuſionem, atque ignominiam pariunt.

Iracundia dolor ineſt in homine, ſecus in Deo.

31. Verſ.20. *Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum.*] In iracundia duo ſpectamus, & dolorem ex incuria conceptum, & ſpiritum incitatum in ægritudinis auctorem. Definitur autem ab Ariſtotele 2. Rhetoricorum cap.2. in principio, & cap.4. in fine, *appetitus vindictæ cum dolore.* Cùm autem in Deo dolor eſſe non poſſit, neque motus ille ad vindictam, qui ex dolore naſcitur, negant Theologi cum ſancto Thoma 1. parte quæſtione 20. articulo 1. ad 2. iram in Deo reperiri. Alterum, nempe dolorem, accidiſſe ſibi Dominus negat, quia ab eius natura propriè dolor omnis, & ægritudo abeſt; alterum figuratè tamen ſuo animo ineſſe dicit, quia iniuriam vlciſcetur illatam, quod ab iracundia naſci apud homines ſolet, quorum ſenſibus in loquendo Deus ſe, & ſacra Scriptura frequenter accommodat. Sine dolore igitur Deus in homines iraſcitur, ideſt, hominum errata caſtigat: cùm tamen homo ſine dolore nunquam iraſcatur in alios.

Ironia in Scriptura.

32. Verſ.21. *Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes.*] Ironica permiſſio, aut laudatio eſt, qua Deus videtur probare, aut hortari, vt pergant in holocauſtis, & victimis offerendis, cùm tamen in illis neget quicquam ſibi gratum, aut aliis futurum eſſe ſalutare. Qua figura aliis ſæpe locis vſi ſunt ſcriptores ſacri. Iſa-
Iſai.45.
ias capite 45. cùm Deus prohiberet, nequis de futuro ſucceſſu percontetur, dicit: *Ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mea-*
Eccleſ.c.11.
rum mandate me. Eccleſiaſtici c.11. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua; & in bono ſit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ: & ambula in via cordis tui.* Et Michæas ad Regem Iſraël 3. Regum 1. ver.22.

Aſcende, & vade proſpere. Sic modò Deus ironicè, & amarè ad eos, quibus ſeuerè priùs minatus *1.Re.1.22.*
fuerat, dicit, Donec ego intentum habeo brachium ad plagam, vos interim ab inanibus hiſce ſacrificiorum officiis, contra indignationem meam præſidium ſumite, vtique nulli futurum vſui. In eo autem, quod addidit, *comedite carnes*, oſtendit, quid diſcriminis eſſet inter holocauſtum, & victimam: holocauſtum enim & totum comburitur, iuxta ſui nominis notationem, & totum ſibi vendicat Deus; at victima ita conſecratur Deo, vt eius pars aliqua ad hominum vſum quoque pertineat. Qua de re vide quid Leuitici cap.6. & 7. cautum ſit.

Diſcrimen inter holocauſta & victimas.

Ex hoc diſcrimine alius quoque ſenſus ex his 33.
verbis informari poteſt, quaſi dicat, holocauſta, quæ tota mihi debentur, in numero ponite victimarum, eáque cum victimis quoque comedite: neque enim holocauſta mihi grata ſunt, aut illis indigeo. In hanc ſententiam accipit ſanctus Thomas, Lyra, Caſtrus, & indicat Irenæus libro 4. cap.32. qui ita legit: *Holocauſtomata veſtra colligite cum ſacrificiis veſtris, & manducate carnes.* neque parum mihi probatur hæc ſententia.

Verſ.22. *Quia non ſum loquutus cum patribus ve-* 34.
ſtris, & non præcepi eis, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocauſtomatum, & victimarum.] Rationem reddit Dominus ironiæ illius permiſſionis ac repulſæ, oſtenditque quàm egena, & vacua ſint illa ſacrificia, ſi abſit ab animo puritas, & religio, quando de hac præceptum acceperunt Hebræi ſtatim ab Ægyptia libertate, de illis verò longè ſecus.

Eſt hîc aliquid, quod valde Doctores vexat, & 35.
interpretes: neque enim facile explicatu eſt, quomodo Deus præcepta non dederit de holocauſtis, & victimis, cùm illa tradiderit Exodi capite 20.24. & 29. non longè poſtquam Ægyptium iugum excuſſerunt. Quidam hîc Deum arbitrantur comparatè loqui, quia Deus ita victimas præcipit, & holocauſta, vt tamen nollet offerri ab impura manu, magíſque pietatem, & ſanctitatem velit, quàm victimarum cædem, iuxta illud Oſeæ 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.*
Quas victimas probet Deus.
Quare de ſacrificiis nudis, videlicet à pietate, dicit Dominus, ſe non fuiſſe locutum. In hanc ſententiam inclinat Irenæus libro 4. capite 32. & adducit plurima ex ſacra Scriptura teſtimonia, in quibus Deus ſacrificium auerſari dicitur, quia à pietate, aut obedientia vacuum, 1. Regum cap. *1.Reg.15.*
15. Sic ad Saülem Samuel: *Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs, vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia, quàm victima.* & Pſalmo 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque* *Pſal.49.*
de gregibus tuis hircos, &c. Pſalmo 50. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.* Iſaiæ capite 1. *Quò mihi multitudinem ſa-* *Iſai.c.1.*
crificiorum veſtrorum, &c. *Lauamini, mundi eſtote.* Et Ieremiæ capite 6. *Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi.* Ita putat Maldonatus hîc, & Iſidorus.

Alij frequentes putant, præcepta de holocau- 36.
ſtis, & victimis non eſſe tradita ſtatim à principio, ſed poſt conflatum aureum vitulum, idque non tam quia Deo forent per ſe grata, quàm vt iis ſacrificiis offerendis ab idololatria cohiberentur Hebræi, & vero offerrent Deo, quæ vt erant ingenio ad mutandam religionem prono, ad inanium idolorum altaria delaturi erant. Sic communiter omnes. Irenæus probat multis, libro 4. capite

Quando præcepta tradita de victimis.

Cur Hebræis data externa cæremonia. capite 20. Tertullianus libro 2. contra Marcionem capite 18. Chryſoſtomus homilia 6. in Matthæum, & homilia 18. in epiſtolam ad Hebræos, Hieronymus hîc, & Theodoretus, ſanctus Thomas tam hîc, quam 1.2. quæſtione 102. articulo 3. in corpore. Sentiunt itaque datum eſſe Hebræis priùs Decalogum, idque Deum aut vnum, & præcipuum voluiſſe, vt eius præcepta à populo religioſè ſeruarentur, in quibus vera continebatur ſanctitas; poſtea ad coërcendam veſani populi idolomaniam, addidiſſe alia externi cultus, atque aſpectabilis, ſiue legalis ſanctitatis mandata, quæ animos ad obuiam quanque religionem procliues, & externis addictos cæremoniis in officio, atque accepta religione continerent. Et iuxta hæc commodè in hunc ſenſum explicari poteſt. Ieremiæ locus. Abiicite holocauſta, & victimas, quibus initi à me beneuolentiam, & gratiam arbitramini: neque enim iſta vobis indixi, cùm ab Ægypto primùm egreſſi eſtis; ſed illud tantùm, quod mihi ſolum placet, & quod vos nunc, & patres olim veſtri à ſuis animis procul amandarunt. Dixi namque: *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, &c.*

37. *Quædam indicta cæremonia ante conflatū vitulum.* Huic communi Patrum ſententiæ non parum incommodat, quòd ante datam legem, vitulíque adorationem, data quoque videntur victimarum præcepta. Etenim Exodi capite 32. conflatus narratur aureus vitulus, at Exodi 20. præceptum videtur eſſe datum de altari terreo, de holocauſto, atque hoſtiis; item capite 29. in conſecratione Aaron variæ iubentur immolari victimæ. Reſponderi poſſet, hæc quidem propoſita eſſe Moyſi, dum eſſet in monte, vt poſt legem euulgatam, acceptamque populo, deinde proponeret Hebræo. Quod videtur ipſe inſinuaſſe Moyſes, qui Deuteronomij capite 5. à Domino dicit tradita fuiſſe Decalogi præcepta, vbi nullùs de holocauſtis, ac victimis ſermo. Quæ ſolutio ſatis videtur infirma, tùm quia ſaltem hæc præcepta quomodocunque Moyſi propoſita occaſione aurei vituli non videntur indicta, quia nondum fuerat ab Iſraële conflatus. Neque quod Moyſes oratione illa de holocauſto, aliiſque ſacrificiis dixerit, quicquam refert: neque enim omnia eo rerum articulo exponi debuerunt; & ſanè plurima ſunt omiſſa, quæ ante vitulum à Deo conſtituta, & Moyſi reuelata fuiſſe conſtat; vt de tabernaculo, arca, & candelabro, cæteriſque inſtrumentis, quæ ad tabernaculi ornatum, ſacráque miniſteria, iuſſa ſunt fabricari; item de iudiciis variis, &c. Maximè, quia ſacrificia quædam, & holocauſta immolata ſunt, ante aurei vituli tempus. *Sacrificia immolata ante vitulum conflatum.* Exodi capite 24. *Conſurgens* (Moyſes) *ædificauit altare ad radices montis, &c. & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino; vitulos duodecim.* Hæc mihi valde difficilem reddunt communem ſententiam, de dato victimarum præcepto, poſt adoratum vitulum, quam tamen propter tot Patrum auctoritatem complector: nihilominus, quid mihi videatur non improbabile, paucis expediam.

38. *Quo conſilio indicta Iudæis ſacrificia.* Et primùm cenſeo, eo conſilio à Domino datum eſſe victimarum præceptum, vt externo hoc cultu, populum nimis rebus corporatis, atque aſpectabilibus addictum in vera religione contineret, vt externa ſacrificia, quæ à Gentibus videbat ad idolorum aras immolari, vero ipſe conſecraret Deo; neque eam ob cauſam ad impia, & peregrina ſacra deflueret. Quod ſanè exi-

A ſtimo facturum Dominum fuiſſe gnarum, qualis eſſet illius populi genius, etiam ſi in cogitationem de aureo illo vitulo nunquam eſſet venturus. Quare puto eodem tempore Decalogum à Deo, & de victimis, ſacriſque cæremoniis præceptum eſſe conſcriptum.

Cenſeo tamen nihilominus, præceptum de mactandis hoſtiis propriè, & verè dici poſſe longè poſterius eſſe Decalogo, quomodo nunc fuiſſe dicit Ieremias. Quod priuſquam oſtendo, obſeruo, proprium eſſe præcepti, ac legis, &, vt Logici docent, de illius ratione, atque natura, vt ad id, quod iubet, obligationem inducat. Quare, vt humano loquar modo (nec enim nunc rationes motor, aut conſiderationes metaphyſicas) 39. *Præcepta de victimis poſteriora præceptis Decalogi. Tunc lex efficaciter quando obligat.*

B tunc dici poteſt, latum eſſe præceptum, cùm vim incipit habere præcepti, aut, quod idem eſt, cùm neceſſitatem inducit, & cùm, qui non paret, violati præcepti conſtituit reum. Quocirca, quia quæ ad Decalogum pertinent, ſtatim poſt exitum ab Ægypto data ſunt, & vim habuerunt obligatoriam, ideo de rebus, quas continet, indicitque Decalogus, præceptum à Deo in illo peregrinationis initio datum eſſe dicitur.

Quod verò de holocauſtis, & victimis, id, quod ſtatutum à Deo eſt, neceſſitatem nullam attulerit, niſi poſt multos annos à condito præcepto: conſtat non vno tantùm ex loco, ſed præcipuè ex capite 12. Deuteronomij, vbi holocau- 40. *Holocauſta & victimæ tantùm in terra promiſſionis offerenda.*

C ſta, & victimæ, & complura alia, quæ externam ſecum cæremoniam important, tunc fieri iubentur, cùm ventum fuerit ad terram promiſſionis: certúſque locus à Deo deſignatus, ſubactis hoſtibus, vbi iſthæc commodè præſtari poſſunt. Deuteronomij capite 12. *Tranſibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis, vt requieſcatis à cunctis hoſtibus per circuitum, & abſque vllo timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus veſter, vt ſit nomen eius in eo. Illic omnia, quæ præcipio, conferetis holocauſta, & hoſtias, ac decimas, & primitias manuum veſtrarum.* Ex his conſtat, cur toto peregrinationis tempore neque circuncisi fuerint Hebræi, neque celebratum Phaſe à ſecundo anno poſt relictam Ægyptum, 41. *Cur Iudæi in deſerto non circuncisi.*

D donec tranſmiſſo Iordane in terram promiſſionis apertus eſt aditus, Ioſue capite 5. quia ad illud vſque tempus, nullum de holocauſto, ac victimis agebat præceptum. Quis enim credat, Moyſem permiſſurum eſſe, aut ſimulaturum tandiu circuncisiones, aut Phaſe, ſi quòd tunc vrgeret mandatum, non impleri, cùm tam eſſet legis zelator, vt violati ſabbathi crimen, collectis in eo lignis, impunitum eſſe voluerit? Addo etiam mihi videri non improbabile, ad ſtata, legitimáque ſacrificia, tranſmiſſo etiam Iordane, populum non teneri, donec ſubacto hoſte, & pace per circuitum parta, certus eſſet; & à Deo definitus locus, vbi conſtituto, ac fixo tabernaculo, ſacrificia illa obire poſſint non incommodè. Ita putat Abulenſis in caput 18. Ioſue quæſtione 1. probátque ex capite 12. Deuteronomij, quod nuper

E adduximus; vbi etiam ſentit, donec tabernaculum tranſmiſſum eſt in Silo, non fuiſſe in vſum traducta quotidianum, aut ratum illa ſacrificia; cui ſubſcribit Serarius quæſtione 1 in caput 18. Ioſue.

Quòd ſi dicas, fruſtra queſtos videri Amos capite 5. & Stephanum Actorum capite 7. cùm exprobrant Iudæis, quòd longa illa quadraginta annorum peregrinatione intermiſerint illud ſacrifi- 42. *Amos c. 5. Actorum 7.*

ctiſi

crificiorum officium: quid enim deſertæ accuſarent religionis Hebræos, ſi ad hæc obeunda ſacrificia non cogeret lex? Sic autem Stephanus Actorum 7. & eodem propè modo Amos cap. 5. *Nunquid victimas atque hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto?* Reſpondeo, iuſtè queri Dominum per Amos, non quia omiſſa ſacrificia, ſed quia illa, quibus Deus Hebræam gentem onerare noluit, vltrò ipſi, atque auidè diis alienis, & multò duriora præſtiterunt.

43. *Sacrificia extra terrã promiſſionis oblata.* Quòd ſi adhuc obiicias, ante aditam terram promiſſionis ſacrificatum eſſe à populo in deſerto, vt conſtat Exodi capite 24. Leuitici capite 8. & 9. Numerorum 7. Reſpondeo, illa non pertinere ad ſtata, & quotidiana ſacrificia, ſed adhibita eſſe ad dedicationem tabernaculi, aut Sacerdotis conſecrationem: quòd ſi aliquando holocauſta, & victimæ oblata ſunt in ſolitudine, quod non eſt improbabile, quia non eſt contra pietatem, ac religionem, id factum exiſtimo ab Hebræis, non tam cogente lege, quàm voluntario, ac libero pietatis ſtudio.

Ex his conſtat, quomodo Deus primis illis temporibus nihil loquutus dicatur de holocauſto, ac victimis, quia quæ tunc præcepta dedit, noluit vim haberent vllam obligandi, donec ſtabilis eſſet, & pacificus locus in terra promiſſionis.

44. Verſ. 24. *Et non audierunt, neque inclinauerunt aurem ſuam.*] Cùm Deus grauia illa præcepta de mactandis victimis non impoſuiſſet, ſed tantùm internam indixiſſet ſanctitatem, quæ in animis cernitur bene conſtitutis, ipſi tamen à lege declinarunt, verámque ſanctitatem abiecerunt. Quorum impia conſilia adeò non exhorruit ſcelerata poſteritas, vt multò quàm patres impudentiùs in omnium ſe peccatorum genera proiecerint. Hæc aperta ſunt, nec plus à nobis operę deſiderant.

45. Verſ. 27. *Et loqueris ad eos omnia verba hæc.*] Narrauit Dominus tam poſterorum, quàm parentum ſcelera, dum cauſam reddit, cur ipſi venia ſint indigni, nunc iubet Prophetæ, vt illa renouet, & exprobrando ingerat Iudæorum auribus: quod eo facit conſilio, ne ſuæ deſit humanitati, nam certò ſciebat, inanes fore, & omnino ſine fructu propheticas voces.

46. Verſ. 29. *Tonde capillum tuum, & proiice, & ſume in directum planctum.*] Hic locus difficilis non eſt, ſi priùs ſtatuamus tria verba, *tonde, proiice, & ſume,* Hebraicè generis eſſe fœminei. Deinde vſitatum eſſe inter Hebræos, vt in luctu tam fœminæ, quàm viri, caput abraderent, vt docet Ieremias capite 16. *Non ſepelientur, neque plangentur, non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis.* Quod feciſſe videntur Iudæi non tam ſuo, quàm Gentilium ritu, à quibus multa hauſerunt impiæ cuiuſdam ſuperſtitionis plena. Hæc videntur poſſe colligi ex Deuteronomij capite 14. vbi Deus prohibet, ne gens Iſraëlitica in mortuorum funere caput decaluent, quia nimirum vicini populi ita faciebant. *Non vos incidatis, neque faciatis caluitium ſuper mortuos.* Sanè Iob capite 1. qui Gentilis erat, in ſuorum funere caput totondit. Quod etiam factum eſſe in Moabitarum clade docet Iſaias capite 15. & in excidio Tyri Ezechiel capite 27. Hoc ergo loco caluitium fieri iubet Dominus pro Ieruſalem, quia non procul abeſt eius interitus.

Caluitium in luctu. Ierem. 16. Deuter. 14.

47. *Crines diſperſi quid.* *Et proiice.*] In crinium laceratione, crines non A ſolùm euelli ex capite, ſed etiam proiici, res ipſa declarat. Sed ego hic aliquid mihi magis arcanum videre videor. Ciuitatis exitium, & quaſi funus ſignificauit Propheta detonſo capite, nunc proiectis, diſſipatiſque crinibus ciuium ſignificatur exitium, & multiplex in varia mundi loca diſperſio, quod mihi perſuadet Ezechiel, qui capite 5. iuſſus eſt, caput, barbámque tondere, tertiámque pilorum partem in ventum diſpergere: quod, vt ibidem ver. 12. declaratur, exilium, diſperſionémque tertiæ Iudæorum partis portendebat. Et in hanc ego ſententiam magis inclino, quia re vera (quod alibi ſæpe faciunt Prophetæ, qui non ſolùm verbis, ſed rebus, ſigniſque vaticinantur) B habitus iſte hieroglyphicus eſt, & proiectio illa capillorum ſuo quoque pondere, ac ſenſu non vacat. Ezech. c. 5.

Quòd ad ſenſum myſticum attinet, hoc hieroglyphico ſigno oſtenditur infeliciſſimus Iudæorum ſtatus, quos Dominus procul à ſe proiecit, ex quo illis accidit, vt viles eſſent, & ſordidi, vt pili dum in regio ſunt capite, aut barba, in honore ſunt, ac veneratione aliis, nemoque illis illuderet, aut attrectaret impunè: at poſtquam abſciſſi ſunt à capite in ſterquilinium proiecti, omnium ludibrio, atque conculcationi patent, neque minùs quàm alij indecorè putreſcunt. Sic Iudæi, dum grati Deo, eiúſque voluntati diditi C fuerunt, in capite videbantur eſſe Dei, quibus Deus quaſi corona quadam ornabatur, ſed poſtquam propter vitæ turpitudinem abſciſſi ſunt, longéque proiecti, in nullo ſunt apud homines pretio, immo paræmiali figura, in viliſſimarum rerum comparatione adducuntur. 48. *Vilis eſt, qui à Domino recedit.*

Et ſume in directum planctum.] Pro *in directum*, Hebraicè eſt, שפים *ſaphaim*, quod aliis locis Hieronymus tranſtulit, *vias*, & *rupes*; alij frequenter *in excelſum*, conuertunt: neque aliud fortaſſe hoc loco *directum* valet. Iubet ergo Dominus, aut in rupibus, excelſiſque locis, vnde vox longiùs audiri queat, Propheta clamet, annunciétque impendentem extremam fortunam ciuitati, aut, D quod verius puto, vt ſublata in altum voce, lugubri eiulatu, grauem Reipublicæ calamitatem deploret. Pro *in directum*, Septuaginta habent, *Sume in labiis planctum*: legerunt ſine dubio pro שפים quod directum, ſeu excelſum valet, שפתים *ſephathaim*, quod labia ſignificat. 49. *Planctus in directum.*

Dubitare hîc aliquis poſſet, an hæc verba Ieremiæ indicantur à Domino, an Ieruſalem? Poſterius ſuadet textus Hebraicus, in quo tria illa verba, *tonde, proiice, ſume*, & pronomen affixum, *tuum*, generis ſunt fœminei, quæ nullo modo videntur conuenire poſſe Ieremiæ. Sed eſt communis, conſpiránſque ſententia, verba hæc indicta fuiſſe Ieremiæ, & ſanè filum ipſum capitis non obſcurè docet, neque ratio deeſt, cur aut E caput detondeat, abiiciátque crines Ieremias, aut illi in eo dolore genus accommodetur fœmineum. Quod ad caput tonſum, proiectóſque crines, iam nuper attigimus, ſigna hæc eſſe hieroglyphica, qualia ſæpe vidimus in Prophetis, neque ſemel Ieremias, qui capite 27. illigato vinculis collo futuram populorum ſeruitutem prædixit. 50.

De fœmineo genere ratio aliqua eſt, neque illa inepta, fortaſſe in eo genere muliebrem eiulatum, ideſt, clarum, & ſonantem indicat: nam viri non tam in luctu plangunt, quàm gemunt, indecorúmque putant, in dolore gemitum foris audiri. 51. *Fœminarũ luctus.*

audiri. Quare cùm Dauid filium ſuum Amon multis diebus fleuiſſe dicitur, quia mollis ille animus, & tot dierum fletus aliquid olet muliebre, genus Danidi datur in eo dolore fœmineum: vbi enim Vulgatus, *luxit Dauid*, Hebraicè eſt, ותכל-דוך *vathecal Dauid*, in terminatione fœminea.

52. Sed credo, hîc ſimilitudinis notam ſubaudiri, & in tribus illis verbis, quæ terminationem habent fœmineam, intelligendas eſſe præficas, ſeu lamentatrices, quæ ad plangendum aliorum funus conduci ſolent, quæ lacrymas vendunt, à quibus non minùs vberes ars, & ſimulatio, quam ab aliis verus exprimit dolor. Hæ crines lacerant, aut naturales, aut aſcititios, diſpergúntque quaſi vrgente dolore, eiulatus edunt canoros, & triſtes, quos à laborante, atque deficiente animo proficiſci putes. Has autem lamentatrices Ieremiæ ſæculo ſolere conduci, ipſe docet infrà capite 9. ver. 17. *Vocate lamentatrices.* His poſitis addita ſimilitudinis nota, ſic ego ſenſum informo: O Ieremia, ad præficarum morem, caput nudatum crinibus deforma, crines diſperge, & planctum inſtitue, non tacita quadam murmuratione demiſſum, quod viri faciunt in luctu, ſed acutum, & vlulantem, qualem impotens fœminarum genus edere ſolet. Hîc ego obiter obſeruo, non ſolùm apud Hebræos lamentatrices ad funus, ſed etiam lamentatores ſolere conduci. Quod colligo ex Amos cap. 5. *Vocabis*, inquit, *agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciūt plangere.* Quod etiam aut probat, aut indicat illud 2. Paralip. 35. de funere Ioſiæ: *Omnes cantores atque cantatrices, vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant.*

Lamentatrices, & præficæ.

53. Porro hic habitus eſt eius, qui funus ciuitatis deplorat, de quo funere ſtatim. Videtur autem Propheta in eo, quem deſcripſimus, habitu, aliquot diebus obiiſſe ciuitatem, clamando, denunciandóque, durum, & iam iam impendens à Chaldæo ciuitatis exitium; ad eum opinor modum, quo Ieſus quidam diebus multis horribili, ac penè continenti voce eiuſdem ciuitatis, ac templi ſtragem prædicebat. De quo ſic Ioſephus libro 6. de bello, capite 12. *Ieſus quidam filius Anani plebeius, & ruſticus, quadriennio priùs quam bellum gereretur, in ſumma ciuitatis pace, atque opulentia, cùm ad feſtum diem veniſſet, repentè exclamare cœpit, Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis; vox in Hieroſolymam, & templum; vox in maritos nouos, nouáſque nuptas; vox in omnem hunc populum. Atque hæc interdum, noctúque clamitans, omnes ciuitatis vicos circuibat.*

Aliquot dies fleuit Ieremias.

Ieſus quidā plangit Ieruſalem.

54. *Quia proiecit Dominus, & reliquit generationem furoris ſui.*] Hæc eſt explicatio hieroglyphici ſymboli, crinium nempe longè à capite proiectorum: vt enim capilli detonſi, diſſipatique ſunt, ſic generationem, in quam Diuinus deſæuiet furor, abiiciet Deus. Dicitur autem generatio furoris illa, cui ſuccenſet Deus, & in quam vltricem manum habet intentam. Nota dicendi modum grauem ad terrorem. Generatio namque Dei furoris illa dicitur, in qua non dominatur Dei clementia, ſed furor: qualis eſt illorum qui ab Apoſtolis dicuntur *vaſa iræ.*

Peccator, ſcopus iræ Dei.

55. Verſ. 30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo.*] Idola intellige, & impura ſacra, quæ Iudæi in templo poſuerunt, de quibus nos ſuprà pluribus. Quæ etiam offenſiones dicuntur Ezechielis capite 5. ver. 12. & capite 11. ver. 18. vbi cum offenſionibus *abominationes* quoque coniunguntur.

56. Verſ. 31. *Et ædificauerunt excelſa Topheth, quæ eſt in valle filij Ennom, vt incenderent filios ſuos, & filias ſuas igne.*] Præter offendicula, ideſt, idola in templo locata, aliud Iudæi barbarum, atque horribile ſtatuerunt offendiculum in Topheth, ideſt, in valle ciuitati proxima, quæ quia poſſeſſio fuerat filiorū Ennom Gehinnon, ſiue Gehenna dicebatur, vbi excelſum, ideſt, altare conſtruxerunt, conſecrarúntque Moloch, cui filios per ſummam acerbitatem traductos per ignem immolabant. In capite 19. infrà, vbi hæc verba eodem penè modo repetuntur, conſecrati dicuntur filij Baalim, ſed quia Baalim commune nomen eſt Gentium idolis, ideo in eo nomine intelligendum arbitror Moloch.

Topheth quid.

57. *Excelſum* hoc loco idem eſt, quod altare, ſeu locus impio idolorum cultui deſignatus, quia altaria olim in editis montium faſtigiis excitabantur. Topheth, vt pluribus docuimus in caput 30. Iſaiæ, à radice תפף *taphaph* deductum eſt, quæ tympanizare ſignificat, quia parentes, ne filiorum vocibus commoti ab impio, atque immiti ſacrificio deſiſterent, tympanis, ac ſiſtris filiorum eiulatibus obſtrepebant, cùm per ignem traducebantur, aut, quod alij putant, in æreo Moloch ſimulacro igne candente torrebantur.

58. Verſ. 32. *Non dicetur ampliùs Topheth, & vallis filij Ennom, ſed vallis interfectionis: & ſepelient in Topheth, eò quòd non ſit locus.*] Vt locus ille ab immani filiorum cæde vocatus eſt Topheth, ſic poſtea ex cæde Iudæorum, quos fames extinguet, aut Chaldæorum ferrum, quique in eo tanquam in communi, viliique ſepulcro putreſcent, dicitur vallis interfectionis. Hæc eadem dixit Ieremias iterum, cùm iuſſus eſt capite 19. egredi ad portam fictilem, iuxta quam eſt Topheth, ſeu vallis Gehinnon, vt in eo apertè dicitur loco. *Egredere* (inquit) *ad vallem filij Ennom, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis*; vbi pro, *filij Ennom*, Septuaginta conuertêre *polyandrium*; quod commune ſepulcrum valet, quia in illud multorum cadauera proiicienda.

59. *Et ſepelient in Topheth, eo quòd non ſit locus.*] Rationem reddit cur vallis illa Gehinnon vocanda ſit poſtea *vallis interfectionis*, ſeu, vt dixit Ieremias capite 19. vallis conciſionis, quia in ea ſepelietur Iudæorum innumera penè multitudo, quia nullus erit locus, qui tantæ cadauerum multitudini ſufficiat. Porro illud, *&*, cauſalis particula eſt, rationémque reddit, cur locus ille dici debeat *vallis interfectionis*, ſeu, vt ego interpretor, *vallis interfectorum*, quia non tam ibi occiſi ſunt Iudæi, quàm eò tanquam in ſepulcrum proiecta illorum cadauera. Neque infrequens eſt in ſacra Scriptura, vt pro concreto adhibeatur abſtractū.

60. Verſ. 33. *Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus.*] Non omnino actum ſecum putabant infeliciter omnes penè gentes, ſi in extrema fortuna homines obtinerent, vt ſaltem in morte humo tegerentur, ídque ipſis plurimùm erat in votis, quare horrebant valde, ne eò deducerentur, vt inhumati vultures paſcerent, & coruos. Sanè Eccleſiaſtes capite 6. infelicem vocat illum, qui ſepultura caret. *Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturáque careat, de hoc ego pronuncio, quòd melior illo ſit abortiuus.* In hæc Chaldæorum tempora, credo, intuebatur Dauid, cùm Pſalmo 78.

Sepultura carere, miſerum.

Eccle. 6.

Poſue

Pſalm.78. *Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ.* Sancti verò hoc loco dicuntur, non quia eorum vita ſancta, ſed quia illorum lex, atque profeſſio ſanctos faciebat, aut exigebat mores; quomodò in Eccleſia olim Chriſtiani omnes vocabantur Sancti. Hæc porro eſt illa ſepultura aſini, in qua proiiciendus dicitur Iechonias filius Ioſiæ, Ieremiæ capite 22. in ſordido nempe loco, atque ſub aperto cælo.

6. Verſ.34. *Et quieſcere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem vocem gaudij.*] Ab omni lætitiæ voce ſilentium indicit Iudæorum genti, futurúmque denunciat, vt non iam ſicut antè illorum nuptiæ cum geniali plauſu, cum voce ſponſi, & ſponſæ, idest, cum epithalamiis, atque ſymphonia de more celebrentur, quod etiam infrà capite 16. & capite 25. minatus eſt, vbi etiam addidit *vocem molæ, & lumen lucernæ*, quæ magna pars ſunt nuptialis gaudij. Quòd gaudia, plauſúſque continuerint poſt Chaldæorum appulſum, docuit idem, qui prædixit Ieremias Threnorum capite 5. *Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium.* Hæc de capite ſeptimo.

ARGVMENTVM CAPITIS VIII.

Primùm docet Propheta futuram ciuitatis ſtragem, eum Chaldæorum furorem, vt non viuis tantùm, ſed etiam mortuis, eorúmque ſepulcris bellum indicant: quorum effodiant oſſa, & in aperto loco indecorè relinquant. Deinde, comparatione ab animalibus ſumpta, Iudæorum in peccando tarditatem incuſat. Poſtea, qualis futura ſit afflicti prius, deinde captiui populi calamitas, eleganti quadam mimeſi declarat.

IEREM. CAP. VIII.

1. *IN illo tempore, ait Dominus: Eiicient oſſa Regum Iuda, & oſſa Principum eius, & oſſa Sacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum qui habitauerunt Ieruſalem, de ſepulcris ſuis:*

2. *Et expandent ea ad Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus ſeruierunt; & poſt quæ ambulauerunt; & quæ quæſierunt, & adorauerunt: non colligentur, & non ſepelientur: in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.*

3. *Et eligent magis mortem quàm vitam omnes qui reſidui fuerint de cognatione hac peſſima in vniuerſis locis, quæ derelicta ſunt, ad quæ eieci eos, dicit Dominus exercituum.*

4. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Nunquid qui cadit, non reſurget? & qui auerſus eſt, non reuertetur?*

IN IDEM CAP. PARAPH.

1. IN illo tempore non ſolùm viuis, & pugnantibus viris, bellum inferetur, ſed etiam mortuis, & iam pridem ſepulturæ mandatis. Scrutabitur enim victor, inſolénſque Chaldæus Regum mauſolæa, atque inde illorum, atque aliorum Principum oſſa, Sacerdotum item, & Prophetarum, & aliorum, qui vrbem incoluerunt, oſſa commouebit.

2. Effodiet illa Barbarus, & Soli, ac Lunæ, reliquíſque cæli ſyderibus exponet, quibus ipſi Diuinos honores impenderunt, ſibíque amandos, quærendos, illíſque præ cæteris ſeruiendum arbitrati ſunt. Vbi autem oſſa fuerint extracta de ſepulcris, non referentur rurſus in monumenta, ſed in aperto iacebunt, atque profano loco, ex quibus turpe fiat, ac fœtidum ſterquilinium.

3. Nunc omiſſis violatis ſepulcris, oſſibúſque diſperſis, ad illos redeo, qui in tempus incident Babylonicum; quorum cùm valde ſint miſeri, qui fame tabeſcent, aut gladio cadent: at qui communem illam cladem effugerint, ſic erunt infelices, vt illorum vita meritò cenſeri debeat morte longè miſerior, quocunque in loco derelicti, atque iactati fuerint.

4. Hæc dices, ô Ieremia, meo nomine ad populum in ſuo ſcelere pertinacem. Nónne, qui cecidit, magno nixu laborat, vt à lapſu reſurgat? Et qui errauit à via, ne

A deuius in præcipitium ruat, ad viam, quam reliquit, quàm poteſt ocyſſimè reuertitur?

5. Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.

5. Quare ergo Solymitanus hic populus ſic auerſus eſt, vt conuerti non ſtudeat? Quare ſic contentioſus eſſe vult in auerſione, vt obſtinata impudentia ſuperare contendat infinitam Domini bonitatem, neque diuelli ſe ſinit à mendacio, cui ſemel pertinaciter adhæſit?

6. Attendi, & auſcultaui: nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.

6. Accepi attentis auribus, quid populus ille loqueretur, neque vllum audiui verbum, quod probarem: neque quen- B quam vidi, qui pœnitentiam ageret de peccato. Quilibet enim non minùs ſtultè, quàm impudenter dicit, Ecquis me ſceleris coarguet? Ecquid à me peccatum eſt? Sunt ſanè hi quàm ſimillimi equo, qui ad prælium videtur eſſe natus; atque ideo quantumuis ſæpe periculum adierit, eò ſe rurſus alacer, & intrepidus refert. Sic iſti aſſueti peccatis, quaſi nati forent ad peccandum, ad peccatum properant incitato curſu.

7. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia, cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.

7. Miluus, turtur, hirundo, atque ciconia hyemis aſperitatem præſagiunt, atque C ita ſe à frigidâ regione ad loca tepentia, magíſque benigna recipiunt: neque priùs ad nota ſe domicilia referunt, quàm mitiorem auram rediiſſe vident. At populus, cui minus videtur eſſe mentis, hyemalem glaciem, & cælum à Dei ſeuero iudicio nubilum inſtare non videt: atque ideo ſaluti ſuæ maturè non conſulit.

8. Quomodo dicitis: Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum.

8. Quæ igitur iſthæc eſt amentia? vt quiſquam ſibi arroget ſapientiæ nomen, qui à multis animantibus ſuperatur? aut D ſibi ipſi in legis cognitione placeat, qui tam longè eſt, vt ex legis præcepto, aut ſuam, aut aliorum vitam informet? Sanè Scribæ non tam verè nobis Scripturam exponunt, quàm falsò ex ſuo cerebro mendacia confingunt.

9. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis.

9. Hi ergo, quia ſua ſibi ſunt opinione ſapientes, in magna erunt perturbatione, atque æſtu; ac tandem, quia verbis Domini nullum ineſſe pondus arbitrati, illud contempsêre, de ſapientiæ laude ſibi blan- E diti, cùm tamen procul abeſſent à ſapientia.

10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus: quia à minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur: à Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.

10. Idcirco vxores eorum aliorum libidini ſubiectæ, grauiora patientur, quàm pudicas decet. In eorum agros tamquam in hæreditariam poſſeſſionem externi prædatores irrumpent. Omnes enim ſummi, atque infimi pecuniis vndecũque congregandis inuigilant. Omnes denique, neque hinc Prophetam, aut Sacerdotem excipio, mendacium meditantur, & fraudem.

11. Et ſanabant contritionem filiæ populi mei

11. Qui populum laborantem ad mortem

mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax: cùm non eſſet pax.

A tem ita curabant medicamento fallaci, vt illum ignominioſè traduxerint. Nam cùm pax eſſet nulla, illi tamen pacem, & ſecurum otium promittebant.

12. *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt: quinimo confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus.*

12. Confundi ſanè Iudæi, atque erubeſcere debuiſſent, ſi quod exigerent eorum merita conſideraſſent; ſed quia aut propter inertiam nolunt, aut propter ſtuporem non aſſequuntur, ideo aut neſcierunt, aut noluerunt erubeſcere. Quamobrem ad illorum numerum aggregabuntur, qui in acie hoſtili ferro corruerunt.

13. *Congregans congregabo eos, ait Dominus: non eſt vua in vitibus, & non ſunt ficus in ficulnea, folium defluxit: & dedi eis quæ prætergreſſa ſunt.*

B 13. Faciam, vt in ea perturbatione ac metu ad loca ſe munita recipiant Iudæi, ita vt inde pauidi exire non audeant ad colligendos ex arboribus fructus. Quantumcunque enim vitis abundet racemis, aut ficubus ficulnea, quia illis non veſcentur obſeſſi, perinde erit, ac ſi nullum peperiſſet fructum, aut nullum etiam folium produxiſſet. Quidquid enim, dicit Dominus, illis dedero, ſiue à vite, ſiue à ficulnea, id totum ab ipſis ad Chaldæorum vſum traducetur.

14. *Quare ſedemus? conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam, & ſileamus ibi: quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccauimus enim Domino.*

C 14. Perturbati eo tempore Iudæi, & deſperantes potentiori hoſti ſe poſſe repugnare, qui in locis eſſent apertis hoſtium armis, atque iniuriis expoſiti, ſic ſe viciſſim incuſant, & hortantur. Quare otioſi in loco minimè tuto deſidemus? Quin ingredimur ciuitatem munitam, vt ibi noſtrum exitium taciti lugeamus? Quando eò nos adduxit Dominus, vt nihil iam reliquum ſit præter ſtuporem, & ſilentium ex deſperatione, qui animos noſtros ſic affecit ægrè, vt abſynthio, & felle potaſſe videatur, digna planè ac iuſta peccati
D pœna?

15. *Expectauimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido.*

15. Expectauimus pacem, quæ multùm erat in Prophetarum ore, neque tamen nobis quicquam aduenit pacificum, & bonum: medelam expectabamus ab Ægyptiis, qui nobis opem, & ſalutem promittebant, neque aliquid nobis ſupereſt, præter metum.

16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt omnis terra: & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, vrbem, & habitatores eius.*

16. A Dan, dicit Dominus, per cuius fines Babyloniis in Iudæorum fines tranſeundum eſt, auditus eſt & horrificus equorum fremitus, & ab exultantium ho-
E ſtium, & ad prædam iam inuolantium hinnitu terra concuſſa eſt, & commota grauiter. Inuaſerunt etenim terram, deuorarúntque quidquid erat in illa, tam vrbes, quàm vrbium habitatores, & dominos.

17. *Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus.*

17. Ego etenim in veſtros fines Chaldæorum exercitum immittam, qui regulorum in modum, non ex ore ſolùm, ſed etiam ex oculis præſens eiaculentur, & lethale venenum. Et ſicut reguli neque magico ſopiri carmine, aut vlla poſſunt arte

A cicurari: ſic etiam Chaldæos nullæ preces, aut pretium à cæde cohibere poterunt.

18. *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.*

18. Graues, inquit populus, animum meum dolores excruciant, qui non vnus eſt, ſed varij, atque multiplices, qui ſine vlla ceſſatione ſibi mutuò ſuccedunt.

19. *Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua: Numquid Dominus non eſt in Sion, aut rex eius non eſt in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitauerunt in ſculptilibus ſuis, & in vanitatibus alienis?*

19. Audire videor, inquit Ieremias, à terra vſque longinqua, à Babylonico nempe exilio, lugubrem Sionis eiulatum. Ad quem Dominus non mirandum, inquit, quòd populus tam procul à patria miſerabiliter fleat, cùm ſimulacra coluerit, &
B in eam ciuitatem inuexerit; cùm tamen eſſet in Sione Deus, quem conſuluerat, & Rex, cuius imperio regi, & potentia defendi potuiſſet. Hæc me veſanus, & ingratus animus, vt has ab illo pœnas exigerem, adduxit.

20. *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſaluati non ſumus.*

20. Tranſierunt hyemes, & æſtates plurimæ, inquiunt Iudæi, in Babylonia exules: neque tamen nobis aduenit, aut aperitur ad libertatem aditus.

21. *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus, ſtupor obtinuit me.*

21. Propter hanc contribulium meorum afflictionem, inquit Ieremias, ingenti conficior mœrore, excrucior animo, &
C omnes mihi ſenſus adimit ſtupor.

22. *Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?*

22. Nunquid, ait Dominus, non eſt à me ſatis diligenter, ac maturè populi morbo, doloríque prouiſum? non eſt in Galaad reſinæ, aliorúmque medicamentorum ſatis, atque ibi medicus, qui opportuna illa, atque ſcienter adhibeat. Quid ergo eſt, quod adhuc crudum vulnus hiat, neque illius hactenus cicatrix abducitur?

IN CAPVT OCTAVVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Eiicient oſſa Regum Iuda, & oſſa Principum eius, &c. de ſepulcris ſuis.*]

Oſſa Regum effoſſa.

VIDE an vlterior eſſe poſſit vlla ad Iudæorum calamitatem acceſſio. Non ſolùm qui duro, atque (vt ita dicam) fatali bello occubuêre, ſepulturæ honorem conſecuti non ſunt, ſed etiam, qui priùs fuerant ſepulturæ mandati, inde non minùs impiè, quàm crudeliter effoſſi, Solis iterum, & Lunæ aſpectus ſubierunt. Hæc nunc minatur Propheta, quæ fuiſſe poſtea à Babylonijs patrata, iuxta hæc Ieremiæ verba, puto etiam & aliorum Prophetarum, quorum tamen verba excidiſſe videntur, certè non ſubeunt, tradit Baruch capite 2. numero 24. *Statuiſti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, vt transferrentur oſſa Regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo;* D *& ecce proiecta ſunt in calore Solis, & in gelu noctis.* In ſumma deputabatur miſeria, ſi quando mortuorum effoderentur, & diſſiparentur oſſa de ſepulcris, quæ in omni fermè Gente habita ſunt religioſa. Sic Horatius in Epodo ode 16. eo dicendi genere extremam oſtendit populi Romani fortunam:

Baruch 2.

Barbarus heu cineres inſiſtet victor, & vrbem
Eques ſonante verberabit vngula:
Quæq; carent ventis, & ſolibus; oſſa Quirini,
Nefas videre diſſipabit inſolens.

2. *Cur oſſa de ſepulturis effoſſa.*

Quam ob cauſam diſiecta fuerint Regum ſepulcra, & oſſa diſperſa, non vna omnium ſententia eſt. Quidam crudelitati aſcribunt Chaldæorum, quibus non ſatis fuit, viuis libertatem, & vitam eripere, ſed mortuis etiam illudere voluerunt.

luerunt. Hieronymus, & alij, ſacrilegæ huius audaciæ auaritiam eſſe cauſam arbitrantur: dicunt enim in ſepulcris recondi ſolita præcipua mortuorum ornamenta, & ingentem interdum auri vim; quam vt eruerent hoſtes, non recuſarunt violati ſepulcri ſubire crimen, & ignominiam. Et quidem pretioſa quæque ornamenta cum mortuis in ſepulcrum inferri ſolita à Gentilibus hiſtoriæ tradunt profanæ. Habes hac de re multa apud Alexandrum Neapolitanum lib. 3. Genialium, c.7. Quod etiam vſitatum ab Hebræis, docet Ioſephus libro 13. Antiquitatum, capite 15. vbi ab Hircano extracta fuiſſe memorat tria talentorum millia de ſepulcro Dauid. Et Sozomenus libro 9. capite vltimo in ſepulcro Zachariæ Prophetæ conditum dicit fuiſſe regium puerum cum aurea corona, aureis calceamentis, & veſte pretioſa. Hanc ego cauſam potiorem eſſe puto: maxima enim ignobiles animos capit auaritia. Neque ignorare Chaldæi poterant, certò ſuſpicari, in regiis Mauſolæis, qui quotidie videbant, in loco maximè frequenti, ac celebri, in porta nempe Babylonis, Semiramidis tumulum cum hac inſcriptione: *Cui Regum Babylonis poſt me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto ſepulcro ſumet quantumcunque libuerit.* Sic Herodotus libro 1. Quid verò de tanta auri vi, quam conditam eſſe dicit Ioſephus in Dauidis ſepulcro, iudicari debeat, diximus in noſtris Commentariis ſuper Acta, cap. 2.

Ornamenta pretioſa & opes cum mortuis inferri ſolita.

Zachariæ ſepulcrum.

B

C

3. Verſ. 2. *Et expandent ea ad Solem, & Lunam, & ad omnem militiam cæli, quæ dilexerunt.*] Ex his colligebam in capite 2. Actuum, v. 72. oſſa Dauidis, & aliorum Regum, qui ſanctè vixerunt, neque Soli, Lunæ, cælique militiæ ſacrificarunt, non fuiſſe ex ſuis extracta tumulis. Et de Dauid peculiaris eſt ratio, quia Actorum 2. vt probet Petrus Dauidis corpus corruptionem ſubiiſſe, remittit Iudæos ad eius ſepulturam; quòd ſi ibi non eſſet regium cadauer, vim haberet nullam Petri experimentum. Quod Ieremias dixit, *Expandem eam ad Solem, & Lunam*, idem explicuit Baruch capite 2. his verbis: *Proiecta ſunt in calore Solis, & in gelu noctis.* Aptè verò Solis, Lunæque meminit, dum ludibrium Regum, & ignominiam memorat. Tam longè namque abeſt, vt Dij, quos impij illi Reges coluerunt, honori conſuluerint cultorum ſuorum, vt eorum potiùs ignominiam ſpectantibus prodant. Deformia etenim oſſa, & putridam tabem, ſeu impuros cineres, quæ ſuo cohibebant, & cælabant in gremio, illa Sol, & Luna, è tenebris effoſſa manifeſtant, quantúmque ſqualloris, ac turpitudinis inſit in vili, atque ſordido cadauere, ſpectandum proponunt.

Dauidis oſſa non videntur exhumata.

Baruch c. 2.

D

Dij Gentiū ipſis ignominiæ ſunt.

4. *Non colligentur, & non ſepelientur: in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.*] Solet Chriſtiana pietas exhumata fidelium oſſa in commune aliquod ſiue ſepulcrum, ſiue receptaculum proiicere, quod polyandrium, ſeu veriùs oſſarium appellare poſſis. Quod item faciunt plures aliæ nationes, quæ ſupplicij loco ſtatuunt, aliquem honore carere ſepulturæ. At ea fuit Iudaici populi calamitas, vt ne Reges quidem ipſi terra regantur, ſed cum reliqua turba ignobilis vulgi, quaſi aſini in ſterquilinio iaceant. Hic locus mihi perſuadet ex ſuis loculis extracta non eſſe Dauidis oſſa, quia ſi extracta forent, non eſſent in ſuum tumulum reſtituta. At in tumulo fuiſſe longè poſt hæc tempora, docet Petri oratio Actorum

E

Oſſa Dauidis non extracta.

A

2. de qua nuper. Adde, quòd multò poſt hæc tempora, vt dicit Ioſephus libro 13. Antiquitatum, capite 15. Hircanus ex Dauidis ſepulcro multa auri talenta ſumpſiſſe traditur: quæ quidem non reliquiſſent Chaldæi, ſi Dauidis monumentum, vbi cum ipſo condita fuerant, ſcrutati fuiſſent.

Verſ. 3. *Et eligent magis mortem, quàm vitam omnes, qui reſidui fuerint de cognatione hac peſſima in vniuerſis locis, quæ derelicta ſunt.*] Hæc, quæ de Regum ſepulcris violatis, eorúmque diſſipatis oſſibus dicta ſunt, videntur includenda parentheſi; quare quæ nunc ſubiiciuntur, cum his, quæ poſtrema fuerunt in præcedenti capite, contexenda ſunt. Dixerat autem Propheta de Iudæis ſub finem capitis, *Et erit morticinum populi huius in cibum volucribus*, &c. nunc addit, nihilo mitiùs agendum cum his, qui communem illam cædem effugerint, quocunque illos locorum appellere contigerit. Erit enim vita, quam ſuperſtites agent, adeò non optabilis, vt meritò cenſeri debeat morte longè moleſtior. In illo, *quæ derelicta ſunt*, hypallage eſt; pro, in vniuerſis locis, in quibus derelicti ſunt, ſicut illud Pſalmi 36. *Et non eſt inuentus locus eius.* ideſt, ille non eſt inuentus in loco. 5.

Verſ. 4. *Nunquid qui cadit, non reſurget, & qui auerſus eſt, non reuertetur?*] Comparatione populi ſcelus amplificat, qui ab eo, quod arripiunt, ſcelerato conſilio, neque vltrò ipſe recedere vult, neque admotis à Domino quibuſdam quaſi machinis ab eo diuelli. Qui cadit, laborat, ne perpetuò iaceat: ſed toto conatur nixu, vt à lapſu reſurgat. Qui errauit à via, ne omnino deuius in præcipitium ruat, ad ſemitam veram, quam reliquit, cùm primùm deerraſſe ſe cognouit, reuertitur. At tu Ieruſalem, in illo, in quod cecidiſti, cœno turpiter volutaris: cúmque habeas quotidie duces, qui te ad viam, à qua digreſſa es, ſine errore reducant, tu tamen errare cæca mauis, quàm certis, & tutis inſiſtere veſtigiis. A corporalis itaque lapſus reſurrectione, hortatur Dominus Ieruſalem, vt à peccato, in quo iam pridem hæret, excitari ſe ſinat. Hæc eſt omnium fermè communis ſententia, in qua nihil apparet diſtortum, nihil alienum. Quod enim aliqui à ſpirituali ruina, à qua alij exſurgere ſtudent, comparationem duci putant, faciunt id, & minùs ſignificanter, & minùs aptè ad ſimilitudinis naturam, quæ ab illis rebus frequenter ducitur, quæ magis ſunt ante hominum oculos propoſitæ: qualis ſanè non eſt ſpiritualis reparatio poſt lapſum, cùm de alio lapſu, atque errore quotidiana occurrant exempla, eáque maximè manifeſta. 6.

Pœnitentia curſum mutat.

Verſ. 5. *Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa?*] Amplificat nunc obſtinati populi perfidiam, qui in re tanta, in qua non leuia rerum momenta tractantur, imitari recuſant, qui à ruina multò leuiori confeſtim excitantur, & in errore, in quo nimium eſt periculi, diu verſari periculoſum eſſe putant. Immo peccandi obſtinata impudentia vincere ſtudent infinitam Domini voluntatem. Illud enim eſt *auerſio contentioſa*: nituntur enim contra Domini machinas, Prophetarúmque voces, in ſuo errore obſtinato perſiſtere, quaſi laudi ducant malè viuendo, ſtudio contentioſo Diuinam ſuperare clementiam, neque ab eo diuelli, quod ſemel amplexi ſunt. 7.

Obſtinatus cum Deo certat.

8. Verſ.6. *Conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.*] Apta ſimilitudine ineffrænatum Iudæorum impetum ad omnem intemperantiam declarat: vt enim equus, qui ad prælium videtur eſſe natus, & cùm procul odoratur bellum, vbi ſonitum audierit buccinæ, ſtatim adhinnit, neque periculum, ex quo ſæpe liberatus eſt, illum exanimat, aut remoratur, quominus ad prælium ſe rurſus, atque ad periculum referat: ſic iſti aſſueti peccatis, quaſi ſolùm eſſent ad peccandum nati, ad peccatum properant incitato, atque anhelato curſu; neque dum defuncti laborioſo, & duro peccandi faſtidio, iterum redintegratis animis ad eandem ſe referunt palæſtram. Hoc aliter explicuit ſuprà Propheta capite 2. numero 24. *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ, attraxit ventum amoris ſui, nullus auertet eam.*

Obſtinatus ad peccandum præceps.

9. Septuaginta paulò aliter legunt; *currens deficit à curſu ſuo, & equus defeſſus in hinnitu ſuo.* Cuius iuxta Theodoretum hæc eſt explicatio. Curſor defeſſus aliquando reſpirat, & à curſu requieſcit, neque equus perpetuò ſuo indulget hinnitui. At populum meum nullus laſſat labor, nulla ſatiat aſſiduitas peccandi, nimirum ille magis furit in omnem intemperantiam, quàm equus in Venerem, multò illi plus quàm equo ſtuporis ineſt.

Bellua minùs ſtupida, quàm peccator.

10. Verſ.7. *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.*] Iuxta Septuaginta tranſlationem magis pertinax in peccando vocatur populus, quàm curreus in curſu, aut equus in hinnitu. Nunc exemplis aliis ſtuporem populi, & obdurati animi pertinaciam oſtendit. Aues iſtæ hyemis aſperitatem præſagiunt, atque ita à frigida regione ad loca tepentia, magíſque benigna ſe recipiunt: neque priùs ſe ad nidos, notáque domicilia referunt, quàm terræ temperiem, mitiorémque auram redditam eſſe videnr. Quomodo hæ volucres pro temporum varietate ſedes mutent, ſcripſerunt externi, & nos quotannis idipſum obſeruamus. Vis autem comparationis in eo, vt credo, cernitur, quia volucres iſtæ multò antè præſagiunt aut hyemalem inclementiam, aut vernalem temperiem: neque illas vnquam in regione frigida deprehendit hyems, neque in calida æſtas. Hyemem pro ærumnoſo tempore vſurpari, nemo dubitat, in qua cæli triſtis eſt, & nubila facies, & omnia contracta. Præſagire populus ille debuiſſet, inſtare ſibi hyemalem glaciem, & nubilum cælum, ideſt, calamitatem, quam magno ſuo merito ab vltore Deo timere poterant, neque illius tempeſtatis defuêre præſagia, cùm diu, & continenti penè voce clamarent Prophetæ, & illius cladis non obſcura præceſſiſſent prognoſtica. At corrigẽdis motibus, mutatóque curſu ab hyemis illius rigore non refugerunt, ad loca nempe tuta, ad Dei ſcilicet obſeruantiam, & vitæ intemperanter actæ pœnitentiam. Iudicium Domini, quòd ſtolidus ille populus non cognouit, aut præſagia ſunt ſtragis futuræ, aut certè dutum ipſum ſupplicium infligendum à Deo.

Aues quadam temporis opportunitatem agnoſcunt.

Peccatoris ſtupor.

11. Didicimus ab animantibus mutis multa medicinarum genera pro variis affecti corporis moleſtiis, neque ab illis tanquam à magiſtris didiciſſe pudet, quod corpori futurum eſt ſanitati; ſic etiam à volucribus pœnitentiam didicimus, quæ à periculoſæ vitæ flexibus auertit, & ad rectæ, ac planæ ſecuritatem reducit. Docuit hæc Tertullianus libro de pœnitentia, capite 12. *Cùm ſcias aduersùs gehennam, poſt prima illa intinctionis Dominicæ monimenta eſſe adhuc in exhomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi? Muta quidem animæ, & irrationabiles medicinas ſibi diuinitus attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta transfixus, vt ferrum, & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exhomologeſim, ſciens præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna reſtituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſqualore exhomologeſim operatus vnguium aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum præ ſe ferente.* Hæc Tertullianus. Tu vide reliqua. Hebraicas voces, pro quibus hæc auium genera reddidit Vulgatus, variè alij interpretantur, immo Vulgatus ipſe aliis in locis. Ab hoc ego negotio ſuperſedeo, quia nihil mihi, neque aliis, puto, ea de re quicquam eſt certum. Non valde diſſimili comparatione Iſaias capite 1. Iudæorum inſipientiam coarguit, in quibus minus eſſe ſapientiæ dicit, quàm in boue, atque aſino animalium omnium ſtolidiſſimis. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſraël autem non cognouit.*

A brutis multa didicimus.

Pœnitentiam volucres docent.

Verſ.8. *Quomodo dicitis: Sapientes nos ſumus; & lex Domini nobiſcum eſt?*] Quæ igitur iſthæc eſt amentia? vt ſapientiæ ſibi nomen attribuant, qui à mutis iſtis animantibus ſuperantur? Aut quomodo ſibi ipſis glorioſè blandiuntur, quòd legem habeant, qui tam longè ſunt, vt ex legis præſcripto ſuos inſtituant mores? aut vt verè legem interpretentur? 12.

Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum.] Scribarum munus eſt, legem interpretari, & quæ in ea dubia occurrunt, exponere, qui ſapientes vocantur, & legis Doctores. De quibus Chriſtus Matthæi capite 13. *Omnis ſcriba doctus ſimilis eſt patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.* & capite 17. rogauerunt Diſcipuli, *Quid ergo ſcribæ dicunt? quòd Eliam oportet venire.* & Marci 12. *Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe Dauid?* Vide de ſcribis plura apud Toletum, capite 18. in Ioannem. Hi ergo ad ſuam, aliorúmque libidinem legem exponentes, in errorem, atque exitium trahebant non ſolùm imperitum vulgus, ſed etiam Principes, & Reges, in quibus oportebat plus eſſe conſilij. Cùm dicerent, apud ipſos legem eſſe, iuxta quam inſtituenda eſſet tam publica, quàm priuata ratio, cùm tamen expoſitiones, quas ipſi non tam hauriebant à lege, quàm è ſuo confingebant cerebro, procul eſſent à legis, legíſquelatoris ſententia. Nam cùm lex tranſgreſſoribus graue denunciaret ſupplicium, ipſi tamen his, qui longè receſſerant à lege, omnia pollicebantur ſecunda, illud etiam, atque etiam repetentes, *Pax, Pax.* Hæc mihi vera videtur, & facilis explicatio. Tunc verò illud, *mendacium operatus eſt ſtylus,* non refert *legem,* in qua nihil eſt mendacij, ſed ſcribarum commentarios, in quibus iuxta antiquas traditiones multa reperiebantur legi contraria. Chaldæus hunc locum ad hanc cogitationem exponit, *Ecce fruſtra fecit ſcriba calamum mendacij, ad falſandas ſcripturas.* Stylum pro calamo ſcriptorio ſumi, & eius nominis cauſam nemo paulò humanior ignorat. de ſtylo ſcribarum vide Sixtum Senenſem libro 2. verbo, *Stylus mendax.* 13.

Scribarum munus.

Scribarum error.

Verſ.9.

14. Verſ.9. *Confuſi ſunt ſapientes, perterriti, & capti ſunt: verbum enim Domini proiecerunt.*] Præteritum, quod Prophetis familiare eſt, pro futuro ponitur; oſtenditur autem quantus æſtus ac perturbatio animorum futura ſit his, qui ex falſa legis expoſitione pacem ſibi, atque otium promittebant. Qui capti abducentur in alienum ſolum, quia verum non habuêre legis ſenſum: & his, quæ dicebantur à Prophetis, nullum exiſtimarunt ineſſe pondus, certè quaſi non eſſet, contempſerunt. Idem antè dixerat Iſaias capite 5. numero 13. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.*

Verbum Dei contēptum.

15. Verſ. 10. *Propterea dabo mulieres eorum*, &c.] Hæc verba, aut his affinia ad verſum vſque 13. poſita ſunt capite 6. à verſu 12. vbi à nobis explicata ſunt. Quare in his nihil nobis erit negotij.

16. Verſ. 13. *Congregans congregabo eos, ait Dominus.*] Hac forma loquendi mors ſignificatur, & communis interitus, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 27. *Et vos congregabimini vnus, & vnus.* quod multis probat Ribera, in illud Oſeæ 4. verſu 31. *Piſces maris congregabuntur.* & in illud Sophoniæ 1. *Congregans congregabo omnia.* quod etiam ſequitur Caſtrus. Alij congregandam putant multitudinem Iudæorum in vrbem, vt ibi vno quaſi impetu omnes ſimul intereant. Ita cum Hieronymo Rabbanus, Lyra, Hugo, Maldonatus: quorum cogitationi fauet, quia paulò pòſt dicitur: *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam.* in quam ego explicationem minùs propendeo: quia non video omnes in ciuitatem conueniſſe, ſicut Romanorum tempore, ad Phaſe celebrandum conuenerunt. Niſi dicas, in ciuitates plures munitas conueniſſe Iudæos, ita vt inde præ Chaldæorum metu exire non ſint auſi, vel ad capiendum ex arboribus fructus. Poſtremam hanc explicationem ſuadent, quæ mox ſequuntur.

Congregor. pro morior.

Oſeæ c. 4.

17. *Non eſt vua in vitibus, & non ſunt ficus in ficulnea: folium defluxit, & dedi eis, quæ prætergreſſa ſunt.*] Præteritum rurſus pro futuro ponitur. Indicatúrque futura fames ex agrorum ſiti, aut potiùs propter Chaldæorum aduentum: neque enim erunt in vitibus vuæ, aut in ficulnea ficus, quibus veſcantur obſeſſi: nam agrorum fructus obſidionis tempore diripient Chaldæi: quicquid enim, ait Dominus, illis dedero ſiue à vite, ſiue à ficulnea, ab ipſis ad hoſtium vſum traducetur.

Graue ſupplicium, noſtra ab alienis deuorari.

18. Hieronymus hoc dicendi modo longam obſidionem deſignari putat. Tranſibit autumnus, qui per vuam, & ficum ſignificatur, folia ex arboribus defluent, quod appetente iam hyeme contingit; & tamen adhuc durabit obſidio. Quo tempore ſpectantibus, dolentibúſque obſeſſorum oculis, hoſtis Chaldæus hortorum fructus, & hortos ipſos Iudæorum delicias vorabit, ac perdet. Quod non ſolùm damno erit Iudæis, ſed magno etiam dolori, cùm ſe coram videant, quæ ipſi tanto ſtudio ſeuerunt, coluerúntque, tam liberè, támque impunè ab hoſte diripi. Hoc idem ad ignominiam, dolorem Iudæorum dixit Iſaias capite 1. verſu 7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.*

19. Hugo illud, *quæ prætergreſſa ſunt*, ad fructus illos, qui ante obſidionem reconditi fuerant, ad ſuſtentandam in obſidione famem, pertinere putat, in hunc ſenſum. Quæ longo obſidionis tempore arbores producunt, vſui vobis eſſe non

Prov. Non eſt vua in vitibus.

A poterunt, quia illa ſibi prædabitur Chaldæus. Et quæ in horrea antè ex agris condidiſtis, conſumentur omnia: quare vobis extrema fames ſubeunda eſt. Et ita planè contigit: nam ſub Sedecia, vt habes 4. libro Regum capite 25. *Præualuit fames in ciuitate, neque erat panis populo terræ.* Ad hos omnes ſenſus patet tam Latinus, quàm Hebraicus textus. Libentiùs inclino in Hieronymi ſententiam.

Sed addo, videri hac dicendi figura, vt reor, parœmiali, ſignificari & ſtragem ciuium, & vrbis direptionem. Nam dum a vitibus vua, & à ficulnea ficus abeſſe dicitur, ſignificatur iam peracta vindemia; vindemiam verò pro vaſtitate B ſumi, ſatis compertum eſt, & apud noſtrum Prophetam non infrequens: vt diximus capite 6. ad illud, *Vſque ad racemum colligent.* Significatur igitur, vt dixi, ſtrages per Chaldæos edita, ad quos ex illa vindemia racemi, ac ficus, ideſt, Iudæorum opes tranſierunt.

Adde ad extremum, iuxta Hebraicæ linguæ proprietatem, deſiderari in Hebraico textu relatiuum: ſic enim ad verbum Hebraicè, *Et dabo ipſis, tranſibunt.* Relatiuum, quod hic deſideratur, addendum eſſe, omnes penè putant cum Hieronymo: quare ſic leges eodem quidem ſenſu, ſed minùs obſcurè, *Et quæ dedi eis, prætergreſſa ſunt.* 20.

Regula. Relatiuum ſupplendū.

Verſ. 14. *Quare ſedemus? conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam.*] Mimeſis quædam eſt populi ſollicitt, atque ad repugnandum hoſtibus impa-C rati, qui muliebrem in modum in latebras ſe, atque in munita loca recipit, neque extra ſepta audet cum hoſte confligere. Suam itaque ſocordiam incuſant, quòd imminente bello in agris, aut nudis à præſidio ciuitatibus deſideant, periculis expoſiti, neque ſtatim ad latebras conuolent, aut munitam vrbem. 21.

Et ſileamus ibi.] Silere, vt in illud Iſaiæ capite 7. diximus, *Vide, vt ſileas, noli timere*, aliquando quietem ſignificat, & otium, cùm in alium totam alicuius negotij curam deriuamus. & probat apertè citatus Iſaiæ locus, & illud 2. Regum 19. *Vſquequo ſiletis, & non reducitis Regem?* ideſt, ceſſatis. Vnde frequens illud, *Domine, ne ſileas.* & ſimilia. D Iuxta hæc ſenſus eſſe poſſet: Ingrediamur ciuitatem munitam, & ibi ſileamus, ideſt, otioſi ſimus; neque de noſtro periculo timeamus: aut nos otioſi ſimus, & ſecuri, rémque totam Domino committamus. At hanc explicationem euertunt, quæ ſtatim adduntur, *Quia Dominus ſilere nos fecit, & potum dedit fellis.* 22.

Silentium quies & ſtupor.

Silere item ſtuporem indicat, & triſtitiam ingentem, qualem afferre ſolet ſubita, atque inſperata calamitas; quomodo terra ſiluiſſe dicitur in conſpectu Alexandri, 1. Machabæorum capite 1. quia metu ſic concuſſa fuit, vt neque aduersùm illum mutire ſit auſa. Idem de Moab dicitur Iſaiæ capite 15. *Conticuit Moab.* & Ieremiæ capite 47. de Aſcalon, *Conticuit Aſcalon.* vbi ſermo eſt de re omnino deſperata. & capite 49. *Cadent iuuenes eius* E *in plateis eius, & omnes viri prælij conticeſcent.* ideſt; animo cadent. In hunc ego ſenſum locum iſtum accipio, putóque his verbis ingentem animi conſternationem indicari. Quaſi dicant Iudæi, Timore graui percuſſi, ingrediamur ciuitatem munitam, atque ibi noſtrum exitium taciti lugeamus; ibi, quod mortuorum proprium eſt, ſileamus, quando ſtatum nacti ſumus, qui non procul abeſt à morte. In hanc ſententiam ſanctus Thomas, & Hieronymus, dum alter addit, *ſtupentes* 23.

 alter,

alter, *proiiciamur inſtar ſtercoris.* Et fauet Septuaginta tranſlatio, quæ ſic habet, *proiiciamur ibi, quia Dominus abiecit nos.* Ad quem fermè modum reliqui omnes præter Vulgatum tranſtulerunt.

24. Hieronymus, & cum ipſo Rabbanus, & Hugo, hanc vocem ex animo natam eſſe credunt, qui de Diuina miſericordia deſperat: cùm enim toties Diuinum in ſe furorem inflammaſſent Iudæi, nequicquam putabant implorandam eſſe miſericordiam, ad quam ius omne peccandi conſuetudo præcidiſſet. Sic ergo Hieronymus: *Sileamus ibi, quia Dominus noſter ſilere nos fecit: non enim habemus fiduciam deprecandi.* qui tamen in illam etiam inclinat ſententiam, quam nos ſecundo loco probauimus, dum ait ſtatim: *Siue abiiciamur ibi, ſiue proiiciamur inſtar ſtercoris.* Ex qua Hieronymi explicatione id coniectari licet, immo & quàm veriſſimè colligi, ex aſſidua peccandi conſuetudine, Deíque vocibus inuerecundè contemptis, prouenire ſæpe, vt homo de peccatorum venia, aut de Diuina miſericordia diffidat. Quod dixit,

Deſperatio ex obſtinatione.

25. *Quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccauimus enim Domino.*] Quare ſilendum ſibi ſit, id eſt, cum ſtupore, & gemitu in tenebris, atque ſquallore viuendum, oſtendunt miſeri Iudæi, quia contra Diuina conſilia inutiles ſunt, & vani conatus omnes. Deus autem eò redegit fortunam, ac ſpes omnes Iudæorum, vt nihil iam reliquum eſſe putent, præter ſilentium ex deſperanti, ac conſternato animo profectum.

Iuſtum peccatoris ſupplicium.

26. In *aqua fellis*, ſiue, vt capite 9. dicitur, in *abſinthio*, vitam ſignificari ærumnoſam, & triſtem, aut vehementem aliquem angorem omnes penè fatentur. Frequens autem loquendi vſus ſatis probat, hanc apud Hebræos eſſe parœmiam. Sanè Ieremiæ hic dicendi modus familiaris eſt, quo vtitur capite 9. verſu 15. capite 23. v. 15. Threnorum capite 3. v. 9. & iterum v. 19. Dicit autem hìc optimè Hieronymus, ideo Iudæos pro potu ſalutari, & dulci aquam bibiſſe fellis, quia dulcem in amaritudinem conuerterunt Deum. Quod indicaſſe quoque videtur Iſaias capite 14. dum extrema omnia precatur Samariæ, quia ad amaritudinem prouocauit Deum. *Pereat* (inquit) *Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum, in gladio pereant,* &c. Hæc ſibi eueniſſe fatetur infelix ille populus, quia peccauit, nempe vt eò redigeretur loci, vt paſceretur abſinthio, & potaretur felle, & ſibi nihil ampliùs à Diuina miſericordia ſperandum putaret, iuxta Hieronymi explicationem, quam nuper adduximus.

PROV. *Aqua fellis.*

Supplicium peccato reſpondens.

27. Verſ. 15. *Expectauimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido.*] Capite 6. & hoc ipſo capite dixerat Propheta, lactatos eſſe Iudæos fallaci ſpe pſeudoprophetarum: quibus illud multum erat in ore, *Pax, pax*, cùm tamen neque pacis, neque alicuius boni fructus ſperari debuerit. Expectabant ergo pacem illam Iudæi, neque tamen quicquam inuenêre pacificum, id eſt, optabile; expectabant medelam, id eſt, ſubſidium ab Ægyptiis, quo vim à ſuis finibus arcerent Babylonicam: ſed res multò contigit aliter, quàm animo conceperant. Nam ipſi quoque Ægyptij malè mulctati ſunt ab hoſte Chaldæo, & ſpes tota concidit, quam illorum exercitus aluerat; vnde effectum eſt, vt ſpei formido, ac deſperatio, & verum periculum falſæ ſecuritati ſuccederet. Hęc eadem verba capite 14. verſu 19. repetuntur, explicántque aliquantò clariùs eandem ſententiam.

28. Verſ. 16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt omnis terra.*] Conſtat Dan, & Ephraim eſſe inter Ieruſalem, & Babyloniam, quò tranſeundum erat Babyloniis in Iudæorum fines, vt diximus ad illud capitis 4. *Vox enim annunciantis à Dan.* Porro hæc verba populi non ſunt, ſed Dei, qui ab Aquilone pandendum eſſe prædicit omne malum; & per Danitarum fines ingreſſuros equites Babylonios, qui Iudæorum fortunas inuadant, & ciuitates ſternant, & cum gaudio, feſtiuóque celeumate opimas agant prædas. *Hinnitus* hic non eſt equorum, quamuis illorum proprium ſit hinnire, ſed militum, qui ad ingreſſum regionis, quam prædationi patere exiſtimabant, lætitia elati, hinnitu quodam ad equorum ſimilitudinem edito, illam ſignificabant. Porro hinnitum pro feſtino clamore, ac plauſu ſumi, omnium penè gentium conſuetudo probat. Sanè id valet apud Græcos χρεμετίζω apud Ariſtophanem in Pluto, & eodem ſenſu ſumpſit Iſaias capite 24. numero 14. *Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt, &c. hinnient de mari.* Illud, *eius*, bis ſine antecedenti ponitur, quod ſine dubio Nabuchodonoſor eſt, aut Chaldæorum exercitus; quod ſæpe occurrit in ſacra Scriptura ex Hebræorum idiomate: fieríque plerunque aſſolet in rebus grauioribus, cùm non tam ad verbum aliquod expreſſum vox aliqua refertur, quàm ad id, quod quis ſecum tacitus in mente voluebat. De hac re nos pluribus ad illud Canticorum 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* vbi illud *ſui*, ſponſum refert, de quo tunc ſponſa cogitabat. Et Pſalmo 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* vbi *eius*, referendum eſt ad Ieruſalem, quam animo tunc verſabat Propheta. & Ieremias iterum Threnorum capite 3. verſu 1. *In virga indignationis eius*, nempe Dei, cuius ſpecies ante oculos obuerſabat Prophetæ. ſic nunc, quia de aduentu Nabuchodonoſor, ſeu exercitus Babylonici, cum horrore cogitabant Iudæi, ad illorum cogitationem reſpiciens Deus dixit, *equorum eius, & pugnatorum eius.* de quo nempe inter illos multus ſermo, & aſſidua meditatio.

Dan vbi.

Hinnitus, lætitiæ vox.

29. PROV. *Relatiuum ſine antecedenti.*

30. Ex hoc loco quidam ſibi perſuaſerunt, Antichriſtum ex Tribu Dan fore naſciturum: ideoque Tribum illam à Ioanne Apocalypſis capite 7. fuiſſe prætermiſſam. Ita Hippolytus martyr libro de conſummatione ſæculi, Gregorius libro 3. Moralium, capite 18. Irenæus libro 5. capite 30. Qua de re nihil ego ſtatuo, quia loci interpretatio non poſtulat: exiſtimo tamen ita eſſe dicendum, quia eò conſpirat omnium penè Patrum, & Doctorum ſententia. Illud dico, hunc Ieremiæ locum ad eam cogitationem aut nihil fauere, aut certè parum: vt enim apertè liquet, ſermo ibi non eſt de Antichriſto, ſed de Chaldæorum exercitu, qui per illam regionem, quæ primùm Babyloniis occurrebat, ingreſſurus erat Iudæorum fines.

Ex qua Tribu Antichriſtus futurus.

31. Verſ. 17. *Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio.*] Chaldæos intelligit, qui ſic vexarunt, peremerúntque Iudæos, ac ſi reguli eſſent, qui non ſolùm ex ore, ſed etiam ex oculis mortiferum eiaculantur, præſénſque venenum, cui ſalutem nulla poteſt afferre medicina. Et quemadmodum reguli neque veneno exarmari, neque magico ſopiri carmine, aut vlla

Reguli natura.

arte

arte cicurari poſſunt; ſic etiam Chaldæos nullæ preces ad miſericordiam flectere, nullum pretium à cæde temperare poterunt. Si naturam reguli conſideres, Iudæorumque ſortem infelicem, optimè in regulis Chaldæorum mores, & ingenium explicari cognoſces. De regulo ita Solinus capite 30. *Nec hominis tantum vel aliorum animantium exitiis datus, ſed terræ quoque ipſius, quam polluit, & exurit. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impunè tranſuolet infectum ſpiritu peſtilenti.* Eadem penè Plinius libro 9. capite 18. Quod etiam indicaſſe videtur Iſaias capite 14. vbi cùm loqueretur de regulo, addit: *Et ſemen eius abſorbens volucrem.* Ex quibus diſcimus, qualiter graſſaturi ſint Chaldæi per omnes fines Iudæorum, vt populaturi ſint agros, non aliter, ac ſi illos peruaſiſſet flamma; ſicut baſiliſcus plantas omnes exurit. Quorum vim, atque excubias; nec volucres quidem effugio declinare poterunt, ſicut neque volantes aues baſiliſci conſpectum peſtilentem.

32. Verſ. 18. *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.*] In extrema parte capitis, vt vides, variæ inducuntur perſonæ: modò enim loquitur Deus, peccata exprobrans, atque intendens minas: modò populus ipſe, aut deliberans ſecum, quid opus ſit factu, aut ſuam deflens ærumnoſam ſortem: modò Ieremias, qui communem dolet, & lamentatur vicem. Dei fuerunt illa verba verſu 14. *Congregans congregabo,* &c. populi illa, *Quare ſedemus,* &c. Rurſus Dominus loquitur, verſu 17. *A Dan auditus eſt,* &c. Nunc populus dolens, metuénſque dicit: *Dolor meus,* &c. Hæc porro dicendi forma magnam habet epitaſin: ſignificat enim dolorum varietatem, qui ſine vlla ceſſatione ſibi mutuò ſuccedunt; de qua plura nos ad illud capitis 4. *Contritio ſuper contritionem vocata eſt.*

33. *Ex gaudio intempeſtiuo dolor.* Libet hîc adſcribere, quod obſeruauit hoc loco Hieronymus, vocem Hebraicam, pro qua *dolorem* ipſe conuertit, non ſignificare, quod Græci vocant ὀδύνην, ſed quod dicunt μειδίαμα, *quod nos,* inquit, *interpretari poſſumus, rictum oris dolore contracti, & habentis riſus ſimilitudinem.* Ex qua vocis ſignificatione coniectare licet, vndénam contractus fuerit dolor ille, aut calamitas, quæ tam acerbum peperit dolorem, ex immoderato nempe, atque intempeſtiuo gaudio, cui comes perpetuò luctus eſt, & viſcerum dolor, iuxta illud Prouerbiorum 14. verſu 13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudia luctus occupat.* Ridebat populus ille, cùm à pſeudoprophetis iterari audiebat intēpeſtiuum illud, *Pax, pax.* Sed erat ſub perſona ridentis laruatus dolor, cui ſucceſſit alius, atque alius, qui quàm eſſet intempeſtiuus, riſus ille prodidit. *Longè à peccatore riſus.* Habet quidem intempeſtiuus riſus, qualis eſt in peccatore, cui lætari atque ridere, niſi meliùs ſibi conſulat, nunquam permittitur, aliquam gaudij, ſiue ridentis ſpeciem, re tamen ipſa dolor cenſeri debet, & luctus, quia dolorem parit, & lacrymas indicit: vt enim non eſt impiis pax, Iſaiæ capite 48. ſic neque gaudium, qui ſanctitatis, atque iuſtitiæ fructus eſt. Eſt planè riſus ille impiorum, qualis ab externis dicitur Sardonicus, qui aut mortis eſt ſignum, aut eius certa cauſa. Aut qualis in eo eſſe ſolet, qui phreneſi laborat, qui quò propiùs abeſt à morte, eò ſe quàm longiſſimè abeſſe putat; & immoderatè ridet, cùm maior adeſſet lugendi cauſa.

34. Verſ. 19. *Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua.*] Vocem iſtam Hieronymus putat eſſe Hieroſolymæ, quo tempore vrbem ingreſſi ſunt Chaldæi, cui Hugo, Vatablus, & Rabbanus, & ex parte Maldonatus ſubſcribunt. Alij vocem eſſe Hieroſolymæ dicunt, eo tamen tempore, quo captiua vixit in Babylone, & ita cenſet ſanctus Thomas, Theodoretus, Dionyſius, Lyra, & Caſtrus: quod mihi videtur dici poſſe magis conſequenter. Intuebatur enim propheticis oculis Ieremias exulantem populum in Babylonia, & cùm eſſet ipſe in Ieruſalem, vbi Diuinus illum Spiritus afflabat, audire tamen videbatur de terra longinqua, id eſt, de Iudæorum exilio, vocem captiui populi, qua & vrbis ſolitudinem, & ſuum infortunium lamentabatur.

35. *Nunquid Dominus non eſt in Sion? aut Rex eius non eſt in ea? quare ergo me ad iracundiam concitauerunt in ſculptilibus ſuis?*] Hæc vox Dei eſt, qui cauſam reddit, cur tam longè populus abſit à patria, vbi quotidianas perferat moleſtias, quas nunc aſſiduo lamentatur clamore. Quia videlicet, cùm ipſe præſens eſſet in Sion, Dominus, & Rex, à quo ſubſidium poſſent in aduerſis implorare, ad vana tamen ſimulacra confugerunt, illáque honoribus Diuinis proſequuti ſunt. Puto autem alluſum hîc eſſe ad nomen Moloch, ſiue Melchon, quem impiis, atque crudelibus ſacrificiis in valle Gehinnon, ſiue in Topheth, de qua in præcedenti capite, coluerunt Iudæi. *Moloch, & Melchon Regem ſonant.* Melchon autem, ſiue Moloch, vt conſtat, Regem ſignificat, & dominum. Accuſat ergo Deus ſtolidam Iudæorum inſaniam, qui cùm in Sion Regem habuiſſent, & dominum, in Topheth tamen peregrinum aſciuerunt Regem, atque excitatis aris, nefario conſilio pro Deo coluerunt.

36. Verſ. 20. *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſaluati non ſumus.*] Hæc verba Vatablus, & Lyra Iudæis aſcribunt, quo tempore à Chaldæorum exercitu clauſi tenebantur. Cùm enim Ægyptiorum expectarent auxilium, in quo ſpem libertatis, ac vitæ collocarant, & ſpem illam diu in aliud, atque aliud tempus ducerent, numerabant tempora mouendis caſtris opportuna, & in ſingulis iam iam affuturum ſubſidium illud meditabantur. Cùm autem propè eſſet, vt vrgente Chaldæo, & multò magis vrgente fame, ciuitas caperetur, de ſua iam ſalute deſperans, clamabat populus, tranſiiſſe meſſem, & æſtatem, in quibus ab Ægypto expectabantur auxiliares copiæ, non tamen ab illis aduenſſe, quò ſalui fierent ab imminenti clade. Horum quoque ſententiæ ſubſcribit Maldonatus. Alij de auxilio vniuerſim loquuntur, quod ſiue à Deo, ſiue ab amicis, ac fœderatis populis expectabant Iudæi, à quibus decepti, & ſpe ſublata, animos deſponderunt. ita cum Hieronymo complures alij.

37. Theodoretus hîc ſignificari putat, & diuturnam obſidionem ſub Sedecia, & longum tempus Babylonicæ ſeruitutis. Cuius mihi ſententia maximè placet, & illud præcipuè de exilij Babylonici tempore, id eſt, de ſeptuaginta annorum mora. Nam, vt nuper dicebamus, Propheta audire ſe dicebat vocem clamoris Sion de terra longinqua, id eſt, de Babylone. Nunc quis ſit ille clamor oſtendit: nimirum, quo exilij diuturnitatem lamentatur Sion, neque poſt longas illas moleſtias, aditus ſe ad libertatem oſtentabat. *Æſtas ſeu meſſis, pro anno.* Ad explicandam verò hanc ſententiam, duo nobis priùs obſeruanda ſunt. Alterum, nota aliqua temporis repetita, v.g. die, nocte, anno, ſæculo, & ſimilibus

ſimilibus multitudinem aliquam, aut vniuerſita- A tem indicari; vt, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* id eſt, ſinguli dies, & ſingulæ noctes. Alterum eſt, aliquam anni partem per ſynecdochen pro toto anno vſurpari, de quo nemo dubitat, quia exempla ſunt obuia, ſed præcipuè, & propè ſemper æſtatem, aut meſſem, quæ in æſtate fit: quod nobis confirmandum, quia maximè facit ad locum, in quo nunc nobis commentatio.

38. Et quidem per æſtatem antiquos annos numeraſſe docet Seruius ad illud Virgilij libro 1. Æneidos, vbi ſine dubio pro anno æſtas adhibetur:

——Nam te iam ſeptima portat
Omnibus errantem terris, ac fluctibus æſtas.

Quod item dixit eodem iterum libro:

Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas.

Silius libro 13. vt ſignificaret octauum iam annum numerari, dicit:

—— octaua terebat
Arentem culmis meſſem crepitantibus æſtas.

Valerius libro 9. Argon.

Cùm Scythiæ iam tertia videret æſtas.

Quòd autem meſſis per metonymiam pro æſtate ſumatur, quia in æſtate exercetur, ſatis liquet ex profanis, ſacríſque ſcriptoribus: hoc enim valet illud Virgilij Ecloga 1.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

id eſt, poſt aliquot meſſes, & æſtates. Seneca in C Troade:

—— iam Sigais,
Trepidus campo decies ſecuit
Meſſor ariſtas.

Qui metonymiæ modus non alienus eſt à ſacra Scriptura, in qua non rarò pro æſtate adhibetur meſſis: Iſaias capite 18. *nubis roris in die meſſis.* id eſt, in æſtate. 2. Reg. 21. verſu 10. *Ab initio meſſis.* & plura alia occurrunt exempla: ſed illud eſt apertum, quod cum hoc noſtro aptiſſimè colludit, Prouerbiorum 26. numero 1. *Nix in æſtate, & pluuiæ in meſſe.*

Ex his ego ſententiam, atque clamorem exulibus apud Babylonios accommodo: tranſiit æſtas, & meſſis, id eſt, plurimæ iam æſtates, ſeu D anni tranſierunt, neque tamen nobis aduenit, aut aperitur ad libertatem aditus. Dixit hoc idem Iſai. 29. forma non admodum diuerſa Iſaias capite 29. *Additus eſt annus ad annum, ſolennitates euolutæ ſunt.* id eſt, ſuccedunt annis anni, & tempora temporibus, neque tamen ciuitatis vaſtitas ceſſabit, aut ſolennitatum ſilentium.

Verſ. 21. *Super contritione populi mei.*] Hæc verba Ieremiæ ſunt, cuius cor, cùm hæc audiret exulum lamenta, conficiebatur dolore, ſtupebátque totus: quod in graui aliquo, ac repentino caſu accidere ſolet etiam conſtantibus, atque audacibus animis.

Verſ. 22. *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix?*] Verba Domini ſunt, qui adhuc cauſam oſtendit ruinæ ciuitatis, & à ſe ſatis diligenter, ac maturè illius dolori, ac morbo fuiſſe prouiſum: neque per ſe ſtare quominus ſani nunc, atque iucundi viuerent, id eſt, in ſua ciuitate incolumi, atque integra, ipſi quoque incolumes agerent. Vtitur autem forma prouerbiali, qua ſignificat, nihil à ſe fuiſſe prætermiſſum, quod ad affecti illius corporis curationem, & ſanitatem pertineret, quia medicamentorum ſatis à ſe comparatum, neque defuere medici, qui illa ſuis temporibus adhiberent. 39. PROV. *Reſina in Galaad.*

Nunc de ſingulis agendum. Pro *reſina*, Hebraicè eſt, צרי *ſori*, quam alij *balſamum*, alij *theriacam* exponunt, noſter *reſinam* vertit. Eſt autem reſina liquor quidam, quo ſtillant arbores, qui ſtatim in craſſam, durámque naturam concreſcit; arborum autem reſinis magnam ineſſe medicinę vim, experimur quotidie. Illam autem, quæ ſumitur ex Galaad, plurimum, aut omnium fortè maximè ad ſanitatem conferre, coniectare licet ex Ieremia capite 46. vbi cùm ſignificare vellet Deus, Ægyptium vulnus nulla medicina poſſe ſanari, reſinæ meminit Galaaditidis, quaſi in illa foret vis ad medendum maxima: *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam, virgo filia Ægypti: fruſtra multiplicas medicamina: ſanitas non erit tibi.* Erant autem in illo monte arbores, quarum ſudor, & lacryma & copioſa valde, & magno habita in pretio, vt habes. Geneſis capite 37. *Viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in Ægyptum.* Commodè ergo Galaad pro pharmacopolio ſumi poteſt, vnde prompta ſunt ad omnia morborum genera medicamenta. 40. *Reſina quid.* Geneſ. 37.

Quod ad myſticos ſenſus ſpectat, Hieronymus in *reſina* pœnitentiam intelligit: alij ſacramenta omnia, quæ Chriſti ſanguinem, quo nihil eſt ad ſanandum potentius, in hominum animos deriuant. Galaad autem, in qua pretioſæ huius reſinæ tanta copia ſtillat, Eccleſia eſt; in qua etiam medici ſunt, quos Dominus animarum morbis curandis, inſtaurandíſque viribus ſpirituali morbo debilitatis præfecit: hi verò Sacerdotes ſunt, qui maiorem nunc, quàm olim Prophetæ ad faciendam medicinam facultatem habent. De ægrotis igitur, qui feliciſſimo hoc, & ſaluberrimo Euangelij tempore, animo laborant, multò nunc, quàm olim æquiùs dici poſſet: *Non eſt reſina in Galaad, & medicus non eſt ibi? Quare, &c.* Quomodo Chriſtus dici poſſit Galaad, & arborum ſuccis rutilari debeant hominum capilli, id eſt, piarum mentium cogitationes, diximus ad illud Canticorum capite 4. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Explicit caput octauum. 41. *Sacramenta medicina.* *Chriſtus Galaad.*

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS IX.

AVGET Ieremias impendentem patriæ calamitatem, quam optimè deſcribit, certámque plorandi formulam lamentatricibus tradit tempori, fortunæq́; Iudæorum ſatis accommodatam. Denique tot malorum cauſam, & primam illius incendij facem peccatum eſſe dicit, quod cùm Iudæorum animis inſederit, nihil illis ſperandum eſſe docet à circunciſa carne.

IEREM. CAP. IX.		IN IDEM CAP. PARAPHR.
1. *QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?*	A	1. QVis capiti meo, ait Propheta, eam det lacrymarum abundantiam, vt quemadmodum fons iuges euoluit aquas, ſic ipſe nocte, ac die, interfectos ciues plorare queam, oculis iugiter manantibus?
2. *Quis dabit me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meũ, & recedam ab eis? quia omnes adulteri ſunt, cœtus præuaricatorum.*		2. Quis dabit mihi, vt in extremam ſecedam ſolitudinem, ibíque viatorum more in diuerſorio commorari potiùs, quàm in ea ciuitate degere, vbi ciuium peccata oculis continenter occurſant? Nihil enim in ea niſi adulterantium, & præuaricatorum conuentus intueor.
3. *Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis: confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.*	B	3. Intueor ibi linguam fallacem, quæ non minùs configit, ac lacerat, quàm acuta ſagitta à bene curuato arcu. Hi verò, quibus lingua mendax, abundant opibus, & ſublimem obtinent dignitatis gradum, & de malo quotidie ad malum progreſſi, nouis ſemper cumulantur peccatis: neque me, dicit Dominus, in vitæ ſuæ moderando curſu magiſtrum, ac ducem agnouerunt.
4. *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.*	C	4. Ea eſt auaritiæ vis, morúmque peruerſitas, eò progreſſus dolus, & fallacia, vt à proximo ſibi quiſque cauere debeat, & nemo in fratre poſſit habere ſecurè fiduciam. Omnis quippe frater fratri ſuo molietur inſidias, neque vllum ſyncerum meditabitur, & ſine calliditate conſilium.
5. *Et vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt.*	D	5. Quicunque fratrem ſuum ludificabit, quem mendaci ſermone vſquequaque decipiet. Sic enim concinnandis mendaciis linguam aſſuefecit, vt longa peccandi conſuetudine nihil præter mendacium loqui ſciat. Et licèt magno illi ſtaret labore dolus, & iniquitas, non tamen ideo deſiſtet à peccando.
6. *Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt ſcire me, dicit Dominus.*		6. Habitas, ô Ieremia, in ciuitate vſque adeò delibuta fraudibus, vt non tam doloſa vocari debeat, quàm dolus. Doloſè enim ſimulauit, aut renuit noſſe me, ne meam voluntatem aut noſſet, aut impleret.
7. *Propterea hæc dicit Dominus exercituũ:* *Ecce*		7. Quia ergo populo ad eum modum ſordes

Ecce ego conflabo, & probabo eos: quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?

8. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt: in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.*

9. *Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut in gente huiuſmodi non vlciſcetur anima mea?*

10. *Super montes aſſumam fletum ac lamentum, & ſuper ſpecioſa deſerti planctum: quoniam incenſa ſunt, eò quòd non ſit vir pertranſiens: & non audierunt vocem poſſidentis: à volucre cæli vſque ad pecora tranſmigrauerunt, & receſſerunt.*

11. *Et dabo Ieruſalem in acervos arenæ, & cubilia draconum: & ciuitates Iuda dabo in deſolationem, eò quòd non ſit habitator.*

12. *Quis eſt vir ſapiens, qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, vt annunciet iſtud, quare perierit terra, & exuſta ſit quaſi deſertum, eò quòd non ſit qui pertranſeat?*

13. *Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea:*

14. *Et abierunt poſt prauitatem cordis ſui, & poſt Baalim: quod didicerunt à patribus ſuis.*

15. *Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.*

16. *Et diſpergam eos in Gentibus, quas non nouerunt ipſi & patres eorum: & mittam poſt eos gladium, donec conſumantur.*

17. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Contemplamini, & vocate lamentatrices,*

A ſordes adhæſêre, quo metallis rubigo, ideo fornace tribulationis illum purgabo, atque excoquam. Quid enim faciam in populum meum? neque enim decet, illum eſſe peccatorum ſordibus inquinatum; neque extra fornacem hanc expiatoriam purgari commodè, atque conflari poteſt.

8. Illorum lingua plena doli eſt, neque minus vulnerat crudeliter, quàm ſagitta. Præſefert amico ſimulatam pacem; & occultè veras molitur inſidias.

9. Nunquid impunè hæc abire patiar, B dicit Dominus, & non potius ſumam pœnas de gente, cui hæc ſtudio fuerunt?

10. Inducam fletum ſuper montes, & ſuper ſpecioſa omnia, à Iudæis olim diligeter exculta, in quæ ſic graſſabitur Chaldæorum furor, vt comburantur omnia, redigantúrque in ſyluas, & vaſtam ſolitudinem: neque ibi vox audietur armenti, neque viatorum veſtigia videbuntur: neque quicquam relinquetur eorum, quæ vſus deſiderat humanus: non pecora, non volucres domeſticæ, ac cicures, quia illa omC nia ſecum abducent Babylonij.

11. Neque tantùm vaſtabuntur, ſylueſcéntque deſerta, ſed eadem ſe ſtrages ad Hieroſolymam extendet: cuius inſanæ moles in aceruos lapidum, & draconum cubilia conuertentur. Quod idem etiam accidet reliquis ciuitatibus Iuda, quæ ab omni habitatore deſerentur.

12. Quis erit, inquit Ieremias, ita ſapiens, qui intelligat, aut ita forti animo, qui annunciare audeat, cur terræ ſolitudo, & vaſtitas inducta ſit, cur nemini vlteriùs viatori pateat?

D 13. Tunc Dominus has tantæ cladis cauſas eſſe dixit, Quia traditam à me legem contempſerunt: neque voces non tam Prophetarum, quàm meas audiuerunt, neque iuxta hæc vitæ ſuæ rationes moderati ſunt.

14. Et quia paternæ impietatis hæredes, & eorum ſequuti veſtigia, ſuis potiùs ſtudiis, ac deſideriis, quàm meis præceptis obſecuti nefariis Gentilium deorum ſacris adhæſere:

15. Idcirco, dicit Dominus, ſic populum iſtum accipiam amarè, ſic affligam ſeE uerè, vt videri poſſim paraſſe illi ex abſynthio cibum, & potum ex felle propinaſſe.

16. Neque exciſſa vrbe ſæuire deſinet indignatio: diſpergam enim gentem in terras, quas neque ipſi, neque illorum parentes agnouerunt, quos etiam ibi ad conſummationem vſque gladius inſequetur.

17. Actum eſſe putate, dicit Dominus, de re Iudaica, Iudæorúmque vita. Contempla

ces, & veniant : & ad eas, quæ ſapientes ſunt, mittite,& properent :

18. *Feſtinent, & aſſumant ſuper nos lamentum : deducant oculi noſtri lacrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquis.*

19. *Quia vox lamentationis audita eſt de Sion : Quomodo vaſtati ſumus & confuſi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta ſunt tabernacula noſtra.*

20. *Audite ergo mulieres verbum Domini : & aſſumant aures veſtræ ſermonem oris eius : & docete filias veſtras lamentum : & vnaquæque proximam ſuam planctum,*

21. *Quia aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras, diſperdere paruulos deforis, iuuenes de plateis.*

22. *Loquere : Hæc dicit Dominus : Et cadet morticinum hominis quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, & quaſi fœnum poſt tergum metentis, & non eſt qui colligat.*

23. *Hæc dicit Dominus : Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis:*

24. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra : hæc enim placent mihi, ait Dominus.*

25. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus : & viſitabo ſuper omnem, qui circumciſum habet præputium.*

A templamini igitur & ciuitatẽ exciſſam, & ſtrata Iudæorũ cadauera, & lugubre parate, atque ferale canticum. Aduocate igitur lamentatrices, & præficas, quæ norunt, & lacrymas artificio expreſſas, & ſimulatos gemitus expromere, haberéque venales.

18. Veniant, inquit Ieremias, præficæ, noſtramque fortunam ferali cantico lamententur. Stillent lacrymis oculi noſtri, & fontis inſtar palpebræ iugiter manent.

19. Vocem enim audire iam videor, quæ de Sionis ſtrage huiuſmodi canticum B inſtituit. Quomodo vaſtata ciuitas eſt, & ſublati ciues? Quomodo inſignem omnes ignominiam pertulimus? Quomodo è patriis ſedibus ad alienum ſolum captiui traducimur? Quomodo tabernacula noſtra deiecta ſunt, & illud longè maximũ, quod ſuum ſibi domiciliũ Dominus eſſe voluit?

20. Audite ergo, ô fœminæ Sionides, quibus id datum eſt, vt publica lugeatis incommoda, & diſcite à Domino, quod vobis futurum ſit funerei carminis argumentũ. Doceat veſtrûm quælibet filias ſuas, & vicinas ſibi mulieres, ferales numeros, & vſitatos, & quaſi legitimos plangẽdi modos. C

21. Quia inopinatus ſic nobis adueniet interitus, ſicut per feneſtras, inexpectatus ingreditur fur. Neque pueri, qui foris extra domos, neque iuuenes, qui in plateis ſunt, mortem effugient.

22. Tunc loquutus eſt ad me Dominus, & dixit : Loquere adhuc, ô Ieremia, & dic ad populum meo nomine, non habituros, qui in eo rerum articulo ceciderint, honorem ſepulturæ, quod extremum eſſe ſolet miſerorum ſolatium. Cadauera enim D quaſi ſtercus inhumata putreſcent, & quaſi deſectum fœnum, quod à metente relinquitur, neque colligitur ab aliquo.

23. Sapientes ſe Iudæi putabant, fortes, & opulentos, & ita denique ad omnes belli caſus ſufficienter inſtructos, vt nihil ſibi putarent ab hoſte metuendum: ſed nõ eſt, cur ſapiens in ſua ſapientia, neque fortis in ſua fortitudine, neque locuples in ſuis ſibi diuitiis placeant, quaſi hæc aut frangi, aut omnino vaneſcere non poſſint.

24. Glorietur potiùs in eo, quòd verè E cognoſcunt me, ea nempe cognitione, quæ ipſos meis præceptis obſequẽtes facit. Qui nouerũt me eſſe miſericordem, & iuſtum, ex qua cognitione id conſequentur, vt in me tanquã in miſericorde ſperent, & à me tanquã à iuſto timeant, quia ſatis tũc habebũt præſidij contra Babylonios. Hæc enim placẽt mihi, dicit Dominus; cætera nõ itẽ.

25. Ecce iam tẽpus adeſt, in quo pœnas exigam ab eis, qui ſatis ſe habere putant ſãctitatis, atque præſidij in circũciſa carne;

26. *Super Ægyptum, & ſuper Iuda, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammon, & ſuper Moab, & ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto: quia omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Iſraël incircuncisi ſunt corde.*

cùm tamen ab illis quàm longiſſimè abſit ſanctitas interna.

26. Eodem ſunt mihi loco circuncisi Iudæi, quo nationes aliæ, quæ circunciſæ non ſunt: neque minùs in illos ſeueram, ac vindicem manum extendam, quàm contra Ægyptios, Idumæos, Ammonitas, & Moabitas, & Demanitas, Cedarenos, Themanitáſque, qui circũtonſam habent comã, & in deſertis habitãt. Vtrique enim præputiati ſunt, atque incircuncisi, Gentiles quidem in carne, in corde verò Iudæi.

IN CAPVT NONVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarũ? & plorabo, &c.*]

1. INCIPIT iam Ieremias, tanquam medicus destinatus à Domino, vt adhiberet vulneri reſinam de Galaad, aperire vulnera, quæ etiamdum nouo ſtillabant ſanguine. Quæ quia neque expectant, neque tolerant medicorum manus, atque ideo timenda potiùs mors eſt, quàm ſperanda ſanitas, deplorare potiùs libet ciuium interitum, quàm tot vulneribus, quæ ſe à medico tractari non ſinunt, facere medicinã. Lacrymas igitur ſibi dari poſtulat, ſui doloris teſtes, quas medicinę loco ſuorum ciuium funeribus impendat.

2. Certum eſt, exhauriri aliquando lacrymarum fontes aſſiduitate plorandi: certum item lacrymando mœrorem leuari. Hoc docent Ambroſius de obitu Valentiniani, & Baſilius epiſtola 69. & homilia de gratiarum actione poſt mediũ: illud nos experimur quotidie, & ex ipſa ſacra Scriptura docemur. De Dauid, ſociiſque ipſius dicitur 1. Regum 30. poſtquam viderunt direptam, atque exuſtam Siceleg, planxiſſe, *donec deficerent in eis lacrymæ*: ſiue, vt textus habet Hebraicus, *non erant vires ad plorandum.* Quod etiamſi fortaſſe falſum, ad rei tamen naturam accommodatè dixit Cicero oratione 2. in Antonium: *Hei mihi, conſumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.* Cùm ergo lacrymando leuari videret poſſe Ieremias dolorem, quem ex ciuium ſuorum peccatis, atque ruina capiebat, & iam diu plorando exhausti viderentur lacrymarum fontes, lacrymas optat ſibi dari, quas ſuorum impendat funeri, & animũ laxet anguſtè laborantẽ.

Lacrymæ interdum exhauſtæ.

1.Reg.30.

3. *Aqua* non ſolùm valet id, quod ſonat, liquorem nempe purum ex fonte, nubibus, aut alio quouis modo manantem, ſed alium non ita purum, quocunque ex loco fluat. Tunc autem aliquid adiungimus, quo illum ab aliis ſecernamus. *Aqua pedum* pro vrina ſumitur, quæ ex pedibus fluit, ideſt, partibus obſcœnis, quæ modeſtè in ſacra Scriptura pedes appellantur. Vbi Iſaiæ capite 36. dicitur: *Et bibant vrinam pedum ſuorum,* Hebraicè eſt, *& bibant aquam pedum.* Sic aquam ex roſa, nardo, myrrha, Diuinum ſuccum ex his herbis, aut floribus expreſſum. Sic ergo nũc Propheta aquam capitis lacrymas appellat, quia illæ ex capite per oculos quaſi per ilices, & canales oriri exiſtimantur. Ineſt autem hîc apta quædam ſimilitudo: nam vt ex monte, in quo aquarũ putatur eſſe origo, per fontes, qui vel in deſcenſu montis ſunt, aut ad eius radices aquæ; ſic ex cap. per oculos, qui ſunt quaſi quædam aquarum emiſſoria, lacrymæ funduntur. Optat autem Propheta ad fontium inſtar ſibi lacrymarum abundantiam dari, vt quemadmodum fons nocte, continenter ac die iuges euoluit aquas; ſic ipſe nocte, ac die interfectos ciues plorare poſſit oculis iugiter manantibus. Eſt autem alluſio non inelegans in Hebraica voce *ami*, quæ oculos ſignificat, & fontem: ac ſi dicat Propheta, Vtinam oculi mei totam implerent vocis latitudinem, eſſéntque fontes iugiter manantes.

Aqua capitis, & aqua pedũ quid?

Verſ.2. *Quis dabit me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meum, &c.*] Videbat Propheta in vrbe peccatores, & zelator Diuinæ gloriæ ad fœdum illum, & impium aſpectum tabeſcebat. Quare abeſſe deſiderat à malè conſtituta, & in omnium ſcelerum intemperantiam proiecta ciuitate. Neque horret in ſolitudine contextum è ceſpite, ſeu ſtipula tugurium, ad quod diuertere ſolent viatores, modò ne commune habeat cum ſcelerata gente contubernium. Si vim, ordinémque verborum, prout à noſtro Interprete reddita ſunt, intueare, hanc credo ex verbis ea ratione contextis ſententiam informabis: libentiùs optarem excipiendis in ſolitudine viatoribus operam præſtare hoſpitalem, ac ſtabulariam (quod munus ſordidum eſt, neque vnquam à ſollicitudine ac periculo vacuum) quàm in ciuitate vitam inſtituere vrbanam, inter mores vſque adeò effœminatos, & molles, & in vitiorum omnium fœda proluuie. Sed eſt alius ſenſus, quem communiter ſequuntur Interpretes cum Hieronymo, ità vt Ieremias malit, in extremam ſecedere ſolitudinem, ibique viatorum more in diuerſorio commorari, quàm in ea ciuitate degere, vbi ciuium peccata oculis continenter occurſent. Quam ſententiam omnino probat Septuaginta tranſlatio, quæ ſic reddit: *Quis det mihi in ſolitudine manſionem extremam?* Eſt autem in tranſlatione vulgata quædam particula paragogica, vt ego ſuſpicor, quæ obſcuram reddit ſententiam, nempe, *me*; pro qua Septuaginta poſuerunt *mihi*; quomodo Canticorum *te*, paragogicum eſt, in illo, *Si ignoras te.* Erit autem tunc ſenſus: *Quis det in ſolitudine diuerſorium?* 4.

Malorum ſocietas.

REGVLA. Me, & te, particulæ paragogicæ.

Verſ.3.

5. Verſ. 3. *Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis.*] Incipit enumerare peccata, quæ ne ſpectare cogeretur in ciuitate, in extremam ſolitudinem ſecedere cupiebat; & primo loco numerat adulteria, & præuaricationes, deinde fallacem linguam, quæ non minùs configit, & lacerat homines, quàm excuſſa ſagitta à bene curuato arcu. Comparat autem linguam cum arcu, & ideo illi adiecit verbum, *extendo*, quod arcus proprium eſt: & verba fallacia cum ſagittis, quæ ex arcu vibrantur. Quæ comparatio in ſacra Scriptura frequens, certè non infrequens ad illam alluſio. Prouerbiorum 25. *Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.* Verba autem illa exprompta ab infideli, atque fallaci lingua, non ſolùm acuta ſunt, ſed etiam veneno delibuta. Pſalmo 13. *Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* & Iacobi capite 3. lingua veneno mortifero plena dicitur.

Lingua damna. *Lingua arcus, verba ſagitta.* *Prouer. 25.*

6. *Confortati ſunt in terra.*] Neque nouum eſt, neque tantùm Iudæorum generi proprium, ſed omnibus omnino gentibus commune, vt aſtuet fraudibus opes ſibi, & primum in Republica gradum, & apud Principes gratiam, auctoritatémque concilient. Id credo nunc dolere Ieremiam, quod clariùs, fuſiúſque capite 12. *Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & impiè agunt.* Cùm alia occurrerent Prophetæ, propter quæ mallet in ſolitudine cum belluis, quàm cum hominibus in ciuitate degere, hoc fortaſſe maximè in cauſa fuit, quod æquis oculis nemo ſpectare poteſt, quòd impij abundant opibus, quas per iniuriam, & fraudem congeſsère, quod in ſublimem dignitatis locum promoti, quos multò æquiùs in crucem actos eſſe oportebat. Dicuntur autem *in terra confortati*, quia auctoritate, atque opibus ſuperiores ſunt.

Impiorum felicitas.

7. *Quia de malo ad malum egreſſi ſunt.*] Vſque adeò ſceleratum, atque dementem populum peccati non pœnitet, vt maiorum in ſingulos dies fiat peccatorum acceſſio. De malo etenim ad malum progreſſi ſunt, quando non ſolùm in alienos, ſed in fratres quoque ſuos infideles ſunt, vt ſtatim declarat. Vt autem iuſti de virtute in virtutem progrediuntur, fiúntque quotidie ſe ipſis meliores: ſic iſti ex aliis in alia vitia præcipites in profundum peccatorum barathrum demerſi ſunt. Alij hic malum intelligunt pœnale, quaſi ex vna calamitate in aliam peccator ille populus aut venerit antea, aut poſtea dicatur eſſe venturus. Sed adiuncta facilè ſuadent, culpam his verbis explicari, non pœnam. Multò mihi faciliùs perſuaderent, ſignificari hîc continens quoddam peccandi filum, quaſi populus hic nullo ſiue loco, ſiue tempore ceſſet à peccando. Quod aliter expreſſit Oſeas capite 4. cùm dixit: *Sanguis ſanguinem tetigit.* id eſt, vt exponit Hieronymus, auxerunt peccata peccatis, & nouis vetera cumularunt. Sed explicatio prima mihi potior eſt.

8. Verſ. 4. *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam.*] Hæc, credo, ad progreſſum pertinent, quem in peccando fecit inſipiens ille populus, cùm è malo in malum egreſſus eſſe dicitur; quia neque cognationem, aut ſanguinem curat, dummodo pecuniam vndecunque conuertat. Tanta eſt auaritiæ vis, morúmque peruerſitas, ſicut cum ipſo penè mundo nata, ſic puto, ad finem vſque mundi producetur. Amicus amico fraudem texit, & frater fra-

Nemini fidendum.

A tri, dum hilarem oſtentat, & beneuolam faciem, charitas molitur inſidias, immo neque vxori à marito, neque contrà marito ab vxore omnia tuta ſunt. Michææ capite 7. verſu 5. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, qua dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Dixit hoc quidam ex profanis:

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrúmque eſt gratia rara.

Et vir fratrem ſuum deridebit.] Ex idiomate Hebraico *vir* vniuerſale aliquid, aut indefinitum valet, & eſt idem, quod *quicunque*, aut *quilibet*. Canticorum 8. de vinea vbere: *Vir affert pro fructu eius mille argẽteos.* id eſt, quicunque illam conduxerit. Quare ſenſus eſt, à quocunque fratrem ſuum B eſſe irridendum. Notat hoc loco Rabbanus, ex Gregorio, ſolere diabolum oppugnare vehementiſſimè per eos, qui neceſſitudine maximè nobis coniuncti ſunt. *Callidus* (inquit) *aduerſarius, cùm à bonorum cordibus repelli ſe conſpicit, eos, qui ab illis valdè diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur; vt dum vis amoris cor perforat, facilè perſuaſionis eius gladius ad intima rectitudinis eius munimina irrumpat.* 9.

Vir, id eſt quod quilibet. *Amici aut cognati maximum dæmonis inſtrumentũ.*

Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium.] Id eſt, aſſueſecerunt concinnandis mendaciis linguam: ita vt longa mentiendi conſuetudine nihil præter mendacium loqui ſciant, quaſi longa illa peccandi aſſiduitas in naturam conuerſa ſit.

C *Vt iniquè agerent laborarunt.*] Eò incubuère, vt iniqua molirentur conſilia, quod ſanè ſine ſtudio, atque labore magno fieri non potuit. hæc, credo, ſententia; niſi mauis verbum, *laborauerunt*, per aduerbium exponere, quod iuxta Hebraicum idioma ſæpe faciendum eſt, vt diximus ſuprà capite 4. numero 54. in hunc ſenſum: *Laborioſè, aut cum labore magno operati ſunt iniquitatem.* 9.

Verſ. 6. *Habitatio tua in medio doli.*] Magnam vim habet oratio, in qua pro concretis nomina adhibentur abſtracta; vt quando ſcelus, pro ſcelerato, peſtis pro peſtilente, fraus, & dolus pro fraudulento, atque doloſo ponuntur; quaſi totus homo ex ſcelere, dolo, ac fraude conflatus ſit. D Loquitur ergo Dominus ad Ieremiam, dicítque habitare illum in ea ciuitate, quæ quia doli plena eſt, non tam *doloſa*, quàm dolus magno ſuo merito nominari poteſt. Illud porro *in medio*, idem eſt, quod *in*, ſeu *inter*, quare apud Latinos *medium* ſæpe redundat. Quomodo Chriſtus ſteiſſe dicitur in medio Diſcipulorum, id eſt, inter Diſcipulos, Lucæ capite 24. & lupus cepiſſe agnum de medio gregis 1. Regum capite 17. id eſt, de grege; Iſaiæ 6. *In medio populi polluta labia habentis ego habito.* id eſt, in populo. 10.

Abſtracta pro cõcretis. *Medium ſæpe redũdat.*

In dolo renuerunt ſcire me.] Sunt qui Deum, eiúſque legem ignorant, qui aliqua venia digni ſunt, quia imprudentes errant: at verò, qui ſciens, prudénſque peccat, aut cùm poſſit ab errore liberari, E non vult, digniſſimus eſt, in quem Diuinus inflammetur, atque deſæuiat furor. Horum è numero fuerunt Iudæi, qui cùm Deum noſſent, eiúſque legem iampridem didiciſſent, ignorare ſe tamen Deum ſimulabant, aut certè ſtudioſè Prophetas audiri recuſabant, ne Dei voluntatem, ac legem docerentur. hoc eſſe puto, *in dolo renuerit.* Hoc idem de iniuſto, qui doloſè agit, cecinit Dauid Pſalmo 35. *Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere, vt bene ageret.* 11.

Ignorantia affectata.

Verſ. 7. *Ecce ego conflabo, & probabo eos.*] Conflare, & probare, verba ſunt, quæ examen, purga- 12.

 tionem

Fornax tribulationis. tionémque indicant à fornace: qua metaphora vtitur ſæpe Deus, vt vidimus capite 6. vbi conflatoris, ac probatoris Propheta meminit, & Iſaias non rarò, Pſalmo 65. *Probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* & Eccleſiaſtici 27. *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Eſt tamen purgatio iſta per fornacem, & ignem dura, verumtamen eiuſmodi, vt emundet metalla, & rubiginem omnem, atque ſcoriam excoquat, & ſecernat. Hoc examen minatur modò Deus, quod conflationem, & probationem vocat: quia eo conſilio, vt cum Hieronymo cenſent plures alij, inſtitutum eſt, vt exurat, ac perdat eos, qui tanquam rubigo, aut exoticæ ſordes, populo adhæſerunt, deformarúntque, cæteros verò puros, atque æruginatos in populo conſeruat. Fuit verò fornax illa expiatoria Chaldæorum primùm obſidio, deinde fame, quæ obſidionis tempore plurimos extinxit, ad extremum captiuitas longa, & ſeruitus dura, ex qua admodum pauci ex illis, qui ſolum mutauerant Solymitanum, in patriam redierunt. Hoc idem Dominus, tum apud hunc Prophetam, tum etiam apud Iſaiam, non ſemel aſſeruit, dum dicit, ex ea Iudæorum multitudine reuerſuros aliquos, aut illorum relinquendum eſſe ſemen.

13. *Quid enim aliud faciam, à facie filiæ populi mei?*] *Tribulatio ab amore.* Iudicium hoc, quod ſeuerum alicui videri poſſet, admixtum habet amoris, commiſerationiſque plurimum. Non expediebat, vt in Dei populo ſordes eſſent illæ, quas non pateretur Gentilium quoque mediocriter conſtituta Reſpublica. Neque prætereà paterni pectoris clementia patiebatur, vt populus ille totus deleretur. Quid ergo faceret Deus à facie filiæ populi ſui, ideſt, in populum, quem præſentem habebat, illuuie ſordidum, & grauibus aſſuetum peccatis? Planè quod pater, qui curare rebellem filium meditatur, non extinguere; mundare à ſordibus, non abiicere. Aut quod argentarius, qui purgatum eſſe cupit vaſculum, non fractum, aut colliſum: ille enim expurgatorios habet ignes, qui excocta rubigine, nitere faciant. Eò ſpectat hæc Domini conſultatio de filia populi ſui, vt neque funditus pereat, neque ſordida maneat.

Verſ. 10. *Super montes aſſumam fletum.*] Hæc indicant, nihil eſſe futurum, non dirutum, aut fœdatum Chaldæorum armis, & ſpecioſa omnia à Iudæis olim diligenter exculta, redactum iri in ſyluas, aut in ſolitudinem vaſtam: neque viatorum veſtigio fore calcandam.

14. *Et non audierunt vocem poſſidentis: à volucre cæli vſque ad pecora tranſmigrarunt.*] *Extrema vaſtitas.* Vſque adeò regio tota vaſtabitur, vt nihil relinquatur eorum, quæ ad hominum vſus, atque delicias pertinebant; non pecora, non volucres, domeſticæ videlicet, ac cicures, quia illa omnia ex ea regione in ſuas ſibi ſedes abducent Babylonij. Pro *poſſidentis*, Hebraicè eſt, מקנה *micnah*, quæ vox pecus ſignificat, aut quod à pecore deducitur, peculium, aut poſſeſſionem. Vulgatus vocem *poſſidentis* reddidit: quia re vera montes illos & ſpecioſa greges poſſidebant, qui in locis illis amœnis, ac pinguibus paſcebantur: vbi aut balatus ouium, aut armentorum audiebantur mugitus, qui paſtori iucundiores accidere ſolent, quàm tibiarum cantus. Hæc autem repetit Ieremias capite 12. *Lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur: conſumptum eſt animal, & volucre.*

15. Verſ. 11. *Et dabo Ieruſalem in aceruos arenæ, & A in cubilia draconum.*] Spoliati ſunt agri à rebus omnibus, quæ ibi ſpectari cum voluptate poterant, ſi tamen aliò commodè transferri poſſent; quales ſunt pecudum greges, & armenta boum: neque hoſtiliter minùs ſæuitum eſt in Ieruſalem, cuius inſanæ moles in aceruos lapidum, qui fuerunt ex ruina reliqui; & in ferarum luſtra, draconúmque cubilia redactæ ſunt. Hæc, quæ nunc minatus eſt Deus per Ieremiam, minatus antè fuerat per Iſaiam capite 1. quæ tamen completa fuiſſe poſtea, docet in ſuis Lamentationibus Ieremias, quinto præſertim capite.

Verſ. 12. *Quis eſt vir ſapiens, qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat?*] Hæc verba Ieremiæ 16.
B aſcribit Hieronymus, quod mihi etiam videtur, & ſuſpicor ideo à Ieremia fuiſſe dicta, quia ipſe horrebat talia denunciare populo, ad cuius aures ſciebat ventura perquàm moleſta: quare dubitat, an aliquis ita ſapiens, qui intelligere, atque ita forti, atque conſtanti animi, qui hæc annunciare audeat, reperiri poſſit. In quam explicationem inclinat Hieronymus. Aut certè, quia grauia ſunt ſupplicia, quæ Deus per Ieremiam denunciari iubet, difficile putat Propheta, quemquam eſſe ſapientem, ad quem hæc Domini verba vtiliter perferantur, qui poſſit intelligere, & cognoſcere cauſas, cur Deus tale inflixerit populo ſupplicium, quo terra in ſolitudinis
C modum deſerta, & in ſyluarum aſperitatem efferata ſit.

Verſ. 13. *Quia dereliquerunt.*] Vult Dominus iudicari ab ipſis etiam in quos videbatur egiſſe ſeueriùs, iuſtus, & clemens: atque ideo ſæpe cauſas produxit, cur in populum illum durè ſæuitum ſit: & nunc iterum, & ſæpius adducit, vt potiùs in ſe gens illa mulctata pudorem, & pietatem, quàm in Domino fidem, aut miſericordiam requirat.

Verſ. 14. *Abierunt poſt prauitatem cordis ſui, & poſt Baalim.*] His verbis corrupti ſignificantur mores, & deſerta religio. Abire poſt cordis prauitatem, nihil aliud eſt, quàm prodita lege, ac volun- 17.
D tate Dei, quenquam ſuis obſequi ſtudiis, & cupiditatibus, ita vt quicquid libet, id ſibi omnino licere putet. Hoc idem ſic expreſſit Baruch capite 1. numero 22. *Abiuimus vnuſquiſque in ſenſum cordis noſtri.* Baalim, iuxta communem ſacræ Scripturæ vſum, iidem ſunt, ac qui generaliter dicuntur dij, à Baal credo, qui Gentium putabatur aut maximus, aut communis Deus, vnde factum eſt, vt Beel propriis aliquarum nationum idolis præponatur; ſic à Moabitis appellatus fuit Beelphegor, ab Acharonitis Beelzebub, à Sichimitis Beelberith. Quare abiiſſe poſt Baalim nihil eſt aliud, quàm abiiſſe poſt Gentilium deos. *Beel, ſeu Baal, commune idolorum nomē.*

Fortaſſe dij Gentium ideo vocantur Baalim, quia illos deluſa Gentilitas dominos ſuos appel- *Vnde dicti Baalim gentium dij.*
E labat. Sicut Hebræi Deum verum appellant Adonai, quod item Dominum ſonat. Eſt enim בעל *Baal*, idē quod Dominus. Quare ſicut Græci deos ſuos *δαίμονας* ſalutant, quæ communis vox eſt, & honeſtum aliquid importat, ſic nationes aliæ finitimæ Iudæis communi etiam voce deos ſuos בעלים *Baalim* compellant, quibus ſe velle parere ſignificant, quando illos Dominos ſuos eſſe profitentur.

Verſ. 15. *Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.*] Hic locus nobis explicatus eſt capite 8. neque aliud ſignificat prouerbialis iſta metaphora, quàm durā ſeruitutem, 18.
ærumno

Prov. ad Hebr. 12.

ærumnoſum ſtatum, & vitam amaram. Eodem loquendi modo vtitur capite 23. ver. 15. & cap. 8. ver. 14. Quia verò Iudæorum peccata abſynthium illis germinarunt, & fel; cum alluſione ad hæc Iudæorum tempora, Ieremiæque verba vocatum eſſe puto peccatum à Paulo ad Hebræos 12. *radicem amaritudinis*, quod abſynthij etiam dici poſſet radix, & fellis ſcaturigo.

19. Verſ. 16. *Et diſpergam eos in gentibus, &c. & mittam poſt eos gladium, donec conſumantur.*] Nondum deferbuit Diuinus furor, exciſa vrbe, & ciuibus in peregrinum, atque hoſtile ſolum migrare compulſis: nam neque gladius in Babylone defuit, qui reliquias illas deſertę Hieroſolymę perſequeretur, neque qui ad Ægyptium ſecuritatis cauſa commigrarunt, à gladio, & cæde immunes extitère. De Babyloniis affirmat Ieremias Threnorum capite 5. ſi modò verba de exilio Babylonico ſunt. *In animabus noſtris afferebamus panem noſtrum à facie gladij in deſerto.* De Ægyptiis multò magis conſtat, ex Ieremiæ capite 42. & 44. vbi, qui ad Ægyptios ſeſe recepère; gladio, & fame conſumpti eſſe dicuntur. Et quidem cap. 44. verſu 27. eadem penè, quæ nunc adhibentur verba: *Conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus conſumantur.*

Reg. Pauci cenſentur pro nullis.

20. Quæret tamen aliquis, quomodo hæc componi cum illis poſſint, quæ nuper dicebamus ad illud, *Ecce ego conflabo.* & capite 5. numero 10. ad illud, *Conſummationem autem nolite facere.* & capite 4. numero 18. vbi aliqui dicuntur futuri ſuperſtites. ideſt, non futura Iudæorum conſummatio. Sed ſacræ Scripturæ conſuetudo facilè nodum iſtum diſſoluit. Cùm enim ex magno aliquo numero pauci ſuperſunt, omnes dicuntur eſſe ſublati, aut, quod idem eſt, nulli dicuntur eſſe reliqui. Exemplum habemus in hoc ipſo Propheta, & in eodem prorſus argumento: nam de illis, qui exciſa Hieroſolyma in Ægyptum abierunt, dixit Propheta capite 44. *Conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus conſumantur.* & tamen ſtatim dicitur, non omnes fore cõſumendos, additur continuò, *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Vide, quomodo non omnes intereant, cùm tamen omnes dicantur penitus eſſe conſumendi. Hæc mihi ſolutio expedita eſt, aliæ, quæ adduci ſolent, nonnihil laborant.

Præficæ apud Hebræos.

21. Verſ. 17. *Contemplamini, & vocate lamentatrices.*] Quaſi iam actum eſſet de re Solymitana, Iudæorúmque vita, edicit Deus Solymitanis, vt ciuitatem contemplentur exciſam, & ſtrata ſuorum cadauera, & lugubre parent, atque ferale canticum. Quod quia ſolemni, ac penè legitimo ritu faciebant lamentatrices, & præficæ, ideo tanquam ad commune funus conduci lamentatrices iubet, quæ venditas impendant lacrymas, & ſimulatos gemitus, quando veri, & expreſſi ex animo tam acerbo dolori pares eſſe non poſſunt. De præficarum more, quóque modo læto animo lacrymentur, & plangant, diximus ad illud capitis 7. *Tonde capillum tuum, & proiice.*

Viri ad lamentandũ conducti.

22. Verſ. 18. & 19. *Feſtinent, & aſſumant, &c. quia vox lamẽtatricis audita eſt de Sion.*] Hęc vox videtur eſſe Ieremiæ, quæ ciues ſuos ad plangendum hortatur. Illud, *de Sion*, aut locum indicat, vnde latè reſonabat gemitus, aut genus illorum, qui flebilem in modum vlulabant, Sionides videlicet fœminæ, aut Solymitani lamentatores: neque enim tantùm fœminæ, ſed etiam viri ad nænias, & planctus conducebantur, vt diximus capite 7. aut, quod verius reor, indicatur ſubiectum, de quo a plangentibus inſtituenda lamentationis vox.

Quomodo vaſtati ſumus, &c.] Hoc næniæ argumentum eſt, quæ deplorare debet communes 23.
caſus: Quomodo vaſtata ſit ciuitas, & ſublati ciues eius? Quómodo omnes ad vnum ordines inſignem ſubierint ignominiam? Quomodo deiecta ſint tabernacula Principum, & illud omnium longè maximum, auguſtiſſimúmque tabernaculum, quod ſuum ſibi domicilium Dominus eſſe voluit?

Verſ. 20. *Aſſumat auris veſtra ſermonem oris eius.*] Diſcite, ô fœminæ Sionides, à Domino, quod vobis futurum ſit funerei carminis argumentum, hoc nempe, quod proximè nunc accepiſtis de ſtrage Sionis, de confuſione ciuium, de diſiecta tabernaculorum gloria.

Et docete filias veſtras lamentum.] Licèt viri etiã 24.
artem, & quæſtum inſtituiſſent lamentandi, vt diximus ſuprà, capite 7. tamen, quia hoc erat proprium virginum, ſicut etiam feſtiuo carmine, & plauſu celebrare victorias, & ſecundos Reipublicæ ſucceſſus, virgines iubet Propheta doceri plangendi artem, & ferale canticum. Sanè virgines filiam Iephthe quotannis deplorabant Iudicum capite 11. & apud Ezechielem capite 8. mulieres in templo Adonidis interitum lugebant, & ex antiquo ritu Dauid 2. Regum cap. 1. ad lamentum vocat filias Iſraël; *Filiæ Iſraël ſuper Saül flete.* Hîc tamen pro re morali obſerua, tunc filiæ Sion doceri iuſſæ ſunt non feſcennina carmina, non quæ inſanos plauſus, & intempeſtiuos riſus excitant, ſed lamentum, & ſepulcrale canticum, qualia exhiberi ſolent mortuorum inferiis: quia id exigebãt, quæ tunc in ciuitate graſſabantur peccata, & qui iam proximè ciuibus impendebant interitus. Sic cùm noſtro tempore neque peccata deſint, quæ perpetuò fleas, neque minor inſtet hominibus ruina, non tam ad riſus & ad iocos, leuiculóſque cantus, quàm ad fletum & lacrymas inſtituendi eſſent virginum animi: neque aliud argumentum opus eſſet accerſere, quam quod nunc à Ieremia proponitur, quódque lacrymis virginum Sionidum ſubnicit Dominus, ſi hæc in ſpiritualem ſenſum aſſumas, *Quomodo vaſtati ſumus*, &c. & quod proximè ſubditur, *Quia aſcendit mors per feneſtras.* Quòd ſi canticum, tympanum, & cithara, vbi domi cadauer præſens eſt, intempeſtiua ſunt, & mores omnino produnt minùs verecundos, & maximè leues, cur non idem cenſeamus de libero, ac petulanti virginum cantu, cùm animi multorum domi iam dudum mortui ſint, & in tabem ſoluti?

Virgines plorare ſolitæ.

Noſtro tempore magis aptum ferale carmen quã feſtiuũ.

Hæc quidem grauia, ſed ſunt alia, quæ ad la- 25.
crymas potiùs virgines, quàm ad carmen, & citharam incitare debeant, debeant, tum pudor, & honeſtatis ratio, tum aliorum periculũ, & mors. Nam ſoluta, ac libera canendi forma procax indicat aliquid, atque meretricium. Quod ſumi videtur poſſe ex Iſaia capite 23. *Poſt ſeptuaginta*, inquit, *annos erit Tyro velut canticum meretricis.* Vide quid ibi Cyrillus: Quia meretrices, muſicos adhibet numeros, vt alliciant, atque inflamment amatorum animos. Eam ob cauſam tradit Athenæus ſolitas eſſe meretrices muſicam doceri. De huiuſmodi cantu dixit quidam ex profanis:

Cantus fœminarum, libidinis fax.

Pro lena mulis vox ſua ſæpe fuit.

Et de Lyce ſcorto dixit Horatius libro 4. Carminum, Ode 13.

Et cantu tremulo pota cupidinem
Lentum ſollicitas.———

Ad extremum addo, quod Cyprianus libro de ſingularitate clericorum, de puellarum cantu dicit, tolerabilius eſſe baſiliſcum ſibilantem audire, quàm cantantem puellam. Doceat igitur caſta, atque pudica mater, ſi modò filiarum pudori conſulere voluerit, modos potiùs meditari funereos, quàm feſtiuos, & geniales iocos.

26. Verſ. 21. *Quia aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras, diſperdere paruulos de foris, & iuuenes de plateis.*] Cur lamentari virgines, aut præficæ debeant ſtatum iam labantem ciuitatis, ea cauſa eſt, quia quantumcunque ſe Iudæi comparent contra Babylonicas acies, quanuis ſe intra munitas arces maturè concludant, portarúmque clauſtra, quàm validiſſimè obſtruant, non tamen effugient illorum manus, aut impendens exitium. Ea enim erit hoſtis ad pugnandum alacritas, ea celeritas, vt ab ſtudio cædis, atque rapinæ, neque portarum oppoſitu, neque firmitudine murorum retardentur: per feneſtras enim intrabunt audaces, mortémque ſecum in abditos illos ſeceſſus inuehent. Neque paruuli, qui foris extra ciuitatem ſunt, iis nempe in locis, ad quæ non putabatur Chaldæorum ventura crudelitas, neque iuuenibus, qui fuerint in plateis, ignoſcet hoſtis ſanguinis Iudaici ſitientiſſimus. Hæc aut indicant, aut in ea propendent cum Hieronymo ex Interpretibus nonnulli. Sed, vt bene ex Vatablo Caſtrus obſeruauit; feneſtræ iſtæ ſingularum, ac priuatarum domuum non ſunt, ſed quæ in muro perforantur, aut in portis, quæ tanquam arces, & prima præſidia ciuitatem communiunt. Cùm verò per feneſtras irrumpunt hoſtes, nihil prohibet, quominus in intimam etiam ciuitatem admiſſi, reliquis, qui in ea ſunt, exitium afferant inopinatum, neque pueri, qui foris, & in vicis lugent, neque iuuenes, qui in plateis, vt ſe Chaldæorum viribus opponant, expectant, mortem effugient. Dixit hoc idem Ioel capite 2. ver. 9. qui videtur hoc Ieremiæ loco facem prætuliſſe. *Vrbem ingredientur, in muro current, domos conſcendent, per feneſtras intrabunt quaſi fur.*

Ioel. 2.

27. Hæc videntur magis ad aliorum ſententiam: ſed locus, quem proximè citauimus ex Ioel, in aliam me cogitationem adducit, perſuadétque, hoc dicendi modo ſignificari aut ſubitum Chaldæorum aduentum, aut inopinatam ciuitatis ruinam. Dicit enim eo loco Ioel, ingreſſuros hoſtes per feneſtras inſtar furum, at horum ingreſſus inopinatus eſt, & eo maximè tempore, quo minùs timetur. Neque per portas, quia in illis ſolers ſolet eſſe cuſtodia, ſed per feneſtras, per quas non videbatur in domos irruptio futura; vbi verò per feneſtras aditus patuit, facile eſt, illa quoque fieri, quæ deinde dicuntur, nempe vt paruuli foris, & in plateis iuuenes intereant, id eſt, tam his, quàm illis repentinus adueniet interitus. Eſt autem iuxta hanc expoſitionem ſubaudienda ſimilitudinis nota, in hunc ſenſum: Ingreſſa eſt mors inopinata, ſicut per feneſtras ingreditur fur. Hanc ſententiam indicat Maldonatus, quæ facilè expedit quæ mox ſequuntur, quæ neſcio quomodo, niſi admodum contorta, in aliam explicationem cogi poſſint. Nam cùm primùm hoſtes inopinatò in ciuitatem irruperunt, eos inuadunt, qui foris in plateis, locíſque patentibus deprehenduntur, deinde illos, quos domi portæ claudunt, & vectes. Hanc ego poſteriorem ſententiam magis aptam, & ſolutam inuenio, priorem propter tot Patrum auctoritatem veneror.

Ingreſſus per feneſtras aliquid inopinatum indicat.

28. Porro locus iſte ad morales ſenſus variè tentatus eſt, atque verſatus a Patribus, qui hoc identidem ingeminant graue, ac multiplex animæ à ſenſibus impendere periculum, qui feneſtræ ſunt, & patentes ad animum viæ. E pluribus vnum atque alterum adducam teſtimonium. Epiphanius hæreſi 9. Dixit (inquit) *Lex Moyſis, Si præterieris mortuus, claudite fores, ac feneſtras veſtras, vt non inquinetur domus: ſicut dixit de auditu peccati; Si audietis vocem peccati, aut ſpeciem delicti videritis, claude oculos tuos à concupiſcentia, & os à vanitate verborum, & aurem à ſono prauo, ne mortificetur tota domus; hoc eſt; animæ, & corporis. Quapropter etiam Propheta dixit, Si aſcenderit mors per feneſtras, feneſtræ verò ſunt nobis corporis ſenſus, viſus, auditus, & alij, per quos in nos mors ingreditur, ſi per ipſos peccauerimus.* Quòd ſi præteriens mortuus, totam contaminat domum, quam patentem inuenerit; cùm tot opera paſſim occurſent, non ſolùm mortua, ſed etiam mortifera, quanto ſtudio animæ noſtræ fores clauſas eſſe oportebit? Et ſicut per feneſtras ingreditur fur, qui noſtra diripit; ſic etiam inopinatò multa irrumpunt in animum, niſi diligenter obſerentur omnes ad animum feneſtræ. Vix dum Dauid oculorum ſuorum clauſtra laxauerat, & mors à conſpectu Berſabee in ipſius animum confeſtim inſiliit. Chryſoſtomus homilia 1. in Pſalmum 50. cùm ageret contra illos, qui ſcenicis interſunt ſpectaculis. *Ibi* (inquit) *non ſolum vides res infauſtas, ſed etiam audis ſpurciloquia, & ex ipſo inceſſu meretrices, habitúque molliris, vbi & auditu, & cantu diabolico læduntur aures, & vndique percutitur mens tua; viſu de eo, quod vides, auditu de eo, quod audis: & reliqui læduntur ſenſus, dicente Propheta, Mors intrauit per feneſtras noſtras.* In hanc ſententiam plura apud Hieronymum hîc; Ambroſium libro de Eſau capite 1. Bernardum ſermone 24. ſuper Cantica, vbi docet claudendas eſſe aures contra detrahentes. Sed præcipuè vide Gregorium libro 21. Moralium, capite 2. ad illud, *Pepigi fœdus cum oculis meis,* vbi hac de re copioſè, & grauiter.

Senſuum cuſtodia maximè neceſſaria.

Contra ſpectacula.

Verſ. 22. *Loquere: Hæc dicit Dominus.*] Timere videbatur Ieremias, & addubitare, an cùm grauia hæc comminatus eſſet populo, reliqua denunciaret, quia ſanè animo bene in alios affecto durum eſt, ac triſte, illis eſſe dolori. Quare vrget Dominus cunctantem Prophetam, dum dicit, *Loquere.*

29. *Et cadet morticinum hominis, quaſi ſtercus ſuper faciem regionis: & quaſi fœnum poſt tergum metentis, & non eſt, qui colligat.*] Mortem denunciauerat inopinatam, & ſubitam; nunc illud negat, quod magnum eſſe exiſtimatur in morte ſolatium, nempe funebre decus, & honor ſepulturæ. Nam ita cadent in prælio Iudæi, vt nemo ſit reliquus, qui aut poſſit, aut audeat illorum cadauera, aut inferre paterno ſepulcro, aut humo ſaltem operire. Eſſe autem morticinum quaſi ſtercus, nihil eſt aliud, quàm ſepultura aſini ſepeliri, quod in eodem rerum veſtigio euenturum eſſe Ioacim Iudæorum Regi prædixit Ieremias capite 22. Eſt autem optima ſimilitudo, qua oſtendit Propheta illam

Sepultura honor.

illam mortuorum ἀταφίαν: vt enim fœnum ab alio demeſſum, niſi quis à tergo metentis adſit, qui colligat, eodem quo ſecatur loco putreſcit, & perit; ſic etiam, quæ ceciderunt cadauera, à nemine collecta, eodem quo cecidere veſtigio, inhumata tabeſcent, & in ſtercus denique conuertentur.

30. Verſ.23. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis.*] Perſuaſerant ſibi Iudæi, ſatis ſibi paratum eſſe præſidij, quia homines habebant ſapientes, quorum conſilio res adminiſtraretur bellica, & viros ſtrenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & caſtris opponerent; ac denique ſatis ſibi diuitiarum ſuppetere, vt externum militem mercede conducerent. Quorum ſtultam cogitationem Dominus coarguit, oſtenditque à ſe ſolum ſperandum ſubſidium: reliqua, quæ comparare poteſt hominum induſtria, eſſe prorſus inania, offenſus quippe Deus vires addet, & audaciam infirmis, fortibus verò robur, & ſapientibus ſapientiam eripiet; efficiétque, vt ciuitas, quæ conſiliariis priùs, & ſtrenuis militibus abundabat, ab omni conſilio maneat, atque præſidio vacua. Planè illud eſt, quod multò antè idem prædixit Dominus Iſaiæ capite 3. *Ecce enim dominator Dominus exercituum, auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum, & fortem,* &c. *conſiliarium, & ſapientem,* &c.

Omne præſidium infirmum offenſo Deo.

31. Verſ. 24. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra.*] Scire, & noſſe Deum, iuxta Scripturæ morem, aliquid indicat practicum, quod ex Diuina cognitione naſcitur. Quo ſenſu Iſaiæ capite 1. dicitur Iſraël non cognouiſſe Deum, quia illius voluntati obſecutus non eſt, neque illa præſtitit, quæ bos, aut aſinus præſtare ſolent poſſeſſoribus ſuis, à quibus præberi ſibi pabulum vident. Et Pharao, cùm dixit, obedire ſe nolle Deo, ita ſignificauit Exodi 5. *Neſcio Dominum,* 1. Regum capite 2. *Filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum.* ideſt, non ſeruantes legem Domini. Ille ergo Deum miſericordem cognoſcit, & iuſtum, qui in illo, tanquam in miſericorde ſperat, & tanquam iuſtum, timet. Gloriari ergo populus poſſet, quòd Deum coleret, & obſeruaret, quia ſperare tunc poſſet, ſatis ſibi præſidij eſſe contra Babylonicas vires.

Scire, eſt obedire. 1.Reg.2. *A Deo omne præſidium.*

32. Hæc mihi non obſcura ſunt, ſatiſque ad alias loquendi formas conſentanea, quæ id ſimpliciter fuiſſe negat, quod otioſum eſt. Quo modo Deus neſcire dicitur aliquem, cuius facta non probat; & non audire illum, cuiuſ non annuit precibus; aut non recordari illius, cuius cauſæ, aut neceſſitati non fauet; quia tunc memoria, cognitio, aut auditio otioſæ exiſtimantur. Quia ergo otioſa videtur illa Dei miſericordiæ, ac iuſtitiæ cognitio, quæ mores noſtros non moderatur, ideo Deum neſcire dicuntur Iudæi, qui nihilo ſunt meliores accepta lege, quæ Diuinum ingenium, & voluntatem docet, quàm ſi omnino & Dei, & legis forent ignari. Porro hæc eadem grauiter incuſat Dominus Iſaiæ capite 22. quia cùm munire ſe vellent Iudæi contra hoſtem Aſſyrium, cætera compararunt omnia, quæ præſtare potuit humana ſolertia, ad Deum tamen in anguſto illo rerum articulo non confugerunt. *Congregaſtis,* inquit, *aquas piſcinæ inferioris, & domos Ieruſalem numeraſtis; & deſtruxiſtis domos ad muniendum murũ,* &c. *& non ſuſpexiſtis ad eũ, qui fecerat eam.*

REGVLA. *Quæ otioſa ſunt, dicuntur nõ eſſe.*

Verſ.25. *Viſitabo ſuper omnem, qui circumciſum habet præputium.*] Cùm verbum, *viſito*, tam quod ex amore, ac beneuolentia, quàm quod ex offenſione naſcitur, ſignificare ſoleat, hîc ſine dubio id ſignificat, quod ab indignatione procedit. Oſtendit autem Dominus, nullam ſe habiturum eſſe rationem circumciſi præputij, ſi abſint illa, quæ Abrahamici generis ſtigma requirit; fidem dico, obedientiam, quæque maximè decent ornamenta virtutum illos, qui ſibi in tanti parentis nomine, & gloria blandiuntur. Vt enim noſſe Deum; niſi cognitio illa vitam moderetur, & mores informet, à ſupplicio non liberat, vt nuper dicebamus; ſic qui Sanctorum ſtigma geſtat in carne circumciſa, niſi ea in animo habeat, quæ ſignum illud ſanctitatis exigit, fruſtra ſibi petit ignoſci. 33.

Viſito, vox ambigua.

Verſ.26. *Super Ægyptum, & ſuper Iudam, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammon, & ſuper Moab.*] 34. His, puto, verbis ſignificat Propheta, eodem habendos eſſe numero Iudæos, atque nationes alias, quæ circumciſæ non ſunt: vt enim infenſam manum contra Idumæos, & Ammonitas, & Ægyptios extendit, aut etiam in poſterum paratam habet, vt extendat; ſic etiam idem contra Iudæos molitur, quibus circumciſa caro, cordibus tamen incircumciſis, ſaluti non erit; quod apertè Dominus indicat ſtatim, dum ait: Quomodo Gentes omnes incircumciſæ ſunt præputio, ſic Iudæos incircumciſos eſſe corde, atque vtrumque populum eodem habendos eſſe numero.

Quidam nationes has exiſtimant ſolitas eſſe 35. circumcidi, & ex hac illarum gentium conſuetudine hanc ſententiam informant, ſicut aliquot aliæ gentes licèt circumciſæ ſint carne: quia tamen cor incircumciſum habent, & libidini potiùs ſuæ, quam rationi ſeruiunt, vexatæ ſunt à me, vexabuntúrque poſtea: ſic etiam vos, ô Iudæi, quibus nihil præter carnem circumciſum eſt. Hanc ſententiam indicant cũ Hieronymo Rabbanus, Theodoretus, Dionyſius, & Hugo. Et quidem præter Iudæos, & alias nationes etiam circumciſionem ſubire ſolitas, tradit hîc Hieronymus, quod etiam docent ſcriptores externi de Ægyptiis, Herodotus in Clio, Strabo libro 17. de Æthiopibus, Herodotus ſuprà, vbi etiam de Syris, qui ad Palæſtinam pertinent, Philo quoque Iudæus cum Ægyptiis, alias quoque gentes circumcidi tradit, libello de circumciſione. Quæ ſententia propter tot Patrum auctoritatem, non poteſt mihi non probari. Dicam tamen quæ mihi videntur dici poſſe non improbabiliter.

Nationes aliæ præter Iudæos circumcidi ſolitæ.

Fateor, aliquas eſſe Gentes, quæ ad Iudæorum 36. ſimilitudinem, aut propter vicinitatem, aut propter generis coniunctionem circumcidi voluerunt, vt ſunt, quæ hîc à Ieremia numerantur, vt Hieronymus putat. Exiſtimo autem illis gentibus neque perpetuum, neque commune omnibus eſſe, vt circumciderentur. Et quidem ſi de ſuperioribus temporibus ſermo ſit, vicini populi circumciſi non erant, vt de Sichimitis conſtat Geneſis 34. qui ea lege inire cum Iacob connubia permiſſi ſunt, ſi circumciſionis legem vellent ſubire. Neque tamen eo modo à Iacobi filiis tractati ſunt, vt pactum illud poſtea conſeruare voluiſſe credendum ſit. De Palæſtinis magis eſt certum, qui in Scriptura ſacra ſæpe vocantur incircumciſi, & à Dauide Saül dotis nomine centum poſtulauit Palæſtinorum præputia. De Ammonitis,

Geneſ.34. *Nationes Iudæis vicinæ non circumciſæ.*

nitis, & Moabitis mihi videtur valde veriſimile, A tum quia illi non fuerunt ab Abrahamo prognati, ſed à Loth, tum quòd Hebræorum generi hoſtiliter infenſi, quare ab illis diſſidere mallent diuerſa nota, quàm communi coniungi. Sanè Achior dux Ammonitarum, & ipſi Ammonites, cùm interfecto Holopherne aggregatus eſt ad Iudæorum gentem, carnem ſuam circuncidit, haud dubiè quia ante illud tempus circunciſus non fuerat. Iudith capite 14. verſu 6. *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſraël, relicto Gentilitatis ritu credidit Deo, & circuncidit carnem præputij ſui.* Quare ex hoc id vnum ſaltem habemus, aliquos in illis nationibus non circuncidi. De Idumæis veriſimile id quoque facit, quia licèt Eſau, B qui illius nationis pater fuit, ortus fuerit ex circunciſo patre Iſaac, & ipſe quoque circunciſus fuiſſet, tamen offenſus, quòd deceptus eſſet à fratre, & à patre in primogenituræ dignitate poſthabitus, præputium adduxit, & notam in ſe circunciſionis deleuit, vt Epiphanius tradit libro de ponderibus, ad medium. Quòd ſi paterni odij hæredes fuerunt Idumæi, neque meliùs affecti fuerunt in Hebræos, quàm eorum pater olim in Iacob, non eſt incredibile, illos non abſtuliſſe circunciſione præputium, quod pater in ſe, poſtquam ablatum fuerat, arte reduxerat. Quod verò ad Machabæorum vſque tempora circunciſionem non agnouerint Idumæi, docet Ioſephus lib. 13. Ant. c. 17. vbi coacti dicuntur ab Hir- C cano, vt præputia deponerent, & religionem amplecterentur Iudaicam. Qua de re nos infrà cap. 49. num. 43.

Iudith 14.

Eſau circũciſionis notã ſuſtulit.

Idumæi circuncidi coacti.

37. Adde, quòd Gentes à Iudæis hac nota, immo eo ſolùm nomine interdum diſtinguũtur. Quare idem eſt præputium, quod Gentilitas, & circunciſio, quod Iudaiſmus; at nemo dubitat Ægyptios inter Gentiles numerari, licèt vnus, aut alter præputij carnem depoſuerit. Cùm verò eodem modo de Ægyptiis locutus fuerit Ieremias, atque de Ammonitis, Moabitis, & Idumæis, fit vtique veriſimile, hos quoque fuiſſe præputiatos. Neque id ſiluit hoc loco Ieremias, dum ſtatim ſubiicit: *Quia omnes gentes habent præputium.*

38. Ex his ego hanc colligo ſententiam: *Sicut viſitabo ſuper Ægyptum, ſic ſuper Iudam, & ſicut ſuper* D *Ammon, & Moab*, &c.] ac ſi dicat, nullum apud me momentum habebat circunciſa Iudæorum caro, vt ab eorum cæde manum cohibeam, perinde ac ſi nunquam circunciſi forent, & Abrahami in ſe ipſis characterem geſtarent. Eſt autem hoc loco, ſicut alibi ſæpe, ſubaudienda ſimilitudinis nota, ſicut modò expreſſimus. Hanc ſententiam indicat textus Hebraicus, quem ſic reddiderunt Pagninus, Vatablus, & Iſidorus: *Viſitabo omnem circunciſum, & omnem manentem in præputio.*

39. *Et ſuper omnes, qui attonſi ſunt in comam.*] Hic locus variè à variis conuertitur, & exponitur. Alij, *ſuper omnes extremificatos*, ideſt, qui in extremis terræ finibus habitant. Alij, *ſuper præciſos angulo*, aut *angulatos*, qui in terræ angulis, ac extremis habitant, quod ſtatim magis videtur explicari, cùm dicitur: *Habitantes in deſerto.* Quibus verbis gentes deſcribuntur, amplificatúrque magis ſuperior ſententia. Sicut viſitabo Ægyptum, & Moab, & omnes, qui extremos incolunt terræ fines. Sed noſter Interpres cum Septuaginta, & Chaldæo attonſam comam interpretantur. & Septuaginta clariùs, qui ſic vertunt: *Super omnem, qui iuxta faciem circuntonſus eſt.*

Sed eſt adhuc obſcurum, an hi, qui attonſi ſunt in comam, ſeu qui iuxta faciem circuntonſi, ideſt, qui defluentem comam ad aures circuntondent ex toto capite, vt exponit Hieronymus, Iudæi ſint, aut potiùs gentes omines, aut Gentilis aliqua natio. Sanè Iudæos circuntonſam habuiſſe cæſariem docet Ioſephus libro 1. cõtra Appionem paulò poſt medium; vbi ex ſententia Chærylli antiqui Poëtæ Iudæos deſcribit, qui cum Xerxe Perſarum Rege militarunt, cuius hæc adducit carmina:

Iudæis circuntonſa coma.

Huius miranda ſpecie gens caſtra ſecuta,
Phæniſſam ignoto linguam mittebat ab ore,
Sedes huic Solyma montes ſtagnum prope vaſtum
Tonſa caput circùm ſquallenti vertice equini
Exuuias capitis duratas igne gerebat.

Tunc verò ſenſus erit, Sicut viſitantur Gentiles, viſitandos quoque fore Iudæos, qui circa caput attonſi ſunt; aut non magis curare Dominum carnem circunciſam, quàm circunciſos ab auribus capillos.

Alij hanc deſcriptionem putant eſſe Gentiliũ, 40. quibus prolixa non erat coma, ſed circunciſa: ſed ſanè Ieremias ipſe docet apertè, de quibus nunc gentibus loquatur. Nam cùm capite 25. verſu 23. de *Dedan*, & *Thema*, & *Buz* loqueretur (quæ regiones, vt docet ibi Hieronymus, ad Iſmaëlitas pertinent, qui habitant in ſolitudine, in quibus nunc habitant Sarraceni) ait, *de Deman, & Thema, & Buz, & vniuerſis, qui attonſi ſunt in comam.* & clariùs capite 49. verſu 32. cùm loqueretur de Cedar, inquit: *Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo iumentorum in prædam; & diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in comam.* Quod magis liquet ex eo, quod mox ſubiicitur: *Habitantes in deſerto*; quia hæ gentes Nomades ſunt, & in tabernaculis habitant in ſolitudine. Ex hoc loco, & aliis eiuſmodi perſuadere nituntur hæretici, Sacerdotum capita non eſſe in coronæ modum attondenda: ſed quantum habeat momenti hæc ratio, ex dictis patet.

Gentiles quidam attonſi coma.

Quia omnes gentes habent præputium, omnis autem 41. *domus Iſraël incircunciſi ſunt corde.*] Oſtendit, quam ob cauſam eodem habendi ſint numero circunciſi Iudæi, atque præputiati Gentiles, quia ſicut hi præputium habent in carne, ſic illi in corde: neque tam Deus probat circunciſam carnem, quàm animos ab eo, quod oneri eſt, atque ſuper arcaneum circũciſos. De circunciſione ſpirituali vide quid ſuprà diximus c. 4. Hæc de cap. nono.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS X.

DETERRET Dominus populum ſuum ab impia ſignorum cæleſtium, & ſimulacrorum veneratione, quia ab illis neque timeri quicquam, neque ſperari poteſt, cùm potiùs ſimulacra ab hominum induſtria, quàm homines ab eorum prouidentia, ſeu benignitate dependeant. Quorum ornamentum, & fabricam eleganter deſcribit. Et eorum deinde futilitati, ac vanitati veri Dei potentiam, & maieſtatem opponit. Ad extremum Ieremias populi nomine communem plangit calamitatem, & peccatorum grauitatem, ac merita pœnitendo confeſſus, orat Deum, ne ſæuiat vt hoſtis, ſed paternum animum in caſtigando retineat.

IEREM. CAP. X.

1. *AVdite verbum, quod locutus eſt Dominus ſuper vos domus Iſraël.*

2. *Hæc dicit Dominus: Iuxta vias Gentium nolite diſcere: & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes:*

3. *Quia leges populorum vanæ ſunt: quia lignum de ſaltu præcidit opus manus artificis in aſcia.*

4. *Argento & auro decorauit illud: clauis & malleis compegit, vt non diſſoluatur.*

5. *In ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent: nolite ergo timere ea, quia nec malè poſſunt facere, nec bene.*

6. *Non eſt ſimilis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.*

7. *Quis non timebit te ô rex Gentium?*

tuum

IN IDEM CAP. PARAPH.

A 1. AVdite, ô viri Iſraëlitæ, quid de vobis Dominus loquutus eſt.

2. Deponite, ô Iudæi, dicit Dominus, cum carnis præputio Gentilicos mores, & animos prorſus ab illis auertite, quæ Gentibus honori, ac religioni ſunt. Nolite ergo tanquam Deos obſeruare, ac colere ſigna cæleſtia, Lunam, Solem, & Aſtra, quæ obſeruant Gentes, & reuerentur.

3. Quia leges à populis inductæ, cæremoniæ, ac ritus, quibus in idolorum honorem ſacra fiunt, vana ſunt, & hominum
B ludicra figmenta. Quia è rudi ligno, è ſaltu ſucciſo, & aſcia dolato idolum fabrefecit artificis manus.

4. Quod, ne propter materiæ vilitatem, ipſum quoque vileſcat, argento illud & auro obduxit, atque illuminauit opifex; & quia diſſolui facilè poſſet moles illa lignea, compegit illam malleo, ſolidauit glutino, & clauis religauit.

5. Effinxit illud artifex, cóque aſſiduè laborando deduxit, vt pulchritudine, ac ſpecie cum palma comparari poſſet. Verumtamen in eo neque ſenſus ineſt, ne-
C que motus. Non enim ſimulacra loquuntur, & quia ipſa ſe mouere non poſſunt, alienis portantur in humeris. Quare cùm neque ſibi, neque aliis prodeſſe, neque omnino cuiquam nocere poſſint, non eſt, cur ab illis aut ſperare aliquid, aut formidare debeatis.

6. Non eſt, Domine, quidquam tibi ſimile: magnus re vera es tu: egregia abs te plurima, & fortiter facta ſunt, quæ nomen tuum admirabile apud omnes reddiderunt.

7. Quis te non obſeruet, & metuat, ô

Rex

tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapientes Gentium, & in vniuerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui.

A Rex vniuerſarum gentium, cùm tibi debeatur honos, & gloria? In omnibus regnis, vbi ſapientes ſunt, nullus eſt, qui conferri tecum in ſapientia poſſit.

8. *Pariter inſipientes & fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum eſt.*

8. Omnes, qui ſapientes exiſtimantur, cum Domino collati videbuntur amentes, & fatui, & lignum, ex quo formantur idola, quibus ſupplicant, facilè illos ſtuporis, & vanitatis incuſat.

9. *Argentum inuolutum de Tharſis affertur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarij: hyacinthus & purpura indumentum eorum, opus artificum vniuerſa hæc.*

9. Quid enim Diuinum poteſt in eo eſſe, quod totum ab hominum induſtria, atque artificio dependet? Ad quorum fa-
B bricam, & ſplendorem argenteæ laminæ afferuntur è Tharſis inuolutæ, quibus lignea illa moles obducatur, & aurum, ex Ophir ad eoſdem vſus extenuatum in bracteas. Quod planè artificis opus eſt, & eius, qui cudendo, atque attenuando metalla fabrilem operam impendit. Illis autem idolis, quæ inaurata non ſunt, ne quid appareat indecorum ac vile, ex ſylueſtri materia hyacinthus inducitur, & purpura; quæ omnia non tam ſunt ab idolis, quàm ab hominum arte, ac liberali manu.

10. *Dominus autem Deus verus eſt: ipſe Deus viuens, & rex ſempiternus: ab indignatione eius commouebitur terra: & non ſuſtinebunt Gentes comminationem eius.*

C 10. At in vero Deo omnia prorſus contraria deprehendes: viuit enim, & ſentit, ſempiternus eſt, atque ideo neque ab artifice fictus in tempore, neque vllo temporũ ſpatio definitus. Qui ſi indignatus fuerit, terram concutiet, & conuellet: neque vir erit vllus, qui vindicis iræ pōdus ſuſtineat.

11. *Sic ergo dicetis eis: Dij, qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub cælo ſunt.*

11. Quando ergo ea eſt idolorum futilitas, tam illis, quàm illorum cultoribus, hæc cum irriſione exprobrabitis; Chaldæis præcipuè, qui maximè ſibi in ſua religione placent: quæ vt meliùs intelligant, cum illis in hunc modum agite Chaldaicè: Dij,
D qui cælos, & terram non crearunt, ſi in terra ſunt, vt ligna, aut ærea ſimulacra exterminentur, pereántque de terra: ſi in cælo, qualia ſunt Sol, & Luna, quæ venerantur inſipientes, pereant de cælo.

12. *Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.*

12. Viuat autem in cælo, atque in terra, qui terram omnipotente creauit fortitudine, & orbem ineffabili ſapientia fundauit, & admirabili conſilio cælos expādit.

13. *Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, & educit ventum de theſauris ſuis.*

13. Illa autem, quibus homines ineſſe Diuinum aliquid arbitrantur, imber, tonitrua, fulgura, à Deo facta ſunt: ipſe etenim cum tonitru vim aquarum maximam ef-
E fundit ex aëreo cælo: ipſe è terra nebulas eleuat, & vapores, ex quibus in aëre concreſcunt pluuiæ, quas ſimul cum fulgetris emittit: ipſe ex terræ conceptaculis, quaſi ex theſauris ſuis ventos euocat.

14. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia, confuſus eſt artifex omnis in ſculptili: quoniam falſum eſt quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis.*

14. Homines, etiamſi nihil adſit aliud, à ſua tamen ſcientia coargui ſtuporis, & amentiæ poſſent, & ab eo, quod ſuo fabricarunt artificio, confundi, cùm artifex in eo, quod conflauit, aut ſculpſit, nullùm

15. Vana

ſpiri

15. *Vana ſunt, & opus riſu dignum: in tempore viſitationis ſuæ peribunt.*

16. *Non eſt his ſimilis pars Iacob: qui enim formauit omnia, ipſe eſt: & Iſraël virga hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen illi.*

17. *Congrega de terra confuſionem tuam, quæ habitas in obſidione,*

18. *Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego longè proiiciam habitatores terræ in hac vice: & tribulabo eos ita vt inueniantur.*

19. *Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea. Ego autem dixi: Planè hæc infirmitas mea eſt, & portabo illam.*

20. *Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei dirupti ſunt: filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt: non eſt qui extendat vltrà tentorium meum, & erigat pelles meas.*

21. *Quia ſtultè egerunt paſtores, & Dominum non quæſierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.*

22. *Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis: vt ponat ciuitates Iuda ſolitudinem, & habitaculum draconum.*

23. *Scio Domine quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

A ſpiritum, nullum ſenſum, nullum motum inueniat.

15. Vana hæc ſunt, & nugatoria figmẽta, cùm tẽpus viſitationis aduenerit, & ipſa vaneſcent, & eorum cultores interibunt.

16. Longè ab illis abeſt Deus, quẽ contemptis aliis colit Iſraël: illum etenim obſeruat, & colit tanquam ſuam hæreditatẽ, qui formauit omnia, illum ſuam ſibi ſortem, & funiculum eſſe voluit, qui Dominus vocatur exercituum.

17. Congrega (ironicè hîc agit Ieremias) ô Iuda, quo tempore te anguſtè premat
B Chaldæorum obſidio, ad tui tutelam, & auxilium ex omnibus vndecunque ciuitatibus ſimulacra, & ſicut illa verè confuſio nominantur, ſic ab illis præter confuſionem nihil obtinebis.

18. Ecce ego, dicit Dominus, Iudææ terræ habitatores longè proiiciam, ſicut lapis emittitur à funda: & ita conteram, vt non iam ampliùs inueniantur, ſicut proiectus à funda lapis inueniri non ſolet.

19. Væ mihi (ait gentis ſuæ nomine Propheta) qualis mihi contritio, qualis
C impendet plaga, planè hic mihi morbus, hæc tanta doloris acerbitas, ex intemperantia prouenit, nunc planè cum amaritudine luam, quæ priùs cũ voluptate cõmiſi.

20. Tabernaculum tam ſingulorũ proprium, quàm Iſraëlitico ſemini commune collapſum eſt, & ab hoſte direptum: funiculi, qui pelles illius extendunt, & firmant, diſrupti ſunt: filij mei è meo diſtracti gremio procul hinc in exilium exceſſerunt, neque vllus apparet locus, vbi quieti, atque ſecuri conſiſtant. Non eſt, qui inſtauret ite-
D rũ collapſum tabernaculũ, qui pelles extẽdat, qui illius molem funiculo confirmet.

21. Quod diſſolutum fuerit tabernaculum, paſtorum culpa eſt, qui vt illud de more conſtruere, ſic etiam conſeruare debuerunt. Hi verò nõ minùs quàm alij egerunt inſipienter, diſtracti quippe ad alia nõ quæſierunt, adhęſerúntve Domino, & ideo cum ipſis grex quoque totus diſſipatus eſt.

22. Audire mihi ab Aquilone videor minaces ſonitus, & bellicum celeuma, &
E numeroſa moueri Chaldæorum caſtra, vt ciuitatem exſcindant, atque deſertam faciant: in quam pro ciuibus ſuccedant dracones, quibus magis erit quàm hominibus opportuna domus.

23. Nec me latet, ô Domine, non eſſe hominis, nempe Nabuchodonoſoris, viam hanc: neque enim illi tam facili, atque expedito curſu progreſſus eſſet, aut rem tantam tam facili negotio peregiſſet; abs te igitur potiùs quàm ab homine rem totam confectam eſſe cognoſco.

24. Corripe

24. Ad

24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio: & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.*

A 24. Ad te igitur, Domine, à quo acceptum eſſe malum intueor, & à quo vno medicinam, & ſolatium ſpero, me totum conuerto, oróque, non quidem vt populi peccata impunita ſint, ſed vt tanquam pater in iudicio corripias, ad medelam; non in furore tanquam hoſtis, neque actum funditus eſſe velis de Ieruſalem.

25. *Effunde indignationem tuam ſuper Gentes, quæ non cognouerunt te, & ſuper prouinčias, quæ nomen tuum non inuocauerunt: quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum, & conſumpſerunt illum, & decus eius diſſipauerunt.*

25. Effunde, obſecro, collectum hunc furorem, & grauem manum à tuo populo ad gentes Diuini nominis ignaras conuerte: & ſuper regna, quæ tuum nomen nunquam implorarunt: quia deuorarunt, conſumpſerúntque Iacob; & eius decus, & gloriam procul exterminarunt.

IN CAPVT DECIMVM IEREMIÆ.

Verſ.2. *Iuxta vias Gentium nolite diſcere.*]

1\. CONSIGNARANT ſe Iudæi eo charactere, quo à Gentibus diſtingui poſſent, & de populo, ac peculio Dominī cenſeri; ſed, vt proximè vidimus, nihilo erant Gentilibus meliores, cùm circuncisâ carne, incircunciſum haberent animum, & eadem colerent, quæ Gentibus venerationi erant, & religioni. Hortatur ergo Dominus, vt ſi ſua facta probari ſtudent, cum præputio deponant quoque Gentilicos ritus: circuncidántque cor ab eo, quod ex peregrinis moribus inoleuit. *Viæ gentium*, inſtituta illorum ſunt, & vitæ peculiaris forma.

2\. *Et à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes:*]

Aſtra, maximè Sol & Luna, pro diis habita.

Colebant Gentiles, metuebántque ſigna cæleſtia, vel quia ab illis exiſtimabant humana omnia pendere, & otioſam eſſe quancunque aliam humanam, aut Diuinam prouidentiam. Quare illa timebant, illis ſupplicabant, & illis placatis, nihil ſibi ab humana potentia timendū eſſe arbitrabantur. Cúmque aliæ gentes Solem venerarentur, & Lunam, & Aſtra reliqua, quibus ineſſe putaretur maior aliqua vis, ſed præcipuè regiones illæ, quæ Iudæorum fines attingebant. Colebat ſanè Ægyptus Solem, & Lunam, ſub nomine Oſiridis, atque Iſidis, & ciuitas apud illos præcipui nominis erat Sacerdotalis, vt cenſet Strabo libro 17. cui tanquam Antiſtes maximus præerat Putiphar, Geneſis 41, quæ dicebatur Heliopolis, ideſt, ciuitas Solis. Et alia item ciuitas erat in regione Chanaanitide, quæ dicebatur Bethſames, ideſt, domus Solis. Adorari autem inter Arabes, vbi regnabat Iob, Solem, ipſe indicat capite 31. verſu 26. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè.* Facit ad hæc nomen Melchon, ſeu Moloch, quod, vt capite 7. diximus, ſimulacrum erat Solis. Iuxta harum igitur Gentium ſimilitudinem, Iudæi Solem venerabantur, & Lunam, vt conſtat ex Ezechiele capite 8. verſu 16. *Adorabant ad ortum Solis;* & ſuprà capite 7. numero 18. *Vt faciant placentas Reginæ cæli*, ideſt, Lunæ. Dicit ergo Deus, nihil eſſe timendum à cæleſtibus ſignis, ideſt, cæleſtia ſigna non eſſe colenda; vel quia timor venerationem ſignificat,

Iob.31.

Ezech.8.

B & obſeruantiam, vel quia timor in mundum impiam idolorum venerationem inuexit. Ideo enim homines idola colere cœperunt, quia ab illis aliquid ſibi mali metuebant, quod vt auerterent, victimis illa, & libatione placabant. Dixit hoc optimè quidam ex antiquis: *Primos in orbe Deos fecit timor.*

A timore nata deorū multitudo.

3\. Timorem hîc pro cultu, atque obſeruantia ſumi, mihi dubium non eſt: præcipitat enim id, quod Deuteronomij 4. ver. 19. *Cuſtodite ſolliciè animas veſtras, ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea.* Nam ea timere, quia in illis præſagia quædam ſunt tempeſtatum, ſterilitatis, morborum, &c. nulla vetat religio. Hîc verò edicitur, ne ea ratione cæleſtia ſigna timeantur; qua timentur à Gentibus, quæ in eis aliquid putant eſſe Diuinum.

Timor, pro obſeruantia, & cultu.

C 4\. Verſ.3. *Quia leges populorum vanæ ſunt.*] Leges populorum dicuntur idola, & inducti ritus ac cæremoniæ, quibus legitimè in honorem illorum ſacra fierent. Neque enim idola eſſent in terris vlla, niſi hominum leges ex errore profectæ illa hominibus ſanxiſſent, propoſuiſséntque veneranda. Quare idola nihil in ſe Diuini, aut ab auctoritate Diuina habent, ſed quicquid in ipſis eſt, ab induſtria eſt hominum, aut ab illorum errore, & metu. Dicuntur verò leges, quia à legibus inducta, ſicut conſilia hominum, & cogitationes appellantur, quæ hominum cogitatione, atque conſilio facta ſunt. Sed de ritibus, ſtatíſque ſacris libentius accipio; quia re vera illæ leges ſunt, & omnino vanæ, cùm nihil vtilitatis ſint allaturæ. Porro hîc iam ad ſigna tranſit hominum artificio elaborata, quibus homines Diuinitatis opinionem indiderunt, à ſignis naturalibus, & cæleſtibus, quæ cùm Deus ad hominum vſus, & quaſi ſeruitutem deſtinaſſet, illis tamen homines Diuinos honores, ac titulos præbuerunt.

Sæculi ſtatuta pernicioſa.

5\. *Quia lignum de ſaltu præcidit opus manus artificis in aſcia.*] Hoc verſu, atque ſequenti nihil continetur aliud, quàm conatus, & modus, quo homines ſibi fabricantur idola, vt è rudi ligno, quod

Idolorum vanitas.

quod comportatur è ſaltu, ſingatur aſcia, & runcina, adducatúrque in hominis ſimilitudinem, in quo nihil eſt ſpiritus, & vitę; quod ne vileſcat, aut diſſoluatur, auro tegitur, ſolidatur glutino, & religatur clauis. Hæc idolorum tam faſtidioſa molitio, aliis in locis ſacræ Scripturæ affabrè deſcribitur, Sapientiæ capite 3. Iſaiæ capite 40. verſu 20. & capite 41. verſu 17. vbi nos ea de re pluribus.

6. Verſ. 5. *In ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt, & non loquentur.*] In palma aliquid eſt ſublime, rectũ, & ad ſpeciem pulchrum. Veruntamen in ea ſenſus non eſt, neque motus, neque aliquid, quod ſanus venerari, aut ſuſpicere debeat. Palma hîc aliquid olet prouerbiale, ſignificat enim aliquid ſpecioſum, quod ad rerum pulchrarum ſimilitudinem adducitur. Canticorum 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Eccleſiaſtici 24. *Quaſi palma exaltata ſum.* PROV.

Verſ. 6. *Magnum nomen tuum in fortitudine.*] Nihil habent vaſta illa ſimulacra dolata è ligno, quod à ſe factum oſtentare poſſint: at habet Deus egregia multa fortiter geſta, quæ nomen ipſius admirabile apud Gentes omnes reddiderunt.

7. Verſ. 8. *Pariter inſipientes, & fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum eſt.*] Nemo eſt tam ingenio hebeti, qui ſi velit paulò attentiùs conſiderare, quæ ſit in hominibus vanitas, & inſipientia, non putet illos eſſe nihil, ſi cum Domino conferantur. At ſi cogitet apud ſe, ex qua materia, quóve artificio, aut modo fabricatum ſit idolum, non putet aliquid eſſe vanum, ac futile: & omnes inſipientes eſſe, & fatuos, quantumcunque ingenio, atque ſapientia valeant, qui ligno, ac ſaxo vaniſſimum exhibent cultum: aut qui artem didicerunt, & modum, quo illa aut dolarent è ligno, aut è metallo conflarent. Hoc fortaſſe valet illud, *doctrina vanitatis*, &c. ſed credo ſignificari potiùs his verbis, hominum, qui deos à ligno, aut marmore fabricantur, & colunt, prodi manifeſtè ſtuporem, & vanitatem ex ipſa materia, ex qua ſimulacra finguntur. Cùm enim ſint è ligno, aut ſaxo, ipſi tamen ligno ineſſe Diuinum aliquid arbitrantur. Quare lignum eſt doctrina vanitatis eorum, ideſt, docet, & prodit illorum vanitatem. *Hominum inſipientia.*

8. Verſ. 9. *Argentum inuolutum affertur de Tharſis, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarij.*] Materiam, & ſtudium artificum exponit, in fingendo, atque ornando ſimulacro; & quemadmodum omnia artificum manibus, & induſtriæ attribuenda ſint. Argentum, quod ex Tharſis affertur, aut aurum de Ophaz, non eo videtur allatum eſſe conſilio, vt ex eo fingantur idola (tametſi conſtet, argentea quædam fuiſſe, atque aurea ſimulacra) ſed vt argenteis, aureíſve laminis incruſtentur, aut tegantur ligna, quo vilis alioqui materia ſpeciem habeat honeſtam, & illuſtrem. Ita putat Hieronymus, & cum eo plures alij. Quod ex eo videtur eſſe probabile, quia ſi argentea eſſent, aut aurea illa idolorum figmenta, non eſſet cur purpura veſtirentur, aut hyacintho, cùm his aurum longè eſſet illuſtrius: maximè cùm *lignum* proximè anteceſſiſſet, & facit quòd illud aurum ſiue argentum *inuolutum* eſſe dicitur, quod non ſatis bellè cum mole aliqua, aut craſſo auri corpore conuenit.

9. Quid ſit illud, *inuolutum*, obſcurum eſt. Vox Hebraica מרקע *meruccagh* expanſum ſignificat, aut

A extenſum, & ita multi ex Interpretibus aut vertunt, aut exponunt, quaſi aurum illud ſit ductum, aut extenuatum in laminas; quomodo eandem vocem conuertit Hieronymus alibi, dum verbum רקע *racagh*, cum *laminis* coniungit, vt Numerorum 19. verſu 39. *Et produxit ea in laminas.* Sed qua ratione conuenire poſſit, *expanſum*, ſeu, *deductum in laminas*, cum *inuoluto*, non facile eſt ſtatuere. Ego primum verum eſſe puto cum Hieronymo, & aliis, aurum non rude, craſſum, & ſolidum, & ſine vlla artificum opera de Tharſis adduci, ſed in bracteas exiles attenuatum, quod ideo inuolutum opinor eſſe dictum, quia tenues illæ laminæ plicari poterant, & circumuolui, ſicut chartæ papyraceæ, ſeu pelles aſſolẽt, aut ſicut
B linei, aut ſerici textus ex remotiſſimis etiam locis aduehuntur. Tenues autem illæ, atque ſubtiles bractęę ſeu cruſtæ inducuntur ligneo ſimulacro, quibus, vt verbis vtar Ammiani Marcellini, imbracteatur.

De Tharſis.] Quid ſit Tharſis, dixi in Commentariis ſuper Iſaiam, neque quidquam, quod magni referat, habeo, quod adiiciam; ſignificat autem, vt ibi diximus, aut inſulas, aut tranſmarina loca, neque eſt nomen alicuius loci proprium. 10.

Aurum de Ophaz.] Nobile auri genus quidam eſſe putant, quod obrizum appellatur; ſed, vt bene Maldonatus obſeruat, hanc cogitationem facilè coarguit præpoſitio, *de*, quæ vt priùs præ-
C poſita fuerat Tharſis, quæ ſine dubio locum ſignificat, ſic modò præponitur Ophaz. Eſt ergo longè veriſimilius, Ophaz nomen eſſe regionis, vnde ſolitum eſſet aurum comportari: quæ verò regio ſit, adhuc incertum, creditur tamen eſſe Ophir, vnde auri vis magna Salomoni comportabatur. Sed de Ophir, quæ pars ſit mundi, nondum eſt compertum. Ioſephus libro 8. Antiquitatum capite 7. auream Cherſoneſum eſſe putat. Ego neque quicquam definio, neque admodum laboro, quia neque explicari quidquam certum puto, neque magnum eſſe video operæpretium. *Ophaz quid.*

Opus artificum vniuerſa hæc.] Nihil habent ido- 11.
D la, quod non acceperint ab artificum manu: nam præciſum fuit lignum è ſaltu, dolatum aſcia, inductum auro, hyacintho, & purpura velatum ab artifice: quare nihil in illis Diuinum reperies, immo nihil non emendicatum à mortali manu.

Verſ. 10. *Deus viuens, & Rex ſempiternus, ab indignatione eius commouebitur terra.*] Poſtquam de idolorum vanitate egit, & fallaci illorum Diuinitatis ſpecie, nunc cum illis verum Deum componit, quantáque ſit illorum diuerſitas oſtendit. Tria in idolis obſeruauerat, quæ longè aberant à Diuina natura; quòd mortua eſſent, neque ſpirarent magis, quàm frigidum ſaxum, aut aridum 12. *Differentia inter Deũ, & idola.*
E lignum; quòd principium habuerint, illúdque notum, cùm Deus tunc haberi cœperint, quando opus illud runcina, & aſcia, aut malleus, & incus abſoluerunt; quòd timenda non ſint, cùm neque ſentiant, neque vim vllam habeant ad nocendum, ſicut neque ad ferendam opem laboranti. Totidem in Deo nunc his contraria producit. Deus etenim verus, viuit, & ſentit, ſempiternus eſt, atque ideo neque ab artifice fictus, in tempore, immo neque tempore vllo definitus eſt; qui ſi indignatus fuerit, terram concutiet, atque conuellet, neque vir erit vllus, qui vindicis iræ pondus ſuſtinere poſſit.

M Verſ. 11.

Verſ.11. *Sic ergo dicetis eis.*] Diis nempe, quos A
colebant Gentiles,& omnium maximè Chaldæi,
aut certè Chaldæis ipſis, qui ſuorum deorum
potentiam prædicabant: aut cùm Iudæi adhuc
florerent integra Republica, aut cùm ipſa colla-
pſa, apud Babylonios exularunt. Cur autem hęc
ad Chaldæos potiùs, quàm ad nationes alias re-
ferri debeant, docent quæ proximè ſucce-
dunt.

13. *Dij,qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de ter-*
Chaldaicũ idioma. *ra, & de his; quæ ſub cælo ſunt.*] Hæc Chaldaico
idiomate ſcripta ſunt, cùm reliqua omnia ſcri-
pta ſint Hebraicè. Vnde coniectura ſumi poteſt,
ad Chaldæos hæc ſcribi potiùs, quàm ad alios.
Sed eſt adhuc incertum, quodnam tempus ſcri- B
ptura hæc ſpectet. Sunt qui putent, ſcripſiſſe
hæc Ieremiam, quo tempore multi è Iudæis cum
Iechonia in Babyloniam fuerunt abducti, vt do-
ceret captiuos, quibus ſuam religionem com-
mendabant Chaldæi, quid illorum nugis re-
ſpondere poſſet:atque ideo Chaldaicè hæc ſcri-
pta putant,vt illa magis eſſent aperta Chaldæis:
ita Chaldæus, & Lyra,qui hoc ipſum tradit pla-
cuiſſe Rabbi Salomoni, quod non improbant
Maldonatus, & Caſtrus. Quorum ego quoque
ſententiæ ita ſubſcribo,vt in aliam tamen liben-
tiùs propendeam; quæ hæc magis vniuerſaliter
accipienda putant, vt Hieronymus cenſet,
Theodoretus,& Rabbanus. Hęc Ieremias tradidit C
Iudæis, vt certam formam, qua Gentium inſe-
ctarentur idola. Aliter ſanctus Thomas, Diony-
ſius, & Hugo arbitrantur, Iudæos hæc accepiſſe,
vt reſponderent Gentibus, qui de ſuis diis altè
ſentirent,& magna prædicarent.

14. Ego, vt dixi, exprobrari puto omnium Gen-
Idolorum exprobratio. tium idolis, illa, quæ Chaldaicè nunc à Ieremia
traduntur,ídque prouerbiali forma. Certè pro-
uerbialis ſententia eſt,& aliquando in ſacra Scri-
ptura repetita, vt Baruch capite 6. Scriptam ve-
rò ideo puto Chaldaicè, quia omnium maximè
Chaldæi in ſua ſibi religione placebant, & quia
vicini Iudæis,& illis olim non inimici (vt oſten-
dit legatio Merodach ad Ezechiam Regem Iſaię
capite 39.) credibile eſt inter ipſos,atque Iudæos D
ortam fuiſſe ſæpe de religionis dignitate,ac ſan-
ctitate controuerſiam, in qua veriſimile eſt, Iu-
dæos prouerbialem illam ſententiam Chaldaicè,
vtpote ad Chaldæos,vſurpare ſolitos:ſicut apud
Hiſpanos prouerbia ſunt aliqua ex alieno idio-
mate petita:credo item apud alias Gentes, maxi-
mè cùm illorum mores, & ingenia produnt, à
quibus ſumptum eſt alieno idiomate prouer-
bium. Porro hæc ratio adducere etiam potuit
barbaros homines, quibúſque tantùm illuxit na-
turale lumen, vt credant illum non eſſe Deum, à
quo rerum vniuerſitas creata non eſt, aut ab illo
non dependet. Quare prudenter B. Franciſcus
Xauier Orientalium prouinciarum Apoſtolus ex E
noſtra Societate,cùm ageret cum alienis à Chri-
ſtiana religione populis, hinc orſus eſt prædica-
tionis opus: in cuius diſputationibus multus de
Creatore ſermo, quem idem credo,qui hoc loco
Ieremiam, regebat,& afflabat Spiritus.

15. *Pereant de terra,& de his,quæ ſub cælo ſunt.*] Hæc
eſt execratio, ſiue exprobratio Iudæorum, qui
cælos, & terram moliti non ſunt,illis neque in
terra, neque ſub cælo locus eſſe debet. His au-
tem verbis contineri puto illa,in quibus ſuprà
diximus, exiſtimare Gentiles, aliquid eſſe Diui-
num. Qualia ſunt cæleſtia ſigna, lignea, ſiue

A aurea ſimulacra, & quæ ſub cælo,ideſt, in aëreo *Quæ habita à Gentibus pro diis.*
tractu pro numine deluſa colit gentilitas. De ter-
ra exterminantur, quæ in terræ mole ſedent, vt
quæ è ligno, ſaxo,aut ære formata ſunt. Sub cæ-
lo dicuntur aut Sol, & Luna, & Aſtra reliqua,
quæ licèt in aliquo è cæleſtibus orbibus ſita ſint,
quia tamen ſub eo ſunt, qui propter altitudi-
nem,& ſplendorem cælum appellatur, & Beato-
rum ſedes ſub cælo eſſe dicuntur. Sub cælo item
ſunt pluuiæ, tonitrua, fulmina,& nimbus, ignis,
& ventus, quibus Diuinum nomen dedêre Gen-
tiles; quæ deinde à Propheta, aut eorum plera-
que numerantur. Hæc tanquam magis nota, &
frequentiùs ab hominibus adorari ſolita, com-
B memorata ſunt Sapientiæ capite 13. verſu 2.
Ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum
ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam,
rectores orbis terrarum deos putauerunt.

Verſ.12. *Qui fecit terram in fortitudine ſua, prepa-* 16.
ras orbem in ſapientia ſua.] Confert Deum verum
cum vanis, & fallacibus Gentilium diis; quibus
negarat condendi cælum, & terram facultatem,
quorum molitionem, durationémque longam
ſapientiæ ipſius,ac fortitudini tribuit. Præparare *Præparo, idem quod firmo.*
orbem idem eſt, atque confirmare, & ſtabilem
reddere: eſt enim Hebraicè, מכין *makin*, quod
fundare, ſiue ſtabilire valet: Vulgatus tamen *præ-*
paras conuertit, vt Iſaiæ capite 2. *Erit præparatus* Iſai.2.
C *mons domus Domini in vertice montium.* quo ſenſu di-
citur Prouerbiorum 8. *Quando præparabat cælos,* Prouer.8. Pſal.23.
aderam. & Pſalmo 23. *Quia ipſe ſuper maria funda-*
uit eam:& ſuper flumina præparauit eam. vide quæ di-
ximus in illum Iſaiæ locum.

Porro hæc clauſula ſuſpenſa eſt, in qua ali-
quid neceſſariò ſupplendum. Alij alia ſubaudiunt.
Ego, quia video hîc verum Deum cum falſis
Gentium ſimulacris conferri (vt enim Deus opi- *Dei laus.*
fex cæli, ac terræ dicitur, ſic hoc idem negatur
Gentilium diis; ſic etiam vt de illis cum execra-
tione,& imprecatione dicitur, *Pereant de terra*) ſic
dici de Deo puto, *Viuat in terra,& in cælo*: vt enim
vox illa abominantis eſt, ſic iſta amantis, & co-
lentis.

D Verſ.13. *Ad vocem ſuam dat multitudinem aqua-* 17.
rum in cælo,& eleuat nebulas ab extremitatibus terræ.]
Quid Deus operetur in terra, quo ſuam nobis
potentiam, & Diuinitatem oſtendat, eleganter
deſcribit: dum proponit, quæ nos experimur
quotidie, & quorum obſcuras cauſas aut igno-
ramus,aut non ſatis exploratas habemus. Illa ve- *Numinis natura à ſublunaribus aliena.*
rò ſunt, quæ in aëreo cælo, ad varios mortalium
vſus,aut terrores,aut concreſcunt,aut ſoluuntur.
Ego aliquid hîc altiùs ſpectare videor; ſupra hæc
ſigna cæleſtia pro diis ab hominibus haberi di-
xerat Ieremias, neque ab illis ſignis quidquam
eſſe timendum. In ſignis illis puto non ſolùm
intelligendum eſſe Solem,& Lunam, atque ſtel-
E larum gyrum,ſed etiam pluuiam, ventum, fulgu-
ra,& alia, quæ in cælo,nempe aëreo, aut micant,
aut vibrantur, aut alio quouis modo ſentiuntur:
in quibus Diuinum eſſe aliquid exiſtimabat Gẽ-
tilitas, vt diximus nuper ex capite 13. Sapientiæ.
Significat ergo Propheta,in illis nullum eſſe nu-
men, quandoquidem facta ſunt à Deo, & quo-
modo hæc fiant, aut eorum aliqua aſſequatur
hominum ſolertia, quod à vero numine, quod
æternum eſſe debet,neque factum ab alio,quód-
que hominum ingenio ſublimius eſt, quàm lon-
giſſimè abeſt. nunc expendamus ſingula.

Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cæ- 18.
lo,

lo, &c.] Hebraicè, *Ad dare ipſum vocem*, ſiue (vt capite 51. verſu 16. vbi hæc iterum repetuntur) *dante ipſo vocem*. Vocem pro imperio nonnulli ſumi putant, ita vt ſenſus ſit: Iubente Deo, ab extremo terræ conſurgunt nebulæ, aqueíque vapores, qui concreſcunt in nubes, & deinde ſtatim ſoluuntur in pluuiam. Sed eſt mihi veriſimile magis, in voce Dei intelligi tonitruum, cui plerumque nimbus ſuccedit; tam autem nimbum, quàm tonitruum pro diis haberi, ſatis eſt notum; vocem verò Dei tonitruum vocari, conſtat

Pſal.28. ex Pſalmo 28. *Vox Domini ſuper aquas*. vbi fortaſſe eadem eſt ſententia, ideſt, tonitruum præcedit pluuiam. Cælum autem pro aëre ſumi, totóque tractu, qui eſt ad orbē Lunæ, nemo neſcit.

19. *Et eleuat nebulas ab extremitatibus terræ.*] Sæpe ſacra Scriptura hominum opinionem in loquendo ſequitur, ne quæ cognoſci nequeunt, niſi magis accurato explicantur ſermone, ignorata à vulgo minus habeant in eorum animis momenti. Sic extrema cælorum, aut cælorum finis dicitur pars illa cæli, quæ nobis extrema apparet, quia ibi finiri cælum exiſtimat vulgus, cùm illud ſemiſphæricum eſſe ſibi perſuadeat. Sic Iſaias capite 13. *De terra procul à ſummitate cæli.* & Chriſtus Matthæi 24. *Congregabit electos eius à quatuor ventis, à ſummis cælorum, vſque ad terminos eorum.* ideſt, ab Oriente vſque ad Occidentem. Vide quæ diximus in noſtris Commentariis ad illum Iſaiæ locum. Si extremum cæli pars illa dicitur, quæ hominibus apparet extrema, multò magis ob eandem cauſam extrema pars terræ illa eſt, quam vulgus iudicat extremam, quia nihil eſt vlterius, quod oculorum coniectus aſſequatur. Ex eo autem, quod extremum videtur, licèt non procul à nobis abſit, vapores excitantur, qui deinde in nubes coacti, in aquas pluuiales ſoluuntur. Neque alio, ad hæc probanda, egemus teſtimonio, quàm oculorum.

Regula. Scriptura vulgi opinionem in loquendo ſequitur.

Iſaiæ 13.

Mat.24.

20. *Fulgura in pluuiam fecit.*] Hæc, & quæ ſtatim ſequentur, deſumpta ſunt ex Pſalmo 134. quæ variè explicantur. Quidam fulgur conuerti putant in aquam, ideſt, igneam materiam, quales ſunt exhalationes ſiccæ. Alij miraculum hîc agnoſcunt familiare, & grande, quia è mediis nubibus, ideſt, ex aqua ſubſtantia ignis exiliat, coruſcationes nempe igneæ, qualia ſunt fulgura. Mihi illorum ſententia magis probatur, qui fulgura ſignum eſſe putant imminentis nimbi, quomodo nuper explicabamus vocem Dei, ideſt, tonitruum, imbris eſſe prognoſticum, & illum antecedere, ſicut Sol, & Luna in tempora, & annos facta eſſe traduntur Geneſis 1. vt varias temporum conuerſiones, & viciſſitudines ſignificarent, ſeu, vt alij volunt, cùm terrorem præmittat Dominus fulgurum, & horrificos tonitruorum ſonitus, quibus omnia putatur velle ſubuertere, illa tamen omnia in pluuiam mollem, agríſque perquàm vtilem commutat. Quocunque interpreteris modo, graue eſt Diuinæ potentiæ, immo & Diuinitatis argumentum, tam diuerſa conflare, atque coniungere, vehementem illam naturam adeò concitatam, & emicantem moderari, & in pluuiam ſedatam, & benignam igneos illos fulgores, & ſonitus horribiles conuertere.

Diuina potentia argumentum.

Sed, vt paulò antè dicere inſtitui, ſatis arbitror veriſimile, hîc de ſublimibus hiſce, meteoríſque naturis ſermonem eſſe, vt opinionem illam ex hominum animis conuellat, qua hæc omnia in deorum numero poſuerunt. Quî enim fie-

A ri poteſt, vt aquæ vehementes Diuinum aliquid habeant, quas e terræ vaporibus, tenuíque atque obſcura nebula Dominus collegit? Quomodo veriſimile eſt, fulguri, atque tonitruo vim eſſe numinis, cùm Dominus latère voluerit in tenera, mollique natura renitentia, atque inde cum ſtrepitu, diſruptis nubibus erumpere geſtientia? aut quorum vim ita Diuina moderatur manus, vt minaces illos fremitus, & igneas faces, aut in nihilum redigat, aut in ſedatos imbres?

Quæ turbida ſunt & aſpera, Deus ſedat & emollit.

Educit ventum de theſauris ſuis.] Theſaurus aliquid ſonat reconditum, & occultum: quales hoc loco eſſe videntur montium cauitates, & latebræ, vnde erumpere exiſtimantur venti; quod an verum ſit, alij diſputabunt, quorum eſt negotium, & labor, ſiue ex antiquorum opinione. Virgilius ventorum domicilia in montium occultis receſſibus conſtituit Æneid. libro 1. 22.

Venit vnde.

B

> *Nimborum in patriam loca ficta furentibus Auſtris*
> *Æoliam petit, hic vaſto Rex Æolus antro*
> *Luctantes ventos, tempeſtatéſque ſonoras*
> *Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.*
> *Illi indignantes magno cum murmure montes*
> *Circa clauſtra fremunt.* ———

Et paulò pòſt oſtendit, quomodo venti è ſuis clauſtris, & quaſi theſauris educantur.

C

> ——— *Cauum conuerſa cuſpide montem*
> *Impulit in latus: ac venti velut agmine facto*
> *Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.*

23. Sed iam *theſaurus* apud ſacros præſertim auctores locum ſignificat apertum etiam & notum, vbi aliquid repoſitum eſt, & ad opportunos vſus reſeruatum: qualia vocari poſſent armamentaria. Sanè theſauri niuis, & grandinis vocantur à Iob capite 34. vnde Deus illa affert arma in diem pugnæ contra ſui nominis inimicos. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ preparauit in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?* Sic etiam theſauri ventorum appellari poſſunt ventorum conceptacula, vbicunque illa, aut quæcunque fuerint. Poſſe autem illos continere, aut tanquam è carceribus in aciem producere, Diuinæ ſolùm potentiæ eſt, quæ vehementem illam naturam & ſæuire facit, cùm libuerit, & ſæuientem frænat. Hoc autem ipſum planè indicat, nihil in ventis eſſe Diuinum, quando tam facilè aut euocantur è clauſtris, aut in ſua iterum clauſtra reconduntur.

Theſaurus quid.

Iob.34.

D

24. De ſenſu morali multa Hieronymus in hunc locum, & Origenes. In nubibus Hieronymus Apoſtolos intelligit, & Doctores, qui ſanè euocantur ab extremis terræ, ideſt, à loco humili, ſiue à cogitatione de ſe ſummiſſa: nam qui in ſummum locum aſpirant, aut in eo ſedent, hi neque nubes ſunt, neque opportunos habent imbres, quos effundant, ſed erunt vana quædam monſtra, & ab imbre vacua, quæ vbi magnum aliquid oſtentarunt, in fumos abeunt, aut à vento diſflantur, in quos optimè quadrat illud Prouerbiorum 25. verſu 14. *Nubes, & ventus, & pluuia, non ſequentes, vir glorioſus.* & illud Iudæ verſu 12. *Nubes ſine aqua, quæ à ventis circunferuntur.* Quare magnus ille Doctor, qui cæleſti doctrina totum rigauit, ac fœcundauit mundum, nouiſſimum ſe vocat 1. Corinth. 4. vbi verò Deus ab extremo terræ nubes eduxerit, admiſcet illis coruſcationes, & ſonitus; quibus hominum corda timore concutiant, & fulgura tandem conuertant in pluuiam ſalutarem. Hæc tu omnium ma-

Concionator humilis & modeſtus.

E

Iudæ verſu 12.

ximè duobus Zebedæi filiis accommoda; qui
Boanerges.
Boanerges,ideſt,tonitrui filij vocati ſunt, nempe fulgur, & fulmen, qui tamen in mollem poſtea reſoluti ſunt pluuiam, & vis illa terrifica in dulces animorum ſtillas conuerſa eſt.

25. Verſ. 14. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia: confuſus eſt artifex omnis in ſculptili.*] Variè locus iſte à variis tractatur, & exponitur. Quidam ſcientiam Dei eſſe exiſtimant, ſenſúmque in hunc modum informant. Quantumcunque homo & ingenio valeat, & ſapientia, à ſcientia, ideſt, præſcientia Dei ſtultus iudicabitur. Et ita cum Hieronymo ſentiunt alij plures. Alij ſcientiam hominum eſſe putant, à qua tam longè
Stultus, qui in ligno numen eſſe putat.
ſunt,vt ſapientes dici poſſint,vt potiùs ſtulti nominari debeant, cùm aſſequi non poſſint quantumcunque ingenio, aut ſcientia illa contendant, quomodo concreſcant, aut educantur nubes, in quibus venti reponantur theſauris, quomodo fulgura miteſcant in pluuiam. Ita ſanctus Thomas, Hugo, Dionyſius, & Lyra,atque etiam Maldonatus, quibus ſuprà Hieronymi ſententia non diſplicuit.

Aliter etiam accipient hi, quos modò produxi, vno excepto Maldonato, in quorum etiam ſententiam propendere videtur Theodoretus, & Caſtrus: qui ſcientiam eſſe putant hominum, non tamen omnem, ſed illam,qua artifices ligna dolant, & metalla liquant, vt ex eis metalla fabricentur, & conflent. Quæ ſententia mihi maximè probatur omnium. Tunc verò ſenſum eſſe puto, homines, ſi nihil adſit aliud, à ſua tamen ſcientia coargui poſſe ſtuporis, & amentiæ, cùm ipſi cognoſcere potuerint, ex qua materia, quibus ferramentis, quo tamen modo elaborata fuerint. Et cùm idem artifex in ſculptili nullum ſenſum,aut motum eſſe comperiat,neque ab inanimata natura quicquam videat ſperari poſſe emolumenti,ſi ſapiat,pudebit ipſum operæ inutiliter poſitæ,& quod opera manuum ſuarum ſupplex adorauerit.

26. *Quoniam factum eſt, quod conflauit: & non eſt ſpiritus in eis.*] Hæc verba planè confirmant poſtremam hanc explicationem de idoloplaſtarum artificio, & ſcientia: docet enim, cur confundi debeat artifex ille, & ſtultus cenſeri; quia quod ipſe conflauit, factum eſt, atque ideo æternum eſſe non poteſt: & vt æternum fuerit, certè non viuit,aut ſpirat;quare humana moderari non poteſt,atque adeò neque Deus eſſe.

Verſ. 15. *Vana ſunt, & opus riſu dignum:in tempore viſitationis ſuæ peribunt.*] Optima ſimulacrorum deſcriptio, quibus quia nihil ineſt, niſi nugatorium, & fallax, nihil niſi riſus, atque ludibrium debetur. Deinde tam idolis, quæ ſibi Gentium more fabricarunt Iudæi, quàm Iudæis ipſis viſitationem ſeueram, atque exitium minatur. Viſitauit Deus nationes futili deorum religioni deditas, Ægyptum putà, Babylonem, Ammonitidem, & Moabitidem regionem: tunc etiam idola viſitata ſunt,& partim contrita,& in vaſa ignominioſa conflata, partim cum ſuis cultoribus in captiuitatem abducta. Vide quæ diximus infrà cap.48.num.10.

27. Verſ. 16. *Non eſt his ſimilis pars Iacob.*] Deus
Deus quorũ poſſeſſio.
pars dicitur, ideſt, ſors,& hæreditas Iacob, quia reiectis Gentilium diis, Deum verum ſibi ex omnibus elegit. Dicitur autem Deus non vno in loco hæreditas Iacob,ſeu Iſraël. Numerorum 18.dixit Dominus ad Aaron, *Ego pars, & hæreditas tua, in medio filiorum Iſrael.* Threnorum 3. *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* & Pſalmo 72. *Pars mea Deus in æternum.*

Qui enim formauit omnia, ipſe eſt.] Ille, qui tam eſt diſſimilis idolis, a quibus nihil fieri potuit, cùm ipſe omnia, de quibus proximè dictum eſt, formauerit,ille,inquam,pars eſt Iacob.

Et Iſrael virga hæreditatis eius.] Quidam in *virga* 28.
ſceptrum intelligunt, quaſi Deus dicatur, peculiare ſibi regnum, & peculium feciſſe gentem
Virga, idem quod funiculus.
Iſraeliticam, vbi in *virga*, per metonymiam regnum accipiunt:ita cum Hieronymo ſentit Dionyſius, & Rabbanus: mihi veri videtur ſimilius, *virgam* idem eſſe cum *hæreditate*. Quod ſanctus Thomas putat,Hugo,Lyra,& Maldonatus. Sicut enim funiculus pro ſorte,aut hæreditate ponitur, quia funiculis diſtribuebantur olim, & diſtinguebantur agri: ſic quia hoc idem præſtat menſarius calamus, aut virga metatrix, fit, vt virga quoque adhibeatur pro ſorte,aut poſſeſſione. De funiculo eſt illud Deuteronomij 32, *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* De virga Pſalmo 73. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ.* De calamo, ſeu virga menſoria multa habemus in Scriptura ſacra; ſed & apud profanos agrorum dimenſiones, ſeu metationes fieri calamis, aut virgis, docet quincupedalis nomen, quod pertica quædam erat quinque pedibus longa, diſtincta notis, nequis vel minimus error in agrorum diuiſione fieret. De qua Martialis libro 14. Epigrammatum,92. cuius titulus eſt, Quincupedalis:

Puncta notis ilex, & acuta cuſpide clauſa,
Sæpe redemptoris prodere furta ſolet.

Verſ. 17. *Congrega de terra confuſionem tuam, quæ* 29.
habitas in obſidione.] Quidam in confuſione mer-
Confuſio, pro idolis.
ces intelligunt, aut opes, quas quiſque in ciuitate obſeſſa poſſidebat; putantque, admoneri ciuitatem, vt ſarcinulas colligat, ſéque aut ad fugam,aut ad vertendum ſolum expediat.Ita Chaldæus, & Septuaginta, qui vertunt, *ſubſtantiam.* Eodem penè modo Pagninus. Alij ſubſtantiam quidem interpretantur, verùm alio ſenſu, nempe, vt quidquid bonorum foris habent, id in ciuitatem conuehant, vt longam famem obſeſſi diu ſuſtinere poſſint.ita Hieronymus.

Mihi magis probatur, vt in confuſione intelligantur idola, in quibus confundendi proximè dicebantur ſculptilium artifices: & ita putat Maldonatus.Eſt autem hîc ironica quædam conceſſio,qua cum irriſione iubere videtur Deus,vt quotquot habent idola extra ciuitatem, in illam comportent, ſibíque habeant præſidio contra Babylonicas acies:ac ſi dicat, cùm hoſtis immineat, ſaluti tibi eſſe non poterunt peregrini dij, quos tibi tutelares aduocaſti, quin ipſi quoque tecum abducêtur captiui ab hoſte victore.Quòd verò Iudæi extra ciuitatem plurima habuerint, eáque varia ſimulacra,ipſe ſtatim Ieremias docet capite 11. verſu 14. *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda:& ſecundùm numerum viarum Ieruſalem poſuiſti aras confuſionis.*

Verſ. 18. *Ecce ego longè proiiciam habitatores terræ in via hac.*] Hæc valde faciunt ad poſtremam hanc explicationem:nam, quantocunque ſtudio Iudæi idola ſibi vndecunque conquirant, proiicientur tamen quaſi nudi eſſent,extra ciuitatem. vbi noſter, *proiiciam*, Hebraicè eſt, קלע *kelagh*, quod ſignificat funda proiicere:quæ metaphorica, ſeu prouerbialis locutio aliquid connotat à

grau

graui animorum offenſione profectum.

30. *Ita vt non inueniantur.*] Iuxta hanc lectionem ſenſus eſt non obſcurus: Sic longè abiicientur, vt nemo illos inueniat, quaſi iam omnino perditos, ſicut lapis à funda proiectus inueniri non ſolet. Hebraicè ימצאו *iimſchu*, ſine vlla negatione, idque in actiua voce. Si paſſiuè ſine vlla negatione legas, ſenſus erit, vt Hieronymus putat, vt deprehendantur in vrbe, nec paratum à Domino ſupplicium declinare poſſint: ſi verò actiuè, ecliptica eſt forma dicendi, in qua aliquid neceſſariò ſupplendum. Quidam ſupplent, *vt veras, & ratas inueniant Prophetarum minas.* Alij, *vt inueniant ſuorum ſcelerum debitam mercedem.* Mihi etiam commodè videtur ſuppleri poſſe, *confuſionem, errorem, ſtuporem*, aut quid ſimile, in hunc ſenſum: tunc inuenient, quàm fuerint amentes, & cæci, dum ſalutem ſuam idolorum tutelæ commiſerunt: aut quàm fuerit infirma potentia, à qua ſecunda omnia ſibi pollicebantur.

31. Verſ. 19. *Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea.*] Prophetæ verba ſunt, qui ſub populi perſona dolet, paratam ſibi à Domino contritionem, & plagam.

Planè hæc infirmitas mea eſt, & portabo eam.] Pro infirmitate Hebraicè eſt חלי *chali*, ideſt, morbus. Solet autem morbus ex eo contrahi, quod quis præter modum intempetanter, aut inſipienter egit. Ait ergo populus, luere ſe nunc amarè, quæ cum voluptate fecit, & morbum illum ex vita incontinenter acta fuiſſe contractum, & ex acerba vua intempeſtiuè comeſa obſtupuiſſe dentes.

32. Verſ. 20. *Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei dirupti ſunt.*] Tabernaculum pro templo ſumi, aut ciuitate; funiculos verò pro eo, quod tabernaculum firmat, & extendit, ac pro templi, vrbiſque firmamento, iiſdem penè verbis explicuit Iſaias capite 33. verſu 20. *Tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Idem penè capite 54. Hæc itaque eſt infirmitas illa, ac morbus, mortifer vtique, quem ſibi tolerandum dicebat populus ille, ſuæ iam inſipientię conſcius: vt enim morbus corporis neruos, & quaſi funiculos laxat, atque diſtumpit, ita vt ſtatim tabernaculi ſequatur diſſolutio: ſic peccata, quæ morbus quidam ſunt, vetáque paralyſis, munimenta ciuium, ciuitatiſque præſidia conuellunt. Sumitur autem hoc loco præteritum pro futuro: neque enim quo tempore hæc à Ieremia dicebantur, diſrupti fuerant vrbis, templique funiculi, neque dum ad ciuitatem appulerant Chaldæi.

Peccata morbus.

Non eſt, qui extendat vltrà tentorium meum, aut erigat pelles meas.] Eandem perſequitur metaphoram, quæ in tentorio, & pellibus ciuitatem intelligit. Cùm Deus ciues tanquam funda lapides proieciſſet, neque vſquam in Iudæorum finibus vllus appareret; quaſi iam actum eſſet de ciuitate, ac ciuibus, doler Propheta, tendendi vltra tabernaculi ſpem eſſe ſublatam.

33. Verſ. 21. *Quia ſtultè egerunt paſtores.*] Continuari credo allegoriam: nam tabernaculum vox eſt paſtoritia. Quòd verò tabernaculum diſſolutum ſit, gréxque diſperſus, & à prædonibus abactus, culpa paſtoris eſt, qui dum datas ſibi partes negligenter obeunt, exitium gregi moliuntur.

Quàm perniciosa paſtorum incuria.

Verſ. 22. *Vox auditionis ecce venit, & commotio* A *magna.*] Audire ſibi videtur Propheta minaces ſonitus exultantis ab Aquilone inimici, & bellicum celeuma, tum præterea motus, quales fieri ſolent à tumultuantibus, dum arma comparant, ſéque ad vim, ad prædamque mutuò cohortantur.

Habitaculum draconum, addit Hieronymus in Commentariis, ſeu *cubile ſtruthionum.* Symmachus *Syrenas* conuertit, quæ Hieronymus exponit *dæmonum phantaſmata.* vbi ad hoc poſtremum ventum eſt, credo grauiter ingemuiſſe Prophetam, cùm deleta iam vrbe, & exciſo templo pro hominibus, quos Deus antè tan luculenter ornarat, ad omnéque genus pietatis inſtruxerat, dracones B ſuccedant, & in templo omnium celeberrimo, vbi Deus cum populo familiariter agebat, occurrant Syrenarum, ideſt, dæmonum horribilia phantaſmata. Hoc idem accidit, cùm animæ noſtræ laxatis funiculis, deinde diſruptis, tabernaculum vaſtatur: tunc enim non dæmonum ſpecies, ſeu phantaſmata, ſed dæmones ipſi Deo ſuccedunt, vbi tanquam in ſolitudine ſuum ſibi inſtruxerunt cubile, ibique exultant, ſibique de noua poſſeſſione gaudent. Neque aliter efferatur, fitque dæmonum commoratio exciſa Ieruſalem ciuitas electa, quàm Babylonia, quæ nihil minus, quàm de vera religione cogitauit. De Babylone dixit Iſaias capite 13. verſu 21. *Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthione, & piloſi ſaltabunt ibi.* De Ieru- C ſalem euerſa idem capite 34. verſu 14. *Et erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum: & occurrent dæmonia, onocentauris, & piloſus clamabit.* Speciem hîc vides animæ, quam dæmon expugnauit, quam gratia deſeruit.

34. *Qualis anima à Deo deſerta.* Iſai. 13. Iſai. 34.

Verſ. 23. *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius.*] De Nabuchodonoſor communiter accipiunt Interpretes, cuius Dominus armauit manum, & ad euertendam Ieruſalem greſſus direxit: neque enim tam ille in ciuitatem illam eſſet potens, niſi vires Dominus addidiſſet, ſolertiam item, atque conſtantiam ad opus peragendum. Et quod ad viam ſpectat, vt obſeruat hîc Vatablus, facit valde, quod Nabuchodonoſor, cùm D ſecum deliberaret, aciémne contra Ammonitas dirigeret, an contra Iudæam, iniecta illi mens eſt, non dubium, quin à Domino, vt bello peteret Iudæam. Quare via illa, quæ Hieroſolymam perdidit, Dei potiùs erat, quàm Regis Babylonici. De quo Ezechiel capite 21. *Stetit Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiſcens ſagittas: interrogauit idola, exta conſuluit. Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu*, &c. Conſuluit quidem Nabuchodonoſor impiè nugatoria ſuorum idolorum oracula, ſorti rem commiſit, ſed Dominus temperauit ſortes. Cùm ergo ſatis intellexiſſet Propheta E à Deo potiùs, quàm à Chaldæo paratum eſſe malum, Deum orat, vt iram tot ſcelerum vindicem moderetur, & indignationem ſuam potiùs in ſui nominis inimicos effundat.

35. *A Deo tribulatio viri.* Ezech. 21.

Verſ. 24. *Corripe me, Domine: verumtamen in iudicio, & non in furore.*] Non deprecatur à Domino vindictam, neque impunita vult populi peccata, orat tamen, ne furor vſque adeò in populum illum inflammetur, ſed in conſilium de caſtigandis erratis adhibeat quoque miſericordiam, neque actum funditus eſſe velit de Ieruſalem. Porro *iudicium* ambiguam habet ſignificationem, ſicut

36. *Optanda eſt à Domino correctio, ſicut à medico ſectio.*

ſicut etiam *iudicio*:modò enim ſignificat id, quod ab amore,atque clementia,modò id,quod ab offenſione naſcitur. Iudicium hîc abſque dubio pro miſericordia ponitur; ſicut capite 30. verſu 11. *Te autem non faciam in conſummationem,ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*Neque aliud hîc orat Ieremias, quàm quod olim Dauid Pſalmo 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:miſerere mei,* &c. Vult quidem puniri, non tamen in furore, paterno videlicet animo ad ſalutem,non hoſtili ad interitum. Hoc planè videtur ſignificari, *in iudicio*: vt enim aliter vrit,& ſecat medicus quàm hoſtis:medicus enim in iudicio, ideſt, re priùs conſiderata ſecat, quia

A ſalutem intuetur ægroti;hoſtis verò ſine iudicio cædit, quia tantùm ſpectat interitum inimici:ſic Deum orat Propheta,vt in iudicio puniat, ideſt, vt populum non perdat, ſed emendet,non vt alienum abiiciat, ſed vt ægroto medeatur, & pœnæ ſeueritatem paterna beneuolentia moderetur.

Verſ.25. *Effunde indignationem tuam ſuper Gentes,* &c.] Hæc ſumpta ſunt ex Pſalmo 78. neque difficultatis quidquam habent; tantùm orat, vt collectum furorem, & grauem illam manum, quam ad plagam intenderat, in Gentes Diuini nominis ignaras à ſuo populo conuertat.Hæc de capite decimo.

ARGVMENTVM CAPITIS XI.

REVOCAT Dominus in memoriam fœdus, quod olim cum liberato ex Ægyptia ſeruitute populo ſanciuit; quod cùm non minùs impudenter poſteri, quàm illorum parentes prodidiſſent, vtriſque minatur fore commune ſupplicium. Quare iubetur Ieremias, ne ſe pro populo indignato Deo ſupplicem opponat. Deinde, cùm quid in ſuum caput contribules inſtruant, cognouiſſet Propheta,vltionem de hoſtibus,& cauſam totam Domino committit.

IEREM. CAP. XI.

1. *VErbum, quod factum eſt à Domino ad Ieremiam,dicens:*

2. *Audite verba pacti huius, & loquimini ad viros Iuda,& habitatores Ieruſalem,*

3. *Et dices ad eos:Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius,*

4. *Quod præcepi patribus veſtris in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea, dicens: Audite vocem meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum:*

5. *Vt ſuſcitem iuramentum, quod iuraui patribus veſtris, daturum me eis terram fluentem lacte & melle, ſicut eſt dies hæc. Et reſpondi, & dixi: Amen Domine.*

6. *Et*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

B 1. HOc verbum eſt, quod à Domino Ieremias accepit.

2. Audi,ô Ieremia,verba fœderis,quod olim inij cum Iſraël: & loquere ad Iudæorum gentem,& ad eos præſertim, qui Hieroſolymæ degunt.

3. Hæc meo nomine dices ad Iſraël: Maledictus vir, qui fuerit huius fœderis violati reus.

4. Huius,inquam, fœderis, quod cum maioribus veſtris tunc pepigi, quando illos ex Ægyptia ſeruitute,tanquam à ferrea fornace, liberaui. Præcepi autem eis, vt
C aures adhiberent obſequentes voci meæ; & quæ ipſis traderem, mandata complerent. Quod ſi,vt par erat, accuratè præſtarent, promiſi me futurum illis Deum, & ipſos mihi futuros eſſe populum.

5. Verbum autem hoc meum eò ſpectat, vt inſtaurem, & renouem iuſiurandum, quod propter violatum fœdus à populo excidiſſe videbatur. Iuraui verò tunc, daturum me Iſraëli terram vſque adeò pinguem, & rerum abundantem, vt lacte,ac melle fluere cenſeri potuerit,ſicut vos in præſentia poſſidetis. Tunc ego ad Dominum: Fidelis, ô Domine,es, ſeruaſti promiſſum, nec nos in te fidelitatem deſideramus in complendo promiſſo; ſed tu

potiùs

6. Et dixit Dominus ad me: Vociferare omnia verba hæc in ciuitatibus Iuda, & foris Ieruſalem, dicens: Audite verba pacti huius, & facite illa:

7. Quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, vſque ad diem hanc: manè conſurgens conteſtatus ſum, & dixi: Audite vocem meam:

8. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed abierunt vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali: & induxi ſuper eos omnia verba pacti huius, quod præcepi vt facerent, & non fecerunt.

9. Et dixit Dominus ad me: Inuenta eſt coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Ieruſalem.

10. Reuerſi ſunt ad iniquitates patrum ſuorum priores, qui noluerunt audire verba mea: & hi ergo abierunt poſt deos alienos, vt ſeruirent eis: irritum fecerunt domus Iſraël, & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum.

11. Quamobrem hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt: & clamabunt ad me, & non exaudiam eos.

12. Et ibunt ciuitates Iuda, & habitatores Ieruſalem, & clamabunt ad deos, quibus libant, & non ſaluabunt eos in tempore afflictionis eorum.

13. Secundùm numerum enim ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda: & ſecundùm numerum viarum Ieruſalem poſuiſti aras confuſionis, aras ad libandum Baalim.

14. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.

15. Quid

A potiùs in nobis in ſeruando pacto fidem, atque conſtantiam requiris.

6. Tunc ad me Dominus: Quanta maxima potes contentione clama; & dic in ciuitatibus Iuda, & extra Hieroſolymam: Audite verba fœderis, ad quæ veſtram nunc excito memoriam, & quæ in illis continentur præcepta complete.

7. Adhibita graui conteſtatione patres veſtros admonui, & tunc cùm ex Ægypto ſunt egreſſi, & poſtea frequenter ad hunc vſque diem per Prophetas maturo, atque
B vigilanti ſtudio, dicens, Meam vocem obſequentes, & dociles audite.

8. Ipſi tamen non audierunt, neque vt audirent, aurem inclinarunt, ſed vnuſquiſque eò ferebatur, quò praui cordis immoderatus affectus rapiebat. Atque ideo cùm facere contempſiſſent, quod præſtare ex pacto, & fœdere deberent, induxi ſuper eos mala, quæ fœderis violati reis minatus antè fueram.

9. Et iterum Dominus ad me: Adeò viri Iudæi, & Solymitani ciues mandata mea
C non obſeruant, vt conſpiraſſe videantur potiùs, ídque iuramento publico confirmaſſe, ne de colendo Deo cogitationem aliquando ſuſciperent.

10. Sequuti poſtea parentum ingenia, prioribus illorum veſtigiis adhæsêre, quorum ad audiendam vocem meam aures obſurduerunt. Idem quoque fecerunt non minùs ſtolidi, quàm ſcelerati filij: nam alienæ ſe addixerunt religioni, vt idola colerent, & quod antè fœdus cum ipſorum parentibus inieram, tanquam irritum foret, & inane, proiecerunt.

D 11. Quocirca, dicit Dominus, ecce ego inueham ſuper illos mala, ex quibus ſe extricare non poterunt: cúmque illa vehementer vrgeant, implorabunt à me veniam, & auxilium, neque tamen clamando efficient, vti obtineant.

12. Confugient tunc tam ciuitates aliæ, quàm Solymitani ciues auxilij gratia ad eos, quos, Deo vero contempto, coluerunt pro diis, excitatis aris, & oblatis ibi ſacrificiis, neque tamen in anguſto illo rerum articulo periculum effugient.

E 13. Neque pauci fuerunt dij, quorum in anguſtiis auxilium imploraſtis. Quot enim fuerunt ciuitates in Iudæorum finibus, tot etiam fuerunt idolorum ſpecies: & ex omnibus viis, quoquò versùs ſpectent ex Ieruſalem, excitatæ ſunt impiæ idolorum aræ, ad libamenta, & victimas Baalim.

14. Tu ergo, ô Ieremia, orare noli, abſtineto à laudibus, quas oratio plerunque precibus adiungit: neque te pro populo ſupplicem opponas. Neque enim vt maxi-

A mè in populi vexatione, atque æſtu, orando, clamandóque contendas, quod petis, exorabis.

15. Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? nunquid cãrnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus glòriata es?

15. Vt quid enim dilectus mihi quondam populus in domum meam impios indixit ritus, atque inibi contra Deum multa peccauit? Nunquid oblatæ victimarum carnes ab iniquitatibus purgabunt, quas ſibi laudi dixit ſtultus ille populus?

16. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in eâ, & combuſta ſunt fruteta eius.

16. Feci olim, ô domus Iſraël, vt ſpeciem haberes elegantem, & pulchram, qualem habere ſolent oliuæ vberes, ſpe- B cioſæ, ac lætæ. Sed ſicut fulmine cum ingenti fragore de cælo vibrato percuſſæ oliuæ repentè deformantur, & diffuſa illa, atque eximia ramorum, foliorúmque luxuries exuritur; ſic domus Iuda à vaſtatore Chaldæorum exercitu, tanquam à cæleſti fulmine percuſſa repentè fœdata, & deformata fuit.

17. Et Dominus exercituum qui plantauit te, locutus eſt ſuper te malum: pro malis domus Iſraël & domus Iudæ, quæ fecerunt ſibi ad irritandum me, libantes Baalim.

17. Sed qui plantauit te Dominus ſicut oliuam, idem etiam tibi maledixit propter peccata, quæ viri Iudæi inducta externa, atque nefaria religione commiſerunt, quibus in illam gentem furorem meum C inflammarunt. Et ſicut Diuina maledictio nihil in oliua pulchrum, nihil relinquit viride, ſic eadem ab ea gente omnem ſpeciem, & decorem exuſſit.

18. Tu autem Domine demonſtraſti mihi, & cognoui: tunc oſtendiſti mihi ſtudia eorum.

18. Tu autem (inquit Ieremias hiſtoricè de ſe, & de Chriſto typicè) oſtendiſti, Domine, & ego cognoui, quid dum hæc triſtia, & horribilia denuncio, in meum caput moliantur Iudæi, hoſtilem in modum efferati.

19. Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui; quia cogitauerunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs.

19. Cùm ipſi furerent in me, ego tamen in illos hoſtile nihil animo concepi: D ſed perinde me habui, quaſi mitis, & manſuetus agnus, qui immolandus trahitur ad aram: & quaſi ignorârem, quænam eſſent illorum de meo capite conſilia, cùm ad mortem quærerer, nullam dedi renitentis animi ſignificationem. Dicebant autem, me non ignaro, Inficiamus cibum eius veneno mortifero, quale eſt illud, quod è taxo fit: illúmque omnino de viuentium numero ita tollamus, vt cum vita, ipſius quoque memoria deleatur.

20. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſtè, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam.

20. Tu autem, qui iuſtus es vindex, cui E intima hominum conſilia patent, fac vt me de illorum ſceleratis machinationibus vlciſcare: tibi enim cauſam meam propono, illámque omnino iudicandam committo.

21. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus noſtris.

21. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth contribules tuos, ô Ieremia, qui tuæ vitæ minas, & inſidias intentant; dicúntque, ſi prophetare, atque moleſtus eſſe pergas, tibi ipſorum manibus eſſe moriendum.

22. Pro

22. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego viſitabo ſuper eos: iuuenes morientur in gladio, filij eorum & filiæ eorum morientur in fame.* A

23. *Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum ſuper viros Anathoth, annum viſitationis eorum.*

22. Propterea, dicit Dominus, Sic ego in illos animaduertam ſeuerè, vt eorum iuuenes, ac filij hoſtili ferro, & imbelle fœminarum genus fame conficiantur.

23. Inducam tempus, in quo ſuorum ſcelerum pœnas expendant, in quo ad vnum omnes interibunt. Neque vllus erit ex omni ætate, ac ſexu, quem non aut fames, aut ferrum extinguat.

IN CAPVT VNDECIMVM IEREMIÆ.

Verſ.2. *Audite verba pacti huius.*]

1. EDICIT Dominus Prophetæ, quid ipſe aliis annunciare debeat, reuocétque in illorum memoriam antiquum fœdus, quod olim cum Iſraële iniit ad montem Sina, vt quid facere debuerint, intelligant, & violati fœderis culpam agnoſcant. Vtitur autem plurali verbo, *audite*, &, *loquimini*, cùm tamen ad vnum Ieremiam verbum dicatur eſſe factum, quia hæc etiam ad alios, qui eiuſdem fuerant cum Ieremia inſtituti, ac ſpiritus, edici videntur. Eſt autem vſitatum, vt in vno omnes, qui eiuſdem ſunt artis, & inſtituti, intelligantur, fiatque ab vno in alterum numerum ſubita migratio. Quale eſt illud Comici, qui cùm ad vnam loqueretur, in illa omnium meretricum mores expreſſit, *Noui, inquit, veſtros mores.*

Verſ. 3. *Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius.*] Non tam credo noua hæc maledictio eſt, quàm veteris renouatio, atque recordatio. Quibus Deus maledictis deuouerit violati fœderis reos, habes Deuteronomij cap. 27. ad illa, credo, Deus hoc loco reſpexit.

2. Verſ. 4. *In die, quo eduxi eos de terra Ægypti.*] Aliquot non tantùm diebus, ſed etiam menſibus initum eſt hoc pactum cum filiis Iſraël, poſtquam educti ſunt de terra Ægypti. Dicitur tamen eo initum fuiſſe die, quo Ægyptium iugum è ſuis ceruicibus excuſſerunt, iuxta ſacræ Scripturæ idioma, quæ aliquid factum eſſe dicit aliquo definito tempore, ſi modò non longè ab eo factum eſſe contigerit. Exemplis abundamus, & hæc ipſa dies libertatis Ægyptiæ ſuppeditat non pauca: multa enim in egreſſu ex Ægypto facta eſſe commemorantur, quæ aliquot non diebus ſolùm, ſed menſibus poſtea facta ſunt; vt ſiccatum eſſe mare, Ioſue 2. occurriſſe Moab Iſraëlitis, Deuteronomij 23. verſu 4. & 25. verſu 18. datum Manna, Exodi 16. acceptam legem in monte Sinai, Deuteronomij 4. Leuitici 26. 4. Regum 8. & plura alia, quæ attento lectori occurrent paſſim.

Regvla. In aliquo tempore fieri dicitur, quod parũ ab illo diſtat.

3. *De fornace ferrea.*] Ferreum in ſacra Scriptura dicitur, quod durum eſt, & anguſtè premit, qua ratione iugum dicitur ferreum, quod ceruices confringit, & eſt prorſus importabile. Fornax hoc loco ferrea vocatur, accommodatè ad ſeruitutem illam, quam apud Ægyptios ſubierunt Hebræi: nam re vera fornacibus aſſederunt, coquendíſque laterculis operam nauarunt, ſed quia ad laborem illum alioqui durum, grauiora etiam alia acceſſerunt incommoda, fornax illa iure ſuo ferrea dici potuit, quæ ignem habuit, & flatum vehementem, quo molliret, liquarétque metalla, quæ longè maiorem flammarum vim deſiderat, quàm communes aliæ, frequentéſque fornaces, quæ lutum durant, & coquunt. Fornax autem ferrea figuram habet prouerbialem. B

Ferreum, pro duro. *Prov.*

Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.] Hoc fuit pactum, quod ſartum, & tectum Deus à ſuo populo ſeruari vult, quod publicè vt à Prophetis ſæpius inclametur, edicit Dominus.

C Verſ. 5. *Vt ſuſcitem iuramentum, quod iuraui.*] 4.
Quod cecidit, aut eſſe iam deſiit, quo id cunque modo contingat, ſuſcitari dicitur; cùm excitatur, inſtauratur, & ad ſuum ſtatum, ac firmitatem redit. Quare ſuſcitata dicitur domus, cùm iterum reſurgit è rediuiua materia; ſuſcitatæ leges iam exoletæ; ſuſcitatur denique mortuus, cùm ad lucem rurſus, & vitam redit. Iurarat olim Dominus Abrahamo, daturum ſe illi, atque eius ſemini in perpetuum terram promiſſionis: hoc verò iuramentum, quia populus datæ fidei non ſteterat, excidiſſe videbatur; quia iam proximè erat, vt populus non ſuo ſibi in ea poſſeſſione viueret arbitratu, ſed in aliena regione exul, & captiuus ſeruiret alieno. Monet ergo Deus, vt fœderis toties violati meminerit, ſi iuramentum à Deo ſeruari vult. D

Terram fluentem lacte, & melle.] Hyperbolica locutio, qua ſignificatur rerum abundantia. Sanè in ea regione propter paſcuorum bonitatem plurimum exprimitur lactis, & propter varias opportunitates abſque vlla ruſticorum induſtria, nullis copioſa vindemia eſt. Nota eſt hiſtoria Ionathæ, qui in fauo vltro ablato virgam intinxit, & Ioannis, qui melle veſcebatur ſylueſtri.

Sicut eſt dies hæc.] ideſt, ſecundùm quod hodie 5.
experimur. Incertum, quò iſta referenda, an ad mellis, & lactis abundantiam, in hanc ſententiam: Sicut hodie terram lacte, & melle ſtillare videtis, vel ad illius terræ poſſeſſionem, ſicut illam vos hodie poſſidetis. Ego in hoc poſterius magis propendeo: neque enim Iudæi è ſuis finibus, datáque à Domino poſſeſſione exciderant, in

in qua vt conſeruentur, admonet per Ieremiam Dominus, vt antiqui pacti recordentur. A

Amen quid.

6. *Et dixi: Amen Domine.*] De ſignificatione *Amen* diximus plura ad illud Iſaiæ capite 25. *Cogitationes antiquas fideles, Amen.* Vbi diximus, aduerbium eſſe affirmantis, aut optantis particulam, & interdum nomen eſſe, quod *fidelem*, ſeu *fidelitatem* valet. Quocunque accipias modo, ſenſus eſt non difficilis. Si *Amen* affirmat, ſic licebit exponas: *Verè, Domine, ita eſt, nam terram hucuſque habitauimus lacte, & melle manantem.* Si optet, *fiat, Domine, perpetuum hoc beneficium, ne à data nobis poſſeſſione deturbemur.* Sed credo, *Amen* tertio modo intelligendũ hoc loco: ac ſi Propheta dicat: *Fidelis es, ô Domine, ſeu, fidelitas ipſa es, ô Domine:* ſeruaſti pactum, & iuramentum, neque fidelitas in te, ad implendum promiſſum, ſed in nobis defuit, qui pactum, quod integrum ſeruare debuimus, violauimus. B

Lex Domini valde commendata.

7. Verſ. 7. *Quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, vſque ad diem hanc.*] Dedit Dominus legem in die, qua ex Ægypto egreſſus eſt populus eo ſenſu, quo nuper explicuimus, adhibita graui conteſtatione, atque admonitione, qua & proſpera omnia promittebat ſeruantibus legem; his verò, qui contra facerent, nihil non aduerſum. Quæ in longa peregrinatione, tunc deinde in terra promiſſionis per Prophetas ſæpius iterauit: neque ab eo ſtudio, admonitionéque paterna ceſſauit ad præ- C ſens vſque Ieremiæ tempus. *Conteſtari* cùm alia ſignificet, tum illud præcipuè teſtes adducere, aut illorum fidem, qui teſtes fuerunt, implorare. Teſtes aduocauit Deus cælum, & terram, Deuteronomij 4. verſu 26. *Teſtes inuoco hodie cælum, & terram, citò perituros vos eſſe de terra, quam tranſito Iordane poſſeſſuri eſtis; non habitabitis in ea longo tempore, ſed delebit vos Dominus.* Et rurſus per Moyſem Deuteronomij 32. conteſtatus eſt iterum cælum, & terram: *Audite cæli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.* Teſtes autem aduocat, & ſuæ in populum fidelitatis, & populi in Deum obliuionis, atque perfidiæ. Hoc idem per Iſaiam poſtea capite 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Conteſtatus eſt D etiam, cùm in terra promiſſionis titulos excitari iuſſit, Deuteronomij 27. verſu 6. quod fecit Ioſue capite 8. verſu 32. vbi lex Domini dilucidè ſcripta fuit. Quare cauſari non potuerunt Hebræi, aut obliuionem, cùm toties Diuinæ legis pondus audiiſſent, aut mutatam eſſe Domini voluntatem, cùm toties illam continenti penè conteſtatione confirmaſſet.

Conteſtor quid.

Manè conſurgens.] id eſt, ſummo ſtudio: quod enim maximè nobis in votis eſt, id vt faciamus, ſolis lucem præuertimus. Vide quæ diximus cap. 7. ad illud, *manè conſurgens.*

8. Verſ. 8. *Et induxi ſuper eos omnia verba pacti huius.*] Ne putarent Hebræi minas illas, quas Do- E minus mandatis addiderat, inanes eſſe verborum ſonitus, neque vllum vnquam pondus habituras, oſtendit Deus, quemadmodum violati fœderis reos ſeuerè mulctauerit: hoc enim eſſe puto, induci verba pacti, minacia videlicet, vt in alieno capite diſcerent poſteri, quod ſuo ſibi capiti timere debeant. Quàm verò ſæpe Deus vexarit populum gladio, fame, ſeruitute, vt non durè ſolùm, ſed etiam ignominioſè, tam à vicinis, quàm à remotis hoſtibus ſubacti fuerint, docent Hebræorum annales tam in Regum, quàm in Iudicum libris.

Verſ. 9. *Inuenta eſt coniuratio in viris Iuda.*] Coniuratio magnum aliquid ſonat, idque iuramento, aut ritu aliquo ſacto confirmatũ, quod violari nõ humana ſolùm fides, ſed etiam religio vetat. Viri ergo Iuda, contra quos à Deo hæc nunciat Ieremias, eo ad idola impetu ac ſtudio ferebantur, vt illis ſe iuramento, ac voto communi, publicóque conſenſu, addixiſſe viderentur; quaſi violatæ religionis cenſerentur rei, ſi de verò Deo colendo cogitationem aliquando ſuſcepiſſent. Quæ verò ſit illa coniuratio, ſtatim declarat, ne quis illorum, quaſi diceret, faceret bene. Quemadmodum Iudæi voto ſe addixerint, & quaſi coniurauerint, vt idola colerent, vide infra cap. 44. v. 17. & v. 25. 9.

Coniuratio quid.

Verſ. 13. *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda, & ſecundùm numerum viarum Ieruſalem poſuiſti aras confuſionis.*] Quemadmodum Athenienſes tunc maximè pios ſe putabant, cùm pluribus ſe immiſcuiſſent religionibus, atque ideo nullum apud alias gentes audiebant eſſe Deum, quem non aut in ſua inueherent ſacraria, aut altariũ honore non proſequerentur. Quare ignotis etiam, & peregrinis Diis aut altaria, aut ſacra inſtituerunt. Vt probat illud Actorum 17. de ara ignoto Deo excitata. Sic ego ſuſpicor, Solymitanos, qua erant animi mobilitate, omnium Gentium ſuperſtitionem fuiſſe complexos. Quod Propheta duobus ſignificat modis, dum pro ciuitatum numero multiplicati dicuntur eſſe dij; planè eorum maxima ſignificatur multitudo; quia ciuitates in ſorte, quæ contigit Iudæis, plurimæ viſebantur. Sed fortaſſe alius eſt ſenſus, qui leue, ac multiplex Iudæorum ingenium declarat; nam quemadmodum hac noſtra ætate, hæreticorum ciuitates alicubi non tam agrorum finibus, quàm religione diſtinguũtur, immo & familiæ ipſæ ſæpe in vna religione non conſentiunt; ſic Iudæorum ciuitates variæ variis ſe gentium ſuperſtitionibus addixerunt, ita vt tot eſſent apud Iudæos idolorum diſcrimina, quot in eorum funiculo ciuitates. Significantur autem & diſſecti animi Iudæorum, & diuerſarum ſectarum multitudo, idque, vt reor, hyperbolicè. In hanc ſententiam inclinat Hieronymus, dum dicit, quot eſſent vrbes in Iudæa, tot fuiſſe idolorum ſpecies. 10.

Iudæi multorũ idolorũ cultores.

Eo verò, quod ſtatim ſequitur, *Et ſecundùm numerum viarum Ieruſalem*, credo ſignificari, hyperbolico fortaſſe ſenſu, nullum eſſe vllibi terrarum idolum, quod non in ſuam religionem accerſierint Iudæi; omnes autem vias pro omnibus accipio regionibus, ad quas viæ illæ ſpectant: vt enim è centro in omnes periſphæriæ partes lineæ ducuntur; ſic è Ieruſalem in partes omnes etiam extremas ducuntur viæ, quæ quaſi lineæ ſunt. Quare via, quæ ab Orientali porta tenditur, in totam regionem Orientalem patet, & quæ ab Aquilonari, in omnem plagam Aquilonarem, quantumcunque longiſſimè abſit. Exempla habemus, quæ huic cogitationi non parum fauent, Pſalmo 88. vbi cùm Dauid de totius mundi ſpatiis ageret, diceretque: *Orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundaſti*, ſtatim orbis partes ſeparatim dinumerat; *Aquilonem* (inquit) *& mare tu creaſti: Thabor, & Hermon, in nomine tuo exultabunt.* vbi *mare* pro Meridiana plaga, Thabor pro Occidentali, Hermon pro Orientali ponitur, quia certa hæc ſigna ad vniuerſas illas regiones indefinitè feruntur. Sic vias Ieruſalem, quia in omnes 11.

Via, pro regione.

Pſal 88.

nes mundi plagas latè porriguntur, pro omnibus mundi plagis vſurpari puto. Quòd verò ex omni quoquoverſùs regione deos aſciuerint Iudæi, probabile ſit, ex variis idolorum nominibus, quę in ſacra Scriptura ſæpius audiuntur, vt Chamos, Moloch, Aſtarte, Baal, Beelphegor, Belzebu, Sol, Luna, quæ fortaſſe ſunt idola illa, quæ ſub Iſidis, atque Oſiridis nomine coluerunt Ægyptij. Sanè idola accepiſſe Iudæos ab Aſſyriis, Ægyptiis, & Chaldæis, docet Ezechiel capite 16. dum dicit fornicatam eſſe Iudam cum Ægyptiis, Aſſyriis, &c. Hæc mihi viſa ſunt non improbabilia, ſed magis inclinat animus, vt putem in omnibus viis, quoquoverſùs ſpectent, ex Ieruſalem, ædificatas fuiſſe aras, vt quocunque in loco ſimulacrum occurreret, quod adorant, quod alia verborum forma expreſſit Ezechiel cap. 16. *Fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ.* & ita cum Hieronymo ſentiunt alij.

Verſ. 14. *Non aſſumas pro eis laudem, & orationem.*] Quid laus ſit hoc loco, & quomodo cum oratione coniungatur, diximus ſuprà cap. 7. verſu 14. vbi hæc eadem verba poſita.

12\. Verſ. 15. *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?*] Locus hic difficilis non eſt, ſi tranſlationem tantùm intuearis Latinam; valde tamen eſt obſcurus, ſi textum Hebraicum velis cum tranſlatione componere vulgata. Hebraicè: *Quid dilecto meo in domo mea, facere ipſum abominationem?* Singula expendo. Et primùm ſtatuo, in *dilecto* intelligi populum Iſraëliticum, aut quod ad ipſum pertineat, vt apertè docet tranſlatio Septuaginta, & Chaldaica, vt tenet ſanctus Hieronymus, & cum eo frequentes alij. Appellat autem populum dilectum, vt oſtendat, quanto ſtudio populum illum complexus fuerit; eo nempe, quo locuples, ac liberalis ſponſus ornare ſponſam ſolet, quam habet vnicam, & vnicè diligit: & vt magis etiam appareat ingrati populi turpitudo, qui talibus ornatus, vſque adeò referendæ gratiæ fuerit immemor, vt & fidem deſerat, & iniurius ſit, cùm thalamum, quem caſtum ſeruare debuit ſponſo Deo, idolorum ſpurcitiis proſtituerit.

Dilectus, epithetum populi Iudaici.

In domo mea.] Communiter *in domo* templum eſſe intelligendum exiſtimatur, in quo populus ille multa peccauit, cùm ibi deorum excitauerit aras, & impia peregerit ſacra: & ita illud *multa*, pro quo Hebraicè הרבים *arabim, multis*, aut *cum multis*, vt alij exponunt, ad idola referunt: quaſi cum multis idolis templum fœdauerint, atque polluerint.

13\. Vbi Vulgatus *multa*, Hebraicè הרבים *arabim*, ideſt, *multis*, ſeu *cum multis*, communiter *in multis*, alij idola cognoſcunt, & hunc eſſe ſenſum volunt: feciiſſe domum ſcelera illatis in templum idolis, aut cum idolis fornicando. Sed fortaſſe illud הרבים *arabim*, ad gentes, ſeu populos alios referendum eſt, ita vt domus Dei, populus nempe Iſraëliticus, idem fecerit, quod populi alij faciunt, qui impiis ſe religionibus addixerunt. Quòd ſi in הרבים *arabim*, idolum intelligamus, ego potiùs in genitiuo locarem, vt res Grammatica videtur exigere, in hanc ſententiam: Fecit ibi abominationes multorum idolorum: quia multis idolis in templo abominabiles inſtituit victimas. Vt autem in ſummam breuem cogam, quæ pluribus dixi, ſi cum Vulgato legas, quod neceſſe eſt, *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* ſenſus eſt, populum electum quondam,

A dam, & dilectum à Deo, in domo Deo ſacra impios induxiſſe ritus, atque inibi contra Dominum multa peccaſſe. Sin autem ad Hebraicum textum, quem nunc habemus, ſingula expendas, ſic, puto, commodè interpretabere: *Quid dilecto meo in domo mea negotij eſt?* hoc nimirum, facere in ea abominationem, aut facere ipſam domum abominationem multorum idolorum: aut multarum gentium ritu domum temerare.

Si dilectus Chriſtum referat, aut Deum, & hæc verba Ieremiæ ſint, longè facilior eſt explicatio. Quaſi miretur Propheta, quòd Deus habitare velit in eo populo, qui abominationem facit, & more gentium viuit: quod cum Rabbi
B Dauid ſentit Vatablus, & indicat Tigurina tranſlatio, ſed non bene cætera conueniunt. Si velis generi maſculino terminationem addere fœmineam, quod aliquando contingit, vt docet Pagninus libro 2. Inſtitutionum capite 3. tunc ſenſus eſſet iuxta textum Hebraicum expeditus, & facilis: *Quid eſt dilecto meo negotij in domo mea?* ideſt, in templo; hoc nempe, facere ipſum iniquitatem, &c. & fortaſſe hoc poſtremum verius, ad quod magis inclinat animus, & facit valde, quod mox ſequitur.

Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?] Hæc etiam formam habent 14.
C fœmineam, *à te*, &, *malitias tuas*, &, *gloriata es*; quæ tamen ad dilectum pertinent, vel quia id non abhorret, vt dicebamus, ab Hebræorum vſu: vel quia, vt diximus capite 7. ad illud, *tonde capillum*, cùm viri aliquid ignobile, atque muliebre tentant, genus illis adiungitur muliebre. Obtulerat ſtultus ille populus ſceleratas victimas in templo, domúmque Dei indigniſſimis temerauerat modis, ſperans fortaſſe victimis aliis ablatum iri peccata, quæ non ſolùm audacter, ſed etiam iucundè, immò, vt ſibi ipſi videbatur, glorioſè commiſerat. Carnes ſanctificatæ illæ communiter exiſtimantur, quæ iuxta Hebræorum ritum legitimè immolantur in templo: ita cum Hieronymo frequentes alij: quod mihi veriùs eſt. Sed vide, an hoc loco carnes ſanctæ ſint
D execrandæ illæ carnes, quæ ad impias aras diis immolabantur Gentilium: vt enim ad illud Iſaiæ cap. 23. *Et erunt merces eius ſanctificata Domino*, diximus, ea, quæ ſanctitatem, & munditiam ſignificant, in contrariam ſæpe ſignificationem aſſumuntur, idque tam apud Latinos, quàm Græcos, & Hebræos. Quare *ſacer* execrandum valet, & abominabile, vt probat illud Horatij in Epodon ode 7.

Regvla. Cùm viri aliquid ignobile faciunt, genus illis fœmineum datur.

Regvla. Quæ munditiam & ſanctitatem ſignificant, interdum in contrariam ſignificationem aſſumuntur.

Sacer nepotibus cruor.

Et illud Virgilij 1. Æneidos:

Auri ſacra fames. ———

Sic apud Græcos ἄγος, ἁγὴς, ἐναγὴς, & deriuata, aliquid ſonat ſceleratum, & ſordidũ. Apud Hebręos
E hæc eadem radix, quam nunc in Ieremia verſamus, קדש *cadas*, aliquid ſignificat ſanctum, aliquid item execrabile; ſic קדש *kadas*, cynœdum, & קדשה *kedeſah*, meretricem ſignificat: & verbum קדש *kadas*, quod ſanctificare valet, polluere quoque, & profanare ſignificat. Deuteronomij 22. *Ne ſeras vineam tuam altero ſemine, ne & ſementis, quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea, pariter ſanctificentur.* Et Leuitici capite 6. de hoſtia pro peccato: *Quidquid tetigerit carnes eius, ſanctificabitur.* Si in hac ſignificatione ſumas *carnes ſanctas*, ſenſus erit: carnes illæ execrabiles, oblatæ ad idolorum altaria, non auferent abs te malitias tuas, quibus non

Sacer ſeu ſanctum, pro execrando.

Deute. 22.

Leuit. 6.

non tam ineſt expiandi, quàm contaminandi vis. Hæc mihi viſa ſunt non improbabilia, ſed placet magis communis ſententia; quæ negat, ſacrificiis oblatis in templo, legitimo Iudæorum ritu, delendas eſſe ſordes, quas inuexit idolorum ſcelerata religio.

15. Verſ. 16. *Oliuam vberem, pulchram, &c. vocauit Dominus nomen tuum.*] Quemadmodum alicuius nomen pro aliquo ſumitur, vt Dei nomen pro Deo, ſic etiam *vocari* pro *eſſe* ſumi frequens eſt in ſacra Scriptura: præſertim in nominibus, quæ Deus rerum omnium gnarus rebus imponit, quæ non ſolùm ſignificant, ſed etiam continent id, quod ſonant. Quare Iſaias capite 62. dum Ieruſalem, & in ea figuratè Eccleſia vocatur, *voluntas Dei in ea, & inhabitata* futura dicitur hominibus frequens, & in qua ſibi complaceat Dominus. Et Ezechielis capite 48. nominanda dicitur ciuitas, *Dominus ibidem*, quod idem eſt, atque in ciuitate Dominus erit: dum ergo Dominus de Ieruſalem dicit vocatam eſſe vberem, pulchram, &c. illam dicit fuiſſe talem, qualis hoc loco nominatur. Credo autem oliuam vberem, & fructuoſam, prouerbialiter ſumi pro re ſpecioſa, abundante, atque vtili: quia in earum rerum, quæ eiuſmodi ſunt, comparationem frequenter adducitur. Eccleſiaſtici 24. de ſapientia dicitur: *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* & capite 50. de Onia: *Quaſi oliua pullulans.* Oſeæ capite 14. de gente felici: *Erit quaſi oliuæ gloria eius.* & Pſalmo 51. *Ego autem quaſi oliua fructifera in domo Dei.* Credo in terra promiſſionis, oliuas non ſolùm eſſe vberes, ſed etiam pulchras, & ideo à re illis regionibus familiari prouerbialem illam ſimilitudinem duci. Vocari autem puto nunc à Deo oliuam vberem, ſpecioſam, &c. quia oliuæ viriditas perpetua eſt, neque frondes habet vlla temporum varietate deciduas. Sic etiam Deus æternam fore dixit Iſraëli poſſeſſionem illam, neque populo illi alienum iugum fore ſubeundum, modò ſtaret promiſſis, & ideo dixit: *Oliuam vberem, pulchram, &c. vocauit Dominus nomen tuum.* Sed quia non ſtetit datæ fidei, ideo in ea figurata oliuæ viriditas non ſtetit, & antiqua vbertas exuſta eſt; quare non incommodè ſubditur:

Vocari, idem quod eſſe.

Oliua, pro re pulchra. Prov.

16. *Ad vocem loquelæ grandis, exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius.*] Quanta fuit ſpecies, & vbertas oliuæ illius metaphoricæ, tanta etiam fuit illius ſubita ruina: vt enim poſt tonitru excuſſum fulmen diſperdit arborem, quantumcumque firmam, & in cineres redigit: ſic poſt grauia Prophetarum tonitrua, ideſt, prophetias minaces, fulmen tamen vibratum eſt è cœlo, quod ſplendorem perdidit tam lautæ, atque ſplendidæ ciuitatis: fulmen autem appello Chaldæorum exercitum, qui inopinatam Hieroſolymæ vaſtitatem attulit.

17. *Ad vocem loquelæ grandis.*] Genus ipſum Hebraicum docet, *grandis* ad *loquelam* pertinere, non ad *ignem*. Hæc autem loquela grandis abſque dubio Dei eſt, quid tamen ſit, incertum. Fortaſſis grandis loquela eſt vox illa planè illuſtris, & magnifica, qua magna Deus Hieroſolymæ, & genti Iſraëlitidi promiſit, cùm oliuam vocauit ſpecioſam, & vberem. Quò autem maiora promiſſa ſunt, & magna ex parte, perdiúque conceſſa, eò maius ſupplicium paratum eſt, quando totam vbertatem exurat, nihilque relinquat ſplendoris antiqui. Quæ explicatio grauis eſt pro re morali, vt hinc diſcant, qui magnis à Deo cumulati ſunt

Qui plura accepit, maiora debet ſupplicia.

A donis, quàm grauiter timere debeant, ne de cælo tacti, quod à cælo receperunt nomen, & ornamentum amittant.

Sed puto veriſimilius, loquelam Dei grandem eſſe tonitruum, vt ſuprà explicuimus: quòd enim tonitru vox dicatur Domini, res eſt nota, & Pſalmo 28. ſæpius iterata, neque ad rem moralem expoſitio minùs opportuna. In Deo etenim duas inuenimus voces; alteram amicam, mollem, & indulgentiæ plenam, qualis eſt illa, qua vocat Ieruſalem oliuam vberem, ideſt, qua omnia pulchra, ſpecioſa, &c. alteram horribilem, quæ minas intentat, quámque ſequitur vaſtitas, & exitium, ſicut poſt tonitruum ſequitur fulgur, & cum eo fulmen. Quare ſicut tonitruum non eſt

Tonitruum vox Dei.

B ſonitus inanis, ſed ſecum affert fulmina, exanimationem, & mortem, ſic Dei minaces voces non vaneſcunt in fumos, & ludicras vmbras, ſed graues habent fulgurum, & fulminum emiſſiones, *fruteta* voco virgas, quæ è radice pullulant, quas Pſalmus 127. nouellas vocat oliuarum, quæ tactæ de cælo, ſimul cum ipſo ſtipite, totáque arboris luxuria cremantur.

Qui plantauit te, loquutus eſt ſuper te malum.] Metaphoram proſequitur oliuæ: & paucis verbis magnam indicat rerum mutationem. Nam qui plantauit oliuam è ſurculo nobili, illiúſque curam diligentem habuit; idem illi ſic maledixit, vt nihil in ea viride, nihil amœnum reliquerit, inducto per Chaldæos ad vltimas vſque radices incendio. 18.

C Verſ. 18. *Tu autem, Domine, demonſtraſti mihi, & cognoui: tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum.*] Hæc verba Ieremiæ ſunt, quibus de ſe ipſo ita loquitur hiſtoricè, vt tamen de Chriſto typicè ſint intelligenda. Ita putat Hieronymus ad finem capitis, & cum eo ſentiunt frequentes alij. De Chriſto porro hæc eſſe intelligenda docet, Hieronymo teſte, communis Eccleſiarum conſenſus. Oſtendit autem Propheta, quid in ipſius caput moliantur Iudæi, hoſtilem in modum inflammati, propter ſeueram hanc denunciationem; quorum ſtudia, reuelante Deo, fatetur ſibi non ignota. Quæ de Chriſto quoque poſſe intelligi, quem non latebant occulta Iudæorum conſilia, nemo credo dubitat. Hi verò, quorum ſtudia reprehendit Propheta, videntur eſſe ex Anathoth, vt docet non obſcurè numerus vigeſimus octauus, ad finem capitis. 19.

D

Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.] De ſe ipſo, vt dixi, hiſtoricè loquitur Ieremias, in quem conſilium cædis cogitauerunt Iudæorum principes, vt ipſe multis locis oſtendit. Vbi Vulgatus, *manſuetus*, Hebraicè eſt אלוף *aluph*, quod bouem ſignificat, atque ideo quidam ſic interpretantur: *Sicut agnus, & bos, qui ducuntur ad victimas*; aut, repetita ſimilitudinis nota, *ſicut agnus, & ſicut bos*: quia tamen vox eadem אלוף aluph, ducem etiam ſignificat, & dux in grege manſuetus eſt ex paſtoritia diſciplina; ideo noſter Interpres *manſuetum* reddidit: quod in mores Ieremiæ optimè conuenit, qui cùm nemini tribulium ſuorum noxius foret, ab illis tamen inſtar agni ad macellum, & lanienam trahebatur: ſed multò magis iſta Chriſto conueniunt, qui propter mitiſſimam naturam, incredibilémque tolerantiam, tam ab Iſaia in veteri, quàm à Ioanne in Teſtamento nouo agnus appellatur. 20.

Chriſti manſuetudo.

E

Et non cognoui, quia cogitauerunt ſuper me conſilia.] Hæc ſuadebant Hieronymo, locum iſtum intelli- 21.

gi

gi non poſſe de Chriſto. Nam Chriſtum latere non poterat, quod Iudæi in ipſius perniciem molirentur, vt ipſe oſtendit multis in locis, iam morti proximus; & clariſſimè Matthæi 20. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur*, &c. Sed ſanè hoc non nimis vrget: nam ex Hebræorum idiomate, ibi nota ſimilitudinis ſubauditur, in hunc ſenſum: Ductus ſum ad mortem, ſic mutus ac lubens, ac ſi ignorarem trahi me ad aram, ſeu ſecurim: quemadmodum agnus, quia ignorat duci ſe ad macellum, neque obluctatur, neque vllam edit renitentis animi ſignificationem.

22. *Mittamus lignum in panem eius.*] Difficilem aggredimur locum, variéque ab auctoribus explicatum. Quidam figuratam exiſtimant eſſe locutionem. Ex his nonnulli in *pane* Chriſtum, in *ligno* crucem eſſe putant: quaſi dicant hi ſcelerum architecti, Agamus illum in crucem. ita Hieronymus, & cùm eo Theodoretus, & ſanctus Thomas, & ex Patribus alij plures. Tertullianus aduersùs Iudæos, capite 12. Cyprianus libro 2. item aduersùs Iudæos, capite 15. Lactantius libro 4. Diuinarum inſtitutionum capite 18. Gregorius libro 3. Moralium capite 12. Sanè pia eſt cogitatio, & ad accommodatitium ſenſum opportuna. Alij in pane Chriſti doctrinam intelligunt, & eò intentos putant eſſe Iudæos, vt illam obſcurent, aut in ſuſpicionem, & inuidiam vocent; quare conſilium inierunt mortis turpiſſimæ, vt auctore damnato, ipſa quoque doctrina damnaretur. Mittitur ergo lignum in panem, id eſt, in doctrinam ſcandalum; ita Hieronymus, Rabbanus, & ſanctus Thomas. Addit Hieronymus, vſque adeò Chriſti doctrinam propter miſſum in illam lignum, non fuiſſe hominibus amaram, vt ex eo potiùs incredibilem traxerit ſuauitatem, adducítque illud Exodi 15. de ligno, quod amaris immixtum aquis, omnem ex illis abſtulit amaritiem.

Doctrina Christi calumnia quæſita.

23. Alij frequentes lignum arborem eſſe credunt, quæ vim habet præſentiſſimi veneni, taxum nempe, à qua toxicum deductum eſſe autumant. Ego de nominis etymologia nihil affirmo: eſſe tamen taxum hominum vitæ nocentiſſimam, neque folia ſolùm, & baccas, ſed vmbram ipſam vim habere nocendi, tradunt auctores de re naturali, aut ruſtica. Vide Plinium libro 16. capite 10. Tunc verò ſenſus eſt: Mittamus venenum in panem, id eſt, in cibum eius. Notum eſt enim apud Hebræos, in pane omnem ſignificari cibum.

Taxus vim habet veneni.

24. Alij pro *mittamus, corrumpamus*, legunt: & quidem Hebraicum verbum נשחיתה *naſchithah*, id valet, etiam ex ſententia Vulgati, qui Geneſis 6. reddidit: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* & ita hoc loco vertit Pagninus, & Tigurina. Iuxta quam lectionem multiplex eſſe poteſt ſententia. Prima, vt dicant inſidiatores illi, corrumpendum eſſe panem immiſſo veneno: tunc verò fit hypallage quædam, vt vult Vatablus, ita vt præpoſitio *in* transferatur ad panem in hunc modum: *Corrumpamus in ligno panem eius.*

Secunda, vt hoc dicendi modo omnimodam mortem meditentur, ita vt non vitæ ſolùm, ſed etiam honoris iactura ſignificetur: *Corrumpamus lignum cum fructibus ſuis*; quæ ſententia mihi valdè probatur. Reſpondent enim hæc Iudæorum conſilia illi comminationi, qua paulò antè dixerat Propheta, vberem oliuam, atque ſpecioſam,

A cum ſuis quoque fructibus eſſe comburendam. Nunc Iudæi contrà obiiciunt Ieremiam, quem arborem, ſeu lignum fructiferum videntur appellare, eſſe perdendum cum ſuo pane. Panis autem, vt diximus, quemcunque cibum ſeu naturalem, ſeu ab arte culinaria, ſiue piſtoria paratũ ſignificat. *In* autem, pro quo Hebraicè ב idem hoc loco valet, atque *cum*, & facit, quod ſtatim ſequitur ſub eadem metaphora, *Eradicemus enim de terra viuentium*, nempe quem in arbore intelligimus.

Tertia expoſitio eſt, vt in panem corrumpatur lignum, id eſt, in cibum, ita vt lignum illud peſtilens comminuatur, & redactum in puluerem, B inſtar frumentaceæ farinæ ſubigatur, ex eóque venenum fiat, quod pro cibo porrigatur ei, quem Iudæi ſublatum eſſe volunt.

Alia expoſitio eſſe poſſet, aut fingi, in qua alio 25.
quodam modo aliquid ſignificatur mortiferum; lignum crucem ſignificat, ex frequenti ſacrarum Scripturarum vſu, quod per ſynecdochen, pro omnibus ſupplicij, ac mortis generibus adhiberi poteſt. Significari igitur videri poteſt hoc dicendi genere, cum cibo mortem quoque fore commiſcendam, aut certè eiuſmodi Prophetæ porrigendum cibum, qui inſtar mortis ſit, aut qualis ad patibulum tractis, aut in mortuorum funeribus miniſtrari aſſolet. Talis autem cibus datus C videtur Ieremiæ, cùm in lacu ſine aqua miſſus eſt, vbi vitam egit ærumnoſam, & ęgram. Ibi verò manducaſſe videtur lignum illud mortiferum, id eſt, quod inſtar haberet mortis: de quo fortaſſe eſt illud Threnorum 3. vbi cùm de carcere egiſſet tenebroſo, dixit, vt puto, de ſe ipſo: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio; & fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.* Cibi verò illi, qui parcè, ac durè miniſtrantur iis, qui in vinculis ſunt, cùm præſertim illos capitale manet ſupplicium, panis dicitur tribulationis, & aqua anguſtiæ 4. Regum capite 22. verſu 27. Mittere itaque lignum in panem, idem eſſe videri poteſt, atque aliquem eò conüicere, vbi vita ſit D inſtar mortis, & cibus, qui non tam vitam ſuſtentet, quàm protrahat mortem.

Hæc tot afferre volui in re vſque adeò dubia, & varia, vt ex his lector, quod maluerit, eligat. Mihi illud de taxo minùs diſplicet, tum quia non difficile ducitur ex litera, tum maximè, quia eò plurium è Patribus ſententia conſpirat. Quàm verò hæc, quæ hiſtoricè de Ieremia dicuntur, ad Chriſtum myſticè transferri poſſint, nemo non videt.

Verſ. 20. *Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas* 26.
iuſtè, & probas renes, & corda, videam vltionem tuam ex eis.] Notum eſt, eas, quæ in ſacra Scriptura formam videntur habere imprecationum, eſſe E potiùs rerum futurarum prædictiones, vt obſeruauit Hieronymus in illud Pſalm. 11. *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa.* & Auguſtinus in illud Pſalm. 68. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.* Quare nullum Ieremias hoſtibus imprecatur malum, ſed futurum prædicit. Renes pro deſideriis, affectibus, & conſiliis occultis vſurpari ſatis notum eſt, & vſu frequens in Scriptura ſacra, quia horum omnium ſubiectum eſſe exiſtimantur. Exempla occurrunt in Pſalmis non infrequenter.

Regula. Quæ imprecationes videntur, prædictiones ſunt.

Tibi enim reuelaui cauſam meam.] Oſtendit Pro- 27.
pheta nihil de vltione ſibi laborandum, etiamſi maximè illius eſſet ſitiens, quia ſatis ſibi habet, dummo

Deo vindicta relinquenda.

dummodo Deo, qui pauperum eſt pater, & vindex, omnia ſint explorata, cui ſe, cauſamque ſuam omnino committit. Audierat autem Ieremias vltorem eſſe Deum, dixiſſeque notat Deuteronomij 31. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Quare quo plenè ſibi, ſuóque furori (ſi tamen quis eſſet furor) ſatisfieret, non alium habere vindicem voluit, quàm Dominum Sabaoth, ideſt, potentem, cuius vltricem dexteram ſontium nemo declinare potuit.

28. Verſ. 21. *Hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam ſuam.*] Ex his conſtat, hæc aliquo ſenſu intelligenda de Ieremia, qui erat Anathothites, quíque hæc, quæ modò diximus, & fortaſſe grauiora, à ſuis tribulibus ſæpius audiebat. Videtur autem Ieremias in odio fuiſſe apud ſuos, propter propheticum ſpiritum, & minaces ſermones toties iteratos: aut quia, cùm multi eſſent ibi Sacerdotes, quia oppidum erat Sacerdotale, ægrè ferebant, carere ſe illo dono prophetali, quod videbant tam eſſe datum luculenter Ieremiæ; aut quia Solymitani Principes malè in oppidum illud erant animati, propter Ieremiam, qui ibi natus, grauia quotidie in illorum caput, & mores vaticinia torquebat. Quare hoc vnum petunt à ſuo oppidano viri ex Anathoth, ſi ſuæ ſaluti cautum eſſe velit, vt ſe deinde à prophetando contineat; id enim valet, quod ſtatim ſequitur: *Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus noſtris.* Quaſi dicant, Si pergis, moleſtus eſſe, & nobis durum à Deo denunciare ſermonem, dabis nobis obſtinati conſilij non leue ſupplicium.

Verſ. 23. *Et reliquiæ non erunt ex eis.*] Ad vnum omnes interibunt, nec vllus erit ex omni ætate, ac ſexu, quem non aut fames, aut ferrum extinguat.

Annum viſitationis eorum.] Repetendum per 29.
Zeugma illud, *inducam*, quod proximè anteceſſerat hoc ſenſu, *Inducam annum retributionis.* Videtur autem alluſum ad illud Deuteronomij 32. *Et ego retribuam*; vindictam nempe, quam mihi reliquiſti. Porro hoc loco *annus* ſumitur per metonymiam pro his, quæ in illo anno contigêre, ideſt, pro fame, gladio, &c. ſicut Matthæi 19. dicitur de Ieruſalem, *Venient dies in te*, ideſt, bella, cædes, vaſtatio, quæ Romanis temporibus vrbem oppreſsêre Solymitanam. Hæc de capite vndecimo.

Regvla. Tempus, pro his, quæ in tempore ſunt.

ARGVMENTVM CAPITIS XII.

IN fine capitis præcedentis grauia Dominus minatus fuerat per Chaldæos Iudæorum populo: quæ deinde hoc capite à verſu quinto ad verſum vſque decimumquartum perſequitur; ibi etiam tanti incendij facem peccatum eſſe dicit. Sed in principio capitis ad verſum vſque quintum, parentheſi concluditur humilis quædam querela, & modeſta diſceptatio Ieremiæ cum Domino. Nempe cur qui Dei in omnibus mandatis obſequuntur; plurimis vexantur, & diuturnis incommodis; qui verò de Deo neque curant, neque cogitant, in rerum omnium ſucceſſu fortunati ſunt. Ad extremum illis populis, quorum finibus definitur, & cingitur terra promiſsionis, qui cum Chaldæis in Iudæorum interitum conſpirarunt, calamitatem minatur Iudæorum exitio non diſsimilem, ſi tamen abiurata religione veteri, Iudæorum ſacra complexi fuerint, eodem habendos eſſe loco, quo Iudæi.

IEREM. CAP. XII.

1. *IVſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?*

2. *Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. IVſtus es, Domine, neque in tuis iudiciis ego aliquid incuſo, vel requiro: ſcio enim, quòd ſi tecum diſceptare contendam, nihil in te deprehendam non æquiſſimum. Verumtamen iudicio tecum agam. Quare impij tam ſunt in rerum ſucceſſu fortunati, & his, qui à te toti defecerunt, & ſceleratè viuunt, omnia cumulantur ex votis?

2. Sunt enim tanquam arbor felix, quæ radices agit altas, quæ deinde in grandes aſſurgit truncos, ramóſque latè in omnem partem explicat, & fructus producit vberes, & pulchros: qui cùm te frequenter habeant

3. *Et*

A beant in ore, ab eorum tamen animis quàm longiſſimè abes:qui nimirum externo te tantùm venerantur cultu, de interno non curant.

3. Et tu Domine noſti me, vidiſti me, & probaſti cor meum tecum:congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.

3. Aſt ego ab horum ſtudiis quàm longiſſimè abſum, qui totum me tibi ſeriò, atque ex animo impendo: neque alium teſtor præter te,qui noſti, ac vidiſti, & intimos cordis mei ſenſus penitus exploraſti. Illos tu ſegregabis, deſtinabiſque ad cædem, & aram, ſicut greges, qui in paſcuis opimis, & quaſi in ſagina ſunt, deſtinantur
B macello.

4. Vſquequò lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur propter malitiam habitantium in ea?conſumptum eſt animal, & volucre, quoniam dixerunt: Non videbit nouiſſima noſtra.

4. Quandiu, Domine, ſterilis erit, & ſqualleſcet terra, & ab omni ornamento deſerta lugebit?Quandiu ſiccata herba triſtis erit agrorum, & indecora ſpecies?Nullum in ea reliquum eſt animal, quod ad humanos alitur vſus, nulla volucris cicur, atque domeſtica, quia dixerunt occultos eſſe Deo rerum euentus, neque ſcire, quid de re Iudaica futurum ſit.

5. Si cum peditibus currens laboraſti: quomodo contendere poteris cum equis? cùm autem in terra pacis ſecurus fueris, quid facies in ſuperbia Iordanis?

5. Sed nunc (inquit Dominus ad populum,cui grauia fuerat antè minatus) idem
C ex eo tibi euenturum perſuade: nam ſi quando pedes cum peditibus, ideſt, cum æqualibus congreſſus es, nempe cum Palæſtinis, Moabitis,&c. laboraſti, ac detrimentum accepiſti non leue; quid futurum eſſe putas, cùm de curſu pedes cum equite contendas, ideſt, cum maiori Chaldæorum potentia? Quòd ſi in terra tua otioſus es,ô Iudæorum popule, cùm nullus ab hoſte proponitur,at non eris ſecurus, cùm intumeſcat Iordanis, qui nunc curſu videtur ſedato fluere,ideſt, cùm ab Aquilone tem-
D peſtas excitetur,quam adducent Chaldæi, quibus ſe contra caput tuum domeſtici coniungent.

6. Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipſi pugnauerunt aduersùm te, & clamauerunt poſt te plena voce:ne credas eis cùm locuti fuerint tibi bona.

6. Qui enim te ſanguinis, aut locorum affinitate contingunt, pugnabunt contra te, Idumæi nempe, Moabitæ, &c.non quidem occultè, ac ſimulatè, ſed qui voce plena tuos ſe profiteantur inimicos. Quare dabunt tibi verba, ſi quando bene tibi optare, aut nunciare videbuntur. Ne ergo fallaci illorum blandimento credas.

7. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.

7. Statui, inquit Dominus, domum
E meam relinquere, eámque prædæ, ac direptioni Chaldæorum permittere, & templum, quod tanquam animam meam diligebam, inimicorum manibus non ſpoliandum ſolùm,ſed euertendum tradere.

8. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua:dedit contra me vocem,ideo odiui eam.

8. Quia populus, qui meus fuit funiculus,& hæreditas, non aliter fremuit contra me, meorúmque Prophetarum oracula, quàm in ſylua leo, ideo quem primùm animo amplexabar beneuolo, illum iam inuiſum habeo.

9. Numquid auis diſcolor hæreditas mea mihi?

9. Nunquid hæreditas mea eam mihi volupta

mihi? numquid auis tincta per totum? venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum.

A voluptatem præbuit, quam afferre ſolet domino ſuo auis diſcolor,& varia, vt eam non oderim? Nónne pro ſuaui cantu, qualis eſſe ſolet diſcolorum auium, fremitum edidit leonis? Agite ergo, omnes beſtiæ terræ, ad deuorandum leonem hunc rugientem properate.

10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.*

10. Aduenerunt aliunde paſtores cum immiti, atque voraci grege, qui vineam meam populati ſunt, & hæreditatem meam, in qua me ipſum, vt in meis mihi deliciis oblectabam, conculcauerunt, redegerúntque in vaſtam ſolitudinem.

11. *Poſuerunt eam in diſsipationem, luxítque ſuper me: deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui recogitet corde.*

B 11. Deniquè terra omnino deſolata eſt, cúmque in ea vaſtatione ſupplex ad me, lugénſque confugeret, nihilominus diſſipata eſt, quia nemo cordatus eſt, animóque ſecum, quid deceat, conſiderat; ſed ſicut animantes mutæ affectibus parent naturæ ſentientis.

12. *Super omnes vias deſerti venerunt vaſtatores, quia gladius Domini deuorabit ab extremo terræ vſque ad extremum eius: non eſt pax vniuerſæ carni.*

12. Ex omnibus locis ea colligetur hoſtium multitudo, vt omnes compleat deſerti vias, neque quicquam erit, quod hoſtium vis ſuperba non vexet. Gladius etenim Domini in Chaldæorum manibus
C in omnes terræ promiſſæ fines latè graſſabitur: neque vllus erit è Iudæorum gente, cui pax, aut requies ab hoſte concedatur.

13. *Seminauerunt triticum, & ſpinas meſſuerunt: hæreditatem acceperunt, & non eis proderit: confundemini à fructibus veſtris, propter iram furoris Domini.*

13. Seminarunt quidem triticum Iudæi, euanidum tamen, dum in externa ſibi religione placent: ex qua ſemente nihil ſibi præter ſpinas meſſuerunt; neque ex data ſibi hæreditate fructum retulerunt. Fructus igitur, propter offenſum Dominum, qui vobis ex longa, laborioſáque ſemente prouenient, non tam vobis erunt vſui, quàm pudori.

14. *Hæc dicit Dominus aduersùm omnes vicinos meos peſſimos, qui tangunt hæreditatem quam diſtribui populo meo Iſraël: Ecce ego euellam eos de terra ſua, & domum Iuda euellam de medio eorum.*

D 14. Hæc dicit Dominus aduersùs infenſos populos Iudæorum nomini, quíque terræ illius attingunt fines, in quam ego populum meum induxi: illos ego quoque de ſuis extraham ſedibus, & ipſos quoque Iudæos, qui profugi à patria in eorum regionem præſidij gratia ſe receperint.

15. *Et cùm euulſero eos, conuertar, & miſerebor eorum: & reducam eos, virum ad hæreditatem ſuam, & virum in terram ſuam.*

15. Poſtquam autem è ſuis fuerint finibus expulſi, adueniet aliquando tempus, cùm illorum benignior miſereſcam, illóſque reſtituam ab exilio quemlibet in terram, & poſſeſſionem ſuam.
E

16. *Et erit: Si eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo: Viuit Dominus, ſicut docuerunt populum meum iurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei.*

16. Si autem hi eiurata veteri religione à populo meo didicerint in nomine meo iurare, ſicut populus meus ab illis doctus eſt in iuramentis inuocare Baal, eodem cum Iudæis cenſebuntur loco, ſtabiléque apud illos domicilium habebunt.

17. *Quòd ſi non audierint, euellam gentem illam euulſione & perditione, ait Dominus.*

17. Quòd ſi in errore veteri hærere maluerint, quàm obedire præclara, ac religioſa docentibus, funditus illos euellam, & perdam, dicit Dominus.

IN CAPVT DVODECIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Juſtus quidem tu es, Domine, ſi diſputem tecum: veruntamen iuſta loquar ad te.*]

1. AVDIERAT Ieremias iactatum iri ſe à contribulibus ſuis, neque aliam videbat eſſe cauſam, quàm quòd Dei mandata audaci, atque obſequenti animo denunciaſſet. Quare cum Deo diſceptare vult, rationémque doceri, cur qui tam fideli; atque alacri animo Diuinis obſequuntur mandatis, duro ab impiis exerceantur, atque iactentur imperio: ipſi verò impij, qui quod Deus imperarit, nihil habent penſi, tam videantur in rerum ſucceſſu fortunati. Neque id agit, vt credo, Propheta, tam vt diſcat occulta Diuinæ cogitationis conſilia, quàm vt ea ratione peccatores cum minore offenſione à ſcelere deterreat, cùm ex ſua felicitate coniectare debeant imminere ſibi mala multò duriora, quàm quæ nunc iuſti ab impiorum ſæuitia patientur.

Cur impij fortunati.

2. Ne verò Deum aut iniuſtitiæ, aut inconſiderantiæ incuſare videatur, ſtatuit primùm Deum eſſe iuſtum, neque in eo eſſe quidquam, quod damnarè poſſet, aut improbare quiſquam: fateturque, ſi diſceptare cum Deo velit, non poſſe in illo non inueniri iuſtitiam. id enim valet: *Iuſtus quidem tu es, Domine, ſi diſputem tecum.* ideſt, ſi tecum iudicio contendam, eris in cauſa longè ſuperior, & omnino iuſtus apparebis.

Modeſtè agendum cum Deo.

3. *Verumtamen iuſta loquar ad te.*] Septuaginta, *iudicia loquar*, eodem omnino ſenſu: quaſi dicat, vinces in iudicio, ſat ſcio, verumtamen agam ita tecum, ſicut cum aduerſario quis agere in iudicio ſolet, cùm ab illo conſilij ſui rationem exquirit. Non itaque iuſta loqui ſe dicit Ieremias, quaſi à ſe ſtet iuſtitia, ſed iudicia, vt adducta in diſceptationem, & quaſi in legitimam controuerſiam cauſa, magis Dei iuſtitia, & æquitas appareat.

4. Eſt autem viris ſanctis familiaris hæc exordiendi ratio, cùm aut expoſtulare cum Deo videntur, aut audaciùs agere, atque liberiùs, quàm Diuina patitur maieſtas: vt priùs à Deo remoueatur omnis de iniuſtitia, infirmitate, ignorationéque ſuſpicio, magíſque ſe ignorare fateantur, quod ipſe velit Deus, quàm incuſare quid faciat. Dauid Pſalmo 72. cùm haberet ſermonem huic quàm ſimillimum, præmiſit illud: *Quàm bonus Iſrael Deus iis, qui recto ſunt corde.* Sic Habacuch capite 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris? Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* Sic Iob capite 10. antequam contra Deum querelam informaret, furoríſque ſui rationem exigeret, diceretque, *Indica mihi, cur me ita iudices?* præmiſit: *Noli me condemnare.* ideſt, ne mihi damnationi, aut reprehenſioni ſit, quòd à ſumma bonitate, & ſapientia conſilij ſui rationem exquiro.

Qua modeſtia iuſti de Deo querantur.

5. *Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?*] Hæc frequens eſt, & antiqua iuſtorum querimonia, qui tamen ab errore liberi, & in meliorem cogitationem traducti, bene ſecum actum exiſtimant, ſibíque gaudent, quòd communem cum impiis felicitatem ſortiti non ſunt. Sic Dauid Pſalmo 72. *Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* & Iob 21. *Quare ergo impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis?* Sed qualis eos exitus maneat, ſtatim declarant, ſicuti nunc facit Ieremias, & ſtatim videbimus.

Verſ.2. *Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt,* 6.
& faciunt fructum.] In plantis diuerſi hominum ſtatus ſignificantur: vt enim aliæ ſunt plantæ in irriguo ſolo, & vbere gleba, quæ proceræ ſunt, & latè ramos, longéque diffundunt; aliæ verò infelicibus depaſtæ aruis, ſteriles, & macræ; ſic hominum quidam ſunt, quorum fortunæ omnia ex voto reſpondent, quales deſcribit Iob capite 21. & Dauid Pſalmo 36. quos cum arbore confert procera, & pulchra. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani.* Alij verò cum exigua, atque arida planta comparantur, vt cum myrica in deſerto Ieremias capite 17. aut cum radice de terra ſitienti Iſaias c. 53. quæ eſſe non poteſt niſi exilis, & penè mortua. Cum prioribus comparantur impij, quibus ad felicitatem nihil videtur eſſe reliqui; cum poſterioribus viri ſancti, quibus à benigna, & liberali manu nihil videtur eſſe conceſſum. Porro felicem deſcribit plantam, cui accidit primùm, vt radices mitteret; deinde vt in grandes aſſurgerent truncos, ramóſque in omnem partem explicarent; ad extremum, vt fructus producerent, quibus ad felicis plantæ ſtatum addi nihil poteſt.

Impiorum felicitas.

Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.] 7.
Hinc conſtat, de quibus impiis hoc loco ſermo ſit; de his nempe, qui externo Dominum colebant cultu, de interno non curabant: hi verò tantùm ſunt ex ſemine Iacob, qui etiam ſoli Ieremiæ aut cædem, aut moleſtiam moliebantur, in quorum Deus ore multum, in corde verò aut nunquam, aut non niſi perrarò. Dixit hoc idem Iſaias capite 29. & Chriſtus Matthæi 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Hoc ergo Propheta queritur, quòd cùm Dominus corda ſcrutetur, & renes, & ab his excludi ſe quàm longiſſimè videatur, impiorum tamen precibus annuat, & ad illorum vota cuncta ſuccedant.

Verſ.3. *Et tu, Domine, noſti me: vidiſti me, & pro-* 8.
baſti cor meum tecum.] Alium ſe eſſe dicit à ſimulatoribus illis, & hypocritis, à quorum labiis toto diſtant cælo animi ſenſus: neque alium adducit probatorem, & teſtem, quàm Deum ipſum, qui cor cognouit Ieremiæ, & expertus eſt multis, nunquam ab ipſo defeciſſe. Porro cor, aut animum eſſe cum aliquo, nihil eſt aliud, quàm

quenquam conuenire, aut conſentire cum alio; A ita vt id agat, aut cupiat, quod alteri ad voluptatem, aut vſum futurum eſſe videt. Exempla ſunt obuia.

9. *Congrega eos, quaſi gregem ad victimam: & ſanctifica eos in die occiſionis.*] Hoc Ieremiæ ſolatur mœrentem animum; ſi tamen vir iuſtus de malorum incommodis capere ſolatium poteſt, quòd illorum felicitas exitus tandem habebit amaros, & triſtes. Idem quoque viderunt, qui ſuprà de impiorum felicitate queri, aut dolere videbantur. Nam Iob capite 21. cùm impiorum retuliſſet arridentis fortunæ fucata bona, ſubiecit: *Conſilium impiorum longè ſit a me,* &c. *Erunt ſicut palea ante faciem venti.* & Dauid Pſalmo 36. cùm dixiſſet: *Vidi impium ſuperexaltatum,* &c. addidit: *Tranſiui, &* B *ecce non erat.* & iterum Pſalmo 72. poſt commemoratam impiorum felicitatem, ait: *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos, dum alleuarentur.* Quid valeat *congregari*, diximus ad illud capitis 8. *Congregans congregabo eos*: nempe *occidere.* Rationem nominis ibi reddidimus. *Sanctificare*, idē eſt, quod *deſtinare*, aut *ſeparare*, vt etiam pluribus oſtendimus capite 1. ad illud, *ſanctificaui te.* Eſt ergo ſenſus: Hos tu ſegregabis, deſtinabiſque ad cædem, & aram, ſicut greges, qui in paſcuis opimis, & quaſi in ſagina ſunt, deſtinantur macello: quo ſenſu dixit de ſe Chriſtus Ioannis capite 17. ver. 19. *Pro illis ego ſanctifico me.* Illa verò, *congrega*, & *deſtina*, non tam optant, quàm prædicunt malum. C

Malorum felicitas exitus habet amaros.

Sāctifico, idē quod mundo aut ſeparo.

10. Verſ. 4. *Vſquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur?*] *Lugere* in ſacra Scriptura idem eſt, quod ſterile eſſe aliquid, diſſipatum, euerſum, & in quo nihil appareat non lacrymabile. Sic deſertæ Sionis viæ lugere dicuntur, Threnorum 1. Iſaiæ capite 3. mœror, & luctus Hieroſolymæ portis indicitur, quia diſſipabuntur. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius:* & capite 33. *Luxit, & elanguit terra.* Significatur hoc loco vaſtitas, & macies regionis Solymitanæ, quam in ipſius fines induxit peccatorum malitia. Illud porro *vſquequo*, diuturnitatem indicat, & grauitatem ſupplicij. ac ſi dicat Propheta: *Lugebit terra vehementer, ac diu*, aut, *Vſquequo perueniet grauitas ac mora tanti ſupplicij?* Propter hominum malitiam exſiccatam eſſe regionum vbertatem, & clamat D Scriptura ſæpe, & exemplis fit res ipſa manifeſta. Pſal. 106. *Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea.* & Pentapolim regionem paradiſo Dei quàm ſimillimam inducto mari ſalſiſſimo ſquallidam, atque fœtentem reddidit.

Conſumptum eſt animal, & volucre.] Idem ſuprà dixerat capite 9. cùm de eadem Hieroſolymæ vaſtitate loqueretur: *A volucre cæli vſque ad pecora tranſmigrauerunt, & receſſerunt.* Vide quæ nos eo loco diximus.

11. *Quoniam dixerunt, & non videbit nouiſſima noſtra.*] E Rationem reddit Propheta, cur miſerandum in modum vaſtanda ſit Iudæorum regio, quia eò progreſſi ſunt ſtuporis, vt dixerint, aut occultos eſſe Domino rerum euentus, neque ſcire potuiſſe, quomodo tentanda ſit, aut euertenda res Iudæorum. Aut certè, quia Diuinis oraculis non putauerunt habendam eſſe fidem, contra imminentem ab hoſte cladem, nihil comparauère præſidij, eius, inquam, præſidij, quod Diuino furori opponit vitæ puritas, & morum innocentia. Quàm autem Prophetarum oracula, Deique minas populus ille Iudæorum contempſerit, neque

Peccatores grauiter cadunt, quia Deo ſua peccata occulta putant.

quicquam ſibi eorum eſſe metuendum, ſatis expreſſit tum alibi, tum apertiſſimè capite 28. Iſaias, cùm illum non minùs audacter, quam ſtultè clamantem inducit: *Manda, remanda, expecta, reexpecta.* His non admodum diſſimilia reperunt neque ſemel, neque leuiter alij quoque Prophetæ. Illud verò fuiſſe impiis non infrequens in ore, etiam Iudæis, diſce ex Pſalmo 72. *Et dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* & Pſalmo 93. *Dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.*

Verſ. 5. *Si cum peditibus currens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis?*] Hic locus abſque 12. PROV.
dubio prouerbialis eſt, & ex comparatione leuioris difficultatis, & incommodi, maiora minatur infortunia. Prouerbium verò natum eſt ex equorum velocitate, quam ſi quis aſſequatur curſu, pernicitatis exiſtimatur eximiæ. Certaſſe verò curſu cum equitibus pedites, & noſtro videmus æuo, & in vſu fuiſſe antiquo ſæculo produnt hiſtoriæ. De Dinante Statius lib. 6. Thebaidis:

— *Alipedúmque fuga prægreſſus equorum*
Antè Diuas. —

Et de Camilla Maro lib. 11. Æneid.

Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Tranſit equum curſu. —

Hæc, vt vides, obſcura non ſunt; obſcurum autem eſt valde, quò hæc ſint referenda, & in quam accipienda ſententiam.

Quidam hæc verba Domini eſſe putant, & ad Ieremiam deſtinata, ita vt Deus querelæ, ſeu interrogationi Ieremiæ reſpondeat, oſtendátque, duriora ſupereſſe certamina, à Solymitanis puta, ſeu à Chaldæis, & Ægyptiis, quámque à contribulibus ſuis Anathothitis antè pertulerat: quibuſcum æquum videbatur inſtitutum eſſe certamen, perinde ac ſi curſu pedes cum pedite contenderet. Ac cum aliis ita certandum eſſe imparibus armis, quemadmodum ſi pedes velit cum equite in curriculum deſcendere. Ita putat Vatablus, & Lyra, & indicat Chaldæus. Sed non video, quomodo hæc ad Ieremiæ ſiue querelam, ſiue interrogationem poſſit eſſe reſponſio: cùm non de iis, quæ ſupererant incommodis, eſſet illa quæſtio, ſed de felici peccatorum fortuna. Deinde, quia iam ſibi ipſi Propheta reſponderat, cùm dixit, ab impiis non omnino tolli, ſed differri ſupplicium, cùm ad gladium ſeruentur, & ſecurim, ſicut vaccæ pingues ſaginantur ad macellum, & victimam.

Alij hæc verba Deo attribuunt; quibus populum Iudæorum affatur, & minatúrque maiora, 13.
quàm ad illud vſque tempus à vicinis populis expertus eſt. Pertulit autem incommoda, neque pauca, neque leuia, à decem Tribubus, quæ à cognato ſibi capite receſſerunt; pertulit à Palæſtinis, Idumæis, Moabitis, Ammonitis, qui omnes ſi cum Chaldæorum aut multitudine, aut robore conferantur, pedeſtris eſt curſus cum equeſtri collatus. Neque ſine cauſa equorum inducitur metaphora; quia, vt bene obſeruauit Hieronymus, Chaldæa regio & equis abundat, & equitatu gaudet. In hanc ſententiam cum Hieronymo plerique Interpretum conſpirant, cui ego quoque non innitus ſubſcribo, licèt in ea illud videatur difficile, quòd non facilè cum ſuperioribus inferiora videntur contexi.

Sed ſanè res videtur non impedita, ſi ſtatuas, 14.
quæ dicta ſunt in principio capitis ad hunc vſque

que locum concludi parentheſi, ea videlicet quæ Ieremiæ querimoniam, & diſceptationem continent. Quare hæc cum fine capitis ſuperioris contexenda ſunt, in quibus grauia proponuntur Iudæorũ incommoda. Quæ veriſimilia facit Deus, dum à minoribus hoſtibus afflictum eſſe docet genus Iſraëliticum, cum quibus æquis viribus certare potuit Iſraël. Quare ſenſus erit commodus, & conſentiens, quem probat Hieronymus.

15. *Cùm autem in terra pacis ſecurus fueris, quid facies in ſuperbia Iordanis?*] Hic etiam mirè variant Interpretes, quorum plerique in ſuperbia Iordanis transmigrationem intelligunt, quia Iudæi ad Babylonios migraturi Iordanem traiicient. Quod ego propter tot virorum auctoritatem ſuſpicio, ita tamen, vt in ea non omnino acquieſcam. Cur enim ſuperbia Iordanis appellari debeat illa populi migratio, aut fluminis tranſmiſſio, non video, ſi ad Babylonios Iordanis pertineret, ſicut Euphrates, eſſet quidem ſententia non difficilis. Notum eſt enim, frequénſque, vt prouinciæ illorum fluminum nominibus explicentur, à quibus irrigantur. Quomodo Euphrates ipſe tam apud ſacros, quam apud profanos auctores pro Chaldæorum finibus adhibetur: at Iordanis quàm longiſſimè abeſt à Chaldæa.

16. Ego ſic ſuſpicor informari non incommodè poſſe huius loci ſententiam, ſi in ſuperbia Iordanis tempeſtatem intelligamus in Iordane, ſiue à Iordane potiùs excitatam: vt enim mare cùm ſæuit, & procelloſum eſt, tumere dicitur, & tempeſtas ipſa dicitur tumor, ſic etiam metaphora non diſſimili ſuperbire dici poteſt mare, cùm intumeſcit, & ipſe tumor vocari ſuperbia. Tempeſtatis verò nomine bellorum motus, & quicquid publicam pacem, & quietem turbat, ſignificari notius eſt, quàm vt à nobis explicari debeat.

Deinde ſatis ex ſacra Scriptura conſtat, Iordanem fluuium terram promiſſionis à vicinis aliis regionibus ſecernere, à Moabitide nimirum, Ammonitide, & Idumæa, quarum fines Iordanis alluit, & irrigat. Quare non incommodè Iordanis pro illis vſurpari regionibus poteſt, quas Moabitæ incolunt, Ammonitæ, & Idumæi, quibuſcum Iſraëlitidæ genti quotidianæ pugnæ. Addo præterea in Iordane aliquo modo Chaldæorum exercitum ſignificari poſſe: nam licèt à Babylone quàm longiſſimè Iordanis abſit, tamen vt in Iudæorum fines irrumperent Chaldæi, Iordanis priùs alueus tranſmittendus fuit. Quare in Chaldæorum ingreſſus ſuperbiiſſe dici potuit Iordanis contra Iudæos.

17. Cùm ergo nationes illæ Iordani vicinæ bella ſæpe mouerint contra Iudæos, & cum Babyloniis copias quoque coniunxerint contra Hieroſolymam, Iordanis intumuiſſe dicitur, ac ſuperbiiſſe. Sicut etiam cùm poſt captiuitatem Iudæi contra nationes illas transIordanidas arma ſumpſerunt, debellarúntque, eodem modo contra illas ſuperbiiſſe dicitur Iordanis; quia Iordane tranſmiſſo in illarum fines irruperunt Iudæi. Ieremias capite 49. numero 19. contra Ammonitas, & Idumæos de gente Iſraëlitide: *Ecce quaſi leo aſcendet de ſuperbia Iordanis ad pulchritudinem robuſtam.*

18. Ex his ego ſic hunc locum interpretor: Licèt ſecurus fueris, ô Iudæorum popule, quo tempore nullus ab hoſte proponeretur metus, at cùm Iordanis intumuerit contra te, quia ab illo omne pendet malum, qua te ratione, qua virtute defendes? In Iordane autem, vt dixi, omnes copiæ ſignificari poſſunt, tam vicinæ Iordani, quæ ſe cum Babylonis coniunxêre, quàm Babylonicæ, quia ſtatim atque Iordanem traiecerunt, Iudæorum fines populari cœpêre. Hanc explicationem ex parte indicat ſanctus Thomas, qui illud, *cum autem*, expodit, *ſi*.

Hæc mihi aliena non apparent, neque à ſacræ Scripturæ vſu, atque ab ipſa veritate contorta: tentabo tamen aliter exponere, ſi quomodo aliqua ſe nobis via ad veritatem aperiat. In fluminum exundatione, atque æſtu hoſtiles copias ad vim, & cædem inhiantes ſignificari, obſcurum non eſt. Ieremiæ capite 46. numero 7. de Ægyptiorum exercitu: *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit? & velut fluuiorum intumeſcunt gurgites eius? Ægyptus fluminis inſtar aſcendit.* Iſaiæ 8. numero 7. *Propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius.* & capite 59. *Cùm venerit quaſi fluuius violentus.* Eadem, credo, loquendi forma vtitur nunc Ieremias, qui in ſuperbia Iordanis magnam aliquam, vehementérque incitatam potentiam oſtendit. Cùm verò Iordanis eorum fluuiorum maximus ſit, qui terram promiſſionis interfluũt, colligátque ſingulis annis, ſub tempus nempe meſſis, quando ex Libano niues liquefiunt, magnam aquarum vim, intumeſcit, ſuperbítque, vt in caput 3. Ioſue docet Abulenſis. Quare inundatio illa, & aquarum incitata moles prouerbio locum videtur feciſſe, ad explicandam ingentem aliquam, atque infenſam vim, quæ exitium ſubitum, & graue minatur, quacunque illud ex parte proueniat. 19.

In fluminibus hoſtiles copiæ ſignificatæ.

Subauditur autem hoc loco Hebræorum more ſimilitudinis nota, iuxta quam cogitationem hic erit ſenſus: Quid facies, ô Ieruſalem, quando in tuos fines irrumpat hoſtilis acies, quæ tanquam Iordanis ſuperbia, ſeu tanquam Iordanis alueum egreſſus, & agros inundans, cuncta populetur, & perdat? Ex duabus his explicationibus poſterior iſta minùs diſplicet, quæ in vicinis hoſtibus Chaldæos quoque coniungit, & vtroſque exundanti flumini ſimiles eſſe facit, neque tamen à priori alienus eſt animus.

Verſ.6. *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipſi pugnauerunt aduerſum te: & clamauerunt poſt te voce plena.*] Præteritum hoc loco pro futuro ponitur prophetali more. Hi porro fratres ſunt vicini illi populi, qui propè Iordanem conſedêre extra terram promiſſionis, Ammonitæ ſcilicet, Moabitæ, Idumæi, qui cognatione attingunt domum Iſraël. Amplificat verò Propheta ſuperbiam Iordanis, id eſt, vim, impetúmque Babylonici exercitus, cui auxilio erunt cognati populi: Hi verò populi vſque adeò non pugnabunt occultè, amicitiam, atque officium ſimulantes, vt clament contra te voce plena, id eſt, apertè, & liberè, neque, vt ſimulatores aſſolent, ſuppreſſa, ac titubante voce. De Idumæis ſanè, qui propiùs attingebant Iſraëlitarum genus, vtpote ab Eſau profecti, qui Babylonicis adfuêre, quo tempore exciſa fuit Ieruſalem, cecinit Dauid Pſalmo 136. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom, in die Ieruſalem, qui dicunt, Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.* Illud, *exinanite*, vocem indicat liberam, & plenam. Porro ore pleno, aut plena voce agere, etiam apud externos, magnũ animi ſtudium, contentionémque ſignificat. 20.

Vicinæ nationes contra Ieruſalem.

Ne credas eis, cùm loquuti tibi fuerint bona.] Loqui bona, nihil aliud eſt, quàm animum oſtentare, aut venditare officioſum, & beneuolum, aut nunciare lætum aliquid, aut optabile, ſeu certè iniecta meliori ſpe, metu, atque ſollicitudine liberare. Hæc locuturi videbantur cognati, atque vicini populi, quorum verbis fidem habendam non eſſe, admonet Deus. Sanè ab his nationibus legati dicuntur eſſe miſſi, Ierem. cap. 27. pacificè, credo, vt vires contra Chaldæorum acies, & communem hoſtem coniungerent, qui tamen poſtea à Chaldæo contra Iudæos ſtetiſſe videntur, quos poſtea v. 14. vicinos appellat peſſimos, eiſque dura minatur infortunia. A

Verſ. 7. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam.*] Hîc etiam præteritum ponitur pro futuro. Verba ſunt Dei, quæ ſignificant quam non ex animo Deus domum, quam Hieroſolymis habuit, dereliquerit, tradideritque prædæ, ac direptioni Chaldæorum. Illud enim, *meam,* ſæpius iteratum, ſenſum animi mollem, & acerbum indicat. B

21. *Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius.*] Hæc Chriſto aſcribunt ſcriptores nonnulli, in quibus eſt Hieronymus, Theodoretus, & alij hîc. Cyprianus ſuper Symbolum, Euſebius libro 10. de Demonſtratione Euangelica, cap. 4. ſed ſenſu prorſus accõmodatitio, quomodo hæc Eccleſia Chriſto accommodat in Paraſceue, Reſponſorio 3. ſecundi Nocturni: nam, vt apparet, propriè ſermo eſt de templo exciſo, abductóque in exilium Iudæorum populo. Dicitur autem domus illa, ſiue hæreditas Domini, *anima Dei,* amatorio videlicet vocabulo, quomodo *cor, animam, & oculos noſtros* appellamus illos, quos habemus charos, idque in re nuptiali frequens; ad quam reſpexiſſe videtur Dominus, cùm addidit, *dilectam,* quæ vox ſponſæ familiaris eſt, & penè propria. Et facit, quod Hebraicè pro *dilecta,* eſt, ידידות *Iediduth,* quod nomen eſt ſubſtantiuum, ſignificátque *dilectionem.* Quare dilectionem animæ ſuæ, id eſt, quod ipſius anima diligebat, dicit Dominus à ſe fuiſſe dimiſſum.

Chriſti ſingularis in ſuos amor.

22. Verſ. 8. *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua: dedit contra me vocem.*] Hæc quoque, qui nuper Chriſto accommodant, qui ab hæreditate ſua, nempe à Synagoga, fremitus audiuit, tanquam à leone, cùm dixit: *Reus eſt mortis;* & iterum, *Tolle, tolle, crucifige,* aptè illi quidem, & accommodatè, veruntamen propriè hæc de tempore Babylonico intelligenda: quando dimiſſa fuit à Deo Hieroſolyma, quia non aliter fremuit contra Domini mandata, Prophetarúmque voces, omnia hæc conculcans, atque ſubſannans, atque leo, qui vrgente fame, è ſyluis egreſſus, quicquid habet obuium, vngue, rictúque dilacerat. Vis autem ſæua, ac vehemens, ſumpta à leone ſimilitudine, explicari ſolet: quod facit hic Propheta ſæpe, capite 49. verſ. 19. capite 50. verſ. 44. & alibi centies. Eſt autem aptiſſima comparatio, quæ à leone de ſylua ſumitur. In quo ſpectamus duo, & naturalem ſæuitiam, & ignorationem eius, quem morſu appetit, aut vnguibus lacerat. Sic populus leonis inſtar contra Deum irrugiit, quaſi nunquam illum noſſet, neque ab eo vllum accepiſſet beneficium: nam leones beneficiis acceptis ferinam deponunt naturã, & ad eos, à quibus humaniùs accepti ſunt, mitiùs afficiuntur, & benè de ſe vtcunque meritis gratiam, & officium rependunt. D

Ideo odiui eam.] Rationem reddiderat, cur hæreditatem dimiſerit, alieniſque reliquerit deuorandam, & cur ſpiritus in illam imbiberit hoſtiles. Hîc non nemo quæret, quomodo dilectam appellare potuerit hæreditatem à ſe dimiſſam, cùm modò apertè dicat, ſibi odio habitam. Solutio in promptu eſt, ex Hebræorum conſuetudine, apud quos res nomen ſeruat antiquum, etiamſi ratio iam defuerit nominis. Quomodo cæci dicuntur videre, & ſurdi audire, quia paulò antè ſurdi fuerant, & cæci: & quæ paulò antè corrupta fuit, apud profanos virgo vocatur, quia paulò antè virgo eſſe deſiit: ſic quam modò dilectam vocat, modò etiam odibilem appellat, quia illam antè impensè dilexerat, in hunc ſenſum: quam modò dimitto, atque odio habeo, illam aliquando dilexit anima mea. 23.

Regvla. Etſi ratio deſit, nomen tamen ſeruatur, quod paulò antè res habuit.

Verſ. 9. *Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? nunquid auis tincta per totum?*] Mirum eſt, quàm hoc loco varient Interpretes. Quidam ad calamitatem referunt Iudæorum, quos ad exitium vſque tam longinqui, quàm vicini populi vexarunt, in eóque ſimilitudinem eſſe volunt: quia auem verſicoloribus plumis radiantem aliæ inſectantur volucres, aut inuidentes, aut amantes eius pulchritudinem. Ita Rabbi Dauid, Vatablus, & Caſtrus, quem etiam ſenſum non improbat Maldonatus. 24.

Auis diſcolor.

C Alij in aue diſcolore, & tincta hoſtes intelligunt Iudæorum, putà Nabuchodonoſor, & hanc volunt eſſe ſententiam: Populum illum traditum eſſe in prædam aui rapaci, & alieno imbutæ ſanguine, aquilæ, videlicet, aut vulturi. Et quidem Nabuchodonoſor Ezechielis capite 17. *aquila* dicitur *magnarum alarum, plena plumis, & varietate.* Et Habacuch capite 1. de Chaldæorum exercitu: *Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum, omnes ad prædam venient.* Et apud hunc Prophetam cap. 2. verſ. 34. de populo violento, & prædatore, quaſi de aquila dicitur: *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum.*

Chaldæus in vario colore diſperſionem intelligit populi per varias prouincias. Sanctus Thomas inconſtantiam in religione: modò enim Deum colit, modò idola ſectatur; & ideo *tinctam* vocatam eſſe putat, quia variis eſt infecta ſceleribus.

Hieronymus pauonem hîc intelligi putat, & in eo populum multis antea virtutibus illuſtrem, Diuiniſque cumulatum muneribus; & ſenſum eſſe vult: Quia populus ſic eſt à me luculenter ornatus, vt nihil eſſet bonorum, quod non cerneretur in eo, & tamen contra me vocem dedit, qualem in ſylua leo, ideo omnes beſtiæ terræ congregamini, &c.

Aliis alia placent. Mihi primum illud Hieronymi placet, qui in aue diſcolori, & tincta pulchram intelligit, & illuſtrem auem, qualis eſt pauo; quod etiam putat ſanctus Thomas, qui varietatem illam verſicolorem ad pulchritudinem ſpectare credit. Puto etiam, in ſecundo hemiſtichio explicari idem, quod in priori, atque ideo eſſe omnino idem auem diſcolorem, & auem tinctam per totum. Nam ex vſu Latinorum tinctum dicitur, quod in lanis arte infectum eſt, quale eſt viride, pallidum, puniceum, qui colores pueris, atque militibus honeſti ſunt, aliis non item, ſaltem non ita familiares. Cicero ſanè tincta ſignis militaribus apta eſſe dicit. Et quidem aues diuerſis coloribus, & quaſi maculis diſtinctæ, E

gutta

guttatæ vocantur à Martiale libro 5. Epigram. 104. Hæ verò non longè abſunt à tinctis, quia quæ guttata ſunt, ea quodammodo tincta dici poſſunt.

25. Hæ porro aues verſicolores, & tinctæ oblectare ſolent hominum oculos, atque ideo in deliciis eſſe,& ad delicias ab hominibus ali, quales ſunt pauones, phœnicopteri, pſittaci, & quibus ad venuſtatem accedit quoque vocis, cantúſque ſuauitas, vt philomela, acanthis, & eius generis aliæ. His poſitis, hanc ego ſuſpicabar commodam huius loci ſententiam:Paulò antè Dominus hæreditatem ſuam leoni comparat, qui in ipſum ſæuierat, infremuerátque, atque ideo odioſam ſibi dixerat; nunc verò ſignificat, longè alium ſe futurum fuiſſe, ſi aut alias edidiſſet voces, aut alium animum habuiſſet. Ait ergo, Nunquid hæreditas mea, quam frementem audio, mihi eam voluptatem præbuit, quam præbere ſolet Domino ſuo diſcolor auis,atque vocalis, vt eam non oderim?nónne pro ſuaui cantu fremitum inſtar leonis edidit? Et huic ſententiæ conſentaneè ſubdit:

26. *Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ.*] Quando pro ſuaui cantu, quo oblectare me debuit populus iſte, rugitum edidit leonis contra me, agite omnes beſtiæ ſyluarum, ad deuorandum leonem iſtum properate. Hæc mihi explicatio difficilis non eſt, in aliis aliquid inuenio, quod minùs cum reliquo textu conſentiat: neque ideo tam aliis præferendam, quàm eum aliis numerandam cenſeo.

Anima peccatoris ſpecies.

27. Septuaginta longè aliter vertunt, ſicut etiam, teſte Hieronymo, alij conuerterunt:*Nunquid ſpelunca hyenæ hæreditas mea mihi? an ſpelunca in circuitu eius ſuper eam?*Difficile eſt, tranſlationem iſtam cum Vulgata componere, & cum Hebraico textu,à quo negotio in præſentia abſtineo.Tantùm dico, in quam ſententiam exponi poſſint verba hæc, quæ ex Hebraico textu Septuaginta reddiderunt. Prima eſt,ſi alluſum tradamus ad verba ſuperiora, vbi Domini hæreditas leoni in ſylua aſſimilatur, vnde nimirum ad prædam egreditur, tum verò populi veſana crudelitas alia explicatur ſimilitudine, hyenæ videlicet immanis,atque cruentæ belluæ, quæ in ſpelunca latet, vt inde prodeat ad quærendum è laceratione pabulum.

Hyena natura.

Secunda eſt Hieronymi, dum verſat hanc Septuaginta conuerſionem: nam cùm hyenæ ſpelunca immunda ſit, fœténſque ex cadaueribus putridis, quibus paſta eſt, optimè refert ſpeciem ciuitatis immundæ, olentiſque grauiter propter peccata,quibus non aliter incubat, quàm putridis carnibus hyena.

Et tertiam addam ex hyenæ voracitate, atque ſæuitia petitam. Hæc in ſpeluncam prædas conuehit, quibus poſtea veſcatur, quare neceſſe eſt vt ſpelunca illa plena ſit cadaueribus, & graue aliquid aſpirans. Huic Chaldæorum ſimilis erit Solymitana ciuitas, plena nimirum cadaueribus ciuium, quos tabes, & inedia conficiet, de qua Ieremias Threnorum 2. & Pſalmo 78. *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli.* Idem ſub arietis nomine ſignificauit Iſaias capite 29. *Et erit mihi,* Ieruſalem, *quaſi Ariel.*ideſt,quaſi altare:nam ſicut ad altare quotidie mactantur victimæ, ſtratæque iacent, ac laceratæ circùm altare, ſic in Ieruſalem ſtrata, atque inſepulta Iudæorum cadauera iacebunt.

Verſ. 10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam* 28.
meam.] Paſtores hos Prophetas eſſe, Principes,& Duces populi, quidam arbitrantur, in quibus eſt Hieronymus, Theodoretus, & alij, quibus ſubſcribit Maldonatus. & quidem iſti conculcaſſe dici poſſunt vineam Domini, quia cùm pacem promiſiſſent, & otium, vtrunque falſum, in verum exitium impulerunt: de quibus infrà capite 10.verſ.20. *Quia ſtultè egerunt Paſtores,& Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.* Et ſtatim eadem fermè ſequuntur, quæ hoc loco adiiciuntur à Propheta.

Paſtor, pro duce,

Alij in paſtoribus Chaldæos accipiunt, & alios Iudaici nominis inimicos. Hieronymus, ſanctus Thomas, Vatablus, quod mihi magis probatur; tum quia ab hoc Propheta Chaldæi, qui vrbem exciderunt, vocati ſunt paſtores capite 6.verſ.3. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum fixerunt in ea tentoria in circuitu.* Neque nomen *paſtoris*, contra facit. Nam etiam Duces, & Imperatores, qui agmen cogunt,& moderantur, paſtores dicuntur, non ſolùm à profanis, apud quos Duces ποιμένες ſæpe appellantur, ſed etiam in ſacris literis: nam Iſaiæ capite 44. Cyrus paſtor vocatur, & facit valde *vineæ* metaphora,quæ à paſtoribus euerſa eſſe traditur. Paſtores verò vineam demoliuntur, cùm in illam armentorum greges immittunt.

Quàm verò Deus poſſeſſionem illam cha- 29.
ram habuerit, oſtendit paulò antè, cùm *animam ſuam dilectam* appellauit:quod etiam nunc iterum oſtendit,dum verba idem ſignificantia ſæpius ingeminat, ſimúlque ſe grauiter affligi indicat, dum illam cogitur paſtorum illorum gregibus diripiendam permittere. Vocat enim Iudæorum populum, *partem ſuam,vineam ſuam,portionem ſuam deſiderabilem.* Quod ſanè ad mores grauiſſimum eſt, amplificaríque ad animarum ſenſus optimè poteſt. Neque enim minùs iuſti animam appellat ſuam Deus, quàm ſuum antè populum. Neque minùs in animam illam conuenit vineæ,partis, portioniſque deſiderabilis nomen, quàm in populum illud;aut parcior fuit Deus in ornanda, atque excolenda anima, quam prauorum hominum conſuetudo,doctrina,atque exemplum perdidère, quàm olim in vinea altera Iſraëlitide inſtruenda,ac munienda fuerat. De cuius inſtructu, atque ornatu, multa Iſaias capite 5. Quare non minùs affligetur Diuinus animus, dum ſpoliari videt animam ornamentis à ſe antea datis, tradíque belluarum calcandam veſtigiis, quàm nunc dolet, dilectum ſibi populum tam durè vexari.

Quàm Deo chara anima iuſti.

Verſ. 11. *Luxit ſuper me.*] Quidam in luctu 30.
querelam intelligunt, qua cum Deo Iudæorum populus expoſtulat, quòd de ipſius commodis minùs benignè cogitare videatur. Quod feciſſe videtur priùs Moyſes Exodi 32. verſ. 11. & Numer.14. verſ. 13. in caſu non diſſimili, & Dauid Pſalmo 78. & Iob ſæpe, quod ſatis eſt probabile; quia Ieremias, qui cauſam agebat populi, ad Deum luxit cum ſpecie aliqua querimoniæ, Threnorum capite 2. & hoc ipſo capite in principio. Sic explicat Hieronymus, Dionyſius, Vatablus, & Lyra. quod non improbant Maldonatus,& Caſtrus. neque ego non probo. Placet tamen magis,quod ex ſententia Chaldæi Iſidorus, & Hugo (licèt hic in aliam quoque explicationem abierit)oraſſe quidem populum in eo rerum articulo cum lacrymis ad Dominum, ab illo tamen

men exauditum non fuiſſe, in quam me cogita- A
tionem adducit, quia id antè Dominus per Pro-
phetas peruicaci populo, Diuinàque contem-
nenti monita ſæpius denunciarat. Prouerbiorum
1. *Cùm irruerit repentina calamitas,* &c. *tunc inuoca-
bunt me, & non exaudiam.* Et Ieremias cap. 7. verſ.
13. *Vocaui vos, & non reſpondiſtis,* &c. *Tu ergo noli
orare pro populo, neque aſſumas pro eis laudem, & ora-
tionem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.*
Ad quam cogitationem facit, quòd Hebraica vox
עלי *alai*, pro qua Vulgatus, *ſuper me*, pronior eſt
ad hanc, quàm ad illam explicationem: neque
Latina tranſlatio *ſuper me*, minùs ad hanc facit,
quàm ad illam ſententiam.

31. *Quia nullus eſt, qui recogitet corde.*] Nempe, quid B
ego per Prophetas denunciem, aut velim, aut
quid inſit ponderis Prophetarùm oraculis, aut
quia ſicut animantes mutæ, quæ prono ſunt ad
terrã vultu, humana tantùm ſpectant, & quæ ſen-
ſibus blandiuntur, æterna ad ſe & cæleſtia perti-
nere non putant, immo neque vllo modo cogi-
tare videntur in corde, aut ratione gubernari, ſed
ad omnem voluptatem duci à natura ſen-
tienti.

32. Verſ. 12. *Super omnes vias deſerti venerunt vaſta-
tores.*] Qui paulò antè vocati ſunt paſtores, qui
vineam populati ſunt Domini, iidem nunc expli-
catiùs vaſtatores dicuntur. Quæ verò dicantur
deſerti viæ, non eſt promptum explicare. Hebrai-
cè, על-כל-שפים *alcol ſephaim*, quod varij variè con- C
uertunt. Septuaginta, ἐπὶ πᾶσαν διεκβολὴν, ad
omnem exitum, ſiue exilium in deſerto. Chal-
dæus, & Vatablus, *Super omnia excelſa.* Ex his
duæ videntur deduci poſſe ſententiæ. Altera eſt,
eam futuram eſſe inimicorum multitudinem, vt
omnes impleat colles, neque quicquam ſit, quod
hoſtium vis ſuperba non tentet. in quam expli-
cationem Maldonatus inclinat, nec longè ablu-
dit ſanctus Thomas, dum omnes vias implendas
eſſe dicit hoſtilibus copiis. Hieronymus paulò
aliter per omnes vias, ideſt, vt ego interpretor,
ex omni loco, aut ab omni plaga, quæ reſpicit
Hieroſolymam, venturos eſſe hoſtes, vt re vera
ita contigit. Nam, vt nuper obſeruauimus ad il-
lud, *nam & fratres tui*, ab omni plaga vicini po- D
puli ſeſe Chaldæis contra Hieroſolymam adiun-
xerunt. Et indicat ſtatim ver. 14. Ieremias non
obſcurè, qui poſtquam de Iudæorum vaſtatione
dixit, in illorum inimicos, vicinos nempe popu-
los, ſimiles intorquet minas.

Ex omni loco hoſtes contra Ieruſalem.

33. Ego hæc magis probo, tentabo tamen expli-
cationem aliam, quæ fortaſſe tranſlationes alias
magis inter ſe, & cum Hebraico textu compo-
net. Habuerunt Iudæi varia in montibus diuer-
ticula, & in prææltis rupibus ſpeluncas, ad quas
in ſummo rerum diſcrimine, ac deſperatio-
ne confugerent. Ita Ioſephus libro 14. Antiquita-
tum, capite 26. & libro de bello Iudaico cap. 12. E
quarum ibi formam deſcribit, docètque ab ho-
ſte non ſine magna difficultate, atque periculo
expugnari poſſe. Et quidem Dauid cum magno
militum numero in ſpelunca delituit, 1. Regum
24. & Ioſue capite 10. quinque Reges ex ſpelun-
ca, in qua ſe timentes abdiderant, extracti ſunt,
atque ſuſpenſi; & de Sedecia, qui captus à Chal-
dæis fuit, ſimile aliquid fabulantur Hebræi: di-
cunt enim ſubterraneos quoſdam cuniculos ſu-
biiſſe, ibique ceruæ cuiuſdam indicio proditum,
atque comprehenſum fuiſſe. Sanè Iſaias capite 2.
hoc apertè docet: nam cùm de hoc ipſo Chal-

Speluncæ variæ ad Iudæorum perfugia.

dæorum tempore ageret, numero 10. dixit: *Ingre- Iſai. 2.*
*dere in petram: & abſcondere in foſſa humo, à facie timo-
ris Domini.* & numero 19. *Introibunt in ſpeluncas
petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Do-
mini.* Quòd verò Chaldæi has quoque ſpelun-
cas, & voragines ſcrutati fuerint, indicat, licèt
ſubobſcurè, Iſaias capite 7. numero 19. *Venient, &
requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis
petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuerſis forami-
nibus.* Ex his ego hanc inſtituo ſententiam; ad
omnes vias, ſiue ad omnia excelſa, ad quæ ſalu-
tis gratia confugerint Iudæi, aduolabunt quoque
vaſtatores, neque vllus erit tam arduus, abſtru-
ſúsve locus, ad quem non aſpiret Chaldæorum
ſagacitas, & potentia.

Quia gladius Domini deuorabit ab extremo terræ 34.
vſque ad extremum eius.] Terra, iuxta regulam à
Hieronymo traditam in caput 3. Iſaiæ, ad illud,
vt diſperdam omnem terram, pro terra tantùm pro-
miſſionis accipitur, ſicut etiam in hoc, quem
nunc ab Iſaia produximus, loco. & cap. 10. eiuſ-
dem ad illud, *In medio omnis terræ: Idioma eſt*, in-
quit Hieronymus, *ſacræ Scripturæ, vt omnem ter-
ram illius ſignificet prouinciæ, de qua ſermo eſt.* Ab ex-
tremo ergo vſque ad extremum terræ promiſſio-
nis hoſtes graſſabuntur, atque ideo nullus erit in
ea regione locus, quò non irrumpat, & quem
non ſcrutetur inimicorum furor.

Non eſt pax vniuerſæ carni.] Hîc quoque vni-
uerſa caro, iuxta ſuperiorem regulam, de Iudæis
tantùm intelligitur, qui ſic latè, duréque vexa-
buntur, vt nuſquam illis pax, aut requies ab hoſte
concedatur.

Verſ. 13. *Seminauerunt triticum, & ſpinas meſſue-* 35.
runt.] Hæc propriè accipi, ac figuratè poſſunt; Prov.
propriè quidem, quia reuera, propter aquarum
inopiam, ex copioſa ſemente nihil, præter ſpinas
retulerunt Iudæi, vt docuit Aggæus capite 2.
verſ. 6. *Seminaſtis multùm, & intuliſtis parum.* & Za- *Labor inutilis.*
charias capite 8. verſ. 10. immo & hoc ipſum
apertè docet Ieremias capite 13. in quo de ſicci-
tate, ſterilitatéque regionis Iſraëliticis ſatis
multa. In hunc ſenſum accipiunt ſanctus Tho-
mas, & Lyra, quibus ſubſcribit Maldonatus, &
Caſtrus: neque ego improbo. Sed poteſt id etiam
exponi figuratè, ita vt ſeminatio pro quacunque
opera ſumatur, aut labore; ſpinæ verò pro ſuc-
ceſſu inutili, ſeu infelici. Quaſi dicas: Labora-
bitis aut in deorum ſceleratum cultum intenti,
aut in externa religione, ab optimo tamen ſen-
ſu, atque ſpiritu vacua: inde tamen nihil præ-
ter dolorem, & ignominiam retuliſtis, quia ſe-
men illud, licèt triticeum, fuit prorſus euanidum.
Aut ſi ad alia humana commoda hæc putes re-
ferenda, quæſiiſſe dicuntur Iudæi magno ſuo la-
bore, atque ſtudio plurima, quæ tamen omnia
hoſtiles manus diripuerunt. In ſenſum meta-
phoricum accipiunt Hieronymus, Rabbanus,
Vatablus, Iſidorus, & alij, licèt non eodem om-
nes modo, & mihi probatur multò magis. Quia
illud de ſpinis videtur aliquid olere metaphori-
cum; neque ſi figuratè ſumas, excluditur ex hac
calamitate illa agrorum ſitis, & ad alia plura,
quæ Iudæis acciderunt incommoda, hæc quo-
que patet figurata locutio, quæ prouerbialis
eſt.

Confundimini à fructibus veſtris.] Hi erunt fructus 36.
laborum, ac ſtudiorum veſtrorum, ſiue illi pro-
prij, ſiue metaphorici ſint, vt vobis non tam vo-
luptatem, & vſum, quàm ignominiam, atque pu-
dorem

dorem afferant. Fallent enim expectationem veſtram, longúmque conatum vanum eſſe oſtendent. Sic Iſaias capite 1. numero 29. *Confundentur ab idolis, quibus ſacrificauerunt.* quia nempe nihil conſequuti ſunt eorum, quæ ab idolorum aſſiduo cultu ſibi pollicebantur.

37. Verſ. 14. *Hæc dicit Dominus aduerſus vicinos meos peſſimos.*] Transfert iam Ieremias ad Iudaici nominis vicinos hoſtes propheticas minas, quibus communem cum Iudæis calamitatem prædicit. Hos Maldonatus putat eſſe Chaldæos, frequentes alij vicinas gentes, putà Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Palæſtinos: quod mihi multò probatur magis, & textus ipſe non obſcurè declarat, dum explicationis gratia addit: *Qui tangunt hæreditatem, quam diſtribui populo meo Iſraël.* Idem etiam poſtea non ſolùm verbis, ſed etiam ſignis docuit Ieremias capite 27. cùm catenas, & vincula miſit ad Reges Edom, Moab, Ammon, Tyri, & Sidonis, quibus cladem, & ſeruitutem minatur à Rege Babylonis. Notum eſt enim ab his populis cingi, definiríque terram promiſſionis. Cur verò hi vicini peſſimi, ſeu hoſtes dicantur, norunt, qui in ſacra Scriptura mediocriter verſati ſunt. Nam & ſuperioribus ſæculis bella geſſerunt aſſidua cum Iſraëlitide gente, & eorum nonnulli ſe ipſos Chaldæis, ad delendam vrbem, extinguendúmque Iudæorum nomen, ſocios præbuerunt. Poſterius hoc ipſe docet Ieremias de Idumæis Threnorum capite 4. & Dauid Pſalmo 136. *Recordare, Domine, filiorum Edom in die Ieruſalem.* De Ammonitis docet Ieremias capite 40. numero 11. vbi conſilio Baalis Regis Ammonitarum occiſus eſſe traditur Godolias. Quod verò hi populi ſubiugati fuerint à Chaldæis, tradit Ieremias per multa capita: de Ægyptiis capite 46. de Palæſtinis capite 47. & ibi de Tyriis, & Sidoniis; de Moabitis capite 48. de Ammonitis, & Idumæis capite 49. vbi etiam de Damaſcenis, ac Cedarenis, qui omnes vaſtandi eſſe dicuntur à Rege Babylonis. Dixit hoc clariùs Ieremias capite 25. numero 11. *Aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum: & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt; & interficiam eos, & ponam eos in ſtuporem,* &c.

Vicini populi infenſi Iudæis, & à Babyloniis vaſtati

Ecce ego euellam eos de terra ſua.] Quia hi quoque populi captiui abducti ſunt in Babylonem.

38. *Et domum Iuda euellam de medio eorum.*] Quotquot aut ſalutis gratia ad vicinas illas gentes confugerant, aut commercij gratia inter illas morabantur è Iudæis, inde etiam auehentur à Babyloniis. Confugiſſe autem Iudæos ad Moabitas, aut in hac, aut in ſimili calamitate, docet Iſaias capite 15. Abiiſſe quoque, deſperata ſalute, ad Moabitas, Ammonitas, & Idumæos vicinaſque alias regiones, docet Ieremias capite 40. verſu 11. *Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in vniuerſis regionibus, audito, quòd dediſſet Rex Babylonis reliquias in Iudæa, & quod prepoſuiſſet ſuper eos Godoliam,* & cætera.

Iudæi ad omnes nationes abiere profugi.

39. Verſ. 15. *Conuertar, & miſerebor eorum, & reducam eos, virum ad hæreditatem ſuam.*] Sicut in Babylonem abducti ſunt Iudæi, ſic etiam nationes aliæ Iudæis vicinæ, vt nuper oſtendimus, quæ etiam inter Iudæos habitarunt, & cum illis iniêre connubia, vt ex libro 1. Eſdræ liquet capite 9. iis verò eodem, quo Iudæis ſpatio captiuitas, & exilium definitur. Vt enim eodem, quo Iudæi tempore relegati, ſic etiam poſt ſeptuageſimum annum eodem quoque tempore, atque eodem, vt reor, edicto reſtituti ſunt. Sic Ieremias capite 25. numero 11. qui cùm de illarum nationum ſtrage, atque exilio tractauiſſet, ſubdidit: *Et erit vniuerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem, & ſeruient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis.* Quod etiam de Tyro à Chaldæis expugnata, quæ in vicinis quoque gentibus numeratur, dicit Iſaias capite 23. *In obliuione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis, virum ad hæreditatem ſuam.* idem eſt, ac quemlibet ad hæreditatem ſuam. *vir* enim ex idiomate ſacræ linguæ idem eſt, ac *quilibet.* exemplis abundamus.

Aliæ nationes captæ cũ Iudæis, & cũ iis etiam reſtitutæ.

Verſ. 16. *Si eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo, Viuit Dominus; ſicut docuerunt populum meum iurare in Baal, ædificabuntur in medio populi mei.* Quidam hos viros Iudæos eſſe cenſent, alij Chaldæos, qui cum Iudæis mutata religione Hieroſolymam veniſſe exiſtimant; vtrunque incertum, & difficile, & de Iudæis multò magis. Qui non docuerunt alios iurare in Baal, ſed ab aliis ipſi iurare docti ſunt. Mihi certum eſt, ſermonem hunc eſſe de Moabitis, Ammonitis, Idumæis, aliiſque gentibus, quas eadem tempeſtas impulit in exilium. Quibus Deus promittit, ſi eiurata veteri religione Iudæorum ſacra ſuſcipere voluerint, & in nomine Dei veri iurare, *Viuit Dominus*, ſicut antea iurare conſueuerant per Baal, eámque impiam iuriſiurandi formam Iudæis tradiderant, fore vt eodem, quo Iudæi, habeantur loco, ſtabiléque apud illos domicilium habeant. 40.

Hîc porro tria ſunt obſeruanda: primum, aliquam veræ religionis notam ſumptam eſſe pro aliis etiam omnibus religionis operibus. *Iurare* nempe, *per Deum.* quæ actio religioſa eſt, & religioſi animi teſtimonium. Secundum, ædificare idem eſſe quod viuere, atque ſtabile domicilium habere; aut certè genus propagare, & amplificare familiam inter alios. Sed credo hîc gentes iſtas ædificari in medio Iudæorum populo; nihil eſſe aliud quàm eodem habendos eſſe numero, quo Iudæi. Neque enim habituri videntur domicilium in terra Iudæorum, quando venturæ dicuntur in terram ſuam quælibet, & in hæreditatem ſuam. Eſt igitur hîc ſubaudienda ſimilitudinis nota: ac ſi diceret: tractabuntur à me perinde, atque ſi in medio viuerent populi mei. Tertium, *in medio populi*, idem eſſe atque in populo. *medium* enim apud Hebræos adiunctum præpoſitionibus nihil addit præter ornatum. Quare idem eſt, *Stetit Ieſus in medio Diſcipulorum,* atque *inter Diſcipulos. Rapiebat arietem de medio gregis,* id eſt, de *grege.* ſic nunc: *Ædificabuntur in medio populi,* id eſt, *in populo.* 41.

Ædificare, varios habet vſus.

Medium præpoſitioni nihil addit.

Verſ. 17. *Quòd ſi non audierint, euellam gentem illam euulſione, & perditione.*] id eſt, funditus euellam, & perdam. non ſicut modò, quibus poſt exilium, & ſeruitutem, patriam, libertatémque reſtituam. Quidam ſempiternam hanc plagam, quæ gentes non obſequentes concidet, ſpecialem intelligunt, ita vt abſque vlla ſpe perdendæ ſint, damnandæque in æternum; quod eſt omnino certum. Alij temporalem eſſe credunt, quæ aut conficiat ferro, aut ſic è patriis finibus nationes illas exiget, vt nunquam reſtituat: & hoc puto primum ſpectaſſe Ieremiam. Quod accidiſſe 42.

Regiones vicinæ à Iudæis ſuperatæ.

puto

puto Machabæorum tempore, à quibus gentes iſtæ vicinæ deletæ ſunt, vt illarum nomen ampliùs non ſit auditum. Quod enim Machabæi Palæſtinam expugnauerint, liquet ex 1. libro Machabæorum capite 5. vbi Iudas declinaſſe dicitur in Azotum, & ſpolia cepiſſe ciuitatum. Et capite 10. Ionathas Ioppem cepit,& ciuitates alias, quæ erant in circuitu Azoti. Rurſus eo- A dem capite 5. verſ.3. & verſ. 6. Iudas traditur expugnaſſe Idumæos; & verſu 6. bellum ſuſcepiſſe contra Ammonitas, & in eo fuiſſe ſuperatos. Eodem modo exiſtimo vicinos alios populos euulſione euulſos, & perditione perditos, quanuis quo tempore, aut quo modo id acciderit, non conſtat. Hæc de capite duodecimo.

ARGVMENTVM CAPITIS XIII.

IN cingulo lumbari ad Euphratis ripas putreſcenti, & in laguncula redundanti vino ingentem Deus calamitatem populo portendit: quem deinde admonet Propheta, vt inſtitutum maturè mutet, Diuinæq; laudi diligenter ſtudeat. Quod quia populus ille facturus non eſt, durani illi, atque ignominioſam ſeruitutem denunciat.

IEREM. CAP. XIII.

1. *HAec dicit Dominus ad me: Vade, & poſſide tibi lumbare lineum, & pones illud ſuper lumbos tuos, & in aquam non inferes illud.* B

2. *Et poſſedi lumbare iuxta verbum Domini, & poſui circa lumbos meos.*

3. *Et factus eſt ſermo Domini ad me ſecundò, dicens:*

4. *Tolle lumbare, quod poſſediſti, quod eſt circa lumbos tuos, & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde ibi illud in foramine petræ.*

5. *Et abij, & abſcondi illud in Euphrate, ſicut præceperat mihi Dominus.* C

6. *Et factum eſt poſt dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, vade ad Euphratem: & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi vt abſconderes illud ibi.*

7. *Et abij ad Euphratem, & fodi, & tuli lumbare de loco, vbi abſconderam illud: & ecce computruerat lumbare, ita vt nulli vſui aptum eſſet.*

8. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:*

9. *Hæc dicit Dominus: Sic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, & ſuperbiam Ieruſalem multam.* D

10. *Populum iſtum peſſimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis ſui: abierúntque poſt deos alienos vt ſeruirent eis, & adorarent eos: & erunt ſicut lumbare iſtud, quod nulli vſui aptum eſt.*

11. *Sicut*

IN IDEM CAP. PARAPH.

1. AGedum, ô Ieremia, dixit Dominus, accipe lineum cinctorium nondum maceratum, aut candefactum aqua, eóque tibi ſtatim lumbos aſtringe.

2. Tunc ego lumbare mihi cingulum emi iuxta Domini vocẽ, & lũbis adhibui.

3. Pòſt Dominus ad me ſecundò loquutus eſt in hæc verba:

4. Tolle, ô Ieremia, quod emiſti lumbare, & quo tuos tibi renes accinxiſti, & perge ad Euphratem, Babylonis fluuium, ibíque abſconde in perforato ſaxo.

5. Corripui me, ſicut imperarat mihi Dominus, è veſtigio, & ad Euphratis ripas illud abſcondi.

6. Poſt dies autem plurimos præcepit mihi Dominus, vt rurſus ad Euphratem proficiſcerer, indéque tollerem lumbare, quod ibi priùs ex ipſius præcepto abſconderam.

7. Profectus igitur ſum ad Euphratem, & effoſſum lumbare ex eo loco ſuſtuli, vbi conditum fuerat: ſic autem computruerat ſitu, vt vſui nulli foret idoneum.

8. Tunc autem rurſus loquutus eſt ad me Dominus:

9. Sicut corruptum lumbare ita computruit, vt ſit prorſus inutile: ſic faciam, vt Iuda, ac Ieruſalem, quæ intolerabili intumuerunt inſolentia, corrumpantur, & pereant.

10. Corrumpetur, inquam, atque tabeſcet populus hic peſſimus, qui nec ad aures quidem voces meas admiſit, ſed ſuis cupiditatibus, & immoderatis cordis affectibus obſecutus, deflexit ad alienos deos, vt illis ſeruiret, & honores impenderet Diuinos:

&

A & erit ſicut lumbare ſitu putre, quod nullum in vſum adhiberi poteſt.

11. *Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnẽ domum Iſraël, & omnem domum Iuda, dicit Dominus: vt eſſent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non audierunt.*

11. Aſtrinxeram mihi, atque agglutinaram domum Iſraël, & domum Iuda, non aliter quàm ad viri lumbos adhærere ſolet lumbare cingulum, quod nunquam deponitur, vt eſſet mihi populus, & meo nomini ornando, meæ laudi, atque gloriæ ſeruiret: at gens ingrata aures à præceptis meis, atque animum auertit: atque ideo nec meûs voluit eſſe populus, neque de meo nomine, ac laude quicquam laborauit. B

12. *Dices ergo ad eos ſermonem iſtum: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te: Nunquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino?*

12. Sic igitur ad illos loquêris, dicit Dominus: Omnis laguncula implebitur vino. Tunc autem ad te populus inſultans, & irridens, quid mirum nobis, aut nouum annuncias? an cenſes ignorare nos, implendas eſſe vino lagunculas?

13. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & Reges, qui ſedent de ſtirpe Dauid ſuper thronum eius, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habitatores Ieruſalem, ebrietate:*

13. Explicabis tunc illis, quid redundans illa laguncula portendat, & dices meo nomine: Ecce ego ad crapulam vſque potabo abſynthio, & felle, quotquot habitant in regione hac; neque hinc excipio Reges, qui ex genere Dauidis in ipſius thronum aſcenderunt: non Sacerdotes, non Prophetas, non denique illum ex his, qui Hieroſolymis conſedêre. C

14. *Et diſpergam eos virum à fratre ſuo, & patres & filios pariter, ait Dominus: non parcam, & non concedam: neque miſerebor vt non diſperdam eos.*

14. Hi verò, quibus amarum illud vinum propinatur, ita diſpergentur, vt frater à fratre, à parentibus filij diſtrahantur, non aliter, atque à ſuo corpore membra diuelluntur. Non parcam illis, neque tangar vlla commiſeratione, neque ã quoquam exorari me patiar, vt non diſperdam illos.

15. *Audite, & auribus percipite. Nolite eleuari, quia Dominus locutus eſt.*

15. Audite igitur; neque ſuperbus, multúmque in ſe ipſo confidens, animus eleuetur, quaſi eludere ſe poſſe putet propheticas minas: Dei etenim hæc ſunt, non hominum oracula, quæ ſucceſſu fruſtrari non poſſunt. D

16. *Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem.*

16. Quando ergo ideo electi eſtis à Domino, vt eius honori, ac gloriæ ſeruiretis, facite, quod vos ratio ipſa, atque vocatio cogit. Date igitur gloriam Deo, & eius nomini exornando ſtudete, antequam pedes veſtri in tenebras incurrant, ideſt, antequam accedat tempus ad cædem, atque ignominiam graue. Expectabitis exitum felicem, qui lucis inſtar erit, ſed occurret ſors illa, quę non ſolùm caliginis, ſed etiam mortis inſtar obtineat. E

17. *Quòd ſi hoc non audieritis, in abſcondito plorabit anima mea à facie ſuperbiæ: plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam, quia captus eſt grex Domini.*

17. Sin verò in ſuſcepta vitæ ratione obſtinato conſilio hærere malueritis, propter ſuperbum veſtrum, atque indocilem animum, ita me dedam, inquit Ieremias, ægritudini, ac lacrymis; vt tenebras quæram, & ſeceſſum, vbi ſine interpellatore, atque arbitrio dolori me plangendo ſatisfaciam. Plorabo vehementer, & aſſiduè, &

A deducent oculi continentem, ac lugem lacrymarum fontem, quia populus Domini ab hoſte capietur.

18. Dic regi, & dominatrici: Humiliamini, ſedete: quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ.

18. Dic Regi, ac Reginæ, ſponſo videlicet, ac ſponſæ, quibus cum feſtiuo plauſu nuptiales cantus, & geniales exhibentur chori, qui regium in morem coronam in capite geſtabant, vt nihil iam meditentur feſtiuum, & lautum, ſed in puluere ſedeāt; neque ampliùs ſperent futuram in capite nuptialem coronam.

19. Ciuitates Auſtri clauſæ ſunt, & non eſt qui aperiat: tranſlata eſt omnis Iuda tranſmigratione perfecta.

19. Ciuitates Auſtri, nempe Iudææ, B quæ ad Auſtrales partes pertinent, terræ promiſſionis, ita ſunt captiuis impeditæ, ac clauſæ, vt nullus ſe ad illas reditus aperiat: ex quibus eo numero tranſlati ſunt ciues, vt nemo iam in vrbe, totóque tractu Iudæorum reliquus ſit.

20. Leuate oculos veſtros, & videte qui venitis ab Aquilone: vbi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum?

20. Eleuate oculos, ô Iudæi, longéque proſpicite; præcipuè qui ab Aquilonari plaga redeuntes, propiores eſtis Babyloniæ: & videte, quid actum ſit de grege veſtro inclyto quondam, & eximio.

21. Quid dices cùm viſitauerit te? tu enim docuiſti eos aduerſùm te, & erudiſti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quaſi mulierem parturientem?

C 21. Quid dices, ô Ieruſalem, cùm te per Chaldæos Dominus viſitauerit? Quos tu, dum cum illis commercia, negotiationémque coniungis, nimíſque cum eis familiariter agis, docuiſti vias, per quas facilè, ac tutò in tuos ſeſe fines effunderent. Nunquid exiſtimas, dolores tibi non eſſe ſubeundos, quales fœminam in puerperio laborantem diſcruciant?

22. Quòd ſi dixeris in corde tuo: Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata ſunt verecundiora tua, pollutæ ſunt plantæ tuæ.

22. Quòd ſi tecum repures, & cauſam inquiras, cur hæc te mala comprehenderint; ſcito, non ab alio, quàm ab iniquitate tua ærumnoſam hanc ſortem fuiſſe profe- D ctam. Hæc te duro, ac impudenti ſubdidit dominorum imperio, hæc nudauit, aliorum non ſolùm oculis, ſed etiam libidini, quod maximè velatum oportuit. Hæc nudauit, ſordidauítque pedes, quod ancillarum fortunæ argumentum eſt.

23. Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.

23. Vocaui vos, monuíque ſæpiſſimè, vt mutato vitæ modo, daretis mihi gloriam. Quia tamen ſic in peccatis obduruiſtis, vt non minùs vobis naturale videatur peccandi ſtudium, quàm nigror Æthiopi, aut pardo maculoſa pellis, ideo eò deducemini, vbi fœmineus pudor alienæ nu- E detur petulantiæ, & in ſeruili miniſterio plantæ polluantur.

24. Et diſſeminabo eos quaſi ſtipulam, quæ vento raptatur in deſerto.

24. Ideo populum vſque adeò variè, vehementérque diſpergam, ſicut in apertis, deſertíſque locis à vento raptantur, ac diſſipantur ſtipulæ.

25. Hæc ſors tua, párſque menſuræ tuæ à me, dicit Dominus: quia oblita es mei, & confiſa es in mendacio.

25. Dedi tibi inter alias Tribus, ô Iuda, præclaram ſortem, ſed quando mendacibus idolorum nugis deluſa à me defeciſti, ſpe in illorum fallaci blandimento poſita, hæc

26. Vnde

A hæc erit tibi poſtea ignobilis,& dura in regione aliena ſors,& hæreditas.

26. *Vnde & ego nudaui femora tua contra faciem tuam,& apparuit ignominia tua,*

26. Hinc confuſionis, & ignominiæ fructum collegiſti; propterea ego feci, vt tua videres femora nudari, & aliorum oculis ignominiam proponi.

27. *Adulteria tua, & hinnitus tuus, ſcelus fornicationis tuæ: ſuper colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Ieruſalem, non mundaberis poſt me: vſquequo adhuc?*

27. Vidi ego ſuper colles,atque in agris, vbi idolorum excitantur altaria, fornicationes, & abominabilia ſacra, quæ in illorum nefarium cultum impendiſti. Vidi in eo meretricandi genere ſic tuam profuſam eſſe libidinem, vt inſtar prurientis equæ, quæ equos amatorio hinnitu cunctanres ſollicitat, ad impios amplexus aduocares. Nónne ſequens iam tandem me conuerſa ab idolorum cultu ſordes depones? Nónne curabis meo tandem obſequio reſtituta,vt munda ſis?

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Vade,& poßide tibi lumbare lineum, & pone illud ſuper lumbos tuos,& in aquam non inferes illud.*]

1. HIEROGLYPHICA eſt hæc prophetia, quia ſignis loquitur, qua ſignificat Deus, quis exitus maneat Iudæorum populum,charum antea Deo, & in deliciis habitum, poſtremò apud Chaldæos exulantem. Iubet enim Dominus,vt lineum ſibi cingulum ad intimos lumbos aſtringat Propheta,neque illud molle,aut candefactum aqua, ſed crudum, & quale primum è textricis manibus exiuit.Quid ſymbolum iſtud portendat,ſuo dicemus loco.

2. *Vade,interiectio.* Hîc multa nobis obſeruanda. Primum, illud *vade*, interiectionem eſſe, ſicut alia verba ſæpè in imperatiuo, vt diximus capite 2. verſ. 1. Eſt ergo ſententia: *Agedum,eme tibi lumbare.* Secundum,videndum, quid lumbare ſit. Hieronymus in procemio ſuper Oſeam,veſtem putat eſſe muliebrem. *Ieremias* (inquit) *accinctus lumbari veſtimento muliebri,inter innumerabiles nationes,& Aſſyrios, atque Chaldæos, gentes inimiciſſimas Iudæorum, iuit ad Euphratem, vt ibi abſconderet lumbare ſuum.* Sed eſt communis ſententia, cingulum eſſe,ſiue cinctorium,quod tam viris, quàm fœminis commune ornamentum, aut aſtrigmentum eſt. Neque hoc negat ipſe Hieronymus, cùm lumbare hoc, ſiue cinctorium myſticè Dei renibus adiunctum eſſe dicit: muliebre autem veſtimentum, nunquam Hieronymus puraret, Dei renibus adhæſiſſe. Tertiò videndum, cur lumbare lineum aquæ à Deo prohibeatur inferri. Vatablus in *aqua* putat intelligi lixiuium, quo ſordes eluuntur è lino, quaſi lumbare illud ſordes traxiſſet, quæ arte fullonum eſſent abſtergendæ: vt ex eo intelligeretur, quomodo populus in lumbari ſignificatus lineo,ſordes collegiſſet, neque tamen ab illis eſ-

Lumbare quid?

B ſet emundatus. Lyra, cui ſubſcribit Dionyſius, ideo cenſet iuberi, ne tingatur aqua, vt ex alia potiùs cauſa computruiſſe exiſtimetur, quàm ex humore. Hieronymus crudum videtur intelligere fuiſſe lumbare, ideſt, nondum maceratum, aut candefactum aqua. *Cinctorium* (inquit) *populus Iſraël eſt, qui in lini ſimilitudinem aſſumptus de terra,& illotus, nec mollitudinem habuit, nec candorem, & tamen,per illius miſericordiam adhæſit Deo.* Mihi conſtitutum non eſt, quid horum magis probem; quia ad hæc omnia præſens patet locus: & ad rem moralem quidlibet horum opportunum. Inclino tamen in Hieronymi ſententiam, tum propter tanti viri auctoritatem, tum quia ſignificationem habet ad mores egregiam,de qua poſtea. Quartum, lineum dicitur futurum eſſe C lumbare, non ſcorteum, aut laneum, quia illud non tam extrà videbatur adhibendum, vt veſtes colligat,& præcingat, quàm intus, vt carni adhæreat.

Verſ.2. *Et poſſedi lumbare.*] Poſſideo idem eſt, quod emo, per metonymiam, quæ id quod ſequitur,adhibet pro eo,quod anteceſſit: antecedit autem emptio poſſeſſionem.

Verſ.4. *Surgens vade ad Euphratem, & abſconde* 3.
ibi illud in foramine petræ.] Ideo credo, in petræ foramine iuſſum eſſe abſcondi lumbare, quod ibi computruit, vt ſignificaretur, diuturnum fore ad Euphratem, ſiue apud Babylonios Iudæorum exilium. Non enim breui tempore computreſcit linum,maximè quod nondum aqua maceratum, atque attenuatum eſt, ſi in loco non humido reconditum eſt, quale eſt foramé excauatum in petra: ſecus ſi in aqua, aut littore, aut locis abſcondatur humentibus. Quare poſt dies plurimos redire iubetur Propheta ad locum,vbi lum-

bare condiderat, vt videret, quid ex diuturno illo ſitu mali contraxiſſet.

4. Verſ. 9. *Sic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda.*] Explicatio eſt ænigmatis obſcuri, quo Deus Iudæorum caſus adumbrare voluit. Exiſtimabat inſanus ille populus, magno ſe in loco eſſe apud Deum, illique ſic ſe intimè, ac familiariter adhærere, quemadmodum carni adhæret lumbare lineum; & re vera, vt ſtatim ipſe docet Deus, ſic ſibi Deus adglutinarat populum illum, ſicut homo cingulum illud lumbare ſolet. At poſt tot peccata, ſic populum illum tabeſcere permiſit, ac ſolui, ſicut longo ſitu lumbare putreſcit: ſic Deus vaniſſimæ gentis ſuperbiam comprimit, & ſpiritus abolet inſolentes: & quemadmodum putridum illud linum nullum iam vſum hominibus præbet, ſed ſterquilinio magis eſt, quàm veſtiario dignum, ſic populus ille quondam illuſtris, quaſi ſtercus in via conculcatus eſt. Sanè de Iudæis cecinit Ieremias ſub hoc ipſum tempus Threnorum 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.*

Superbi pœna.

5. Verſ. 11. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſraël, & omnem domum Iuda.*] Magna hîc familiaritas indicatur, magnus amor. Quid enim magis intimum, quàm quod adhæret carni? quid magis charum, quàm quod partem illam cingit, & amplectitur, in qua efferueſcit maximè vis amoris? Eſt itaque Dominus totam Iſraëlis familiam, duodecim nempe Tribus, eo ſtudio complexus, quo quis lumbari lineo lumbos aſtringit, & præcordia. Lumbare, cùm veſtimenta alia, ſeu ornamenta perſæpe deponantur, rariùs deponitur: ſic Dominus gentem illam Iſraëlitidem ſic applicuit arctè, vt niſi ſordes contraxiſſet immanes, aut in fimeto vitiorum fœdè computruiſſet, nunquam deponeret.

Deus repellit quos aliquando complexus eſt.

6. *Vt eſſet mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.*] Ita Dominus ornare populum voluit illum, vt ipſe quoque viciſſim Deum ornaret. Fecit illum ex omnibus populum ſuum; cui legem dedit, & iudicia ſua manifeſtauit: dedit illi nomen de ſuo nomine, quem nimirum vocauit *Iſraël*, in quo nomen eſt Dei, quod magni beneficij loco numerauit Iſaias capite 48. verſ. 12. *Audi me, Iacob, & Iſraël, quem ego voco.* ideſt, in cuius nomine meum nomen auditur. Cui etiam dedit laudem, & gloriam, quia gloriam conſequutus eſt inter omnes populos eximiam. Totidem populus, ſi ſaperet, referre debuit Deo, immo & talia Deus à populo requirebat, vt tanquam Dei populus, Dei legibus conſilia ſua, vitæque rationes moderaretur: & vitæ puritate glorioſum Deo pareret nomen, apud Gentes, quæ ex ſeruorum, ſubditorúmque moribus dominorum plerunque mores, atque prudentiam metiuntur. Sed *ipſi non audierunt*; atque ideo neque voluerunt meus eſſe populus, neque de meo nomine, ac laude quicquam laborarunt.

7. Quod ad mores attinet, aſſumpſit quidem Dominus, dum populum ſibi Iſraëliticum elegit, lumbare lineum, illotum, neque vnquam maceratum, aut candefactum aqua, aſperum vtique, neque admodum aptum, vt lumbis adglutinaretur. Erat enim tunc populus rudis, quíque de luto, laterculóque fingendo plus noſſet, quàm de religione, morúmque diſciplina. Illum tamen ſibi Dominus adglutinauit, qua eſt humanitate, atque patientia, donec aſperitatem lumbaris, id-

A eſt, ingrati animi intemperiem, ferre non potuit. Tunc verò remouit illud à lumbis, procúlque ad Euphratis ripas ablegauit, vbi omnino tabeſceret, fierétque hominum vſibus ineptum. Hæc nos in multis quotidie (proh dolor!) experimur. Errabamus priùs à lege, inculti, illoti, luto, ac cœno, cœnoſis certè, ac luteis intenti operibus. Eramus linum, ſi modò linum, impurum, aſperum, quòd magis pungeret, quàm foueret lumbos: ex eo tamen Dominus lumbare fecit, ſibique adglutinauit, dum elegit è multis ad ſacras functiones, altariſque miniſterium, fecítque Nazaræos candidiores niue, ſapphiro pulchriores:

B quos tamen poſtea dedit in vaſa teſtea, opus manuum figuli, ideſt, reiecit ad ſordidum illud miniſterium, vnde illos aſſumpſerat, ac tandem fecit, vt ſtercora rurſus amplexaretur, facti prorſus inutiles, & omnium plerunque peſſimi, omnium certè maximè contemnendi: vt enim bene Auguſtinus to. 2. epi. 137. in fine: *Simpliciter fateor charitati veſtræ, coram Domino Deo noſtro, qui eſt teſtis mihi ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt.*

Qui maximè à Deo ornati, cùm deficiunt, deteriores fiūt.

Hieronymus poſtquā ænigmatis explicationem moralē adduxit, ad extremū ſubdidit: *Caueat ergo* 8.
C *qui poteſt dicere, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ne fortè per negligentiam ab illius renibus ſeparetur, & tranſeat Euphratem, & detur in poteſtatem Regis Aſſyrij, & nequaquam in ſolidiſſima petra, ſed in foramine petræ corrupta, atque vitiata, hoceſt, in hæreticorum ſordibus, & vitiis* (adde tu & in ſæcularibus curis) *occupetur, & in tantā veniat putredinem, vt in vſum, & in cinctorium Domini vltrà redire non poſſit.* Sanè ſi ad Euphratem, Babylonicáſque ſordes lumbare deſcendat, non poteſt non fœdè corrumpi: ideſt, ſi à myſtica Ieruſalem ad ſæculi ſe cogitationes abiiciat, quod etiam dicit paulò antè Hieronymus. *Si lumbare,* inquit, *Aſſyriæ regionis humoribus imbuatur, perdit priſtinam fortitudinem, & computreſcit.*

Religioſus non redeat ad ſæculi cogitationes.

Dubitari hîc ſolet, ān quæ hîc de lumbari di- 9.
D cuntur aſtricto priùs Ieremiæ lumbis, deinde adducto ad Euphratis ripam, ibique putreſcenti, re ipſa verè perfectum ſit, an eius rei imago tantùm oblata Ieremiæ, ideſt, an tātùm fuerit imaginaria viſio? Hieronymus, cui Lyra, Vatablúſque ſubſcribunt, in ſpiritu tantùm, & imagine contigiſſe putant. Quod etiam de Oſeæ cum meretrice coniugio affirmat in Oſeæ prooemio, vbi hanc tenuit de Ieremiæ lumbari ſententiam. Sed communis eſt aliorum opinio, re vera ita contigiſſe, tam illud de nuptiis Oſeæ, quàm hoc de Ieremię lumbari, & alia, quæ rebus ipſis ſignificata videntur potiùs quàm verbis; quale eſt, Iſaiam nudum per aliquot dies obiiſſe ciuitatem, Ieremiam collo circuntuliſſe catenas; & alia complura, quæ
E Hieronymus facta negat, in illo prooemio in Oſeam. Quā de re vide Riberam in caput 1. Oſeę à verſ. 37. qui luculenter ea de re, & acutè diſputat. A qua ego diſputatione libens abſtineo, ne actum agam. Quod verò pertinet ad Ieremiæ lumbare, ita re ipſā contigiſſe, ſicut nudā litera ſimpliciter ſonat, docet Theodoretus, ſanctus Thomas, Hugo, Dionyſius, Iſidorus, Maldonatus, & Caſtrus.

Lumbare reuera adductum ad Euphratē.

Neque ratio ſancti Hieronymi nimis in oppoſitum vrget: ſupponit enim, eo tempore illud de lumbari mandatum accepiſſe Ieremiam, cùm obſeſſa à Chaldæis premeretur Ieruſalem. Quare 10.
irrum

irrumpere per hoſtiles acies non poſſet Propheta in locum à Hieroſolymis adeò diſtantem, cùm in viculú ſuum Anathoth ciuitati proximum tutò ſecedere non potuerit. Hæc, inquam, ratio non adeò premit: nam hoc mandatum accipere, compleréque potuit Ieremias, antequam quidquam eſſent Chaldæi contra Hieroſolymam moliti: neque enim ea de re Propheta tantùm egit, cùm tentatum eſt, aut illatum bellum à Chaldæis, ſed multò etiam antea ſub Ioſia. Et quidem prima verba de vigilante virga, aut olla ſuccenſa eò omnino pertinent. Quòd ſi poſt Chaldæorum appulſum, hoc de lumbari mandatum Ieremias præſtare iuſſus eſt, tempore Ioacim Ioſiæ filij, otioſè ſatis id compleri potuit; in cuius regno, vt patet, aliquot annis ab armis ceſſatum eſt.

11. Addo præterea, Hieronymum videri mutaſſe ſententiam, & reipſa facta fuiſſe poſtea exiſtimaſſe, quæ in ſpiritu, aut viſu imaginario tantùm contigiſſe dixerat, in prooemio ſuper Oſeam. Multa enim illorum, quæ facta eſſe illo in loco negat, facta concedit aliis in locis, vbi de illis accuratiùs aut ſcripſit, aut cogitauit. Negarat ibi, nudum inceſſiſſe Iſaiam, & in capite 12. Iſaiæ factum affirmat, immo tanti Prophetæ eximiam illam obedientiam commendat. *Diſcimus*, inquit, *obedientiam Prophetarum, quòd vir nobilis (tradunt enim Hebræi, Iſaiam ſocerum fuiſſe Manaſſe filij Ezechiæ Regis Iuda) non erubuerit nudus incedere, ſed Dei præceptis nihil honeſtius indicans, depoſuerit ſaccum, quo abiecto nudus fuerit, vnam priùs habens tunicam, eamque cilicinam.* Hæc Hieronymus. Item quod de pane negauerat, quem humanum ſtercus operiret, id in Commentariis ſupra caput 4. Ezechielis factum affirmat: ſicut id, quod de catenis Ieremiæ non admittebat, in Commentariis factum eſſe probat: immo & ibi Origenem reprehendit, quòd ibi ſenſus tantùm inueniat allegoricos. Sic puto, Hieronymum mutaſſe quoque ſententiam, & exiſtimaſſe, profectum fuiſſe Ieremiam Babylonem, & ibi lineum computruiſſe lumbare: nam in Commentariis ſuper hunc locum nihil elicit de imaginario viſu, & expoſitio moralis eò videtur inclinare, vt factum ſupponat.

Hieronymus mutauit aliquādo ſententiā.

Verſ. 12. *Omnis laguncula implebitur vino.*] Hæc, quæ de laguncula à Propheta dicuntur, obſcura non ſunt, ſi modò quid propriè, & quid figuratè, plena vino laguncula ſignificet, priùs oſtendamus. Laguncula vino plena id propriè ſignificat, quod ſonat: cúmque Iudæi nihil aliud myſticum in eo loquendi genere cogitarent, irrident Prophetæ, cùm id prædicere videatur, quod nouum non eſt, immo quod fieri quotidie cernunt. Figuratè tamen in laguncula, ſicut in calice vino pleno, magna portenditur calamitas, & cæcitas ſeuerior mentis: quod & hîc Propheta ſæpe clamat, & penè modus eſt dicendi propheticus, & prouerbialis. Iſaias capite 51. *Conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius.* & capite eodem, verſu 21. *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria, & non è vino.* & Ieremias ipſe capite 25. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te, & bibent, & turbabuntur à facie gladij, quem ego mittam inter eos.* Et hoc ipſo capite ſtatim declarat, quem ſenſum allegoricum habeat lagena illa plena vino, illum nempe, quem nos modò proponimus. Cur calix vini plenus, ſeu laguncula pro magna calamitate, ſeu infortunio ſumatur, diximus ad illud Iſaiæ capite 51. verſu 58. *Quæ bibiſti de manu Dei.*

Calix ſeu laguncula, pro calamitate.

Verſ. 13. *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, &c. & omnes habitatores Ieruſalem, ebrietate, & diſpergam eos.*] Hîc apertè ſe prodit ſenſus allegoricus, & quam vim habeat plena laguncula, nempe vt diſpergantur, & pereant, quibus amarum illud vinum propinatum eſt, ita vt vxor à viro, & à patre filius, quaſi à ſuo corpore membra, diuellantur. Quod vbi contigerit, in extremis cenſetur eſſe malis. Hanc ſeparationem eorum, qui eiuſdem ſunt ſanguinis, aut familiæ, luculenter amplificat Origenes homilia 9. in Ieremiam, quem tu conſule. Porro hîc *ebrietas* pro vino ponitur, effectus videlicet pro cauſa, ſicut etiam Iſaiæ 56. *Sumamus vinum, & impleamur ebrietate.* Qua figura etiam *ſaturitas* pro pane aut cibo adhibetur. Iſaiæ capite 55. *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* 13.

Ebrietas pro vino, ſicut ſaturitas pro pane.

Verſ. 14. *Non parcam, & non comedam: neque miſerebor, vt non diſperdam eos.*] Magnum offenſi animi argumentum præbet, qui aliorum precibus animum, atque aures negat: quod nunc oſtendit Dominus, ſicut etiam cap. 7. verſu 16. vbi interpellatorem pro populo repulit Ieremiam: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* idem repetit capite 11. verſu 14. & capite 15. *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eiice illos à facie mea.* 14.

Verſ. 15. *Nolite eleuari, quia Dominus loquutus eſt.*] Eleuari dicitur, qui ſuperbè de ſe cogitat, & magnificè loquitur: quíque in ſe contra obuia quæque pericula ſatis putat eſſe præſidij. Quod de ſe Iudæi ſæpe & ſentiebant, & prædicabant: vt habes ex Iſaiæ capite 28. vbi minacibus Iſaiæ verbis occinebant, *Manda, remanda, expecta, reexpecta.* &, *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos.* Ex eadem confidentia, atque arrogantia, Prophetarum minas conuertebant in cantica. Monet ergo nunc Propheta, vt ſpiritus deponant inſolentes, tacitéque ſecum, & attentè cogitent, Dei hæc eſſe, non hominum oracula, quæ ſuo pondere, atque ſucceſſu fruſtrari non poſſunt. 15.

Diuina minæ ſpiritus deprimunt inſolentes.

Verſ. 16. *Date Domino Deo veſtro gloriam.*] Dare Deo gloriam, varios habet vſus, eóſque, vt puto, prouerbiales, de quibus auctores plurima: ad illud Ioſue 7. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël: & confitere, atque indica mihi quid feceris.* & Ioannis 9. *Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Ego primùm cum Maldonato in Ioannem cenſeo, hanc eſſe familiarem, & quaſi legitimam formam, qua iudex reum, aut teſtem adigit, vt verum fateatur. Quia ille re vera Deum glorificat, qui verum confitetur, cùm ipſe veritas ſit, & veritatis pater. Sed credo hîc alium eſſe ſenſum, eúmque duplicem: alterum, vt Iudæos, quibus à Babyloniis impendebant extremæ calamitates, ad pœnitentiam adduceret. Cuius id eſt proprium, vt dicta retractet, aut qua ratione fieri poteſt, facta diſſoluat, aut curet, vt quæ facta iam ſunt, pro infectis habeantur. Sic Ioſue monuit Acham, vt daret gloriam Deo, nimirum execrando peccatum, quod contra Domini mandata commiſerat, & reſtituendo quod ex anathemate, ideſt, ex Iericunthinis ſpoliis abſtulerat: 16.

Dare gloriam, quid.

Ioſue 7. Ioan. 9. Prov.

Pœnitentia dat gloriam Deo.

ſic Phariſæi idipſum edicunt cæco à natiuitate, vt verba mutet, & quem antea laudauerat vt Prophetam, ſuæque ſalutis ſeruatorem eſſe dixerat, peccatorem appellet, & præſtigiatorem, aut aliquid ſimile, ſicut ipſi de illo cogitabant. Atque ideo dicunt: *Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt*. ideſt, verba retracta, & fatere nobiſcum illum eſſe peccatorem. Hæc meo iudicio apertè conſtant ex 1. Regum capite 6. cùm conſtituiſſent Palæſtini arcam Domini, quam ex Hebræorum caſtris ſuſtulerant, remittere, & cum illis munera offerre pro peccato, quod pœnitentiæ negotium eſt, dixerunt: *Dabitis Deo Iſrael gloriam, ſi fortè releuet manum ſuam à vobis*. In hunc ſenſum videtur exponi poſſe hic Ieremiæ locus, ita vt Propheta ad pœnitentiam inuitet peccatores.

1. Reg. 6.

17. Sed credo aliter eſſe accipiendum, referrique aut ad illud, quod anteceſſit proximè, *Nolite eleuari, quia Dominus loquutus eſt*: ita vt moneat Propheta, vt de ſe Iudæi ſummiſsè, de Deo autem magnificè, atque ſublimè ſentiant: neque vana putent Prophetarum oracula: aut ad illud, quod paulò ſuperiùs dixerat verſu 11. *Vt eſſent mihi in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt*. Aſciuerat Deus populum illum, vt ab eo laudaretur, & glorificaretur, quod ille, dum in alia ſtudia cæcus abripitur, facere contempſit; nunc monet Deus, vt quod vocationis ius, & ratio cogit, dent gloriam Deo, antequam temporis articulus adueniat, quem minatur.

18. *Antequam tenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.*] Vt nox, & tenebræ pro ærumnoſa vita, inauſpicatóque rerum euentu accipiuntur, ſic etiam tenebreſcere, eadem tranſlatione ſignificat, ſortem incurrere inauſpicatam, & lugubrem: atque ideo hortatur Propheta contribules ſuos, vt Deum ſibi pœnitendo concilient, aut illi dent gloriam, vt ex ſuæ vocationis inſtituto, communíque obligatione præſtare debent, antequam tenebreſcat, ideſt, antequam dies adueniat ad cædem, atque ignominiam grauis.

19. Montes caliginoſi, vt Maldonatus putat, ſunt illi, quos ad latebras, & effugium ſibi quærent Iudæi, re iam deſperata; qui ideo caliginoſi vocantur, quia in illis incertis errabunt veſtigiis, conſilij prorſus atque mentis inopes. Alij in montibus illis, inſignem aliquam calamitatem intelligunt, quæ Iudæis erit perinde, atque ſi quis in præruptis, atque ſalebroſis montibus vagetur incertus, cæca nocte, vbi omnia plena periculis, neque vlla ſe oſtentat ad ſalutem via. Sic putant Theodoretus, & Lyra, cum Chaldæo.

Montes caliginoſi qui.

20. Alij in montibus adumbrari putant Babylonicos montes, qui propter caliginem videri non poterant, quam regio illa paluſtris, & nebuloſa effundit: aut quia mœſtis profugorum oculis caliginem quandam obiecerat perturbatio, & mœror. Ita penè cum Hieronymo ſanctus Thomas, Dionyſius, & Hugo. Hoc mihi de Babylone, eiúſque montibus in genere non diſplicet; & ratio ſatis apta: ſed lubet hîc repetere, quod de caliginoſis hiſce montibus diximus ad illud Iſaiæ capite 13. *Super montem caliginoſum leuate ſignum*. Vbi cur Babylon mons dicatur, & cur caliginoſus mons, pluribus oſtendimus. Sic ergo nos illic. Pro caliginoſo Hebraicè eſt נשפה *niſpeh*,

21. quod *tempus nebuloſum, & obſcurum* ſignificat. Vt

A autem figuratè illa ciuitas, quæ in planitie ſita eſt, propter magnitudinem, & ſuperbiam *mons* appellatur hîc, & Ieremiæ capite 51. ſic puto *caliginoſam* etiam vocari poſſe figuratè, quo tamen ſenſu, non eſt explicare promptum. An quia alluſum eſt ad nomen Babel, quod quia confuſionem ſonat, obſcuritatem etiam ſignificat; vel quia gens illa erat erroribus plena, qui verè caligo, ac tenebræ nominari poſſunt: at certè quia triſte eſt hoc de Babylone vaticinium; tenebræ autem, vulgari ſacræ Scripturæ more calamitatem ſonant. Hæc fortaſſe vera, ſed ſi hîc *caligo* figuratè ponitur, magis mihi videtur ad textum, & hiſtoriæ fidem, ſi mons dicatur caliginoſus, propter temporis articulum, in quo euerſa eſt

Babylon cur mons caliginoſus.

B moles illa toti orbi habita pro miraculo, de quo agebat Iſaias ſuprà, ad quem locum videtur Propheta reſpexiſſe; & ſicut antè Iſaias ab euentu futuro caliginoſum appellauit montem, ſic modò Ieremias, cùm tamen nondum eſſet Babylon ab hoſtibus ſubacta. Capta enim fuit nocturno tempore, vt liquet ex Daniele capite 5. quare in caligine erat ciuitas illa, & à caliginoſo tempore caliginoſa vocari potuit. Qui loquendi modus inuſitatus non eſt, & apud profanos, qui quod temporis proprium eſt, his quæ fiunt, aut ſunt in tempore accommodant. Quo modo *fur* dicitur *nocturnus*, & qui vigilat *matutinus*, & propiùs ad noſtrum inſtitutum, qui noctu

C gradiebantur, *obſcuri* dicuntur à Virgilio libro 6. Æneidos:

Ibant obſcuri ſola ſub nocte.

Adde, quòd capta etiam Babylon fuit, quo tempore malè ſecuri ciues nihil minus, quàm de cæde cogitabant. Quare vacabant menſis, & poculis, & patiebantur illas tenebras, quas incaleſcentibus mero ebrietas inducit. Neque enim tunc mens eſt, aut conſilium, neque aliter in deliberando errant dominante crapula temulenti, quàm qui obſcura nocte per impeditam, & cæcam viam ingrediuntur. Quòd ſi aduerſi, & ærumnoſi caſus *tenebræ* dicuntur, profectò cauſæ fuit plurimæ, cur eo tempore, quo capta eſt, at-

D que expugnata Babylon, *mons* appellari debuerit *caliginoſus*. Quocirca ſi figuratus hic ſermo ſit, exiſtimo caliginoſum montem dici, propter illius temporis articulum, quo extinctum eſt, capta Babylone, florentiſſimum Chaldæorum imperium, cùm neque minor ciuitati à nocte, quàm ciuium animis à perturbatione, & crapula fuerit offuſa caligo.

Sed credo, non tam figuratè, quàm propriè Babylonem caliginoſam vocari, immo & hoc eſſe illi familiare nomen, ſiue ab Hebræis, aut vicinis populis ignominiosè datum, ſicut ciuitates aliæ vulgò ab aliquo vitio aut loci, aut miniſterij ignominioſo nomine notantur. Seu, 22.

E quod magis reor, à proprietate aliqua ſic omnibus nota, vt pro antiquo nomine communiter vſurpetur. Sicut Iericho *ciuitas palmarum*, 2. Paralipomenon 28. verſu 15. & ciuitas Dabir, Iudicum 1. vocata fuit *ciuitas literarum*. Erat autem caliginoſa ciuitas, vt ex natura loci coniectare licet, non vno, aut altero die, ſeu etiam menſe, ſed maiori anni parte: quia cùm in planitie ſita eſſet, mediámque ciuitatem Euphrates influeret, veriſimile eſt contigiſſe illi, quod vſu ciuitatibus aliis euenire ſolet, quas flumina obeunt, aut quæ propè loca humida, atque paluſtria ſitæ ſunt. Hæ enim plerunque cùm nebulis, craſsíſque vaporibus

vaporibus pinguem habeant, atque concretum aërem, cælum habent obſcurum, atque caliginoſum.

23\. Addo ad extremum rationem aliam non prorſus alienam, ſumptam ex profana hiſtoria, cur Babylon mons dici potuerit caliginoſus, ſeu nebuloſus. Nemo credo neſcit, quàm celebres fuerint horti penſiles, quos tanto ſumptu, atque labore conſeuêre, aluerêque ad longum tempus Reges Babylonij, quos pro miraculo habuit, celebrauitque antiquitas. Horti iſti ea amplitudine, ac mole erant erecti, vt Babylon procul ſpectantibus non tam ciuitas videretur, quàm mons. Cùm autem ex vicino fluuio denſæ, ac pingues nebulæ excitatæ, & præſertim fumus ex tam frequenti vrbe aſſiduè exundans, montem illum arte, manúque factum obſideret, obſcuraretque, optimè ciuitas illa mons caliginoſus, vulgo maximè peregrinorum, qui in vrbem aduentarent, vocari potuit, quia talis apparebat. Hæc verò non obſcurè indicant externi ſcriptores. Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 13. ita de his hortis, ſeu potiùs de hoc monte, cùm loqueretur de Nabuchodonoſor: *Moles ſaxeas fornicibus ſuſpendit, montium ſpeciem referentes, supernè conſitas variis arborum generibus. Atque ita celebratos illos hortos penſiles abſoluit, eo quòd vxor educata in Media concupiſſet quandam patriæ ſuæ ſimilitudinẽ. Horum hortorum etiã Megaſthenes in quarto rerũ Indicarum volumine meminit.* Hæc Ioſephus. Cùm verò ciuitas multa eſſet paſſa, ad tempus vſque Alexandri Magni: tamen mons ille, aut illud humanæ potentiæ miraculum, nihil amiſit aut ſpeciei, aut amplitudinis. De quo eadem, aut multò etiam ampliora refert Quintus Curtius libro 5. de rebus geſtis Alexandri. *Super arce*, inquit, *vulgatum Græcorum fabulis miraculũ penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarúmque arborum vmbra, & proceritate amœni. Super pila lapide quadrato ſolum ſtratum eſt patiens terræ, quam altam iniiciunt, & humoris, quo rigant terras. Adeóque validas arbores ſuſtinent moles, vt ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ ſint, vt ſi terra ſua alerentur. Et cùm vetuſtas non opera ſolùm manufacta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantíque nemoris pondere onerata eſt, inuiolata durat. Quippe viginti lati parietes ſuſtinent vndecim pedum interuallo diſtantes, vt procul viſentibus ſyluæ montibus ſuis imminere videantur.* Quòd ſi tempore Nabuchodonoſor talem ſpeciem haberet mons iſte humano artificio factus, qualem ſub Alexandro nobis deſcribit Quintus Curtius, minùs de hac explicatione dubitarem. Placeret hæc ſententia, niſi viderem, quo tempore hæc à Ieremia dicebantur, ideſt, in principio Chaldæorum imperij, non potuiſſe plantatas arbores in tantam altitudinem excreſcere, vt vocari potuerint caligioſi montes.

Horti penſiles Babylonij.

24\. Ad ſenſum moralem grauiter hunc locum adhibent, & amplificant Patres. Vide hîc Hieronymum, & Origenem homilia 9. in Ieremiam. Dixit hoc idem Chriſtus Ioannis capite 12. *Ambulate, dum lucem habetis, veniet nox, quando nemo poterit operari.* Sic Eccleſiaſtici 17. verſu 27. *Non demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere: à mortuo quaſi nihil perit confeſſio. Confiteberis viuens, viuus, & ſanus confiteberis, & laudabis Deum.* Eccleſiaſtici 12. *Memento Creatoris tui in die iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis*, &c. Sanè in extre-

Pœnitentia in morte periculis plena.

A mo vitæ tempore, in quod ſtulti meliorem vitæ modum, & inueterati morbi medicinam reſeruant, omnia ſunt impedita, ardua, obſcura, neque minùs periculosè, aut difficilè tunc via ad ſalutem inſtituitur, aut ab æterna morte quæritur fuga, quàm ſi quis in nocturna caligine, per ignota, ardua, variiſque conciſa ſalebris loca, iter moliatur.

Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis.] Expectabat populus ille lucem, ideſt, felicem exitum ex his difficultatibus, quæ ſe ab hoſte Chaldæo, aut à propheticis minis oſtentabant, aut quia ſe putabat ſatis ad reſiſtendum inſtructum, aut quia credebat, paratum ſibi eſſe luculentum ab Ægyptio ſubſidium; ſed ſpes illa funditus euanuit, & pro luce offuſa eſt caligo triſtis, & imago mortis. Cætera non obſcura: nunc expendendum eſt, cur tenebræ denſæ, & horridę, vmbra dicantur mortis. 25.

B

Magna ſanè ſimilitudo eſt inter mortem, & ſomnum, qui mortis imago dicitur, aut vmbra; magna item inter noctem, & ſepulturam, vnde ſepulti in tenebris iacere, aut in nocte dicuntur: ad quam ſimilitudinem crebræ ſunt alluſiones non ſolùm à ſacris, ſed etiam à profanis. Virgilius Æneidos 10.

Mors ſõnus quidã eſt.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Apud ſacros id multò frequentius. Iſaias cap. 9. C *Habitantibus in regione vmbræ mortis.* Pſal. 22. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis.* Iob capite 3. *Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis.* Cùm autem in tenebris afflictio ſignificetur animi, ærumnoſúſque ſtatus, dum afflictio eiuſmodi eſt, vt in ea ſæpius occurſet aut moriendi neceſſitas, & cauſa, aut mortis cupiditas, aut talis, quæ mortis inſtar obtineat: aut eiuſmodi ſit, vt cum morte commutari poſſit, mortis appellatur vmbra, aut ſimulacrum: nam vmbram pro imagine vſurpari, nemo credo dubitat. Aut certè vmbra dicitur mortis grauis animi dolor, quia vt morientium oculis oboriuntur tenebræ, & in ipſis triſtes, atque horrificæ rerum imagines, ſic illis, qui in angore ſunt, triſtes occurrunt cogitationes, quæ D illorum animos agitant, & excruciant.

Vmbra mortis, quid.

Verſ. 17. *Quòd ſi hoc non audieritis, in abſcondito plorabit anima mea à facie ſuperbiæ.*] Si cum Septuaginta legas, *plorabit anima veſtra*, explicatio eſſet non difficilis. Senſus enim eſſet, ploraturum eſſe populum tãtùm apud ſe, cùm publicè apud inſolentem victorem ſuam deplorare calamitatem, & ſeruitutem non auderet. Quemadmodum triſtes latebras quærunt, & tenebras, vbi nemine interpellante, ſuo dolori, atque ægritudini indulgeant. Quomodo de Ieruſalem ſpoliata, & captiua dicitur Threnorum 1. *Plorans plorabit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non eſt, qui conſoletur eam.* Quæ verba videntur ſingula penè verba explicare huius loci: lectio tamen vulgata magis eſt ad textum Hebraicum, quæ legit, *anima mea.* Tunc verò grauis indicatur propheticæ mœror, cùm ſecedendum ſibi eſſe dicit in abſconditum, vt liberiùs, & ſine interpellatore lugeat: quod etiam optabat capite 9. cùm dicebat; *Quis dabit capiti meo aquam*, &c. *Quis dabit me in ſolitudine?* Sic Iſaias capite 22. repellebat à ſe populum, vt grauiùs, liberiúſque lugeret. *Recedite à me, amarè flebo, nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.* Illud, *à ſuperbia*, referri poteſt vel ad Chaldæos, qui ſuperbè, atque incle- 26.

Lacrymæ latebras amant.

E

menter in Dei populum ſæuierunt, aut ad Ieremiæ contribules, qui iuſſi ſpiritus inſolentes deponere,illos tamen retinuerunt,neque Dei mandatis, qui ſuam per Prophetas voluntatem aperiebat, obſecuti ſunt.

27. Verſ.18. *Dic Regi,& dominatrici humiliamini,ſedete, quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ.*] Non facile explicatu eſt, aut quo tempore hæc à Ieremia dicta fuerint,aut cui Regi, cuive dominatrici denunciari iubeantur. Ego primam hanc prophetiam diuerſam eſſe puto à ſuperiore. Quare ex hoc Rege, ac dominatrice nullum argumento ſumi poſſe cenſeo, vt prophetia proxima de lumbari propoſita eſſe exiſtimetur illorum Regum tempore, qui aut capti ſunt, aut occiſi à Nabuchodonoſor. De tempore nihil mihi certum, neque ad illud cognoſcendum grauis vlla coniectura eſt. Hieronymus, & cum eo ſanctus Thomas, Rabbanus, Dionyſius, & Hugo,Ioachim eſſe putant,filiũ Ioacim,dominatricem verò Noheſtam matrem eius. Nam hi abducti ſunt in Babyloniam Regiis inſignibus, atque ornamentis ſpoliati, vt conſtat 4. Regum capite 24. verſu 15. & Ieremiæ capite 29. verſu 2.& facit,quòd tam huic Regi, quàm eius matri captiuitas prædicitur,Ieremiæ capite 22. *Et mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te,in terram alienam.*

Alij hæc dicta volunt Sedeciæ, quia eo regnante,perfecta fuit tranſmigratio,quæ aliorum Regum tempore fuerat inchoata:neque ſub aliis Regibus ciuitates Auſtri clauſæ ſunt,quia adhuc relicti fuerant ciues, qui illas incolerent. Ita putat Chaldæus, quem Lyra ſequitur, & Caſtrus; neque improbant Dionyſius,& Maldonatus.

28. Ego,vt dixi, nihil hìc video, aut quod probare cogat,aut improbare audeam,quia alterutrum ſine temporum, aut rerum iniuria explicari poteſt ſatis idoneè. Addam tamen explicationem aliam fortaſſe non ineptam,quod in re coniecturali aliquando fieri non ſolùm licet,ſed etiam debet. Et primùm obſeruo, *Regem* in ſacris literis non ſolùm ſignificare eum, qui illo communiter appellatur nomine, ideſt, qui eum ſumma poteſtate eſt;ſed etiam eum, qui delicatus eſt,& mollis,aut regios alit animos, & ſpiritus in dignitate, atque ordine non regio. Quomodo Geneſis capite 49. ſcribitur:*Aſſer panis pinguis, & præbebit delicias Regibus.* ideſt, viris delicatis,& lautis. & Prouerbiorum vltimo:*Noli Regibus,ô Lamuel,noli Regibus dare vinum,* &c. *Date ſiceram mœrentibus.* Et ſponſi,atque ſponſæ, quicunque illi ſint, in epithalamico plauſu, & nuptialibus deliciis Reges appellantur. Secundò obſerua,in genere maſculino, & fœminino coniunctis multitudinem ſignificari; immo & vniuerſalitatem, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ 3.*Validum,& fortem.*vbi *fortem* in genere fœminino eſſe diximus,quaſi dicas *validum, & validam.*ideſt,omnem fortem, & ſtrenuum. quo ſenſu Salomon *Cantores, & cantatrices,* ideſt, omne genus, varietatémque muſicorum comparaſſe dicitur Eccl.cap.2.

Rex appellatur; qui delicatus eſt & lautus.

REGVLA. *In genere maſculino & fœminino vniuerſalitas indicatur.*

29. Ex his ego duas alias expoſitiones adiungo; altera eſt,vt in Rege, & dominatrice omnes viri potentes, & lauti ſignificentur, quocunque illi in gradu, atque in honore ſint.Quibus ſæpe tam ab hoc, quàm à Prophetis aliis, ſimilia denunciantur infortunia. Quam ſententiam explicuiſſe videntur Septuaginta, qui reddidêre:*Dicite Regi, & potentibus.* neque in nomine *corona* laboro, neque enim ſemper corona regium eſt inſigne, cùm Iudæi coronati epulentur, in opimis maximè conuiuiis, coronati nuptias, coronati ludos, & dies feſtos obeunt. Quare dum lapſura dicitur de Regis, potentiúmque capitibus corona gloriæ,ſeruitus indicitur,& ignominia, & genialium deliciarum triſte ſilentium.

Altera expoſitio eſt,vt in Rege,& dominatrice ſponſus intelligatur, & ſponſa:vt enim pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis ſuper Cantica, noui coniuges in epithalamiis, Reges ſalutabantur, & Reginæ, & Pſalmus 44.qui nuptialis eſt, Regem vocat ſponſum,cùm ait: *Dico ego opera mea Regi*; & ſponſam Reginam, cùm dicit:*Aſtitit Regina à dextris tuis*, & quæ ruſtica fingitur, vinearum cuſtos, & infuſcata ſole, capite tamen 7. Regina dicitur, dum *filia Principis* appellatur. Eodem nomine ſponſum, aut amaſium vocat Iſaias capite 57. verſu 9. cùm enim reprehenderet Ieruſalem, quòd Deum reliquiſſet, & tãquam ad ſponſum,ad idola defeciſſet, ait:*Ornaſti te Regi*, ideſt, ſponſo tuo. Vide, quæ nos pluribus in eum locum. Deinde coronam gloriæ, ideſt, decoris ſponſos geſtare in nuptialibus deliciis ſæpe clamant Cantica Salomonis, & docet apertè Iſaias capite 61. *Quaſi ſponſum decoratum corona.* & Dominus Ezechielis 16. illi, quam ſponſam vocat, coronam dedit nuptialem, nempe ſymbolum, & donum. Dicit ergo Dominus, non iam ampliùs à Iudæis celebratum iri connubia eo, quo ſuperiori ætate,plauſu,atque lætitia: quando videlicet coronam gloriæ geſtabant in capite, & ſtrepente ſymphonia cum lucernis regium in morem traducebantur. 30.

Noui coniuges in epithalamiis vocantur Reges.

Hanc ego explicationem præ cæteris probarem, niſi ab auctore foret, atque patrono nuda, tum quia in ea nihil contortum eſſe video; tum quia hæc eadem ſæpe huic idem populo, atque in eodem rerum articulo,minatus eſt Deus. Ieremias capite 7. verſu 34. *Et quieſcere faciam de vrbibus Iuda,& plateis Ieruſalem,vocem gaudij,& vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.* & capite 16. verſu 9. & capite 25. verſu 10.& capite 31.verſu 11. eadem penè iterantur verba.Quam puto prouerbialem eſſe formam,qua vita lugubris,& ſordida ſignificatur: illam enim adhibet Baruch capite 2. verſu 23. immo & Ioannes Apocalypſis capite 18.cum alluſione,vt reor, ad hæc loca Ieremiæ.

Verſ.19. *Ciuitates Auſtri clauſæ ſunt, & non eſt, qui aperiat.*] Clauſum dicimus id,ad quod ingreditur nemo, licèt omni ex loco patens, & apertum ſit. Quomodo clauſum dicitur mare, quod vel propter pyratarum metum, aut tempeſtatum vim à nullo nauigatur. Sic puto ciuitates Auſtri clauſas vocari,quia in illas remigrare non poſſunt captiui Iudæi,vt ibi geniales habeant, & hilares dies: neque vllus erit per multos annos, qui illas aperiat, ideſt, qui redeundi facultatem aut paret, aut permittat. Porro ciuitates Auſtri dicuntur, quæ in Iudæorum funiculo ſunt:Iudæa enim aliarum Tribuum comparatione Auſtralis eſt,vt notauit Hieronymus,& colligitur planè ex Ioſue cap.15. 31.

Iudæa Auſtralis.

Tranſlata eſt omnis Iuda tranſmigratione perfecta.] Rationem reddit,cur ſedere debeant Rex,& dominatrix,ideſt, ceſſatura ſit ſponſi, & ſponſæ feſtiua vox:quia nemo iam in vrbe,totóque Iudææ tractu reliquus erit,qui iuxta patrium ritum, aut connubium ineat,aut ab alio initum cohoneſtet. 32.

Erit

Erit enim aliquando perfecta transmigratio, quæ totam ciuibus prouinciam euacuet, ſub Sedecia nempe, quo tempore actum videri potuit de re Iudæorum publica: nam ante illud tempus, inchoata ſolùm fuit Iudæorum transmigratio, quia multis abductis in exilium, plures in patriis finibus remanſerunt.

33. Verſ. 20. *Leuate oculos veſtros, & videte, qui venitis ab Aquilone.*] Hæc verba ad Iudæos referenda, ſeu, quod idem eſt, ad Iudam, ſeu Ieruſalem, vt expreſsère Septuaginta, qui iubentur ſpectare ingruentem Chaldæorum exercitum, vbi noſter Interpres *venitis*, Hebraicè eſt באים *baim*, quod per accuſatiuum, & nominatiuum explicari poteſt: nam vox ad vtrumque caſum æquè patet. Septuaginta, & Chaldæus, & reliqui alij Interpretes per accuſatiuum reddiderunt. *Videte, qui veniunt, aut venientes ab Aquilone.* & iuxta hanc conuerſionem nihil difficultatis habet hic locus. Hieronymus autem per nominatiuum: qui tamen in Commentariis ita exponit; ac ſi eodem, quo reliqui, modo tranſtuliſſet. *Præcipitur,* inquit, *habitatoribus Ieruſalem, vt eleuent oculos ſuos, & videant Chaldæos, ab Aquilonis parte venientes.* & ita communiter exponunt Interpretes.

Si autem cum Vulgato legas, *Qui venitis,* alius omnino ſenſus, referrique poteſt aut ad Chaldæos, quibus præcipit Dominus, vt oculos leuent, videantque ciuitatem, quam Dominus ipſorum manibus quaſi conſtrictam diripiendam tradidit; aut ad Iudæos, non quidem omnes, ſed ad illos, qui negotiationis, aut alterius rei gratia, de Aquilonari regione veniunt: nam illi propiùs ſpectare potuerunt Chaldæorum agmina, cùm iter in Iudæorum fines molirentur. Ita penè Maldonatus.

34. *Vbi eſt grex, qui datus eſt tibi; pecus inclytum tuum.*] Hic locus ſuadere potuit alicui, illud, *Regi, & dominatrici*, ad aliquem ex illis Regibus pertinere, qui capti ſunt à Chaldæis, vel occiſi, quando illorum curæ commiſſum eſſe traditur pecus inclytum. Sed planè ex hoc loco nihil in eam ſententiam efficitur: loquitur enim Propheta cum Ieruſalem, aut Iuda, vt ſuprà in ſua verſione expreſſère Septuaginta, cùm dixerunt, *Leua oculos tuos, Ieruſalem.* Quod ſentit hîc Hieronymus, & cum eo plerique alij, & textus ipſe Hebraicus non obſcurè docet, qui genus adhibet fœmineum. Vbi noſter *tibi*, & *tuum.* quod ſanè bellè cum Ieruſalem, aut Iuda conuenit; cum *Rege* nullo modo.

Iudæi hoſtes ſuos inſtruxerunt contra ſe.

35. *Tu enim docuiſti eos aduerſum te.*] Inierant olim tempore Abrahæ ſocietatem, & fœdus Iudæi cum Aſſyriis, cùm ſocios aſciuère contra Reges Syriæ, atque Samariæ, Iſaiæ capite 7. Qui experti regionem eſſe pinguem, ex eáque prædas agi poſſe luculentas, ſæpius eodem victorem exercitum, & inhiantem prædæ reduxerunt; quare docuiſſe videri potuerunt Iudæi, Chaldæos; cùm ſuas opes & vires illis oſtenderunt. Cùm autem Babylonij ſub ſuum egiſſent iugum Aſſyrios, ab illis de Iudææ natura, atque vbertate, quam ipſi non ſemel guſtauiſſent, credibile eſt fuiſſe edoctos. Cúmque Babylonij, ante hoc extremum Iudæorum exitium, fœdus haberent cum illis, & amicitiam, vt docet illa legatio, quam miſit Baladan Merodach ad Ezechiam gratulandi cauſa, Iſaiæ 39. non eſt incredibile, hinc inde vtroſque commeaſſe, permutaſſe fructus, ac merces in vtraque regione vernaculas: atque ex his explo-

A raſſe Chaldæos vias, quibus tutò, & facilè irrumpere poſſent in illorum fines. Sanè in caput Iudæorum oſtendit Ezechias, vt habes apud Iſaiam capite 39. diuitias omnes Chaldæorum legatis. *Oſtendit,* inquit, *eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa, quæ inuenta ſunt in theſauris eius.* Propter quod audiuit ab Iſaia Rex Ezechias idem propè, quod nunc Iudæi à Ieremia: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui, vſque ad diem hanc in Babylonem.*

36. *Grauis ſeruilis conditionis ignominia à nuditate.*

Verſ. 22. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, reuelata ſunt verecundiora tua.*] Summa hoc loco ſi- B gnificatur infelicitas, quocunque accipias modo, quia captiui coguntur pati, quodcunque inſolenti victori lubebit, ſiue ad dolorem acerbum, ſiue ad ignominiam graue. Loquitur autem de Ieruſalem, quaſi de ancilla, quæ alterius ſubit aut durum, aut impudens imperium. Hæc verò interdum inhoneſta patitur, cùm ipſius illuditur pudicitia, & hoc minatur hoc loco Propheta, dum dicit: *Reuelata ſunt verecundiora tua.* & ſtatim: *Nudaui femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua.* Idem de Ieruſalem Iſaias capite 3. vbi enim Vulgatus modeſtè tranſtulit, *crinem earum nudabit*: omnes penè interpretantur *inhoneſta, & turpia.* Idem Iſaias de Babylone capite 47. idem de Ægypto, & Æthiopia capite 12. C idem Nahum de Niniue capite 3. Neque hoc videtur incredibile, cùm barbarus ac inſolens victor in miſerum captiuarum corpus nihil putent ſibi non eſſe conceſſum. Sanè id ignominiæ, atque ludibrij genus ſubiiſſe vtrunque Iudæorum ſexum à Babyloniis lamentatur Ieremias Threnorum capite 5. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt.*

37. Aliud verò captiuæ ſubire ſolent ignominiæ genus: nam quò magis ſint ad ancillare negotium expeditæ, non vtuntur laciniosis ſtolis, ſicut honeſtæ; ſed breuibus, & ad omnem feſtinationem idoneis, quare non ſolùm plantas, ſed etiam crura nudant: & ideo de Babyloniis do- D minabus, iam tamen ad ſeruilem ignominiam adductis, dicitur Iſaiæ capite 47. *Reuela crura.* Hanc etiam turpitudinem Iudaicæ genti prædicit, vt reor, nunc Propheta, cùm dicit: *Polluta ſunt plantæ tuæ.* ideſt, vt vox indicat Hebraica, diſcoopertæ ſunt.

Credo obiici hoc vulgari, atque prouerbiali conuicio ſolere fœminis, quibus aliquid, quod ipſæ maximè horreant, aut prædicimus, aut optamus: vt verecunda nudent, & crura, ſeu plantas reuelent; quorum hoc ſeruitutem, illud turpioris obſequij ignominiam ſignificat. Quòd ex eo mihi perſuadeo, quia duo hæc video in ſacra Scri- E ptura ſæpe coniungi, vt modò de Babylone, cui dictum eſt: *Nuda turpitudinem tuam, reuela crura.* Et Ægyptus, & Æthiopia in ſeruitute ſimili futuræ dicuntur nudæ, atque diſcalceatæ; Iſaiæ capite 20.

38. *Pollutæ ſunt plantæ tuæ.*] Si ancillaris fortunæ eſt, pedes habere nudos, conſequens eſt, vt pedes ab immundo ſolo polluantur. Id credo ſignificatum à Ieremia Threnorum 1. cùm dixit: *Sordes eius in pedibus eius.* vbi impletum oſtenditur quod dictum hîc fuerat de nuditate, pollutioneque plantarum.

Verſ. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, &*

Serò dediſcitur, quod prioribus annis diſcitur.
Prov.

39. *& pardus varietates ſuas: & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.*] Hyperbolica iſta loquutio eſt,quæ valde ſignificat, quàm difficilè eluantur, aut etiam exurantur ſordes, quæ à primis annis, aut certè iam pridem inoleuerunt. Prouerbialem eſſe comparationem. iſtam ipſa verborum forma docet. Sanè Latinus eodem dicendi modo explicare ſolet, aliquid eſſe eiuſmodi, vt arte nulla, aut hominum induſtria corrigi, aut ſuperari poſſit. Quocirca, cùm inanem aſſumit aliquis operam, Æthiopem dealbare dicitur. Et eadem eſt vis, & ratio in pardi verſicolore pelle: nihilo enim magis eluitur ab Æthiope color, quàm tollitur à pardo varietas; cùm vtrumque profectum ſit à natura.

Obſtinati animi ſupplicium.

40. Videtur autem Dominus oſtendere, cur plagam illam duram, & ignominioſam minetur Iudæis. Peccarant illi quidem, & diu,& grauiter,vt proximè dixerat Propheta;illos tamen ad pœnitentiam vocarat, & antea ſæpe,& hoc ipſo capite verſu 17. cùm dixit: *Date Domino gloriam, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.* Quaſi diceret,Si dederitis Domino gloriam,neque tenebræ vobis orientur,neque ad caliginoſos montes, ideſt, Babylonicum exilium, deducemini. Nunc ergo dicit Deus,quia ſic in peccatis obduruiſtis,vt non minùs vobis naturale videatur aut peccandi ſtudium, aut peccatorum inolitæ ſordes, quàm nigror Æthiopi, & pardo maculoſa pellis: atque adeò nunquam non placebunt vobis peccata, ideo ad montes caliginoſos impingetis, vbi ad ignominiam nudentur, quæ verecunda celauit natura, & in ſeruili miniſterio polluantur plantæ. Non tam igitur peccatis præteritis iſtæ denunciantur minæ, quàm obſtinato in poſterum peccatorum ſtudio.

Impoſſibile in Scriptura quid?

41. Hîc porro operæpretium eſt obſeruare, in ſacra Scriptura hyperbolicos eſſe dicendi modos; quorum vnus eſt,cùm id,quod factu difficile eſt,impoſſibile vocat. Qua de re optimè Gregorius Nazianzenus libro 3. Theolog. non longè ante medium, qui poſtquam varios vſus vocis *impoſſibilis*, adduxit, qui non ſemper rem indicant fieri non poſſe, addit: *Quarta ſignificatione id dicitur fieri non poſſe, à quo noſtra voluntas abhorret; cuiuſmodi eſt illud Marci 6. Non poterat ibi ſigna facere,propter incredulitatem eorum,qui ea excepturi erant. Quoniam enim ad morborum depulſiones vtrunque accidere neceſſe eſt, vt & ægroti fidem, & medici vim, facultatémque medendi afferant, idcirco altero deficiente, alterum minimè contingebat, &c. Quo etiam in ordine ponendum eſt illud Ioannis 7. Non poteſt mundus odiſſe vos. & illud Mathei 12. Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Quo enim pacto quidquam horum impoſſibile eſt, niſi quod voluntas repugnat? Iam illud quoque impoſſibile dicitur, quod natura quidem impoſſibile eſt,Deo autem volente poſſibile. Quo in genere eſt illud, eundem hominem bis naſci non poſſe, nec acu calamum admitti. Quid enim prohibeat.quo minus hæc fiant, ſi Dei voluntas ita tulerit?* Hæc Gregorius. Ad quartum illum modum Gregorij multa conferri poſſunt, & ſine dubio ad illum referenda, quæ hoc loco dicuntur de impoſſibili eorum correctione, quibus ſeruitus impendet,& nuditas. Vt enim impoſſibile eſt, colorem in Æthiope mutari, ſic poſt longam peccandi conſuetudinem peruerſos in Iudæorum populo mores, & ingenium.Sed eſt in hac ἀδυνατίᾳ aliquid diſcriminis: nam illa impoſſibilitas à natura,hęc à voluntatis obſtinatione naſcitur.

Eſt autem hæc ſententia tum apud ſacros, 42.
tum apud profanos ſcriptores frequens. Vulgare eſt illud Horatij:

> *Quò ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem*
> *Teſta diu.* ———

Vitia adoleſcentiæ difficilia.

Hieronymus ad Lætam: *Difficulter eradicatur, quod rudes anni perbiberunt: lanarum conchylia quis ad priſtinum candorem reuocet?* Longum eſſet referre,quæ in eam ſententiam extant aut veterum Patrum, aut antiquorum Philoſophorum teſtimonia. Addam tamen ex ſacris literis duo: alterum Prouerbiorum 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* ideſt, conſeneſcent cum illo peccata, quibus aliquis à teneris annis aſſueuit. Sed aliquid maius docet Iob capite 20. dum vitia iuuentutis penetratura dicit ad ipſas quoque medullas,ideſt,ad penitiſſima animi:neque inde poſſe,aut non niſi difficulter euelli, ſicut neque medicina poteſt oſſium, & medullarum intima curare, ſiquid ibi noxij humoris inſedit. Quocirca non ſolùm illa vitia ad ſenectutem peruentura dicuntur, ſed etiam ad ſepulcrum: neque relictura in æternum oſſa, quæ à primis annis occuparunt. *Oſſa,* inquit, *eius implebũtur vitiis adoleſcentiæ eius,& cũ eo in puluere dormient.*

Verſ.25. *Hæc ſors tua, parſque menſuræ tuæ à me, dicit Dominus.*] Poſuerat Dominus populum 43.
ſuum in regione vbere, ſed præcipuè Tribum Iuda, cuius ſors, & pars menſuræ, ideſt, quam funiculo dimenſus fuerat Ioſue, cùm ſortem illam Iudæ filiis aſcripſit, vtpote regia eximia putabatur. Ait ergo Deus, dedi tibi ſortem præclaram inter alias Tribus,ſed nunc quando mendaciis,ideſt,idolorum ludificationibus,& nugis deluſa, à me defeciſti, aliam tibi ſortem, & alium funiculum aſſignabo:pro regia nempe dignitate in terra tua,longam,& duram ſeruitutem in aliena; pro rerum abundantia, ſummíſque deliciis, famem,nuditatem,ignominiam,& ex dolore, atque ſquallore tabem,& illuuiem.

Verſ.27. *Adulteria tua, & hinnitus tuus, ſcelus* 44.
fornicationis tuæ.] Hic per Zeugma repetendum eſt verbum *apparent,* quod proximè in alio membro poſitum erat. Tunc verò apparere dicuntur adulteria, hinnitus,& fornicationes, cùm pro illis ſontes pœnas exſoluunt. Cùm enim à iuſto, atque ſapiente iudice aliquis pro peccato ſupplicium pendit ignominioſum, & durum, graue tunc cognoſcit eſſe flagitium,quod admiſit. *Fornicatio* hic, vt alibi ſæpe apud hunc Prophetam, pro idololatria ponitur. *Hinnitus* effusã in idolorum cultum intemperantiam importat. Vt enim hinnitus in equa, quæ ardentiſſima prurire ſolet libidine, æſtum ingentem prodit inſanientis belluæ,quæ non ſolùm explet amatoriam ſitim, ſed etiam equos hinnitu ſuo cunctantes ſollicitat: ſic plebs illa Iudæorum non ſatis habuit idola coluiſſe ab aliis ſeducta, ſed etiam vltrò ad eorum aras, & cultum properauit. Vſus eſt eadem metaphora capite 10. cùm ſignificare vellet furentem aliorum libidinem. *Vnuſquiſque*(inquit) *ad vxorem proximi ſui hinniebat.*

Hinnitus quid?

Væ tibi Ieruſalem,non mundaberis poſt me.] Locum 45.
hunc difficilem reddit illud, *poſt me*, pro quo Hebraicè אחרי *achari*, quod in ſtatu regiminis eſſe poteſt, & tunc idem valet, quod *poſtea.* aut cum affixo, quomodo Vulgatus accepit, cùm expoſuit *poſt me.* Si priori modo legas, ſenſus eſt; non mundaberis poſtea, aut poſt hæc: ideſt, nequaquam

quã mundaberis.quod idem eſt,iuxta ſacræ Scripturæ conſuetudinem,diu eris in ſordibus:quod magis declarat,quod proximè ſequitur, *Vſquequò adhuc?* ideſt, quandiu hærebis in vitiorum tuorum fœda proluuie? Quòd ſi notam adhibeas interrogationis,in hanc ſententiam, *non mundaberis vnquam?* aut *aliquando poſtea?* ſenſus eſt magis

A expeditus.

Si Vulgati lectionem ſequare,legáſque, *poſt me,* ſenſus erit non adeò diuerſus, ſi cum interrogatione accipias hoc modo; nónne ſequens me conuerſa ab idolorum cultu ſordes depones? nónne curabis, meo tandem obſequio reſtituta, vt munda ſis: Hæc de capite decimotertio.

ARGVMENTVM CAPITIS XIV.

GRAVEM populo Dominus ſitim, atque ſterilitatem denunciat ab imbrium defectu: deinde orantem Ieremiam, vt mitiorem ſe in populum oſtenderet, ſupplicem repellit, edicítque, nihil de puniendi populi conſilio fore remittendum, atque ideo monet, vt à precando abſtineat. Nihilominus Propheta ſtragem ciuitatis ingentem contemplatus, orat, vt Deum populi ſua iam agnoſcentis peccata miſereſcat.

IEREM. CAP. XIV.

1. *QVod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam de ſermonibus ſiccitatis.*

2. *Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & obſcuratæ ſunt in terra, & clamor Ieruſalem aſcendit.*

3. *Maiores miſerunt minores ſuos ad aquã: venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, reportauerunt vaſa ſua vacua: confuſi ſunt, & afflicti, & operuerunt capita ſua.*

4. *Propter terræ vaſtitatem, quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua.*

5. *Nam & cerua in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba.*

6. *Et onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.*

7. *Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam mul-*

tæ

IN IDEM CAP. PARAPH.

B 1. VErbum Domini de ſiccitate, ac ſiti, quam accepit, denunciauítque populo Ieremias.

2. Luxir Iudæa, grauitérque condoluit, tum quia ab hoſte vehementer afflicta, tum propter ſterilitatem, ac maciem, quam imber diu deſideratus inuexit. Portæ, ideſt, præcipua ciuitatis propugnacula, corruerunr, obſcuratæ ſunt, ac viles, ac nulli iam ſicut antea fuerunt formidabiles. Denique ſic altè clamat, atque vlulat Hieroſolyma, vt longè ab omnibus audiri poſſit.

3. Miſerunr domini ſeruos aquatum extra ciuitatem, ſed fruſtra: cùm enim C neque in ciſternis, quę pluuiales continebant aquas, neque in fontibus quidquam reperiſſent, vaſa domum vacua retulerunt. Quare omnes graui aquarum inopia laborantes, quod in luctu fieri legitimè ſolet, caput operuerunt.

4. Ipſi etiam agricolæ, quia deficiente pluuia ex agro ſitienri, atque arido nullus ſperabatur fructus, mœrentes, & confuſi caput etiam velarunt.

5. Eò autem progreſſa eſt & pluuiarum ſitis, & agrorum macies, vt cerua recenti leuara partu, cùm ſiccis vberibus, D herbarum defectu fœtus ſuos alere non poſſet, in agro fame morituros reliquerit.

6. Onagri, qui ſitim difficillimè tolerant, cùm aquam non inuenirent, qua ſitim leuarent, rupes aſcenderunt, vt ventos, qui in eo loco magis ſunt ad refrigerandum opportuni, ſiccis venentur faucibus: quorum etiam oculi, deficiente pabulo, defecerunt.

7. Si peccatorum noſtrorum meritis dignum velis remetiri ſupplicium, nihil

erit

te ſunt auerſiones noſtræ, tibi peccauimus.

A erit nimium pro ſcelerum menſura; multæ namque ſunt auerſiones noſtræ, multa in te peccata commiſſa; quæ ſi nobis ex æquo reſpondiſſent, iampridem actum eſſet de vita noſtra. Sed tu, Domine, quid nomen tuum mitiſſimum deceat, non quid peccata noſtra mereantur, conſidera.

8. *Expectatio Iſraël, ſaluator eius in tempore tribulationis: quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?*

8. O ergo Domine, quem in tempore anguſto, atque ærumnoſo, ſaluatorem expectat Iſraël, quare rem noſtram turbari, atque vaſtari pateris, quaſi non ſis illius Dominus, qui illam tueri debeas, ſed colonus, qui non tam propria curat, quàm negligit, aut populatur hereditatem alienam;
B aut quaſi viator ſis; qui cùm exiguam moram ponat in eo loco, quem curſu peragrat, quid illi ſiue proſperum, ſiue aduerſum contingat, non laborat?

9. *Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non poteſt ſaluare? tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.*

9. Quare ſic te cum populo tuo ab alienis vehementer iactato geris, quaſi qui vagatur incerto conſilio, & quid faciat ignoret, in graui aliqua, atque inopinata rerum concurſione? Quare, cùm fortis ſis, & inſuperabili præditus virtute, talem te præſtas, cùm ab hoſte iactamur, vt ſaluare non
C poſſe videaris, quaſi in giganteo corpore antiqua fortitudo conſenuerit? Sed licèt noſtra negligere videaris, tamen nobiſcum es, & nos populus tuus, qui tuum imploramus, ac ſuſcipimus nomen. Tuam ergo poſſeſſionem, Domine, ne derelinquas.

10. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & viſitabit peccata eorum.*

10. Hæc Dominus ad populum, qui cùm ſit ingenio mobili, ac vario, nouis quotidie religionibus ſtudet, neque pedem in vna fixum, aut ſtabilem habet, neque quid Domino placeat, aut curat, aut cogitat. Nunc ergo illi pro meritis impoſito
D ſupplicio oſtendam me illius peccatorum non fuiſſe immemorem.

11. *Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo iſto in bonum.*

11. Et dixit ad me Dominus: Noli, ô Ieremia, orare, vt populo huic aliquid contingat, quod ſaluti, atque vſui futurum ſit: id enim non exorabis.

12. *Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: & ſi obtulerint holocauſtomata, & victimas, non ſuſcipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peſte conſumam eos.*

12. Cùm ieiuniis orationem adiunxerint, illorum preces non exaudiam: reſpuam holocauſta, & victimas, quas ad mea deduxerint altaria. Quin potiùs illos fame, gladióque conficiam.

13. *Et dixi, A a a, Domine Deus: Prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, ſed pacem veram dabit vobis in loco iſto.*

E 13. Tunc ego, inquit Ieremias, A, A, Domine dixi, Prophetarum hoc maximè peccatum eſt, qui in falſam ſpem coniiciunt credulam illam, atque ſtolidam gentem: à gladio namque & fame ſecuram eſſe iubent, immo pacem, & otium pollicentur.

14. *Et dixit Dominus ad me: Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.*

14. Tunc ad me Dominus: Falsò mendaciis ſuis meum prætexunt nomen illi Prophetæ: neque enim ego præcepi illis, aut à me docti ſunt, aut ad vaticinandum miſſi: ſomnia ſua vobis, viſionémque mendacem, diuinationem vanam, & animi ſui

15. Id

frau

A fraudulentas cogitationes pro Diuinis venditant oraculis.

15. Idcirco hæc dicit Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non miſi, dicentes: Gladius, & fames non erit in terra hac: in gladio & fame conſumentur Prophetæ illi.

15. Quapropter hæc dicit Dominus de Prophetis: Hi, quos cùm ego non miſerim, ipſi tamen ſuis ſermonibus Diuini nominis maieſtatem prætendunt, dicúntque nihil huic regioni à fame & ferro metuendum eſſe: hi, inquam, Prophetæ gladio cadent, & fame.

16. Et populi, quibus prophetant, erunt proiecti in viis Ieruſalem præ fame, & gladio, & non erit qui ſepeliat eos, ipſi & vxores eorum, filij & filiæ eorum, & effundam ſuper eos malum ſuum.

16. Populi verò, quos ipſi fallaci promiſſione decepêre, cum vxoribus, ac filiis, gladio conſumpti ac fame ſternentur in B viis, ac plateis Ieruſalem, neque vllus erit, qui ſepulturæ mandet. In quos ego effundam non pacem, & otium (quæ multùm erant in Prophetarum ore, longè tamen aberat ab illorum meritis, neque ad ipſos vllo modo pertinebant) ſed quod illorum proprium erat, ſuúmque meritò vocare poterant, famem videlicet, & gladium.

17. Et dices ad eos verbum iſtud: Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei, plaga peſſima vehementer.

17. Hæc tu, Ieremia, meo nomine annunciabis populo tuo, non pacem, & quietem, quæ non tam meo, quàm ſuo nomine prædicunt Prophetæ. Tunc ego, inquit Ieremias, in hunc modum populi calamitatem C lugubri lamento proſequutus ſum. Exundent oculi mei perenni lacrymarum fonte; neque die, ac nocte ceſſent à plorando, quia ciuitas mea Ieruſalem grauem accepit, & inſanabilem plagam.

18. Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiero in ciuitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque & Sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.

18. Quo me cunque conuerto, miſerabilis occurrit rerum ſpecies: ſiquis enim extra ciuitatem prodierit, ab hoſte, qui omnes obſidet vias, interimitur: ſi quis in ciuitate manſerit, fames illum attenuat, & extinguit. Sacerdos autem, & Propheta, à patria procul abducti ſunt in regiones longinquas, quas priùs ignorabant.

19. Nunquid proiiciens abieciſti Iudam? aut Sion abominata eſt anima tua? quare ergo percuſſiſti nos, ita vt nulla ſit ſanitas? expectauimus pacem, & non eſt bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio.

D 19. Nunquid abs te funditus abieciſti Iudam, vt illius omnino curam depoſueris? Aut tanquam aliquid execrabile faſtidio, atque odio tibi fuit Ieruſalem? Quare ergo nos illa percuſſiſti plaga, quam nulla poſſit ſanare medicina? Expectauimus pacem, & tempus, in quo laboranti Hieroſolymæ ſanitatem afferres; adhuc tamen turbamur, & affligimur, adhuc plaga tumet, & crudeſcit.

20. Cognouimus Domine impietates noſtras, iniquitates patrum noſtrorum, quia peccauimus tibi.

20. Si à dolente animo peccatorum confeſſionem exquiris, ecce iam, Domine, tam noſtras, quàm parentum noſtrorum E iniquitates agnoſcimus: tuam à nobis offenſam fuiſſe maieſtatem fatemur.

21. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam ſolij gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum.

21. Fateor, digni ſumus, quos omni ſuppliciorum acerbitate conficias, quibúſque hoſtes inſultent, & irrideant: ſed ne nomen tuum externis populis exiſtimetur vile, fac Domine, ne ſimus alienis gentibus opprobrio; & ne, dum noſtra punire vis peccata, antiquum ſolium gloriæ tuæ

A ignominioſè conculcetur, & polluatur ab hoſtibus. Recordare,quòd nobiſcum olim fœdus inieris,ſtante tabernaculo in medio noſtri, perpetuum nobis fore à tua benignitate præſidium.

22. Numquid ſunt in ſculptilibus Gentium qui pluant? aut cæli poſſunt dare imbres? nónne tu es Dominus Deus noſter,quem expectauimus? tu enim feciſti omnia hæc.

22. A quo enim alio incolumitatem, aut ſalutem ſperemus? An à Gentium idolis? At hi neque imbrem emittere, neque humanis vſibus prouidere poſſunt. An à ſignis, quæ in cælo ſunt, & pro diis à Gentibus coluntur? At ſicut neque ab his imbres,ſic etiam neque ſalutem expectamus. Ergo à te ſolo, Domine, ſalutem expectamus,à cuius hæc manu creata ſunt.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *De ſermonibus ſiccitatis.*]

1. HIc videtur titulus,& breuis quædam comprehenſio prophetiæ de fame, quam paſſus eſt Iudæorum populus ab offenſo Deo; qui pluuiam negauit,qua deficiente regio illa, quæ irrigua non eſt, ſed de cælo expectat imbrē,laborare vehementer ſolet. Conſumitur autem capitis bona pars, in deſcribenda agrorum ſiti, & ciuium fame. quod eleganter, & ſatis ad affectus accommodatè facit Propheta.

2. *Fames Iudæorum quo tempore.*
Eſt autem incertum, quo tempore hæc agrorum ſiccitas contigerit, an cùm obſeſſa teneretur ciuitas à Chaldæis,aut ante durum illum obſidionis articulum. Quidam accidiſſe putant, cùm vallata eſſet ciuitas, ita vt eodem tempore Iudæos & conficeret gladius, & extingueret fames. Ita cum Hieronymo putant complures alij:quia Iudæi fame obſidionem vrgente Chaldæo laboraſſe dicuntur. Ego alio quouis tempore accidiſſe puto hanc agrorum ſterilitatem, & ſitim, quàm obſidionis: defectus enim pluuiæ optandus eſſet magis ab obſeſſis, quàm lugendus: cùm magis ex Chaldæorum vſu futurus eſſet imber,quàm Iudæorum. Hi enim cùm clauſi tenerentur intra mœnia, neque ex agris vllam expectare poſſent commoditatem, cur pluuiam optarent, nihil erat:niſi fortaſſe aquas vellent ex imbre colligere; ſed fame laboraſſe dicuntur, non ſiti. At erat, cur cuperent ſteriles eſſe, & inutiles agros,ne quid ex ipſis caperet Chaldæorum exercitus. Accedit, quòd à maioribus auctoritate videlicet,aut potentia,minores ad quærendam aquam mittebantur, at nemo è mœnibus,obſidente hoſte, pedem efferre poterat, neque minores vacua referrent in ciuitatem vaſa, cùm mallent extra illam vtcunque viuere, quàm intra(quod neceſſarium videbatur) hoſtili ferro, aut fame, ſitique conſumi. Fames verò illa,quam paſſi ſunt obſeſſi, non tam ab imbrium inopia, quàm quia cibaria, longa obſidione conſumpta fuerant,prouenit.

3. Eſt autem veriſimile,ſiccitatem illam accidiſ-
B ſe,regnante Sedeciá,antequam Nabuchodonoſor copias ſuas ad mœnia ciuitatis admouiſſet; quia hæc duo non videntur admodum fuiſſe ſeparata, cùm hoc vno capite fuerint à Ieremia cōiuncta. In quo duas video proponi prophetias: alteram de cæde, atque ſtrage à Chaldæis illata, alteram de Iudæorum agris à pluuiarum defectu ſitientibus. Hanc ſuſpicor fuiſſe ſitim illam,de qua ſuprà capite 12.verſu 5. *Vſquequo lugebit terra,& herba omnis regionis ſiccabitur, propter malitiam habitantium in ea? Conſumptum eſt animal,& volucre,*&c.

4. *Lugeo,aliquid triſte ſonat in quacunque materia.*
Luxit Iudæa.] Verbum *lugeo*,calamitatem importat, à quacunque cauſa proueniat, ſiue à ſiccitate, ſiue à gladio. Quare hoc verbum tam ſterilitatem, quàm ſtragem ſignificare arbitror: C luget etenim terra, vitis, vindemia, cùm ſterilis eſt ager,vitis marcida, anguſta vindemia: lugétque ciuitas,cùm aut deſerta eſt, aut orbata ciuibus. De ſiccitate eſt illud Iſaiæ 24. *Luxit vindemia, infirmata eſt vitis*; de euerſa, aut orbata ciuitate,eodem capite verſu 4. *Luxit, & defluxit terra.* & capite 3. verſu 26. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius*, quia nemo per illas ingreditur: ſicut de viis Sion, olim frequenti viatorum concurſu calcatis,dicitur Threnorum capite 1. *Viæ Sion lugent,eò quod non ſint,qui veniant ad ſolemnitatem.*

5. Verſ.2. *Portæ eius corruerunt, & obſcuratæ ſunt in terra.*] In portis præcipua vis, & munimentum ciuitatum, vt alio loco diximus.quare corruere, D atque obſcurari portas nihil eſt aliud,quàm exciſis ciuitatum præſidiis, viles eſſe,ac nemini formidabiles ciuitates. Septuaginta, *vacuæ factæ ſunt*, ſenſu non admodum diuerſo, quia nemo ibi de more ſedet,aut per illas ingreditur,perinde atque ſi omnino deſertæ forent.

6. Verſ.3. *Maiores miſerunt minores ſuos ad aquam.*] Ciſternarum vſus multus erat in terra promiſſionis, quæ aquas colligebant pluuiales, vnde frequens ciſternarum nomen. Quare,cùm deficiente pluuia, exhauſtæ eſſent in vrbe ciſternæ, extra ciuitatem aquatum mittebantur ſerui,vt ex fontibus aquam,aut ex ciſternis, quæ extra pluuiales aquas continebant,aquam ad dominos referrent,

ferrent,ſed mittebantur fruſtra : neque enim mi- A
nùs fontes, quàm agri, aut vrbis ciſternæ ſitie-
bant. Hæc, vt dixi, ante obſidionis tempus vi-
dentur contigiſſe. neque enim laboraſſe ſiti, ſed
tantum fame dicuntur obſeſſi: neque minus à ſi-
ti paterentur Chaldæi, cùm etiam fontes extra
ciuitatem aruiſſent, vt aperte docent vaſa vacua,
quæ à ſeruis in vrbem relata ſunt. Neque con-
tra facit, quod de infantibus dicitur Threnorum
cap.4. *Adhæſit lingua lactantis in palatum eius in ſiti:*
ſitis enim lactantis non tam aquæ erat, quàm la-
ctis, quod ex arentibus matrum vberibus exu-
gere non poterant. Neque illud eiuſdem capitis,
Quoniam iſti (interfecti fame) *extabuerunt conſum-
pti à ſterilitate terræ.* Hebraicè enim pro *ſterilitate* eſt,
à fructibus terræ. nempe, deficientibus illis. Cùm B
verò agrorum prouentibus non fruerentur ob-
ſeſſi, perinde illis fuit terra abundans frugibus,
atque ſi eſſet ſterilis.

7. *Operuerunt capita ſua.*] Quemadmodum in lu-
In luctu caput obnubitur. ctu velantur capita, quæcunque occurrat lugen-
di cauſa, diximus alio loco pluribus. Sanè cùm
damnatus eſſet ad mortem Aman, caput illius
obuolutum eſſe dicitur Eſther cap.7. verſu 8. im-
mo cùm ægro fuit animo, propter inſperatam
Mardochæi gloriam, *feſtinauit ire in domum ſuam
lugens, & operto capite*, Eſther capite 6. verſu 13.
Iuxta hanc Hebræorum conſuetudinem, tam
qui aquam non inuenerunt, quàm ſtatim agrico- C
læ, quia nullum ex agro retulerunt fructum, ca-
put operuerunt.

8. Verſ.5. *Nam & cerua in agro peperit, & reliquit,
quia non erat herba.*] Similiter capite 12. omne pe-
cus, & volucre, in hac eadem, vt ſuſpicor, ſiccita-
te defeciſſe dicit. Vt autem Threnorum 4. lactan-
tes defeciſſe traduntur ſiti, nempe lactis, quia fa-
me penè conſumptę matres lac in vberibus alere
non poterant, quæ ſugerent infantes: ſic quia
ceruæ ſicca geſtabant vbera, neque recenti leua-
tæ partu, filios nutrire poterant, illos in agro
morituros relinquebant. Adducit autem ad
πάθος ceruæ potiùs, quàm aliorum anima-
Cerua, animal gratũ, & mite. lium exemplùm, quia cerua animal eſt gratum, D
quódque in deliciis ab hominibus lautis haberi
ſolet. Cui comparatur ſponſa, quæ & cerua dici-
tur chariſſima Prouerbiorum capite 5. vbi cer-
uorum hinnulus chariſſimus etiam appellatur,
cui in Canticis ſæpe aſſimilatur ſponſus. Quare
vt affectus vehementer moueat, periiſſe dicitur
recèns editus ceruus, quia propter herbæ ino-
piam maternis vberibus nutriri non potuit. Simi-
lem affectum excitare voluit Virgilius Ecloga 1.
cùm capreolos à matre relictos eſſe dixit, vtique
morituros:

——En ipſe capellas
Protinus æger ago: hanc etiam vix Tityre duco.
Hic inter denſas corylos modò namque gemellos,
Spem gregis, ah, ſilice in nuda connixa reliquit. E

9. Verſ.6. *Et onagri ſteterunt in rupibus, traxe-*
Onagri ſitis. *runt ventum quaſi dracones.*] De fame nuper in cer-
ua, de ſiti nunc in onagro, vtrunque profectum
ex pluuiæ defectu. Onagros difficillimè poſſe ſi-
tim tolerare, auctor eſt Plinius. Quare cùm aquã
non inueniunt, qua ſitim leuent, æſtúmque re-
frigerent, excelſas appetunt rupes, ibíque ventos
ſiccis venantur faucibus, quia magis ſunt frigidi,
& ad temperandum ardorem illum opportuni.
In hunc fermè modum explicant Interpretes, ne-
que credo plus ſumi lucis ab auctoribus poſſe.
Hoc verò facere etiam dracones, vnde ſumpta

A eſt ſimilitudo, docet hic locus. De onagri ſiti, vi-
de quæ diximus ſuprà capite 2. ad illud, *Onager aſ-
ſuetus.* de quorum ſiti Pſalmo 103. *Expectabunt
onagri in ſiti ſua.*

Verſ.7. *Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis.*] 10.
Apoſiopeſim hanc eſſe arbitror, quæ aliquid le-
ctori cogitandum relinquit; quod vulgare non
eſt, magíſque tacitum, quàm expreſſum ponderis,
ac ſignificationis habet. Quid autem hîc ſub-
audiri debeat, ex adiunctis non eſt conijectare
difficile: nempe, *nihil pro peccatorum menſura ni-
mium eſt.* aut, *plura nobis eſſent ſubeunda mala.* aut
aliquid ſimile. Reſpondere autem eſt, aut di-
gnam meritis compenſationem, aut dignum pec-
B catis ſupplicium remetiri, ita vt ſingulis iuxta
ordinem, & gradus, ſingula reſpondeant.

Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ 11.
ſunt auerſiones noſtræ.] Quia multa ſunt pec-
cata, ſi ipſa nobis ex æquo reſpondiſſent, iam
pridem actum eſſet de nobis. Sed tu, Domine,
quid nomen tuum mitiſſimum deceat, non quid
peccata noſtra clament, conſidera. Exoret ergo
à tua bonitate veniam noſtra calamitas, potiùs
quàm iniquitas noſtra à tua indignatione ſuppli-
cium extorqueat.

Verſ.8. *Expectatio Iſraël, ſaluator eius in tempore* 12.
tribulationis, quare quaſi colonus futurus es in terra, & *Deus affligi patitur ſuos, quaſi non curet.*
quaſi viator declinans ad manendum?] Cùm videret
C Propheta, quid impenderet mali genti ſuæ, orat,
vt meminerit nominis, atque officij ſui. Eſt enim
Iſraëlis expectatio, quia ab illo ſalutem ſibi, ac
libertatem expectat Iſraël. Eſt in tempore, quo
anguſtiùs premit tribulatio, Iſraëlis ſaluator, quí-
que in Iſraële certum ſibi domicilium, quaſi ipſe
Iſraëlita quoque foret, locauit. Queritur ergo
Propheta, quòd non quaſi Dominus hæreditatis
illius, tractarit populum illum Deus, ſed quaſi
colonus, atque mercenarius, qui non tam curat
poſſeſſionem propriam, quàm aut negligit, aut
populatur alienam. Eò enim ſpectant coloni
conſilia, vt fructus capiat fundi, quem mercede
conduxit, an verò poſtea pereat, inutiliſve fiat,
D nihil habet penſi. Et quemadmodum viator,
quia nullam ponit moram in eo loco, quem cur-
ſu peragrat, quid illi ſiue proſperi, ſiue aduerſi
contingat, non laborat: neque attentè conſiderat
quid in illo fiat, aut fieri debeat, quia ibi nihil
proprium agnoſcit; ſed tantùm vnius mortis
quærit hoſpitium: ſic Deus nihil curaſſe videtur
de Iſraëlitide gente, ſed illam tantùm ſpectaſſe
properante oculo, cùm illam tam durè vexari ab
hoſte, tam inclementer à cælo vaſtari videat.

Hæc omnia non tam de Deo, quàm de Chri- 13.
ſto quidam interpretantur, in quibus ſunt Am-
broſius in Symbolum Apoſtolorum, capite 30.
Tertullianus libro 3. contra Marcionem, capite
6. & ex Interpretibus non pauci. Et re vera *Chriſtus quaſi colonus.*
E Chriſtus quaſi colonus fuit, & peregrinus in ter-
ra: neque enim quicquam habuit in illa, vbi ca-
put reclinaret ſuum. Sed ſi attentè caput intuea-
re, conſtabit, credo, perſpicuè, hæc accipienda
eſſe de Deo: multa enim, quæ ſequuntur, in Chri-
ſtum minimè conueniunt. & ita putant Hiero-
nymus, ſanctus Thomas, Theodoretus, & alij;
quod etiam Maldonato placet, & Caſtro.

Verſ.9. *Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis,* 14.
qui non poteſt ſaluare?] Pro vago Hebraicè eſt נדהם
nidham, quod Septuaginta conuertunt, *dormiens*,
alij, *ſtupefactus*, & *attonitus*. Quòd ſi *vagus* eſt, idem Rom.
eſſe videtur, quod *peregrinus*, & *viator*, de quo pro-

ximè. Si *attonitus*, aut *ſtupefactus*, quaſi vnus cenſetur de populo, qui ſtupefactus grandi illa, atque inopinata calamitate, in omnem ſe partem, atque conſilium verſat, quid faciat, aut optet incertus. Quare idem eſt attonitus, & vagus. Pro forti, Hebraicè eſt גבור *guibor*, quod robuſtum, & gigantem valet, quod nomen in Dei potentiam maximè quadrat. Dicebatur autem Deus fortis, bellator, Deus exercituum, ſeu virtutum. Ait ergo Propheta, Deum dum populum ſuum ab aliis malè mulctari ſinit, videri ſibi fruſtra arrogare robuſti nomen, certè ita poſſe à Gentibus iudicari. Quod ne accideret, Moyſes olim optabat, eóque ſtudio dicebat Domino Numerorum capite 14. ver. 16. *Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxiſti populum tuum, & habitatores terræ huius* (nempe, quòd occideris) *& dicant, non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat; idcirco occidit eos in ſolitudine.* & idem nunc optare videtur Ieremias.

Hic credo ſenſus eſt, ſed alium accipe, quem ſumo ex hominum opinione, qui non aliter de Deo, quàm de hominibus iudicare ſolent. Quare ſicut in ſenectute languere vident, atque deficere giganteum priùs in hominibus robur: ſic in Deo putant laſſari vires, & neruos diſſolui in ſenectute, quam in Deo eſſe turpiter opinantur. Quare ſicut Entellus apud Virgilium libro 5. Æneid. dicebat de ſe:

—gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigéntque effœtæ in corpore vires.

idem Euander Æneidos octauo:

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos.

ſic putare poſſent Gentes, fortem olim Deum, languentibus in ſenili, atque effœto corpore viribus, ſalutem afferre non poſſe laboranti populo, quem antea per mille diſcrimina in terram promiſſionis induxerat. Quod licèt quàm longiſſimè abſit à Domini ſempiterna virtute, ita tamen ſe Deus in populum gerebat, quaſi virtus illa in longæuo corpore conſenuiſſet.

Tu autem in nobis es, Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos.] Licèt colonus videaris, atque viator in terra Iuda, parúmque curare quomodo, & quandiu iactetur fortuna noſtra, tamen nobiſcum es, & nos populus tuus ſumus, tuúmque audimus, & ſuſpicimus nomen; igitur poſſeſſionem tuam, quam tuo conſignaſti nomine, ne derelinquas.

15. Verſ. 10. *Qui dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit.*] Hæc iam verba ſunt Dei ad populum, & hinc iam ſecunda inchoatur prophetia, de cæde, exilióque Iudæorum. Loquitur autem ad populum idololatram, quíque vt erat ingenio inſtabili, ac vario, nouis quotidie religionibus ſtudebat; neque pedem in vna aliqua fixum, atque ſtabilem habuit: id enim eſt, *dilexit mouere pedem.* quaſi hinc inde in omnem religionem vagus erraret. De multitudine deorum, quos coluère Iudæi, diximus ſuprà capite 11. verſ. 10.

16. Verſ. 11. *Noli orare pro populo iſto in bonum.*] Durum planè verbum, prohiberi quemquam orare pro alio in bonum. ideſt, nequis roget, quod alteri ſaluti futurum ſit. At iubere, aut permittere, vt in malum quis oret, & perniciem alterius, longè durius. Id autem Deus videtur indicare his verbis. Sic enim pro populo orare vetat in bonum ipſius, vt in malum aliquid orare concedat. Orant autem Sancti, precantúrque malum aliis, vt in Pſalmis ſæpe, atque in Prophetis vides. Illæ verò prædictiones ſunt potiùs, quàm execrationes, emendationémque ſpectant magis quam interitum. Atque adeò, qui ſic orat, ſi rectè res pendantur, orat in bonum. Quomodo Iſaias capite 26. Oſeas capite 9.

Orationem impedire, grauis offenſionis eſt.

17. Verſ. 13. *A, A, A, Domine Deus. Prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis.*] Patronum agit, & deprecatorem Ieremias, atque ideo culpam eleuat populi, & in Prophetas confert, qui in falſam ſpem coniiciunt credulam illam, & ſtolidam gentem: dixerunt enim, nunquam venturum gladium, & famem (quæ duo mala nunc à Deo per Ieremiam audit) immo pacem, & otium pollicentur. Quod ſæpe repetit Ieremias, & eorum ſiue adulatoriis, ſiue nugatoriis verbis communem illam cladem aſcribit.

18. Verſ. 16. *Effundam ſuper eos malum ſuum.*] Promittebant Prophetæ falſi populo quietem, & pacem, forèque dicebant à fame, gladióque ſecurum. Sed ipſi fingebant potiùs oracula, quàm accipiebant à Deo: neque enim à Deo mittebantur, aut afflati à Deo fundebant meras illas nugas, atque deliria. Erat itaque populi ſpe vana deluſi ſors, & quaſi poſſeſſio; non pax, & otium, ideſt, bonum; ſed fames, & gladius, ideſt, malum. Ait ergo Dominus, dum verum oraculum fallacibus opponit nugis, accepturum populum illum, quod ipſorum proprium eſt, malum, de quo toto hoc capite; non illud bonum, quod falſi promittunt Prophetæ, quod ad ipſum nullo pertinet modo, neque ſuum appellare poteſt.

19. Verſ. 17. *Et dices ad eos verbum iſtud.*] Hîc ego punctum ſtatuo, referóque ad id, quod anteceſſit, in hunc ſenſum: Dices ad populum, & Prophetas verbum, de quo modò; venturum nempe ad eos gladium, & famem; neque quicquam futurum illorum, de quibus ſibi falsò blandiebantur.

20. *Deducant oculi mei lacrymas per noctem, & diem.*] Vbi Propheta paratum eſſe videt ſuæ genti ſupplicium, neque flecti, aut lenire poſſe Dei offenſionem, ſibi ipſi lacrymas die ac nocte, ideſt, iugiter manantes indicit.

21. Verſ. 18. *Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiero in ciuitatem, ecce attenuati fame.*] Cauſam reddit, cur lamentari continenter debeat: nam quò ſe cunque conuerterit, miſerabilis occurret rerum ſpecies. Si quis enim extra ciuitatem quærendi cibi cauſa prodiret, ab hoſte, qui omnes obſederat vias, obtruncabatur: ſi quis in ciuitate maneret, illum fames miſerandam in ſpeciem extenuatum extinguebat: horum mors longè crudelior, vt idem docuit Ieremias Threnorum capite 4. verſu 9. *Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame.*

22. *Propheta namque, & Sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.*] Hæc de veris Prophetis, & Sacerdotibus intelligenda: neque enim erat, cur tantopere doleret Ieremias, quòd falſi Prophetæ, qui in fraudem, & exitium populum induxerant, in alienis regionibus exularent. Fuerunt autem in Babylonem abducti Ezechiel, & Daniel. Sed fortaſſe Prophetæ hoc loco dicuntur, non tam qui futura prædicunt, quíque propriè nuncupantur Prophetæ, quàm qui Diuinis laudibus in templo vacabant. Hos enim Prophetas quoque dici ſatis à Scriptura facta docemur. 1. Paralipomenon 25. Aſaph, & Eman dicuntur prophetaſſe in citharis, & 1. Corinthiorum 11. de mulie-

Propheta, qui laudat Deum.

1.Cor. 11.

mulie

mulieribus dicitur: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum.* Cui cogitationi fauet, quòd cum Sacerdotibus Prophetæ hoc loco coniunguntur, quorum illi orare, & ſacrificare, hi verò laudes cantare Diuinas conſueuerunt.

23. Verſ. 21. *Neque facias nobis contumeliam ſolij gloriæ tuæ.*] Solium gloriæ dici poteſt Ieruſalem, quia ibi Deus domicilium ſibi, thronúmque conſtituit. De qua Chriſtus Matthæi, capite 25. *Non iurabis per Ieruſalem, quia thronus eſt magni Regis.* & ſupra capite 3. *In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini.* Qui loquendi modus non abhorret à vulgari, qui ciuitatem illam, quæ regni caput eſt, & in qua Princeps plurimùm habitat, ſedem appellat Principis. Quo modo Roma Pontificis ſummi, Regis Hiſpanorum Madritum, Galliarum Lutetia, ſedes appellatur. Dici etiam poteſt templum Dei ſolium, & hoc potiùs, quia in illo arca eſt, vbi Deus ſedere dicitur in medio Cherubim. Et ita communiter accipiunt cum Hieronymo expoſitores alij. Quid autem hîc oret Propheta, non omnino certum: ſi ita diſtinguas cum Hieronymo, & aliis non paucis, *Neque facias nobis contumeliam: ſolium gloriæ tuæ recordare.* Senſus eſt facilis: interponit enim Propheta Dei ſolium, vt à populo ſuo Deus illam auertat contumeliam. Si verò ea ratione diſpungas, quo modo nunc communiter, & in codicibus legitur à Sixto correctis, duplex poteſt eſſe ſenſus: alter eſt, Ne tantam nobis contumeliam irroges, vt templo priuemur, quod gloriæ tuæ ſolium eſt: alter, Ne quæſo, dum noſtra peccata punire vis, ignominiam ſubeat antiquum ſolium gloriæ tuæ, quod ab hoſtibus impio pede calcabitur, & iniquiſſimis modis polluetur. Et hunc indicant Septuaginta, dum vertunt: Ne perdas ſolium gloriæ tuæ.

Ieruſalem, ſolium Dei.

Ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum.] Fœdus 24.
hoc videtur illud, quod habes Leuitici capite 26. verſu 21. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri: & non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vóſque eritis populus meus.* Hæc de capite decimoquarto.

ARGVMENTVM CAPITIS XV.

NEGAT Deus quicquam eſſe de ſua indignatione remittendum, etiamſi illorum intercedat, atque vrgeat oratio, quorum ad impetrandum vis exiſtimatur eſſe maxima; quin potiùs ſuperiores ingeminat, & confirmat minas. Quam ob cauſam ſe ipſum lamentatur Ieremias, quòd propheticum habeat ſpiritum, iubeatúrque grauia populo nunciare, propter quæ odium ſibi à Iudæis, & inuidiam conflauit. Quem conſolatur Dominus, dum ait, quòd in odio ſit Ieremias apud alios, ex eo eſſe, quòd illorum mores, atque ſtudia diſsimillima ſint, neque inter ipſos vllo modo conuenire poſsit. Accedit ad extremum quædam Prophetæ ad Deum expoſtulatio, quòd cùm ipſe Deo in prophetali munere fideliter ſeruierat, minùs Deus fideliter reſpondiſſe videatur; quem Deus hortatur, vt in ea conſtantia perſeueret, ſuúmque illi in omnibus patrocinium promittit.

IEREM. CAP. XV.

1. *ET dixit Dominus ad me: Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eiice illos à facie mea, & egrediantur.*

2. *Quòd ſi dixerint ad te: Quò egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. ORare noli, ô Ieremia, neque nomen meum, aut templi ſanctitatem obtendere. Nam etiamſi Moyſes, aut Samuel, qui non minùs olim, quàm tu pro eiuſdem populi ſalute laborarunt, orantes intercedant, nihil exorabunt, quia iam populum iſtum alienum reputo, & à paterna cura prorſus excludo. Dic ergo, illos à conſpectu meo fore repellendos, & à ſuis finibus egreſſuros.

2. Quòd ſi rogauerint, quam in partem ipſis ſit excedendum, dices ad illos, pro ſuis quemque meritis, in locum ſibi à Domino deſtinatum fore profecturum, alium ad peſtem, alium ad ferrum, alium ad exilium.

3. Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus: Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & beſtias terræ ad deuorandum, & diſſipandum.

4. Et dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ: propter Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda, ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem.

5. Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?

6. Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorſum abiiſti, & extendam manum meam ſuper te, & interficiam te: laboraui rogans.

7. Et diſpergam eos ventilabro in portis terræ: interfeci, & diſperdidi populum meum, & tamen à viis ſuis non ſunt reuerſi.

8. Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris: induxi eis ſuper matrem adoleſcentis vaſtatorem meridie: miſi ſuper ciuitates repentè terrorem.

9. Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima eius: occidit ei ſol, cùm adhuc eſſet dies: confuſa eſt, & erubuit: & reſiduos eius in gladium dabo in conſpectu inimicorum eorum, ait Dominus.

10. Væ mihi mater mea, quare genuiſti me, virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi.

11. Di

A 3. Ego enim ex meis armamentariis, quæ mihi ſemper ad manum ſunt; tela depromam: ſed præcipuè quatuor armorum genera, quæ in gentem illam ſceleratam intorqueam, nēpe ferrum ad cædem, canes ad lanienam, beſtias de terra, & de cælo volucres, quæ carpant, deuorent, & in omnem locum latè diſpergant.

4. Et faciam, vt hoſtili odio omnes terræ prouinciæ ferueant, atque ardeant in Iudæorum genus, quarum ego furori illud lacerandum permittam, propter pec- B cata, quæ ad Manaſſæ Ezechiæ filij ſimilitudinem, & exemplum ſcelerata poſteritas commiſit in Hieroſolymis.

5. Quem tui miſerebit, ô Ieruſalem? Quis tecum, aut pro te dolebit? Quis pro pace tua curam, aut laborem ſuſcipiet?

6. Indigna planè es, pro qua quiſquam ſupplex intercedat: tu enim à me defeciſti, & ab eo, quod ſeruare debueras, retrogreſſa es. Extendam igitur infenſam manum contra te, & interfecta cades. Iam enim diu rogans te, vt à peccato reſipiſcas, defeſſus ſum.

C 7. Diſperſi ad vltimos vſque terræ fines, ſicut à ventilabro diſſipantur ſtipulæ, interfeci, ac perdidi populum meum: neque ideo tot affectus incommodis, à via ſua peſſima conuerſus eſt.

8. Ea fuit hominum cædes, vt ſublatis viris, viduæ eorum vxores relictæ fuerint ſupra arenam maris: neque minùs à liberis orbatæ ſunt matres, in quorum filios vaſtatorem inuexi ita robuſtum, & audacem, vt ad illorum cædem non nocturnas captaret inſidias, ſed palàm in meridie rem D aggrederetur; ſubitò denique ciuitates alias paubre turbaui.

9. Quæ ſe numeroſa ſobole circunfuſam paulò antè viderat; eadem ſe nunc cum rubore deſertam dolet, & infirmam, atque ita exanimatam, vt propemodum defecerit: ita inopinatus obrepſit filiorum interitus, & ex eo conceptus animi dolor, ſicut ſi ſol in meridiana luce repentè deficeret. Sed & adhuc ad plura ſe extendit indignatio: nam ſi qui ex communi E clade reliqui fuerunt, eos ſpectantibus hoſtibus neci dedam.

10. Væ mihi (ait Ieremias, qui dura iubetur annunciare, propter quæ contribulium ſuorum odium incurrit) væ, inqtit, mihi, ô mater, ad quam de fortuna mea queror, quod pueri faciunt. Quare natus ſum quaſi rixæ, atque diſcordiæ deſtinatus in vniuerſa terra Iuda? nemo me congreſſu, nemo commercio dignatur: omnes meum aſpectum euitant, omnes conuitiis, ac maledictis proſequuntur.

11. Tunc

11. *Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum, ſi non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis adverſus inimicum.*

A. 11. Tunc ad me Dominus: Niſi tibi, ô Ieremia, in reliquum adfuero, vt bonum rebus tuis ſucceſſum contra inimicos præſtem, vt principiò promiſi, niſi me tibi ſocium adiunxero, tribulationis tempore, in quo duriùs te inimicus exagitat, non recuſo quin me fallacem voces, & infidelem.

12. *Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs?*

12. Neque eſt, cur te conturbet, ô Ieremia, quòd te Iudæi odio proſequantur hoſtili: vt enim ferrum, & æs, ideſt, ferreum, æreúmve Iudæorum pectus, cum B ferro, & ære Aquilonis, ideſt, ferreo Chaldæorum animo adglutinari nequit, de quo ſæpe loquutus es; ſic neque tibi cum Iudæis vlla poteſt eſſe ſocietas, cùm tu animum habeas conſtantem, & ferreum ad annunciandum; illi obſtinatum, & durum ad reſiſtendum.

13. *Diuitias tuas & theſauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis.*

13. Nunc ad te redeo, gens Iudaica, de cuius exitio agere inſtitueram. Diuitias tuas hoſtes diripient, abducéntque, negotio vſque adeò facili, vt gratis, & ſine vllo labore, ac ſumptu abſtuliſſe, C videantur, propter peccata omnia, & impias aras, quas in omnibus finibus tuis excitaſti.

14. *Et adducam inimicos tuos de terra, quam neſcis: quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ſuper vos ardebit.*

14. Euocabo inimicos, ac prædatores tuos de terra, quæ non eſt tibi vnquam explorata, & furor meus inſtar ignis ſuccenſus, in veſtrum exitium inflammabitur.

15. *Tu ſcis Domine, recordare mei, & viſita me, & tuere me ab his, qui perſequuntur me, noli in patientia tua ſuſcipere me: ſcito quoniam ſuſtinui propter te opprobrium.*

15. Tu ſcis, Domine, inquit Ieremias, quæ propter te incommoda pertulerim, vt ferreo Iudæorum pectori ferreum ego pectus oppoſuerim. Recordare igitur mei, & me ab inimicorum meorum furore de- D fende. Suſcipe me, atque ita ſuſcipe, vt non diu differas auxilium. Vide, quemadmodum dura pertuli, atque opprobrium ſuſtinui; neque tamen ideo prophetale munus intermiſi.

16. *Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei: quoniam inuocatum eſt nomen tuum ſuper me Domine Deus exercituum.*

16. Cumprimùm ſermones tuos accepi, grati mihi fuerunt, & iocundi, quia cùm te Deum meum agnoſcam, & colam, nihil abs te mihi mandari potuit non decorum.

17. *Non ſedi in concilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ: ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me.*

17. Cùm abs te primùm ſpiritu afflatus ſum prophetico, feci id, quod à me E tantùm illud munus requirebat. Abſtinui à riſu, neque me vnquam dedi in nugatorum turbam; neque ſpiritu nobilitatus prophetico gloriatus ſum, & elatus ſuperbè. Solus ſedebam, & triſtis, quia dura, mináxque prophetia animum meum totum occupauit.

18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.*

18. Quare igitur dolor tua cauſa ſuſceptus nullum habet quietis leuamentum? Quare plaga eò deducta, vt nulla videatur ſanari poſſe medicina? Sanè quod

A mihi ſolatio, ac paci futurum putabam, dolori fuit, & ſicut infidelis aqua, tunc me deſeruit, quando illius erat magis vrgens neceſſitas.

19. Propter hoc hæc dicit Dominus: Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis: & ſi ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris: conuertentur ipſi ad te, & tu non conuertêris ad eos.

19. Ad hæc Dominus, ſi quod facere inſtituiſti, ô Ieremia, te à ludentium cœtu conuerteris, ego quoque conuertam, ac liberabo te ab his incommodis, quibus te propoſitum eſſe quereris. Et ad hæc efficiam, vt ſtes coram me, ſicut ante domini faciem ſtare ſolent, qui in magna apud illos gratia ſunt. Si te, inquam, ſeparaueris, quod Prophetam decet, à nugato-
B rum cœtu, quod perinde eſt, atque ſi pretioſum, & purum à vili, ſordidóque ſecernas, accipies à me oracula, loquêris verba mea, & eris quaſi os meum, quia tu iiſdem, quibus ego, ſermonibus vteris. Inſuper id quoque largiar, vt illi, quos times, ſupplices ad te veniant, potiùs quàm vt tu illorum gratiam ſupplex conciliare ſtudeas.

20. Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem: & bellabunt aduersùm te, & non præualebunt: quia ego tecum ſum vt ſaluem te, & eruam te, dicit Dominus.

20. Quò autem illorum faciem, aut vires non formides, tanquam æreum mu-
C rum, vt in principio promiſi, eorum machinationibus opponam. Pugnabunt quidem contra te, ſed eris illis longè potentior: adero quippe tecum in eo congreſſu, dicit Dominus, & ab omni te periculo incolumem præſtabo.

21. Et liberabo te de manu peſſimorum: & redimam te de manu fortium.

21. Liberabo te de inuidorum, ac peſſimorum ſtudiis, ne calumniis, ac fraudibus euertere; & de fortium manibus, ne poſſint armis te, ac viribus opprimere.

IN CA

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Et dixit Dominus ad me: Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*]

1. *Bonorum preces cur aliquando non exorãt.*

VSQVE adeò Dominus Ieremiam non audit orantem pro populo; vt etiam neget, quidquam habituras eſſe apud ſe momenti Moyſis, atque Samuelis preces, ſi populi, ac templi ſuſcipere voluerint patrocinium. Statuit etenim Deus mulctare gentem illam, cui cogitationi neminem occurrere vult; quia iam alienam illam reputat, neque ad ipſam paterno afficitur, aut amico animo; aut de illius commodis ampliùs, vt antea laborat.

2. *Samuelis & Moyſis cur oratio potentior.*

Cur Deus maximè Samuelis meminerit, & Moyſis, potiùs quàm aliorum, cùm tamen alij fuerint ſanctitate, ac meritis non inferiores, variæ à variis rationes adducuntur. Illa à quibuſdam adducitur, quòd ex omnibus antiqui Teſtamenti Principibus, hi duo reperiuntur pro ſuis perſecutoribus oraſſe. Nam Moyſes, cùm parum abeſſet, quin lapidaretur à populo, Exodi 17. orauit tamen pro illo eo ſtudio, atque animi conſtantia, vt diceret Exodi 32. verſu 31. *Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti.* Et Samuel, cùm à populo eſſet è ſede regiæ proxima depulſus 1. Regum 8. cui Dominus dixit: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*; tam longè tamen fuit, vt illorum ſalutis curam abiecerit, vt ſcelus eſſe duceret; pro illis non oraſe: quare 1. Regum 12. imploratus à populo reſpondit: *Abſit autem à me hoc peccatum in Domino, vt ceſſem orare pro vobis*, 1. Regum 12. verſu 23. ita putat Gregorius libro 9. Moralium cap. 12. & 13. quem ex Interpretibus ſequuntur Rabbanus, Hugo, & Maldonatus.

3. *Inimicorum venia, maxima ad orationem diſpoſitio.*

Obſeruat autem capite 13. Gregorius, orationem illorum plurimum apud Deum habere momenti, qui pro inimicis preces interpoſuerunt. *Conditoris* (inquit) *auribus maximè illa oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Vnde & per ſemetipſam veritas dicit, Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Et paulò pòſt: *Quid eſt ergo, in difficultate deprecandi, Moyſem, & Samuelem deducere, niſi apertiùs indicare, quia eius ira neque illis, ſi aſtarent, obſiſterent: qui idcirco pro amicis interuenire citiùs poſſent, quia apud hunc intercedere, & pro inimicis ſolerent?*

4. Verùm hæc ratio non omnibus probatur, quia alij etiam pro inimicis orarunt; vt Aaron, qui etiam ſacrificiis Deum placare ſtuduit pro populo, qui contra ipſum murmurauerat, Numerorum 16. Quod etiam Abraham pro Abimelech, Geneſis 20. verſu 17. & Eliſæus pro Syris, 4. Regum capite 6. Quare alia adducitur communiter ab Interpretibus, quæ magis videtur facere ad præſens inſtitutum, & tempus; in quo id molitur Ieremias orando, vt ardentem animum, appetentémque vindictæ ad miſericordiam inflectat, diſtrictúmque ferrum à vulnere retardet. Quod conſecutus eſt Moyſes Exodi A 32. Nam, cùm Dominus dixiſſet: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*; Moyſes ſic ſe oppoſuit Diuinæ offenſioni, vt æſtuantem ad vindictam animum temperaret. De quo ſtatim: *Placatúſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Conſequutus item Samuel 1. Regum 12. Nam, cùm fulgurante, atque tonante cælo, & nihil non horribile minante, populus graui concuteretur metu, dixiſſet Samueli: *Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur*; reſpondit Samuel: *Abſit à me hoc peccatum à Domino, vt ceſſem orare pro vobis.* Hanc expoſitionem probant, ſequuntúrque Hieronymus, Theodoretus, ſanctus Thomas, & plures alij ex Interpretibus; quibus accedit Chryſoſtomus homilia 1. in epiſtolam ad Theſ- B ſalonicenſes, vbi hac de re eloquẽter, & grauiter. Erit ergo ſenſus huius loci: Noli, ô Ieremia, te ipſum orando fruſtra conficere: noli orationi tuę plura tribuere, quàm illorum, quorum ardor fuit in orando maximus, & vis ad impetrandum potens: nam, ſi illi nunc ſe pro gentis huius ſalute precatores opponerent, nihilo audirentur benigniùs.

Dixit idem in eadem propria cauſa Dominus Ezechielis capite 14. adduxit tamen in exem- 5.
plum tres alios viros, Noë, Iob, & Danielem, quorum precibus nihil ſe daturum dicit., quod ad ſalutem, libertatémque pertinet populi, qui de meliori vitæ moderatione non cogitat. Sed C cur eo loco trium horum virorum præſertim meminerit, alia eſt ratio, quam explicare non eſt huius loci.

6. *Oratio illis inutilis, qui de corrigenda vita nõ laborat.*

Illud non omittendum, tam apud Ieremiam, quàm apud Ezechielem preces, Deo ipſo teſte, vim habere nullam ad exorandum; quia populus, pro quo tanto ſtudio à Propheta funduntur, de vitæ meliori fruge non laborat. Anteceſſerat apud Ezechiel c. 14. ver. 7. *Conuertimini, & recedite ab idolis veſtris: & ab vniuerſis contaminationibus veſtris auertite facies veſtras.* (Ezech. c. 14.) Quaſi dicat: Tunc fames ceſſabit, & gladius. Quòd ſi hærere in peccatorum cœno volueritis: *Et Noë, Daniel, & Iob fuerint in medio veſtri, viuo ego, dicit Dominus, quia filium, & filiam non liberabunt.* Hoc idem ſpectare li- D cet apud Ieremiam: nam cùm præceſſiſſet, *Si ſteterint Moyſes, & Samuel*, &c. cauſa redditur verſu 6. *Tu reliquiſti me, dicit Dominus* (ad populum) *retrorſum abiiſti: & extendam manum meam ſuper te, & interficiam te: laboraui rogans.* & verſ. 19. *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis.* Tractauit hoc argumentum optimè Chryſoſtomus ſuprà, vbi oſtendit, Sanctorum preces valere plurimùm: expedire tamen, vt pro ſua parte etiam laborent, qui iuuari ſe volent interceſſione aliena. Quem locum, quia grauiſſimus eſt, & tanto Doctore digniſſimus, & quia tam Ieremiæ, quàm Ezechielis verba luculenter explicat, libuit, totum in

in hanc partem conferre. *Si nos ipſi in virtutis ſtudio ſeduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis. Audi, quid Paulus dicat: Noui enim, inquit, quòd hoc mihi cedet ad ſalutem, per veſtram precationem, ac ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti.* Et iterum: *Simul adiuuantibus & vobis per deprecationem pro nobis, vt ex multis perſonis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis. Et tu dicis, quid opus mihi eſt aliorum precibus? Si verò deſides fuerimus, nemo nos iuuare poterit. Quid profuit Ieremias Iudæis? An non tertiò pro illis Deum interpellauit, & viciſſim tertiò audiuit: Neque oraueris, neque obſecraueris pro populo iſto: non enim exaudiam te? Quid Saülem iuuit Samuel? An non ad extremum vſque diem lugebat illum, non tantùm obiter precabatur? Quid profuit Iſraëlitis? Non dicebat: Mihi verò abſit ita delinquere, vt ceſſem pro vobis orare? Non omnes perierunt? Nihil proſunt, inquis, preces? Proſunt plurimum. Sed quando & nos aliquid ſategerimus. Adiuuant enim, & auxiliantur. Adiumento autem quis, & auxilio ei demum fuerit, qui & ipſe operatur. Si verò deſes, & otioſus manſeris, non magnopere iuuaberis. Alioqui ſi preces tantum poterunt, vt nos quãquam deſides, & otioſos in regnum inducant, quamobrem non omnes Græci Chriſtiani ſunt? An non pro vniuerſo mundo oramus? Non & Paulus hoc fecit? non oramus, vt omnes conuertantur? Quî fit, quòd mali non redduntur boni? Quod nihil de ſuo adferunt. Plurimùm igitur proſunt preces, ſed quando & nos, quod noſtrum eſt, fecerimus. Vis diſcere, quantùm proſint preces? Conſidera mihi Cornelium, & Tabitham. Audi quoque, quid Iacob dicat ad Laban: Niſi adfuiſſet mihi timor, inquit, patris mei, iam vacuum me dimiſiſſes. Audi rurſus & Deum dicentem: Protegam, inquit, ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Sed hoc dixit, cùm eſſet Ezechias Rex iuſtus. Nam alioqui, ſi efficaces ſunt pro vehementer quoque malis factæ preces, quare non dixit hoc Deus, etiam cùm Nabuchodonoſor illos adoriretur, ſed ciuitatem hanc tradidit? Ideo ſcilicet, quòd plus potuerit illorum malitia. Rurſus idem ipſe Samuel pro Iſraëlitis orauit, & efficax fuit precatio. Sed quando? Quando & ipſi bene placebant, & quieſcebant, tunc & hoſtes vincebant. Et quæ neceſſitas eſt, inquis, vt alius pro me oret, ſi ipſe bene placuero? Nunquam hoc dixeris, homo. Neceſſe eſt, & multa prece neceſſe eſt. Etenim audi, quid Deus de amicis Iob dicat: Et orabit, inquit, pro vobis, & remittetur vobis peccatum veſtrum. Peccauerant enim, verùm non adeò magnum peccatum. Sed idem ipſe iuſtus, qui amicos ſuos precationis beneficio ſeruauit, tempore Iudaico ſeruare non potuit Iudæos pereuntes. Et vt hoc diſcas, audi quid per Prophetam dicat Deus: Si ſtarent Noë, Iob, & Daniel, non liberarent filios ſuos, ac filias: inualuerat enim malitia. Et iterum: Si ſtaret Moſes, & Samuel. & vide, quomodo duobus Prophetis iſtud dicatur. Nam vtrique pro illis orauerant, ſed nihil aſſequuti fuerant. Etenim Ezechiel inquit: Hei, Domine, deléſne reliquias Iſraëlis? Deinde, vt declaret illi Deus, iuſtè ſe hoc facere, oſtendit ei peccata illorum, & vt oſtenderet ſimul, non ideo ſupplicationem eius acceptam non eſſe, quòd ipſum contemneret. Quaſi dicat, poterunt iſta probare, quòd non tui contemptu, ſed propter multa illorum peccata ſupplicationem tuam non accipio. Verumtamen ſubiungit, ac dicit: Etiamſi ſtarent Noë, & Iob, & Daniel. Et meritò huic magis iſta dicit: ipſe nanque erat, qui multa paſſus fuerat. Iuſſiſti, inquit, vt in ſtercore comederem, & comedi: iuſſiſti, & tonſus ſum: iuſſiſti, ſuper latus vnum dormiui: iuſſiſti vt foramen parietis onuſtus exirem, & exiui: abſtuliſti mihi vxorem, & iuſſiſti ne lugerem, & non luxi; ſed tuli fortiter: innumera alia illorum gratia feci, & iam te pro iiſdem oro, & non obſequeris? Non quòd te contemnam, inquit, hoc facio, ſed ſi & Noë, & Iob, & Daniel, etiam pro filiis ſuis orarent, non obſequerer. & Ieremiæ rurſus minora quidem ex præceptis Dei, plura verò ex populi malitia perpeſſo, quid dicit? Aut non vides, inquit, quid iſti faciant? Etiam, inquit, faciunt. Sed vel mei gratia quod precor facias. Hac itaque ratione & ad iſtum dicit: Si Moſes & Samuel ſtarent. Moſes, inquam, primus ille legiſlator, qui ſæpenumero illos periculis liberauit, dicens: Si quidem peccatum illis remittis, remitte; ſi verò non remittis, & me dele. Si ergo is nunc eſſet, & iſta diceret, nihil vtique aſſequeretur. Et Samuel quoque, qui & ipſe eos aliquando liberauit, qui à primæua ætate præclarus factus eſt. Nam de illo quidem loquutus ſum, quòd vt amicus cum amico, ita viciſſim mecum conſuleret, & non per ænigmata: de iſto verò, quòd in primæua ætate illi apparuerim, & per iſtos placatus clauſam antea prophetiam reſeraui. Erat enim, inquit, pretioſum & rarum verbum Domini, nec erat viſio certa & explicata. Itaque ſi illi iam ſtarent, nihil proficerent. Et de Noë dicit: Iuſtus & perfectus in generatione ſua. Et de Iob: Irreprehenſibilis, iuſtus, verax, & pius. Et de Daniele, quem & Deum eſſe putabant. His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, nec totum in illas proiiciamus, hoc quidem ne deſideamus, ac temere ipſidiis opprimamur: illud verò ne extra multum lucrum & profectum excidamus, ſed oremus etiam vt pro nobis precentur, manúmque porrigant, adhæreamúſque & ipſi virtutis ſtudio, vt bona diligentibus Deum promiſſa conſequi valeamus, gratia, & benignitate, &c.*

Ex his locis tam Ieremiæ, quàm Ezechielis, efficere ſibi videntur hæretici, Sanctos, qui iam beati viuunt, non orare pro nobis, cum contrà inferre hinc meliùs debuiſſent, pro nobis Sanctos iam defunctos intercedere. Quando Dominus pondus negat Moyſi, Samueliſque precibus apud Ieremiam, & Danieli, Iob, & Noë apud Ezechielem, fatetur primùm illos orare: quòd verò illorum preces apud ipſum nihil ſint habituræ momenti, non ex eo fit, quòd ſint ad impetrandum infirmæ: ſed quia tot ſunt populi peccata, vt Sanctorum precibus ſupplicio liberari non debeat. Quemadmodum ſi quis grauiter ſit in aliquem animatus, de quo ſupplicium ſumere iam omnino decreuit, dicere ſolet: Nemo à me vnquam precibus extorquebit, quominus cogitata perficiam: non pater, cuius apud me grauis eſt auctoritas, & ſummum imperium: non vxor, non filius, quorum ſuauis eſt amor, & vis ad exorandum maxima. Hic non negat aut orare poſſe, aut impetrare ſolere parentem, vxorem, & liberos: ſed affirmat, alicuius flagitium indignum eſſe venia. Eſt autem & promptum, & opportunum exemplum à Ieremia, ad cuius modò Dominus preces durus eſt: nam hic etiam mortuus, pro populo, & ſæpe, & ſedulò precatus eſt. De quo Machabæorum 2. capite 15. verſu 14. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël; hic eſt, qui multùm orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Domini.* 8.

Sancta etiã defunctæ oratio.

Eiice illos à facie mea, & egrediamur.] Ex vſu ſacræ Scripturæ, id à Prophetis fieri dicitur, quod ab ipſis faciendum eſſe denunciatur. Quomodo Iſaias capite 6. excæcaturus ſcribitur cor populi, & aggrauaturus aures, quia excæcandos oculos, & aures aggrauandas prædicit. Eodem modo Ieremiæ præcipitur, vt euellat, & plantet, diſſipet, & ædificet: quod re ipſa non præſtitit, futurum tamen prænunciauit. Sic etiam modò iubetur Propheta populũ eiicere à facie Domini, ideſt, declarare à facie Domini fore repellendũ. 9.

Verſ. 2.

10. Verſ.2. *Qui ad mortem, ad mortem.*] Videbat olim Cain, nihil ſibi fore à periculo vacuum, ſi à facie Domini pelleretur: quare diuinans, in poſterum aliquid ſuis meritis non indebitum, dixit: *Ecce eiicies me hodie à facie terræ* (nempe, quam tu præcipuam habes) *& à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Id planè, quod timebat Cain, accidit Iudæis, vbi primùm à facie Domini repulſi ſunt, ideſt, à terra illa, vbi facies videbatur eſſe Dei, quia in ea præcipua quadam ratione morabatur, aut à peculiari illa prouidentia, qua Deus populi ſui rationibus conſulebat.

Peſtis, pro motre.

11. Quatuor hîc ſuppliciorum genera conſtituit, *mortem*, in qua *peſtis* intelligitur per ſynecdochen, quæ genus, nempe mortem, pro mortis quadam differentia ponit: aut per antonomaſiam, quia peſtis plures interficere ſolet, vbi paulò graſſatur inclementiùs, quàm vlla alia mortifera cauſa. Quare Hiſpanus peſtem, *mortandad* appellat. Gladius mortem etiam ſignificat, ſed quæ alio quodam modo hominem extinguit. Fames, & captiuitas non ſemper conficiunt, diu tamen vexant, excruciántque aliquando duriùs, quàm peſtis, & gladius.

12. Porro in hoc dicendi genere, *Qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium,* Hebraiſmus eſt; qui nihil ſignificat aliud, quàm alios peſte, alios ferro, exilio alios, alios verò fame fore mulctandos; ſeu perimendos eſſe gladio, quos Dominus gladio deſtinauit; extinguendos peſte, & fame, quos Dominus peſti, ac fami deuouit. Vſus eſt eadem figura Ieremias iterum cap. 43. ver. 11. *Veniens percutiet terram Ægypti, quos in mortem, in mortem; quos in gladium, in gladium.* Quam formam orationis olet illud Zachariæ 11. verſu 9. *Quod moritur, moriatur, & quod ſucciditur, ſuccidatur.*

Ierem. 43. Zachar. 11.

13. Verſ.3. *Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus: gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum.*] Illud, *viſitabo*, aliquid habet obſcurum, & arcanum. Credo hîc alluſum eſſe ad theſauros, quos Dominus habere ſe dicit, in diem pugnæ, & belli; ex quibus, tanquam ex armamentariis, arma promit, quibus pœnas exigat à peccatore. Et quemadmodum Imperator viſitare ſolet armamentaria, exploraréque, an ſatis ſint terſa, & acuta tela, quæ ſtatim expromit, vibrátque in hoſtes: ſic Deus quatuor armorum genera viſitabit, quæ in gentem illam ſceleratam intorqueat, quæ nunquam erunt imparata, ſed ſemper ad vulnus infligendum idonea, nempe gladium, canes, volatilia, beſtias.

14. Pro *viſitabo*, Hebraicè eſt, פקד *pakad*, quod etiam præcipere valet, & præficere, inter plures alias ſignificationes. Si præcipere, aut mandare, interpretêre, verbum eſt militare, & ſignificat mittere, ſeu inuehere, nempe in hoſtes. Sic Amos capite 9. *Mandabo gladio, & occidet eos.* ideſt, mittet. & ibidem: *Mandabo ſerpenti, & mordebunt eos.* In hunc ſenſum hîc ego acciperem verbum פקד niſi aliter reddidiſſet Vulgatus. eodem ſenſu, quo Ezechiel capite 14. verſu 21. hæc fermè omnia complexus eſt: *Si quatuor iudicia mea peſſima, gladium, & famem, ac beſtias malas, & peſtilentiam immiſero in Ieruſalem.*

Mando, & præcipio, verba militaria.

15. Quòd ſi פקד hoc loco præficere ſignificet, vt vertunt Pagninus, & Vatablus, magnam aliquam importat & Dei offenſionem, & populi calamitatem. Nam, quemadmodum qui gregi paſtorem, aut populo ducem, ſeu moderatorem præponit, illorum arbitratui ſubiicit aut populum, aut gregem, vt quocunque placet, verſet, ac trahat, quem ſibi nouit eſſe ſubiectum: ſic fami, ac gladio ſubiectus erit Iudæorum populus, quæ in illum vim ſuam peſtilentem, & noxiam, quandiu volent, effundant, ſummámque poteſtatem exerceant, & oſtendant.

16. Verſ.4. *Et dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ.*] Hic locus in varias patet expoſitiones. Vbi Vulgatus *feruorem*, Hebraicè eſt זועה *Zaauah*, quæ vox etiam commotionem valet, & anguſtias, vt docet hîc Hieronymus. Si commotionem exponas, ſenſus erit, commouendas eſſe metu, aut ſtupore nationes alias, cùm viderint potentem illum quondam, & fortunatum populum ſic eſſe iactatum durè, ac diu conſumptum ferro, peſte, ac fame; expulſum à propriis ſedibus, & per tot Regum externorum prouincias diſſipatum; ſic putant Lyranus, & Hugo. Sed quia *feruorem* reddidit Vulgatus, accommodatè ad hanc lectionem explicemus oportet. Ardor, ſeu feruor, cùm multa ſignificet, furorem plerunque, aut iracundiam valet, ſicut æſtus, & flamma: vnde ardere animi, aut feruere dicuntur, cùm ad vindictam, & cædem inſtimulantur. Significat item acre, ac viuidũ ſtudium in faciendo, aut vrgendo negotio. Hæc duo credo importari hoc loco nomine feruoris. Quare explicari poteſt locus in hanc ſententiam: Ardebunt omnia regna terræ in Iudaicam gentem hoſtili odio; quorum ego inflammato furori populum illum vexandum, lacerandúmque permittam. Sic putat ſanctus Thomas, Hugo, & Maldonatus: neque hinc longè abit Hieronymus, dum ait: Regem impium, nempe Nabuchodonoſor, dum Manaſſem Regem imitatur impium, repleturum eſſe ſanguine Hieroſolymam.

Ardor, pro iracundia.

17. *Propter Manaſſem filium Ezechiæ Regis Iuda, ſuper omnibus, quæ fecit in Ieruſalem.*] Sicut parentum merita ſaluti ſolent eſſe filiis, & ita propter Dauid iuſtum, Deóque dilectum, multa poſteris videmus eſſe conceſſa: ſic, inquit Hieronymus, peccatorum flagitia, ſi liberi, nepotéſque ſimilia geſſerint, ad poſteros peruenerunt. Quid velit hîc Hieronymus, non ſatis intelligo: nam, ſi poſteri imitati fuerint parentum mores, non tam propter parentum, quàm propter ſua peccata puniuntur. Atque ideo Iudæi, quorum hoc loco mores reprehendit, eorúmque ſupplicium minatur Ieremias, propter ſua peccata, non propter illa, quæ multis antè diebus admiſit Manaſſes, famem, peſtem, & gladium pertulerunt; ſicut ſtatim declarat Propheta, neque paucis, neque obſcurè.

Quomodo parentum merita, vel peccata in filios deriuentur.

18. Mitto hîc multa, quæ diſputari ab aliis ſolent non indiligenter: quomodo filij parentum ſuorum peccata luant? aut quomodo, ſi iam Manaſſem peccatorum ſuorum antè pœnituit, illorum nunc Dominus recordetur? Tantùm dico, quod mearum eſt partium, cur propter peccata Manaſſæ, liberi ipſius dicantur eſſe mulctandi? neque aliam adducam cauſam, quàm quæ nunc adducitur à Hieronymo, & ab aliis pleriſque: quòd videlicet peccata Manaſſæ luant, quia ad illius imitationem, peccata non diſſimilia commiſerunt. Sed quia dicendi modus obſcurus eſt, vt alicui fortaſſe non probabitur, illius nunc rationem afferamus.

19. Vſitatum eſt tam apud ſacros, & canonicos, quàm

REGVLA. *Illud alicui tribuitur, qui vt illud fieret, exemplo fuit.*

quàm apud profanos ſcriptores, vt illi aſcribatur aliquid factum, qui, vt illud fieret, auctor fuit, aut eius rei nobile aliquod exemplum præbuit. Quomodo ſcelus admiſiſſe Simonis, ſiue ſimoniam dicitur, aut propter ſcelus Simonis eſſe punitus, quicunque ſacrum facit eſſe venale: quia Simon aut primum, aut maximè notum dedit illius ſceleris exemplum. Et ſcelus Core patraſſe ſcribuntur aliqui, & in eius contradictione periiſſe epiſtola Iudæ canonica, quia in ſimili ſcelere illum ſunt imitati. Et mercede Balaam alij dicuntur eſſe corrupti ibidem, quia ad illius ſimilitudinem mercedem amauerunt. Sic autem

Epiſtola Iudæ.

Iudas: *Væ illis, qui in via Cain abierunt; & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.* Quòd autem non ſit contradictio Core, aut merces Balaam, ſed aliquid ad eorum ſimilitudinem ſceleris admiſſum, docet apertè Petrus, qui cùm hanc eandem ſententiam, vt apparet ex toto capitis textu, perſequeretur, dixit de Balaam epiſtola 2. verſu 15. *Derelinquentes rectam viam, errauerunt ſequuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit.* Sic ergo propter Manaſſem, ideſt, propter eius impietatem, & ſcelus, dicuntur Iudæi pœnas ſubituri, quia talia ſuo ſæculo admiſêre flagiria, qualia ſuo tempore Manaſſes. Vt enim ille Sanctorum ſanguine ad os vſque repleuit Hieroſolymam, in eámque induxit idolorum cultum, & Gentium inſaniam: ſic poſteri illius ſequuti veſtigia ſæuierunt in iuſtos, & ad impias aras ſacrificarunt.

Potentiorũ exempla valde noxia.

20. Hæc porro peccata dici poſſunt Manaſſæ, quia Regio exemplo, quod potentiſſimum eſt, ſubiectum ſibi populum ad ſimilem inſaniam, & flagitium induxit. Quæ verò peccauit populus, Regio exemplo, atque adeò Regi ipſi tribuenda ſunt: ſicut primæ plantæ venenatæ, ac noxiæ, reliquæ, quæ ex illius ſtirpe poſtea funduntur. Duobus modis ait ſanctus Thomas in hunc locum puniri populum pro peccatis Regum. *Quia,* inquit, *malus pro peccatis populo regnare permittitur. Iob. 34. Qui regnare facis hominem hypocritam, propter peccata populi; tum quia populus ſequitur peccata Regis. Ezechielis cap. 10. Qualis rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. Prouerbiorum 29. Princeps, qui libenter audit præcepta mendacij, omnes miniſtros ſuos habet impios.* Hæc ſanctus Thomas.

21. Verſ. 5. *Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem? aut quis conteſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquiſti me, dicit Dominus.*] Ex his conſtat, quomodo Ieruſalem non tam luat Manaſſæ peccata, quàm ſua: cùm propter illa, quæ ſtatim ſubiiciuntur: indigna iudicetur, cuius aliquem miſereſcat; aut pro cuius ſalute, & pace, ſe quiſquam deprecatorem interponat. Et quidem ita accidit, vt enim de illa Ieremias Threnorum 1. *Depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem.*

Dei ſingularis humanitas in peccatores.

22. *Laboraui rogans.*] Verba hæc, quocunque accipias modo, grauiſſimam continent ſententiam; peccatáque populi vehementer augent. Laborauit quidem Dominus, vt cum Hieronymo ſentiunt frequentes alij, per Prophetas, vt errantem populum ad viam reuocaret: ſed fruſtra ſe defatigauit clamando. Vſque adeò illius appetebat ſalutem, vt ad preces quoque maieſtatem ſuam inflecteret; ſed cùm gens illa ad Diuinam obſurduiſſet vocem, repuliſsétque rogantem, atque obſecrantem Deum, quem miſerebat vitæ in omne vitiorum genus profligatæ; & pro illo, qua eſt animi lenitate, cōtriſtabatur, propter obſtina-

Peccatoris imprudens obſtinatio.

A ti animi duritiem; ſic ſuam clementiam, in offenſionem grauem, & iuſtam mutauit Deus, vt nolit quemquam eſſe, qui miſereatur, qui contriſtetur, qui roget.

Dei grauis in peccatores offenſio.

23. Hieronymus hîc etiam verti poſſe dicit, *Laboraui rogatus*; tunc verò ſenſus eſt: Audiiſſe Deum ſæpe Prophetarum, Sanctorúmque clamores, pro populi pace; & eſſe iam defeſſum audiendo: quare, nequicquam iterari preces, quas ſic auerſabitur, tanquam qui obtuſum habet audiendo caput, & animum fatigatum, & auerſum. Et quidem huc facit, quòd Ieremiam ampliùs orare vetat, præciséque negat, quidquam apud ſe ponderis habituras Moyſis, Samueliſque preces, ſi
B velint ſe pro gente illa ſic obdurata interceſſores afferre.

Recidiui periculum.

24. Vox Hebraica הנחם *hinachem*, aliam etiam interpretationem admittit. *Laboraui, ſeu, defeſſus ſum pœnitendo, aut, miſerendo.* Quorum verborum ſententia non minùs grauis eſt, & horribilis, quàm ſuperiores. Miſertus eſt Dominus ſæpe, adeò vt nimiam Dei clementiam eſſe cenſuerit Iſaias, cùm dixit capite 26. verſu 10. *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam.* Et cùm vellet punire populum, vltricem manum à cæde cohibebat. Et cùm ſæpe ad vindictam arderet peccatis populi inflammatus furor, quaſi concepti furoris mitiſſimum animum pœniteret, in aliud tempus differebat ſupplicium. Hunc autem, ait, aut locum
C non eſſe miſericordiæ, qua toties abuſus eſt veſanus ille populus, aut non eſſe deponendum furorem (quod faciunt illi, quos conſilij pœnitet) ſed quæ facere cogitauit, reipſa omnino fore complenda. Ad hunc ſenſum videntur reſpexiſſe Septuaginta, dum vertunt, *Non vltrà dimittam eos.*

25. Verſ. 7. *Et diſpergam eos ventilabro in portis terræ: interfeci, & diſperdidi populum, &c.*] Si conſtaret, quo tempore hæc à Ieremia dicta ſunt, facilis eſſet huius loci ſententia. Ego, vt dixi, ante Chaldæorum aduentum dicta puto: aut certè antequam ſub Sedeciæ tempus, Nabuchodonoſor nouiſſimè caſtra mouit contra Ieruſalem. Quo tempore plurima acciderant, & multò plura ſupererant
D incommoda, quibus populus ille vexaretur. Puto autem illud, *diſpergam*, exponendum eſſe per præteritum, vt facit interlinearis, quod res Grammatica docet, cùm *vau*, conuerſiuum præfixum ſit futuro; cuius ea vis eſt, vt futuræ terminationi ſignificationem det præteriti, vt norunt, qui mediocriter ſciunt Hebraicè. Noſter autem Interpres per futurum conuertit, quia in conuertendo ſæpe Hebraicum ſeruare ſolet idioma. Quale eſt, in futuri terminatione ſignificationem eſſe præteriti temporis. Commemorat igitur Deus, quibus modis reuocare voluerit populum, vt molli, ac paterna manu caſtigarit errantem.
E Cùm tamen neque mentem acceperit bonam, aut meliorem frugem meditetur, adigi ſe dicit, vt hoſtiles imbibat ſpiritus, & populum perdat non obſequentem. Quare enumerat, quæ in illum paterni amoris, ideſt, mitioris plagæ, quæ tanquam medicina eſſet inueterato morbo, documenta dederit.

Futurum ſæpe pro præterito.

26. Quòd ſi ad rem velis Grammaticam expendere tempora, quæ præteritorum habent terminationem, nempe, *interfeci, & perdidi*, per futurum explicari poſſunt, *interficiam, & perdam*: vt enim docuimus multis ad illud Iſaiæ capite 41. *Dabis in conſpectu eius gentes, & Reges obtinebit,* quan

quando verbum aliquod anteceſſit, ſiue in præterito, ſiue in futuro tempore, alia tempora, quæ ſtatim adiunguntur, ſi ad eandem perſonam referantur, per cognatum tempus explicari interdum poſſunt, & debent. Plurima ibi exempla produximus. Vide Pagninum libro 3. Inſtitutionum, capite 12. Sed puto, vt priùs dixi, per præteritum tria illa tempora explicari debere.

27. Diſperſit Dominus populum, quaſi ventilabro, aut quia eum purgare voluit, ſicut ventilabro frumentum purgatur à paleis, vt putat Hieronymus; aut quia variè diſſipatus eſt, ſicut paleæ à vento iactatæ. Portæ terræ, in quibus diſperſus eſſe dicitur populus, extremi ſunt terræ fines; vt putat ſanctus Thomas, Lyra, Maldonatus, & alij: quia iuſta hominum iudicia, quibus in loquendo interdum ſe accommodat Scriptura: per fines illos vltimos, quaſi per portas aperiri putat aditus in terram. Ego in portis terræ ſignificari arbitror Ortum, & Occaſum, quia, vt diximus ſuprà capite 2. ad illud, *Et portæ eius deſolamini vehementer*, Ortus, & Occaſus portæ dicuntur, per quas in mundum ingrediuntur, nox, & dies. Ortum verò, & Occaſum, pro extremis mundi finibus vſurpari, nemo dubitat.

Portæ terræ, quid?

28. Si hæc ante Chaldæorum aduentum facta dicas, de decem Tribubus neceſſe eſt intelligas, quæ ad mundi portas ab Aſſyriis abductæ ſunt: neque enim video ante tempus illud, quomodo duæ Tribus dici poſſint ad portas illas terræ relegatæ. Neque tamen abs re, de decem Tribuum exilio videtur agere Propheta, cum duabus aliis, quæ in terra promiſſionis reliquæ fuerant, quia in illarum capite, ſi ſaperent, de ſuo iudicare, atque timere debuerunt. De tempore Chaldæorum res eſt minùs difficilis: nam à primo illorum appulſu, ad regnum vſque Sedeciæ, multi aut captiui abducti fuerunt ad longinquas terras, quæ hyperbolicè vocari poſſunt terræ portæ, aut fuga in complures alias regiones dilapſi.

29. *Et tamen à viis ſuis non ſunt reuerſi.*] Hæc ſatis probant, ſuperiora rem ſignificare præteritam. Simile aliquid adduxit ſuprà capite 2. *Fruſtrà percuſſi filios veſtros: diſciplinam non receperunt.*

30. Verſ. 8. *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſuper arenam maris: induxi eis ſuper matrem adoleſcentis vaſtatorem meridie.*] Grandem virorum ſtragem factam eſſe docet, quæ vxores, & matres viduas, & orbas reddidit; has à liberis, illas à maritis. Induxit enim matribus vaſtatorem adoleſcentis, ideſt, adoleſcentium (quia per ſynecdochen ſingularis numerus pro plurali ponitur) ideſt, qui filios adoleſcentes ferro conficeret, idque meridie; quaſi dicat: Neque nocturnas captabit tenebras, aut inſidias molietur occultas; quod facere ſolent, qui minùs ſunt ab exercitu muniti; ſed palàm aperto Marte, ſpectante Sole; immo ſpectantibus, dolentibúſque matrum, atque vxorum oculis. Illud, *ſuper arenam maris*, hyperbolica eſt exaggeratio, & in ſacra Scriptura non infrequens. Septuaginta paulò aliter, ſenſu tamen non diuerſo: *Induxi ſuper matrem adoleſcentium miſeriam.*

31. Explicationem, quam adduxi, plerique Interpretum cum Hieronymo probant. Vnus eſt, quod ſciam, Maldonatus, qui aliter accipiat. *Sicut mulieres*, inquit, *mortuis maritis, factæ ſunt viduæ, ita adoleſcentes, mortuis matribus, facti ſunt orphani.* Et ſanè in hanc ſententiam inclinat textus Hebraicus, & Septuaginta tranſlatio, quæ ſuper

A matrem adoleſcentis inductam dicit eſſe miſeriam: neque negat, immo videtur ſignificare tranſlatio vulgata, quæ ſuper matrem vaſtatorem veniſſe docet. Sentio tamen cum pluribus; ita tamen, vt hæc poſteriora non improbem.

Miſi ſuper ciuitatem repentè terrorem.] Locus hic variè redditur, & exponitur: ſed nemo Vulgato meliùs. Illud tamen obſeruandum, in textu Hebraico eſſe *ciuitatem* in ſingulari numero, neque tamen ideo malè Vulgatum conuertiſſe, *ciuitates*: ſæpe etenim ſingularis numerus multitudinem cum diſtributione ſignificat: aut per ſynecdochen ſingularis pro plurali ſumitur. Ciuitates autem illas Hieronymus putat eſſe Iuda, quæ valde conterritæ ſunt, aut cùm à Chaldæis obſeſſa fuit Hieroſolyma: tunc enim meritò ſuo ſibi capiti timere quælibet potuit ciuitas; aut ante Chaldæorum appulſum, cùm ab Aſſyriis primùm ſubiugatæ ſunt, abactæque in exilium decem Tribus; aut quando Sennacherib non multò pòſt multas vaſtauit, aliáſque perterrefecit ciuitates Iuda, & caput ipſum Ieruſalem ad ſummam vſque deſperationem adduxit. 32.

B

Verſ. 9. *Infirmata eſt, quæ peperit ſeptem.*] Septenarius numerus multitudinem ſignificat. Prouerbiorum 24. *Septies in die cadit iuſtus.* ideſt, ſæpe. Zachariæ 3. *Super lapidem vnum ſeptem oculi.* ideſt, multi. Prouerbiorum 26. *Septem nequitiæ ſunt in corde illius.* Pro *infirmata eſt*, Hebraicè אמללה *vmlelah*, quæ vox *infirmum*, & *diſſipatum* valet. Septuaginta ἐκενώθη tranſtulerunt, ideſt, euacuata eſt. Hoc ergo ex omnium ſententia ſignificat, orbatam eſſe filiis, quæ priùs ſeptem, ideſt, magnam filiorum ſyluam, extulerat: quod etiam vox eadem valet 1. Regum 2. verſu 5. *Quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Dicitur verò infirmata, quæ filios amiſit; quia filij parentibus roboti, atque præſidio ſunt. Quare, cùm à filiis orbantur parentes, infirmi videntur, & omnium prædæ, atque ludibrio propoſiti. Cæterùm, vt Hieronymus, & cum illo plures alij ſentiunt, mater illa à liberis orbata, Hieroſolyma eſt, aut terra Iuda, quæ cùm viris abundaret ſtrenuis, & fortibus, variis belli, ac temporum incommodis conſumpti ſunt. 33.

Septenarius numerus multitudinem ſignificat.

C

D

Occidit ei Sol, cùm adhuc eſſet dies.] Sicut dies, & lux ſucceſſus indicant fortunatos, & lætos; ſic occaſus, tenebræ, & nox, his omnino contrarios. Occidere Solem, aut eſſe tenebras in meridie, aut prouerbium eſt, aut aliquid olet prouerbiale. Quod aut magnum ſignificat dolorem, & infortunium graue: ſicut non poſſunt non eſſe grandes, atque moleſtæ tenebræ, quæ mortis inſtar obtinent in meridie. Aut certè repentinum indicant malum, neque vllo modo expectatum, aut præuiſum: quemadmodum expectare poſſet nemo in meridiana luce, quæ magis illuſtris eſt, repentè diem, & Solem poſſe deficere. Eodem loquendi modo vſus eſt Amos capite 8. verſu 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis, & conuertam feſtiuitates veſtras in luctum.* Iſaias capite 59. verſu 9. *Impegimus meridie, quaſi in tenebris: in caliginoſis, quaſi mortui.* Qui iter in meridie carpit, aut ab vrbe procul operam dat ruſtico negotio, ad occaſum vſque Solis, ſpatium ſibi longum promittit: atque ideo nec ille ſibi feſtinandum putat, quia in via ſibi, aut inportuno loco pernoctandum non timet; neque hic reditum parat ad hoſpitium, quia ille temporis 34.

Prov.

E

Amos c. 8.

Iſai. c. 59.

articulus dubitare non ſinit. Sic planè contingere frequenter ſolet his, qui aut in ætate florenti, aut robuſta ſunt, aut qui in eo ſunt ſtatu, vt ab hominum arte, atque potentia, aut à fortuna, & caſu nihil metuant: quibus interdum inopinatò adueniunt conſilio ſuo, & voto, res omnino contrariæ. *Mors repentina.* Occidit Sol in meridie his, qui bus in ætate florenti, ac vegeta, tacita obrepſit mors; qui cùm ad extremum vitæ diem ſatis ſibi orij fore putarent, vt ſe ad durum mortis certamen, & æternam ſalutem compararent, aduenit illis importuna moriendi neceſſitas.

35. Verſ.10. *Væ mihi, mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra.*] Hæc verba Ieremiæ ſunt; qui cùm ſeueras à Domino B prophetias acciperet, eáſque denunciaret, denunciaturúſque eſſet impatienti populo, odium in ſe illius vehemens accendit. Queri autem videtur apud matrem, vt pueri ſolent, de fortuna ſua: cùm eo fato natus videri poſſit, vt nunquam quieſcat ab hominum opprobriis, nunquam non inceſſatur maledictis, & iurgiis. Solent autem pueri, cùm teneri ſunt, ſi quid habent querelæ, ad matres deferre, illíſque dolorem ſuum, & infortunium impartiri; quia hæ filios blandiùs accipiunt, & illorum incommodis familiariùs commouentur. Sed nihil hîc aliud ſignificari puto eo dicendi genere, quàm ſe ad dolores, & iurgia fuiſſe natum, ac ſi dicat: Si ea me manebat vitæ C cõditio, cur natus ſum? Quod idem dixit Mathathias 1. Machab. c. 2. *Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei?* Virum ſeſe appellat rixæ, atque diſcordiæ, quia & ipſe cum peccatoribus iurgatur, quos ſceleris incuſat, & eorum animos impendentis mali metu concutit, & exagitat, & illorum in ſe inuidiam conflat, & furorem exacuit. Illud, *in vniuerſa terra*, Iudæam tantùm refert, vbi erant illi, quibuſcum aſſiduum erat Ieremiæ iurgium.

36. *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi.*] Communior expoſitio eſt, ſignificari hîc à Propheta, iurgiorum, ac diſcordiarum ſolum eſſe cauſam ſtudium, miniſteriúm- D que prophetandi: remouerique rationes alias, quæ inuiſum Prophetam contribulibus ſuis reddere potuerunt: poníque pro omnibus aliis per ſynecdochen fœnus, aut datum à ſe, aut acceptum ab aliis, quorum alterum infenſum reddit fœneratorem, dum ſeueriùs exigit; alterum debitorem, dum pendere recuſat. Hæc, vt dixi, cõmmunis eſt expoſitio, neque mihi diſplicet: ſed occurrit alia, quæ magis mihi videtur expedita; neſcio an magis vera, quam lector expendet, & de illa, vt volet, ſtatuet.

37. Inter eos, qui animis, aut ſtudiis diſſident, nihil ſolet eſſe commercij; non in rebus contrahendis ſocietas, non dati, atque accepti commu- E nis ratio: immo ſibi ipſis viciſſim maledicta intorquent, armíſque potiùs, & iurgiis certant, quàm officiis. Hoc ſibi cum ſuæ gentis hominibus accidiſſe fatetur hoc loco Ieremias, dum ſe tam eſſe propter prophetandi miniſterium odioſum dicit, vt nemo cum ipſo velit aliquid habere commune. Quare nemo illi fœnori dat, nemo fœnori ab illo quidquam accipit, aut vllam cum illo ſocietatem, fœdúſque coniungit; immo tanquam in communem hoſtem maledicta congerunt, omnibúſque modis extinctum volunt, & precantur. In hanc ſententiam faciunt tranſlationes aliæ, quæ varias hominum ſocietates, & commercia indicant. Septuaginta: *Non profui, neque profuit mihi quiſquam.* Theodotio apud Hieronymum: *Non debui, neque debuit mihi quiſquam.* quod idem eſt, atque, cum nemine rem, rationémque coniunxi: nemo me congreſſu dignatus eſt.

38. Hæc hiſtoricè. Si verò aliquid ex his voles adhibere pro moribus, Hieronymum adi in hunc locum, vbi hæc de Chriſto grauiter, & eleganter exponit. *Cum Deo commercia.* Inducit enim Chriſtum cum hominibus expoſtulantem, quòd nemo à ſe velit fœnus accipere, ideſt, dona, quæ ipſe poteſt, & vult hominibus impertiri. Adde tu, quòd nemo velit vſuram Deo reddere illorum bonorum, quæ tam à Deo accepit liberaliter, gratiarum nempe actiones; aut vſum earum rerum, quas ad Dei gloriam homo conferre debuit. Neque fœnori dare, cùm ipſe tam ſit ad ſoluendam vſuram alacer, & promptus. Dat autem fœnori Deo, debitorémque facit, qui pauperes fouet, omníque proſequitur humanitatis officio; iuxta illud Prouerbiorum 19. verſu 17. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Cur verò nunc Propheta gemat, ſicut in Teſtamento veteri fecerunt alij, cùm aliquid occurreret aduerſum, & durum (vt Moyſes fecit, qui Numerorum capite 11. *Tolle animam meam à me, non poſſum ferre onus populi huius.* & Iob ſæpe, & Elias, cùm petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.) At ſecus in Teſtamento nouo Sancti in tribulationibus gloriantur, vt de ſe fatetur Paulus ad Romanos 5. verſu 3. & de Apoſtolis tradit Lucas Actorum 5. verſu 41. Vide Chryſoſtomum homilia 4. de patientia Iob, tomo 1. *In Teſtamẽto veteri labor & crux grauia.*

39. Verſ.11. *Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum: ſi non occurri tibi in tempore afflictionis.*] Conſolatur Dominus Prophetam, bonóque illum eſſe animo iubet: dicit enim ſe illius rebus, atque conſiliis ſemper adfuturum, neque ex hoſtium votis futuros eſſe rerum euentus. Eſt autem hîc vſitata quædam apoſiopeſis, quæ iuriiurando familiaris eſt, & quaſi legitima: cuius nota eſt, *ſi*; *Si, iuramẽti nota.* Pſalmo 88. *Si Dauid mentiar.* Pſalmo 94. *Si introibunt in requiem meam.* & Pſalmo 131. *Si dedero ſomnum oculis meis.* Eſt autem in huiuſmodi iuramentis, atque apoſiopeſi, ſubaudiendum aliquid accommodatum rerum naturæ. Hîc autem ſubaudiendum, Si reliquiæ tuæ, ideſt, quod reliquum eſt vitæ, aut quod reliquum eſt, poſtquam mandatum expleueris meum, proſperè non ſucceſſerit, ne ſim Deus, aut fallax habear, aut quid ſimile. Quæ ſacri Auctores conſultò ſilent, ne quid cum Dei nomine coniungant, quod à Diuina natura tantùm abhorret: aut quia Deus ipſe cùm iurat, illa quoque tacuit, neque tam expreſſis verbis, quàm aliorum cogitationi, expendenda reliquit.

40. Verſ.12. *Nunquid fœderabitur ferrum ferro, ab Aquilone, & æs.*] Variè à variis locus iſte tranſlatus. Symmachus: *Nunquid nocebit ferrum ferro ab Aquilone.* Theodotio: *Si cognoſcet ferrum, & operimentum æneum.* Et eodem modo Septuaginta. Diuerſitatis cauſam docet hîc Hieronymus, eſſe, aut ambiguam ſignificationem verbi ירע quod *malitiam*, & *amicitiam* ſonat: aut ſimilitudinem inter ד *dalet*, & ר *res*. Nam ſi legas ירוע *iaroah*, vt legiſſe videtur Hieronymus, & Symmachus, amicitiam indicat, ſeu malitiam; quare ille hîc, *fœderabitur*, vertit; hic, *nocebit*. Si verò ידוע *iadoah*, *cognoſcere*, quomodo Septuaginta, ac Theodotio, reddiderunt.

runt. Alij è recentioribus,*conteret*,vertunt, Pagninus,Tigurina,Vatablus;è radice,vt arbitror,רעע.

41. Sicut tranſlatio varia, ſic etiam varia interpretatio eſt. Quidam in ferro, quod natura ſua durum eſt, parumque tractabile, populum intelligunt Iudaicum,cum quò Chaldæi,qui etiam duro ſunt ingenio, atque indomito, fœderari, atque conglutinari non potuerunt. Alij à Iudæis non poſſe confringi Chaldæos,quos in ferro, & ære à Babylone ſignificari putant.

42. Ego hæc omnia, cùm viris magnis placeant, non poſſum non probare, maximè illud prius, quod magis eſt ad tranſlationem Vulgati. Tunc autem per quandam hypallagen, claritatis gratia, caſus hoc modo tranſmuto: *Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone,& æs?* Tunc verò *ferrum* priori loco poſitum ad Iudæos; ferrum autem & æs ab Aquilone, ad Babylonios refero. Putant autem quidam,ea ratione, voluiſſe Deum mœrentem Ieremiæ animum conſolari. Quaſi timeret Propheta, & idcirco doleret, quòd fœderatis cum Iudaico populo Babyloniis defutura eſſet ſuæ prophetiæ fides. Quemadmodum dolebat Ionas, quòd ſeruata Niniue ipſius verbis defuturum eſſet pondus, & fides, Ionæ c.4. Ego illud,de conſolatione,ita probo, vt tamen rationem illius probare non poſſim. Quomodo enim Propheta, qui tam amabat populum ſuum, tantopere doleret, quòd ſociatis animis, & inito fœdete, ab impendente malo foret liberandus? An vir ille ſanctus, & pius, qui ante ſtragem, ita illam prohibere ſtuduit, & poſtea tam miſerabiliter lamentatus eſt, priuatam laudem publicæ cauſæ, atque ignominiæ depellendæ præferret? Sane Michæas mallet mendax videri, falſúſque Vates, quam, quæ genti ſuæ prænunciarat, incommoda contingere. Sic enim capite 2. verſu 11. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer.* Sed non credo;aut minùs amabat gentem ſuam, aut de ſua exiſtimatione magis laborabat, quàm Michæas. Adde quod cap. 28. cùm contrarium antè prophetaſſet, optare ſe dicit, vt contrà accidat: ſic enim ad Hananiam pſeudoprophetam, qui ſecunda omnia pollicebatur: *Amen,ſic faciat Dominus: ſuſcitet Dominus verba tua,quæ prophetaſti.*

43. Alia ergo conſolationis ratio nobis reddenda,à neceſſitate ſumpta: ſolet enim, cùm aliquid nobis minùs ex voto accidit, ſolatio eſſe, quod aliter fieri natura non patitur, aut neceſſitas: quomodo patrem de filiorum morte conſolamur, quia ineuitabile telum mors eſt; & eum, quem poſt rem præclarè, atque fideliter geſtam, concidit, & lacerat maledicus ſermo; quia hoc penè naturale eſt, vt virtutem tanquam vmbra ſequatur inuidia:in hunc modum Dominus Prophetam conſolatur; quaſi odium illud, quod in ipſum Iudæi conceperunt, natum non fuerit ex vitæ turpitudine, aut ex officio negligenter obito,ſed ex Dei mandato fideliter, atque conſtanter expleto.

44. Puto igitur huius loci aliam eſſe ſententiam, non eſſe mirandum, ſi non bene Ieremiæ cum populo conueniat, ſicut neque cum ferro ferrum conuenire, aut adglutinari poteſt: erat enim populus ille inſtar ferri durus ad reſiſtendum, & obluctandum:durus item, ſed alio modo,& conſtans Ieremias ad explendum quod ſibi à Domino datum erat imperium: non ergo magis fœderari potuerant, aut conſentire, quàm ferrum cum ferro fœderatur. In hanc ego ſententiam eò audaciùs inclino, quia illam Dominus ipſe videtur indicaſſe ſuprà capite 1. verſu 18. vbi ſic ad Ieremiam: *Ne formides*, &c. *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum,ſuper omnem terram Regibus Iuda.* Simile aliquid dictum eſt Ezechieli capite 9. verſu 7. *Omnis domus Iſraël attrita fronte eſt, & duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum; vt adamantem,& vt ſilicem dedi faciem tuam,ne timeas.*

Cur malè inter doctorem & diſcipulum aliquando conueniat.

45. At dices, non poſſe hoc loco ferrum, & conſtans Ieremiæ pectus cum ferreo, & obſtinato Iudæorum pectore conferri: quando ferrum illud, & æs, quod ſecundo loco ponitur ab Aquilone, ideſt, à Chaldæa venturum eſſe dicitur. Reſpondeo, vſitatum eſſe in ſacra Scriptura, vt nota prætereatur ſimilitudinis, immo & altera pars tota,ſeu ſimilitudinis accommodatio; quod etiam apud profanos in vſu eſt, maximè in prouerbiali forma, qualis hæc eſt. Quòd ſi ita accipias,vt accipi,meo iudicio, profectò debet, ſenſus erit expeditus:vt cum ferro,ideſt, cum ferreo Iudæorum animo,componi,ac fœderari non poteſt ferrum,& æs ab Aquilone, ideſt,ferrei Chaldæorum animi. Sic nec ferreum Iudæorum pectus, quod ad ſalutaria monita durum eſt, cum animo tuo item ferreo ſociari poteſt.

46. Verſ.13. *Diuitias tuas, & theſauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis.*] Hucuſque Dominus ad Ieremiæ dolorem, ſeu querelam: nunc refert ſe ad populi plagas, quas Ieremiæ querimonia,& dolor interciderant. Dixerat ante Ieremiæ querelam Dominus caſuros eſſe ferro Solymitanos ciues; nunc addit,illorũ opes diripiendas, vtique à Chaldæis, pro peccatis populi. Illud, *gratis*,indicat, ſine vllo pretio tranſlaturos eſſe hoſtes in Babylonem Hieroſolymæ gazam:neque hîc aliquid dicitur noui, cùm exuuiæ in hoſtium poteſtatem non aliter quàm ſine pretio venire ſoleant. Quare aliquid ampliùs minúſque commune ſignificari puto:facilitatem nempe, qua Chaldæi rem peregerunt Solymitanam, ſine vllo ferè rerum diſpendio. Quod autem ſine multo labore, & pretio comparatum eſt,id comparatum eſſe gratis exiſtimatur.

47. *In omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis.*] Præpoſitio, *in*, idem valet, quod *propter*, de *peccatis* non dubium, vt eſt communis ſenſus. Quod apud Hebræos valet ב *beth*, cui apud Latinos reſpondet, *in*, quæ etiam *propter* aliquando ſignificat. Oſeæ capite 5. *Iſraël, & Ephraim ruent in iniquitate ſua.* Et capite 12. *Et ſeruiuit Iſrael in vxore.* ideſt, propter vxorem. Michææ capite 3. *Principes eius in muneribus iudicabant.* De *terminis*, minùs certum. Aliqui enim in omnibus terminis Iudæorum diripiendas eſſe opes; alij veriſimiliùs (quia in eodem filo continentur, non videbatur mutanda præpoſitionis ſignificatio) *propter terminos*, exponendum cenſent. Ita Hieronymus, Rabbanus, & Hugo, & nouiſſimè Maldonatus. Termini verò per metonymiam ſumuntur pro iis, quæ in Iudæorum finibus facta ſunt. In omnibus autem terminis aræ excitabantur, inſtituebantúrque ſacrificia in honorem deorum, iuxta illud capite 11. verſu 13. *Secundùm numerum viarum tuarum, Ieruſalem, poſuiſti aras confuſionis,aras ad libandum Baalim.* Et Ezechiel capite 16. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.* Ita Chaldæus apertè.

Regula. In, idem quod propter.

48. Verſ.14. *Et adducam inimicos tuos de terra, quam neſcis.*] Pro *adducam.* Hebraice eſt, והעברתי *vehaabarthi*, ideſt, *tranſire faciam.* Septuaginta aliter videntur legiſſe, qui tranſtulerunt, *ſeruire faciam.* nempe העבדתי *haabadthi*, quod facile fieri potuit propter duarum literarum ſimilitudinem ד *daleth*, & ר *res.* Senſus non eſt admodum diuerſus. Si enim legas cum Septuaginta, *ſeruire te faciam*, ſignificantur Iudæi in Babylonem migraturi captiui, & ſeruitutem illic fore ſeruituri: ſi cum Vulgato legas, *adducam*, euocandi traduntur ex incognita regione Chaldæi: qui Iudæorum populentur fines, eóſque in ſeruilem ſibi conditionem adducant. Lectionem Septuaginta confirmat locus alius Ieremiæ, vbi eadem omnino ſententia repetitur: & eiſdem propè verbis, cap. 17. verſu 5. *Seruire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo.*

49. *Quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo: & ſuper vos ardebit.*] Hypallage videtur, in ſacra Scriptura non infrequens, pro, *furor meus igne ſuccenſus eſt.* Inflammari autem, aut ardere furorem, modus eſt dicendi in omni literatura viitatus. Hanc verò hypallagen iterum adhibuit Propheta capite 17. verſu 4. *Ignem ſuccendiſti in furore meo.* & Deuteronomij 32. verſu 22. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo.*

50. *Tu ſcis, Domine, recordare mei, & viſita me.*] Hic locus non parum confirmat cogitationem meã, quæ pectus Ieremiæ nuper ferreum appellabat. Ad illam enim ſententiam facilè hæc accommodantur, ad aliam aptari quomodo poſſint, non video. Ait ergo Propheta, exploratum eſſe, quantùm in data ſibi cauſa laborauerit, quot ſe periculis expoſuerit, quot ſubierit hominum odia, quot diſcrimina. Quare orat, vt quod paulò ante promiſerat, nihil ſe mali à maleuolorum inſidiis accepturum, id vt reipſa præſtet, ſuíque inter tot diſcrimina conſtituti recordetur, tueatúrque.

51. Verſ.15. *Noli in patientia tua ſuſcipere me.*] Patientia non ſolùm tolerantiam, &, vt ita dicam, ſufferentiam ſignificat, ſed etiam moram, & ſpatium. Quo ſenſu dixit Chriſtus Lucæ capite 8. *Et fructum afferunt in patientia.* id eſt, expectando. & Matthæi capite 18. *Patientiam habe in me.* ideſt, da ſpatium laxum. & ad hunc modum in ſacra Scriptura *ſuſtinere*, ſæpe *expectare* valet. Pſalmo 29. 5. *Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.* quod longum tempus indicat. Sic Ieremias orat Deum, ne differat auxilium, ſed feſtinet ad adiuuandum; ſuſcipiat ipſum, non tamen longa interpoſita mora. Pro *patientia* Hebraicè eſt, *longitudo naſi. Naſum* porro ſumi pro furore: *naſum longum* pro patientia, ſeu pro ſupplicio dilato; ſicut *contractum*, ſeu *anguſtum naſum*, pro eo, qui eſt ad vindictam præceps, quíque vim ſibi afferre neſcit, diximus apud Iſaiam cap. 2. ad illud, *Cuius ſpiritus in naribus eius.*

Patientia, idem quod dilatio & mora.
Luc.8.
Matth. 18.
Suſtinere, idem quod ſperare.

52. *Scito, quia ſuſtinui propter te opprobrium.*] Rationem reddit, cur à Deo ſuſcipi, ac protegi debeat, quia & dura pertulit, & opprobrium ſuſtinuit, neque tamen ideo prophetandi munus intermiſit. Illud *ſcito*, idem eſt, quod *vide*, vel *conſidera.*

53. Verſ.16. *Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium.*] Locus hic variè à variis accipitur. Hieronymus, & cum eo ſanctus Thomas, & Hugo, Sermones, quos

A comedit, ideſt, à Domino accepit Propheta, dulces fuiſſe dicunt, quia, quæ ipſe prædixit, Dominus impleuit. Secundam explicationem addit Hieronymus, quam Rabbanus ſequitur, & Hugo, qui dicunt, grauem quidem, & amarum fuiſſe Prophetæ verbum Dei, quia dura nunciabat, eo tamen nomine fuiſſe non amarum, quia Diuinis mandatis obſecutus eſt. *Quod eximiam*, inquit Hieronymus, *Prophetæ virtutem oſtendit.*

Ego hîc cum Lyra exiſtimo, vt etiam Caſtrus probat, ſuſcepiſſe Prophetam ſermones Dei principiò cum gaudio, tum, quia à Deo, tum, quia futura prænoſſe, ſpiritúque nobilitari prophetico iucundum eſt. At poſtquam ſe ideo malè ab aliis accipi, & maledictis lacerari cognouit, in amaritudinem gaudium illud ingens conuerſum eſt. Quod nuper ipſe docuit, cum verſu 11. ſuprà clamauit: *Væ mater mea*, &c. Idem quoque accidit Ezechieli capite 3. qui allegoria non diſſimili comediſſe ſe dicit volumen, ideſt, accepiſſe prophetiam. *Et comedi*, inquit, *illud, & factum in ore meo ſicut mel dulce.* Poſtea tamen verſu 14. ait: *Spiritus quoque leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus in indignatione ſpiritus mei.* Vtrunque coniunxit, reſpiciens, credo, ad hæc Ezechielis, & Ieremiæ loca, Ioannes Apocalypſis capite 10. verſu 9. *Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cùm deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Idem puto ſignificari nunc à Ieremia, principiò dulcem illi viſam eſſe prophetiam: pòſt verò exulceratis Iudæorum animis plurimum habuiſſe acerbitatis, & fellis. 54.

Ezech.c.3.
Apoc.c.10.

B

C

55. *Quoniam inuocatum eſt nomen tuum ſuper me.*] Hæc ratio omnium grauiſſima, propter quam verbum Dei viſum eſt Prophetæ non amarum; quia ab illo profectum, quem agnoſcebat, atque colebat Deum: id enim valet, nomen Dei ſuper aliquem inuocari. Et quidem hæc vna ratio potentiſſima eſt, vt omnem ex rebus tollat amaritiem, ſi quod faciendum proponitur, aut à Deo præceptum, aut Deo gratum eſſe cognoſcitur. Quì enim durum homini ſapienti, ac pio illud videatur, quod Dominus probat? Quomodo non honeſtum, ac dulce, quod ſuo nobis Deus imperio, aut exemplo commendat? Sanè Dauid Pſalmo 118. verſu 11. iudicia Dei deſiderabilia eſſe dicit, *ſuper aurum, & lapidem pretioſum, & dulciora ſuper mel, & fauum.*

Deo parere, honeſtum, & dulce.

D

56. Verſ.17. *Non ſedi in concilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ.*] Prophetici miniſterij dignitas nihil ſcurrile patitur, nihil nugatorium; ac leue: quia viri à Spiritu afflati Diuino ſupra hæc vulgaria oblectamenta attollunt ſeſe. Hoc verò pars quædam eſt illius amaritudinis, quam cum libro, aut cum ſpiritu prophetico comederunt illi, de quibus nuper. Quare dum perfectè, & vt miniſterij ſanctitas exigit, munus à Deo datum obire ſtudet Ieremias, abſtinuit à riſu, neque ſe in turbam nugatorum dedit.

Vir Apoſtolicus abſtinet à nugis & à ioco.

E

57. *Et gloriatus ſum à facie manus tuæ.* Manus Domini prophetia dicitur; vnde ſæpe: *Facta eſt ſuper me manus Domini.* ideſt, ſpiritus propheticus. Quidam putant, *manum Domini*, non eſſe prophetiam omnem, ſed duram, & minacem, quæque alio modo dicitur *onus.* Quod licèt aliquando contingat, perpetuum tamen non eſt. Nam

Manus Dei, idem quod prophetia.

Eze

Ezechielis capite 38. verſu 1. vbi prophetia nihil continet aduerſum, immo afflictum populum ſpe libertatis conſolatur, manus tamen Domini dicitur: *Facta eſt ſuper me manus Domini.* Quidam ita diſtinguunt, vt periodus *à facie manus* incipiat, & tunc hanc putãt eſſe ſentẽtiã: *A facie manus tua ſolus ſedebã, quoniam cõminatione repleſti me.* ideſt, propter manum duram, & propter prophetiam minacem triſtis ſedebam: ſed placet magis vulgata diſpunctio: iuxta quam duplex apparet expoſitio, & vtraque grauis, nec abs re. Altera, vt illud, *&*, non coniunctiuè ſumatur, ſed cauſaliter, in hunc modum: Non ſedi in concilio ludentium, neque ex ciuium meorum, aut magnatum congreſſu voluptatem mihi, aut gloriam quæſiui: ſatis enim mihi gloriæ, ac voluptatis habui ex tuo conſortio, ac familiari propè conuictu, quia manus tua mecum eſt, dum ſpiritum mihi propheticum impertiris. Quòd verò, *&*, cauſaliter ſumatur, oſtendimus ſæpe in hoc Propheta, & res eſt nota.

58. Altera eſt, ſi per Zeugma repetatur negatio, quod etiam vſitatum eſt in ſacra Scriptura, vt latè docuimus ſuper Iſaiam ad caput 53. verſu 10. Tunc verò Propheta rationem reddit, cur ipſius cauſam Deus ſuſcipere, tuerique debeat: quòd nulla ex re voluptatem ſibi venetur, aut gloriam, niſi ex Diuina voluntate. Nam ab hominibus, qui ludicris dant tempus, & operam, quorum abominatur congreſſum, non ab honore oblatæ prophetiæ, quem tanti faciunt homines, humanæ gloriæ ſtudioſi, vt ſe Prophetas eſſe dicant, falsò tamen, ſibíque commercium eſſe cum Deo mentiantur. Iuxta hæc ita leges: *Non ſedi in concilio ludentium, neque gloriatus ſum à facie manus tua. A facie* verò idem eſſe, quod *propter*, nimis eſt notum: vtraque expoſitio mihi videtur facilis; ſed placet poſterior magis.

59. *Quoniam comminatione repleſti me.*] Cur neque ex congreſſu hominum, aut ex honore, quem ex prophetico nomine habere poterat, voluptatem capere potuerit, ea cauſa eſt, quoniam dura prophetia (quam comminationem vocat, quia grauia minatur contribulibus) ipſum comminatione, ideſt, horrore compleuit, quæ tanta fuit, vt omnem gaudendi, aut gloriandi facultatem abſtulerit. Sumitur autem *comminatio* pro malis, quæ comminatur Deus; ſicut *timor*, pro periculo, quod timemus; aut *ſpes*, pro commodis, quæ ſperamus: & in vniuerſum actio pro illius obiecto, quod intuetur, aut in quo verſatur; vt docuimus ſuper Iſaiam cap. 53. verſu 51.

Tractat hunc locum ad mores grauiter Gre-
60. gorius libro 4. Moralium, capite 35. qui diſtin-
Dei minæ non ſinunt quietum eſſe animũ.
ctionem illam ſequitur, quam nos ſuprà minùs
probabamus: vbi oſtendit, alienum periculum,
& incommodum, aut quod nos antè à Domino
pertulimus, debere nobis illum timorem, aut
animum iniicere, vt nunquam eſſe debeamus
non ſoliciti. *A facie* (inquit ex Ieremia) *manus tua*
ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me. Fa-
cies quippe manus Domini eſt illa percuſſio iuſti iudicij,
quo ſuperbientem hominem à paradiſo repulit, & in hac
cæcitate præſentis exilij incluſit; comminatio verò eius eſt
terror adhuc ſupplicij ſequentis. Poſt faciem igitur ma-
nus adhuc nos minæ terrificant, quia per experimentum
iudicij iam nos & pœna præſentis exilij perculit: & ſi
peccare non deſiſtimus, æternis adhuc ſuppliciis adiicit.
Conſideret ergo vir ſanctus, proiectus hic vnde homo ce-
ciderit, atque hunc poſt iſta peccantem, quò adhuc iuſti-
tia iudicantis rapit, & cunctas à ſe deſideriorum tempo-
ralium turbas eiiciat, séque in magna mentis ſolitudine
abſcondat dicens: A facie manus tua ſolus ſedebam: quo-
niam comminatione repleſti me. Hæc Gregorius. neque valde diſſimilia Hieronymus.

Verſ. 18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus: & plaga mea deſperabilis renuit curari?*] 61.
Cùm Ieremias præſtitiſſe ſe diligenter dicat, cum ſummo non ſolùm honoris, ſed etiam vitæ periculo, quę à Domino præcepta fuerant: quæri videtur, cur ipſius ſalutis, ac doloris abieciſſe Deus curam appareat. Quare (inquit) dolor tua cauſa ſuſceptus nullum aut interuallum, aut leuamentum habet? cur eò adducta plaga, quam dum tuis mandatis conſtanter inuigilo, àb hoſtibus accepi, vt nulla videatur leuari poſſe medicina? Id enim valet *deſperabilis*, &c. *renuit curari.*

Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.] 62.
Vbi Vulgatus, *facta eſt*, Hebraicè, תהיה *tihieh*, quod tertiæ perſonæ generis fœminei poteſt eſſe, & ad plagam referri; & ſecundæ perſonæ maſculini, & ſpectare ad Deum. Poſterius hoc ſentiunt omnes, qui recenter ſacra Biblia Latinè conuerterunt, Pagninus, Vatablus, Iſidorus, Tigurina: quos ex parte videtur ſequi Maldonatus, dum Deo adſcribi putat à Ieremia, quòd ipſius plaga curata non ſit. Si cum his in ſecunda perſona ſtatuas, ſenſus eſt non difficilis: nempe, Fuiſti, ô Domine, mihi tanquam aqua infidelis, & mendax, quæ tunc deficit, quando magis illam æger deſiderat. Cùm enim à te meæ plagæ medicinam, aut doloris leuamentum expectarem, ecce eò redactus ſum, vt de ſolatio, ac ſanitate deſperem.

63. Alij ad plagam referunt, vertúntque, *facta eſt* cum Hieronymo, in quibus ſunt ſanctus Thomas, & Hugo; qui putant his verbis ſe ipſum Prophetam conſolari: quia plaga iſta, quæ videtur fore perpetua, futura erat fallax, atque deficiens, perinde atque aqua infidelis, quæ tunc deficit, quando optatur magis, aut quando magis videtur eſſe neceſſaria. Sed ſanè dura eſt hæc expoſitio; neque ſatis conſentiens cum dolore, qui proximè dicitur perpetuus; aut cum plaga, de qua, vtpote iam incurabili, deſperandum eſſe dicit. Alias expoſitiones afferunt Dionyſius, Hugo, & Lyra hîc, item ſanctus Thomas, & Auguſtinus libro 2. contra literas Petiliani, quas tu vide: neque enim mihi omnia referre voluntas eſt, aut otium: dicam tamen breuiter, quod mihi præter ea occurrit non difficile.

Et primùm probo, laudóque, vt fas eſt, Vul- 64.
gati conuerſionem, quæ tertiam perſonam fœ-
mineam magis agnouit, quàm ſecundam ma-
ſculinam. Deinde placet in, *facta eſt*, intelligen-
dam eſſe prophetiam, aut verbum Dei, vt pu-
tauit Chaldæus. Quod ſi ita ſtatuas, ſenſus erit:
Aut promiſſio tua, à qua ſperabam omnia, aut
prophetia, cuius abs te ſpiritum, & miniſterium
accepi, fuerunt mihi quaſi infideles aquæ: cùm
enim à promiſſione tua, & à prophetico ſpiritu
pacem ſperarem, honorem, & otium, omnia
mihi ſucceſsêre contraria. Omnes enim me ma-
ledictis, atque odio proſequuntur, indignúmque
iudicant ſuo congreſſu. Sed credo, faciliorem 65.
explicationem eſſe (nam hîc aliquid video mi-
nùs expeditum) ſi illud, *& facta eſt*, neutraliter ac-
cipias, quod fieri in ſacris literis non infrequen-
ter, norunt eruditi mediocriter: & in hac ipſa

voce ſunt exempla non pauca. Pſalmo 118. verſu 50. *Hæc me conſolata eſt.* & verſu 56. *Hæc facta eſt mihi.* Pſalmo 33. *Pro hac orabit ad te.* quibus locis adhiberi debuit genus neutrum. Si ita accipias, ſenſus eſt facilis: hoc, quod ſuprà commemoraui, nempe, nihil magis eſſe pretioſum, aut gratum, quàm parere tibi, & quò tibi placerem, abſtinuiſſe à ludentium concilio; vnde credebam, nihil meis commodis, aut votis fore contrarium: hoc, inquam, factum eſt mihi tanquam aquæ mendaces, & infideles, quæ tunc hiantem, & mœſtum agricolam relinquunt, cùm magis aridus campus cæleſtes imbres, aut fontanos torrentes ſitiebat. Porro ſicut aquæ fideles illæ dicuntur, quæ tempeſtiuè adueniunt, neque fallunt agricolarum ſpem; de quibus Iſaias capite 33. verſu 16. *Aquæ eius fideles ſunt*: ſic aquæ fallaces, mendaces, aut infideles dicuntur illæ, quæ non reſpondent aut agrorum ſiti, aut agricolarum votis. Vtrumque prouerbialem habet formam. Vide quæ diximus ad caput Iſaiæ, de quo proximè.

PROV. Genus fœminenum pro neutro.

PROV.

66\. Verſ. 19. *Si conuerteris, conuertam te: & ante faciem meam ſtabis.*] Hic quoque locus aliquod habet impedimentum. Pro; *conuerteris*, Hebraicè eſt, תשוב *tabſub* in futuro: quare quidam paſſiuè in futuro indicatiui legunt, *Si conuerteris*; & ita notatur in Bibliis nuper à Sixto correctis. Recentiores, *ſi conuertaris*, reddunt: Hieronymus actiuè reddit, vt ex eius Commentariis conſtat; quod item faciunt Septuaginta. Porro hæc verba ad populum ſpectare cenſet Maldonatus, cui Deus promiſit, ſi ſe à via, quam inſtituit iniquam, ſe conuertat, fore, vt conuertatur ab iis incommodis, quæ propediem impendent. Hieronymus, quem alij propè omnes Interpretes ſequuntur, actiuè, vt dixi, verbum exponit, in hanc ſententiam: Si conuerteris, ô Ieremia, populum à ſua iniquitate, ego quoque conuertam te, ac liberabo ab his infortuniis, quæ tibi omnia inflicta iam, aut in poſterum impendere doles: & ad hæc faciam, vt coram me tanquam fidelis, honorariúſque miniſter ſemper aſſiſtas.

67\. Alij, qui paſſiuè hæc interpretantur, admoneri putant Prophetam, vt ſe ipſum conuertat ab eo ſenſu, ſiue moleſtia, quam præ ſe ferre videtur, cùm de maledictis in ſe iactatis, ſuorúmque maleuolentia queritur; aut à diffidentia, qua Deo minùs fidere videbatur: ex quo id conſequetur commodi, vt antè faciem Domini familiariter ſtet. Ita Vatablus, quod Caſtrus videtur non improbare.

68\. Ego primùm ſtatuo, hæc ſpectare ad Ieremiam, quod omnes penè cenſent. Deinde mihi videtur, non tam hîc Ieremiam reprehendi, quòd impatienter ferat inimicorum odia, aut quòd de Dei promiſſione, ac fide dubitare videatur, quàm admoneri, vt in eo, quem inſtituit, viuendi modo, atque conſtantia perſeueret. Dixerat autem Propheta, abſtinuiſſe ſe à ludentium cœtu, &, quò Deo obſequeretur in datis ſibi partibus, ſediſſe ſolum ſeorſum à turba, & in vno Deo voluptatem, & gloriam ſuam collocaſſe. Hoc laudat Deus, vtque in officio pergat, hortatur. Si conuerteris (inquit) ad me, quod facis, aut ſi conuerteris te à nugatorum, atque ludentium cœtu, ego conuertam te, ab iis nempe malis, & incommodis, quibus te propoſitum eſſe quereris. Cúmque à me Propheta deſignatus iam ſis, tamen in eo genere aliquid habebis eximium:

A nam, quod fidelibus miniſtris, domínique voluntati ex animo deditis, concedi ſolet, vt aſſiſtant ante faciem domini familiariter, id à me habebis: ex quo id quoque tibi accidet perquàm egregium; quòd te libenter aſpiciam, ornabóque quotidie ſingularibus donis.

Hæc mihi dici videntur magis ex dignitate 69.
Prophetæ, quem de Dei promiſſis dubitaſſe non credo. Quòd verò grauia illa incommoda, quæ ſuprà commemorauit, moleſtè ferat mortalis homo, cùm tamen interea nihil habuerit gratius, nihil optabilius, quàm in omni mandato ſubeſſe Deo; non eiuſmodi ſunt, vt offenſioni Domino ſint, & à quibus conuertere ſe debeat Ieremias, aut propter quæ à maledictis, & plagis liberari non debeat. Neque tamen illorum B ſententiæ, qui in Ieremia aliquid deſiderant aut tolerantiæ, aut confidentiæ, admodum repugno; quia verba, quibus dolorem ſuum, aut ærumnas fatetur, grauia ſunt, & doloris plena.

Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.] 70.
Qui ſuperiora ſic expoſuerunt, vt in illis agi exiſtimarent de populi conuerſione, pro qua Dominus amplam pollicetur mercedem, ſatis conſequenter hîc putant, eandem contineri ſententiam: nempe, ſi pretioſum Ieremias à vili ſeparauerit, ideſt, ſi animas, rem ſanè pretioſam, à vitiorum viliſſimis ſordibus abduxerit, fore, vt quaſi os Domini ſit, ideſt, conſiliorum conſcius, C & interpres (quæ Prophetæ deſcriptio quædam eſt) quod item ſuprà pollicitus videtur, cùm dixit: *Ante faciem meam ſtabis.* Ita ex Interpretibus exponunt ſanctus Thomas, Dionyſius, Hugo, Maldonatus, & Caſtrus. Paulò aliter Chaldæus, & Vatablus, qui illud, *quaſi os meum*, ſic accipiunt: quaſi Deus completurus ſit, quidquid ipſius nomine Propheta prædixerit. Hieronymus paulò aliter cum Rabbano, *quaſi os meum eris*, ſic exponunt: *præceptis meis copulaberis*, ideſt, vt ego interpretor, cooperaberis cum præceptis meis, aut ſocium te mihi adiunges, vt illa compleas, quæ ego volo, fieríque præcipio. Eſt autem voluntas Domini hominum iuſtificatio, 1. ad Theſſalonicenſes 4. verſu 3. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio* D *veſtra.* & hoc præcipuum Diuinæ legis opus, Pſalmo 118. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.*

Dei voluntas eſt hominũ ſalus.

Porro hic locus iuxta hanc explicationem 71.
grauiſſimus eſt ad commendandum ſtudium, & zelum de animarum ſalute procuranda, quem mirè attollunt, & amplificant Patres. Gregorius libro 33. Moralium, capite 23. *Pretioſum à vili ſeparat, qui humanas mentes à reprobâ antiqui hoſtis imitatione diſiungit. Rectè os Dei dicitur, quia per eum proculdubio eloquia Diuina formantur.* Pondera illud, *eloquia Diuina formantur*, quia verba, quæ ſalutem captant animarum, Spiritus Dei fingit, animátque, quæ aliquid ſpectant aliud, vereor, ne diabolus E formet in nugatorum labiis. Eadem repetit libro 18. Moralium, capite 23. Sed omnium grauiſſimè, atque eloquentiſſimè Chryſoſtomus, tomo 1. homilia 5. contra Iudæos, vbi oſtendit, qui ſe ad conuerſionem animarum comparat, illíque nauat conſtantem operam, magnum inueniſſe theſaurum, linguámque fœdiſſimis iniquitatum ſordibus ſic emundari ſermone ad animarum conuerſionem temperato, vt fieri poſſit Diuinæ ſimilis. *Cogita* (inquit) *quàm multa tuum os frequenter peccauerit, quam multa verba obſcœna protulerit, quàm multa conuiuia, quàm multa maledicta*

In eo qui ſaluti ſtudet animarum, Deus loquitur.

Zelus animorum valde vtilis, & eo nullum Deo ſacrificium gratius.

eructauit

enomuerit, & omnino ſuſcipias collapſi curam: nam hoc vno benefacto, omnem illam delere maculam poteris. Et quid dico delere? facies, vt ſit os tuum ſicut os Dei. Et homilia 1. in Geneſim, dum hunc explicat locum, grauiſſimis commendat verbis animarum zelum; dicitque longè eſſe maius, atque excellentius opus, proximorum animas à peccatis extrahere, monendo, docendo, monſtrando Diuinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum malè olentia, quàm quouis alio modo proximorum periculis occurrere, aut neceſſitatem leuare. Quod multò grauiùs ſignificauit oratione 3. contra Iudæos, in fine, vbi non tam gratum eſſe Domino dixit, templum excitari Salomonio maius, & illuſtrius, quàm in conuerſis ab iniquitate animis templum erigi viuum viuenti Deo. Quod etiam ſenſit Gregorius homilia 12. in Ezechielem, vbi animarum zelo nullus eſſe maius ſacrificium affirmat.

72. *Quantum noceat nugatorum cœtus.* Ego, vt par eſt, explicationem hanc tot virorum auctoritate confirmatam amplector, & laudo: licebit tamen aliam adducere, in re vſque adeò obſcura, & varia; quam ad aliam non diſſimilem explicationem, quæ ad id, quod proximè anteceſſit, à nobis adducta eſt, attemperabimus: ſic enim explicabamus illud, *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem ſtabis*; ſi ludentium auerſatus conſortio ſtudium tuum ad me, animúmque conuerteris, ego te conuertam, liberabóque ab iis, quæ tibi inflicta, aut intentata quereris; faciámque, vt mecum familiariter agas, ſtéſque coram me, ſicut ante Domini faciem ſtare ſolent, qui in magna apud illum gratia ſunt. Idem credo nunc per quandam epexegeſim iterari, *Si ſeparaueris pretioſum à vili*, ideſt, diſcrimen aliquod agnoſcas, ſtatuáſque inter ea, quæ vilia ſunt, quæque ludus, & nugæ exiſtimari debent: inter ludentium nimirum conſilia, & ludicra, & inter me, meáque mandata, illa vt auerſeris, vt facis, his vt adhæreas; *quaſi os meum eris*, ideſt, *ſtabis ante faciem meam*, accipies à me oracula, verba mea

A loquêris, atque eris *quaſi os meum*; quia non aliter loqueris, quàm vt ego loquerer, aut quàm a me tibi præſcriptum eſt. Neque omiſſum eſt, quod in ſuperiori clauſula poſitum fuerat, *& te conuertam*: nam eorum loco poſita ſunt, quæ proximè ſuccedunt, vti etiam verbum, *conuerto*, apparet. Quæ eò ſpectant omnia, vt doceant, Prophetam ab omni liberandum eſſe periculo; neque obtrectatores, & maledicos in ipſum habituros facultatis aliquid, aut iuris. In his ego nihil diſtortum, aut violentum inuenio; in aliis eſt aliquid, quod cum adiunctis non admodum cohæreat.

Conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos.] 73. *Conuerti, inferiorum eſt.*
B Conuerti ad aliquem, eſt adire aliquem, auxilij, aut ſocietatis ineundæ gratia; aut certè, vt illius exploretur, impleatúrque voluntas: quomodo homines ad Deum conuerti dicuntur, cùm gratiam ab illo conciliare ſtudent, à quo priùs fuerant auerſi: aut quando intento in aliquem animo, quid ipſi aut voto ſit, aut vſui, comparare ſtudent. Sic Sponſus, Canticorum capite 7. intentis erat oculis, animóque in Sponſæ commoda vigilanti, quando de ipſo Sponſa cecinit: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Hinc conſtabit, quid Deus Ieremiæ promittat: tantum nempe abfore, vt ſupplex futurus eſſe debeat illis, de quorum nunc iniuriis queritur, aut quorum minas, & audaciam timet, vt illi potiùs C venturi ſint ſupplices, eiúſque gratiam, & amicitiam quæſituri. Cant.7.

Verſ.20. *Et dabo te populo huic in murum æreum.*] Explicat, quo modo fieri poſſit, vt inimicorum arma, atque conſilia nihil habitura ſint momenti contra Ieremiam: nam & illum inſtar ærei muri illorum machinationibus opponet; neque ipſe deerit tanquam propugnator acerrimus, cuius virtuti nihil non ſuccumbet. Hæc porro verba promiſſionem illam confirmant, de qua eiſdem penè verbis ſuprà cap.1.verſu 18. Hæc de capite decimoquinto.

ARGVMENTVM CAPITIS XVI.

GRAVEM prædicit Iudæorum cladem, illámque miris modis amplificat. Primùm vetat, ne Ieremias in ea regione gladio iam, atque incendio deuota, vxorem ducat, filióſque ſuſcipiat, ne ad gladium potiùs, & famem, quàm ad vitam genuiſſe videatur. Deinde docet, futurum eſſe nemini ſepulcrum, ac funeris honorem, pro eorum multitudine, quos ferrum, aut alij caſus extinguent. Eam denique docet fore apud Babylonios ſeruitutem, vt pluris æſtimetur, ab ea liberari, quàm olim ab Ægyptia. Tanti verò mali peccatum affirmat eſſe cauſam. Ad extremum Ieremias, tum ex ſupplicio priùs, tum deinde ex libertate Iudæorum, quæ omnia Diuina operabitur manus, coniectat ad Deum, qui ſolùm fidelis, & potens cognoſcetur, à Gentibus plurimos ab vltimis terræ finibus fore conuertendos.

IEREM. CAP. XVI.

1. *ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens:*

IN IDEM CAP. PARAPH.

1. ACcepi à Domino rurſus hoc verbum:

2. Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco iſto.

3. Quia hæc dicit Dominus ſuper filios, & filias, qui generantur in loco iſto, & ſuper matres eorum, quæ genuerunt eos: & ſuper patres eorum, de quorum ſtirpe ſunt nati in terra hac:

4. Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non ſepelientur, in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt: & gladio, & fame conſumentur: & erit cadauer eorum in eſcam volatilibus cæli, & beſtiis terræ.

5. Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos: quia abſtuli pacem meam à populo iſto, dicit Dominus, miſericordiam, & miſerationes.

6. Et morientur grandes & parui in terra iſta: non ſepelientur, neque plangentur, & non ſe incîdent, neque caluitium fiet pro eis.

7. Et non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo, & matre.

8. Et domum conuiuij non ingrediaris, vt ſedeas cum eis, & comedas, & bibas:

9. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.

10. Et cùm annunciaueris populo huic omnia verba hæc, & dixerint tibi: Quare locutus eſt Dominus ſuper nos omne malum grande iſtud? quæ iniquitas noſtra? & quod peccatum noſtrum, quod peccauimus Domino Deo noſtro?

11. Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres veſtri, ait Dominus: & abierunt poſt deos alienos, & ſeruierunt eis, & adorauerunt eos: & me dereliquerunt, & legem meam non cuſtodierunt.

12. Sed

A 2. Non duces vxorem, Ieremia, in loco iſto: neque ex ea filios, ſiue filias accipies.

3. Sic enim, ait Dominus, de filiis, filiabúſque in hoc loco, atque hoc rerum articulo ſuſceptis, & de patribus, quorum ſatu, ac matribus, quarum conceptu generati ſunt.

4. Hi enim lento, atque moleſto morbo morientur, neque erit, qui legitimo plãctu illos proſequatur, aut ſepulturæ mandet, ſed omnes inhumati tabeſcent, iacebúntque non aliter, quàm ſterquilinium in
B aperto loco: aut gladio conſumentur, & fame; quorum cadauera terræ beſtias paſcent, & cæli volucres.

5. Hæc item ad Ieremiam dicit Dominus: Annuncia non iam futurum eſſe ferale conuiuium, quod exhiberi ſolet in defunctorum exequiis, neque legitimum impendendum planctum, aut obeundum ſolenne conſolationis officium. Ego enim, inducto Chaldæorum exercitu, omnia pacis ornamenta ſuſtuli, quia etiam longè à populo miſerationem, & miſericordiam remoui.

C 6. Quia re vera tam maiores, quàm minores natu in hac regione morientur, neque inferentur ſepulcris, neque legitimo honeſtabuntur planctu; neque erit vllus, qui ferali more aut comam detondeat, aut carnem incîdat.

7. Neque illud officij, ac pietatis opus adhibebitur, quod præſtari ſolet cognatis de ſuorum interitu dolentibus, dum panem frangunt, & calicem porrigunt, vt conſolentur eos, qui parentum mortem piè, ac miſerabiliter lugent.

D 8. Annunciabis præterea non iam ampliùs futuras lætas, ac geniales epulas, neque in menſarum accubitu cibis eſſe, aut poculis vacandum.

9. Quia ego, dicit Dominus, ab oculis veſtris, & in diebus veſtris, toto nempe captiuitatis tempore, tollam illa, quæ vobis voluptati eſſe potuerunt, geniales, videlicet, & nuptiales cantus, & vocem aliam quamcunque feſtiuam, quales eſſe ſolent nouorum coniugum in epithalamiis can-
E tilenæ.

10. Cùm autem populus hæc abs te audierit, & cum ſtomacho rogauerit, cur hæc ipſe tam acerba nunciaueris, & propter quod facinus, & quam ob cauſam hæc ipſis perferenda ſint,

11. Hanc illis tantæ cladis cauſam fuiſſe dices nomine meo: quia parentes olim, me derelicto, alienos deos quæſierunt ſibi, illiſque pertinaciter adhæſerunt, ſeruierunt, atque ſupplicarunt. Neque quid à me præceptum eſſet, curauerunt.

12. Quare

12. *Sed & vos peius operati eſtis, quàm patres veſtri: ecce enim ambulat vnuſquiſque poſt prauitatem cordis ſui mali, vt me non audiat.*

A 12. Quare iampridem parentes illa commeruêre ſupplicia, neque ipſi fuêre parentibus meliores, ſed ad parentum errata aliquid etiam grauius adiecerunt: ſuum enim quique genium, & deprauati animi immoderatum impetum ſequuti ad meas voces prorſus obſurduerunt.

13. *Et eiiciam vos de terra hac, in terram, quam ignoratis vos, & patres veſtri: & ſeruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

13. Eiiciam ergo vos, dicit Dominus, de terra hac in terram aliam, neque vobis, neque parentibus veſtris vnquam exploratam, vbi diis alienis ſeruitutem ſeruietis inclementem, & duram, qui vos die, ac
B nocte continenter oppriment, neque vllum dabunt à ſeruitute, atque onere leuamentum.

14. *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur vltrà: Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aegypti,*

14. Erit autem vſque adeò grauis, & ærumnoſa captiuitas, vt maius exiſtimetur beneficium nunc à Babylonica, quàm olim ab Ægyptia ſeruitute redimi. Quare in iureiurando concipiendo, non dicetur vltrà, *Viuit Dominus*, qui filios Iſraël ab Ægyptia ſeruitute liberauit.

15. *Sed, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aquilonis, & de vniuerſis terris, ad quas eieci eos: & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum.*

15. Sed dicetur, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aquilonari, &
C de vniuerſis terris, in quas egó diſperſi. Futurum eſt enim, vt aliquando in terram ſuam reſtituantur à me; in illam, inquam, terram, in quam olim parentes eorum introduxi.

16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.*

16. Nam vbicumque locorum fuerint, in alienas regiones ex ſuis finibus abducentur captiui. Mittam enim Chaldæos, qui quaſi piſces, illos intra mœnia, & quaſi intra viuaria concluſos comprehendant. Et ſi inde ſe præſidij gratia ad colles præaltos, & ad montium cauernas ſe recipiãt, venatorum in morem iidem tanquam fe-
D ras extrahent è cubilibus, aut in ſyluis ſolerti, atque indefeſſa indagine venabuntur.

17. *Quia oculi mei ſuper omnes vias eorum, non ſunt abſcondita à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.*

17. Eiuſmodi mihi pœnas dabunt, quia oculi mei illorum vias, atque conſilia ſpeculantur, neque illos, quid velint, quid meditentur, aut deſignent, latêre poteſt.

18. *Et reddam primùm duplices iniquitates, & peccata eorum: quia contaminauerunt terram meam in morticinis idolorum ſuorum, & abominationibus ſuis impleuerunt hæreditatem meam.*

18. Dabunt mihi pœnas pro peccatorum meritis diuturnas, & graues, quia terram, quam ego mihi quondam elegi, & hæreditatem meam eſſe volui, morticiniis eorum, quæ idolis immolarunt, ideſt, nefariis abominationibus, impleuerunt, atque
E contaminarunt.

19. *Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit.*

19. Domine (inquit Ieremias) verè ſcio, tua potenti, ac liberali manu, vt nuper oſtendiſti, aſſerendum in libertatem fore captiuum populum: quare in tempore tribulationis, & anguſtiæ, te vnum fortitudinem, & perfugium meum eſſe fateor. Et cùm id Gentes ex reſtituti populi viciſſitudine didicerint, ab vltimis vſque terræ finibus, ad te conuolabunt, ingenuè confeſſæ mendacium eſſe, & meras nugas, qui

20. *Nun* apud

A apud ipſorum parentes Diuinam obtinuerunt opinionem, & nomen, cùm ex illorum religione, ac cultu nihil vtilitatis conſequuti fuerint.

20. *Nunquid faciet ſibi homo deos, & ipſi non ſunt dij?*

20. Nunquid, dicent Gentes, meliori iam mente, in eo aliquid poteſt eſſe Diuinum, quod mortalis operata eſt manus, & quod ab hominum arte, atque induſtria dependet? nihil profectò minus.

21. *Idcirco ecce ego oſtendam eis per vicem hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam: & ſcient quia nomen mihi Dominus.*

21. Idcirco, dicit Dominus, hoc vno facto, extrudendo nempe populum, & deinde ab exilio reuocando, oſtendam manum meam, atque potentiam, & ad vulnerandum grauem, & ad ſanandum efficacem, & mollem, ſibi Gentes perſuadebunt, in me neque vanum eſſe, neque ſine magno meo merito Domini nomen.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM IEREMIÆ.

Verſ.2. *Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco iſto.*]

1. *Vxor. graue impedimentum.* PERSEQVITVR durũ ſuper Hieroſolymam vaticinium, quod primùm facto, deinde verbis obiicit, & exponit. Monet enim, vt a coniugio abſtineat, filiorúmque ſatu; quia hæc, impendente ciuitatis ſtrage, opportuna non ſunt. Vxor enim, cui vir quodammodo alligatus eſt, difficilem reddit, & indecoram fugam: neque tunc liberi tam videntur ad vitam nati, quàm ad gladium. Quod expertæ ſunt infortunatæ matres, quarum filij aut fame periêre, aut hoſtili manu ad ſaxum alliſi. Sanè de ſimili ciuitatis excidio dixit Chriſtus Lucæ capite 23. verſu 29. *Venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.*

2. *Ieremias virgo.* Ex hoc loco nonnulli coniectant, neque temerè, virginem fuiſſe Ieremiam: ſi enim vxorem duxiſſet priùs, eodem eſſet impeditus modo, atque ſi nunc induceret nouam. In captiuitate verò vſque adeò miſera, non eſt veriſimile de ducenda vxore cogitaſſe. Sanè virginem fuiſſe docent Patres illi, quos in eam ſententiam ſuprà produximus Prolegomeno 5. vbi ea de re plura.

REGVLA. *Et, disiunctiua, pro* vel. Illud, *&*, in *filij, & filiæ*, non tam copulat, quàm diſiungit extrema; quod alibi ſæpe facit: quaſi dicat, *filij, vel filiæ*. Sicut Exod. 21. *Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.* Heb. *patrem, & matrem.* Et 1. Cor. 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis.* pro, *vel calicem.* Quod explicatur ſtatim dum additur: *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem.*

3. Verſ.4. *Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non ſepelientur: in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.* Septuaginta θανάτῳ νοσερῷ id-eſt, morte morboſa, ſeu à morbo profecta, ſeu quæ morbi inſtar ſit. Mors autem ægrotationis illa eſt, quæ non ſtatim extinguit; qualis eſt,

B quam gladius, ſeu præcipitium affert; ſed lenta, & quæ paulatim debilitat, & conficit, qualis eſt fames, & peſtis. His duobus credo præſertim periiſſe, qui ſub hoc tempus nati ſunt in Ieruſalem: vt enim multi infantium ferro ſint conſumpti, aut ad ſaxum alliſi; tamen eorum plerique fame, aut peſte, aut alio quouis morbo ſublati ſunt. Neque enim infantilis ætas perferre poterat famis incommoda, donec tandem poſt longum tempus, capta ciuitate, res eſt ferro, atque incendio peracta.

Quidam mortes ægrotationum de fame tantùm, vt Chaldæus; alij de fame, & peſte, aliiſque modis, qui vel à vi, vel à morbo prouenire ſolét,
C interpretantur. Ego in morte ægrotationis nihil aliud intelligo, quàm quę à morbo prouenit: nam ſtatim de fame, & gladio ſeorſum agitatur. Quòd ſi de aliquo ſpeciali mortis genere agendum eſſet, de peſte potiùs acciperem, quando ægrotationis nomen fami, aut ferro conuenire non poteſt; & cùm horum duorum Propheta meminerit, de peſte nihil dixit, quia nempe illam ægrotationis nomine ſignificarat.

Non plangentur, & non ſepelientur.] In peſte, aut 4.
bello, aut vbi plures cateruatim moriũtur, nullus eſt aut ſepulcrorum honor, aut funeris, ſeu exequiarum planctus; quia nemini tantum eſt otij à ſuo ſiue metu, ſiue periculo, aliena vt curet.
D Cùm ergo neque ab hoſte, neque à domeſticis malis quiſquam futurus ſit liber in anguſta ciuitatis obſidione, tabeſcent in medio platearum ſtrata cadauera inflata, atque inhumata. Porro planctus non eſt tam luctus, & gemitus, qui cum lacrymis, ac lugubri eiulatu fit, quàm honor ipſe, qui impendi ſolet mortuis, etiam à non plorantibus, immo etiam à non dolentibus; qualis eſt, qui & pulla veſte, & ardentibus facibus ſpectari ſolet, vt docet pluribus Hieronymus in epiſtola

25. ad Paulam: & nos eadem de re pluribus, in A
noſtris Commentariis ſuper Iſaiam capite 21. ad
illud, *Omnem gemitum eius ceſſare feci.*

5. *Sterquilinium quid.* *In ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.*] Sterquilinium dicitur locus immundus, quæcunque in illum ſordes congeſtæ fuerint. Quare in ſterquilinio iacuiſſe dicitur Iob, tametſi in illo nihil fortaſſe fuerit præter ſqualorem, & odorem grauem, qui ex exulceratis, tabéque fluentibus membris relinquebatur. Quemadmodum terra ſtercus appellatur Pſalmo 112: *Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Item puluis, 1. Regum 2. *1.Reg.2.* *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem.* in vtroque loco epexegeſis docet, *ſtercus* idem eſſe, quod *terra*, & *puluis.* Sic puto; B ſterquilinium hîc vocari locum illum, in quem mortuorum cadauera congeſta ſunt; neque aliud eſſe puto, ſepultura aſini ſepeliri, quod de Ioacim dicitur Ieremiæ capite 22. quàm ſuper terram inhumatum iacere, vbi cornos paſcat, & à canibus laceretur: neque enim in eo, quod propriè ſterquilinium dicitur, ſemper putreſcunt aſini, ſed in eo plerunque loco, vbi eos cadere contigerit. Sanè, qui duce Siſara ceciderunt de Madian, quia inſepulti manſerunt, facti ſunt ſtercus terræ, atque ideo cadauerum illa congeries ſterquilinium appellari potuit. *Pſal.83.* Pſalmo 83. *Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ.* Hebraicè, *facti ſunt ſtercus.*

6. *Epulum in Hebræorum funeribus.* Verſ.5. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum.*] Ab adiunctis oſtendit, C præcipítque Deus, nullum eſſe futurum ſepulturæ honorem, cùm illa, quæ comitari, honeſtaréque ſolent mortuorum exequias, procul à mortuorum funere abfutura ſint. Solebant autem Hebræi lautas in parentalibus adornare menſas: quod omnium optimè docet iſte Ieremiæ locus. Sed ad hanc conſuetudinem alibi frequens alluſio. Quanto ſtudio fuerit olim Hebræis, his funeralibus epulis parentari cognatis, docet Ioſephus libro 2. de Bello, capite 1. in principio, vbi ſic de Archelao: *Diebus ſeptem in lugendo patrem conſumptis, epuliſque feralibus prolixè populo exhibitis (hic autem mos apud Iudæos neceſſario multos ad inopiam redegit: nam qui eum neglexerat,* D *impius æſtimabatur) candida veſte indutus procedit ad templum.* Hoc verò eſſe apud Gentiles penè legitimum, non ſolùm ſacri, ſed etiam profani ſcriptores apertè clamant. *Idem apud Gentiles.* De Græcis docet hîc Hieronymus, qui huiuſmodi epulas περίδειπνα nuncupari tradit. De Athenienſibus docet Pollux, præfectos funerum curare ſolitos, ne deeſſet parentale conuiuium. De Scythis docet Herodotus libro 4. De Romanis docent multorum exempla, qui teſtamento iuſſerunt, vt publicum epulum in funere ſuo præberetur populo. Teſtantur id adhuc mortua ſaxa, in quibus defunctorum epitaphia legimus: ſed eſſe non vſitatum tantùm, ſed ſolenne, atque legitimum, ita E vt illud ferale munus omittere nefas putaretur, docemur à Perſio, qui Satyra 6. ab hærede parentale conuiuium indicat exhiberi ſolitum:

> —— *Sed cœnam funeris hæres*
> *Negliget iratus, quod rem curtaueris, vrna*
> *Oſſa inodora dabit.* ——

Vide, ſi otium eſt, Giraldum in libro de ritu ſepeliendi, & Alexandrum Neapolitanum libro 3. capite 7. vbi multorum adducit exempla, qui in cognatorum funere viſcerationes populo tribuerunt, quæ genus quoddam epuli ſunt.

Hæc credo non obſcura. De ſenſu huius loci 7.
non ita certum. Hieronymus iuſtum eſſe putauit Ieremiam, ne ſe conuiuiis immiſceat illorum, qui in illa communi, & pene fatali ſtrage perierunt: neque iuſta celebret ſuper funeribus defunctorum, neque vllum de populo conſoletur; quod præſtare ſolent, qui in alios amico ſunt animo. Aliter enim animatos eſſe oportet in eos, quos Diuinus furor, & peccati grauitas; atque in illos, quos aliqua alia vis, aut naturæ neceſſitas extinxit. Neque enim fas eſt, quaſi dicat, vt nos illos *Non ſunt hilarandi, quos Dominus triſtes eſſe vult.* conſolemur, quos Dominus triſtes eſſe vult; & ideo compungit, atque contriſtat, vt aliquando reſipiſcant: neque vt nos illorum honeſtemus exequias, & quaſi vitam laudemus, & probemus, quorum Dominus vitam execratur, & damnat.

Ego hæc non improbo, magis tamen ad filum, 8. *Plangendi mos apud Hebræos.*
textumque ſermonis eſſe puto, ſi exiſtimemus, non tam Ieremiam à Domino prohiberi, ne lugentes conſoletur, aut plangat, aut conuiuium obeat parentale, quàm iuberi, vt prædicat, neque in communi perturbatione quemquam eſſe plangendum, aut adhibenda illa, quæ honeſtandi funeris gratia, à cognatis, & amicis adornari ſolent; qualis eſt publicus, & legitimus planctus, attonſi crines, laceratæ genæ, ferales epulæ, & ſimilia. Si enim ſepeliendi non ſunt, vt ſtatim dicitur, aut plangendi, aut frangendus panis, & porrigendus calix (quæ feralis conuiuij deſcriptio eſt) quomodo Ieremias aut plangentibus, aut conuiuantibus adeſſe poterat? aut cur prohibendus ab eo, quod, vt fieret, ipſæ rerum anguſtiæ prohibebant? Eſt autem vſitatum in ſacra Scriptura, vt capite 1. diximus, ad illud, *& euellas, & deſtruas,* vt Prophetæ facere dicantur, quod faciendum eſſe prædicunt.

Verſ.6. *Et non ſe incident, neque caluitium fiet pro* 9. *eis.*] Prohibuerat Dominus Leuitici 19. verſu 28. *Leuit.19.* *Caluitium & laceratio in funere.* & Deuteronomij 14. verſu 1. ne ſuper mortuos aut carnem inciderent, aut crines abraderent; quod in deorum ſuorum, aut manium (quos in deorum ordine numerabant) honorem faciebant Gentiles, qui defunctis aut crines offerebant, aut ſanguinem. Sic autem Deuteronomij 14. & eodem propè modo Leuitici 19. *Filij eſtote Domini Dei veſtri. Non vos incidetis, neque facietis caluitium ſuper mortuos, quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Hoc verò vſitatum eſſe Gentilibus docent profani; qui detonſam comam, aut eodem quo mortuorum cadauera ſepulcro condebant, aut in eandem coniiciebant pyram, qua cremabantur mortui. Ita Catullus in Argonautis:

> —— *Natorum in funere matres*
> *In cinerem canos ſoluant à vertice crines.*

Et Seneca in Phædra, Actu 5. Scena 1.

> *Placemus vmbras, capitis exuuias cape:*
> *Laceráq; frontis accipe abſciſſam comam.*

Plura exempla vide apud Alexandrum Neapolitanum libro 3. capite 7.

De laceratione, ſeu inciſione exempla ſunt apud externos plurima. Sanè Plutarchus in conſolatoria ad Apollonium, ad medium, multis gentibus conſuetum eſſe dicit, in ſuorum funere deformare corpus, aures, nareſve abſcindendo, aut aliis corporis partibus fœdè laceratis, quod etiam de Scythis tradit Herodotus libro 4. quod ne apud Romanos fieret, lege cautum eſt. Iudæi ergo, vt dicit hîc Hieronymus, ad Gentium ſimilitudinem,

litudinem, lacertos incidebant, & crinali veſtitu caput nudabant: quod honori putabant eſſe vita functis cognatis. Id ergo non iam ampliùs præſtandum eſſe mortuis prædicit Propheta, quia neque otium dabitur, neque ſic erunt à ſuis incommodis, & infortuniis vacui, vt lugeant aliena.

10. Verſ.7. *Et non frangant inter eos lugenti panem, ad conſolandum ſuper mortuo, & non dabunt eis potum calicis*, &c.] Ex hoc loco non obſcurè colligitur, ſolitas eſſe ab amicis, aut piis hominibus epulas præberi his, qui parentum, aut cognatorum cauſa lugerent. Cùm enim illi aut intenti eſſent ſuorum funeri, aut certè neque præ dolore poſſent, aut honeſtum ducerent, in eo rerum articulo de epulis cogitare, amici aderant, qui illis & panem frangerent, & calicem porrigerent. Quod etiam nunc apud Hiſpanos in vſu eſt; &, ſicuti audio, apud nationes alias: quod ſanè ſi nulla conſuetudo iuberet, ipſa tamen humanitas non præſcriberet ſolùm, ſed etiam cogeret. Huc videtur alluſum Prouerbiorum 31. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.* & Tobiæ capite 4. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue: & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Hæc poſteriora indicare videntur, ſermonem hîc eſſe de funebri conuiuio; quando iubetur, qui panem, & vinum ſuper ſepulturam, ideſt, in funere iuſti conſtituit, ex illis manducare, neque ad illud epulum adhibere peccatores. Hanc porro conſuetudinem etiam ab Eccleſiæ primis incunabulis ſeruari, docet Clemens libro 8. capite 24. Apoſtolicarum conſtitutionum, & Chryſoſtomus homilia 37. in Matthæum. vide Gratianum diſtinctione 44. canone *Nullus*.

Defuncti cognatis ab aliis de cibo prouiſum.

Prou.31. Iob.c.4.

11. Verſ.8. *Et domum conuiuij non ingrediaris, vt ſedeas cum eis, & comedas, & bibas.*] Hæc ego de aliis conuiuiis, quàm de feralibus, aut exequialibus accipio; de his videlicet, quæ non conſolationis gratia, lugentibus exhibentur; ſed de aliis, quæ voluptatis cauſa ab his, qui læto ſunt animo, adornantur; qualia ſunt, quæ in victoria, aut in re bene geſta celebranda inſtruuntur; aut in nuptiis, vbi feſtiuæ, atque geniales parantur epulæ, quod non obſcurè docet, quod ſtatim ſubiicitur.

12. Verſ.9. *Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego auferam de loco iſto, in oculis veſtris, & in diebus veſtris vocem gaudij, & vocem lætitiæ: vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.*] Hæc planè verum eſſe probant, quem adduximus ſenſum. *Vox ſponſi, & vox ſponſæ* Cantica ſunt nuptialia, qualia vides in Pſalmo 44. in Canticis Salomonis, quæ Hymenææ laudes, & epithalamia dicuntur. Vocem verò gaudij, atque lætitiæ, ad epinicia refero, ſeu genethliaca, aut ſi qui ſunt alij feſtiui cantus apud Hebræos. Dum verò de loco illo nempe Solymitano defuturi dicuntur cantus in oculis, diebúſque Iudæorum, ſignificatur obſidionis tempore, quando præſentes aderant Iudæi, & quandiu Babylonicum durauit exilium, qui dies Iudæorum ſunt, quia non pauci eorum, qui ex Hebræis abducti ſunt in Babylonem, toto captiuitatis tempore vixerunt, audiendum non eſſe canticum gaudij, aut vllam vocem, quam de re bene geſta voluptas exprimeret. Cæterùm id accidiſſe tam obſidionis, quàm exilij tempore, indicat Ieremias Threnorum 5. verſu 14. *Senes defecerunt de portis: iuuenes de choro pſallentium. Defecit gaudium*

A *cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter.* 13.

Verſ.12. *Sed & vos peius operati eſtis, quàm patres veſtri.*] Iuſtum ſe putabat populus ille, non ſolùm ſceleratus, & impius, ſed etiam amens: atque ideo querebatur, quòd malè reſpondiſſet Deus ipſorum meritis, cùm illos crudeliter ab hoſte iactari paſſus eſt. Quibus, ne tam ſibi in ſua cogitatione placeant, nunciari iubet Dominus, & parentes ſuos iam pridem commeruiſſe pœnas, neque ipſos fuiſſe parentibus meliores, qui ad priora parentum ſcelera, recentiúmque peccatorum cumulum adiecerunt, ideſt, parentum ſuorum impleuêre menſuram. Quàm ante hoc Ieremiæ ſæculum impij Iudæi fuerint, docet

B ſatis impietas Manaſſæ, & ſordes illæ, à quibus templum, vrbémque purgauit Ioſias 4. Regum capite 23. Quàm Manaſſæ auo ſuo ſimiles fuerint Ioſiæ filij, quorum tempore floruit Ieremias, habes eodem libro, capite 23. & capite 24.

Verſ.13. *Et eiiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos, & patres veſtri: & ſeruietis ibi diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*] Supplicium oſtendit dignum, aptúmque iis, qui Deum deſeruerunt liberalem, & mitem, à quo in terra pingui, atque vberi locati ſunt: nam in terram dicuntur eſſe relegandi quàm longiſſimè diſſitam à natali ſolo, quam neque parentes an- 14.

C tea, neque ipſi modò cognouerunt; vbi diis ſeruiant alienis duram, atque inclementem ſeruitutem; qui illos die, ac nocte continenter opprimient, neque vllum dabunt ab illa ſeruitute, atque onere leuamentum. Ex his conſtat, Iudæos in exilio idola coluiſſe, vt docuimus ad illud Zachariæ capite 10. *Quoniam ſimulacra locuta ſunt inutile.* Neque id mirum, cùm idem fecerint in Ieruſalem, qui ante Sedeciam in vrbe remanſerant, vbi cùm templum haberent, idolis tamen ſupplicabant, faciebántque ſacra planè nefaria, vt docet Ezechiel capite 8. verſu 3. & 10. & 14. & 16.

Iudæi in exilio idola coluerunt.

Illud verò difficile, quòd Babylon terra dicatur, quam ignorarent, & qui tunc audiebant Iu- 15.

D dæi, & eorum parentes: cùm tamen Babylon nec tam diſtaret longè, vt audiri non potuerit à Iudæis, & ex Iſaia capite 39. conſtat, inter Iudæos, & Babylonios aliquid eſſe commercij. Nam legati ibi eſſe miſſi dicuntur à Merodach Baladan Rege Babylonis cum muneribus de ſalute miraculosè reſtituta gratulaturi: id verò non vulgarem, & mutuum hinc inde commeatum oſtendit. Hanc difficultatem facilè ſoluit ſacræ Scripturæ conſuetudo, quæ quod à paucis fit, factum eſſe dicit à nemine. Neque ſi legati mittuntur à Regibus, inde fit, inter populares aliquid eſſe commercij. Nam ſi quid Regibus proſperi contingat, ſeu aduerſi, Reges alij communem ſibi dolorem, ſiue lætitiam per legatos ſignificant:

Babylonia quomodo Iudæis ignota.

E neque tamen illorum prouinciæ popularibus, niſi admodum paucis, notæ ſunt. Germani Principes ad Hiſpanos, & hi contrà ad Germanos legatos mittunt, & viciſſim amicitiam colunt: at quotuſquiſque eſt, qui ex Hiſpania ad Germaniam, aut inde contrà in Hiſpaniam immigret? Sic credo inter Regem Babylonis, & Iudææ ſocietatem eſſe, & commune fœdus, nihilo tamen minùs à popularibus vtranque regionem ignorari.

Illud, *&*, ante verbum, *eiiciam*, aut cauſam indicat, propter quam eiiciendi dicuntur eſſe Iudæi, 16.

dei,in hunc ſenſum:*propterea eiiciam,*vt putat Maldonatus;aut, quod ego verius puto,otioſè ponitur à Latinis; cùm tamen apud Hebræos orationi aliquid addat ornamenti:qua ratione non ſolùm librorum capita, ſed etiam libri ſæpe incipiunt ab, *&*;cur ita fiat, docuimus ad illud Canticorum 5. *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

Regvla. Scriptura ſæpe triſtibus læta ſubiungit.

17. Verſ.14. *Propterea, ecce dies veniunt, dicit Dominus.*] Scriptura ſacra, vt diximus ad illud Iſaiæ capite 1.*Et conuertam manum meam ad te*, duris ſolet,& triſtibus læta ſubiungere, quæ plerumque parentheſi claudit; deinde verò ſeſe ad interrupta refert, ideſt, ad triſtia. Sic capite 16. Iſaiæ, cùm actum eſſet de exitio Moabitarum, ſubitò de illorum ſalute inſtituitur ſermo, dum dicitur: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* & idem capite 19. poſt commemoratam Ægypti plagam, vaticinium traducit ad felicitatem illam, quam poſtea ſub Euágelij tempus habitura eſt. Sic,credo, nunc felicitatem afflicto Iudæorum populo promittit, poſt denunciatam acerbam plagam, quæ incluſa parentheſi eſt, finitúrque illis verbis, *De cauernis petrarum,* poſt quæ ſtatim, quæ dicere inſtituerat de illius calamitate,pertexit.

18. Verſ.15. *Et non dicetur vltrà, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti; ſed, Viuit Dominus, qui eduxit Iſraël de terra Aquilonis.*] Miſera ſignificatur, & ærumnoſa conditio populi Iudaici, neque mitior illa, quam illius parentes iam olim ſubierunt ſub Ægyptio dominatu. Et magna Dei in illo populo redimẽdo humanitas, & patientia, quando ſuperioris illius beneficij, ac ſæculi deponenda dicitur memoria: neque iam per Deum Ægyptiæ libertatis vindicem, ſed Babylonij iugi depulſorẽ concipiendum eſſe iuſiurandum. Simile aliquid dixit Iſaias capite 43. verſu 18. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua,* &c.Vide quæ illo loco diximus. Idem reperit Ieremias capite 13. verſu 7.

19. Hæc mihi valde ſunt probabilia, ſed neſcio quid in illis durum, minúſque bellè conſentiens deprehendo. Quare cenſeo his verbis ſignificari ęrũnoſam,ac duram fore ſeruitutem Babylonicã, ex qua optabilius ſit, quàm ex Ægyptia liberari. Idcirco in iureiurando concipiendo non dicent Iudæi, Viuit Dominus, qui nos ab Ægyptiis,ſed, Viuit Dominus, qui nos à Babyloniis liberauit, quia ab hac ſeruitute, vtpote duriore, liberatum eſſe populum,maius cenſebatur eſſe beneficium. Quod deinde ſequitur de libertate ab illis verbis, *& reducam*, vſque, *patribus eorum,* includitur parentheſi: hiſtoria verò deinde ad finem vſque capitis producetur.

20. Dubitare hîc aliquis poſſet, an hæc de libertate è Babylonio iugo ſint intelligenda,aut certè de nobiliore alia libertate, qua Dominus captiuas animas à peccati, ac dæmonis ſeruitute vendicarit. Quidam de Eccleſia accipiunt, negántque in tempus illud Babylonicum conuenire poſſe, ſed rationes infirmæ. Communior eſt ſententia, agi hîc de Babylonica libertate, quam cum Theodoreto & ſancto Thoma ſequuntur alij plures. Ego vtrunque verum eſſe arbitror cum Hieronymo, Rabbano, & Hugone: ita vt hiſtoricè de Babylonica,allegoricè de maiori alia libertate intelligendum putem:vt enim diximus pluribus in præfatione quadam ad caput 40. Iſaiæ, libertas è Babylone, ac reditus Iudæorum in patriam, maioris libertatis typus, & Eccleſiæ aliquantò poſt tempore inſtituendæ imago quędam fuit.

21. An Iudæi in patriam reſtituti in iureiurando Dei nomen, qui Babylonicum excuſſit iugum, interpoſuerint, ex alio ſacræ Scripturæ loco, quod ego nouerim,non conſtat. Non tamen dubitare fas eſt, quando id tam apertè locus iſte prædicit:neque tamen arbitror, huic oraculo aut fidem, aut pondus defuiſſe, etiam ſi nullus illam iuriſiurandi formam adhiberet; quam Dominus hîc præſcribere videtur:nam ex ſacræ Scripturæ vſu id faciendum eſſe dicitur, quod vt fiat, rei natura poſtulat, aut æquũ eſt, vt fiat. Quomodo Baruch capite 4. nomen Ieruſalem futurum eſſe dicitur *pax iuſtitiæ,honor pietatis.* & Ezech. cap.48. verſu 35. *Dominus ibidem.* & Iſaiæ capite 62. verſu 4. *Voluntas mea in ea.* Neque tamen his nominibus, quod ego viderim, appellata eſt Ieruſalem:ſic tamen illam ornauit Deus luculenter, ſic eſt amplexus humaniter,vt his nominibus meritò vocari potuerit.

22. Verſ.16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eas,& poſt hæc,* &c.] Obſcurum eſt, an hîc Deus ſecunda promittat,aut minetur aduerſa. ideſt, an hi piſcatores, aut venatores Chaldæi ſint, à quibus Iudæi capti, abductíque ſunt in Babylonem, aut certè Perſarum Principes, Cyrus, & Darius, aut alij, à quibus in patriam reuocati ſunt. De prioribus accipiunt Theodoretus, Hugo, Dionyſius, & Lyra, Maldonatus, & Caſtrus: neque in illam ſententiam deſunt optimæ coniecturæ. Nam, cùm de Hieroſolymæ excidio, ciuiúmque captiuitate loqueretur Ezechiel, capite 12. verſu 13. eadem vſus eſt allegoria:vbi ſic de Sedecia: *Et extendam rete meum ſuper eum,& capietur in ſagena mea,& adducam eum in Babylonem.* (*Ezech.c.12.*) & Habacuch capite 1. verſu 14. ſub eadem etiam metaphora, teſte Hieronymo, de Nabuchodonoſor cuncta vaſtante, tanquam de piſcatore dicitur: *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum.* neque inepta eſt ſimilitudinis ratio. Cùm enim obſeſſi tenerentur ciues intra ſepta ciuitatis ſuæ, quaſi in rete videbantur coacti piſcatorium, & in ſagena concluſi:qui verò inde fuga ſe in ſaltus,& latebras ſubducere parabant,ibi, tanquam venatione feræ, ab venatore Chaldæo comprehenſi ſunt, vt de Sedecia conſtat 4. Regum capite vltimo. Et hæc ſententia mihi omnium maximè probatur.

23. Alij hîc beneficium aliquod ingens ſignificari putant, ideſt, Iudaici populi libertatem: ita vt piſcatores ſint, qui aliquid operæ reſtituendo populo nauarunt. Quam ſententiam omnino probant, qui allegorico ſenſu in venatoribus, ac piſcatoribus Apoſtolos intelligunt; qui è dæmonis ſeruitute eos, qui quaſi in ſagena concluſi tenebantur, in veram libertatem adduxerunt; ita hîc Hieronymus, Origenes homilia 2. in Ieremiam, Tertullianus libro 4. contra Marcionem, capite 9. Ambroſius ſermone 6. in Pſalmum 118. Auguſtinus tractatu 10. de vtilitate ieiunij. Hi verò non captiuos agunt in Babylonem myſticam eos,qui liberi agebant Hieroſolymæ. Sed contrà è Babylone captos antea Hieroſolymæ, libertatíque reſtituunt.

24. Et hæc mihi ſententia non eſt improbabilis, quia & textus ipſe videtur exigere; neque quidquam eſt, quod inuitum in hanc ſententiam trahat.Et quod ad allegoriam piſcatorum, ac venato-

natorum pertinet, omnia bellè in populi captiui libertatem aptantur: ex his etenim, quos Babylonicus exagitauit furor, quidam in ciuitate comprehenſi ſunt, & hi in regionem Chaldæorum tranſlati: alij aut matura fuga, aut aſtu, & calliditate, obſidionis tempore Chaldæorum vim, & iniuriam declinarunt. Hi verò alij aliò dilapſi, & ferarum in modum, in ſpeluncis abſconditi ignobilem, & vagam vitam ægri trahebant. Qui in Babylonicum ſolum tranſmigrarunt, piſcibus videntur eſſe perſimiles, qui in ſtagnis clauſi, aut in viuaria coacti, effugiendi facultatem non habent. Dicitur autem Babylon mare, aut propter Euphratem, qui mediam ciuitatem influit, aut propter rationes alias, quas in noſtris Commentariis in Iſaiam adduximus ad illud capitis 21. *Onus deſerti maris*; vbi, vt vides, mare nominatur: ſicut etiam Ieremiæ capite 51. verſu 15. vbi de Babylone: *Quæ habitas ſuper aquas multas.* & verſu 36. de eadem: *Deſertum faciam mare eius.* Ex hoc ergo mari extrahentur captiui à Perſis, & Medis, non ſecus atque piſces ex ſtagnis, atque viuariis aſſolent, alio tamen ſucceſſu. Piſces etenim, quibus aqua naturale, atque vitale domicilium eſt, ad mortem inde, ac menſam extrahuntur; at captiui Iudæi ex ſalſo, atque profundo gurgite ad libertatem, & vitam, vt liberum hauriant, & vitalem ſpiritum.

Babylō. mare dicitur.

25. Venatorum verò metaphora fortunæ quoque Iudæorum nō inepta eſt: nam illi per ſyluas, atque deſerta loca errantes, & vagi ad antiquum cœtum, & ordinem redierunt. Piſcatores itaque dicuntur, qui è Babylone, tanquam è mari, ad patrium ſolum, tanquam in aridam, ſolidámque regionem aditum aperuerunt. Venatores autem, qui reliquos, quos aliò, atque aliò varia bellorum fortuna diſſiparat, in vnum locum aggregarunt. Hæc mihi, vt dixi, improbabilia non ſunt, maximè cùm multorum eò conſpirent ſententiæ.

26. Verſ. 17. *Quia oculi mei ſuper omnes vias eorum, non ſunt abſcondita à facie mea.*] Perſequitur Deus denunciare debitas peccatorum pœnas: ait enim, ſuis oculis occultum eſſe nihil, quid faciant, quid deſignent, aut velint: id namque *viarum* nomine in ſacra Scriptura ſæpe ſignificatur.

27. *Et reddam primùm duplices iniquitates, & peccata eorum.*] Hæc non obſcurè docent noſtram ſententiam. Dicit enim Dominus, priuſquam tempus illud ſecundum, & fortunatum adueniat, quo iurare poſſint reſtituti Iudæi, *Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aquilonis*, dabunt mihi pœnas diuturnas, & graues, pro illorum peccatorum meritis, de quibus paulò antea.

28. Hîc duo obſeruanda: alterum, *iniquitatem*, & *peccatum* ſumi pro peccati pœna: cuius rei exempla ſunt obuia. Geneſis capite 4. verſu 7. *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* & Zachariæ 14. verſu 19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderunt ad celebrandam feſtiuitatem.* De *iniquitate* Ieremias multa nobis ſuppeditabit exempla; nunc duo accipe: Threnorum 4. verſu 22. *Completa eſt iniquitas tua, filia Sion: non addet vltrà, vt transmigret te.* & capite 5. verſu 7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus.*

Peccatū & iniquitas, pro ſupplicio.

29. Alterum eſt, *duplex* tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores, idem eſſe quod ingens, aut graue: quale eſt illud Iſaiæ capite 40. *Suſcepit de manu Domini duplicia.* & Zachariæ capite 9.

Duplex, idē quod ingēs.

A *Duplicia reddam tibi.* & Ieremiæ ſtatim capite 17. *Duplici contritione contere eos.* Eodem ſenſu dixit Virgilius 3. Georgicon de equo:

At duplex agitur per lumbos ſpina.

id eſt, lata. & 1. Georgicon de forma aratri:

Binæ aures duplici aptantur dentalia dorſo.

Duplex appellatur dorſum, id eſt, craſſum, & latum. Qui dicendi modus etiam eſt Hiſpanis familiaris, qui quod craſſum eſt, atque robuſtum, *doblado* appellant, ſeu, *doble*, vt, *armas dobles*; *hombre doblado.* Iuxta hæc hîc nihil aliud ego ſignificari puto, quàm graue futurum eſſe ſupplicium, quod de Iudæorum peccatis exiget Deus.

Verſ. 18. *Quia contaminauerunt terram meam in morticinis idolorum ſuorum.*] Contaminari aliquid, ſeu pollui dicitur, cùm ab eo, quod execrabile eſt, maximè ſi mors, aut funus intercedat, attingitur. Quomodo terra polluta exiſtimatur à ſuſpenſo cadauere, & homo, qui tetigerit mortuum. Hîc duas eſſe video contaminationis cauſas: & quòd aliquid ſit idolo conſecratum, & quòd morticinum. Morticinum autem appello victimas ad ſimulacrorum aras immolatas, aut certè filios, quos impij parentes mactauerunt, conſecrarúntque Moloch. Hæc verò crudelis impietas, quæ terram illam ſanctam inceſtauit, puniri debuit, & terræ contaminatæ iactura, & longa, atque ærumnoſa ſeruitute. Id porro, quod ſtatim ſubiicitur, *Et abominationibus ſuis impleuerunt hæreditatem meam*, explicatio eſt ſuperioris ſententiæ, quod in ſacra Scriptura frequentiſſimum. 30.

B

C

Verſ. 19. *Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremo terræ.*] Duo hîc à Domino acceperat Propheta: alterum, grauiter iactandos eſſe Iudæos, propter deſertam parentum ſuorum religionem; alterum, aliquando ad pacem, & otium, priorem denique fortunam redituros. Ex vtroque colligit, ab vno Deo ſalutem, & pacem dependere mortalium, neque ab alio expectari oportere miſerorum refugium: & edoctas gentes in vanis ſimulacris nec fidem vllam eſſe, neque potentiam: ab vno autem Deo, quem Iudæi colunt, infligi poſſe vulnus, & ſanari, ad ipſum, prodita parentum impietate, fore conuertendos. Hunc ego ſenſum proprium eſſe arbitror: ſed eſt aliquid, quod adhuc interpretis operam, & lucem deſiderat. 31.

D

Primum eſt, quænam iſta gens ſit, quæ ventura dicitur ab extremo terræ, veràmque religionem amplexura. Sunt, qui putent, gentes haſce Iudæos eſſe, qui ab extremo terræ, id eſt, à Babylone (quæ Iudæis extrema putabatur regio, quia nihil illi vltrà cognouerant) ad vrbem antiquam, & legitima ſacra redituri erant. Neque putant, obſtare *gentium* nomen: nam etiam Iſraëlitidem familiam, gentem, ſeu etiam gentes appellari putant. Pſalmo 105. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ.* & Ezechiel. capite 36. verſu 13. *gentem tuam, & gentes* item *tuas* appellat. Ita Chaldæus ſentit, & cum illo Vatablus, & Hugo. Sed, cur minùs hæc ſententia placeat, multa faciunt; primùm, quòd non ita longè Babylon à Hieroſolyma diſtat, vt extremum terræ vocari debeat; deinde, quia malè in explicationem iſtam conuenit gentium nomen, quod ſine adiuncto Iudæis accommodari nunquam inuenio. Vbi etiam noto id, quod à me obſeruatum eſt, ad illud Zachariæ 2. *Et applicabuntur* 32.

E

Gentes ſine adiuncto, pro Gentilibus.

gentes

gentes multæ ad Dominum. Gentes, ſine adiuncto aliquo ſumi pro his, qui olim à Iudæorum religione, nunc à Chriſtiana alieni ſunt: ita vt *gentes* idem ſint, quod *Gentiles.* Si verò *gentibus* aliquid adiungas, vt *tuus*, *noſter*, *doctus*, *vagus*, & ſimilia, hæc etiam conuenire in eos, qui Iudæorum olim, nunc Euangelij legem profitentur. In exemplis autem adductis non ſimpliciter *gentes* adhibentur, ſed *gentes* dicuntur *tua*, aut *tua gens.* Secus eſt in hoc Ieremiæ loco, quem verſamus: quare hæc de Iudæis hîc accipienda non puto.

33. Nunc examinandum ſupereſt, an de conuerſione hæc intelligi debeant illorum, qui è Chaldæis Iudæorum ſacra complexi ſunt, cùm veri Dei in complendo promiſſo fidem, & in difficultatibus ſuperandis potentiam admirarentur; an illorum, qui Euangelij tempore, incredibili frequentia, ac ſtudio, ad Eccleſiæ ſinum conuolarunt. Certum inprimis eſt, quo tempore adhuc Babylonica durabat captiuitas, & ea ſoluta, ad Iudæorum religionem acceſſiſſe quàmplurimos; id apertè conſtat Eſdræ libro 1. capite 6. verſu 21. *Comederunt* (inquit) *filij Iſraël, qui reuerſi fuerant de transmigratione, & omnes, qui ſe ſeparauerant à coinquinatione gentium terræ, ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſraël.* Et Eſther capite 8. eleuato ad gloriam Regiæ proximam Mardochæo, ſcribitur: *Plures alterius gentis, & ſectæ Iudæorum religioni iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.* De hac gentium conuerſione ſermonem hîc eſſe putant ſanctus Thomas, Dionyſius, & Maldonatus. De conuerſione verò Euangelij tempore, putant cum Hieronymo, & Theodoreto plures alij. Ego vtrunque hîc ſignificari arbitror: & conuertendas eſſe gentes ad Iudaiſmum ſub Babylonicæ captiuitatis tempore, & ad Chriſti doctrinam poſtea per Apoſtolos: illud hiſtoricè, &

Sub tempus Babylonicæ multi ad religionem Iudæorum adſcripti.

A quaſi in typo; hoc allegoricè. Nam ſicut inſtaurata Hieroſolyma inſtituendæ Eccleſiæ vmbra quædam fuit; ſic etiam gentes, quæ tunc Iudaicis ſacris adhæsêre, vmbra quædam fuerunt gentium illarum, quæ poſtea ampliori dignitate, & numero Chriſtiana ſacra complexæ ſunt.

Et dicent, Verè mendacium poſſederunt patres noſtri: 34.
vanitatem, quæ eis non profuit.] Hæc verba ſunt Gentilium, qui Deï potentiam, & fidem admirati, illum Deum eſſe verum profitentur. Et longo iam vſu experti in idolis, quibus ipſorum maiores ſupplicarunt, nihil eſſe ſolidum, nihil non fucatum, antiquam vitæ rationem deteſtati: nihil B eſſe in vacua ſimulacrorum ſpecie, præter mendacium, & vanitatem prædicabunt.

Verſ. 20. *Nunquid faciet ſibi homo deos, & ipſi* 35.
non ſunt dij?] Hæc item verba ſunt Gentilium, meliora iam, atque ſaniora cogitantium. Maiori etenim, quàm antea, illuſtrati lumine, cognoſcunt in eo nihil eſſe poſſe Diuinum, quod ab hominum manu, atque induſtria dependet.

Verſ. 21. *Idcirco, ecce ego oſtendam eis per vicem* 36.
hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam.] Hæc Deï verba ſunt, qui rationem videtur oſtẽdere Ieremiæ, cur modò rebellem Iudæorum populum punire, deinde ab exilio reuocare, atque ornare mirificè voluerit; in quo C manum ſuam, ideſt, potentiam, & ad puniendum grauem, & ad ornandum munificam oſtendet. Illud, *per vicem hanc*, ideſt, quod ſemel, vel hac vice: ac ſi dicat: hoc vno facto cognoſcent homines, & in me, ad vulnerandum, grauem eſſe manum, & ad ſanandum, liberalem, & mollem: ac tandem ſibi perſuadebunt, in me neque vanum eſſe, neque ſine magno meo merito Domini nomen. Explicit caput decimumſextum.

ARGVMENTVM CAPITIS XVII.

MAGNAM eſſe oſtendit Iudæorum impudentiam, & ingentem morum corruptelam, qui palàm in omnium oculis violatæ religionis, atque deſertæ in aris ipſis, in annulorum gemmis, & pectorali lamina, ſymbola quædam, ac monumenta circunferunt. Quapropter illis Dominus cladem, & vaſtitatem minatur: & eleganti quadam ſimilitudine myricæ, & arboris irriguæ, atque perdicis, quid interſit inter eos, qui in homine, & eos, qui in Domino confidunt, amplificat. Quæ cogitatio ſpiritum incitat Ieremiæ, vt ab vno Deo, quidquid eſt optabile, ſperandum eſſe dicat. Deinde, propoſito ſtudio ſuo, atque conatu ſeruandæ legis, orat Dominum, ſe vt ab inimicorum conſiliis, ac calũniis defendat. Iubetur ad extremum, vt ad portas ciuitatis progreſſus legis obſeruationem populo commendet, quam per ſynecdochen in ſabbati religione complectitur.

IEREM. CAP. XVII.

1. *PEccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino: exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. EO progreſſa eſt impudens Iudæorum idolomania, vt palàm geſtent ſuæ impietatis monumenta: nam deorum imagines in annulorum gemmis

2. *Cùm recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum, & lucorum ſuorum, lignorúmque frondentium in montibus excelſis,*

3. *Sacrificantes in agro: fortitudinem tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo, excelſa tua propter peccata in vniuerſis finibus tuis.*

4. *Et relinquèris ſola ab hæreditate tua, quam dedi tibi: & ſeruire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, vſque in æternum ardebit.*

5. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.*

6. *Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili.*

7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.*

8. *Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit cùm venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.*

9. Prauum

A incidunt, & adamante duro; in latis quoque laminis, quas de more ad pectus, cordiſque regionem (quæ ideo cor vocatur) è collo demittunt; in ipſis etiam publicè cornibus ararum.

2. Quia recordati ſunt filij impiorum altarium, & parentum ſuorum exemplum ſecuti, ad aras illis ſacrificarunt, & in lucis, ac montibus excelſis, & ſub frondenti ligno nefarias obtulerunt victimas.

3. Quia in excelſis tu, atque in agris, vniuerſiſque finibus conſtituiſti violatæ,
B atque deſertæ fidei publica monumenta; ideo diuitias omnes, quæ bellorum exiſtimantur nerui, & ciuitatum robur, tam quæ in agris, quàm quæ in excelſis ſunt, hoſtium tuorum manibus diripiendas tradam.

4. Deſeres tandem hæreditatem illam opimam, quam à mea benignitate quondam acceperas; & ſeruile iugum, quod tibi hoſtilis, & dura manus imponet, in terra tibi incognita ſubibis; quia furorem meum inflammaſti peccando, incendium, cuius fax tu fuiſti prima, in ſempiternum ar-
C debit.

5. Hæc fuêre præcipua peccata, quæ nudatum ab omni ornamento populum ſeruituti addixerunt ignobili; ſed fuit etiã aliud, quod non tam in Deo, quàm in Pharaone ſpem ſalutis poſuerunt. Ait ergo Dominus: Maledictus, qui cogitationem, & animum auertens à Domino, in homine confidit; & in carne, re nempe futili, atque infirma, ſitam eſſe putat fortitudinem ſuã.

6. Hic vſque adeò infelix erit, vtpote à Domino maledictus, vt myricæ quàm ſi-
D millimus ſit, quæ in deſerto naſcitur; quia & ipſa inutilis, & deſpicabilis eſt, & quia in arido ſolo nata, deformis, & miſera: ſed eò miſerior, ſi cum plantis aliis cæleſtis imber vitam, ac ſpeciem afferat, ad ipſam tamen nunquam influat, ſed arentem ſemper, & hiantem relinquat, neque ad ipſam pertineat commune bonum: ſed ſemper erit in arente ſolo, plenóque ſalſuginis; quod, quia nihil habet, quod non horreat, inhabitabile eſt.

E 7. Benedictus verò, cuius fiducia locatur in Domino, neque ab alio, quàm à Domino ſalutem ſperat.

8. Hic etenim longè aberit à myricæ vel ſpecie horrida, vel ſterili planta: erit namque inſtar arboris, in qua nihil vel ad ſpeciem, vel ad vbertatem requiras: eſt enim in loco aquæ iugi, atque copioſæ proximo, quare nihil à ſiccitate metuet, vbi radices agit altàs, neque areſcet ab ardente æſtu, aut ab vrente ſiti. Vt autem viriditatem, & ſpeciem nunquam deponet, quia

illi

A illi ſemper aderit & iugis humor, & verna temperies, ſic etiam nullum erit tempus ſine fructu.

9. Prauum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?

9. Quòd ſi quis obiiciat, in hominum cordibus multas eſſe latebras, & receſſus abditos; neque illorum conſilia, atque ſtudia explorari poſſe, vt pro meritorum natura aut aridi ſint, & ſteriles ſicut myrica, aut felices, & vberes, ſicut arbores iuxta fluentes aquas.

10. Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum.

10. Reſpondeo, mihi nihil eſſe clauſum, nihil occultum: ego enim penitiſſimas cordis cogitationes introſpicio; ego B affectus omnes, intimóſque motus intueor, & examino; qui vnicuique iuxta vias ſuas, atque conſilia, & iuxta laborum fructus digna remetior.

11. Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.

11. Sicut perdix alienis incubat ouis, & pullos excludit non ſuos, à quibus ſtatim, vbi veram matrem agnouêre, deſeritur: ſic qui ab alio, quàm à Deo diuitias accipit, à brachio nempe carneo, in quo confidit, quæ furtiuæ à prudenti rerum æſtimatore videri debent, ab illis ſpoliabitur; & tandem vbi illarum vſus, ac neceſ- C ſitas aduenerit, deluſum ſe, atque inſipientem fuiſſe cognoſcet.

12. Solium gloriæ altitudinis à principio: locus ſanctificationis noſtræ.

12. Cùm ab homine, cuius brachium eſt carneum, nemo aut ornari, aut ſanctificari poſſit, ad te confugio (dicit Ieremias) ô Domine, qui Rex es excelſus, cuius non recens, ſed æternum imperium eſt; qui ſolus es ſanctus, à quo vno mundari, & ſanctificari poſſumus.

13. Expectatio Iſraël Domine: omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.

13. O verè expectatio Iſraëliticæ gentis, & in quo vno fiducia noſtra nititur, omnes, qui à te defecerint, tandem confuſi ve- D rè ſe inſipientes fuiſſe cognoſcent. Qui ab alio, quàm à te gloriam deſiderant, aut aliquid bonum, vani planè ſunt, & futiles, neque magis ſtabiles, atque diuturni, quàm quæ ſcribuntur in puluere, quæ calcata delentur, aut ſi vis abſit, alia ab ipſo vento conturbata vaneſcunt; quia aquam conſectantur deficientem, & turbidam, & fontem abiiciunt viuentis, atque perennis aquæ.

14. Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es.

14. Si ſanaueris me, tunc me verè ſanum arbitrabor; ſi ſalutem feceris, tunc E veram mihi ſalutem aduenisse credam. Quod enim abs te habuero, id mihi laudi erit, quia verum eſt, & laudabile bonum.

15. Ecce ipſi dicunt ad me: Vbi eſt verbum Domini? veniat.

15. Vide Domine, quàm in te confidam, quale in tuo patrocinio, ac fide firmamentum habeam. Ecce à populo, ad quem tuo nomine minacem adduco prophetiam, mendax, atque nugator exiſtimor; atque ideo cum ludibrio, & ſanna ſubinde occinit, quaſi vox mea nihil habeat

16. *Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui; tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit.*

17. *Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis.*

18. *Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.*

19. *Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & ſta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Iuda, & egrediuntur, & in cunctis portis Ieruſalem.*

20. *Et dices ad eos: Audite verbum Domini Reges Iuda, & omnis Iuda, cunctíque habitatores Ieruſalem, qui ingredimini per portas iſtas:*

21. *Hæc dicit Dominus: Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati: nec inferatis per portas Ieruſalem.*

22. *Et nolite eiicere onera de domibus veſtris in die ſabbati, & omne opus non facietis; ſanctificate diem ſabbati, ſicut præcepi patribus veſtris.*

23. *Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed indurauerunt ceruicem ſuam, ne audirent me; & ne acciperent diſciplinam.*

24. *Et erit: Si audieritis me, dicit Dominus, vt non inferatis onera per portas ciuitatis huius in die ſabbati: & ſi ſanctificaueritis diem ſabbati, ne faciatis in eo omne opus.*

25. *In*

A beat præter euanidos ſonitus: Vbi eſt, quod nobis obgannis, verbum Domini? Veniat, & quale ſit illud, experiamur.

16. Cùm mihi illi in hunc modum obſtreperent, & inſultantes vanitatis arguerent; ego tamen neque commotus ſum, neque quicquam remiſi de ſtudio, ſpiritúque prophetico: quia non tam meo me arbitratu, quàm tua voluntate moderabar. Quæ verò hominum eſſent de me iudicia, non laborabam. Tu ſcis, Domine, quemadmodum ab hominibus gloriam non de-
B ſiderauerim, neque ab illorum opinione pendeam: & quemadmodum nihil vnquam fuerim loquutus, niſi quod mihi dicendum præſcripſiſti, quódque in conſpectu tuo rectum fuit.

17. Neque homines timeo, neque ab illis aliquid ſpero; à tuo tantùm furore timendùm eſſe ſcio, & à te in rebus anguſtis implorandum auxilium.

18. Pudefient, qui me perſequuntur, ac vexant; à me verò, quem tua ducit, ac moderatur voluntas, procul rubor aberit. Pauebunt illi, ego verò pacato ero, atque
C ſecuro pectore: induces ſuper eos tempus infortunatum, & durum, & ſtrage vehementi conficies.

19. Agedum, inquit Dominus; ô Ieremia, ſta ad portam, ad quam populi frequens multitudo concurrit, & quam ipſi quoque Reges Iuda non infrequenter obeunt, & ad reliquas item portas ciuitatis, ne quem Diuini pectoris cogitatio lateat.

20. Et clamabis ibi: Adeſte animis Reges Iuda; adeſte viri omnes Iudæi, ac Solymitani ciues, & quotquot per haſce portas
D ingredimini, & audite, quid per me Dominus edictum eſſe vult.

21. Cuſtodite, ait Dominus, ſabbatum, quia ſic etiam animas veſtras eadem ſeruabitis cuſtodia, neque portandis oneribus, inferendíſque per haſce portas tanti diei ſanctitatem violetis.

22. Sicut nihil in die ſabbati foris in ciuitatem inferendum veto, ſic etiam ne quid ex ciuitate per portas haſce foras exportetur edico. Ab omni opere abſtinete manus, ſicut veſtris olim parentibus iniunxi.

E 23. Sed illi neque audierunt, neque aures, vt audirent, accommodarunt, & ceruice peruicaci, ac ferrea obluctata fuit, ne vocem audirent meam, aut informari ſe diſciplina ſinerent.

24. Quòd ſi meis præceptis obſequuti, dicit Dominus, in die ſabbati, per has portas nullum importabitis, aut exportabitis onus, ſi ſancta vobis erit, & in-

iuiolata

A uiolata ſabbati religio, ſi ab omni opere faciendo ceſſabitis.

25. *Ingredientur per portas ciuitatis huius Reges & Principes, ſedentes ſuper ſoliū Dauid, & aſcendentes in curribus & equis, ipſi & Principes eorum, viri Iuda, & habitatores Ieruſalem: & habitabitur ciuitas hæc in ſempiternum.*

25. Ingredientur, vt antea, regia pompa equis, & curribus inuecti Reges, & Principes, qui in ſolium Dauidicum ſuccedent; non ipſi ſolùm, ſed & viri Principes è Iudæorum genere, & qui ciuitatem habitant Solymitanam; neque ciuitas iſta in æternum delebitur.

26. *Et venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ieruſalem, & de terra Benjamin, & de campeſtribus, & de montuoſis, & ab Auſtro, portantes holocauſtum, & victimam, & ſacrificium, & thus, & inferent oblationem in domum Domini.*

26. Et venient non ſolùm de illis ciuitatibus Iuda, quæ Hieroſolymam circunfundunt, ſed de terra quoque Benjamin, tam qui campeſtria, & plana, quàm qui montoſa, & ſylueſtria incolunt; item qui ad regionem pertinent Auſtralem. Qui omnem
B afferent ad templi victimarum, ac libationum legitimos ſumptus rerum abundantiam, quam in domum Domini vltrò, atque lubentes importabunt.

27. *Si autem non audieritis me vt ſanctificetis diem ſabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die ſabbati: ſuccendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ieruſalem, & non extinguetur.*

27. Si verò, contrà quàm à me præceptum eſt, ſabbati vobis vilis exiſtimabitur religio, conuectis per portas ciuitatis oneribus, efficiam, vt ex ipſis portis excitetur incendium, quod totam abſumat ciuitatem, quod nulla induſtria hominum, aut poteſtas extinguet.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo: in vngue adamantino.*]

1. IN præcedenti capite oſtenderat Prophetæ Dominus, grauia fuiſſe Iudæorum peccata, quæ Diuinum furorem inflammarunt; & in his, quòd mutis ſimulacris honores impenderunt Diuinos, contaminauerintque terram morticinis idolorum, hæreditatemque oblatam à Domino abominationibus impleuerunt: nunc iam oſtendit, quàm auidè hæc, atque impensè ſuſceperint; quàm pertinaci ſtudio ſeruauerint, ſeruaturique in æuum videantur. Quo verò modo iſtud vehemens ſtudium ſignificetur, hac verborum forma; obſcurum eſt, neque idem omnibus: dicam priùs, quod viſum aliis, deinde meam aperiam cogitationem.

2. Plerique è Patribus hæc figuratè accipiunt, & in vngue adamantino conſcientiam, aut animam adumbrari cenſent; in qua ita ſunt altè inſculpta, ſeu inciſa peccata, vt deleri non poſſint; ſicut deteri vſu, aut excuſpi non poſſunt, quæ in adamantina tabula ſtylo ferreo cælata ſunt. Significatur ergo obſtinata Iudæorum perfidia, è quorum animis nihilo magis inolitum peccatum exoleſcet, quàm ex adamante ſpecies ſemel inciſa. Vnguem porro adamantinum lapillum eſſe
C dicunt, ad humani vnguis ſimilitudinem latum, ac terſum: putántque ſubaudiri, Hebræorum more, comparationis notam in hanc ſententiam: Peccatum Iuda ſic eſt inſculptum ipſius animæ; quemadmodum ſtylo ferreo ſpecies aliqua in adamante cælatur, ex quo deteri, aut deleri non poteſt. Eſt autem vſitatum, vt quæ rata eſſe ſtudent homines, ac firma, in lapide cælent, aut in ære. Sic Iob ad ſempiternam ſæculorum memoriam ſermones ſuos in ſilice exarari cupiebat. Sic Romani olim leges ſuas, quas æternas fore ſperabant, non in charta, aut cera, ſed in æreis tabulis inſculpendas curabant. De quibus Ouidius.

D De quibus item Plinius libro 34. capite 9. *Vſitatis ad perpetuitatem monumentorum iam pridem tranſlatus eſt tabulis æreis, in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur.* Certè Romani in tabulis æreis inſcripſerunt memoriale ſocietatis, & pacis cum Iudæis 1. Machabæorum capite 8. quod etiam feciſſe Spartiatæ dicuntur eodem libro capite 13.

Hæc porro peccata in vngue adamantino, aut in ærea tabula, ſcribit peccator ipſe: & hoc eſt illud damnationis chirographum, de quo Paulus ad Coloſſenſes 2. verſu 14. de quo Origenes ho- 3. *Peccata in corde ſcripta.*

milia 13. in caput 16. Geneſis. *Sunt quædam literæ, quas Deus ſcribit; quædam literæ, quas nos ſcribimus. Peccati literas nos ſcribimus; audi Apoſtolum dicentem, delens quod aduerſum nos erat chirographum: vnuſquiſque etenim noſtrûm in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati ſui literas ſcribit.* De hac rurſus Scriptura idem Origenes homilia 12. in Ieremiam. *Nudabitur pectoris mei conſcientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ ſtylo ferreo in vngue adamantino ſculptæ ſunt. Atque ita vniuerſa ſpectantium multitudo legat in pectore meo ſignatas imagines peccatorum.*

Si textum conſulas Hebraicum, tam *ſtylo ferreo*, quàm *vngui adamantino* præponitur ב *beth*, quod idem valet, quod *in*, & vſum indicat inſtrumenti: tunc verò tam *vngue*, quàm *ſtylo*, ſuper latitudinem cordis inſculpenda dicuntur hominum peccata. Quod ad ſententiam pertinet, aut nullum eſt, aut perquàm tenue diſcrimen: eſt enim priori modo ſententia eadem bis iterata, cùm idem ſit *cordis latitudo*, & *vnguis adamantinus*: poſteriori verò ſemel ponitur Scripturæ ſubiectum, ideſt, cor; & duplex indicatur inſtrumentum, ſtylus nempe ferreus, & vnguis adamantinus.

4. Eſt, qui in *peccato* non culpam agnoſcat, ſed peccati pœnam, quam peccati nomine ſignificari nuper oſtendimus: ita vt ſupplicium, quod Deus Iudæorum peccatis infligere conſtituit, reuocandum non ſit, quaſi ſcriptum non fuerit in puluere, qui facilè conturbat, ac diſſipat notas, quas accepit: aut in charta, quæ rumpitur leui motu, aut ex qua deleri facilè aut expungi ſolent characteres; ſed in adamante ſolido, ex quo vis nulla, quod inciſum eſt conturbat, aut exculpit. Quæ quidem explicatio ad mores grauis eſt, quia horrorem incutit obſtinatis animis, durum illud, atque conſtans decretum; cum litera verò parum conſentiens, quia multa ſunt, quæ in illam explicationem neque coacta quidem trahi poſſunt.

Supplicium peccatorum æternum.

5. *Et in cornibus ararum eorum.*] Hæc etiam communiter Interpretes figuratè capiunt: & peccatum in ararum cornibus ideo ſcriptum eſſe putant, quia in illis apparet alienæ religionis, & ſceleratæ victimæ argumentum graue; vt enim ararum cornua pio victimarum imbuuntur ſanguine, vt habes Leuitici capite 8. verſu 15. & capite 4. verſu 7. & 18. & Exodi 29. verſu 12. ſic nefario victimarum ſanguine ſpargebantur altarium cornua, quæ in ſceleratum ſimulacrorum cultum erigebantur. Sumitur itaque ibi peccatum pro victimarum cruore, qui idololatriam olet, & deſertæ religionis teſtimonium eſt. Quam ego ſententiam lubens amplector, quia & ipſa difficilis non eſt, & patronos habet neque paucos, neque vulgaris notæ. Addam tamen, quod mihi dici poſſe videtur non improbabiliter.

6. Et primùm puto, hîc nil eſſe figuratum, præter *peccati* nomen, quo per antonomaſiam idololatriæ ſcelus ſignificatur. Sicut Amos capite 8. aurei vituli vocantur *delictum Samariæ*: cætera propriè accipio. Et antequam meam explicationem explicare aggredior, obſeruo, vſitatum eſſe tam apud Gentiles, quàm apud Hebræos, vt in annulis, armillis, torquibus, & laminis è collo pendentibus, illorum ſecum geſtarent effigiem, quos in honore haberent, aut in amoribus. Egimus hac de re pluribus in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam capite 44. à verſu 17. vſque ad 23.

Idolum peccatum dicitur, ac delictum.

A quæ quia ad hanc ſententiam plurimùm faciunt, ex illis huc pauca tranſcribam. Et primum de Gentilibus agam, deinde de Hebræis.

Quòd Gentiles deorum ſuorum effigies in annulis, armillis, aut laminis circumferrent, res eſt ſatis nota. Docet illud Pythagoræ ſymbolum, quod vetat Deum in annulo cælari, ne res ſæpius occurſans oculis vilior fiat. Quod item Clemens Alexandrinus libro 3. Pædagogi capite 11. fieri prohibet. Sed id non obſcurè ex ſacra Scriptura colligitur. Gentiles abſque dubio erant domeſtici Iacob, quos ſecum adducebat ex Meſopotamia. Geneſis 35. & hi annulos habebant, & inaures deorum imagine cælata. Nam cum à domeſticis idola peteret Iacob, quæ ſubter terebinthum infoderet, inaures dediſſe dicuntur, quia nimirum in ipſis inſculptæ erant idolorum formæ. *Dederunt* (inquit) *ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Inaures verò ideo datas eſſe putat Auguſtinus, quæſtione ſuper Geneſim 112. & Chryſoſtomus homilia 35. in Geneſim, quia in ipſis erant aut deorum effigies, aut aliqua impiæ religionis phylacteria. Indicant verò tam Septuaginta, quàm Chaldæus, in manibus quoque, ideſt, in annulis, ſicut in auribus, habuiſſe deos. Sic enim legunt: *Dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* De Gentibus itaque non dubium. Quòd Hebræis id quoque foret in vſu, conſtabit ex his, quæ ſtatim adducemus.

7.

Idolorum imagines in annulis & armillis, geſtari ſolita.

Geneſis 35.

B

C

Iam igitur ad rem. *Peccatum*, vt dixi, idolum eſt; hoc igitur in vngue adamantino ſcriptum eſt, ideſt, ſcriptum cælte, ſeu graphio cælatorio. Vnguem autem adamantinum gemmam appello, ſeu adamantem in annuli palla illigatum: appellatur verò vnguis, quia vnguis humani lapis ille pretioſus ſimilitudinem refert, quia mundus eſt, & læuis, & magnitudine non inæquali. In eo autem vngue cælatum eſt ſtylo ferreo, aut idoli nomen, aut illius effigies, vt nunquam non occurſaret oculis.

Vngues adamantini.

8. *Super latitudinem cordis.*] Ornamenta illarum ſibi partium nomen aſſumunt, quas ornant, & illuſtrant, vt pluribus oſtendimus in quodam Prolegomeno ſuper Cantica. Et de corde ſunt teſtimonia non obſcura tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores; apud quos ornamentum illud, quod à collo deſcendit, & cordi imminet, quódque communiter vocatur bulla, *cor* etiam interdum appellatur. Martialis libro 14. Epigrammatũ, cùm bullam ſcorteam ad ſtolidum quendam cauſidicum mitteret, hunc diſticho titulum præfixit: *Corculum*, ſeu, vt alij volunt, *cor bubulum*, deinde accommodatè ad lemma, ſeu titulum hoc carmen ſubiecit:

D

Latitudo cordis.

Pauper cauſidicus nullum referentia nummum
Carmina cum ſcribas, accipe cor, quod habes.

E

9. Cor item appellari videtur Canticorũ capite 8. lamina quædam, quæ ſupra cor à collo cadit, in qua effigiem ſui, aut monumentum aliquod cælari ſponſus iubet, cùm ait: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, in armillis videlicet, & pectorali ſiue gemma, ſiue lamina. Quòd autem idololatræ in pectorali ornamento deorum ſuorum effigies, aut nomina geſtarent, docet non obſcurè Oſeas capite 2. vbi de Iudæa idolorum cultrice, tanquam de adultera in hunc modum loquitur: *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua* de

Cor ornamentum.

Oſeæ c. 2.

de medio vberum ſuorum. Fornicationes, &c, *adulteria*, monumenta quædam, ſiue phylacteria ſunt impiæ religionis, quæ in facie; nempe in aurium, ſiue naſi ornamentis, aut gemmis in fronte pendentibus, & in medio vberum, ideſt, in pectorali lamina geſtabat.

10. Porro in latitudine cordis, ſeu, quod idem eſt, in tabula cordis, circunferri cælata illorum monumenta, quæ meminiſſe volumus, docet illud Prouerbiorum 3. *Miſericordia, & veritas te non deſerant, circunda ea gutturi tuo, & ſcribe in tabulis cordis tui.* & capite 7. *Liga ea* (nempe præcepta Dei) *in digitis tuis, ſcribe ea in tabulis cordis tui.* vbi *in tabulis cordis*, intelligendam eſſe materialem laminam; quæ cordi immineat, docent adiuncta: nam *circundari gutturi*, vt promptum eſt cuique exiſtimare, nihil aliud eſt, quam cælari in torquibus, qui guttur circundant. Et facit, quòd Hebraicè eſt גרגרות *garguerim*, in plurali, quod gutturi propriè non poteſt conuenire, torquibus verò perquàm bellè. Erit ergo ſenſus: Peccatum Iudæ, ideſt, idolorum aliquod phylacterium ſcriptum eſt in latitudine, ſeu in tabula cordis, ſtylo cælatorio.

Prouer. 3.
Prouerbiorum 7.

11. De vngue adamantino, ideſt, de gemma, quæ in annuli palla illigata eſt, minùs eſt obſcurum: nam in annulis, qui ſæpius occurſant oculis, effigies exprimuntur eorum, quos amamus, aut colimus. Ex profanis ſcriptoribus oſtendimus ſuprà, ex Pythagora, & Tullio; de ſacris etiam nonnihil diximus, cùm ageremus de idolis, quæ ablata à domeſticis ſub terebintho infodit Iacob: addo nunc exemplum aliud ex Pſalmo 136. *Si oblitus fuero tui, Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.* Hebraicè תשכח *tiſcach*, in futuro, ideſt, obliuioni dabitur. Geſtabant, credo, cùm captiui abducerentur Babylonem Iudæi, ſicut antea communiter, aliquod monumentum Hieroſolymæ in dextra, ideſt, in annulis, quos in dextra geſtabant: quare, cùm manum intuebantur, non poterant non recordari patriæ, cuius ſignum ſtatim incurrebat in oculos. Dicunt ergo: Tunc obliuiſcar tui, Ieruſalem, cùm manuum mearum obliuiſci contigerit, à quibus abeſſe nunquam poteris, quaſi pars illarum non exigua. Ad quam amantium conſuetudinem alluſiſſe videtur Deus, cùm de Ieruſalem apud Iſaiam capite 49. dixit: *Ego tamen non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.* Quaſi dicat, vt manus mihi præſentes ſunt, ſic muri tui in illarum annulis efformati.

Pſal. 136.
Iſaiæ cap. 49.

12. *Et in cornibus ararum ſuarum.*] Quomodo in ararum cornibus inſculptum peccatum, ſic puto, inciſum eſſe in cordis latitudine, aut vngue adamantino. At quidquid in ararum cornibus inciſum eſt, aſpectabile eſſe, ac materiale oportet: quare materialem eſſe fateamur adamantinum vnguem, & cordis latitudinem. Quo ſenſu acceperint alij, iam ſuprà expoſuimus, probauimúſque. Quid nos ſentire debeamus, ſi modò nobis ipſis conſtare volumus, non eſt ex his, quæ proximè diximus, coniectare difficile: nempe in ipſis quoque aris apparere alienæ religionis expreſſa monumenta, effigiem puta, aut nomen, aut ſymbolum: ita putat Lyra, & probat Maldonatus. Quòd autem Gentilium aræ deorum habeant aliquod inſigne, & exempla docet, & ipſa rerum natura præſcribit. Sanè in Apoſtolorum Actibus capite 17. in ara quadam inſcriptum erat, *Ignoto Deo*, neque eſt credibile, in aliis aris eorum deorum, quibus erant conſecratæ, defuiſſe nomen, aut illuſtre ſymbolum. Hæc mihi viſa ſunt ſatis ad literam, textúmque conſentanea. Quod ſenſiſſe etiam videtur ſanctus Thomas, Hugo, Dionyſius, & Lyra, dum dicunt ad ea, quæ proximè ſequuntur, filios ex his reuocaturos in memoriam eſſe, quæ olim parentes mala patrauerunt: at niſi aſpectabilia forent, ac permanentia ſigna, nunquam ex his paternæ impietatis excitaretur memoria. Probo tamen, laudóque ſuperiorem explicationem, quam probari aliis, atque laudari video.

Verſ. 2. *Cùm recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum, & lucorum ſuorum*, &c.] Locus hic valde implexus eſt, neque meo iudicio ſatis illum Interpretes extricant. Longum eſſet, omnium numerare ſententias, & cùm illæ confutandæ ſint, ſanè quàm moleſtum; quas tu apud auctores ſuos per otium vide: mihi quod maximè videatur ad textum, paucis expediam; ſi modò priùs obſeruauero nonnulla, quæ noſſe aliquod eſt operæpretium. 13.

Primum eſt, *Iuda* nomen hic eſſe collectiuū, quod populū ſignificat, ideſt, hominum congregationem, & cœtum, & in huiuſmodi nominibus haberi interdum rationem magis ſignificationis, quæ multitudinem continet, quàm terminationis ſingularis. Quare ſæpe cùm præceſſiſſet *Iſraël*, *Iacob*, & ſimilia, numerus adiungitur multitudinis. Iſaias capite 58. verſu 1. *Annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Alterum eſt, verbum, *recordor*, non tantùm ſignificare memorem animum, ſed etiam quodcunque naſcitur è practica memoria. Quare pro opere interdum ſumitur, quod facit ille, qui ſui muneris, aut alicuius negotij practicè recordatur: quomodo Deus peccatorum memor dicitur, cùm illa punit, & immemor, cùm illa relinquit impunita: recordatur pauperis, cùm eius miſeretur, & illius dicitur oblitus, cùm illo durè conflictari permittit. Sic ergo aliquis recordari dicitur ſacrificij, cùm ſacrificat; ararum, & lucorum, cùm ad aras, & lucos impias immolat victimas: ſicut etiam thuris recordatur, qui thus offert, & ſuffimenta alia. Iſaias capite 66. *Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* 14.

His poſitis iam iam prodit ſeſe, quem nos venamur, ſenſus. Reddit enim Dominus rationem, cur in prædam daturus ſit Iudæorum theſauros, ſumpturúſque pœnas, quas deinde cōmemorat: quia Iuda, ideſt, Iudæi eo ſtudio arripuerunt cauſam idolorum, vt eorum effigies, & monumenta in annulis geſtent, & pectorali lunula: & quia eorum filij, nempe Iuda, collectiui nominis, ſeu, quod idem eſt, Iudæorum (quod perinde eſt, atque *Iudæi*: filij enim Iudæorum iidem ſunt, qui Iudæi, ſicut filij taurorum, iidem qui tauri) recordati ſunt ararum, lucorum, lignorúmque frondentium, ideſt, in illis impias obtulerunt victimas, & ſacra peregêre nefaria. Illud, *cùm recordati fuerint*, temporis eſt præteriti, non futuri: & idem valet, atque *quia recordati ſunt*. Sic puro ſine offenſione decurrit textus: neque eſt aliquid, quod ſuppleas, quod neceſſariò faciunt, qui aliter interpretantur. 15.

Verſ. 3. *Fortitudinem tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo.*] Cùm Iuda loquitur, cui desolitatem minatur, & inopiam, propter illa, quæ proximè commemorauit, ideſt, peccata, quibus fines ſuos omnes latè compleuit. Hæc ad finem vſque 16.

milia 13. in caput 16. Geneſis. *Sunt quadam literæ, quas Deus ſcribit; quadam literæ, quas nos ſcribimus. Peccati literas nos ſcribimus; audi Apoſtolum dicentem: delens quod aduerſum nos erat chirographum: vnuſquiſque etenim noſtrùm in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati ſui literas ſcribit.* De hac rurſus ſcriptura idem Origenes homilia 12. in Ieremiam. *Nudabitur pectoris mei conſcientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ ſtylo ferreo in vngue adamantino ſculptæ ſunt. Atque ita vniuerſa ſpectantium multitudo legat in pectore meo ſignatas imagines peccatorum.*

Si textum conſulas Hebraicùm, tam *ſtylo ferreo*, quàm *vngui adamantino* præponitur ב *beth*, quod idem valet, quod *in*, & vſum indicat inſtrumenti: tunc verò, tam *vngue*, quàm *ſtylo*, ſuper latitudinem cordis inſculpenda dicuntur hominum peccata. Quod ad ſententiam pertinet, aut nullum eſt, aut perquàm tenue diſcrimen: eſt enim priori modo ſententia eadem bis iterata, cùm idem ſit *cordis latitudo*, & *vnguis adamantinus*: poſteriori verò ſemel ponitur Scripturæ ſubiectum, ideſt, cor; & duplex indicatur inſtrumentum, ſtylus nempe ferreus, & vnguis adamantinus.

4. Eſt, qui in *peccato* non culpam agnoſcat, ſed peccati pœnam, quam peccati nomine ſignificari nuper oſtendimus: ita vt ſupplicium, quod Deus Iudæorum peccatis infligere conſtituit, reuocandum non ſit, quaſi ſcriptum non fuerit in puluere, qui facilè conturbat, ac diſſipat notas, quas accepit: aut in charta, quæ rumpitur leui motu, aut ex qua deleri facilè aut expungi ſolent characteres; ſed in adamante ſolido, ex quo vis nulla, quod inciſum eſt conturbat, aut excuſpit. Quæ quidem explicatio ad mores grauis eſt, quia horrorem incutit obſtinatis animis, durum illud, atque conſtans decretum; cum literæ verò parum conſentiens, quia multa ſunt, quæ in illam explicationem neque coacta quidem trahi poſſunt.

Supplicium peccatorum æternum.

5. *Et in cornibus ararum eorum.*] Hæc etiam communiter Interpretes figuratè capiunt: & peccatum in ararum cornibus ideo ſcriptum eſſe putant, quia in illis apparet alienæ religionis, & ſceleratæ victimæ argumentum graue: vt enim ararum cornua pio victimarum imbuuntur ſanguine, vt habes Leuitici capite 8. verſu 15. & capite 4. verſu 7. & 18. & Exodi 29. verſu 12. ſic nefario victimarum ſanguine ſpargebantur altarium cornua, quæ in ſceleratum ſimulacrorum cultum erigebantur. Sumitur itaque ibi peccatum pro victimarum cruore, qui idololatriam olet, & deſertæ religionis teſtimonium eſt. Quam ego ſententiam lubens amplector, quia & ipſa difficilis non eſt, & patronos habet neque paucos, neque vulgaris notæ. Addam tamen, quod mihi dici poſſe videtur non improbabiliter.

6. Et primùm puto, hìc nil eſſe figuratum, præter *peccati* nomen, quo per antonomaſiam idololatriæ ſcelus ſignificatur. Sicut Amos capite 8. aurei vituli vocantur *delictum Samariæ*: cætera propriè accipio. Et antequam meam explicationem explicare aggredior, obſeruo, vſitatum eſſe tam apud Gentiles, quàm apud Hebræos, vt in annulis, armillis, torquibus, & laminis è collo pendentibus, illorum ſecum geſtarent effigiem, quos in honore haberent, aut in amoribus. Egimus hac de re pluribus in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam capite 44. à verſu 17. vſque ad 23.

Idolum peccatum dicitur, ac delictum.

A quæ quia ad hanc ſententiam plurimùm faciunt, ex illis huc pauca tranſcribam. Et primum de Gentilibus agam, deinde de Hebræis.

Quòd Gentiles deorum ſuorum effigies in annulis, armillis, aut laminis circunferrent, res eſt ſatis nota. Docet illud Pythagoræ ſymbolum, quod vetat Deum in annulo cælari, ne res ſæpius occurſans oculis vilior fiat. Quod item Clemens Alexandrinus libro 3. Pædagogi capite 11. fieri prohibet. Sed id non obſcure ex ſacra Scriptura colligitur. Gentiles abſque dubio erant domeſtici Iacob, quos ſecum adducebat ex Meſopotamia. Geneſis 35. & hi annulos habebant, & inaures deorum imagine cælata. Nam cùm à domeſticis idola peteret Iacob, quæ ſubter terebinthum infoderet, inaures dediſſe dicuntur, quia nimirum in ipſis inſculptæ erant idolorum formæ. *Dederunt* (inquit) *ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Inaures verò ideo datas eſſe putat Auguſtinus, quæſtione ſuper Geneſim 112. & Chryſoſtomus homilia 35. in Geneſim, quia in ipſis erant aut deorum effigies, aut aliqua impiæ religionis phylacteria. Indicant verò tam Septuaginta, quàm Chaldæus, in manibus quoque, ideſt, in annulis, ſicut in auribus, habuiſſe deos. Sic enim legunt: *Dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* De Gentibus itaque non dubium. Quòd Hebræis id quoque foret in vſu, conſtabit ex his, quæ ſtatim adducemus. 7.

Idolorum imagines in annulis & armillis geſtari ſolita.

Geneſis 35.

Iam igitur ad rem. *Peccatum*, vt dixi, idolum eſt; hoc igitur in vngue adamantino ſcriptum eſt, ideſt, ſcriptum, celte, ſeu graphio cælatorio. Vnguem autem adamantinum gemmam appello, ſeu adamantem in annuli palla illigatum: appellatur verò vnguis, quia vnguis humani lapis ille pretioſus ſimilitudinem refert, quia mundus eſt, & læuis, & magnitudine non inæquali. In eo autem vngue cælatum eſt ſtylo ferreo, aut idoli nomen, aut illius effigies, vt nunquam non occurſaret oculis.

Vngues adamantini.

Super latitudinem cordis.] Ornamenta illatum ſibi partium nomen aſſumunt, quas ornant, & illuſtrant, vt pluribus oſtendimus in quodam Prolegomeno ſuper Cantica. Et de corde ſunt teſtimonia non obſcura tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores; apud quos ornamentum illud, quod à collo deſcendit, & cordi imminet, quódque communiter vocatur bulla, *cor* etiam interdum appellatur. Martialis libro 14. Epigrammatũ, cùm bullam ſcorteam ad ſtolidum quendam cauſidicum mitteret, hunc diſticho titulum præfixit: *Corculum*, ſeu, vt alij volunt, *cor bubulum*, deinde accommodatè ad lemma, ſeu titulum hoc carmen ſubiecit: 8.

Latitudo cordis.

Pauper cauſidicus nullum referentia nummum
Carmina cùm ſcribas, accipe cor, quod habes.

E Cor item appellari videtur Canticorũ capite 8. lamina quædam, quæ ſupra cor à collo cadit, in qua effigiem ſui, aut monumentum aliquod cælari ſponſus iubet, cùm ait: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, in armillis videlicet, & pectorali ſiue gemma, ſiue lamina. Quòd autem idololatræ in pectorali ornamento deorum ſuorum effigies, aut nomina geſtarent, docet non obſcurè Oſeas capite 2. vbi de Iudæa idolorum cultrice, tanquam de adultera in hunc modum loquitur: *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua* 9.

Cor ornamentum.

Oſeæ c. 2.

de

de medio vberum ſuorum. Fornicationes, &, *adulteria*; monumenta quædam, ſiue phylacteria ſunt impiæ religionis, quæ in facie; nempe in aurium, ſiue naſi ornamentis, aut gemmis in fronte pendentibus, & in medio vberum, ideſt, in pectorali lamina geſtabat.

10. Porro in latitudine cordis, ſeu, quod idem eſt, in tabula cordis, circunferri cælata illorum monumenta, quæ meminiſſe volumus, docet illud Prouerbiorum 3. *Miſericordia, & veritas te non deſerant, circunda ea gutturi tuo, & ſcribe in tabulis cordis tui*. & capite 7. *Liga ea* (nempe præcepta Dei) *in digitis tuis, ſcribe ea in tabulis cordis tui*: vbi *in tabulis cordis*, intelligendam eſſe materialem laminam; quæ cordi immineat, docent adiuncta: nam *circundari gutturi*, vt promptum eſt cuique exiſtimare, nihil aliud eſt, quam cælari in torquibus, qui guttur circundant. Et facit, quòd Hebraicè eſt גרגרים *garguerim*, in plurali, quod gutturi propriè non poteſt conuenire, torquibus verò perquàm bellè. Erit ergo ſenſus: Peccatum Iudæ, ideſt, idolorum aliquod phylacterium ſcriptum eſt in latitudine, ſeu in tabula cordis, ſtylo cælatorio.

Prouer. 3.

Prouerbiorum 7.

11. De vngue adamantino, ideſt, de gemma, quæ in annuli palla illigata eſt, minùs eſt obſcurum: nam in annulis, qui ſæpius occurſant oculis, effigies exprimuntur eorum, quos amamus, aut colimus. Ex profanis ſcriptoribus oſtendimus ſuprà, ex Pythagora, & Tullio; de ſacris etiam nonnihil diximus, cùm ageremus de idolis, quæ ablata à domeſticis ſub terebintho infodit Iacob: addo nunc exemplum aliud ex Pſalmo 136. *Si oblitus fuero tui, Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea*. Hebraicè תשכח *tiſcach*, in futuro, ideſt, obliuioni dabitur. Geſtabant, credo, cùm captiui abducerentur Babylonem Iudæi, ſicut antea communiter, aliquod monumentum Hieroſolymæ in dextra, ideſt, in annulis, quos in dextra geſtabant: quare, cùm manum intuebantur, non poterant non recordari patriæ, cuius ſignum ſtatim incurrebat in oculos. Dicunt ergo: Tunc obliuiſcar tui, Ieruſalem, cùm manuum mearum obliuiſci contigerit, à quibus abeſſe nunquam poteris, quaſi pars illarum non exigua. Ad quam amantium conſuetudinem alluſiſſe videtur Deus, cùm de Ieruſalem apud Iſaiam capite 49. dixit: *Ego tamen non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper*. Quaſi dicat, vt manus mihi præſentes ſunt, ſic muri tui in illarum annulis efformati.

Pſal. 136.

Iſaiæ cap. 49.

12. *Et in cornibus ararum ſuarum.*] Quomodo in ararum cornibus inſculptum peccatum, ſic puto, inciſum eſſe in cordis latitudine, aut vngue adamantino. At quidquid in ararum cornibus inciſum eſt, aſpectabile eſſe, ac materiale oportet: quare materialem eſſe fateamur adamantinum vnguem, & cordis latitudinem. Quo ſenſu acceperint alij, iam ſuprà expoſuimus, probauimúſque. Quid nos ſentire debeamus, ſi modò nobis ipſis conſtare volumus, non eſt ex his, quæ proximè diximus, coniectare difficile: nempe in ipſis quoque aris apparere alienæ religionis expreſſa monumenta, effigiem puta, aut nomen, aut ſymbolum: ita putat Lyra, & probat Maldonatus. Quòd autem Gentilium aræ deorum habeant aliquod inſigne, & exempla docet, & ipſa rerum natura præſcribit. Sanè in Apoſtolorum Actibus capite 17. in ara quadam inſcriptum erat, *Ignoto Deo*, neque eſt credibile, in aliis aris eorum deorum, quibus erant conſecratæ, defuiſſe nomen, aut illuſtre ſymbolum. Hæc mihi viſa ſunt ſatis ad literam, textúmque conſentanea. Quod ſenſiſſe etiam videtur ſanctus Thomas, Hugo, Dionyſius, & Lyra, dum dicunt ad ea, quæ proximè ſequuntur, filios ex his reuocaturos in memoriam eſſe, quæ olim parentes mala patrauerunt: at niſi aſpectabilia forent, ac permanentia ſigna, nunquam ex his paternæ impietatis excitaretur memoria. Probo tamen, laudóque ſuperiorem explicationem, quam probari aliis, atque laudari video.

Verſ. 2. *Cùm recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum, & lucorum ſuorum, &c.*] Locus hic valde implexus eſt, neque meo iudicio ſatis illum Interpretes extricant. Longum eſſet, omnium numerare ſententias, & cùm illæ confutandæ ſint, ſanè quàm moleſtum; quas tu apud auctores ſuos per otium vide: mihi quod maximè videatur ad textum, paucis expediam; ſi modò priùs obſeruauero nonnulla, quæ noſſe aliquod eſt operæpretium. 13.

Primum eſt, *Iuda* nomen hic eſſe collectiuũ, quod populũ ſignificat, ideſt, hominum congregationem, & cœtum, & in huiuſmodi nominibus haberi interdum rationem magis ſignificationis, quæ multitudinem continet, quàm terminationis ſingularis. Quare ſæpe cùm præceſſiſſet *Iſraël*, *Iacob*, & ſimilia, numerus adiungitur multitudinis. Iſaias capite 58. verſu 1. *Annuncia populo meo ſcelera eorum, & domus Iacob peccata eorum*. Alterum eſt, verbum, *recordor*, non tantùm ſignificare memorem animum, ſed etiam quodcunque naſcitur è practica memoria. Quare pro opere interdum ſumitur, quod facit ille, qui ſui muneris, aut alicuius negotij practicè recordatur: quomodo Deus peccatorum memor dicitur, cùm illa punit, & immemor, cùm illa relinquit impunita: recordatur pauperis, cùm eius miſeretur, & illius dicitur oblitus, cùm illo durè conflictari permittit. Sic ergo aliquis recordari dicitur ſacrificij, cùm ſacrificat; ararum, & lucorum, cùm ad aras, & lucos impias immolat victimas: ſicut etiam thuris recordatur, qui thus offert, & ſuffimenta alia. Iſaias capite 66. *Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo*. 14.

His poſitis iam iam prodit ſeſe, quem nos venamur, ſenſus. Reddit enim Dominus rationem, cur in prædam daturus ſit Iudæorum theſauros, ſumpturíſque pœnas, quas deinde cõmemorat: quia Iuda, ideſt, Iudæi eo ſtudio arripuerunt cauſam idolorum, vt eorum effigies, & monumenta in annulis geſtent, & pectorali lunula: & quia eorum filij, nempe Iuda, collectiui nominis, ſeu, quod idem eſt, Iudæorum (quod perinde eſt, atque *Iudæi*: filij enim Iudæorum iidem ſunt, qui Iudæi, ſicut filij taurorum, iidem qui tauri) recordati ſunt ararum, lucorum, lignorúmque frondentium, ideſt, in illis impias obtulerunt victimas, & ſacra peregêre nefaria. Illud, *cùm recordati fuerint*, temporis eſt præteriti, non futuri: & idem valet, atque *quia recordati ſunt*. Sic puto ſine offenſione decurrit textus: neque eſt aliquid, quod ſuppleas, quod neceſſariò faciunt, qui aliter interpretantur. 15.

Verſ. 3. *Fortitudinem tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo*.] Cùm Iuda loquitur, cui debilitatem minatur, & inopiam, propter illa, quæ proximè commemorauit, ideſt, peccata, quibus fines ſuos omnes latè compleuit. Hæc ad finem vſque 16.

vſque verſus quinti iam antè dicta fuerant à Propheta, capite 15. verſu 13. vbi item à nobis explicata ſunt. A

17. Verſ. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.*] Iam aliam calamitatis cauſam, & aliud Iudæorum peccatum proponit Ieremias, qui cùm ſperarent Ægyptiorum auxilio tutos ſe fore à Chaldæorum armis, ſalutaria Prophetæ monita reſpuebant, qui vanam clamabant Ægyptiorum fidem, & futile ſubſidium. Maledictum autem vocat illum, qui cùm à Deo paratum habeat, & validum auxilium, id eſt, brachium expeditum, & forte, ad brachium tamen reſpicit carneum; quod infirmum eſt, neque aliquid præſtare poteſt, quod ex vſu ſit. Brachium verò carneum idem eſt, quod *homo*; quare confidere in homine, & in carne ponere brachium, ſeu adminiculum ſuum, idem omnino eſt. Cúmque homo in ſacra Scriptura caro dicatur, & ſanguis, vt conſtat, à quo nihil magnum ſperari poteſt, tamen de Ægyptiis, neque ſemel, neque nunc primùm hoc dictum eſt. Nam, cùm ante hoc tempus ſpem ſuam in Ægyptiis locauiſſent Iudæi, vt ab hac ſpe illos Iſaias deiiceret, ſicut nunc etiam facit Ieremias, dixit capite 31. *Væ, qui deſcendunt in Ægyptum, ad auxilium, &c. Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non ſpiritus. Maledictionis* nomen malum inducit omne, & quidquid eſt amarum, & odibile; ſicut *benedictio* omne felicitatis genus importat.

Spes in homine vana.

18. Verſ. 6. *Et quaſi myrica in deſerto, & non videbit, cùm venerit bonum.*] Vox Hebraica ערער *arar,* quidam iuniperum, ericam alij, alij lignum infructuoſum vertunt: conueniunt tamen omnes, quòd neceſſe eſt, infelicis, ac ſterilis plantæ genus eſſe, quam homines horreant magis, quàm ad voluptatem, & vſum deſiderent. Sed communiter cum Hieronymo, & Septuaginta alij *myricam* reddunt. Hæc verò duplex eſt, teſte Baſilio homilia 5. in Exameron: altera, quæ locis humentibus, ac paluſtribus gaudet, & ideo ad fluuiorum ripas plerunque naſcitur, cuius in Hiſpania magna vis: altera ſylueſtris, planè infelix, ſterilis, & humilis, de qua eſt illud Maronis Ecloga 4.

Myrica quid?

19. *Non omnes arbuſta iuuant, humileſque myricæ.*

De hac poſteriori proculdubio loquitur Propheta, & liquet ex adiunctis; & ita Septuaginta tranſtulerunt ἀγριομυρίκη Myrica porro non tantùm à Propheta, ſed etiam ab externis maledicta dicitur; ſeu, quod idem eſt, infelix. Plinius infelicem vulgò appellari tradit: cùm enim de tamarica, quæ etiam myrica eſt, ageret libro 24. capite 9. ait: *Vulgus infelicem eam arborem appellat (& ea cauſa redditur) quoniam nihil ferat, neque feratur vnquam.* Has verò arbores, quæ infelices vocantur, maledictas etiam exiſtimari idem indicat Plinius libro 16. capite 26. *Infelices (inquit) arbores exiſtimantur, damnataq́ue religione, quæ neque ſeruntur vnquam, neque fructum ferunt.* Illud, *damnata religione,* aliquid ſonat affine *maledicto.*

20. Nunc videndum eſt, in quo maximè ſpectetur ſimilitudo. Myrica, vt vidimus, infelix eſt, quæcunque illa ſit, quia indigna exiſtimatur, quæ plantetur ab aliquo; ſed quæ in humentibus naſcitur locis, & ad fluminum ripas, aliquid ex humore illo penè cognato, & ſuo accipit, quo viridis ſit, & non omnino infelix. At quæ ſylueſtris eſt, & in deſerto naſcitur, atque ſylueſtri loco, nihil habet, quod oculos capiat, aut quod expeti poſſit ab hominibus. Vnde credo poſteriorem hanc myricam abiiſſe in prouerbium, ſumíque ſolitam pro homine futili, atque nullius frugis: id verò mihi perſuadeo, quia modus ipſe dicendi aptus eſt parœmiæ; & quia hác plantá in eandem ſignificationem, & vſum alibi adhiberi video. Ieremias iterum capite 48. verſu 6. ad Moabitas: *Eritis ſicut myrica in deſerto.* Et Pſalmo 101. verſu 18. vbi Vulgatus legit: *Reſpexit in orationem humilium,* loco *humilium,* Hebraicè eſt ערער *arar,* id eſt, reſpexit in orationem illorum, qui ſunt ſicut myrica. Ita vertunt Pagninus, & Vatablus.

Prov. Sicut myrica.

Pſal. 101.

Satis videtur infelix myrica, quæ in deſertis oritur, & ſitientibus locis; ſed aliquid præterea additur, quod illam magis oſtendit infelicem. Bene cum illis agi exiſtimatur, quæ in locis plantantur irriguis, aut in illis ſponte naſcuntur; quia humorem habent penè ſuum. Quòd ſi in locis aut oriantur, aut plantentur deſertis, id ſibi ſolatio, atque ſubſidio habere poſſunt, quòd pluuia expectatur opportuna de cælo, à quo id habent non ſolùm, vt vireſcant, & frondeant; ſed etiam, vt viuant. At ſi illis hoc negetur de cælo ſubſidium, iam tunc omnino de illarum virore, ac vita actum exiſtimatur. Hoc ergo nunc ſignificatur de illa infelici myrica, cui ſimilis eſſe dicitur, qui confidit in homine: id enim valet, quod mox additur, 21.

Et non videbit, cùm venerit bonum.] Bonum alicui dicitur, quod ipſius naturæ, atque indigentiæ opportunum eſt: quare quod vni malum eſt, & incommodum, quia neque natura exigit, neque rerum articulus, id alteri bonum accidit; & opportunum, quia natura id exigit, & occaſio: ſiccum, & ſerenum cælum viatori commodum, agricolæ verò pluuium, & humidum. Bonum hic accommodatè ad plantam, cùm in arido loco naſci contigit, imber eſt: at ſi copioſus influat, & opportunus imber in alia omnia, hiantem verò, atque ſitientem deſerat myricam, hæc planè ex aliorum felicitate acerbior eſt ſitis, & maior infelicitas. 22.

Ex his iam apparet, qualis ſit illorum hominum futura conditio, qui in hominum potentia, ac fide, atque in brachio carneo confidere voluerint. Hi enim neque ab homine ſubſidium habebunt, non magis quàm à deſerto, ac ſitienti loco ſterilis myrica: neque à Deo, qui cùm in alios liberalis ſit, & largus, in hos tamen parcum ſe præbebit, & durum. Irrigabit alios, fœcundabítque cæleſtibus donis, imbrémque ad opportunos vſus temporaneum mittet, & ſerotinum; ſed infelix homo, qui ab aliis, quàm à Domino ſubſidium expectauit, videbit quidem alios abundantes, imbrémque cæleſtem in illorum animos influentem, & venientem aſſiduè, ſed non videbit in ſe, cùm in aliorum vſus venerit bonum. 23.

Qui in homine confidit, valde miſer.

Habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili.] Quæ in deſerto nata eſt planta, ad locum vberem, & irriguum transferri poteſt, & ab aliorum arte, ſiue miſericordia accipere id, quod natura, aut terræ natalis ſiccitas, & natura negauerat. Sed id quoque negatur myricæ, cui homo, qui in homine confidit, aſſimilatur. Planta à ſiccitate areſcit, à ſalſugine macreſcit, atque corroditur: ſic homo à ſe nihil habet, aut à matre, quæ ſterilis eſſe dicitur, immo à naturali ſalſugine, 24.

ne, quæ eſt plantis inimica, corrumpitur. Quid
ergo miſero reliquum, niſi vt ad alium locum,
neque ſalſuginoſum, neque arentem transfera-
tur? Id facit planè, qui confidit in Domino, qui
nihil aut cupit, aut poteſt à terra haurire, de quo
quàm veriſſimè affirmari poteſt, quod ſtatim di-
citur,

Differentia illorum, qui in homine, & qui in Deo confidunt.

25. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, &c. Et erit*
quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad
humorem mittit radices ſuas, & non timebit, cùm venerit
æſtus.] Comparat nunc Propheta confidentem
in Domino cum homine, qui in alio item homi-
ne confidit. Ex qua comparatione perſpicuum
fit, quantum interſit inter vtriuſque ſucceſſus,
atque fiduciam. Alter ſterilis eſt, & ab omni fru-
ctu, atque ſubſidio vacuus, quia quid ab homi-
nè ſolidi, ac certi ſperare poſſit, nihil habet. Al-
ter, quia paratum habet à Deo ſolidum auxiliũ,
atque perpetuum, nihilo prorſus indiget, nihil
timet. Id optimè explicat ſimilitudine ex planta
petita, quam ita deſcribit luculenter, vt nihil in
ea ad firmitatem, nihil ad ſpeciem, nihil ad vber-
tatem deſideres. Tranſplantata namque eſt ex
infelici ſolo, ex quo præter ſitim, & maciem,
ſperare nihil poterat, & tranſplantata eſt ad lo-
cum aquæ iugi, atque copioſæ proximum, vbi
radices aget altas; vnde conuelli non poterit à
vento, neque areſcet à torrente æſtu, aut ab
vrente ſiti. Vt autem viriditatem, & ſpeciem
nunquam deponet, qui illi ſemper aderit & iu-
gis humor, & verna temperies; ſic etiam nullum
intermittet tempus, in quo fructus ſuos non

Religiosè bonum.

26. producat. Hæc porro ad iuſtum in Domino
confidentem traducere, difficile non eſt, à quo
haurit, quod à riuo planta, quo aſpirante tur-
geſcit, atque grandeſcit animi fructus, ac tandem
ſuo tempore ad maturitatem perducitur. Huic
oppone, quæ de myrica ſylueſtri dicta, & quid
trahere de ſicca, ac ſalſuginoſa humo poſſit, &
quantum interſit ſpatij deprehendes. Porro ea-
dem ſub metaphora non diſſimili tradita ſunt
Pſ. 1. ex quo ſuſpicor aliquid hìc eſſe prouerbiale.
Verſ. 9. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile:*
27. *quis cognoſcet illud?*] Vbi Vulgatus *prauum*, He-
braicè עקב *acob*, quod fraudulentum, aut ſup-
plantatorium valet. Illud autem videtur, quod
aliud ſimulat, aliud meditatur, & verſat apud ſe:
quod etiam vox Latina *prauum*, quæ tortuoſum,
flexibúſque, atque anfractibus multiplex, & va-
rium ſonat. Sed eſt difficile ſtatuere, quis homo
ille ſit, cuius prauum dicitur eſſe cor, illéne, qui
in altero confidit, & carneum brachium ſuum
voluit eſſe firmamentum? an ille, qui ſuum alteri
ſubſidium venditans, ad extremum fraudi, atque
ruinæ fuit? Communis eſt Interpretum ſenten-
tia, referri flexuoſos iſtos cordis anfractus ad
eum, qui in carnei brachij adminiculo confidit:
Quaſi Deus illorum cogitationi reſpondeat: qui
negarent, dubitaréntvè, quomodo qui in homi-
ne ſpem locauit ſuam, futurus ſit inſtar myricæ
ſterilis, & nudus, qui verò totus pendet ex Deo,
inſtar ligni ad aquarum fluenta plantati: cùm
hoc videatur eſſe præmium prudentis, illud ſup-
plicium diſſipientis animi, qui prauus eſt, atque
inſcrutabilis; nec in quo ſit illius fiducia poſita,
cognoſci poſſit. Ad quorum cogitationem
Deus, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.*
28. Quaſi dicat: latère quidem poſſe hominum ocu-
los, atque ſolertiam intimos animorum ſenſus;
non tamen Deo, qui cordis quoque ſecreta cal-

A let, quicquam celatum iri. Et ita ad hanc ſenten-
tiam accommodatè ſubdit: *Qui do vnicuique iuxta*
viam ſuam. huic quidem, vt inſtar myricæ in de-
ſerto areſcat; illi verò, vt in irriguo ſolo fructibus
abundet, & perpetuò vireat.
Sunt, qui putent, prauum, & inſcrutabile cor
illorũ eſſe, qui ſuam operam aliis, atque auxilium 29.
promittunt: quibus poſtea aut ſubueniendi ani-
mus, ſi vnquam fuit, aut facultas deerit: quare
ſperare nil poteſt, præter infortunium, & frau-
dem, qui in re vſque adeò futili, atque incerta
confidit. *Spes etenim impij tanquam lanugo eſt, quæ à*
vento tollitur; & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella
diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt.
B Neque maior eſt firmitas, aut conſtantia in ho-
minum fide. Hæc explicatio ad mores grauis
eſt. Sed prior ſententia magis eſt ad totius ca-
pitis continens filum, vt facilè conſtabit. Hîc ta-
men quædam obſeruanda.
In textu Hebraico, poſt *prauum eſt cor*, additur
מכל *micol*, ideſt, *præ omnibus*; quo ſignificatur, 30.
eos eſſe ſinus, atque receſſus in hominum ani-
mis, vt nihil ſit in natura rerum exploratu diffi-
cilius. Septuaginta vocem illam interpretati sũt,
παρὰ πάντα.
Deinde Septuaginta pro eo, quod Vulgatus
habet, *inſcrutabile*, ipſi reddiderunt, *& homo eſt.*
Huius diuerſitatis cauſa fuit vocis ſimilitudo:
nam eædem literæ variè notatæ *hominem* ſignifi-
C cant, & *inſcrutabile*, ſeu *deſperabile*: quia ita te-
ctum eſt, & obſcurum, vt de illius cognitione
deſperare poſſit quiuis. Ita Hieronymus: qui
etiam addit, quibuſdam videri, his verbis ſigni-
ficari Chriſtum, qui cùm homo ſit, propter di-
uinitatem tamen, quæ in illo latebat, cognoſci
non potuit: ſed bene hîc Hieronymus illorum
votum laudat, ſententiam non probat. Neque
video, quomodo cuiquam, qui paulò attentiùs
caput iſtud legerit, explicatio iſta probari po-
tuerit: neque tamen, qui ita ſentiunt, pauci ſunt,
& ignobiles, à quibus hoc loco, propter illorum
obſeruantiam, nominandis abſtineo.
Verſ. 11. *Perdix fouit, quæ non peperit, fecit diuitias,*
& non in iudicio.] Multi hîc de perdice multa; pla- 31.
D cet, quod ex Auctoribus naturalis hiſtoriæ hîc
exprompſit Hieronymus, quódque probat Am-
broſius libro 6. Exameron, capite 3. & epiſtola
48. dicit enim, ſolere perdices aliena oua furari,
fouerèque incubantes, donec pullos exclu-
dant: qui tamen, vbi veræ matris, natura ipſa do-
cente, vocem audiêre, ad illam ſtatim conuo-
lant, illa relicta, cuius calore confoti, atque ani-
mati ſunt. Quare calliditas illa furandi alienos
partus, & fouendi labor, atque ſedulitas, nil per-
dici profuit, à qua inopinato aufugio ſoboles
auolauit aliena. Idem omnino accidet his, qui
ab hominibus, in quibus ſperant, diuitias, aut
quodlibet aliud humanæ vitæ ſubſidium accepe-
E runt. Nam quidquid ab alio, quàm à Deo rerum
omnium Domino acceperit, furtum exiſtimari
debet, & eiuſmodi furtum, quod ad verum Do-
minum aliquando redibit: quare ipſi non tam
erit vſui, quàm fraudi; cùm in ipſo neceſſitatis
articulo aufugiat plerunque, & ſtultum poſſeſſo-
rem hiantem relinquat. Hunc, credo, ſenſum eſ-
ſe comparationis, quem planè indicat Chaldæus.
Sicut perdix (inquit) *quæ congregat oua, quæ non ſunt*
ſua, & fouet pullos, qui eam ſecuturi non ſunt, ſic omnis
vir impius, qui poſſidet diuitias præter ius, in dimidio
dierum ſuorum relinquet eas.

Perdicis natura.

Dona hominum fallacia.

Alij

32. Alij ex aliis perdicum proprietatibus alias adhibent explicationes, nullam tamen illarum video,quæ totum impleat textum.Illud non omittam in morali ſenſu, quibuſdam videri in perdice, quæ alienis incubat ouis, adumbrari dæmonis ingenium : in quibus eſt Ambroſius epiſtola 47.& 48. Hieronymus, & Origenes in hunc locum; quos omnino vide,quia latè,atque eleganter docent dæmonis ingenium verſipelle, & callidum. Tu adde, dæmonem aliter etiã aliena oua calefacere,cùm Diuinis conſiliis,atque doctrinis ſic incubat callidè, vt homines deludat,& quaſi ex viperinis ouis regulum excludat. Quod cum hæreticis noſtri ſæculi experimur quotidie, quibus perſuaſit,neceſſarium non eſſe pietati, ac religioni vacare ad ſalutem ; quia Chriſtus nobis ſalus, & vita fuit. Aliis ex Dei animo ad ignoſcendum prono perſuaſit,ad extremum vitæ ſpiritum differre pœnitentiam. Vide, ex quibus ouis quos fœtus excludat ; vt Diuina conſilia callidè interpretetur, atque peruertat. Hæc eodem ſuo modo faciunt hæretici, quibus etiam perdicis naturam conuenire putat Hieronymus, dum Scripturæ ſacræ teſtimonia ad alienos, ac prauos ſenſus impiè detorquent.

Dæmonis calliditas.

Dæmon bonis ad fraudẽ vtitur.

33. *Et in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.*] Notum eſt, in Scriptura, aliquid tunc dici fieri, cùm factum eſſe declaratur: vt multis docuimus ad illud Iſaiæ 49. *In tempore placito exaudiui te.* cùm ille,qui poſuit carnem brachium ſuum, ſtultus antè fuerit, in nouiſſimo tamen futurus eſſe dicitur inſipiens,quia tunc,quam ignorarat priùs, inſipientiam agnoſcet.

34. Verſ.12. *Solium gloriæ altitudinis à principio:locus ſanctificationis noſtræ.*] Hæc verba Ieremiæ ſunt, qui doctus à Deo, quid immineat mali his, qui humana appetunt, captántque ſubſidia, ad Diuina inhiat, & ab illis ſanctitatem ſibi, ac gloriam ſperat. Tu,inquit, Rex es excelſus,cuius non recens, ac futilis, ſed ſtabilis, atque æternus dominatus eſt; quare abs te vno imperium, & gloriam ſperare fas eſt. Tu ſolus ſanctus, à quo vno mundari, ac ſanctificari poſſumus: quare in te vnum noſtræ ſalutis auctorem intuemur ; cætera, quæ humana de ſe prædicat, aut venditat ſapientia, contemnimus. Videtur autem Propheta non ſolùm his verbis reſpuere, quæ à carneo brachio ſtulti ſpetare ſolent adiumenta ; ſed etiã illa, quæ à templo, atque propitiatorio,quod ſolium credebatur eſſe Dei, ſibi promittebat Iudæorum genus : quibus, vt dixit Ieremias ſuprà capite 7. multum erat in ore *templum Domini,* quaſi ſtante templo, nihil ab hoſte foret metuẽdum. *Nolite* (inquit) *confidere in verbis mendacij,dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* Porro,in ſanctificatione templum intelligi,ſatis eſt in Scriptura frequens, maximè in libris Machabæorum.

A ſolo Deo bona ſperari poſſunt.

34. Verſ.13. *Expectatio Iſraël Domine,omnes, qui te derelinquunt,confundentur.*] Refert ſe eò Propheta, vnde comparationem primam deduxerat:oſtenditque, quantum interſit inter eos,qui in Domino, & eos, qui in homine confidunt. Nam ſicut, qui ad homines accedunt ; ideſt,ab hominum fide, atque auxilio pendent, inſipientiæ ad extremum conuincentur, infelici rerum euentu confuſi; ſic contrà, qui à Deo receſſerunt, ideſt, qui ſalutem ab eius humanitate, atque potentia non poſtulauerunt, ignominiæ erunt aliis,atque ludibrio. In quos illud iactabitur meritò Pſal-

A mi 51. *Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt,& dicent:Ecce homo,qui non poſuit Deum adiutorem ſuum,ſed ſperauit in pecuniæ theſauris.* Appellatur autem Deus *expectatio Iſraël,* aut quia Iſraël, cum quo loquitur modò, ab eo tantùm expectare ſalutem poteſt : aut quia in eo ſperauit olim Iſraël : neque id fruſtra, iuxta illud Pſalmi 21. *In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos : ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt,in te ſperauerunt,& non ſunt confuſi.*

Recedentes à te in terra deſcribentur.] Variæ ſunt huius loci ſententiæ, omnes tamen ad mores opportunæ. Scribi in terra,Hieronymus eſſe putat, alienum aliquem à cæli poſſeſſione cenſeri: B *Qui derelinquunt*(inquit)*Dominum,confundentur confuſione perpetua : & recedentes, ſiue declinantes ab eo, ſcribentur in terra, deleti de libro viuentium.* Idem etiam putat Origenes, qui in eam ſententiam multa præclarè. Sanè qui cæleſtia cogitant, diuerſi ab his, qui à Domino receſſerunt, in cælo dicuntur ſcripti, Lucæ cap.10. *Gaudete,quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* 35.

Reprobationis ſignum eſt,in terra ſcribi.

Alij, deſcribi in terra, eorum eſſe putant, qui cæleſtium obliti, ad terrenas inhiant opes, ſiue delicias : quíque apud poſteros monumentum relinquere ſtudent, quo ſe vixiſſe, aut in honore aliquando fuiſſe teſtantur. De quibus eſt illud C Pſalmi 48. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* ideſt,nomina ſua aliis legenda prodidère, aut inſculpta ſtatuis, ſeu columnis, aut inciſa tumulis. Tunc verò ſenſus erit:eos,qui ab hominibus gloriam quærunt,& neque de Deo cogitant, aut in eius obſeruantia ſitam eſſe putant nominis immortalitatem, terrena captare commoda, æternitatémque ſpectare è ſaxo, & puluere, potiùs quàm à pietate, quæ in memoria æterna iuſtum inſcribit. Iuxta quam explicationem, futurum illud, *ſcribentur,* conſuetudinem indicat:quaſi dicas : vſitatum hoc eſſe apud eos, qui a Domino receſsère; & eorum quaſi legitimam notam, nominis ſui à terrenis titulis æternitatem captare. Quòd autem per futurum conſuetudo ſignificetur, D docuimus ad illud Iſaiæ cap.57. *quia ſpiritus à facie mea egredietur.* 36.

Pſalmo 48.

Alij peritura facilè, aut vilia futura, atque calcanda,quæ homines ſibi ab hominum ſtudio, ſeu fauore venantur;non ſecus, atque calcantur illa, quæ in terra ſunt ; & quæ inſcribuntur pulueri, citò euaneſcunt. Hoc verò prouerbiali ſpecie dictum eſſe reor ; quale eſt illud Latinorum : *In aqua ſcribere,* ſeu *in vento,* in quibus nihil eſſe poteſt firmum, atque diuturnum. Ad quam conſuetudinem, & ad hunc Ieremiæ locum Chriſtus fortaſſe reſpexit,quando Ioannis capite 8.cùm à Phariſæis accuſaretur adultera,inclinans ſe,digito ſcribebat in terra ; quaſi aut non curaret, quæ ipſi obiicerent contra fœminam illam E adulterij ream,ſicut nemo curat, quæ in puluere ſcribuntur:aut ſi quid ab ea peccatum eſt, citò fore delendum, oblata venia, non aliter, atque impreſſi pulueri characteres à vento turbantur. Quæ vilia ſunt, quæque quocunque verſentur modo, non curamus,optimè dicuntur in puluere notari:contrà verò, quæ amamus, aut habemus in pretio, in manibus ſcribimus, ne vnquam ex memoria,aut ex animo cadant : ſic Iſaiæ cap.49. Ieruſalem in manibus Domini ſcripta dicitur. *Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper.* Et Canticorũ 8. ſponſus futurus eſſe dicitur tanquam ſignaculum in ſponſæ brachio, 37.

Prov. In terra ſcribi.

Ioannis cap.8.

In manu ſcribuntur, quæ amantur.

&

& Exodi capite 13. lex Domini quaſi ſignum in manu.

38. Hæc mihi grauia ſunt, & ad textum,& mores ſatis opportuna: ſed addo explicationem aliam, quam neque ineptam eſſe puto, neque alienam à textu. Vana oſtenderat Deus ſupra hominum promiſſa, & leuem fidem, ideoque maledictum appellarat hominem, & myricæ ſimilem,qui in homine confidit: idipſum nunc confirmat Propheta alia ſimilitudine, dum ea producit, quæ leuia ſunt in rerum natura, atque fugacia: vt enim ſpes impiorum Sapientiæ 5. ſimilis eſſe dicitur ſpumæ gracili, quæ ſtatim diſſipatur; aut fumo, qui diflatur à vento:ſic nunc lineis comparatur, ſeu charaćteribus, qui notantur in puluere, in quibus nihilo plus videtur eſſe conſtantiæ. Si quid enim conferre poteſt homo, futile eſt, & eius promiſſio non magis firma,quàm literæ exaratæ in arido puluere, aut in aqua formatæ, quæ perinde ſunt, atque ſi notatæ non forent. Sanè de mulierculárum promiſſis, quibus nihil ineſt ponderis,ac fidei, eſt illud Catullianum:

Dixit,ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento,& rapida ſcribere oportet aqua.

Idem multò antea dixerat apud Athenæum libro 1.c.10. Xenarchus in Pentathlo: *Fœminæ*,inquit, *iuſiurandum in aqua ſcribo.*

39. Sed eſt in hac expoſitione difficile, quòd hîc non aliorum verba, ſeu promiſſa in terra dicuntur exarata, ſed ſcripti traduntur illi,qui in aliorum fide, ſeu promiſſo confidunt. Eſt ita ſanè; ſed eſt aliquid,quod ad obiecta reſpondeam.Qui in altero confidit, illi ſe quodammodo tradit; vnde eſt illud Latinorum tritum: *Credere ſe alicuius fidei.* Quare,qui fidem ſuam, vel promiſſum in puluere ſcribit, illum quoque videtur ſcripſiſſe, qui ſuæ fidei creditum, atque commiſſum habet. Neque alienum eſt à communi loquendi conſuetudine, vt in eo eſſe dicamur, quod amamus, aut in quo ſpes noſtra locata eſt: quocirca ſi ſpes noſtra,aut hominum promiſſio,quæ ſpem ſuſtentat, in puluere ſcribitur, non ineptè dici poſſe videmur,in puluere nos etiam ſcribi. Hæc poſtrema ita mihi non improbantur, vt magis ſuperiora probem,& amplectar.

Spei & fiduciæ proprietas.

40. *Quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium.*] Quocunque modo ſuperiora accipias, ratio redditur à Propheta ſatis ad omnes explicationes accommodata. Eſt autem hîc, opinor, ſupplendum, ex capite 2. id, quod polliceri, atque præſtare poteſt hominum facultas: ſe Deus eo capite cum aquæ viuentis fonte, reliqua cum ciſterna diſiecta compararat, quæ quas aliunde colligit aquas, continere non poteſt. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere nõ valent aquas.*Scribendi igitur dicuntur in terra, qui in homine confidunt, ideſt, perituri, quia ſpem locauerunt, non in eo, qui inſtar viuentis aquæ iugiter manat; habétque proprium,quod in hominum vſus ſemper effundet. At homo, ſi quicquam habet, illud cœnoſum eſt, & aliunde collectum; quod neque proprium eſt, neque ſeruari diu poteſt: ſicut diſſipata, atque rimoſa ciſterna, alienas aquas retinere non valet; neque ex illis quicquam ſibi, aut iis,qui haurire volent, ſibi reſeruat, præter cœnum. Quòd ſi extremam explicationem admittas, quæ de vana hominum fide locum interpretatur, quorum promiſſio in pul-

Spes vana, quæ in homine ponitur.

A uere videtur exarata, perquàm aptè ratio ſubiungitur. Promiſſio etenim Dei nunquam deficiet, ſicut neque viuentis aquæ perenne profluuium;at hominum promiſſio nihilo firmior eſt, quàm illorum ad largiendum facultas. Vt enim rimoſa, ac diſſipata ciſterna, momento temporis, ab illis,quas collegerat aquas, deſtituitur; ſic humanarum opum quantalibet abundantia continuò vaneſcit, quia innumeræ patent in hominibus rimæ, quæ illam, aliam, atque aliam diſſipant,& perdunt.

41. Verſ.14. *Sana me, Domine, & ſanabor: ſaluum me fac,& ſaluus ero.*] Vſitata eſt in Scriptura ellipſis *ſi* conditionalis particulæ, ſicut etiam in B Hiſpanico idiomate, vt docuimus ad illud Iſaiæ capite 64. *Deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt:* quæ etiam apud Latinos non infrequens. Hanc conditionis notam hîc eſſe ſupplendam, mihi certum eſt, in hunc ſenſum: Si ſanaueris, tunc verè me ſanatum arbitrabor; ſi ſaluum feceris, tunc veram mihi ſalutem adueniſſe credam. Quaſi dicat:Quæ à carneo brachio ſpectari ſolent, aut concedi, fucatam habent bonorum ſpeciem, non ſolidam vim; neque ſalutem conſequutus eſt,qui hominum beneficio, aut ſtudio videtur eſſe ſaluus. At ſi tu, Domine, ſanaueris, ſaluúmque feceris, quia ſalus illa fucata non eſt, aut fallax, nihil eſt,quod ampliùs quiſquam poC ſtea requirat. Curarant, vt notat hîc Hieronymus, hemorrhoiſſam complures medici, neque ex longa curatione quicquam aliud habuerat, quàm vt cum exhauſta, atque exſangui corpuſculo opes etiam ſuas videret exhauſtas, donec tandem ad illum acceſſit,à quo vno vera ſperari potuit,atque obtineri ſanitas.

REGVLA. Si, conditionis particula ſubaudienda.

42. *Quia laus mea tu es.*] Actionem pro actionis obiecto, vt Logici dicunt, frequenter ſumi in Scriptura ſacra, docuimus in noſtris Commentariis in Iſaiam capite 53. verſu 11.quomodo timor pro re timenda ſumitur, pro armis, videlicet,& minis:iuxta quod dicitur Iſaiæ 8. *Timorem eius ne timeatis.* ideſt,arma. & paulò pòſt: *Dominus ipſe pauor veſter,& ipſe terror veſter.* ideſt, ipſe vobis D timendus eſt. ſic etiam *laudatio*, ſiue *laus* pro re laudabili ponitur, aut pro eo, quod laudatur, Pſalmo 115. *Laudauerunt laudem eius:* & Pſalmo 44. *Laudationem Domini loquetur os meum.* Iuxta hæc Deus futurus eſſe dicitur Ieremiæ laus,quia illum laudauit tanquam ſalutis ſolidæ, ac veræ vnicum auctorem, & bonorum omnium largitorem. Tunc verò hic erit ſenſus: Abs te vno vera poteſt ſperari ſalus, quod ego de te laudare, ac prædicare ſoleo, aut quod ego de te perpetuò prædicabo. Sed credo alium eſſe ſenſum huius loci, ita vt laus non tam hîc paſſiuè ſumatur, quàm actiuè, in hunc ſenſum: Si quid ab hominibus habuero, illud mihi neque firmamento eſſe exiſtimabo, neque laudi, cùm neE que magnum ſit, neque diuturnum eſſe poſſit: at quod abs te habuero, illud mihiglorioſum erit,méque verè laudabilem eſſe faciet, quia verum eſt,& ſtabile bonum.

REGVLA. Actio, pro actionis obiecto.

Quod à Deo, id ſolum laudabile.

Verſ.15. *Ecce ipſi dicunt ad me,vbi eſt verbum Domini? veniat.*] Reipſa probat Ieremias, nihil ſibi cenſeri glorioſum,niſi quod à Domino eſt, quocunque illud modo homines accipiant, etiam ſi propter illud multa ſubeunda ſint, ſiue honoris detrimenta,ſiue fortunarum,aut etiam valetudinis incommoda. Ecce, inquit, populo mendax, atque nugator videor, quique non à Deo ha- 43.

Ieremiæ conſtantia, & fidelitas.

S beam,

beam, quod ad homines proferam oraculum; ſed ex meo maleſano capite inane commentum. Cúmque, quod tuo nomine periculum, ac fulmen denuncio, non ſtatim in ſe torqueri experiantur, occinunt mihi cum ludibrio, ac ſanna: *Vbi eſt verbum Domini?* Quaſi dicant: Nunc planè vanæ fidei deprehenderis reus, cùm propoſitis abs te minis pondus abſit, & fides. Vide quàm non timeamus, quod nobis malum à Domino denuncias, cùm etiam illi libenter occurramus, immo & optemus: illud enim valet, *veniat*.

Hæc ſanè non vulgaris erat ignominia homini Prophetæ, irrideri ab aliis, quaſi fumos venderet, & nugas: non tamen id in conuitiis numerabat Ieremias, quia id datum erat in mandatis à Domino, à quo venire non poterat aliquid non glorioſum. Porro vox illa, *veniat*, obſtinati animi eſt, & qui nihil aut credat, aut metuat; quaſi contra omnia ſatis habeat paratum præſidij. Non diſſimilia reſpondit olim populus idem Iſaiæ, cuius etiam voces, quaſi nugans irridebat, capite 5. *Qui dicitis, feſtinet, & citò veniat opus eius, vt videamus.*

Obſtinati animi vox.

44. Verſ. 16. *Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens.*] Cùm illi mihi obſtreperent, eáque obiicerent, quæ non modò aliorum ſtudium retardare, ſed etiam animos frangere potuiſſent: ego tamen neque abieci animum, neque quicquam remiſi de ſtudio, ſpiritúque prophetico. Neque cur timendum mihi eſſet, occurrebat animo, cùm non tam mea voluntate, quàm tuis auſpiciis, & imperio rem eſſem aggreſſus. Sequebar enim te paſtorem, & ducem, neque ab eo, quod mihi præſcripſiſſes, punctum recedebam. Septuaginta ſic reddunt: *Non laboraui ſequens poſt te.* Quæ verba ad mores optimè accommodat Ambroſius libro 3. epiſtola 20. & Origenes homilia in hunc locum. *Ieſus tibi dicit: Tolle crucem tuam, & veni, ſequere me, &c. Si igitur talis fueris, vt ſemper Chriſtum ſequaris, quantùm plus ſequutus fueris, tantùm minùs laborabis.* vide reliqua. Sed vt hæc ad Prophetas, id eſt, ad viros Apoſtolicos transferamus, qui Dei mandata ad homines perferunt, eóque nomine aliorum in ſe maleuolentiam conflant, magnum illis ardorem, atque conſtantiam aſpirare debet Diuina voluntas, & Chriſti exemplum, cuius intuentur, premúntque veſtigia. Nam, cùm ipſe paſtor ſit, ſuóque exemplo paſtores alios minores inſtituat, vt ipſe ab indomito, & peruicaci grege, quem in ſinu geſtauit, atque humeris, multa pertulit; ſic qui paſtorem ſequitur Chriſtum, neque à paſtoritia lege, id eſt, ab Euangelici Doctoris inſtituto non recedit, vtcunque ſeſe det Apoſtolicus labor, neque deſpondere debet animum, neque in dato ſibi negotio languere.

Obedientia audaces ſpiritus addit viro Apoſtolico.

45. *Diem hominis non deſideraui, tu ſcis.*] Quocunque modo diem interpretere, ſignificat Propheta, curare ſe nihil aut humana iudicia, aut quæ ab hominibus prouenire poſſunt, commoda; cùm rationes ſuas ad Diuinam attemperet voluntatem. Quidam in *die* aliquid putant ſignificari aduerſum, oſtendíque à Propheta, nullo ſuo merito ſe à Iudæis aut haberi vt hoſtem, aut exiſtimari nugacem, cùm illis nunquam euenire deſiderauerit, aut annunciare voluerit, niſi cogente Domino, diem illum luctuoſum, & miſerum, qui extremam inuehat perniciem Iudæorum genti. Hi verò ſunt, qui pro eo, quod Vulgatus, & Septuaginta reddidere, *diem hominis*, ipſi conuer-

A tunt, *diem durum.* quod fecere recentiores Interpretes; quibus diuerſæ tranſlationis cauſa fuit vox Hebræa, אנוש *anus.* quæ variè notata modò *hominem*, modò miſerum, luctuoſúmque ſignificat: quod etiam putat Theodoretus, licèt *hominem* cum Septuaginta legat.

Alij fermè omnes cum Hieronymo in *die* aliquid ſignificari putant fortunatum, & optabile: 46.
licèt hi variè; aliqui humanam vitam pacis, atque humanę commoditatis abundantem, in quibus eſt Origenes. Et quidem Ieremias diem hûc horrere potiùs videbatur, quàm amare, cùm dicebat capite 20. *Maledicta dies, in qua natus ſum dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.* Ne-
B que vitæ retinendæ ſtudio recuſauit illa audacter oppetere, vnde ſe vitæ periculum oſtentabat. Cumque hoc de vita longiori, humaníſque commodis affluenti magis probem: non tamen videtur improbandum, ſi in *hominis die*, hominum gratiam, & fauorem interpretemur. Quaſi dicat Propheta, ſe non laborare, quæ ſint de ſe hominum iudicia, neque ab illorum opinione, aut fauore pendere, cùm præ Deo cætera contemnenda putet. Quod verò *dies hominis* pro felicitate aut fauore ſumatur, docuimus ad illud Iſaiæ capite 65. *Secundùm dies ligni.* Sic Paulus 1. Corinthiorum 4. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* in quem ſenſum accipio
C illud Pſalmi 55. *Ab altitudine diei timebo.* ideſt, à magna inimicorum proſperitate, atque potentia. Porro, quotuſquiſque eſt, qui, teſte Deo, dicere poſſit, *diem hominis non deſideraui?*

Dies, pro felicitate.

Corinth. 1. cap. 4. Pſal. 55.

Quod egreſſum eſt de labiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit.] Docet hìc Propheta, nihil ſe vnquam 47.
ad homines loquutum, niſi quod ſibi præſcriptum eſſet à Deo, quo oſtendit, quàm parum diem, ideſt, fauorem, & gratiam Principum curauerit. In textu Hebraico non eſt *rectum*, ſed tantùm *coram facie tua*, aut, *in conſpectu tuo.* Quare vocem illam omiſerunt Septuaginta, Chaldæus, & è recentioribus alij; ſed eſt ſenſus idem, aut certè non valde diuerſus: nam, quod in conſpectu Dei fit, ab iis qui, quid Diuinum conſpectũ
D deceat, non ignorant, rectum eſſe oportet. Vnde in ſacra Scriptura frequens, *ambulare coram Domino*, aut *in conſpectu Domini*, quod idem eſt, atque rectum, ſeu perfectum eſſe. Quod ipſe Deus videtur explicuiſſe, cùm dixit ad Abraham, Geneſis 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Neque malè, credo, cogitaret, qui illud, *&*, particulam diceret eſſe expoſitiuam, ſicut alibi in Scriptura millies, in hunc ſenſum, *Ambula coram me, ideſt, eſto perfectus.* neque aliud volunt, aut docent ſpirituales magiſtri, cùm aliis tantopere commendant, vt in rebus omnibus Deum præſentem habeant; nempe, vt ſic res omnes adminiſtrent, vt Deo accidere poſſint non ingratæ.

Verſ. 17. *Ne ſis tu mihi formidini: ſpes mea tu in* 48.
E *die afflictionis.*] Hìc quoque ſubaudiendum aliquid cenſeo, quod ad ſuperiorem comparationem pertineat. Quaſi dicat Propheta: Neque minas hominum timeo, vt duros ſe mihi; aut aduerſarios oſtendant; neque ab illorum auxilio, atque promiſſis quicquam ſpero: à tuo tantùm furore timendum eſſe, mihi certò ſcio, & vrgentibus malis à te vno petendum eſſe ſubſidium: dum tu mihi terrori non ſis, & dum adeſſe te mihi ſentiam in aduerſis, ſecuro ſum animo, & ad quiduis aggrediendum, atque ſubeundum parato. Hæc mihi explicatio non vide-

tur

tur aliena. Alij orare putant Ieremiam, ne permittat Deus, vt propter verbum ſibi commiſſum, in eas adducatur anguſtias, vt de vita, atque honore formidandum ſit, quando ab ipſo totus pendet, & Diuinæ voluntati alligauit ſuam, cum quo bellè, quod proximè ſuccedit, contexitur: neque mihi hoc diſplicet. Septuaginta hunc locum ita reddunt: *Ne fias mihi in alienationem, parcens mihi in die malo.* Quod ad mores optimè explicat Hieronymus: *Ne parcas mihi in præſenti ſæculo, quod malum eſt, ſed redde mihi iuxta peccata mea, vt requiem habeam ſempiternam.*

49. *Tribulatio vtilis in hac vita.* Verſ. 18. *Confundantur, qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.*] Quidam optare putant Ieremiam, vt ſe ſaluo alij, qui minas, & terrores intentant, confundantur, ideſt, in ſuo experiantur capite, fateantúrque vel inuiti, veras eſſe minas: quia minus iudicabat eſſe malum, vexari contribules ſuos, quàm Diuinis oraculis abeſſe fidem. Quæ explicatio communis eſt. Veruntamen dicendum hîc exiſtimo (quod in cauſa non diſſimili cenſent Interpretes, qui vindictæ ſtudium à piorum animis abeſſe putant) non tam optare Prophetam inimicis aliquid aduerſum, quàm futurum prædicere: & imperatiuum, quod in ſacris literis infrequens non eſt, pro futuro ſumi. Confundentur, qui me perſequuntur; à me verò, quem tua ducit, ac moderatur voluntas, longè confuſio aberit. Neque mihi videtur eſſe durum, ſi hîc particulam conditionalem ſubaudias, in hanc ſententiam: Sicubi futura confuſio eſt, confundentur illi, qui mihi aduerſantur, verbáque tua cum ſibilo, atque cachinnis excipiunt: ego non confundar, qui tuo illis nomine futura prænuncio.

50. *Duplex, idē quod magnum.* *Duplici contritione contere eos.*] De ſignificatione, vsúque *duplicis*, in Scriptura, diximus ad illud Iſaiæ capite 40. *Suſcepit de manu Domini duplicia.* & ſuprà capite 16. Quidam hîc in duplici contritione gladium intelligunt, & famem: alij captiuitatem duplicem; alteram à Chaldæis, à Romanis alteram. Mihi dicendum videtur, quod in illum Iſaiæ locum, & Ieremiæ capite 16. magis probabam: *duplex*, magnum aliquid, & durum ſibi velle, non duplicatum aliquid comparatè. Et primùm, *duplex*, pro magno, atque in ſuo genere excellente ſumi docuit Origenes homilia 12. in Ieremiam. Ambroſius in illud Pſalmi 118. *Anticipauerunt in maturitate.* vt apud Latinos, *decumanum*, pro magno, & *triplex*, pro magno, robuſto, & duro ſumitur: quale eſt imperterritum illud pectus, de quo Horatius libro 1. Ode....

—— Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

51. *Grauiori afficitur ſupplicio, qui cum maiori cognitione peccat.* De contritione duplici ad moralem ſenſum multa dicunt Interpretes, quos tu ea de re conſule. Ego illud Origenis non omittam, quod accuratè ille, & grauiter excogitauit: dicit enim homilia 12. in Ieremiam: *Gentes, quæ legem non acceperunt, minus eſſe plectendas: grauiter, qui accepta lege, & cognita Domini voluntate, ab ea receſsêre, quales fuêre Iudæi. Seruus, inquit, qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit eam, plagis vapulabit multis. Signum ſiquidem eſt, eos, qui Gentes ſunt, ſimplicia recipere peccata, & nos duplicia, dicente Apoſtolo: Voluntariè peccantibus nobis, poſt cognitionem veritatis, iam vltrà non remanet pro peccato hoſtia.*

52. Verſ. 19. *Vade, & ſta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur Reges Iuda, & egrediuntur: & in cunctis portis Ieruſalem.*] Conuenire ſolitos eſſe ciues ad portas ciuitatis, ad publicas, priuatáſque rationes, atque commercia, ſatis eſt notum: ſed ex hoc loco non obſcurè colligitur, præcipuam aliquam fuiſſe portam, ad quam maior totius populi multitudo concurreret: quæ plurimas videtur opportunitates habuiſſe, quando per illas Reges egredi, atque ingredi conſueuiſſe dicuntur, quos ſine dubio magna ciuium comitabatur frequentia. Quæ tamen illa ſit, mihi incompertum eſt: fortaſſe illa porta eſt, quæ Canticorum 7. filia vocatur multitudinis, vbi piſcinæ ſunt, *Cant.7.* quarum aquis puris, atque quietis oculi Sponſæ dicuntur eſſe ſimiles: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt ad portam filiæ multitudinis.* Neque ſolùm iubetur ad hanc nobilem, atque frequentem portam concionari, ſed etiam reliquas ciuitatis portas obire, vt ad turbas effunderet, quod à Domino acceperat prophetiæ verbum, ne quem Diuini pectoris cogitatio latêret.

53. *Feſtorum obſeruatio.* Verſ. 21. *Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbathi: nec inferatis per portas Ieruſalem.*] Ideo ad omnes portas exire, atque ibi ſtare iubetur Propheta, quia ibi multis modis à populo peccabatur. Ponitur autem per ſynecdochen violatio ſabbathi pro ſceleribus aliis violatæ legis: ſicut Zachariæ capite 14. feſti tabernaculorum cuſtodia pro aliorum omnium obſeruantia feſtorum: ſicut etiam apud Iſaiam capite 56. ſabbathi obſeruatio, aliorum feſtorum, aut etiam aliorum præceptorum obſeruationem amplectitur. Fortaſſe tam apud Iſaiam antè, quàm nunc apud Ieremiam ſabbathi meminit Deus, quia illius apud Iudæos eo tēpore leuis erat religio: ita vt publicè per portas maximè publicas, atque frequentes ciuitatis, contrà quàm illius diei exigebat ſanctitas, onera efferrentur, inferrentúrque; neque indignantibus, aut clamantibus illis, qui vindices eſſe debuerunt religionis, ac legum.

54. Verſ. 22. *Sanctificate diem ſabbathi, ſicut præcepi patribus veſtris, & non audierunt.*] Iam olim videntur Iudæi rei fuiſſe neglectæ religionis, & violati ſabbathi, quando ea de re apud Iſaiam olim, & nunc apud Ieremiam queritur Deus, & à parentibus ad poſteros vſque deriuatum dicitur hoc peccatum.

55. Verſ. 24. *Si ſanctificaueritis diem ſabbathi, ne faciatis in eo omne opus: ingredientur per portas ciuitatis huius Reges ſedentes ſuper ſolium Dauid.*] Ex hoc apparet hic non agi ſolùm de ſabbathi cuſtodia, quando tanta promittitur felicitas vrbi, quæ ſanè non contigiſſet vnquam, etiamſi ſabbathi dies religioſa eſſet, ac ſancta ciuitati, ſi aliis ſe ſceleribus inquinaſſet. Et quidem ſæpe tam apud Iſaiam, quàm apud hunc Prophetam dira ciuitatis, ac templi vaſtatio aliis populi peccatis aſcribitur: oppreſſioni videlicet pauperum, emptis largitione iudiciis, inuectæ in ciuitatē, ac templū idolorum ſuperſtitioni. Promittit ergo Deus Iudæorum genti, modò traditam ſibi religionem obſeruent à Domino, ſtabile regnum, ciuium frequentiam, & omnem ad templi legitimos ſumptus, victimarúmque ſacra rerum abundantiam; quam vltrò afferent ex circumiectis vndique locis, tam qui campeſtria, & plana, quàm

qui montoſa, atque ſylueſtria incolunt. Quòd ſi ſabbathi ſanctitatem contemnant, & prodant, atque alia Dei præcepta ſceleratè conculcent, A ab externo hoſte excidium minatur, & incendium, quod nulla induſtria hominum, aut poteſtas extinguet. Hæc de capite decimoſeptimo.

ARGVMENTVM CAPITIS XVIII.

IVBETVR Jeremias in figularem officinam deſcendere, vbi ſimilitudine vaſis, quod in ipſo artificis conatu diſsipatum eſt, & rurſus in aliam ſpeciem, & vſum inſtauratum, docet Deus, facile ſibi eſſe cogitata diſſoluere, & benigniùs de Iudæorum ſtatu conſtituere; modò ipſi de meliori viuendi genere cogitationem ſuſcipiant. Sed quia ipſi in eo, quod cœpêre conſilium, obſtinatò hærent, cædem ipſis, & vaſtitatem minatur. Quam ob cauſam in Ieremiam Diuinæ huius cogitationis nũcium, conſilium mortis ineunt: à quo ſe liberari Propheta poſtulat, & iterum renouat, quas paulò antè prædixerat minas.

IEREM. CAP. XVIII.

1. *VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens:*

2. *Surge, & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea.*

3. *Et deſcendi in domum figuli: & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam.*

4. *Et diſsipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: conuersúſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius vt faceret.*

5. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:*

6. *Nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſraël, ait Dominus? ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſraël.*

7. *Repentè loquar aduersùm gentem, & aduersùs regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud.*

8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduersùs eam: agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.*

9. *Et ſubitò loquar de gente & de regno: vt ædificem, & plantem illud.*

10. Si

IN IDEM CAP. PARAPHR.

B 1. HOc eſt verbum, quod accepit Ieremias à Domino:

2. Surge, ô Ieremia, & in figularem officinam deſcende, vt ibi me docentem audias.

3. Compleui, quod imperatum mihi fuerat, & ecce figulus vas quoddam ex argilla rotæ conuerſione formabat.

4. In ipſo artificis conatu, dum adhuc fingeretur, diſſipatum eſt vas, quod manibus verſabat: & rurſus ex eodem luto vas
C alterũ, ſicut ipſi placuit, in ſpeciem aliam, atque in alium vſum efformauit.

5. Cùm in eam diſiecti, atque formati vaſis contemplationem animum haberem intentum, ſic me Dominus alloquutus eſt:

6. Nunquid quod facit in argilla figulus, non ego in rerum adminiſtratione faciam? Non idem de vobis, ô domus Iſraël, formare, aut deformare facile? Neque magis figulo ſubiicitur lutum, vt pro ſuo arbitratu fingat quod maluerit vas, quàm vos omnes voluntati meæ, vt de vobis arbitra-
D tu meo liberè ſtatuam.

7. Videte, quemadmodum quod fingebam, diſſoluo, & quod diſſoluiſſe videbar, repentè reſtauro. Loquar aduersùs gentes, & regna, minabórque ſtragem, ſubuerſionem, & cladem.

8. Si gentem illam facti pœnituerit, propter quod aduersùs eam loquutus ſum, mutabo ego quoque, quam antè ſuſceperam cogitationem, de vaſtitate, & cæde.

9. Et ſtatim reuocabo minas, promittam benignior inſtaurationem, plantationem,

A nem, & ſi quid eſt, quod ad gentis illius firmitatem pertineat.

10. *Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam: pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei.*

10. Quòd ſi quicquam alicui genti, ac regno boni promiſero, deinde ſuæ potiùs libidini, quàm vtilitati meæ obſequi maluerit, & malum in oculis meis fuerit operata, pro bono, quod à voce mea ſibi promittebat, ſubitò referam, quod non timebat malum.

11. *Nunc ergo dic viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: reuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras, & ſtudia veſtra.*

11. Nunc ergo, ô Ieremia, dic meo nomine viro Iudæo, & Solymitano ciui, In manibus meis argilla eſt, adhuc figularis
B rota conuertitur, & vas incipit ad ignominiam fingi, ideſt, malum cogito contra vos: referat ſe quiſque ad meliorem frugem, & ſaniora meditetur conſilia.

12. *Qui dixerunt: Deſperauimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus.*

12. Qui tamen reſponderunt, ſic ſe corruptæ naturæ ſenſibus addictos eſſe vehementer, ac diu, vt de vitæ mutatione deſperent. Quare iam ſibi eſſe conſtitutum, & certum, viam illam perſequi, quam ingreſſi fuerant. Neque nuncium eſſe remittendum voluptuariis motibus, quibus iam pridem parere didiciſſent.

13. *Ideo hæc dicit Dominus: Interrogate Gentes: Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël?*

13. Conſulite Gentilium annales, &
C ab ipſis interrogate, an ſua, parentúmque memoria tam horribilia monſtra contigerint, qualia nunc nimis iracundè, ac perditè facit Iſraël.

14. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?*

14. Sicut de campo, ſeu ſolo petroſo Libani nunquam deficit nix, neque exhauriuntur, aut ſiccantur aquæ frigidæ, quæ è Libano erumpunt, labuntúrque cum impetu; ſic neque in me, qui fons ſum aquæ viuę, perennis deficit beneficiorum curſus.

15. *Quia oblitus eſt mei populus meus, fruſtra libantes, & impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſæculi, vt ambularent per eas in itinere non trito:*

15. Sed ecce quid patrarit horribile virgo filia Iſraël, ipſa namque fontem reliquit viuentis aquæ, ac ſe ad perforatæ ci-
D ſternæ cœnum conuertit. Oblitus quippe mei eſt populus meus, & vanis Gentium idolis ſacrificauit, & dum antiquis ingreditur viis, quas ſuis impreſsêre veſtigiis peccatores à ſæculo, quáſque iam dudum ipſe malè viuendo tenuit, impingit paſſim, & labitur fœdè. Id quod magis eſt mirandum, cùm illæ viæ aſperæ ſint, & interciſæ ſalebris, quales illæ, quæ viatorum pedibus nunquam teruntur.

16. *Vt fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilum ſempiternum: omnis qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuum.*

16. Ex eo ſtupore, atque veſania id conſequentur impingentes Iudæi, vt eorum terra deſoletur, ſitque aliis in ſibilum, fabulam, atque ludibrium ſempiternum. Omnis, qui iuxta illam præterierit, admirabitur tantam, támque munitam molem in illum modum ſterni potuiſſe: & capitis motu in eius ſordes, atque ruinã inſultabit.

17. *Sicut ventus vrens diſpergam eos coram inimico: dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.*

17. Cùm inimicus in illam regionem appulerit, ſic illos diſſipabo, ac perdam, ſicut ventus vehemens, ac torridus ſegetes vrit, & meſſes, ex area latè diſpergit. Cùm

A verò grauiter ab hoſte iactentur, auertam faciem, quia illos aſpectu meo non dignabor, & ad illos tanquam ad alienos terga conuertam.

18. *Et dixerunt: Venite, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à Sacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta: venite, & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius.*

18. Ad hæc verba grauiter exulcerati ſunt Iudæorum animi, inquit Ieremias, & impatientes doloris, atque iræ, ſic ſe mutuò contra Prophetam inſtimulant. Agitedum, aliquid in Ieremiæ caput moliamur hoſtile: quod enim loquitur, neque verum eſt, neque populi votis opportunum. Habuimus Sacerdotes, à quibus non aberit legis cognitio: habuimus ſapientes, quorum
B in deliberando conſilium graue: neque defuerunt Prophetæ, per quos à Domino nuncium pacis accepimus, qui nobis omnia ſecunda pollicentur. Quare cùm his omnibus contraria quotidie clamet Ieremias, dignus eſt, qui de viuorum numero tollatur. Falſo illum teſtimonio vulneremus, neque quid ipſe contrà obtendat, laboremus, quia vana ſunt ipſius oracula, & fallaces ſermones.

19. *Attende Domine ad me, & audi vocem aduerſariorum meorum.*

19. Adeſto igitur mihi, Domine, & quid hoſtes in me cogitent, ac loquantur, vide.

20. *Numquid redditur pro bono malum, quia fouerunt foueam animæ meæ? Recordare quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.*

C 20. Studebam ego, & cum capitis periculo patriam, gentémque meam ab hoſte liberare, & eo conſilio exprobrabam populo peccata, & ad eorum pœnitentiam hortabar. Sed illi iniquè ſtudium meum interpretati, malum pro bono rependunt, dum foueam parant, & inſidias mihi moliuntur. Scis, Domine, quoties pro ipſis ſteterim in conſpectu tuo, orauerímque, vt iam placatior illorum ſaluti, ac libertati conſuleres; & intentam iam ad vulnerandum manum cohiberes.

21. *Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio.*

D 21. Propterea eorum filios, partim fame, partim ferro conficies, & eorum vxores erunt à filiis orbæ, & à viris viduatæ, quos bellum extinguet; & ætate magis robuſta iuuenes gladio cadent in acie.

22. *Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim ſuper eos latronem repentè: quia foderunt foueam vt caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis.*

22. Hinc fiet, vt in omni domo lugubris audiatur eiulatio. Tu enim efficies, vt hoſtis ſubitò, atque inopinatus adueniat, ſicut latro, qui tenebras captat, & eo irrũpit tempore in alienas domos, quando illius aduentus minùs timebatur. Quod
E magno ſuo merito patientur, quia vt me comprehenderent, & concepto in me furori ſatisfacerent, aperuerunt foueam, & laqueum pedibus meis obtenderunt.

23. *Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum aduerſùm me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.*

23. Tu autem, Domine, qui optimè noſti, quid illi conſilij in caput meum excogitauerint, illorum peccatis non ignoſces, quæ oculis tuis nunquam non occurrent. Cadent igitur coram te, & quo tempore tuus inflãmabitur furor, illis ſic abutêris, vt quos ad gloriã, & imperium vocaueras, ad ſordes, & ignominiam abiicias.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM IEREMIÆ.

Verſ.2. *Surge,& deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea.*]

1. QVÆ oculis proponuntur, & mouent
potentiùs animos,& magis infiguntur
tenaciter : quare Deus non verbis ſo-
lum, quæ ad aures perferuntur, ſua
conſilia hominibus denunciat; ſed ſignis etiam,
quæ ad animos per oculos tranſmiſſa, vim ha-
bent in omnem partem maximam. Idcirco Iſaias
nudus producitur capite 20. vt duarum gen-
tium ſeruilem conditionem portenderet; ſic Ie-
remias catenis oneratur; Zacharias pecus paſcit
occaſionis, & vaſa rurſus accipit ſtulti paſtoris,
vt ſpecies illæ hieroglyphicæ vim haberent ad
mouendum maiorem,& magis ad diuturnitatem
Labilis humana natura.
firmam. Eo conſilio iubetur Ieremias ad offici-
nam figuli deſcendere, vt ex eo, quod ibi fieri
conſpiceret, quid euenturum eſſet Iudæorum
2. Reipublicæ coniectaret. Vt autem lutea materia
mollis eſt, fingíque facilis; modò in honeſtam
formatur ſpeciem, modò viliorem,& fœdiorem
admittit. Neque raro contingit,vt vas,quod ad
lautos,& ſplendidos formabatur vſus, in ipſa fi-
gularis rotæ conuerſione frangatur, ex eadém-
que materia ſtatim vas fingatur ignobile, aut ex
ignobili vaſe aliud refingatur in honorem:ídque
negotio facili, & temporis momento. Sic pla-
ne ſunt humanæ res,quas modò ſoluit, ac depri-
mit, modò inſtaurat, atque attollit caſus: aut
potiùs, qui caſum, & fortunam temperat Deus.
Quare non eſt, cur proſperis inſoleſcat, aut ad-
Rerum inconſtantia.
uerſis langueat, & labaſcat animus. Non aliter
Deus humana moderatur, ac fingit,ac argillam
in alias, atque alias formas educit figulus. Qua-
re ſæpe in Scriptura figulo dicitur eſſe ſimilis.
Iſai.55.
Iſaias 47. *Væ, qui contradicit fictori ſuo, teſta de Sa-
miis terra Nunquid dicet lutum figulo ſuo quid facis?*
Iſai.64.
& c.64. *Nunc, Domine, pater noſter es tu, nos verò lu-
tum, & fictor noſter tu.* Ad Romanos capite 9. *An
non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere
aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contume-*
Dominus facilè humanam fortunam cōmutat.
liam? Eò verò ſpectat hic figuli labor,& aſpectus,
contemplatióque Prophetæ,vt & ipſe intelligat,
& edicat aliis, Deo eſſe perquàm facile, & affli-
ctam, & penè iam contritam Iudæorum fortu-
nam inſtaurare, atque refingere:& Chaldæorum
potentiam,quæ iam videbatur in gloriam ingen-
tem, quaſi vas honoris efformari, omnino diſſi-
pare,& ad extremam ignominiam deiicere:quod
non longè pòſt per Perſicas copias tandem effe-
cit. Id enim facit Deus, in humanarum rerum
conuerſione,quod in luto figulus.Nunc explore-
mus ſingula.
3. Illud, *ſurge,* idem eſt, quod aduerbium inſtan-
REGVLA. Verba pro interiectionibus.
di, quod ignauos acuit:ac ſi dicat; *Agedum, Eia:*
ſunt enim verba quædam apud Hebræos, quæ
vſum aduerbiorum, ſeu interiectionum obtinēt:
qualia ſunt, *ſurge, vade, veni, venite*, maximè cùm
verbum aliud ſtatim adiungitur:vt, *Venite, exulte-
mus. Surge, illuminare Ieruſalem.* ideſt, *agite, exulte-*

A *mus; age, illuminare.* Sic ergo nunc: *Surge,& deſcen-
de,* idem eſt,atque *age,deſcende.*
Cur verò *deſcendere* iubeatur, ea fortaſſe ra- 4.
tio eſt, quia figulorum officinæ in depreſſa erant
parte ciuitatis, aut certè in topheth, ideſt, in
profunda valle ciuitati proxima:quod ex eo pro-
bari videtur poſſe; quia porta quædam figularis
dicitur, quæ reſpicit topheth; de qua ſtatim cap.
Ierem.19.
19. *Egredere ad vallem filij Ennom, quæ eſt iuxta introi-
tum portæ fictilis.* Vallis filij Ennom,ſiue Gehinnō,
ſeu Gehenna, idem eſt, quod Topheth. Porta
porro fictilis non ſic appellatur,quòd è laterculo
eſſet conſtructa; ſed quòd prope illam eſſent fi-
gulorum officinæ,vt putat ibi Lyra, Dionyſius,
& Hugo:quare aptè porta illa vocari poſſet figu-
laris.
B Verſ.4. *Et diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è 5.
luto manibus ſuis,conuerſúſque fecit illud vas alterum.*]
Ita Dominus temperauit artificis opus,vt ſpecies
occurreret Prophetæ earum rerum, quas ipſum
maximè ſcire oportebat, & quarum cauſa illuc
vocabatur. Nam in ipſo artificis conatu,totæque
conuerſione diſſipatum eſt vas,cuius tunc ſpeciē
informabat,& ex eadem materia diſiecti, atque
deformati vaſis, vas alterū in aliam ſpeciem, &
vſum efformauit. Quid verò ſignificet conatus
hic varius, & ſubita mutatio,ipſe ſtatim explicat 6.
Dominus; & nos, vbi ad illum locum ventum
REGVLA. Verba loco aduerbiorum.
fuerit,fuſiùs exponemus. Illud hîc non omitten-
dum, verba quædam in Scriptura ſacra per ad-
C uerbia exponenda eſſe, vt nuper in re non ad-
modum diuerſa de verbo *ſurgendi* dicebamus.
Hæc verò ſunt, *Conuerto, addo, adiicio, reuerto.* & ſi-
milia, quæ valent idem omnino, quod *iterum.*
Pſalmo 85. *Tu conuerſus viuificabis nos.* ideſt, iterum *Pſal.85.*
viuificabis. Iob capite 7. *Non reuertetur oculus meus* *Iob.7.*
videre bonum, ideſt, non iterum videbit. Sic paſſim
in Scriptura, *Addidit loqui,* ideſt,iterum loquutus
eſt, & ſimilia. Vide quæ diximus ad illud Iſaiæ
capite 6: *Et conuertetur, & erit in oſtenſionem.* Nihil
ergo aliud eſt, *conuerſus fecit illud vas alterum,*
quàm iterum ex eadem materia aliud eſſe for-
matum vas; Hiſpani eadem forma dicunt: *Tornò à
hazer.*
Verſ.6. *Nunquid ſicut figulus iſte,non potero vobis* 7.
Diuinæ voluntati omnia ſubiecta.
D *facere, domus Iſraël?*] Hæc eſt quædam ſimilitudi-
nis apodoſis,quæ explicat,quò ſpectet deforma-
ta priùs, deinde ruſus aliter informata materia:
quod in luto facit figulus, idem multò faciliùs
in rerum adminiſtratione facit Deus; neque ma-
gis figulo ſubiicitur lutum, vt ex eo fingat arbi-
tratu ſuo, quod voluerit, quàm rerum vniuer-
ſitas voluntati ſubiicitur, atque obſequitur Di-
uinæ.
Verſ.7. *Repentè loquar aduerſum gentem, & ad-* 8.
Repentè, idē quod inopinatum.
*uerſus regnum: vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam
illud.*] Repentè aliquid, aut ſubitò fieri dicitur,
quando eo fit tempore, quando minùs euenire

 poſſe,

poſſe, aut ſperabatur, aut timebatur; etiam ſi id multò poſtquam prædictum, aut præuiſum fuerat, contingat. Quomodo Iſaiæ capite 48. repentè dicuntur accidiſſe aliqua, quæ multò ante illum rerum articulum prædicta fuiſſe conſtabat; vt libertas ex Ægypto, & pleraque alia, quæ illam conſequuta ſunt. *Audita* (inquit Deus) *feci ea, repentè operatus ſum, & venerunt.* Et quidem extremus iudicij dies, cùm multò antè prædictus ſit, repentè tamen venturus eſſe dicitur. Lucæ 21. verſu 34. *Superueniet in vos repentina dies illa.* & 1. ad Theſſalonicenſes capite 5. *Cùm dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Erit itaque ſenſus huius loci: Cùm aduerſùs aliquod regnum, aut gentem minatus ſtragem fuero propter illius peccata (quod perinde eſt, atque ſi vas aliquod ad ignominiam informare cœpero) & gens ſuæ potiùs libidini, quàm voluntati meæ obſequi maluerit; pro bono, quod à voce mea ſibi promiſerat, ſubitò referam, quod non timebat, malum. Quod eo loco pono, atque ſi vas pulchrum, & ad regium abacum deſtinatum, quod formabatur ex argilla, diſſoluatur repentè, & ex eo fingatur aliud ſordidum, & vile.

Iſai. 48. — *1. Theſ. c. 5.* — *Reuocat Deus ſententiam, ſi homo reuocet mentem.*

9. Illud, *pœnitentiam agam*, humano dicitur modo: Deus enim accommodatè ad hominum ſenſus, humanos affectus aſſumit: quales ſunt, dolere, dubitare, pœnitere, & ſimilia: quia talia facit, qualia fieri ab hominibus aſſolent, qui eiſdem afficiuntur modis. Vt enim homines, quos facti pœnitet, illud euertere, atque damnare ſolent: ſic Deus, quia hominem, quem antea creauerat, diluuio demerſit, doluiſſe dicitur; & pœnitentia tactus, quòd illum creauiſſet, Geneſis capite 6. Ad hunc modum, quia quod Deus aut boni, aut mali agere ſtatuerat in Gentes, & regna, mutaturus dicitur, quia mutata illorum vita, ipſius quoque aut lenitur, aut efferatur animus, pœnitentia dicitur affectus, cùm tamen in illum pœnitentia cadere nullo modo poſſit.

Deo humani tribuuntur affectus.

Verſ. 11. *Nunc ergo dic viro Iuda, & habitatori Ieruſalem.*] Hactenus vniuersè egerat Dominus de omnibus populis, quorum iudicia pro varia animorum diſpoſitione temperarat: nunc hæc accommodat ad Iudæorum populum, cuius cauſa adducta fuerat figuli, ac luti ſimilitudo.

10. *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem.*] Attemperatè ad figuli metaphoram fingere ſe dicit Deus, in populum malum, eo videlicet modo, quo ex argilla figulus fingit in viles vſus ſordidum vas. Ac ſi dicat: Adhuc lutum in rota conuertitur, molle adhuc eſt lutum, neque omni ex parte vas informatum, quod ad ſordidos vſus, & vile miniſterium deſigno; facilè nunc diſſolui poteſt, & ad honeſtam magis formam adduci: quod libens faciam, ſi ſuperiorem vitam deteſtati, meliora iam, & ſaniora conſilia cogitetis.

11. Verſ. 12. *Qui dixerunt, deſperauimus.*] Hæc verba reſpondiſſe videtur populus à Ieremia admonitus, vt à prioris inſtituti ſordibus ad ſaniorem mentem, vitæque formam meliorem rediret: ſed longa malè viuendi conſuetudo, & ſpretæ ſæpe Prophetarum minæ, eò deduxerunt obſtinatum illum, & miſerum populum, vt ex peccatorum multitudine, obduratóque animo, deſperatione concepta, non minùs veſano, quàm audaci conſilio reſponderit, fieri non poſſe, vt aut ſtudia mutent, aut ad Deum reuertantur. Certum iam eſſe, viam illam perſequi, quam ingreſſi fuerunt;

Deſperatio ex aſſiduitate peccandi.

A neque nuncium eſſe remittendum naturæ ſentientis voluptariis moribus, quibus iam pridem obſequi didiciſſent; licèt probè noſſent, prauam eſſe viam, & præceps conſilium deſipientis animi. Pro *deſperauimus*, Tigurtina *expectoratum* vertit, idque valde ſignificanter: quaſi iam cogitatio de Deo excuſſa prorſus eſſet de Iudæorum pectore.

Verſ. 13. *Interrogate gentes, quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël?*] Modus dicendi 12.
grauis, doloris plenus, & offenſionis maximæ. Significat Deus, nullam gentem, etiam quæ falſis eſſet inſtituta diſciplinis, eò perueniſſe aut impudentiæ, aut ſtuporis, aut talia vnquam fecerit, audieritve, qualia non cogitauit ſolùm, ſed
B etiam ſibi perſuaſit virgo filia Iſraël, id eſt, populus à Deo dilectus, eóque ſtudio ab eo cuſtoditus, quo virgo à matre ſua; quæ, ne illi quicquam ad dolorem, ſeu ignominiam accidat, diligenter cauet. Quid autem horribile illud ſit, ſtatim explicat.

Verſ. 14. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut euelli poſſunt aquæ, erumpentes frigidæ, & defluentes?*] Comparatio hæc obſcura eſt; neque 13.
cuiuis promptum, quò ſpectet, aut feratur ſimilitudo. Quam priuſquam explico, aliorum verſiones, quæ multæ ſunt, in medium adducam. Chaldæus ſic vertit: *Ecce, ſicut fieri non poteſt, vt deficiat nix, quæ deſcendit ſuper agros Libani, ſic non*
C *deficient pluuiæ deſcendentes, & aquæ fontis manantes.* Septuaginta: *Nunquid deficient de petra vbera, vel nix de Libano? vel declinabit aqua violenter vento ſublata?* Pagninus: *Numquis relinquet de petra agri niuem Libano? num relinquent aquæ venientes à loco alio, frigidæ defluentes, quia oblitus eſt mei populus meus?* Primùm, quod attinet ad Septuaginta tranſlationem, obſeruandum, tres in illas ſimilitudines adduci: addit enim petrarum vbera, quę commodiſſima metaphora fontes appellantur, ex quibus non aliter aqua manat, quàm lac ab vberibus. Sanè Philo, de opificio mundi, longè poſt medium, fontes, & fluuios mammas appellat terræ. *Cuilibet* (inquit) *matri tanquam partem*
D *ſummè neceſſariam natura ſcaturientes mammas addidit, præparans alimenta naſcituris infantibus. Meritò igitur terra quoque antiquiſſima matrum, ac fœcundiſſima, natura tanquam mammas dedit, omnium fluenta, fontiúmque, vt ſtirpes rigentur, & omnia animalia potum copioſum habeant.*

Fôtes, terræ vbera.

Nunc ad Vulgatum venio, cuius expoſitiones 14.
varias eſſe video. Lyra eò ſpectare putat ſimilitudinem, vt Iudæorum ſtupor, & ſuæ etiam naturæ obliuio quædam ſignificetur. Cùm enim non ſegniùs ad Deum ferri deberet animus, quàm è montibus aquæ deorſum labuntur, & ſubiectos rigant, & exhilarant campos, illæ perpetuò fluunt; quódque à Deo datum eſt munus,
E conſtanter obeunt: Iudæi tamen, qui ad auctorem Deum, ſuarúmque rerum præcipuè memorem, ferri debuiſſent; ab illo tamen per idololatriam receſſerunt. Non longè ab hac ſententia Dionyſius abludit, & Hugo; immo & Hieronymus, qui ex aliarum rerum comparatione, Iudæorum ſtultitiam, aut ingratitudinem incuſat.

Hieronymus aliter exponit, ſed obſcurè. Adduxerat priùs eorum ſimilitudinem, quæ aliter omnino habere ſe poſſe non exiſtimantur; vt eſt illud Maronis Ecloga 1.

Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces.

&

& illud libri 1. Æneidos:

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt: conuexa polus dum ſydera paſcet.

15. Deinde ait: *Quomodo nix de Libani ſummitatibus deficere non poteſt, nec vllo, vt omnis liqueſcat, ſolis ardore ſuperatur: ſic ego non potero immutari; & tamen, cùm cætera naturæ ordinem ſeruent, populus meus oblitus eſt mei.* Hæc Hieronymus: quæ alij in alias ſententias trahunt. Quidam hanc eſſe putant Hieronymi ſententiam. Quemadmodum fieri non poteſt, vt nix vnquam in Libano deficiat, aut ex eo aqua in ſubiectos agros non deriuetur; ſic etiam videbatur impoſſibile, vt homo tot à Deo beneficiis ornatus, a Domino deficeret.

Ego aliud puto exiſtimaſſe Hieronymum, & impoſſibilitatem illam non tam ad Iudæos officiorum memores, quàm ad inexhauſtas Dei opes, immensámque liberalitatem referre voluiſſe: quod vt ſibi perſuadeat quiuis, ſat eſſe puto, ſi ad Hieronymi verba mediocrem attentionem adhibeat.

16. Ego, quid magis eſſe cenſeam ad veritatem, & textum, quàm potuero pauciſſimis oſtendam. Et huic loco non parum obſcuro facem præfert Deus ipſe, Ieremiæ capite 2. vbi hæc eadem, neque modo, ac ſermone diſſimili obieciſſe Iudæis videri poteſt. Primùm teſtes aduocat gentes, quæ inconſtantiam, perfidiámque Iudæorum accuſent, qui toties iam antè bene de ſe meritum Deum reliquerunt. *Tranſite*, inquit, *ad inſulas Cethim, & videte: in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte, ſi factum eſt huiuſmodi, ſi mutauit gens deos ſuos*, &c. Huic reſpondet quod in hoc loco legis, *Interrogate gentes.* Item capite 2. ſtuporem, & inauditum, atque horribile aliquid ipſo orationis genere explicuit, dum ad cælum conuerſus exclamans, ait: *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus.* Hæc ſunt, quæ hoc capite appellat horribilia. *Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſraël?* Porro illa, quæ capite 2. exprobrantur Iudæis, horribilia quoque eſſe ſignificantur, illo graui, atque inſolito dicendi genere, *Obſtupeſcite cæli.* ſtupor enim plerunque euenit ex rerum horribilium aſpectu, vel cogitatione. Cur autem cæli obſtupeſcere debeant, & quid ſit illud horribile, quod admiſit, neque tamen horruit virgo filia Iſraël, docuit capite 2. dum dicit: *Me dereliquerunt*; & hoc capite dum ait: *Quia oblitus eſt mei populus meus.* Cùm ergo, quæ hic dicuntur, cum illis, quæ capite 2. cætera conueniant, veriſimile eſt, quod eſt præterea reliquum conuenire. Erit igitur hoc, *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut euelli poſſunt aquæ erumpentes*, &c. idem cum eo, quod capite 2. dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.*

17. Iuges erant, & viuentes aquæ, quæ erūpebant è Libano, quarum continens fluxus, prouerbiali, vt reor, figura, ad rerum, quæ nullo deficiunt, aut exhauriuntur tempore, explicandam naturam adducebatur. Iuges autem illæ, atque perennes ſcatebræ de Libano optimè probantur, aut indicantur in niuibus, quæ perpetuò montes obſident, quæque ab æſtu ſolutæ fontium capitibus largiuntur, quod vbertim effundant. Sed explicat magis, quod ſtatim adiungitur, *Aut euelli poſſunt aquæ erumpentes.* His itaque perquàm aptè circunſcribitur *fons aquæ viuæ.*

18. Porro hîc apoſiopeſis quædam eſt, quæ in graui dolore, admiratione, aut alio quocunque af-A fectu vehementi, adhiberi tam à ſacris, quàm à profanis ſcriptoribus ſolet. Reticetur autem, ſuppleríque a legentibus debet id, in quo Deus ſimilis eſt aquæ iugiter mananti de Libano; vbi etiam adiungi debet ſimilitudinis nota, in hunc ſenſum: Sicut in Libano nunquam deficit nix, aut aquæ erumpentes frigidæ; ſic in me, qui fons ſum aquæ viuæ, nunquam frigida deficiet aqua.

Agè iam, videamus, quid ſit illud horribile, quod fecit Iſraël. Cùm illi promitteret Ieremias ſalutem, & felicitatem à Domino, modò ſuperiorem vitam deteſtatus, ad Dominum rediret, reſpondit ſtolidus ille populus, deſperaſſe ſe auxilium à Domino; aut illam cogitationem ſibi B prorſus eſſe expectoratā, & excuſſam: quare certum iam eſſe ſibi, abire, ſicut antè fecerat, poſt prauitatem cordis ſui: quod nihil eſt aliud, quàm conſectari ciſternas diſſipatas, quæ alienas aquas continere non valent, & deſerere fontem iugiter manantem.

Hanc ſententiam aut tenet, aut indicat Hieronymus dum ait: Quomodo *nix de Libano*, &c. *ſic ego non potero immutari.* Sed docent è recentioribus multi, Pagninus, Vatablus, Maldonatus; qui errare dicunt miſerabiliter illos, qui cùm paratos habeant è Libano perennes, ac frigidos aquarum decurſus, malint tamen ad ciſternas diſſipatas C confugere, vbi reperient nihil præter cœnum, & limum. 19.

Quod attinet ad ordinem, conſtructionémque literæ, ſic puto ordinari poſſe non obſcurè, Nunquid deficiet de campo, ſeu ſolo petroſo montis Libani nix? aut exhauriri, ſeu ſiccari poterunt aquæ frigidæ, quæ è Libano erumpunt, labuntúrque cum impetu? Illud enim eſt *erumpentes, & defluentes*: quod expreſſum eſt aliter Canticorum 4. *Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* quo dicendi modo magna ſignificatur aquarum abundantia.

Verſ. 15. *Quia oblitus eſt mei populus meus fruſtra libantes, & impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſæculi.*] 20.
D En quomodo populus ille ſtolidus fontem reliquerit erumpentem de Libano, & vacuas, fœtentéſque ciſternas conſectatus ſit, quæ accendant potiùs, quàm extinguant ſitim. Illæ verò ciſternæ idola ſunt, quæ coluerunt Iudæi, quaſi ab illis accepturi eſſent ea, ad quæ maximè illorum anhelabat animus. Quid verò ſit, *impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſæculi*, non facile explicatu eſt. Viæ ſuæ, & ſemitæ ſæculi vocari poſſunt illæ, quas impreſſère maiores, qui ſanctè vixère, vt Patriarchæ, & qui ſuperiora ſæcula ſuis ornauère virtutibus; in quibus impegerunt poſteri, dum ab illis aberrant, & in alia omnia præcipites feruntur. Quæ *ſua* dici optimè potuerunt, quia re E vera illæ erant Iudæorum viæ, oſtenſæ primùm à Deo, deinde ſanctorum Patrum notatæ veſtigiis.

Hieronymus *in viis ſuis* vias intelligit tráſuerſas, & iniquas, quas elegère malè ſani Iudæi, dum ſuo magis obſequuntur ſtudio, quàm Diuinæ legi: ſemitas verò ſæculi exiſtimat eſſe ſanctas, quibus antiqui ingreſſi ſunt Patres. ſic autem Hieronymus: *Qui obliuiſcitur Dei, & relinquit eum, qui dicit, Ego ſum via, libáque diis alienis, impingit in viis ſuis, nequaquam Dei, ſed ſuis: & antiquas, ſempiternáſque ſemitas derelinquit, quæ omnium Sanctorum ſunt tritæ veſtigiis.* Alij & *vias ſuas*, & *ſemitas ſæculi*, vias interpretantur diſtortas, & auerſas à iuſtorum 21.

Via, ſeu ſemita ſæculi.

ſtorum ſemitis, in quibus impingunt, & corruunt peccatores: quia illorum via tenebræ ſunt, & lubricum; neque deeſt, qui illos impellat, atque proſternat, Angelus nempe Domini malus, perſequens eos, Pſalmo 34. Viæ verò peccatorum, ſæculi appellantur viæ, Iob.capite 22. (Iob.22.) *Nunquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui: qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, qui dicebant Deo, Recede à nobis?* Fortaſſe ſemitæ ſæculi dicuntur antiquiſſimæ illæ viæ, quas inuenerunt, oſtenderúntque aliis peccatores illi maximi, qui cum ipſo penè mundo nati ſunt, qualis fuit Cain, & qui infandis ſceleribus Diuinũ furorem inflammarunt, vt diluuium induceret in mundum, & hominum genus latè perderet. Sanè via Cain peccatorum hominum via vocatur in epiſtola Iudæ verſu 11. *Væ illis, qui in via Cain abierunt.* Et hoc mihi videtur veriſimilius, quod etiam cum ſancto Thoma cenſent Dionyſius, Hugo, Lyra, Capella, Emanuel Sà: quod ſatis textus ipſe docet, qui ita *vias* cum *ſemitis ſæculi* coniungit, vt nullo modo ſignificatione, & vſu diſtrahi poſſe videantur. Dum ergo Iudæi antiquis ingrediuntur viis, quàs notarunt peccatores à ſæculo, quáſque iam dudum ipſi malè viuendo tenuerunt, impingunt paſſim, & labuntur fœdè.

22. Neque abs re mihi videtur eſſe dicturus, qui ſemitas ſæculi illas eſſe cenſeret, quas iam olim à multis annis Iudæi, quos nunc ſtuporis, ac ſceleris arguit Ieremias, amplexi ſunt: vt enim hi capite 2. verſu 20. à ſæculo excuſſiſſe dicuntur à ceruicibus Diuinæ legis iugum, rupiſſéque vincula, ac ſuæ potiùs libidini, quàm alienæ voluntati paruiſſe; ſic nunc idem de ſe audiunt, ſub alia tamen metaphora non obſcurè.

23. (Via peccatorum difficilis.) *Vt ambularet per eas in itinere non trito.*] Non modò via illa, quam ingreſſi fuêre Iudæi, inutilis erat, & inſidiis, atque offenſionibus opportuna: ſed etiam difficilis, implexa, atque aſpera, qualis eſſe ſolet, quæ in ſyluis eſt; aut conciſa ſalebris, quam aut raro aliquis ingreditur, aut vllum in ea veſtigium relinquit. Id puto ſibi velle illud, *in itinere non trito*, non quod multorum pedibus calcatum non ſit: neque enim vlla magis calcatur, quàm vitiorum via: ſed quia planum non eſt, ac molle, quales eſſe ſolent regiæ, & hominum curſibus frequentes viæ. Sanè ſtulti illi, de quibus Sapientiæ capite 5. vias tenuerunt, multorum hominum paſſibus frequentatas, dicebant tamen: (Sap.5.) *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.*

24. Verſ.16. *Vt fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilum ſempiternum.*] Illud, *vt*, non indicat finalem cauſam, vt alibi millies, ſed conſequutionem, & euentum, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ 66. *Vt ſugatis, & repleamini.* Quare ſenſus erit: Inde eueniet, vt terra eorum deſoletur, ſítque aliis in ſibilum, ludibrium, & fabulam. *Sempiternum* non eſt hoc loco, quod fine caret, ſicut aliis in locis ſæpe; ſed diuturnum, quale fuit ſeptuaginta annorum ſpatium, ad quod producta eſt Hieroſolymæ ſtrages, & Iudæorum exilium. Vide quæ diximus in Commentariis ad Iſaiam, capite 32. numero 32.

25. *Omnis, qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuum.*] Ea fuit calamitas Iudaicæ gentis, ea ſtrages ciuitatis omnium nobiliſſimæ, vt mirarentur omnes tantam molem in illum modum ſterni potuiſſe: & cum ſibilo, motúque capitis in eius ſordes, atque ruinas inſultarent. Docet hoc Ieremias Threnorum capite 2. numero 15. vbi quod hîc vaticinatus eſt, completum eſſe tradit. *Planſerũt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam, ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem. Haccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* Mouere caput ſannarum genus, atque conuitij eſt, cuius vſus in Scriptura frequens. Pſalmo 21. *Deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.* exemplorum in Scriptura ſatis.

26. Verſ.17. *Sicut ventus vrens diſpergam eos coram inimico.*] Oſtendit qualis futura ſit Iudæorum aut ſtrages, aut fuga: qui non aliter ſternentur, atque fugabuntur à Chaldæo, quàm ab vrente vento pereunt, aut diſſipantur ſata. (Prov. Ventus vrens.) Pro *vento vrente*, Hebraicè eſt קדים *cadim*. An ſit Vulturnus, Subſolanus, aut Euroauſter, qui ab Orientali plaga, non tamen eodem ſpatio, perflant, incertum eſt inter Auctores. Orientalem eſſe vox ipſa Hebraica apertè docet. Eſſe autem ventum rapidum, & vehementem, conſtat, quia hic mare rubrum aperuit, ſiccauítque: de quo Exodi capite 14. verſu 21. *Cúmque extendiſſet Moſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum.* Ventus autem iſte Hebraicè eſt קדים & Iob capite 27. verſu 21. vehementem eſſe, atque incitatum indicat: *Tollet eum ventus vrens, & auferet: & velut turbo rapiet eum de loco ſuo.* Porro in vrente vento duo ego mihi ſpectare videor, & noxiam aliquam vim ad perdendas ſegetes, dum adhuc teneræ ſunt, quæ facit ne plena ſint grana, atque adeò ne grana ſint, in euanida ſpica: tum etiam vehementem flatum, qui demeſſas ſegetes, aut ſtipulas in area latè diſpergit. Hæc duo mala Iudæis inuexit hoſtis Chaldæus: nã & exuſſit, & perdidit ciuitatẽ perfecti decoris, & gaudiũ vniuerſæ terræ: ſicut lætæ ſegetes ante ſpicam, & granum vruntur, atque flaueſcunt: & ciues diſperſit aut ante exilium Babylonicum multiplici fuga, aut in exilium variis temporibus abductos. Coram inimico, aut, quod idem eſt, à facie inimici diſpergi, nihil eſt aliud, quàm ab inimico vrgente profligari, aut ſterni, ſicut à facie venti, ſeu coram vento ſtipulæ diſſipantur, id eſt, perflante, ſiue ingruente vento.

27. (Prov. Dorſum, & non facies.) *Dorſum, & non faciem oſtendam eis.*] Tergum alicui vertere, non ſolùm eſt, conſpectum, aut congreſſum alicuius declinare fugiendo; ſed etiam aliquem auerſari, atque contemnere, quia illum indignum exiſtimamus noſtro congreſſu, aut quia illius faciem intueri, indecorum, atque odioſum putamus. Sic Ezechielis 8. (Ezech.8.) viri quidam dicuntur habuiſſe dorſa ad tabernaculum Domini conuerſa; quia nullo apud illos loco erat pietas, & religio. Sic de hoc ipſo Iudæorum genere ſcribitur 2. Paralipomenon capite 29. (2.Paral.29.) *Peccauerunt patres noſtri, &c. auerterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum.* Similiter illa, quæ non probamus, aut quæ minùs accidunt grata, poſt tergum habuiſſe, aut reieciſſe dicimur Eccleſiaſtici 21. verſu 12. (Eccli.21.) *Audiuit luxurioſus (nempe verbum ſapiens) & diſplicebit illi: & proiiciet illud poſt dorſum ſuum.* Sic Deus neque curaſſe videbitur, quid ab hoſte potentiori patiantur Iudæi, neque dignos iudicabit, quibus ſe, vt aliis antè ſæculis, ſpectandum præbeat; aut quibus in ſummo rerum diſcrimine adiumento ſit.

Verſ.18.

28. Verſ.18. *Et dixerunt, Venite, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes.*] Hæc verba Ieremiæ ſunt, qui non tam prophetice, quàm hiſtoricè tradit, quam ex hac admonitione, ſeu exprobratione cogitationem ſuſceperint Iudæi. Qui cùm ferre non poſſent, homines ſuperbiſſimi, exprobrari ſibi ſuum, maiorumque ſuorum vitæ genus, conſilium ineunt crudele, atque impium, vt Prophetam occidant, ſibi vt deinceps liceat, nemine oblatrante, otioſè, atque quietè viuere. Illud, *venite,* pro interiectione eſt, quæ faces admouet, & ſtimulos adigit pigritanti, quale eſt *eia, agitedum,* vt nuper diximus, ad illud numeri 2. *Surge, & deſcende.* In coniugatis, *cogitemus cogitationes,* epitaſis eſt, quæ ſtudium indicat ardens ſumendæ vindictæ.

29. *Non enim peribit lex à Sacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta.*] Quò ſpectet hæc ratio, aut quæ illi vis ſubſit, non admodum explicatu facile, neque omnes idem volunt Interpretes. Hieronymus, & cum eo Rabbanus exiſtimant, Iudæos ideo adduci, vt Ieremiam interimant, quia mors illius nullum afferet ciuitati detrimentum. Vt enim ille ſapiens ſit, Sacerdos, & Propheta, non deerunt, eo ſublato, Hieroſolymæ plures alij ſapientes, Sacerdotes, & Prophetæ, qui ſint legis interpretes, & Diuinorum conſiliorum internuncij. Theodoretus ideo initum eſſe conſilium putat de cæde Ieremiæ, quia Iudæorum turbabat rationes, exprobrabat vitia, minabatur exitium, neque vſpiam illorum animos ſinebat eſſe pacatos. Quaſi dicant, quia Sacerdos eſt, inuigilabit legis cuſtodiæ, quam à nobis violari non ſinet: quia Propheta terrores nobis denunciabit quotidie; quare omnino importunus hic, atque odioſus interpellator ſummouendus eſt. Eiſdem adducti rationibus inſipientes alij iuſto moliebantur interitum, Sapientiæ capite 2. *Circunueniamus iuſtum, quia inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris: & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.*

Iuſtus peccatoribus inuiſus.

30. Sanctus Thomas, Lyra, Dionyſius, Maldonatus, aliter accipiunt: dicunt enim iudicari Ieremiam falſi vaticinij reum, qui contra aliorum conſulta, atque promiſſa, quibus abfuturum pondus non videbatur, multa dixerit. Quaſi dicant: Sacerdotes habuimus, quorum labia ſcientiam cuſtodiunt, à quibus non aberit legis cognitio: habuimus ſapientes, quorum in deliberando conſilium graue: neque defuerunt Prophetæ, per quos à Deo nuncium pacis accepimus, qui nobis omnia ſecunda pollicentur. Quare cùm his omnibus contraria aut ſentiat, aut clamet Ieremias, dignus eſt, qui de viuorum numero quamprimùm, atque omnino tollatur. Hæc mihi expoſitio omnium maximè placet: tum quia conſequenter ad hanc explicationem multa dicuntur poſtea: ideo enim in neruum coniectus, & in foueam poſtea miſſus eſt Ieremias, quia contra aliorum Prophetarum verba, non tam ad veritatem, quàm ad voluntatem propoſita diu, multùmque clamauit: tum quia, quæ hîc Iudæi à ſuis Sacerdotibus, ſapientibus, & Prophetis non abfutura prædicant, illa eadem eodem orationis genere, aut abfuiſſe, aut abfutura alij Prophetæ docent. Iſaias capite 29. verſu 24. *Peribit ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentum eius abſcondetur.* & Ezechielis capite 7. numero 26. *Quærent viſionem de Propheta, & lex*

A *peribit de Sacerdote, & conſilium à ſenioribus.* Sed neque diſplicent explicationes aliæ, quia valde cum Iudæorum ingenio, & rerum articulo conueniunt: & hæc Prophetarum loca optimè in primam Hieronymi ſententiam explicari poſſunt. 31.
Illud porro notandum, Hebraiſmum eſſe, *perire aliquid ab aliquo,* ideſt, *abeſſe,* aut ab eo quenquam excedere. Amos capite 1. *Peribit fuga à veloci,* ideſt, velox non effugiet. Ioelis 1. *Vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quia periit ab ore veſtro.* ideſt, auferetur, ne bibatis. Eodem ſenſu dicitur Pſalmo 141. *Periit fuga à me.* & Ieremiæ capite 49. *Periit conſiliũ à filiis.* Si Theodoreti ſententiam amplectare, vmbram hîc in Ieremia certam intuebere Chriſti, in quem eandem ob cauſam linguas exercuerunt, & morte turpiſſima condemnarunt.

Perire, pro abeſſe.
Amos c.1.
Pſal.141.
Ierem.c.49.

B

Venite, percutiamus eum lingua: & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius.] Percutere aliquem lingua, idem eſt, quod accuſare, aut falſum contra aliquem dicere teſtimonium. Neque verò leue eſt, aut facilè ſanabile vulnus illud, quod infligit detractoria, aut maledica lingua: de quo eſt illud Eccleſiaſtici capite 28. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa.* Id ergo moliuntur Iudæi, qui grauiter ferebant à Ieremia ſibi alienum vitæ genus improbari, vt illigatum priùs teſtimonio falſo, morti dederent, quod certè tentarunt, vt ex hac prophetia non vno ex 32.

Linguæ vulnus graue.
Eccli.28.

C loco liquet, aut illius linguam metu conſtringerent, nequid deinde hiſcere auderet; aut in occultum aliquem locum compingerent, vnde quantumcunque clamaret, vox tamen illius audiri non poſſet. In hunc enim ſenſum quidam accipiunt illud: *Percutiamus eum lingua,* ideſt, in lingua; nempe vt deinceps eripiatur libertas, atque facultas loquendi: ſed eſt ſine dubio expoſitio prior magis germana. Illud, *non attendamus ad vniuerſos ſermones eius,* idem eſt, atque ad nihil eorum, quæ dixit, attendamus, quaſi vacui ſint à fide, immo & à ſana mente ſermones eius. Notum eſt apud Hebræos, ſecus quàm apud Latinos, vniuerſale ſignum cum negatione, ſuo æquipollere contrario, ideſt, valere idem, quod *nullum.*

D Pſalmo 48. de homine diuite: *Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia.* ideſt, nihil ſumet. Exodi capite 22. vbi noſter, *Viduæ, & pupillo non nocebitis,* Hebraicè eſt, *Omnem viduam, & pupillum non affligetis.* & Exodi capite 20. *Non facies omne opus in eo.* ideſt, nullum opus. ſic nunc illud, *Non attendamus ad vniuerſos ſermones eius,* idem eſt, atque, ad nullum ſermonem eius attendamus.

REGVLA.
Vniuerſale ſignum cum negatione, ſuo æquipollet contrario.

Verſ.20. *Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?*] Turbabat ſæpe Ieremias falſam, atque inſidioſam Iudæorum pacem; non quòd malè eſſet in illos animatus, ſed quia illorum ſalutem, & ciuitatis gloriam, ſartam ab hoſte, ac tectam eſſe cupiebat. Sed malè 33.

E Iudæi Ieremiæ conſilium interpretati, quaſi alienior eſſet illius animus, in eius cædem pernicioſa agitabant conſilia, inſidiáſque moliebantur, quas hîc foueæ nomine ſignificat Propheta. Cætera aperta. Illud obſeruandum, in fouea ſignificari prouerbiali forma, occultas inſidias, ſeu laqueos, aut quid ſimile, quod incautos homines deprehendit, ſumpta à venatore metaphora, qui vario artificio id agit, vt incautam feram in oppoſitã foueam inducat. *Anima mea,* idem eſt, quod *mihi:* nam per animam, vt ſæpe notauimus, paſſim circunſcribitur id, cuius eſt anima.

PROV.
Foueam fodere.

Recor

34. *Recordare, quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum.*] Oratio eſt hæc Ieremiæ, qui ſuam cauſam Domino commendat; rationémque reddit, cur, quod orat, à Deo exorare debeat. Quia iniuſtè patitur, & Deum ipſum teſtem implorat, qui nouit, quoties ipſe populo ſuo precatus ſit bonum, & indignatum animum placare ſtuduerit. *Recordare* idem eſt, quod aliquo ſigno oſtende, me tibi prorſus ex memoria non excidiſſe: vt enim obſeruauimus ad illud Iſaiæ capite 43. *Peccatorum tuorum non recordabor.* Deus tunc recordari dicitur, cùm miſerendo, aut puniendo aliquod exhibet ſignum, quo homines intelligunt, offenſum eſſe Deum, ſiue propitium. Hoc verò tunc Deus videtur oſtenſurus, cùm bene Ieremiam accipiat, illum liberando, & malè mulctet Iudæos, illos ſeuerè puniendo.

35. Verſ.21. *Propterea, da filios.*] Hæc non tam imprecatio eſt ab offenſione nata, quàm prædictio eorum, quæ à Chaldæorum exercitu, longa obſidione, pertulerunt Iudæi: quæ, vt in Threnis lamentatur Ieremias, ad vnum omnia contigerunt.

36. Verſ.22. *Adduces enim ſuper eos latronem repentè.*] Latronem eſſe Nabuchodonòſor, aut, quod idem videtur, Chaldæorum exercitum, docent communiter Interpretes, & res eſt nota. Cur autem exercitus ille dicatur latro, non item. Quidam latronem ideo eſſe putant, quia milites, quicunque illi ſint, ſiue prædaturi veniant, ſiue etiam iuſtum illaturi bellum, *latrones*, ſeu etiam *latrunculi* vocantur. Et quidem ſub hoc tempus, iuxta hæc Ieremiæ verba, veniſſe dicuntur latrones, & Iudæorum euertiſſe fortunas, 4. Regum capite 24. *Aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & factus eſt ei Ioacim ſeruus tribus annis, rursúſque rebellauit contra eum. Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immiſit eos in Iudam, vt diſperderent eum.* Neque alienum eſt à Latinorum vſu, vt milites latrones appellentur, hi maximè, qui mercede ſunt conducti. Ita Feſtus Pompeius, & Seruius, ad illud libri 12. Virgilij:

Latro militis nomen, item latrunculus.

——— fixúmque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

De quibus etiam Plautus in Milite glorioſo, actu 1. ſcena 1. ad finem:

Nam Rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.

37. Quòd latrones ſint illi, qui vocantur etiã latrunculi, quorum nomen in re militari in Scriptura ſacra frequens, docent Poëtæ, qui in eo ludo, qui ſpeciem quandam, aut ſimulacrum belli repræſentat, qui ludus dicitur latrunculorum,

A latrones ſæpe latrunculos vocant, hi verò ſunt in abaco diſcolore, qui tanquam milites in acie pugnant. Ouidius libro 3. de Arte:

Cautáque non ſtultè latronum prælia ludet,
Vnus cum gemino calculus hoſte perit.

& Martialis libro 14. epigrammate 2.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Hæc explicatio, credo, aptiſſima eſt; ſed tu vide; 38.
an etiã probari poſſit alia, quam iam adduco. Latrones eo maximè tempore in alienas irrumpunt domus, & prædas agunt, cùm magis ſecuri ſunt domini, & minùs ſolliciti de furto. Vnde, quæ ſubitò, aut quæ inopinatò fiunt, illa latronum ſimilitudine, prouerbiali ſine dubio ſpecie explicari ſolent.

Latronis inopinatus aduentus.

B Sic Apocalypſis capite 3. Dominus ad Epiſcopum Sardis: *Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.* & Matthæi capite 24. *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt.* Paulus 1. ad Theſſalonicenſes 5. *Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.*

Illud præterea certum, apud Hebræos ſæpe ſi- 39.
militudinis notam ſubaudiri. Ex his mihi non videbatur difficilis, aut contorta huius loci ſententia. Adduces repentè, ideſt, inopinatè latro-
C nem, ideſt, Chaldæorum exercitus, tanquam latrones, qui ad furtum, & prædam tenebras captat: & eo irrumpit tempore in alienas domus, quando minùs illius aduentus timebatur.

Verſ.23. *Abutere eis.*] Hebraicè בהם עשה *ba-* 40.
hem aſeh, ideſt, *fac in eis*, aut, quod mihi videtur expeditum magis, *fac in eos*, nempe, quod facere ſolet animus indignatus, & offenſus: quæ communis fermè Interpretum explicatio eſt. Noſter verò Interpres opus hoc ab offenſione natum per verbum, *abutere*, ſignificauit: quia ſicut *vtor*, rem plerumque ſignificat honeſtam, & functionem nobilem, & ingenuam: ſic *abutor* opus indicat, aut miniſterium ſordidum, & vile. Quomodo ſi quis vas aliquod formatum in honorem ad
D vſum adhiberet honeſtum, ad quem illud priùs deſtinarat, eo diceretur vti: ſi tamen illud ad vile miniſterium abiiceret, abuti diceretur, quia alieno ſubiicit miniſterio. Sic, quia Iudæos Dominus ad honorem euexerat, eiſque alias ſubiecerat nationes, eis tunc videbatur vti, quando illos ad magnas, atque præclaras functiones adhibebat: quia verò poſtea illos abiecit, ſubiréque fecit ſeruile miniſterium, & varia apud externos incommoda, illis non ineptè abuti dici potuit. Hæc de capite decimooctauo.

Abuti quid.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XIX.

SICVT in vaſe diſiecto, & rurſus inſtaurato, in figulari rota ſignificauit Dominus, mutatum in ſupplicium, quod iam iam imminebat, ſi modò antiqua viuendi conſuetudo mutaretur; ſic in vaſe figuli iam excocto, quod iubente Domino ad vallem filiorum Ennom contriuit Ieremias, quod inſtaurari, aut iterum reformari non poteſt, actum iam eſſe ſignificatur de re Iudaica. Minatur igitur Deus eam vaſtitatem, & cladem Hieroſolymæ, vt non minùs futura ſit immunda, quàm Topheth, quæ innocentium ſanguine redundabit, quam commune fore dicit ſepulcrum, quò inferentur cateruatim omnes, quia pro mortuorum multitudine quicunque locus alius erit anguſtus.

IEREM. CAP. XIX.

1. HAec dicit Dominus: Vade, & accipe lagunculam figuli teſteam à ſenioribus populi, & à ſenioribus Sacerdotum: A

2. Et egredere ad vallem filij Ennom, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis: prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te.

3. Et dices: Audite verbum Domini Reges Iuda, & habitatores Ieruſalem: hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam afflictionem ſuper locum iſtum, ita vt omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius: B

4. Eo quòd dereliquerint me, & alienum fecerint locum iſtum: & libauerunt in eo diis alienis, quos neſcierunt ipſi, & patres eorum, & Reges Iuda: & repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum: C

5. Et ædificauerunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.

6. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur ampliùs locus iſte, To-

IN IDEM CAP. PARAPH.

A 1. VAde, inquit Dominus, ad me, & à ſenioribus populi, & ab his, qui inter Sacerdotes ætate, atque auctoritate præſtant, lagunculam cape teſteam, figulari opere formatam.

2. Et egredere ad vallem, quam quia filij quondam poſſederunt Ennom, Gehenna nominatur, quæ eſt ad portam, quæ quia per illam exportantur è figularibus officinis ſordes, & inutilia fragmenta, fictilis vocatur, & annunciabis ibi quodcunque à me verbum acceperis.

B 3. Et dices: Adeſte animis Reges Iuda, & Solymitani ciues, & quid per me Dominus nunciatum eſſe velit, audite. Ecce ego in hunc populum cladem, & afflictionem inducam, ſic ad ſtuporem grauem, & horribilem, vt vel ſolo auditu concutiat animos, & in auribus vehementer attonitis immoretur diu ſonitus, & tinniat.

4. Me etenim dereliquerunt, & quem mihi locum è plurimis elegeram, abdicauerunt à me, & ad impium idolorum cultum tranſtulère. Libauerunt namque in eo diis alienis, quos tam ipſi, quàm parentes eorum, & Reges præcipuè Iuda, C tanquam aliquid longè alienum contemnere, atque ignorare prorſus debuiſſent. Et vallem hanc filiorum Ennom, immolatis per ſummam acerbitatem filiis, innoxio compleuerunt ſanguine.

5. Et in excelſis montibus aras excitauerunt Baalim, in quibus filios ſuos abſumptos incendio impiæ idolorum religioni conſecrarent. Quod neque præcepi, neque vt præciperem, vnquam cogitaui.

6. Propterea, dicit Dominus, aderit aliquando tempus, quando locus neque à

pheth, & vallis filij Ennom: ſed vallis occiſionis.

A poſſeſſione filiorum Ennom vallis appellatur filiorum Ennom,ſeu gehenna;neque ab immani innocentum immolatione Topheth, ſed à Iudæis, qui ibi aut occiſi, aut proiecti ſunt,vallis dicatur occiſionis.

7. Et diſſipabo conſilium Iuda & Ieruſalem in loco iſto: & ſubuertam eos gladio in conſpectu inimicorum ſuorum,& in manu quærentium animas eorum: & dabo cadauera eorum,eſcam volatilibus cæli,& beſtiis terræ.

7. Et in hoc ipſo loco Iuda, ac Ieruſalem conſilia omnia,& cogitata diſperdam; & cernentibus, atque plaudentibus inimicis,& his, qui ad ipſorum cædem, & vaſtitatem inhiant,interficiam eos ferro, & eorum cadauera inhumata relinquam, in quibus cæli volucres,& beſtiæ terræ, ſuam
B ſibi famem abundanter exaturent.

8. Et ponam ciuitatem hanc in ſtuporem, & in ſibilum: omnis, qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper vniuerſa plaga eius.

8. Ea denique erit ciuitatis ſpecies, vt ſtuporem cernentibus inducat, & iis, qui oderunt,ſibilandi materiam.Omnis enim, qui iuxta illud ciuitatis auerſæ deforme buſtum præterierit, grauem illam, atque multiplicem plagam contemplatus, aut ſtupebit dolendo,aut ſibilabit inſultando.

9. Et cibabo eos carnibus filiorum ſuorum, & carnibus filiarum ſuarum: & vnuſquiſque carnem amici ſui comedet in obſidione, & in anguſtia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum.

9. Eò autem illos adiget neceſſitas, & fames,vt cibos ſibi parent,è filiorum, filiarúmque carnibus. Neque in illis rerum anguſtiis, in quas adducent obſidionis
C tempore inimici, qui ad illorum ſanguinem ſitienter anhelant, ab amicorum carnibus abſtinebunt.

10. Et conteres lagunculam in oculis virorum,qui ibunt tecum.

10. Tunc rurſus ad Ieremiam Dominus: Cernentibus illis, qui tecum ex templo ad portam vſque fictilem progreſſi ſunt, lagunculam confringes.

11. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum iſtum, & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli,quod non poteſt vltrà inſtaurari: & in Topheth ſepelientur, eo quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum.

11. Et dices ad eos ex me: Sicut vas iſtud fictile ita confringitur, comminuitúrque,vt rurſus integrari,ac reſtaurari nequeat; ſic ego conteram ciuitatem hanc, & populum, & cùm pro mortuorum nu-
D mero locus quicunque alius anguſtus ſit, in hac valle filiorum Ennom, quæ & Topheth, non tam ſepelientur, quàm proiicientur aceruatim.

12. Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus eius: & ponam ciuitatem iſtam ſicut Topheth.

13. Et erunt domus Ieruſalem, & domus regum Iuda ſicut locus Topheth,immundæ: omnes domus, in quarum domatibus ſacrificauerunt omni militiæ cæli, & libauerunt libamina diis alienis.

12. Sic ſtatuam,dicit Dominus, de loco iſto, déque illius habitatoribus, neque alia erit ciuitatis ſpecies,quàm Topheth.

13. Vt enim Topheth locus eſt teter, & immundus,ſic domus omnes Solymitanæ, palatia item Regum Iuda, deformes erunt,& immundæ. Omnes, inquam, domus, in quarum tectis immolata ſunt mili-
E tiæ cælorum ſacrificia, & Gentium idolis oblata libamina.

14. Venit autem Ieremias de Topheth, quò miſerat eum Dominus ad prophetandum, & ſtetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnem populum:

14. Cùm autem reuerſus eſſet Propheta de Topheth, quò iubente Domino profectus fuerat,vt futuram populi vaſtitatem prædiceret; ſtetiſſétque in atrio templi, in hunc modum vniuerſum populum allocutus eſt:

15. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam ſuper ciuitatem hanc, & ſuper omnes vrbes eius vniuerſa mala, quæ locutus ſum aduerſum eam: quoniam indurauerunt

15. Hæc dicit Dominus: Ecce ego re ipſa complebo, quæ comminatus ſum. Quare inueham in ciuitatem hanc, & in omnes vrbes,quæ illius ſubiiciuntur imperio,

uerunt ceruicem ſuam, vt non audirent ſermones meos.

A rio, vniuerſa mala, quæ Prophetarum ore prædicta ſunt; quia indurata ceruice excuſſerunt iugum, ſéque cæleſti diſciplinæ indociles omnino præbuerunt.

IN CAPVT DECIMVMNONVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Hæc dicit Dominus: Vade, & accipe laguncul am figuli teſteam, à ſenioribus populi, & à ſenioribus Sacerdotum.*]

1. SICVT in vaſe recenti, ac viridi, quod adhuc in figulari rota verſabatur, ſignificauit Dominus, quod iam ipſe fingebat, parabátque ſupplicium, mutatum iri, ſi modò antiqua viuendi ratio mutaretur, ſic in vaſe teſteo, iam excocto, quódque ſi frangatur, ſemel inſtaurari non poteſt, oſtendit, actum iam eſſe de re Iudaica, cùm melior vitæ ratio incitatum vindictæ ſtudiũ non remoretur. Quod vt ciuitatis ſeniores, à quibus plerunque cætera pendet multitudo, ita audirent, cognoſcerént que, vt eius non poſſent non meminiſſe; ad verba aliquid etiam addidit, quod oculi caperent, ad animúmque tranſmitterent. Iuſſus eſt enim, laguneulam, quæ à figulo formata eſt, fictilem videlicet, accipere, non à figulo, qui illam formarat, ſed à ſenioribus populi, & à ſenioribus Sacerdotum; quam, credo, ad communes vſus ipſi priùs à figulo coëmerant: in quam nimirum calculos coniicerent, in ſuffragiis ferendis, aut aliquid huiuſmodi. Hoc videtur velle tam Latinus, quàm Hebraicus textus, & res ipſa videtur exigere: magis enim ſignificat afflictam, contritámque fortunam, publicum, atque commune vas à Principibus populi porrectum, quàm quod à figulo, ſeu aliqua priuata perſona petitum eſt.

Obſtinati animi medicina difficilis.

2. Cùm verò Prophetæ non verbis ſolùm, ſed etiam ſignis, & rebus, futura prænuncient, quod fecit non ſemel Ieremias, credibile eſt, ſeniores illos Sacerdotum, & populi ſuſpicatos eſſe, aliquid in communi illa lagena latère myſterij: atque ideo ad portam vſque fictilem ſimul cum Ieremia fuiſſe progreſſos, vt ſpectarent propiùs, quid noui portenderet, aut moliretur Propheta: ideo poſtea numero 10. aliqui ex eo, credo, ſeniorum ordine fuiſſe traduntur, qui fractam à Ieremia laguneulam viderunt. *Et conteres*, inquit, *laguneulam in oculis virorum, qui ibunt tecum.* Aliqui iuſſum eſſe putant Prophetam euocare ſecum ex eo ſeniorum cœtu nonnullos, in quorum oculis frangeretur lagena: ſed nimis in eam ſententiam violenter trahitur litera. Neque video, quid in illa ſententia tantum ſit, vt propterea quædam contorqueri in textu, aut ſuppleri debeant. Pro laguneula Hebraicè eſt בקבוק *bacbuc*, quod os habet anguſtum; quod illi nomen per onomatopœiam datum eſt, quia ſimilẽ edit ſonum, cum ex eo liquor effunditur. Hiſpanica tranſlatio, quam nobis antiquiſſimi reliquerunt Hebræi, habet, *botija*, & ſatis ad lagenæ illius fictilis proprietatem.

3. Verſ. 2. *Et egredere ad vallem filiorum Ennom.*]

B Vallis iſta multis ab Hebræis appellatur nominibus; de quibus nos ad caput ſeptimum ſuprà: ex quo plurima in hoc caput tranſlata. Inde pete. Pondera fractam eſſe laguneulam prope vallem filiorum Ennom, ideſt, prope Gehennam, quo nomine in Scriptura ſæpe appellatur infernus. Quia qui obſtinatus eſt, eſt ſicut lagena iam dura, cuius eſt humor excoctus in fornace, qui Hiſpanè dicitur *coçido en maldades*, ſi frangitur ad fauces, frangitur infernè, à quibus confeſtim abſorbetur.

Obſtinati mors mala.

Quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis.] Porta illa non dicitur fictilis, quia ex latereulo conſtructa, ſed quia iuxta illam erant figulorum officinæ, aut quia per eam inutilium vaſorum fragmenta exportabantur. Alij penè omnes Interpretes antiqui vocem reliquerunt Hebraicam, *harſith*, quam alij interpretantur ſolarem, ſeu portam Solis; alij Orientalem; alij portam ſterquilinij. Qua de re non laboro, quia nihil certò affirmari poſſe video: ſed ſi eo in loco, vbi vas illud fictile contritum eſt à Ieremia, inter alia inutilium vaſorum intertrimenta viſebantur, aptè ibi confringi iubetur lagena, vt ea actione hieroglyphica docerentur Iudæi, non aliam ſibi futuram eſſe breui conditionem, qui tunc integri videbantur, & ſalui, quàm iis, qui mortui fuerunt, & abiecti, ficut luteum illud vas, quod D proximè integrum fuerat, & humano vſui non ineptum, repentè confractum eſt, & inter inutilium vaſorum fragmenta coniectum. 4.

Porta fictilis quæ.

Verſ.3. *Ita vt omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius.*] Modus hic dicendi prouerbialis aliquid indicat durum, & horribile; quo item vſus eſt Dominus 1. Regum capite 3. verſu 11. & 4. Regum capite 21. verſu 12. Tinnire autem dicuntur aures, cùm ſonum accepère vehementem, qualis eſt tonitrui, quod fulmen comitatur, aut qui reſonat ex diſploſa bombarda. Contingit autem ſæpe, vt ſonus ille horribilis, qui percuſſit, atque compleuit aures, in ipſis aliquandiu reſonet. Verbum itaque Dei, ideſt, ſupplicium, E quod ex Iudæorum populo ſumet Deus, ſic erit ad ſtuporem graue, ad terrorem horribile, vt vel ſolo auditu concutiat animos, & in auribus diu obſtupefactis immoretur. 5.

Prov. Tinnire aures.

Verſ.4. *Et libauerunt in eo diis alienis, quos neſcierunt ipſi, & patres eorum.*] Hæc, & plurima alia, quæ ſequuntur, explicata à nobis ſunt capite 7. inde pete, quæ hîc dici poterant. Quo verò ſenſu neſciſſe dicantur alienos deos, tam ipſi, qui nunc reprehenduntur, quàm qui illos anteceſſerunt, Iudæi, obſcurum eſt. Placet, quod Vatablus putat, 6.

Neſcio, idem quod beneſactorem nõ agnoſco.

putat, quem ſequitur Caſtrus, *neſcire*, hoc loco idem eſſe, quod non experiri in ſe durum illorum vllum auxilium. Vt enim Deus cognoſcere dicitur illos, quos commodis fouet; ſic etiam homines illum neſciiſſe exiſtimari poſſunt, à quibus nullam opem acceperunt. Neſcierunt itaque deos illos beneuolos, & in rebus anguſtis
7. adiutores. Sed credo, hoc dicendi modo nihil ſignificari aliud, quàm deos eſſe alienos, quod

Neſcio, idem quod alienũ puto.

proximè ſignificarat, cùm dixit: *Alienum fecerunt locum iſtum, & libauerunt in eo diis alienis.* Eſt enim vſitatum in omni, vt reor, linguà, vt quos alienos ſignificare volumus à familia, ſeu amicitia noſtra, dicamur illos ignorare: quomodo pater de filio ignobili, atque degenere, quemque alienum à genere, & familia videri vult, dicere ſolet, Neſcio illum. Quo dicendi genere vſus eſt Sponſus, Matthæi 25. cùm fatuas virgines, quas à nuptiis alienas iudicabat, neſcire ſe dixit.

Id facere dicimur, quod facere debuimus.

Accedit, quòd ex vſu Scripturæ, id facere interdum dicimur, quod facere debuimus; ſeu, quod vt à nobis fieret, ratio, atque religio poſtulabat. Quomodo dicitur Malachiæ capite 1. *Filius honores patrem*, ideſt, honorare debet. & Geneſis 20. verſu 9. pro eo, quod Vulgatus habet, *Quæ non debuiſti facere*, Hebraicè eſt, *Quæ non fient.* Iuxta hæc ſic, meo iudicio, commodè interpretabere, *quos neſcierunt*, ideſt, quos alienos habere debuerunt.

8. *Et repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum.*] Quidam innocentes iſtos Prophetas eſſe putant, quos impius occidit Manaſſes; cuius immanitati Solymitanum excidium videtur aſcribere Ieremias ſuprà capite 15. verſu 4. *Dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ propter Manaſſem filium Ezechiæ Regis Iuda, ſuper omnibus, quæ fecit in Ieruſalẽ.* Sed magis communis expoſitio eſt, & meo iudicio vera, innocentes hîc dici Iudæorum filios, quorum ſanguine libatum eſt Moloch, & Baalim, de quo ſtatim. Et facit, quòd locus deſignatur innocentium infectus ſanguine: *Et repleuerunt locum iſtum*, ideſt, Topheth, ſeu gehennam: in eum enim locum egreſſus fuerat, & ibi iſta loquebatur Propheta.

9. Verſ. 9. *Et cibabo eos carnibus filiorum ſuorum, & carnibus filiarum ſuarum.*] Hoc contigit in obſidione Chaldæorum; ſicut etiam cùm Ieruſalem exciſa fuit a Romanis, contigiſſe memorat Ioſephus libro 7. de bello Iudaico, capite 8. De Chaldæorum obſidione apertè Ieremias Threnorum 2. verſu 20. *Ergòne comederunt mulieres fructum ſuum? paruulos ad menſuram palmæ?* & capite 4. verſu 10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus earum.* Aliquid amplius addit Ezechiel cap. 5. v. 10. *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres ſuos.*

10. *Vnuſquiſque carnem amici ſui comedet.*] Mihi dubium non eſt, ſicut parentes in obſidione Chaldæorũ filiorum carnibus paſti ſunt; ſic etiã amicorum ſuorum carnes deuoraſſe; in quos non ſic afficiuntur molliter, ſicut in filios, ideſt, in ſua viſcera parentes. Niſi mauis eam futuram eſſe rerum confuſionem, ac inter domeſticos odia, vt qui priùs coniunctiſſimè vixerant, hoſtilibus inter ſe odiis, armiſque diſſideant. Quod de eodem tempore dixiſſe videtur Iſaias capite 9. verſu 20. *Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit.* Sed alia expoſitio magis eſt ſoluta.

11. Verſ. 10. *Et conteres laguunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum.*] Explicuimus ſuprà, quo con-

A ſilio aliqui cum Ieremia ad portam fictilem egreſſi videri potuerint, quia in ſublato vaſe ad publicum vſum deſtinato, myſticum aliquid & propheticum editurus putabatur. In conſpectu ergo illorum lagunculam fregit, & quid actio illa hieroglyphica portenderet, explicuit.

Verſ. 11. *Sicut conteritur vas figuli, quod non poteſt* 12.
inſtaurari.] Prouerbialem puto dicendi formam, PROV.
quæ indicat aliquid deletum eſſe funditus, aut *Sicut vas*
ita contritum, vt neque vllum habere poſſit *figuli.*
commodum vſum, neque ad opportunam aliquam ſpeciem inſtaurari. Accommodat autem ſe Deus hominum opinioni, aut conſuetudini ſermonis, qui extremam fortunam hoc ferè modo ſignificant: non quòd Deus vas illud confra-

B ctum, aut collapſam illam rempublicam inſtaurare non poſſet, quia re vera redintegrauit poſtea, poſt Babylonicum exilium; ſed quia ita aut iudicare, aut loqui vulgus hominum ſolet. Eſt autem hoc apud Hebræos adagium non minus vſitatum, ac vulgare, quàm apud externos illud, *Chironium vulnus*, quod nempe nullo fomento leuari, nulla medicina ſanari poteſt. Hoc vſus eſt David Pſalmo 2. *Tanquã vas figuli confringes eos.* Pſal. 2.
Iſaias capite 30. *Et comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenitur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Alia ferinè, quæ reliqua ſunt capitis, ſuprà à nobis capite 7. explicata ſunt.

Iſai. 30.

C Verſ. 13. *In quarum domatibus ſacrificauerunt omni* 13.
militiæ cæli.] Tecta in Palæſtina faſtigiata non ſunt, ſed plana, & aperta, vt docet Hieronymus ad Sunniam, & Fretellam, de correctione Pſalmorum: quæ domata, mænniana, ſiue ſolaria vocat: vbi commodè, ac ſine vllo periculo homines diſcurrere, & alia obire poſſent munera. Quare eò aſcendebant ad orandum, & ſacrificandum, ſicut ad ea tecta, quæ Hiſpanicè dicuntur *terrados*. In illis iubet Dominus, vt Diſcipuli prædicẽt, Matthæi 10. *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* In illis cultus exhibetur impius idolis. Sophoniæ 1. *Diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditorum cum Sacerdotibus; & eos, qui adorant*

In Palæſtina non faſtigiata, ſed plana tecta.

Mat. 10.

Sophon. 1.

D *ſuper tecta militiam cæli.* Neque aliter intelligi poſſunt plurima, quæ in vtroque Teſtamento paſſim occurrunt.

Verſ. 14. *Venit autem Ieremias de Topheth, quò* 14.
miſerat eum Dominus ad prophetandum, & ſtetit in atrio domus Domini.] Bis eadem prædicauit Ieremias, ſemel in Topheth, iterum in atrio templi, quò res eſſet magis omnibus nota. ita Hieronymus. Addit Theodoretus, id feciſſe Ieremiam, iubente Domino, qui latère noluit populum id, quod ipſum noſſe plurimùm intererat.

Verſ. 15. *Quoniam indurauerunt ceruicem ſuam,* 15.
vt non audirem.] Impropria videbitur fortaſſe ali-

E cui hæc dicendi forma: neque enim, qui audire recuſat, ceruicem indurat, ſed aures, quæ ab iis, qui audire detrectant, aut aliquo modo Diuinum ſermonem faſtidiunt, aut horrent, aggrauari, ſeu obturari dicuntur. Sed qui vſum verbi *audio*, cognouerit, nihil hîc audiet inuſitatum, aut nouum. Eſt etenim *audio* aliquando non tam accipere auribus, quæ ab alio dicuntur, quàm audita re ipſa complere: quomodo Adam vxoris audiiſſe dicitur verba, quia illis facilem, atque obſequentem ſe præbuit. Quare hoc loco nihil eſt aliud, ne audiant, indurare ceruicem, quàm præbere ſe indocilem cæleſti doctrinæ, & illi

illi nullo modo parere velle. Commodè verò cùm de obedientia ſermo eſt, nomen inducitur ceruicis, quæ iugum ſubit obedientiæ ſymbolum, quæ facilè flectitur, & ſummittitur iugo. At ſi dura fuerit, non tam accipit iugum, quàm, A ne illud accipiat, eluctatur, & impoſitum excutit. Quare ille, qui ſubire recuſat imperium, ceruicem dicitur habere ferream. Iſaias capite 48. *Sciui, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua.* Hæc de capite decimonono.

ARGVMENTVM CAPITIS XX.

PROPTER minacem illam prophetiam, de qua proximo capite, grauem accipit Ieremias colaphum à Phaſſur, & in neruum coniicitur, ſed mox ſequenti luce liberatur, in quem non minùs quàm antea liberè loquitur Propheta, & tam illi, quàm toti populo grauia proponit vaticinia. Deinde, quid humanitus fuerit paſſus, cùm ab improbis ignominiam, & alias vexationes pertulerit, ſignificat; vt putauerit, ſeductum ſe fuiſſe à Deo, qui cùm omnia tuta priùs eſſet pollicitus, in rerum tamen anguſtiis fuerit derelictus, ac proditus; ſed altiori cogitatione, ac mente, corrigit affectum illum immoderatum ſentientis naturæ, & gratias agit Deo, quòd promiſſi memor tam facilè ipſum exemiſſet è neruo; tantúmque ſibi doloris ineſſe ſignificat, quòd animum ſuum illa ſubierit cogitatio, vt cum morte libenter commutaret, quamprimùm accepit lucis vſuram.

IEREM. CAP. XX.

1. *ET audiuit Phaſſur filius Emmer Sacerdos, qui conſtitutus erat princeps in domo Domini, Ieremiam prophetantem ſermones iſtos.* B

2. *Et percuſſit Phaſſur Ieremiam Prophetam, & miſit eum in neruum, quod erat in porta Benjamin ſuperiori, in domo Domini.*

3. *Cúmque illuxiſſet in craſtinum, eduxit Phaſſur Ieremiam de neruo, & dixit ad eum Ieremias: Non Phaſſur vocauit Dominus nomen tuum, ſed pauorem vndique.*

4. *Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pauorem, te, & omnes amicos tuos: & corruent gladio inimicorum ſuorum, & oculi tui videbunt: & omnem Iudam dabo in manum regis Babylonis: & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio.* C

5. *Et dabo vniuerſam ſubſtantiam ciuitatis huius, & omnem laborem eius, omnéque pretium, & cunctos theſauros regum Iuda dabo in manu inimicorum eorum: & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. CVm autem Phaſſur filius Emmer Sacerdos, qui in domo Domini principem obtinebat locum, eiuſmodi verba loquẽtem audiiſſet Ieremiam,

2. Percuſſit illum, & in neruum compegit, qui erat in templo ad portam ſuperiorem Benjamin.

3. Et cùm craſtinus illuxiſſet dies, eduxit idem, qui cõiecerat Phaſſur, Ieremiam è neruo; ad quem ſic liberè Ieremias: Non iam ampliùs vocaberis Phaſſur, quod aliquid ſonat eximium, candoris nempe, ſeu Principatus incrementum, ſed vocabit te Dominus *pauorem vndique.*

4. Pauorem te vndique vocabit Dominus, qui ſic de te loquitur, & nominis rationem oſtendit. Ecce ego vndecunque pauoris tibi cauſas adducam: quocum etiam amici pauebunt vniuerſi, qui hoſtili ferro te ſpectante occumbent; & omnem terram Iuda Chaldæorum poteſtati ſubiiciam, cùm antẽ traducti fuerint in Babylonem captiui amici tui, eos ibi conficiet inimicorum gladius.

5. Neque quicquam erit ad vſum, ſplendorem, & ornamentum ciuitatis, quod nõ permittam hoſtium poteſtati. Omnem dico ciuitatis ſubſtantiam, quidquid labore quæſitum, aut perfectum, omne pretioſum &

A & illuſtre, theſauros regios. Quæ omnia compilabunt Chaldæi, & ſecum abducent Babylonem.

6. Tu autem Phaſſur, & omnes habitatores domus tuæ, ibitis in captiuitatem: & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibíque ſepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetaſti mendacium.

6. Tu autem Phaſſur, cum omnibus domeſticis tuis, captiuus in Babylonicum ſolum tranſmigrabis, neque vnquam inde reuertêris: morieris namque, & ſepelieris ibi, ſimul cum amicis, quos tu mendaci vaticinio decepiſti.

7. Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & inualuiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me.

7. Seductus abs te, Domine, videor, quia cùm principiò repugnarem, neque vellem pondus ſuſtinere propheticum, tu B tamen viciſti renitentem me, eóque adduxiſti, nihil non pollicitus, vt datum mihi miniſterium obirem, ſed cùm mihi ſupra impiorum hominum potentiam, virtutem, & robur promiſiſſes, ludibrio ſum omnibus tota die, ſannis me omnes, & conuitiis exagitant.

8. Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die.

8. Dum exequor iam olim id, quod in mandatis mihi datum eſt, dum in contribulium meorum mores inuehor, & clamando illorum impietatem incuſo, & rei Iudaicæ vaſtitatem denuncio, id conſequutus ſum, vt fabula ſim omnibus, & inuiſum caput.

9. Et dixi: Non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens.

C 9. Et dixi, humano ſic agente ſenſu, ſic me deinceps geram in prophetali negotio, ac ſi nunquam ſpiritu afflatus eſſem Diuino, aut etiam ſi nunquam veniſſet in mentem prophetale nomen. Quare non vſurpabo ampliùs nomen Domini, neque in eo poſtea loquar ad populum, quia propheticum verbum magni mihi doloris, atque ignominiæ cauſa fuit: vrit enim, & cruciat intimos ſenſus, non ſecus ac ſi ignis quidam ſacer intus incluſus oſſium quoque medullas liquefaceret. Quare iam me D vires, & animus derelinquunt, neque poſſum tam moleſto, atque importabili pondere non ſuccumbere.

10. Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu: Perſequimini, & perſequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meum: ſi quo modo decipiatur, & præualeamus aduersùs eum, & conſequamur vltionem ex eo.

10. Cur vehementer commouear, atque diſcrucier animo, & omnino putauerim mihi eſſe ſilendum, ea cauſa eſt, quia vndecunque ab omnibus contumelias audio, & terrores mihi ab omni proponuntur loco. Ab ipſis etiam, qui ſuam mihi fidem, atque tutelam vendicabant, quíque latus meum claudere, atque tueri debuiſſent, hæc audiebant, quibus ardens ſignificabatur coniuratio. Agite, inquiunt, perſe- E quimini, & perſequamur eum, omni aſtu, atque induſtria contendite, vt in fraudem illum, atque in laqueum trahamus, ſuperemus denique, & in eius capite noſtras vlciſcamur iniurias.

11. Dominus autem mecum eſt quaſi bellator fortis: idcirco qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt: confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium

11. Hæc ego humano potiùs ſenſu, qui à carne eſt, quamquam alio magis interno, & proprio mecum cogitabam: ſed dum altiùs intueor, & fidelia Dei promiſſa contemplor,

brium ſempiternum, quod nunquam delebitur.

12. Et tu Domine exercituum probator iuſti, qui vides renes, & cor: videam quæſo vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam.

13. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberauit animam pauperis de manu malorum.

14. Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.

15. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens: Natus eſt tibi puer maſculus: & quaſi gaudio lætificauit eum.

16. Sit homo ille vt ſunt ciuitates, quas ſubuertit Dominus, & non pœnituit eum: audiat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano:

17. Qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea ſepulcrum, & vulua eius conceptus æternus.

18. Quare de vulua egreſſus ſum, vt viderem laborem, & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei?

A templor, nullas hominum vires, nullas inſidias reformido. Eſt enim mecum contra bellantes bellator fortis Deus, qui vires eorum infringet, & eripiet vitam. Confundantur igitur vehementer, quia non credidêre propheticis minis, qui ſempiternum denunciabant opprobrium.

12. Tu autem Deus exercituum, qui iuſtus es, & vindex, cuíque hominum intima conſilia patent, fac vt me de illorum ſceleratis machinationibus vlciſcare: tibi enim cauſam meam propono, tibíque omnino iudicandam committo. B

13. Non ſum à Domino deceptus, quod meus mihi ſenſus ſuggerebat falsò, neque tamen perſuadere poterat. Ecce iam à neruo, in quem coniectus fueram à Phaſſur, liberatus ſum. Quare adeſte omnes, & Deum meum fidelem, & fortem celebrate laudibus, quia hominem abiectum, & pauperem, de potentiorum manibus, atque inſidiis eripuit.

14. Me miſerum, qui in talem incidi veſaniam, vt de fide, atque potentia Dei tam indigna ſubierit, támque aliena cogitatio, propter quam ita doleo vehementer, vt vitæ iam tædeat. Maledictus igitur ſit ille dies, qui primus mihi lucem oſtendit: neque bene ſit illi diei, in quo de materni vteri latebris emerſi. C

15. Feciſſet vtinam Deus, ne vllus poſſet annunciare patri, natum eſſe maſculum, vt eius exhilararet animum, & propter lætum nuncium euangelia referret.

16. Sit homo ille, à quo natale meum nunciatum eſt, ſicut ciuitates, quas Dominus igne cælitus demiſſo ſubuertit; quarum exitium, quia non mutabitur Diuina ſententia, ſempiternum erit. Cui nullum ſit tempus à gemitu, atque dolore vacuum. Oriatur gemitus matutina luce, & duret, atque increbreſcat ad meridiem. D

17. Malè ſit illi, qui cùm poſſet, non eripuit mihi primam lucis vſuram, vtinam conceptus nunquam lucem viderem, & ſepulcrum mihi foret materna vulua.

18. Vt quid enim lucem aſpexi, niſi vt laboris, ac doloris pondus ſuſtinerem aſſiduum? vt ad finem vſque vitæ ex huius errati conſideratione confunderer?

IN CAPVT VIGESIMVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Et audiuit Phaſſur filius Emmer Sacerdos, qui conſtitutus erat Princeps in domo Domini, Ieremiam prophetantem.*]

1\. QVis Phaſſur iſte fuerit, ſummúſne Sacerdos, aut in aliquo alio ordine Sacerdotum Princeps, dubitant Interpretes. Sunt qui, Sacerdotem ſummum eſſe, ex eó ſibi perſuadeant, quia Princeps hîc vocatur in domo Domini. Ita videtur ſentire Hieronymus, dum illum templi Pontificem appellat. Sed quominùs hæc ſententia placeat, facit quòd, vt docet Caſtrus, Ieremiæ tempore nullo modo ſummus Sacerdos eſſe potuit iſte Phaſſur: qui enim ſummum illum ordinem tenuerunt ſub illud tempus, numerantur diſertis nominibus in Scriptura: ſub Ioſia Pontifex Helcias fuit, qui librum legis inuenit, 4. Regum 22. illius poſteri narrantur 1. Paralipomenon capite 6. verſu 12. vſque ad Ioſedech, qui cum Sedecia abductus eſt captiuus in Babylonem: deinde quia, vt ex hoc capite conſtat, Phaſſur exul in Babylonem adiit, & præter Ioſedech, Sacerdotes alij in Iudæa mortui ſunt: nam Saraias illorum vltimus occiſus eſt à Nabuchodonoſor in Reblatha, Ieremiæ capite 52. verſu 27. At Ioſedech, qui parenti Saraiæ ſucceſſit, quíque Babylonem exul vidit, Princeps, in domo Domini iam exciſſa, eſſe nullo modo potuit: ſed Phaſſur Princeps eſſe dicitur. Adde, quod 1. Paralipomenon capite 12. genus traditur Phaſſur, & Emmer, quòd à genere illorum, qui ſummi dicuntur Sacerdotes, diuerſum eſt.

2\. Cur verò Princeps dicatur in domo Domini Phaſſur, non vna ratio adduci poteſt: nam varia in templo fuerunt miniſteria, quibus è Sacerdotum numero viri Principes præficiebantur: neque vnus erat in Sacerdotibus Princeps, ſed multi illi, nempe qui vigintiquatuor præerant Sacerdotum familiis, de quibus 1. Paralipomenon capite 24. Hi verò illi exiſtimantur, qui in Euangelio vocantur Sacerdotum Principes: vt putat Toletus in caput 18. Ioannis. Neque in Euangelio tantùm dicuntur Sacerdotum Principes, ſed etiam in veteri Teſtamento, libro 1. Eſdræ capite 8. verſu 24. *Et ſeparaui de Principibus Sacerdotum duodecim.* & aliis in locis ſæpe: immo & hi *ſummi Sacerdotes* dicuntur, quia in ſuis claſſibus primi ſunt, & reliquis præpoſiti. Sic Marcus ſæpe capite 14. & capite 15. Ex horum ordine, credo, erat Phaſſur, qui fortaſſè eo tempore in ordine vicis ſuæ miniſtrabat, quo Ieremias, fracta laguncula, minacem hanc prophetiam ad Principes habuit, atque ſeniores populi.

Principes Sacerdotum multi.

3\. Verſ. 2. *Et percuſſit Phaſſur Ieremiam Prophetam, & miſit eum in neruum.*] Pugno credo aut alapa percuſſum Ieremiam, quod eſſe ſummum ignominiæ genus diximus ad illud Iſaiæ capite 3. *Et faciem pauperis commolitis.* Ex quo non leuis coniectura eſt, hunc Pontificem non eſſe ſummum: neque enim qua erat apud omnes auctoritate, ſua manu colaphum impegiſſet Prophetæ. Quia verò tunc Princeps erat eorum, qui iuxta diſtributas à Dauide claſſes, in templo ſeruiebant: potuit, credo, aut lege, aut conſuetudine in neruum coniicere Ieremiam, quem in domo Domini propheticis clamoribus rationes publicas turbare inſimulabat: quod neque ad populare iudicium, aut profanum, neque ad Pontificis maximi curam pertinere videbatur. Sanè Semeias Nehelamites ſummus Sacerdos non erat, & tamen Ieremiæ 29. verſu 26. poteſtatem habere dicitur, vt omnem virum arreptitium, & prophetantem in carcerem, & in neruum mittat.

Percuſſio maxillæ.

Pro *neruo* reddidêre Septuag. καταράκτην, item 4.
Theodotion. Eſt autem cataracte foſſa profunda, aut carcer altè depreſſus, quem Hiſpani Punico vocabulo *mazmorram* appellant. Symmachus βασανιστήριον ſiue στρεβλωτήριον, quod tormĕtum ſignificat, ſicut etiam exiſtimat Hieronymus. Erat autem neruus, ſi Vatablo credimus, & Rabbi Mardochæi ex Ioſepho Kimhi, duo ligna ea ratione compacta, vt tamen altrinſecus coirent, tribus cauata foraminibus, quorum medio collum extremis manus inſererentur. De forma nihil certum; mihi cum Hieronymo magis probatur, ſi hoc potiùs tormenti genus ſtatuamus eſſe, quàm vinculorum, neque tam collo, quàm pedibus adhiberi ſolitum. Dicit enim Hieronymus hîc, idem quod Ieremias, paſſos eſſe Paulum, & Sylam, Actorum capite 16. qui tamen in ligno dicuntur pedes habuiſſe conſtrictos. *Et pedes,* inquit, *eorum ſtrinxit in ligno.* Et dum ait Iob capite 13. *Poſuiſti in neruo pedem meum,* neruum ad pedes pertinere docet. Fortaſſe hoc ligni, ſeu 5.
nerui genus illud eſt, de quo in Eccleſiaſtica hiſtoria frequens mentio, quod variis diſtinguebatur foraminibus, in quæ pro ſcelerum meritis, aut Tyrannorum libidine ſic inſerebantur Martyrum crura, vt ſupra naturalem modum diuaricata, atque diſiuncta luxarentur, vnde ſæpe in Martyrum cruciatibus auditur: *Extendi ad quartum, vel ad quintum foramen.* Quò verò quis ad plura foramina damnaretur, eò magis diſtortis cruribus cruciabatur. Vide Euſebium libro 5. capite 1. & libro 6. capite 32. De Origene ſcribit in ligneos pedes habuiſſe intruſos pedes, & ad quartum vſque foramen diſtentos. Et libro 8. capite 11. idem propè de Martyribus refert, qui paſſi ſunt Alexandriæ. Et Prudentius hymno 4. de ſancto Vincentio:

Neruus quid.

Act. 16.

Iob. 13.

Lignum cū foraminibus tormenti genus.

In hoc barathrum coniicit
Truculentus hoſtis Martyrem,
Lignóque plantas inſerit
Diuaricatis cruribus.

Plura de his Baronius in Annotationibus ad Martyrologium, ad diem vigeſimum ſecundum Ianuarij, quod tormenti genus Ruffinus neruum vocat libro 5. capite 2.

Quod erat in porta Benjamin ſuperiori, in domo Domini.] 6.

mini.] Quæ ſit porta hæc ſuperior Benjamin,diuinandum nobis eſt, agendumque coniecturis, quando de Scriptura nihil habemus certum, quod ſequamur. Maldonatus non malè meo iudicio coniectat, dum putat hoc nomen portæ fuiſſe datum ex ipſo templi ſitu, quod, vt pluribus docui ad illud Zachariæ 2. *O Sion fuge*, ad vtramque Tribum pertinet, Iudam, & Benjamin, quia in earum confinio conſtructum eſt, ſicut etiam ciuitas ipſa vtrique Tribui dicitur eſſe communis. Quod enim Ieruſalem ad Benjamin pertineat, conſtat ex capite 18.Ioſue. Pertinuiſſe quoque ad Iudam liquet ex eodem Ioſue capite 15. *Habitauit*, inquit, *Iebuſæus cum filiis Iuda vſque in præſentem diem.* Et iiſdem verbis dicitur Iudicum cap.1. *Habitauit Iebuſæus cum filiis Benjamin in Ieruſalem vſque in præſentem diem.* Quòd verò templum ad Benjamin pertineat,probat illa Hebræorum traditio, vt refert Hieronymus de traditionibus Hebraicis: qui illud Geneſis 49. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia,* de tẽplo accipiunt, in quo manè à Sacerdotibus immolantur hoſtiæ,& veſpere diſtribuuntur. Et ita putat Chaldæus; & ſanet benedictio Moyſis Deuteronomij 33. vbi Benjamin in thalamo Domini futurus eſſe dicitur, ideſt,in templo, vt etiam Chaldæus exponit.Quare eodem ſpectant benedictiones Iacobi, & Moyſis, nempe ad id, quod erat in Benjamin maximè pretioſum. Quod verò templum pertineat etiam ad Iudam, indicat Pſalmus 77. *Repulit tabernaculum Ioſeph,& Tribum Ephraim non elegit: ſed elegit Tribum Iuda montem Sion, quem dilexit, & ædificauit, ſicut vnicornium ſanctificium ſuum,ideſt,templum.* Et hoc ipſo capite infrà: *Poſſidebit Dominus Iudam partem ſuam in terra ſanctificata: & eliget adhuc Ieruſalem.* Videntur itaque templum,& ciuitas ad vtranque Tribum pertinere, quia pars per ſynecdochen pro tota ciuitate, ac templo ponitur. Et quemadmodum, quia funiculus Iudæ ductus eſt per fontem Solis, & per fontem Rogel, Ioſue capite 15. & per eoſdem fontes funiculus Benjamin, Ioſue capite 18. verè vterque fons diceretur ad vtranque Tribum pertinere: ſic etiam, quia linea vtriuſque Tribus per latus Iebus, & vallis Ennom ducebatur, vt conſtat ex capite 15. & 18. Ioſue, Ieruſalem quoque communis erat vtrique Tribui. Exiſtimo autem antiquam Ieruſalem, quæ parua erat, fuiſſe in Tribu Benjamin, ſed poſtea latè amplificatam occupaſſe partem illam, quæ erat intra funiculum Iuda.

Gen.49.

Pſal.77.

Carcer in templo.

7\. Ex his mihi veriſimile eſt, portas illas templi, quæ ad eam ciuitatis regionem ſpectarent, quæ ad Benjamin funiculum pertinebant, appellari portas Benjamin; ſicut aliæ,vt opinor,murorum portæ, propter eandem cauſam, portæ quoque dicũtur Benjamin,vt Ieremiæ 37.verſu 12. & capite 38.verſu 7.& Zachariæ 14. numero 10. Neque eſt difficile exiſtimare tam in tẽplo,quàm in ciuitate partem aliquam ciuitatis, ac templi ſuperiorem,atque inferiorem vocari, pro vario ciuitatis ſitu.Superiorem templi portam illam dici veriſimile eſt, quæ ad Sancta Sanctorum propiùs accederet; vbi neruus erat, & carcer,in quo pro grauioribus delictis,qui ex genere eſſent Sacerdotali,ſeu Leuitico pœnas darent, qualis erat Ieremias,qui fuit è Sacerdotibus Anathoth,& in templo peccaſſe arguebatur.

8\. Verſ.3. *Non Phaſſur vocabit Dominus nomen tuum, ſed pauorem vndique.*] Vſitatum eſt in omni, vt credo, natione, vt fortunæ mutatio, aut caſus aliquis grauis, aut denique quidquid in aliquo frequenter animaduerſum eſt, nomen quoque mutet antiquum. Sic Noëmi, mutata fortuna, Marah ſibi nomen aſciſcit, quæ aliquid infortunatum ſonat, & amarum. Sic Iacob Iſraël, ſic Gedeon Ierobaal appellatus eſt. Cúmque id nationibus aliis commune ſit, tamen præcipua aliqua ratio eſt, cur id apud Hebræos frequentiùs fiat, apud quos idem eſt *vocari*, atque, *eſſe*; vt, *Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere*,quia ad ſpolia detrahenda feſtinabit. Iſaiæ capite 8. vt de Ieruſalem vocabitur:*Voluntas mea in ea*:quia in illa complaciturus ſibi Dominus erat. Nunc videndum,cur futura mutatio ſit nominis Phaſſur. Multa nomen iſtud ſignificat, ſi variè literas illius componas, aut ſepares. Hieronymus putat ſignificare *os nigrum*, aut *nigredinem oris*. Lyra in libro differentiarum ſuper hunc locum,*incrementum candoris*, ſeu principatus ſignificare putat, quod item Pagnino placet, in explicatione nominum Hebraicorum. Et hoc poſtremum mihi magis videtur probabile, quia hîc aliquid magnum, ac ſplendidum videtur cõtineri in nomine Phaſſur, quòd magna temporum,fortunæque conuerſione mutari debeat; contrarium cenſeo illi rerum ſucceſſui, qui in alio nomine, quod ſtatim ſubiicitur, explicatur;quod *pauorem vndique*,ſeu *pauorem per circuitum* valet:cuius rationem reddit,in cuius explicatione nihil eſt,quod Interpretis operam requirat.

Regvla. *Ad mutationem fortunæ, nomen mutari ſolitum.*

9\. Verſ.7. *Seduxiſti me,Domine,& ſeductus ſum; fortior me fuiſti,& inualuiſti:factus ſum in deriſum.*] Poſtquam Propheta, neque minùs liberè, neque minori conſtãtia egit cum Phaſſur, & cum ſenioribus,ac Principibus, quos, credo, hîc amicos appellat illius, quàm ſi nunquam coniectus eſſet in carcerem, aut compactus in neruum, aut illis in poſterum poteſtas non eſſet, aut audacia eadem faciendi, conuertit ſe ad Deum, quocum humanum in modum familiariter expoſtulat; quòd cùm in arduum prophetandi munus ipſum compuliſſet, in medio tamen honoris, vitæque diſcrimine deſeruerit; ſeductũ verò ſe à Domino dicit,quia cùm capite 1. quando illum ad munus prophetale produxit, dixiſſet:*Ad omnia, quæ mittam te, ibis:& vniuerſa, quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum,quia tecum ego ſum, vt eruam te.* nunc autem percuti, per ſummam ignominiam, in maxilla, & in ſubterraneas latebras contrudi permiſerit. Dicit autem inualuiſſe Deum contra ſe, quia cùm obluctatus videretur contra Diuinum imperium, cauſatus & linguæ balbutiem,& pueriles adhuc ætatis impedimenta; vicit tamen Deus, obſequentémque reddidit repugnantem priùs animum Prophetæ. Cur Deus Ieremiam ſeduxiſſe videatur, aut in quo ſpectari poſſit iſta ſeductio, varia eſt Interpretum ſententia. Hieronymus putat, ideo Ieremiam putare ſe fuiſſe deceptum, quia cùm ipſe crederet, ſe ad Gentes tantùm fore mittendum, vt durus eſſet illatum nuncius, ad contribules ſuos miſſus eſt:aut cùm putaret, quæ prædixiſſet omnia, ſtatim è veſtigio fore complenda, ex eóque ad loquendum eſſet audacior, nunc eorum nihil contigiſſe videt, quare vanus indicatur Vates, dum ſupplicij tarditas putatur eſſe mendacium.

10\. Mihi certum eſt,tantum Prophetam nihil hîc

aſſere

aſſerere contra Domini datam antea fidem. Quid enim vir tantus auderet, quod in homine profligatiſſimæ vitæ ferendum non eſſet? ſed aut ſignificaſſe, quid pateretur humanitus, ideſt, quid ſanguis, & caro, in illo rerum diſcrimine ſentiret. A quo tamen ſenſu longè aberat animus, iam antea conſecratus Domino, atque in omne periculum, atque aleam proiectus. ſeu certè loquitur hîc Ieremias iuxta vulgarem conſuetudinem, maximè apud Hebræos, qui aliquid factum interpretantur eo conſilio, quo plerunque ab hominibus ſuſcipi aliquid ac peragi ſolet, ſi ſimiles in eo exitus eſſe vident: id nunc vno exēplo, aut altero demonſtro. Qui non attendit, aut curat, quid alius ab ipſo exigat, ille contempſiſſe alium, aut odiſſe exiſtimatur, & eo nomine affectus ille exprimitur, quocunque ex animo, conſilióque proueniat: ſic pattem, & matrem odiſſe dicitur, qui ab illis abductus Chriſtum ſequitur; & qui non curat, quid ſenſitiui poſtulent motus, odiſſe ſcribitur animam ſuam, cùm tamen quàm longiſſimè animus abſit ab odio. Mutaſſe ſententiam eius eſt, cuius facti, aut conſilij pœnitet: atque ideo Deus apud hunc Prophetam non ſemel pœnitere ſe dicit, cùm tamen in ipſum pœnitentia non cadat, cùm factum mutat, in quod intentus eſſe videbatur ipſius furor. Sic Chriſtus ad Galatas capite 3. maledictus dicitur, quia talia paſſus, qualia patiuntur illi, qui à Domino dicuntur maledicti. Sic Ieremias inductus à Deo dici potuit, quia talia pertulit, dum eius obſequitur imperio, qualia, qui ab alio in inſidias inducitur, ſuſtinere ſolet. Plura de hoc loquendi genere Ribera in caput 2. Amos, verſu 19. Satis hoc modo defenſus videbatur Ieremias à verbo blaſphemiæ, ſed alio etiam modo defendi poſſet non difficili, ita vt Propheta dicat, aliter ſibi eueniſſe prophetiæ ſtudium, quàm initio cogitarat: id quod videtur ſuprà indicaſſe Hieronymus. Neque enim putabat, ſubeunda ſibi ideo multorum odia, & colaphum, ac neruum ſibi fore toleranda. Quare Deus ſeduxit eum, ideſt, eò adduxit, quò ipſe non credebat deductum iri ſe. Quod ſtatim declarat, cùm dicit derideri ſe ab omnibus, ac ſubſannari, atque eo haberi loco, quo ſtulti ſolent, cùm tamen altum prophetandi munus longè ſplendidiora, atque ſacratiora promitteret. Inclino tamen magis in priorem ſententiam, de ſenſu videlicet humano, affectúque illo, qui à carne eſt: quoniam, quæ dicuntur poſtea, magis ad illum ſenſum expedita ſunt.

Aliquid factum Scriptura dicit eo conſilio, atque affectu, quo plerunque fieri ſolet, licèt longè aliter ſe habeat.

11. Verſ. 8. *Quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamabo: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium.*] Dum exequor iam olim, ex quo mihi mentem inſpitaſti propheticam, id quod in mandatis datum eſt mihi, dum in contribulium meorum ſcelus inardeſco, clamoribúſque & illorum impietatem incuſo, & rei Iudaicæ vaſtitatem denuncio, id conſequutus ſum, vt in opprobrio ſim apud vos, & inuiſum caput.

12. Verſ. 9. *Et dixi, non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine illius.*] Hæc cum ſuperiori clauſula coniungit Chryſoſtomus homilia 1. de Lazaro tomo 2. & putat, ideo Ieremiam abſtinere voluiſſe à prophetando, quia Dei verbum contemnebatur; neque ex eo quicquam capiebatur, præter ignominiam, & pudorem. Cùm enim retuliſſet verba Ieremiæ, in quorum nunc expli-

A catione ſumus, addit: *Quod autem dicit, hunc habet ſenſum: volebam, inquit, à prædictione deſiſtere, propterea quòd non auſcultabant Iudæi.* Idem penè ſanctus Thomas, qui ideo voluiſſe Ieremiā abſtinere à ſermone prophetico, ne ſanctum daret canibus, aut margaritas ante porcos proiiceret. Sed, vt dixi, & magis conſequentia ſuadent, affectus iſte, ac motus eſt humanus à carne, & ſanguine, non à ratione deliberante crumpens. Cùm enim durum ſit, vanum iudicari Prophetam, ac delirum, durum in carcerem, atque in neruum compingi, refugit caro moleſtiam illam, neque illius cauſam libenter admittit; quocirca dicit indignabunda ſecum: *Non loquar vltrà in nomine Domini*, ideſt, faceſſere hinc omnino iubeo prophe-
B tandi negotium.

Et factus eſt in corde meo quaſi ignis æſtuans, clauſúſque in oſſibus meis: & defeci ferre non ſuſtinens.] Locus iſte difficile reddit capitis filum: neque enim facilè intelligas, quomodo poſſit cum antecedentibus conſequentia committere. Gregorius libro 13. Moralium, capite 10. ait, illam æſtuantis ſpiritus vim nō potuiſſe ſuſtinere Ieremiam, etiamſi priùs ſilere ſtatuiſſet, quia vrgebat charitas, cùm hominum peccata paſſim increbreſcerent. Chryſoſtomus etiam ſuprà dicit, non potuiſſe ardentem illam flammam in corde comprimi, quin foras erumperet. Idem Theodoretus, ſanctus Thomas, & communiter alij
C tam antiqui, quàm recentes Interpretes: & omnium maximè Hieronymus, qui optimè docet, Diuini verbi efferueſcentem vim, ardoréinque ingentem contineri non poſſe. Quod exemplo Pauli docet, qui, Actorum 17. cùm eſſet Athenis, ciuitatémque videret idololatriæ deditam, incitabatur ſpiritu, & tota mente feruebat. Et ſanè Diuinus ſermo in pectore inſtincto à Deo difficiliùs cohiberi poteſt, ne foras exiliat, quàm verbum, quocunque alio affectu inſtimulante, quale erat illud Eliu, de quo Iob capite 32. *Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod laguncul as nouas diſrumpit, loquar, & reſpirabo paululum.* Quòd ſi verbum Dei ignis eſt, vt Iere-
D mias dixit capite 23. & ignitum eloquium Dei vehementer, Pſalmo 118. quid mirum, ſi foras emicet flamma? Hæc mihi magis ſunt probabilia, quia omnibus, nemine, quod ſciam, excepto, placere video. Sed eſt adhuc, quod in illorum expoſitione requiram, ídque maximè, quia ſermonis filum non videtur aptè poſſe contexi. Tam enim, quæ anteceſſere, quàm quæ conſequuta ſunt proximè, languidum animum ſignificant, & timidum, quique Diuinum verbum, ac prophetandi ſtudium magis perhorreſcat, atque refugiat, quàm vt ad illud denunciandum excitetur, inardeſcátve. Quare nos hæc aliter
E explicare tentabimus; non, vt noſtram ſententiam aut probemus ipſi omnino, aut aliis perſuadere velimus, ſed ne ad id, quod implexum videtur, & obſcurum, nihil attuliſſe, ſi minus lucis, at certè operæ, atque ſtudij videamur.

Diuini verbi vis in pectore Apoſtolico.

Oſtenderat proximè Propheta, graue ſibi fuiſſe verbum Dei, cùm multorum, eorundémque Principum conflarit inuidiam, & ignominiam, & dolorem attulerit. Quare apud ſe humano rantùm adductus ſenſu dixerat, nihil ſibi cum Diuino ſermone, atque prophetico futurum eſſe commercij. His, credo, verbis illius deliberationis cauſam reddit, quia verbum illud intimos 14.

ſenſus

ſenſus grauiter excruciat, vtrîque vehementer; A
non ſecus, ac ſi ignis quidam ſacer intus incluſus oſſium quoque medullas liqueſaceret. Quocirca deficere ſe dicit eo ardore, ſiue dolore conſumptus; neque poſſe tam moleſto, atque importabili ponderi non ſuccumbere. Ait itaque, vt noſtra meditatur ſententia Ieremias, in illo ſuo humano,&, vt ita loquar, carnali ſenſu, nolle ſe iam ſpiritui ſeruire prophetico, à quò tot, támque moleſtis quotidie laborat incommodis; potiùs quàm,quod alij putant, non poſſe illius imperio, atque igneæ virtuti non parere.

15. Cui ſententiæ nihil video, quod in textu toto poſſit aduerſari, vt mediocriter attentus lector B intelliget,neque ſingula verba inuita veniunt in hanc cogitationem, quod conſtabit magis, ſi illorum quoduis ſeorſim exploremus.

Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans.] Illud, *&*, cauſalis eſt, vt alibi in Scriptura millies: reddit rationem, cur iam ampliùs prophetare recuſet, quia verbum Dei non aliter æſtuat, atque excruciat in corde, dum metu concutit, & conficit dolore, quàm ſi ignis interna coqueret, & conficeret viſcera. Ignem verò pro maximo cruciamento ſumi, ſatis ex Scriptura conſtat: de quo nos plura infrà ad caput 29.verſu 22.

16. *Clauſúſque in oſſibus meis.*] Clauſus ignis occultè quidem, & tamen vehementer vrit, ac ex- C cruciat: neque minùs afficit crudeliter Diuinum verbum,dum Prophetam obſequentem in quoddam quaſi maleuolorum incendium protrudit. Ignis in oſſibus dolorem, atque afflictionem videtur ſignificare. Threnorum cap.1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis.*

Defeci, ferre non ſuſtinens.] Abieci iam animum, quem contra obiecta rerum diſcrimina priùs affirmaueram: neque enim iam ampliùs ſuſtinere poſſum moleſtias,quas propheticum verbum ſecum importat.

17. Verſ.10. *Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu.*] Hæc valde fauent poſteriori explicationi:ſunt enim grauia, quæque conſtantem animum ab inſtituto deterrere poſſint. Ne- D que mirandum eſt, cùm vndique circumſtrepant terrores, & contumeliæ paſſim audiantur, ſi labaſcat Prophetæ animus; neque ferre poſſit aut propoſitas minas, aut impoſitum pondus verbi prophetici. In communem aliam ſententiam, non video, quomodo hæc verba conuenire poſſint, niſi dicamus, quæ proximè anteceſſêre, ab adinnctis eſſe ſeparata, atque incluſa parentheſi. Gregorius ſuprà ita connectit,vt cauſa reddatur, cur æſtuans animus, qui omnino ſilere ſibi futurum exiſtimabat ex vſu, ſilentium ruperit. *Sæpe* (*inquit*) *contingit, vt ſapientes viri cùm ſe non audiri conſiderant, ori ſuo ſilentium indicant; ſed dum plerunque conſpiciunt, quòd iniquorum facinora, ipſis tacentibus, & non corripientibus, creſcunt, vim quandam* E *ſpiritus ſuſtinent, vt in locutionem apertæ correptionis erumpant.* In quam expoſitionem inclinat Hieronymus; ſed ipſe, vt apparet, Ieremias rationem mox reddit, non cur ſilentium ruperit, ſed cur ex vſu futurum ſibi putauerit, nunquàm loqui, quoniam omnium in ſe odia inflammari videbat.

18. *Perſequimini,& perſequamur eum,ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meum.*] Hæc verba materialiter ſumo, quæ ſe audiiſſe Propheta dicit ab his,quos habuit fœderatos, familiares, & domeſticos. Quaſi dicat, audiui ab his, qui ſuam mihi fidem, atque tutelam venditabant, hæc verba contra me, *Perſequimini*, &c. quibus ardens ſignificatur coniuratio. *Pacifici*, illi dicuntur, quibuſcum nobis eſt conſuetudo, atque ſociale fœdus, qui etiam dicuntur *viri pacis*,Pſalmo 40. *Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit contra me ſupplantationem.* Item Abdiæ numero 7. *Omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi: inualuerunt aduerſùm te viri pacis tuæ.* Illud, *cuſtodientes latus meum*, aut valet idem, quod, *qui latus meum cuſtodire debuerant*,ita vt actio pro debito ſumatur, quod in Scriptura obuium: aut ea explicatur familiaritas, qua nulla videtur eſſe coniunctior, quæ ſic amicum alligat amico, vt ab eius latere nunquam diſcedat. Latus verò cuſtodire, eorum eſt, qui ſalutis, ac tutelæ cauſa aliis aſſiſtunt, qui olim ideo laterones vocabantur, quos qui ſecum ferebat,tuto incedere latere dicebatur.

Pacifici, qui. Pſal.40. Abdiæ n.7.

Dominus autem mecum eſt tanquam bellator fortis.] 19.
Hactenus loquutus eſt Propheta humano potiùs ſenſu, qui à carne eſt, quàm ea adductus cogitatione, quæ grauior erat, & meliore apud ipſum loco. Cadebat etenim animo, in illos intuens clamores, qui in ipſum caput vndecunque fremebant, quos non fore vanos vſu iam proximè didicerat percuſſus alapa, & in neruum compactus. Iam tamen ſe ipſum reprehendit, & corrigit; & ſpe præſentis numinis, ab ea deſperatione recreatus, nihil iam ab oblatis minis, nil à tot ordinum conſpiratione formidandum putat.Meminit enim ſe audiiſſe, cùm primùm prophetico ſpiritu afflatus eſt à Deo, capite 1. verſu 17. *Ne formides à facie eorum,*&c. *Bellabunt aduerſùm te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te.* Bellantes ergo non formidat, quia adiutorem Deum, bellatorem fortem,ſecum habet.

Confundentur vehementer, quia non intellexerunt 20.
opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.] Vſque adeò illi, qui minaces in Ieremiam imbiberant ſpiritus, ſui voti compotes non fuerunt, vt potiùs ipſi confuſi ſint à Deo, & opprobrium paſſi ſempiternum. Id verò ideo illis contigiſſe dicit Propheta, quia non intellexerunt, ideſt, non perſuaſerunt ſibi, habituras eſſe pondus Prophetæ minas, quas non aliter quàm fabulas è circo, aut nugas è delirantium ſomniis audiebant.

Verſ.12. *Et tu, Domine exercituum, probator iuſti,* 21.
qui vides renes,& cor; videam,quæſo, vltionem tuam ex eis.] Non eſt hæc imprecatio, ſed prædictio futuri, atque impendentis mali. Sicut aliis etiam in locis fecit Ieremias, capite 11. verſu 20. hæc eadem adhibentur verba: inde illorum explicationem pete. Pro eo autem,quod hîc legis, *probator iuſti*,illic eſt, *qui iudicas iuſtum.*

Verſ.13. *Cantáte Domino, laudáte Dominum,* 22.
quia liberauit animam pauperis de manu malorum.] Quia liberatum ſe viderat ex neruo, in quem coniectus fuerat à Phaſſur, ſciebátque certò, liberatum iri ſe ab eo, quod in ipſius caput molirentur aduerſarij, quia inanem fore non putabat Diuinam promiſſionem,gratias agit Domino Propheta, ſociòſque aduocat alios in debitum illud gratulandi negotium: vſque adeò deceptum ſe à Domino non queritur.

Verſ.14. *Maledicta dies, in qua natus ſum: dies,* 23.
in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.] Hic locus

locus multa videtur conturbari, quæ minùs cenſebantur impedita. Quòd ſi conſtiterit, ex quo affectu hæc eruperit, quæ videri poteſt execratio; cætera, credo, difficilia non erunt. Hæc eadem penè verba ſcripſit Iob capite 3. quo loco Interpretes hunc etiam Ieremiæ locum interpretantur: licèt aliquid occurrat in Ieremia, quod aliò ſententiam inflectere debeat. Quidam hîc ſupplendam eſſe putant particulam conditionalem, *ſi*, in hunc ſenſum: Si vllus dies infauſtus eſt, & maledictus, ille certè eſt, in quo ego lucem hanc primùm vidi. Chryſoſtomus in catena Græca, in caput 3. Iob, & Theodoretus hîc, his verbis ingentem dolorem ſignificari putant. Neque id ego improbo: ſolent enim affectus grauiores eiuſmodi prouerbialibus dicendi modis explicari; ſicut per interiectionem ſolet: neque aliud ſibi velle hunc dicendi modum prouerbialem, quàm grauiſſimum exprimere dolorem. Alij affectum hunc eſſe putant ſenſitiuæ partis, qui eò rapitur, vt auerſetur, deteſtetúrque, quod carni videt eſſe contrarium: ſicut nuper in re non diſſimili Ieremiæ ſenſum interpretabamur.

24. Hæc ego, quia magnis viris probari video, improbare non poſſum; neque, ſi poſſim, velim. Dicam tamen, quid mihi prætereà viſum eſt, ad expediendum, quod in hoc nodo videtur eſſe difficile, non ineptum. Inprimis, cur hîc dolere Propheta debeat, propter ea incommoda, quæ propheticus importat ſpiritus, nihil video; iam enim dixerat, ſibi timendum non eſſe ab inimicorum inſidiis, cùm adiutorem ſecum habeat Deum bellatorem fortem; cuius quia fortitudinem & fidem ad promiſſa præſtanda iam expertus fuerat, ad Diuinas laudes celebrandas alios aduocarat. Quî igitur quereretur, impendere ſibi mala, propter iniunctum ſibi prophetandi negotium; aut cur doleret de carcere, ac neruo, cùm gratias proximè egiſſet Deo de ſua libertate? Duo ergo alia videntur Prophetæ dolendi materiam præbuiſſe: alterum, quia eo tempore naſci contigit, quando recuſare non potuit, quin videret ciuitatis ſtragem, templi ruinam, & ſuorum exilium: optabile autem videri potuit, nullam habuiſſe lucis vſuram, cui lugubris illa ſpecies eſſet propoſita. Sanè ita putabat Mathathias 1. Machabæorum capite 2. *Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ?* Credo, quod ſuperiùs attigi, huiuſmodi verbis, quæ ſpeciem habent aut imprecationis, aut deſperationis, magnum ſignificari animi dolorem, vt indicant ſuprà Theodoretus, & Chryſoſtomus: quod idem omnino valent, neque fortaſſe aliud, quàm interiectiones illæ, *Væ mihi, heu me miſerum*, & ſimilia. Qui animorum affectus, aut ærumnoſa conditio optimè explicatur, aut vitæ faſtidio, aut mortis deſiderio: quomodo Iob eiſdem verbis dolorem ſuum, & extremam conditionem explicuit capite 3. & Elias 3. Regum capite 19. *Petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, & ait, Sufficit mihi, Domine, tolle animam meã.* Hic porro dicendi modus natus videtur ex ea vulgi opinione, qua homines putant, melius eſſe non naſci, quàm inauſpicatum trahere, atque ærumnoſum ſpiritum; quo modo dicitur Iob. capite 3. *Quare miſero data eſt lux?* Sic Dauid Pſal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis* (ac ſi dicat cum Ieremia hoc loco: *Factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis*) *notum fac mihi, Domine, finem meum*. ideſt, quando moriar? Sic Paulus ad Romanos 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quo etiam dicendi modo in magno ſiue dolore, ſiue deſperatione vtuntur externi. Virgilius 2. Æneid.

——— terque, quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. ———

& ſtatim:

———*Mène Iliacis occumbere campis*
Non potuiſſe?———

& Andromache apud eundem libro 3. ſic ſuam calamitatem luget:

O felix vna ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori. ———

Hunc in modum videtur Ieremias dolere ciuitatis ſuæ durum exitium, quod ſuum ſibi putat: neque hoc aut vitæ odio, aut mortis deſiderio aliud velle, quàm acerbiſſimum ſibi videri tanti populi tam ſubitum, atque horribilem caſum.

Aut fortaſſe alia fuit doloris cauſa, quia cùm de promiſſione Dei dubitare non debuerit, quæ ſibi nihil eſſe ab hoſte metuendum edixerat, cùm abfuturus ipſi in rerum diſcrimine non fuerit is, à quo ſpiritu afflabatur prophetico, réque ipſa certum comperiſſet; tamen ſe deluſum appellarit à Deo, atque in eam tandem cogitationem venerit, vt abſtineret prorſus à Diuino verbo. Cùm ergo vir ſanctus in ea cogitatione peccaſſe videretur, & aliquo modo Diuinam fidem violaſſe, quam leuitatis incuſarat, & ſecum ipſe reputans, melius omnino futurum fuiſſe, vitæ vſura carere, quàm in Deum peccaſſe, vitam ſuam accuſat, maledicitque diei, quæ illum primùm in lucem extulit, & vitalem auram. Quæ ſententia mihi præ cæteris arridet. 26.

Hîc notandum, morem eſſe Scripturæ; vt quoties affirmare cum epitaſi vult, ideſt, graui aliquo dicendi genere, id faciat adhibita negatione contrarij. Sic Ioannes capite 1. de Baptiſta: *Confeſſus eſt, & non negauit.* Ezechiel capite 18. verſu 21. & 28. *Vita viuet, & non morietur.* Deuteronomij 28. verſu 13. *Conſtituat te Dominus in caput, & non in caudam, & eris ſemper ſupra, & non ſubter.* Iſaiæ capite 38. *Morieris, & non viues.* Sic hoc loco Ieremias: *Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.* 27.

Verſ. 15. *Maledictus vir, qui annunciauit patri meo*, &c. Hæc, quæ ſequuntur, nihil, opinor, aliud faciunt, quàm amplificare natiuitatem hominis, ab adiunctis. Sic enim fieri plerunque ſolet, vt cùm natus fuerit maſculus, quod maximè parentibus in votis eſt, ſtatim famuli ad patrem aduolent, ſi abeſſe contingat, & propter lætum, & expectatum nuncium, & gratiam ineant, & euangelia reportant. 28.

Verſ. 16. *Sit homo ille, quaſi ciuitates, quas ſubuertit Dominus, & non pœnituit eum.*] Pentapolim indicat, quæ à Domino præſertim euerſæ traduntur, quia de cælo tactas eſſe, atque flagraſſe conſtabat. Eſt autem hoc offenſionis maximæ graue ſignum, cùm exitium ſignificetur horribile: neque illius vlla ſperatur inſtauratio. Sicut poſt tot ſæcula illarum ciuitatum, quæ olim fuerunt ad mare mortuum, neque inſtaurata ruina eſt, neque, vt inſtaurari vnquam poſſit, ſpes eſt vlla. Id enim valet, *& non pœnituit eum*, quia non mutauit factum, aut collapſa reſtituit: hoc namque in Domi 29.

Durum eſt, videre malorum noſtrorum infortunia.

Quæ videtur execratio, interiectio eſt. 25.

Iob. c. 3. 3. Reg. c. 19. Pſal. 38. ad Rom. 7.

Verus de peccatis dolor.

Regvla. *Epitaſim habet affirmatio cum negatione contrarij.*

Domino pœnitentiæ nomine explicari ſolet: quod perinde eſt, ac ſi dicat, *quaſi in æternum ſubuerſit.*

30. *Audiat clamorem manè: & vlulatum in tempore meridiano.*] Modus hic dicendi dolorem, & luctum ſuccedentem ſibi perpetuò, immo & continentem indicat. Sic Pſalmo 54. *Veſpere, & manè, meridie narrabo.* Qui loquendi modus etiam profanis vſitatus, qui variis temporum notis, & ſpatijs continuationes operis deſignant, vt eſt illud Maronis Georgicon libro 4.

Te veniente die, te decedente canebat.

ideſt, nunquam ceſſabat. Hæc puto referenda non eſſe ad illum, qui patri gratificaturus narrauit, natum eſſe maſculum: ſed ad illum, de quo ſtatim, qui planè diuerſus videtur à priori: ad illum nempe, qui conceptum fœtum non eliſit in vtero, aut ſuſceptum in lucem confeſtim non extinxit.

Grauis doloris ſignificatio, quando contra innocentes & res inanimatas indignamur.

31. At dices, quid commeruit, aut qui lætatus in Ieremiæ ortu, parenti gratulatus eſt, aut qui hoſtiliter non eſt animatus in puerum? Sanè iuſtius illi durum aliquid optare, atque imprecari poſſit, ſi rem tentaſſet ab omni prorſus humanitate alienam. Hæc eadem, aut non valde diſſimilia, dixerat antè Iob capite 3. quem ego, & Ieremiam à peccato ſic defendi puto, quia loquendi modus iſte, prouerbiali ſpecie, nihil aliud exprimit, præter angorem animi, vt antè dixi. Fert autem doloris, aut cuiuſuis alterius affectus acerbiùs incitati natura, vt in ea etiam, quæ non ſolùm culpa, ſed etiam ſenſu carent, indignemur, debacchemúrque non ſecus, atque ſi nobis acceptæ plagæ aut vim, aut cauſam præbuiſſent: ſicut contrà in magna aliqua lætitia ad gaudium, gratulationémque res inanimatas aduocamus. quod in Pſalmis, & Canticis ſæpius occurrit. Sic Virgilius ecloga 5. ex eo, quod vſu plerunquè euenit, dixit:

Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Et ex gentium vſu libro 2. Æneidos, inducit Æneam in ſummo dolore de diis, hominibúſque conqueſtum:

Quem non incuſaui amens hominúmque, deorumque.

In dolore graui cōtra amicos, & contra nos ſæuimus.

32. Vt autem doloris exprimendi gratia multa facimus in eos, quibus minimè male cupimus, vt arcere, qui nos in mœrore conſolari ſtudent, qui amicè monent, exhibéntque alia amantis animi, atque condolentis officia: immo in noſmetipſos inclementer ſæuimus, aut videri volumus ſæuire, ne alij nos aut in noſtro, aut in alieno caſu parum eſſe commotos arbitrentur. Quare in luctu laceramus crines, fœdamus vnguibus faciem, oblatos auerſamur cibos; cùm tandem interdum nihil faſtidiamus, aut horreamus minùs: ſic quoque multa dicimus, atque optare videmur grauia his, quibus omnia cupimus eſſe ſecunda: quia eo ſermonis genere, aut noſtrum indicamus ſenſum, aut publicæ, & quaſi legitimæ conſuetudini ſeruimus. Quis credat, in votis eſſe Dauidi, ne vnquam in montes Gelboë pluuia deſcenderet, & ros, aut ex illis nihil proueniret in humanos vſus opportunum? At harum rerum imprecatione ſignificauit, quàm doleret grauiter de morte Saülis, qui mortem in illis montibus oppetiit. Non ergo aliquid precatur aduerſum Ieremias illi, qui de filij ortu patrem admonuit; aut

A illi, qui ne lucem aſpiceret, curare noluit: ſed vſitata Hebræorum conſuetudine, quàm ſibi mœrori fuerit Iudæorum calamitas, expreſſit.

Verſ. 17. *Qui non me interfecit à vulua.*] Quis 33.
iſte fuerit, cui ſuperiora optari videntur infortunia, dubium eſt. Quidam virum illum eſſe putant, qui nuncium parenti attulit de filij ortu, quique magis facturus dicitur fuiſſe ex Ieremiæ voto, ſi ipſi primam eripuiſſet lucis vſuram. Tunc verò duplex eſſe poteſt loci ſententia: aut enim diris deuouetur execrationibus, quia recèns natum infantem non oppreſſit, aut in ipſo matris vtero demerſum non extinxit; ſeu certè,
B cùm natum eſſe nunciauit, non potiùs annunciauit extinctum. Eſt autem in Scriptura ſacra non 34.
infrequens, vt illa feciſſe, facturive eſſe dicamur, quæ ab aliis facta fuiſſe, aut futura dicimus. Quo modo Ieremias ædificaturus, deſtructurúſque traditur, quia nunciaturus erat, ab aliis ædificandum, ac deſtruendum eſſe. Vide quæ diximus ſuprà ad illud capitis 1. *Vt euellas, & deſtruas.* Alij ex Hebræis, vt refert Hieronymus, Deum hîc intelligunt, quibuſcum ſentit quoque Vatablus. Sed vt illi variè ſe verſent, non tamen à Deo remouere poterunt hanc execrationis ſpeciem, quam in Ieremiæ mentem veniſſe, credibile non eſt.

C Mihi videtur ſatis veriſimile, diuerſorum hoc loco Prophetam meminiſſe; & eius, qui nuncium attulit parenti de filio nato; & illius, qui cùm poſſet, noluit tamen opprimere recèns natum; in hanc ſententiam: Maledictus, qui nunciauit; & malè pereat, qui mihi naſcenti vitam non eripuit: quæ poſterior explicatio magis mihi videtur eſſe ſoluta.

Vt fieret mihi mater mea ſepulcrum, & vulua eius 35.
conceptus æternus.] Optare videtur Propheta, nunquam naſci, ſed in materna vulua potiùs perire: quod eleganter exprimit, dum matris non tam vuluam deſiderat, in qua formetur, & creſcat, quàm vt in illa, tanquam in ſepulcro perpetuo,
D lateat. Illud hoc loco explorandum: nam videtur, quæ anteceſsêre proximè cum his, quæ modò verſamus, non ſatis aptè conuenire. Quî enim fieri poteſt, vt qui à vulua interfectus eſt, ideſt, qui iam è matris aluo prodierat, in illo habere poſſit ſepulcri locum, aut æternus eſſe conceptus? quod planè indicat, nunquam maturum fœtum illud maternæ vuluę conceptaculum deſeruiſſe.

Si textum conſulas Hebraicum, res eſt non 36.
difficilis: vbi enim Vulgatus habet, *vt*, in Hebraico legimus, *&*, ותהי *vatehi*, ideſt, *& fieret:* quæ particula nullam indicat finalis cauſæ vim, & oratio accentu *athnah*, à ſuperiori diſtinguitur: iuxta quam lectionem ſenſus eſſet non obſcurus:
E Aut periiſſem ſimul, atque lucem aſpexi, aut antequam naſcerer, perirem, ita vt mihi pro ſepulcro foret maternus vterus. neque aliam eſſe puto ſententiam. Quod ſanè videbitur non difficile ei, qui ex Scripturæ more vſitatum eſſe cognouerit, exigui numeri, temporis, aut moræ nullam eſſe rationem. Quare, quando ſtatim, atque regno potitus eſt aliquis, interiit, regnaſſe non dicitur; neque vixiſſe, qui à puerperio ſtatim lucem reliquit: eſt enim in alia quacunque materia verum illud ex iure: *Non cenſetur veniſſe, qui non ſtetit.* Quare in materno vtero videri po-

Exigui temporis, aut numeri haberi ratio non ſolet.

teſt tumulatus, qui ſtatim ab illo in tumulum illatus eſt: hic enim perinde cenſetur, ac ſi nunquam fuiſſet. Quod expreſſiſſe videtur Iob capite 10. *Fuiſſem, quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum.* & ita hunc locum expreſſit Chaldæus, *&* *eſſem, quaſi non eſſem.*

57. Hæc mihi magis videntur expedita; ſed vide, an illud, *vt*, quod habet Vulgatus; ſtudium ſignificet, aut voluptatem, quod per *qualiter* explicari ſolet. Quem vſum habet apud Latinos frequentem; quomodo dicit Horatius in Epodo:

Vt, valde, ſeu vehementer valet.

Vt gaudet inſitiua decerpens pyra.

& Ecloga 8. Virgilius:

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error?

Vbi Seruius, *vt*, quod ſecundo, ac tertio loco ponitur, per *qualiter* explicandum eſſe putat. Eodem modo idem libro 8. Æneidos:

—Vt te, fortiſſime Teucrûm,
Accipio, agnoſcòque libens? vt verba parentis,
Et vocem Anchiſæ magni, vultúmque recordor?

Ad hunc modum explicari poſſe videor hunc Iſaiæ locum, *Vt fieret mihi mater mea ſepulcrum.* ideſt, *qualiter fieret*, aut, *quale mihi foret ſepulcrum maternus vterus*: commodum, quaſi dicat, & optabile. Tunc verò interrogationis nota eſſet adhibenda.

58. Seu, quod magis reor, *vt*, hoc loco idem valet, quod *vtinam*, quod etiam apud Latinos in vſu eſt. Vnde apud Comicos frequẽs: *Vt te perdat Iuppiter.* ideſt, vtinam te perdat. Terentius in Adelphis Actu 4. Scena 6. *Vt Syre te cum tua monſtratione Magnus perdat Iuppiter.* vbi Donatus, & interpretes alij, *vt*, dicunt ſignificare *vtinam*, ſiue in optando, ſiue in execrando. Eadem penè in Heautontymorumeno, Actu 4. Scena 6. Clarius Plautus in Moſtellaria: *Vt dij, deæq. omnes peſſimis exemplis interficiunt, niſi ego illam interfecero fame, ſilique, ac gelu.* Senſus igitur erit: Vtinam mater mea ſepulcrum mihi fieret; & ego conceptus quidam eſſem æternus, ideſt, ex vtero, in quo conceptus, atque concluſus fui, nunquam emergerem.

Vt, idem quod vtinã.

Verſ. 18. *Quare de vulua egreſſus ſum, vt viderem laborem.*] En, cur ſe miſerum appellat Ieremias; en, cur tenebras amat, & ſepulcrum; & lucem horret, ac vitam: quia ad vnum id videtur eſſe natus, vt doleret ſemper, & perpetuam ignominiam ſubiret. Nam à puero populi ſui calamitatem agnouit, prædixitque; neque vllum habuit diem à labore, vel à dolore vacuum. Ea quippe tempora nactus eſt, quæ oppugnauerunt vehementer vel ciuium culpæ, vel Chaldæorum acies, vt ex hac prophetia, & ex 4. libro Regum non obſcurè conſtat. Hæc eadem propè habes in libro Iob. capite 10. quò reſpexiſſe videtur Ieremias. Sed laboris, doloris, & confuſionis cauſa fuit præcipua, quòd de Diuina promiſſione, ac fide dubitarit, quo ſenſu explicuimus ſuprà num. 26. 38.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXI.

CVM à Chaldæis obſeſſa teneretur Hieroſolyma,legati à Sedecia mittuntur ad Prophetam,vt precibus Diuinam ſollicitet clementiam, quò peſtis à Iudæorum finibus auertatur. Sed graue legati reſponſum referunt, in quo Rex ſuis votis nihil audit opportunum; nihilominus,qua eſt Deus benignitate,hortatur Regem,Regiámque familiam, vt ſi ſuis votis bene conſultum eſſe cupiunt, ſuo munere ſedulò, atque incorruptè fungantur.

IEREM. CAP. XXI.

1. VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, quando miſit ad eum Rex Sedecias Phaſſur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maaſiæ Sacerdotem, dicens:

2. Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonoſor Rex Babylonis præliatur aduerſùm nos: ſi fortè faciat Dominus nobiſcum ſecundùm omnia mirabilia ſua, & recedat à nobis.

3. Et dixit Ieremias ad eos: Sic dicetis Sedeciæ:

4. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego conuertam vaſa belli, quæ in manibus veſtris ſunt, & quibus vos pugnatis aduerſùm Regem Babylonis, & Chaldæos, qui obſident vos in circuitu murorum: & congregabo ea in medio ciuitatis huius.

5. Et debellabo ego vos in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi.

6. Et percutiam habitatores ciuitatis huius: homines & beſtiæ peſtilentia magna morientur.

7. Et poſt hæc, ait Dominus, dabo Sedeciam Regem Iuda, & ſeruos eius, & populum eius, & qui derelicti ſunt in ciuitate hac à peſte, & gladio, & fame, in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis; & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam eorum, & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neque parcet, nec miſerebitur.

8. Et ad populum hunc dices: Hæc dicit Domi

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. HOc verbum accepit Ieremias à Domino, quo tempore Phaſſur filius Melchiæ, & Sophonias Maaſiæ filius, cum his mandatis à Sedecia Rege miſſi ſunt.

2. Quia Nabuchodonoſor bellum nobis intulit, & obſidione vehementer vrget, ora pro nobis Dominum, vt in his rerum anguſtiis renouet, quæ maiorum noſtrorum memoria edidit maxima, atque horribilia ſuæ virtutis documenta, & potentem hunc, atque inſolentem Regem à
B noſtris finibus auertat.

3. Ad quos Ieremias: Hæc à me reſpōſa Sedeciæ Regi veſtro referte.

4. Arma illa, inquit Dominus, quæ in Regem Babylonis, & Chaldæorum exercitum, qui veſtrā obſidet ciuitatem, comparaſtis, mutuis diſſecti, atque ciuilibus odiis, in veſtra ipſorum viſcera diſtringetis. Quæ ego poſtea in plateis ipſis ciuitatis congregari faciam, vt hoſtes ipſi inter ſe ex bellica diſciplina diſtribuant.

C 5. Neque tam oppugnabit vos Chaldæorum, quàm Diuina manus, quam armabit ira grandis, ardens furor, & grauis indignatio. Brachio itaque forti, & manu hoſtilem in modum intenta debellabo vos.

6. Percutiam eos, qui in ciuitate ſunt, non ſolùm Chaldæorum gladio, ſed fame etiam, & peſte, quæ non ſolùm homines, ſed ipſas quoque belluas extinguent.

7. Poſt hæc verò, dicit Dominus, tradam Sedeciam Regem Iuda, & domeſti-
D cos eius, tum denique populum, & quibus obſidionis tempore peſtis, fames, & gladius pepercêre, in manus Nabuchodonoſor, & in illorum poteſtatem, qui ad ipſorum cædem inhiabant, qui neque muneribus flectetur, aut precibus, neque parcet, neque vlla tangetur miſericordia.

8. Hæc ad Sedeciæ mādata, nūc ad reliquam

Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.

A quam multitudinem me conuerto, cui optionem, inquit Dominus, do, vt eligant id quod magis ſibi ex vſu iudicauerint. Ecce enim populo vitæ viam, & mortis propono.

9. Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, & fame, & peſte: qui autem egreſſus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obſident vos, viuet, & erit ei anima ſua quaſi ſpolium.

9. Qui hærere in ciuitate voluerit, gladio morietur, & peſte, hæc eſt mortis via: qui verò egredi maluerit, & ad Chaldæos, qui ciuitatem obſident, transfugere, is ſeruabit vitam ſuam, eóque habebit loco, quaſi ſpolium, quod ſublatum priùs ab hoſte, in ſuam ſibi poteſtatem rurſus vendi-
B cauit; quia in eo ſtatu erat obſeſſus, vt iure potuerit pro mortuo cenſeri. Hæc eſt via vitæ.

10. Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni.

10. Ego quippe intentos in ciuitatem oculos habeo non mites, & beneuolos, vt illam cuſtodiam, ſed truces, atque infenſos, vt perdam: tradetur namque Babylonicæ poteſtati, & grandi conflagrabit incendio.

11. Et domui regis Iuda: Audite verbum Domini,

11. Hæc item dices domui Regis Iuda, tam Sedeciæ, quàm iis, qui ipſi à conſilio, & familiares ſunt: Audite, ô viri Prin-
C cipes, verbum, quod per me Dominus annunciari vult.

12. Domus Dauid, hæc dicit Dominus: Iudicate manè iudicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis: ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.

12. Audite, inquam, domus Dauid, ſi ſtudio vobis eſt, à vobis calamitatem, & cædem, & à veſtra ciuitate flammam auertere. Infirmam hominum conditionem à potentiori vi, calumniiſque defendite; neque iudiciorum æquitatem, in quam primum quodque tempus impendere debetis, vlla munerum largitione, aut priuata commoditate peruertite: alioqui erumpet ſicut ignis indignatio mea, & durum excitabit incendium, quod nulla vis humana
D reſtinguet, propter animi veſtri cogitationes prauas, & ſtudia peruerſa.

13. Ecce ego ad te habitatricem vallis ſolidæ atque campeſtris, ait Dominus: qui dicitis, Quis percutiet nos? & quis ingredietur domos noſtras?

13. Nunc ad te venio, filia Ieruſalem, quæ quia Hieroſolymæ montes ſunt, & inter eos valles, atque planities, verè in petroſa valle, & campeſtri regione habitare diceris; quæ ſic tecum ſuperbè, & confidenter meditaris, & dicis: Ecquis erit ita potens, & audax, qui percutiat nos? & quis erit, qui in domos noſtras violentus irrumpat?

14. Et viſitabo ſuper vos iuxta fructum ſtudiorum veſtrorum, dicit Dominus: & ſuccendam ignem in ſaltu eius: & deuorabit omnia in circuitu eius.

E 14. Ecce ego pro meritis, atque ſtudiis tuis digna tibi iudicia rependam. Tales omnino fructus referes, qualem antè feceras ſementem. Succendam ignem in ſaltibus, vbi impias idolis aras excitaſti, qui omnia, quæ circumiecta ſunt, latè populabitur, ac perdet.

IN

IN CAPVT VIGESIMVMPRIMVM IEREMIÆ.

1. NON ſemel à nobis dictum eſt id, quod in hoc Propheta ſæpius obſeruatum oportuit, non eo ordine ſcriptas eſſe prophetias, quo prædici contigit: multa enim poſt hæc habemus in hoc Propheta, quæ multò ante Sedeciæ regnum contigêre; quæ facilè notabit attentus lector, cùm tempora Regum notata ſint, in quibus illa dicta, ſeu geſta ſunt.

2. Verſ. 1. *Quando miſit ad eum Rex Sedecias Phaſſur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maaſiæ.*] Iterum miſerat Sedecias ad Prophetam, vt pro publica cauſa Deum oraret, Ieremiæ capite 37. miſit autem Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam, de quo nunc. An verò fuerit eadem legatio, non conſtat: tempus certè non repugnat, vtraque quippe legatio facta eſt, quo tempore Nabuchodonoſor vrbem obſidebat; nomen alterius legatorum incõmodat, cùm hîc dicatur eſſe Phaſſur, capite verò 37. Iuchal, niſi tam hunc, quàm eius patrem exiſtimemus eſſe binomines. Ego diuerſum tempus eſſe puto, & legationem aliam. Porro Phaſſur iſte non eſt idem, qui ſuperiori capite Ieremiam coniecit in neruum, vt notauit Hieronymus; quia ille filius erat Emmer, hic verò Melchiæ: neque tamen hic minùs fuit in Ieremiam inhumanus: nam, vt ex capite 38. liquet, Sedeciam Regem hortabatur, cum aliis populi Principibus, vt Prophetam occideret. De Sophonia Sacerdote nihil habemus præterea, quàm occiſum fuiſſe in Reblatha à Nabuchodonoſor.

Phaſſur duplex.

3. Verſ. 2. *Interroga pro nobis Dominum.*] Hic locus alicui perſuadere poſſet, Ieremiam ſummum eſſe Pontificem, cùm ad illum pertineret, in dubiis rebus Dominum conſulere, & ab illo ad populum oracula perferre. Sed quid de Ieremiæ ſacerdotio ſentiẽdum ſit, diximus ſtatim in principio. Neque hic locus nimis vrget: neque enim vno modo, neque ab vno hominum ordine, Diuinum explorari ſolet conſilium, aut oraculum peti. Conſulit quidem Sacerdos Dominum legitimo quodam, atque ſolenni modo, per ephod: at alij viri ſancti per orationem, & preces, ſicut multis locis fecerunt Prophetæ, quibus Dominus ſua reuelauit conſilia. Sed quid ſit hoc loco interrogare, videtur ex adiunctis colligi poſſe non obſcurè. Illud enim, *Si fortè faciat Dominus*, &c. potiùs orationem indicat, quæ Diuinam miſericordiam inflectit, quàm conſultationem, quæ tantùm conſilium, aut voluntatem explorat. Et ita putant Theodoretus, Chaldæus, & Vatablus: neque aliud opinor ſibi velle legationem hanc, quàm quæ capite 37. ab eodem Rege, & per eoſdem fortaſſe legatos ad eundem Prophetam data eſt. *Ora* (inquiunt) *pro nobis Dominum Deum noſtrum.*

4. *Si fortè faciat Dominus nobiſcum, ſecundùm omnia mirabilia ſua.*] Meminerat Sedecias, quo tempore magis à Pharaone premebantur maiores, adfuiſſe Deum, & compreſſis Ægyptiorum viribus, ſeruitutem effugiſſe duram, quam fore arbitrabantur æternam. Meminerat ſub Achaz duos Reges Syriæ, atque Samariæ, qui ſociatis ca-

A ſtris, iam iam imminebant Hieroſolymis, auſpice Deo, repentino Aſſyriorum aduentu fuiſſe contritos: & non ita diu Sennacherib ab Angelo perterritum, cæſis quamplurimis ſuorum millibus, aufugiſſe, quo tempore non minùs anguſtè res laborabat Iudaica, quàm nunc vrgéte Chaldæorum exercitu: oratione igitur confectum iri putat rem feliciùs, quàm armis, & lacertis; ideo à viro iuſto petit, vt oret, ſi quomodo exorare poſſit, vt ſimilia nunc edat Deus ſuæ potentiæ, atque humanitatis argumenta.

Et recedat à nobis.] Verbum, *recedat*, ad Deum referri exiſtimabit aliquis, neque ſanè temerè: quia, vt ſæpe ab Iſaia didicerant Iudæi, Deus futurus erat Chaldæorum imperator, & in Nabuchodonoſor manu Diuini furoris futura virga; B quod etiam proximè ab Ieremia audierãt. Optare ergo non ſine cauſa videntur, vt Dominus ab vrbe recedat, ideſt, ne vltor vires addat, & ſpiritus præferoces Chaldæis, quos tanquam dux ex vltimis terræ finibus euocauerat: aut vt vindicem, atque armatam manum ab inferenda plaga contineat. Sed eſt magis expedita ſententia, ſi iubeatur orare Propheta, vt recedat Nabuchodonoſor, ſoluátque obſidionem, quæ ciuitatem ita premebat anguſtè, vt omnes de ſalute, atque adeò de libertate, & vita deſperarent. 5.

Hîc duo pro moribus obſeruanda: alterum, in rebus anguſtis, & quibus humani lacerti ſubuenire non poſſunt, valere plurimùm iuſtorum C preces: quod etiam viris impiis, quibus aut nulla erat, aut leuis religionis cura, perſuaſum fuit: vt nunc docet impius Rex Sedecias, qui publicam cauſam, ac penè deſperatam Ieremiæ precibus commendauit. Quod fecit antè pius Rex Ezechias, qui in cauſa, ac deſperatione non diſſimili per nuncios orauit ab Iſaia, vt afflictam populi conditionem commendaret Domino. Iſaiæ capite 37. *Dies tribulationis, & anguſtiæ, & correptionis dies hæc: leua ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ ſunt, ſi quomodo audiat Dominus Deus tuus.* 6.

Oratio magis quã arma potens.

Alterum, fidelem eſſe Deum in promiſſis: dixerat enim capite 15. verſu 10. Ieremias verba doloris, & offenſionis plena, his quàm ſimillima, quibuſcum Deo expoſtulare videbatur, quòd natus eſſet ad laborem, & ignominiam, quòd à Deo D ſeductus: ſic enim ibi: *Væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ*, &c. cui verſu 19. reſpondit Dominus: *Conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos?* Id nunc re ipſa probat, cùm Regem, & Principes ciuitatis ſupplices ad Ieremiam venire facit, vt cauſam ſuſcipiat publicam, quam iam collabi, ac præcipitari vident. Et ideo puto caput iſtud longè ante ſuum tempus hîc eſſe poſitum: cùm præceſſiſſet grauiſſima Ieremiæ querimonia, vt conſtaret, quàm eſſet iniuſta inrenta in Deum accuſatio, qua ipſius fides vocabatur in dubium, cùm hîc videamus, liberatam eſſe, vt ita loquamur, Diuinam fidem, quam ſuo Prophetæ Deus priùs obligarat. 7.

Dei fidelis promiſſio.

Verſ. 4. *Ecce ego conuertam vaſa belli, quæ in manibus veſtris ſunt, & quibus vos pugnatis aduersùs Regem Babylonis.*] Orarat, vt à Rege fuerat poſtula- 8.

 tum,

tum, Ieremias; ſed reſpondit Deus, actum iam eſſe de re Iudaica, niſi tradere ſe velint Chaldæorum Regi; neque arma, quæ ad reſiſtendum comparanda ſunt, vſui eſſe futura ciuitati, immò potiùs in hoſtium poteſtatem eſſe ventura. Illud, *conuertam*, variè ab Auctoribus explicatur: quidam exiſtimant, inutilem armorum conatum ſignificari: ex vſu quippe Scripturæ, illud *reuerti* dicitur, quod nullum habet vſum, aut petitionem inanem. Iſaiæ 37. de Sennacherib: *In via, qua venit, per eam reuertetur.* ideſt, nihil promouebit. & 2. Regum capite 1. *Gladius Saül non eſt reuerſus inanis.* & ſtatim de Ionatha: *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum.* Ita Theodoretus, & cum eo ſanctus Thomas. Sed aliquid amplius deſignari à Propheta, textus ipſe indicat orationis, neque exempla ſimilia ſunt, vt vides.

Reuerti, aliquid irritũ ſonat.

9. Alij non modò putant, arma, quæ Iudæi contra Chaldæos compararant, nulli futura vſui ciuitati, ſed etiam in eorum caput conuertenda: vel quia in hoſtium poteſtatem venient, vt Hugo putat, atque Dionyſius, vel quia armorum apparatus in ciuitate priùs in Chaldæorum poteſtatem redacta, illorum potiùs inflammaret animos, & ad delendam potiùs vrbem, & templum, quod tandem perfecerunt, acuerent.

10. Mihi non diſplicet, quod ſanctus Thomas probat, Iudæorum arma Iudæis ipſis exitio futura, quia mutuis inter ſe odiis intra mœnia dimicabunt, neque illos magis externa, quàm inteſtina, atque domeſtica bella conficient. Quod an acciderit Chaldæorum temporibus, quod ego viderim, non conſtat: eſt tamen veriſimile, quia illud turbidis temporibus frequenter accidit, vt in eadem ciuitate, quando à Romanis exciſſa fuit, accidiſſe, auctor eſt Ioſephus. Contigit autem ſæpe, vt cùm Deus dimicaret pro ſuis, hoſtes à ſe ipſis viciſſim diſſiderent; & ferrum, quod in Dei populi exitium pararant, in cognata viſcera diſtringerent. Sic Iudicum capite 7. Madianitæ mutua ſe cæde confecerunt. *Immiſit Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant.* Idem accidit his, qui contra Ioſaphat magnas conſcripſerunt militum copias. de quibus 2. Paralipomenon capite 20. *Vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, &c. etiam in ſemetipſos verſi mutuis concidêre vulneribus.* & 1. Regum capite 14. de caſtris Philiſtinorum: *Ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum: & cædes magna nimis.* Simile aliquid Gallis accidiſſe, auctor eſt Pauſanias in Phocicis. Cùm ergo hoc bellum contra Hieroſolymam per Chaldæos ſuſcepiſſet, ac confeciſſet Deus, non eſt incredibile, vſum fuiſſe ad id negotij Iudæorum armis.

Inimici Dei interdum in ſeipſos arma conuertunt.

11. *Vaſa belli.*] Nomen, *vas*, multum ſignificat, & eſt idem propè, quod apud Latinos *inſtrumentum.* Sed latam illam ſignificationem coarctat vox adiuncta. Quare vaſa Cantici, aut vaſa Pſalmi, inſtrumenta ſunt muſica: vaſa mortis, quæ mortem afferunt, vt gladius, & ſagitta: vaſa bellica, vaſa paſtoris, & ſimilia: ab his vaſis bellicis plus habebunt incommodi, quàm præſidij Iudæi.

Vaſis ſignificatio multiplex.

12. *Cõgregabo ea in medio ciuitatis huius.*] Pro, *ea*, Hebraicè eſt אותם *otham*, quod tam referre poteſt Chaldæos, quàm Iudæorum arma: ita vt Chaldæi, aut arma congregatum iri dicantur in medio ciuitatis. Septuaginta Chaldæos putãt. Hieronymus in Commentariis vtrunque probat. Vulgatus vaſa belli. Cúmque vtrumque textus admittat Hebraicus, neque magnum interſit inter vtrumque diſcrimen, iuxta Vulgati verſionem, vt neceſſe eſt, inueſtigabitur à nobis huius loci ſententia.

A

13. Quidam congreganda putant Iudæorum arma in ciuitatis medio, quia aut ibi tantùm erunt armati, non tam ad pugnam, quàm ad eius ſpeciem, & inanem vmbram, cùm aduersùs hoſtes egreſſuri non ſint, aut pugnaturi. ita Hieronymus. Porro, *medium* idem eſt, atque in ciuitate, aut intra ciuitatis ſepta: quocunque illa in ſpatio ſint, vt aliis ſæpe locis oſtendimus. Et quidem cùm peſte, ac fame conſumpti ſint potiùs quàm hoſtili ferro: non erat, cur contra hæc vaſa expromerent bellica, quibus aut pelli fames non poterat, aut peſtis arceri. Debellauit etenim B illos potiùs Deus, quàm hoſtium exercitus, vt ſtatim Deus ipſe ſignificat, dum ait: *Et debellabo vos, &c.* contra quem nihil eſt in armis præſidij. Quare, vt inquit hîc Hieronymus, *abſque vlla corona, ſtrepitúque pugnantium vrbs tanta obſidione capta eſt, vt quos vincerent, non haberent,* (Chaldæi) *ſed quos tantùm caperent.*

14. Hæc mihi magis viſa ſunt ad veritatem, & textum, probóque libentiùs. Sed vide, an aliter etiam poſſit accipi hic locus. Similia verba occurrunt apud Zachariam, capite 1. vbi ſermo eſt de Ieruſalem ab hoſte Romano diripienda. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & diuidentur ſpolia tua in medio tui.* vbi à Hieronymo dicuntur hoſtes, nem- C pe Romani, adeò pacifici, atque tuti diuiſuri Iudæorum exuuias, vt non quærant latebras, vbi tumultuariè, ac timidè ſpolia diſtribuant, ſed in medio foro, & in loco maximè munito ciuitatis, id facere audeant. Sic autem in illum Zachariæ locum Hieronymus: *Solet hoc frequenter accidere, vt quæ ſubito impetu direpta ſunt, foris in agro, aut in ſolitudine diuidantur, ne fortè hoſtes ſuperueniant. Hic autem tantum malorum pondus incumbet, vt, quæ direpta ſunt, in ciuitatis medio diuidantur, pro ſecuritate victoriæ.* Id nunc etiam videtur ſignificare Ieremias, ac oſtendere, tantam eſſe futuram Chaldæorum ſecuritatem, tam afflictas, attritáſque Iudæorum vires, vt in media ciuitate non alia D ſolùm ciuium ſpolia, ſed etiam arma erepta de manibus in ipſis congregentur plateis, vt deinde ſortito, aut alio quouis modo ad hoſtium manus, & poteſtatem veniant. Ad hunc modum in ciuitate, quæ eundem in modum incenſa, atque direpta eſt, ſpolia in vnum locum congregata eſſe dicuntur. Sic enim de Troia ardente Maro libro 2. Æneidos:

Et iam porticibus vacuis Iunonis aſylo
Cuſtodes lecti Phœnix, & dirus Vlyſſes
Prædam aſſeruabant. Huc vndique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæq́; deorum,
Cratereſque auro ſolido, captiuáque veſtis
Congeritur.———

E Quod in aliis quoque vrbium direptionibus fieri ſolitum docet Liuius, qui libro 40. poſt deuictam Chalcidem ait: *Præda omnis primùm in forum collata, deinde in naues impoſita.* Quod diſciplina militaris exigere videtur: aliter enim non æqua fieret rerum communi Marte conquiſitarum diſtributio.

15. Verſ. 5. *Et debellabo vos in manu extenta.*] Oſtendit, cur otioſa, atque inania futura ſint Iudæorum arma, quia non tam illa mouenda contra Chaldæos, quàm contra Dominum, cõtra quem irrita eſt armorum quantalibet peritio: Deus enim & ſuam, & Chaldæorum manum in Iudæorum

dæorum interitum armauit. Illud, *&*, particula videtur rationalis, quæ cauſam reddit, cur vaſa belli in medio ciuitatis congreganda ſint: quia videlicet Deus in populum illum manum extender, percutietque peſtilentia, & fame, & gladio magis ſua, quam Nabuchodonoſoris dextera vibrato. De vrbis direptione, ac Sedeciæ nece habes Ieremiæ capite 52. & 4. libro Regum capite 24. & 25.

16. Verſ.8. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ,& viam mortis.*] Conuertit ſe iam Propheta ad domum Dauid, Iudæorúmque populum, oſtendítque, quid ex ipſorum vſu futurum ſit. Proponítque duo; in quorum altero vitam, meliorémque conditionem promittit; in altero, mortem, atque exilium minatur: mortem quidem, ſi obſtinatò pergant obluctari Chaldæis, à quibus omnia imminent aduerſa: vitam autem, ſi illorum ſe poteſtati tradant: quod ſæpius repetit, commendátque. Hic porro dicendi modus aliquid olet prouerbiale: ſanè eſſe ἐν ἀμφόδῳ, ſiue in biuio, tritum eſt apud profanos, qui in ſuo Hercule duas proponunt vias, quæ exitus habent longè diſſimiles: quod etiam Pythagoras docuit in ſua litera bicorni. Hoc idem habes Eccleſiaſtici 15. verſu 17. *Appoſui tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita,& mors: bonum,& malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

17. Verſ.9. *Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio,&c.*] Hinc iam conſtat, quæ ſit via mortis,& vitæ: mortem oſtentat vrbis commoratio, & veſanum patriæ deſiderium: vitam, matura ad Chaldæorum poteſtatem tranſmiſſio.

18. *Et erit ei anima ſua quaſi ſpolium.*] Hoc puto dicendi genere certitudo ſignificatur mortis illis, qui obſtinato conſilio in ciuitatem hærere volent. Vt enim, quæ in hoſtili fuerunt poteſtate, ſi ad noſtram manum, & vſum traducantur, ſpolia dicuntur; ſic, quia Iudæi, aduerſante Deo, & contra pugnante, cenſeri debent pro mortuis, quaſi iam Chaldæi domini ſint Iudæorum vitæ, qui ius habebunt legitimum illos occidēdi, ideo vitam ſuam, quaſi ſpolium iudicabunt ab hoſte ſublatum; quaſi victores, qui à ſubacto hoſte rapiunt non ſuum. Hæc eadem verba redeunt capite 38. verſu 2. in textu Hebraico. Vulgatus vbi hîc *quaſi ſpolium*, capite 38. reddidit, *ſoſpes, & viuens.*

PROV. *Quaſi ſpolium.*

19. Alius eſſe videtur non incommodus ſenſus, ſumptus ex alia ſpoliorum proprietate, quæ miram affert victori voluptatem; quaſi dicat: Tam gaudebit, aut gaudere poterit, qui vitam, quam perdidiſſe videbatur, ab hoſte receperit, quàm gaudere ſolet victor, cùm confecto bello ſpolia retulerit ab hoſte ſuperato. De quo gaudio eſt illud Iſaiæ 9. verſu 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt ſpolia.* Maldonatus ex his explicari poſſe dicit illud ad Philippenſes 2. *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit.* ideſt, non ſe extulit, aut exultauit, quòd æqualis eſſet Deo, tanquam qui rapinam, aut ſpolium detrahit ab hoſtibus, ſed potiùs ſeruilem in modum abiecit ſe.

ad Philip.2.

20. Verſ.10. *Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in malum,& non in bonum.*] Sicut, *viſitare*, vox eſt ambigua, quæ opus ſignificat tam ab offenſione, & odio, quàm ab amore profectum: viſitamus enim aliquid, vt premamus; ſic Dominus orbis mala Iſaiæ capite 13. viſitamus item, vt auxiliemur, & ornemus: quomodo Deus viſitauit Saram Geneſis 21. Sic faciē ponere, quod idem fermè eſt, interdum beneuolum animum, interdum offenſum, & indignatum indicat. Ponit quippe Dominus faciem, & intendit oculos in aliquem locum, vt illum tueatur, atque ornet: ponit item, vt illum diſſipet, & perdat. In malum ergo ponit Dominus faciem, tanquam expugnaturus cum Chaldæis ciuitatem; non in bonum, vt illam, ſicut priùs, illuſtret, & defendat. Porro illud, *in malum, & non in bonum*, vbi contrarium cum negatione ponitur, epitaſim habet, vt diximus cap.20. ad illud, *Maledicta dies, & non benedicta.*

Verſ.11. *Audite verbum Domini, domus Dauid.*] 21.
Hactenus ad populum, nunc ad domum Dauid adhortationem conuertit Ieremias. Domum autem Dauid Regem intellige Sedeciam, qui è Dauidico ſanguine genus trahit, & illos, qui ipſi ſunt à conſiliis, & cum illo in regia domo plurimùm verſantur; quales erant Sophonias, & Phaſſur, qui à Rege ad Ieremiam legationem obierant. Eodem modo Achaz,& qui cum eo de ſumma rerum deliberabant, domus appellantur Dauid. Iſaiæ capite 7. *Et nunciauerunt domui Dauid dicentes, Requieuit Syria ſuper Ephraim, & commotum eſt cor eius, & cor populi eius.* vbi, vt vides, domus Dauid à populo ſecernitur. Et infrà: *Audite ergo domus Dauid, nunquid parum vobis eſt,* &c. Commodè verò ad domum Dauid, ideſt, ad eos, qui in Regia domo cauſas tractabant publicas, quæ proximè ſequuntur, accommodantur.

Verſ.12. *Indicate manè iudicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis.*] Hæc verba in illos 22.
tantùm aptè conueniunt, qui rem tractant, & moderantur publicam: quibus edicit Dominus quod facto opus ſit, ſi velint à ſe calamitatem, & cædem, & à ſua ciuitate flammam auertere: nempe, vt infirmam hominum conditionem à potentiorum vi, calumniiſque defendant: neque iudicij æquitatem, quam tueri debent, vlla munerum largitio, aut priuata commoditas tranſuertat. Cæterùm illud, *manè*, ſtudium ſignificat, atque ſolertiam. Quod enim rectè curatum eſſe volumus, in illud primum diei tempus, & antelucanam operam conferimus. Quare, quæ manè dicuntur eſſe facta, nihil aliud ſibi velle videntur, quàm curata fuiſſe diligenter, ac ſtrenuè. Pſalmo 5. *Manè aſtabo tibi, & videbo.* & Pſalmo 118. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* ideſt, ſummo ſtudio. Oſeæ 6. *In tribulatione ſua manè conſurgent ad me.* Hæc mihi germana videtur huius loci ſententia: alij alias adducunt; quas, quia magnos patronos habent, referre non pigebit. Quidam in mane claritatem agnoſcere videntur, commendaríque putant domum Dauid, vt conſideratè, atque attentè iudicet, explorata diligenter cauſa, non oſcitanter, præcipitato conſilio, & quaſi in tenebris; ſed in matutina luce, quæ, quid iuſtum, ac ſecus ſit, ſecernit, & aperit: in quam ſententiam inclinant Hieronymus, Dionyſius, & Hugo. *Iudicate (inquit Hieronymus) manè iudiciū, non in tenebris iniquitatis, ſed in luce iuſtitiæ.* Alij, *manè*, idem eſſe credunt, quod ſobriè; edicíque Iudicibus, vt manè iudicent: cùm ieiuno ſtomacho, mens eſt ſobria, quam turbat ebrietas, quæ vt plurimùm à meridiano cibo prouenire ſolet. ita putant Dionyſius, & Hugo. Explicationem primam, vtpote expeditam

Pſal.5. Pſal.118. Oſeæ 6.

tam magis,& communem libentiùs amplector. A
23. Illud non omittàm, quod obſeruauit Maldo-
Dei mira benignitas. natus, hîc Diuini pectoris clementiam elucere
maximè: cùm enim Dominus ad ignoſcendum
pronus, ad vindictam difficilis ſit, quamuis ſæpe
cum populo ita fuerit aſperè loquutus, vt om-
nem ad ignoſcendum, miſerendúmque aditum
præcluſiſſe videatur, monet tamen, vt meliora
cogitet, ſpémque oſtentat libertatis, & vitæ: ſi
tamen ille, mutato conſilio, ſtudeat, incendium,
quod iam inſtare videbatur, auertere.
24. Verſ. 13. *Ecce ego ad te, habitatricem vallis ſolidæ,*
Hieroſolyma ſitus. *atque campeſtris.*] Montes eſſe in ciuitate Solymi-
tana, & bonam ciuium partem in illa ſiue plani-
tie, ſiue valle habitare, quam mediam ample-
ctuntur duo nobiliſſimi montes Sion, vbi arx B
erat regia, ſeu ciuitas Dauid, & Moria, vbi ſi-
tum erat templum, diximus in noſtris Com-
mentariis ſuper Zachariam, ad illud capitis 14.
Et fugietis ad vallem montium eorum: quoniam coniun-
getur vallis montium. Quare iure optimo Ieruſa-
lem per ſynecdochen vallis vocari poteſt. Vbi
Vulgatus, *ſolidæ*, Hebraicè eſt צור *ſor*, quæ pe-
tram ſignificat. Ad te, ô Ieruſalem, quæ habitas,
ſeu quæ ſita es in loco petroſo, ac firmo, qui
nullo modo videtur poſſe conuelli. Pro, *campe-*
ſtri, eſt מישור *miſor*, quod planitiem, aut æquali-
tatem valet, quæ in campeſtri tractu ſpectari ſo-
let. Loquitur autem Dominus cum his, qui ha-
bitant Hieroſolymis, ſiue in prætaltis, atque ſa- C
xoſis locis, ſiue in depreſſa valle, aut vrbis pla-
nitie, quibus denunciat, nullum ciuitatis ſpatium
futurum eſſe tutum à ferro, vel incendio.
25. Aliam etiam ob cauſam vocari poſſet, *vallis*,
Ieruſalem, quam adduximus in noſtris Com-
mentariis, ad illud Iſaiæ capite 22. *Onus vallis Vi-*
ſionis. vbi ex Hieronymi ſententia diximus, ideo
Ieruſalem, quæ ſita erat in montibus, vallem
eſſe vocatam, quia iam ab antiqua ſanctitate,
propter quam mons vocari poterat excelſus, ad
vitiorum profunditatem eſſet depreſſa; ac ſi di-
cat Propheta: O mons, non iam mons altus, &
illuſtris, ſed ignobilis, atque profunda vallis; ſed
fortaſſe ideo vocatur vallis, quia illam ſic intue- D
batur Propheta deletam Chaldæorum armis, vt
nullum in ea iam ampliùs appareret altitudinis
antiquæ, ſiue gloriæ veſtigium. Quare, ſiue ab
antiqua religione, & ſanctitate, corruptis mori-
bus, ſiue ab antiquo ſplendore, & celſitudine
Chaldæorum viribus exciderit, iure optimo val-
lis vocari potuit; quia vterque caſus, atque mu-
tatio grauis fuit.

A *Qui dicitis, Quis percutiet nos, aut quis ingredietur* 26.
domos noſtras?] Putabat populus ille, ſatis ſe eſſe
munitum contra hoſtiles machinas, loci natura,
& his munimentis, quæ hominum excitauerat
induſtria: idque ipſum, vt hinc conſtat, publicè,
atque apertè prædicabat. Ad quem Deus, vt à
ſpe in ſaxis, atque operibus locata deiiceret, ait,
illis futurum eſſe certamen, non cum Chaldæis,
atque mortali manu, ſed ſecum, cui moles nulla
ardua, nulla potentia inſuperabilis eſt.
Verſ. 14. *Viſitabo ſuper vos, iuxta fructum ſtudio-* 27.
rum veſtrorum.] *Vt ſementem feceris, ita & metes,*
dixit Cicero. Quæ ſententia abſque dubio pro-
uerbialis eſt, neque minùs ſacris, quàm profanis
ſcriptoribus familiaris. Paulus ad Galatas 6.
B *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et Iſaias cap. 4.
Dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum adinuen-
tionum ſuarum comedet. Væ impio in malum: retributio
enim manuum eius fiet ei. Planè, qui ventum ſemi-
narunt, id eſt, corrupta, atque euanida ſemina, ex
ea ſemente nihil omnino capient, niſi ventum.
Oſeæ capite 8. *Ventum ſeminabunt, & turbinem me-*
tent. Et qui ſpinas plantauerit, aut tribulos, tribu-
los vtique, atque ſpinas colliget, non vuas, & fi-
cus. Plantarant Iudæi, dum ſuis ſe rationibus ab-
ducunt, potiùs quàm ducuntur Diuinis, lacryma-
rum, atque dolorum fœcundas radices, quas verè
ipſi vocare poſſent radices amaritudinis; & cùm
fructus iuſtitiæ pax eſſe dicatur, Iſaiæ capite 32.
C ex iniuſtitia ipſi bellum habuerunt, & cladem.
Dicit ergo Dominus, viſitaturum ſe ſtudia Iu-
dæorum, & ſuum quaſi influxum attemperatu-
rum, ad eliciendum fructum, quem ex ſtudiis eo-
rum, & quaſi ſemente ſperari fas erat. Cùm verò
fructus eſſe deberet, ſtrages, calamitas, exilium,
accommodatè ad amarum illum fructum, im-
brem miſit procelloſum, rapidum, quíque cum
tonitru, atque fragore, fulmen quoque vibraret,
& incendium inueheret.
Et ſuccendam ignem in ſaltu eius: & deuorabit omnia 28.
in circuitu eius.] Sacrificarant in ſaltibus Iudæi, at-
que ſub omni ligno frondoſo, vt dixit Ieremias
ſuprà, capite 2. vbi nos ea de re pluribus. Habe-
bant in ciuitatis circuitu lucos, & hortos, vbi
D ſuas ſibi delicias collocarant: tam ergo ſaltus, &
lucos, idolorum ſacrificiis inceſtos, quàm hortos
ad animorum laxationem plantatos, & inſtru-
ctos, incendio populandos eſſe denunciat; ita vt
in valle ſolida, atque campeſtri, id eſt, tam extra,
quàm intra ciuitatis mœnia, nihil futurum ſit,
vel tutum à ferro, vel ab incendio ſummotum.
Hæc de capite vigeſimoprimo.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXII.

MITTITVR Ieremias ad domum regiam, vt ibi tam Regem, quàm domeſticos eius, & Reipublicæ adminiſtratores, & Principes doceat, quid facto opus ſit, vt impendentem patriæ calamitatem auertant. Deinde grauia quædam de his, qui optimo Regi Ioſiæ in regno ſucceſsêre, prænunciat. De Ioachaz primùm, qui etiam dicitur Sellum, quem ab Ægypto, quò ipſe ſecum abſtulerat Pharao, nunquam in patriam reuerſurum affirmat. Poſtea de Ioacim, cui horribile minatur exitium, & aſini ſepulcrum. Et cùm de Hieroſolyma ab auxiliariis copiis derelicta grauiter egiſſet, & durè traducit ad Ioachin, ſiue Iechoniam vaticinium, quem cum matre captiuum futurum eſſe clamat, neque ipſis, vt maximè cupiant, in patriam ſedem fore remigrandum.

IEREM. CAP. XXII.

1. *HAec dicit Dominus: Deſcende in domum regis Iuda, & loquêris ibi verbum hoc,*

2. *Et dices: Audi verbum Domini, Rex Iuda, qui ſedes ſuper ſolium Dauid: tu & ſerui tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas iſtas.*

3. *Hæc dicit Dominus: Facite iudicium, & iuſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris: & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprimatis iniquè: & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto.*

4. *Si enim facientes feceritis verbum iſtud: ingredientur per portas domus huius, Reges ſedentes de genere Dauid ſuper thronum eius, & aſcendentes currus & equos, ipſi & ſerui, & populus eorum.*

5. *Quòd ſi non audieritis verba hæc: in memetipſo iuraui, dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus hæc.*

6. *Quia hæc dicit Dominus ſuper domum Regis Iuda: Galaad tu mihi caput Libani: ſi non poſuero te ſolitudinem, vrbes inhabitabiles.*

IN IDEM CAP. PARAPH.

A 1. DEſcende, inquit Dominus ad Ieremiam, in domum Regis Iuda, & ibi loquêris hunc, quem tibi trado, ſermonem.

2. Audi, quæ ad te à Domino affero mandata, Rex Iuda, qui ſolium obtines Dauidicum: audiant item ſerui tui, & populus tuus, qui regias haſce ædes obire ſolent, & per haſce ingrediuntur portas.

3. Iudicium exercete incorruptum, & integrum, & eum, quem violentorum hominum calumnia deprimit, liberate. Neque ægrè afficiatis aduenarum, pupillorum, & viduarum animos, neque eorum cauſam iniquis euertatis iudiciis, & ab innoxio ſanguine noxias, ac violentas manus abſtinete.

B

4. Quòd ſi, quod à me præceptum eſt, præſtare volueritis, per portas iſtas ingredientur, vt antè Reges de genere Dauidico, qui in eius throno ſedeant; ingredientur, inquam, cùm regia pompa, equis, & curribus inuecti, tam ipſi, quàm ipſorum ſerui, & totus denique populus, qui illorum ſubiicitur imperio.

C 5. Sin verò, quæ à me nunc accipitis mandata, contemnatis, concepto per memetipſum iuramento confirmo, domum hanc regiam ſic eſſe vaſtandam, vt nihil in ipſa præter ſolitudinem, & ſyluam reliquum ſit.

6. Hæc dicit Dominus contra Regis Iuda luculentas ædes: Tam hæc regia domus inter domos alias ſplendore, ac maieſtate excellit, quàm inter reliquos montes, quos habet Libanus, aſſurgit, & ſplendet Galaad: & ſicut Galaad caput eſt Libani,

7. Et

ſic

A ſic regia domus caput eſt Hieroſolymæ. Nihilominus ſi non eò te redegero, vt nullum iam appareat regiæ maieſtatis veſtigium, niſi poſtea fias ſolitudo, & vaſtitas, non recuſo, quin impotens habear, aut indignus, cui fides deinceps habeatur.

7. Et ſanctificabo ſuper te interficientem virum, & arma eius: & ſuccident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem.

7. Conſcribam contra te legitimo ritu interfectores milites, & vaſa bellica, quæ ſanctificata erunt, quia à me comparata, & quia me illis Ducem, & Imperatorem præbebo. Qui in electas, atque proceras cedros Libani, atque Galaad, tanquam lignatores irrumpent, & ab imis radicibus inimica ſecuri proſternent, flammíſque tra- B dent comburendas.

8. Et pertranſibunt gentes multæ per ciuitatem hanc: & dicet vnuſquiſque proximo ſuo: Quare fecit Dominus ſic ciuitati huic grandi?

8. Tranſibunt multi per ciuitatẽ hanc, & cùm ingenti ruina collapſam aſpexerint, alter alteri cùm ſtupore dicet: Quid cauſæ eſt, cur Deus in ciuitatem hanc numeroſam, & lautam, tantam inuexit vaſtitatem, tanta ſtrage ſubuertit?

9. Et reſpondebunt: Eo quòd dereliquerint pactum Domini Dei ſui, & adorauerint deos alienos, & ſeruierint eis.

9. Tunc autem reſpondebunt rogati, non fruſtra de ciuitate illa, ac ſcelerato populo ſumptum eſſe grande illud atque C horribile ſupplicium, quia violato fœdere cum Deo quondam inito, impiis idolorum ſacris adhæsêre.

10. Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum, qui egreditur, quia non reuertetur vltrà, nec videbit terram natiuitatis ſuæ.

10. Nunc de ſingulis Regibus aliquid accipite, & primùm de Ioachaz, qui viuus adhuc agit in Ægypto. Nolite mortuum Ioſiam lugubri, atque anniuerſaria lamentatione proſequi; aliquod vobis grandius malum proponam, cui lacrymas impendatis, & planctum. Plangite Ioachaz, qui ſic eſt egreſſus in exilium, vt ad patriam nunquam remigraturus ſit, neque natale ſolum vnquam reuiſſurus.

11. Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Ioſiæ Regem Iuda, qui regnauit pro Ioſia patre ſuo, qui egreſſus eſt de loco iſto: Non reuertetur huc ampliùs:

D 11. Sic enim dicit Dominus de Sellum (qui & Ioachaz) Rege Iudæ, atque Ioſiæ filio, cui in regnum proximè ſucceſſit, quíque ex hoc loco abductus eſt à Pharaone captiuus in Ægyptum; ſic, inquam, Dominus dicit: Nullo vnquam tempore in patriam ſuam reuertetur:

12. Sed in loco, ad quem tranſtuli eum, ibi morietur, & terram iſtam non videbit ampliùs.

12. Sed in Ægypto captiuus morietur, quò à me tranſlatus eſt, & terram iſtam ampliùs non videbit.

13. Væ qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia, & cœnacula ſua non in iudicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem eius non reddet ei.

13. Num de Ioacim Ioſiæ filio, qui ſecundus à Ioſia regnauit. Væ, qui domum ſuam extruit, & amplificat, & excelſa mo- E litur tabulata iniquis, atque alienis impendiis: qui proximum pro ſuo arbitratu, atque libidine opprimit ſine cauſa, neque ipſius opus, & laborem debita mercede compenſat.

14. Qui dicit: Aedificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingítque ſinopide.

14. Qui ſtatuit apud ſe dilatanda eſſe regiæ domus ſpatia, & lata, atque ſpecioſa attollenda cœnacula. Qui ad proſpectus, & elegantias perforat, cancellatque feneſtras; cuius ſunt contignationes è cedro,

15. Nun quibus

A quibus à ſinopide, aliiſque pigmentis, aliquod accedit artis lenocinium.

15. Nunquid regnabis, quoniam confers te cedro? pater tuus nunquid non comedit & bibit, & fecit iudicium & iuſtitiam tunc cùm bene erat ei?

15. Nunquid futurum tibi regnum nobile ſperas, & diuturnum, quia te parenti ſimilem eſſe putas? At longè tua te vaniſſima fallit cogitatio: tam enim te Ioſias pater longè ſuperat, quàm præalta cedrus humile, atque abiectum arbuſtum. Nónne conſideras, homo vaniſſime, quemadmodum patri bene fuit, comedit, & bibit, & iucundè egit, quia iuſtè vixit, & iudicium ſeruauit incorruptum, & integrum?

16. Iudicauit cauſam pauperis & egeni in bonum ſuum: numquid non ideò quia cognouit me, dicit Dominus?

B 16. In iudicanda pauperis, atque egeni cauſa, non tam ſuis ſeruiebat commodis, quod faciunt tyranni, quàm pauperum intuebatur commoditatem, & vſum. Quod ideo faciebat libenter, quia id mihi gratum eſſe nouerat, cuius ſe voluntati totus addixerat.

17. Tui verò oculi & cor ad auaritiam, & ad ſanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad curſum mali operis.

17. Sed tu longè à parentis optimi ſtudiis defeciſti: oculi etenim, atque ſtudia tua eò erant intenta, vt diuitias, & opes vndecunque captares, & calumnia opprimeres innocentem, & eius ſanguinem violenter effunderes: laxatis denique ad om-
C nem prauitatem habenis contento, atque incitato curſu ferebaris.

18. Propterea hæc dicit Dominus ad Ioakim filium Ioſiæ Regem Iuda: Non plangent eum: Væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei: Væ Domine, & væ inclyte.

18. Propterea ſic Dominus ad Ioacim filium Ioſiæ: Non accidet tibi, quod Ioſiæ parenti, vt tumulo honeſteris, & planctu anniuerſario. Neque enim in funere de more audietur illud lamentationis ſolenne canticum, Væ frater, & væ ſoror, neque populi communi luctu concrepante reſonabit, Væ Domine, & væ inclyte.

19. Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalem.

19. Non enim, ſicut Reges alij, honorem aſſequetur ſepulcri, ſed in aperto loco
D extra Ieruſalem iacebit, atque putreſcet regium cadauer, non aliter atque aſinus in ſterquilinio aſſolet.

20. Aſcende Libanum, & clama: & in Baſan da vocem tuam, & clama ad tranſeuntes, quia contriti ſunt omnes amatores tui.

20. Iam ſic Dominus loquitur ad Ieruſalem, cui vaſtitas imminet à Chaldæo: Quantumcunque in omnem partem, auxilij gratia, te conuertas, nihil tamen præſidij habebis, quod Chaldæorum agminibus opponas. Aſcendes ergo Libanum, & Baſan, & ibi ab omni tranſeunte auxilium implorabis, ſed fruſtra: omnes enim fœderatos, & amicos, eadem quæ te Chaldæorum virtus, atque poteſtas opprimet.

21. Locutus ſum ad te in abundantia tua, & dixiſti: Non audiam: hæc eſt via tua ab adoleſcentia tua, quia non audiſti vocem meam.

E 21. Iure te omnes in omni conflictu deſerent, ac rerum anguſtiis, quia cùm ego ad te clamarem, cum integra adhuc atque florente Republica, præcisè vocem meam audiendam negaſti. Neque noua eſt, aut recèns obſtinata hęc tui generis impudentia. Iam enim à primis euocati populi temporibus conſuetum tibi fuit, ac penè proprium, ad Diuinum clamorem obſurdeſcere.

22. *Omnes paſtores tuos paſcet ventus, & amatores tui in captiuitatem ibunt: & tunc confundêris, & erubeſces ab omni malitia tua.*

A 22. Spes in aliorum promiſſis, atque ſtudiis locata, quia res eſt inutilis, & euanida, non aliter lactabit, atque hiantes relinquet eos, qui te moderantur, & paſcunt, quàm ſi merus eſſet ventus. Tam enim paſtores illi, quàm ipſorum amatores, ac fœderati, quorum nitebantur auxilio, in alienum ſolum extorres abducentur. Tunc verò malitia tua ruborem tibi, & confuſionem adducent.

23. *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris, quomodo congemuiſti, cùm veniſſent tibi dolores, quaſi dolores parturientis?*

23. O tu, Ieruſalem, quæ in locis inſtar Libani ſpecioſis, atque ſublimibus tuam
B fixiſtis ſedem, & in præaltis cedris aquilarum in modum nidum conſtruxiſti, quomodo ingemiſces ex eo deturbata faſtigio, cùm dolor aduenerit, qualis excruciare fœminam ſolet, quæ in ipſo pariendi conatu dirumpitur?

24. *Viuo ego, dicit Dominus: quia ſi fuerit Iechonias filius Ioakim Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.*

24. Nunc ad Iechoniam venio filium Ioacim. Viuo ego, dicit Dominus, quòd ſi Iechonias (qui potiùs propter vitæ turpitudinem Chonias appellari deberet) eo in loco fuerit apud me, vt eius effigies ſculpatur in annulo, quem in manibus geſto,
C inde tamen euellam, & proiiciam à me.

25. *Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & in manu Chaldæorum.*

25. Tunc ego te tradam, ô Iechonia, in illorum poteſtatem, qui tuæ inſidiantur vitæ, & ſanguinem ſitiunt, quóſque tu vehementer formidas; in poteſtatem nempe Nabuchodonoſor, & Chaldæorum.

26. *Et mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non eſtis, ibíque moriemini:*

26. Et te cum matre tua, ex qua natus es, in regionem extrudam alienam, procul diſſitam à natali ſolo, & ibi moriemini.

27. *Et in terram, ad quam ipſi leuant animam ſuam, vt reuertantur illuc, non reuertentur.*

27. Et in terram, quam vehementer amant, & à qua diuelli ægrè admodum ferunt, cùm maximè cupiant, nunquam tamen redibunt.

28. *Numquid vas fictile atque contritum vir iſte Iechonias? numquid vas abſque omni voluptate? quare abiecti ſunt ipſe & ſemen eius, & proiecti in terram, quam ignorauerunt?*

D 28. Nunquid, inquit Ieremias, Iechonias iſte vas eſt ex vili, ac ſordida materia, & inſuper contritum, ac perditum, non ad honeſtum vſum, & voluptatem, ſed ad ignominiam, & ſordidum miniſterium formatum? Quare tam ipſe, quàm ſemen eius regium abiecti ſunt, & in eam abducti regionem, quam nunquam antè nouerant.

29. *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.*

29. Audi terra, audi iterum, ac ſæpius terra, quod per me Deus tibi nunciatum eſſe vult.

30. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltrà in Iuda.*

E 30. Scribe, inquit Dominus, & voca virum hunc ſterilem, quia filios non tam ad ſolium, quàm ad exilium; ad ignominiam magis, quàm ad regiam amplitudinem gignet. Neque enim ipſe in vita fortunatus, neque ex illius ſemine quiſquam Dauidico ſedebit in ſolio, aut in Iudæorum terra dominabitur.

IN CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Deſcende in domum Regis Iuda, & loqueris.*]

1. HÆc prophetia ſine dubio longè ante ſuperiorem annunciata fuit: quia ad Sedeciam delata ſuperior, quo tempore Chaldæus hoſtis obſideret vrbem; hæc verò ad Ioachaz, ſiue Sellum, qui regnum iniit multò antè, quàm aciem contra Iudæos adornaſſet Nabuchodonoſor. Scio eſſe nonnullos, qui hunc ſermonem habitum eſſe putent ad Sedeciam, in quibus eſt Hieronymus; ſed ſanè non video, quid nos cogat, ſermonem hunc ad Sedeciam referre; & totum caput clamat, hæc ante Sedeciæ regnum contigiſſe. Quidam perferri hæc mandata exiſtimant ad Reges Iuda, non ad aliquem certum, ex illorum numero: ita ſanctus Thomas, & Lyra: aliter tamen indicat genus ipſum ſermonis, quem non bene conferas niſi ad

2. certam aliquam perſonam. Illud, *deſcende*, quomodo conuenire poſſit locorum naturæ, non facilè apparet; cùm ad regiam domum, quæ erat in ciuitate Dauid, & in monte Sion, aſcendendum eſſet potiùs, quàm deſcendendum. Si prophetia hæc pars eſſet ſuperioris, & quæ per legatos reſponderat, eadem coràm ad Regem iubeatur perferre Ieremias, non eſſet difficilis ſolutio. Eſt enim veriſimile, è ſuperiori loco egiſſe Prophetam, cùm non tantùm cum legatis, ſed etiam cum populo, atque habitatrice ſolidæ vallis, loquutum eſſe conſtet: & ita putat ſanctus Thomas: ſed puto, id magis eſſe ex Hebraici ſermonis proprietate, qui, *deſcendere*, frequenter adhibet, pro *venire*. Hebraicè eſt ירד *iarad*, Iudic. cap. 11. verſu 37. vbi Vulgatus de filia Iephthe, *Vt circumeam montes*; Hebraicè, *Vt deſcendant ſuper montes*; 1. Regum 29. verſu 4. ſerui Achis de Dauid, *Et non deſcendat nobiſcum in prælium*, qui ſtatim verſu 9. dixiſſe feruntur: *Non aſcendet nobiſcum in prælium.* ex quo conſtat, eo in loco, idem eſſe *aſcendere*, atque *deſcendere*, & verbum vtrunque idem eo loco eſſe, quod *venire*. & 1. Regum 23. verſu 25. cùm ad montem aſcendiſſet Dauid, in montem tamen deſcendiſſe traditur. *Et nunciatum eſt Dauid* (nempe appropinquare Saül) *ſtatimque deſcendit ad petram.*

Deſcendo, idem quod venio.

1.Reg.29.

1.Reg.23.

3. Verſ.2. *Per portas iſtas.*] Non videbatur ad interiora domus regiæ ingreſſus Ieremias, ſed ad portam palatij inueniſſe Regem, atque ibi retuliſſe quæ à Deo acceperat mandata, tam Regi, quàm populo; aut illis de populo, quos, ad deliberandum de re communi, ſolitos eſſet conuocare Rex: id enim videtur indicare illud, *Qui ingredimini per portas iſtas*; nempe frequenter, & quaſi legitimè. Huc facit quod, quæ ad illos perferuntur mandata, aliena ſunt à populari ſtatu, atque ignobili turba; nempe, *Facite iudicium, & iuſtitiam, & liberate vi oppreſſum*, &c. quæ illorum ſunt partium, quibus commiſſa eſt res communis, & publica.

4. Verſ.4. *Ingredientur per portas domus huius Reges ſedentes de genere Dauid ſuper thronum eius, & aſ-*

A *cendentes currus, & equos.*] Deſcriptio hæc eſt regiæ maieſtatis, atque potentiæ: Reges namque curribus vehuntur, & equis, cum frequenti populi ſatellitio. Promittit autem Deus, ſi Reges præſtare voluerint, quæ Dominus ipſis facienda præſcribit, non defuturos è Dauidica ſtirpe, qui glorioſè regiam illam ſedem obtineant. Hæc eadem, & eiſdem penè verbis ſcripta ſunt capite 17. verſu 25.

Verſ.5. *In memetipſo iuraui, dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus hæc.*] Promiſſis iam minæ ſuccedunt, ſi contrà faxint, atque præceptum eſt. Neque enim ſolùm inferiora alia popularium domata æquanda dicuntur eſſe ſolo; ſed domus etiã regia, in qua conſtruenda, tot dies, tot operæ, tot ſũptus poſiti ſunt. Quid ſit illud, *in memetipſo iuraui*, diximus ad illud Iſaiæ capite 45. *in memetipſo iuraui.* Iuramentum verò illud, ex Pauli ſententia ad Romanos 14. diximus eſſe, *Viuo ego.* Cùm enim Paulus locum illum produxiſſet, qui apud Iſaiam ſic habet, *In memetipſo iuraui*, &c. *quia mihi curuabitur omne genu*: ſic ipſe optimus ſacrarum literarum Interpres teſtimonium citauit. Scriptum eſt enim, *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Illud verò, *in*, idem eſt, quod, *per*, vt Pſalmo 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo*; id eſt, *per eum.* Porro, quæ ſit Diuini iuriſiurandi ſententia, diximus ſuper Iſaiam, ad illud capitis 62. *Iurauit Dominus in dextera ſua.* 5.

B

Quod Deo familiare iuramentũ.

C Verſ. 6. *Hæc dicit Dominus ſuper domum Regis Iuda, Galaad tu mihi caput Libani.*] Satis notum eſt, Libanum eſſe montem pulcherrimum, quíque cedro abundat, & aromate vario; cuius pars nobiliſſima mons eſt Galaad, quæ caput appellatur, vel quia ab Auſtrali plaga principium eſt Libani; vel, vt potiùs reor, quia pars eſt illius montis nobiliſſima, vtpote quæ feraciſſima eſt illorum prouentuum, qui ex Libano monte in omnes fermè regiones comportantur. Certè Iſmaëlitæ mercatores, qui aromata, reſinam, & ſtacten ferebant in Ægyptum, Geneſis 37. veniſſe dicuntur è Galaad. Porro hoc loco ſimilitudo quædam eſt, cuius tamen Scripturæ ſacræ more ſubaudienda nota, in hunc modum: Sicut Galaad caput eſt Libani, ſic regia domus caput eſt Hieroſolymæ. Neque nouum eſt, vt Ieruſalem propter eximiam pulchritudinem Libanus vocetur. Sic frequentes Interpretes in illud Zachariæ capite 11. *Aperi, Libane, portas tuas.* Quod etiam putant hîc cum Hieronymo Theodoretus, Rabbanus, Chaldæus, & Caſtrus. Vt autem Galaad caput eſt Libani, ſic etiam regia domus caput eſt ciuitatis. Eſt ergo ſenſus: O domus Dauidica, tu apud me eo loco es, quo in Libano Galaad: vt enim Libani caput eſt Galaad, ſic tu ciuitatis, quæ inſtar obtinet Libani, caput es. 6.

Galaad, pars nobiliſſima Libani.

D

Si non poſuero te ſolitudinem, vrbes inhabitabiles.] 7.
Vſitatum eſt, vt per apoſiopeſim aliquid ſuppri-

matur, cùm iuriſiurandi aliqua formula præceſſit: eſt tamen ſubaudiendum plerunque id, quod excerationis pondus, aut ſpeciem habet: quomodo Pſalmo 94. verſu 11. dicitur: *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Et iterum Pſalmo 88. verſu 36. *Semel iuraui in Sancto meo, ſi Dauid mentiar.* vbi ſubaudiendum eſt, *ne ſim Deus,* aut, *infidelis habear.* Sic modò, cùm præceſſiſſet, *in memetipſo iuraui,* ſubdit, *ſi non poſuero regiam domum in ſolitudinem.* tu ſupple: *aut nemo mihi deinceps credat, aut impotens habear præſtare, quod minatus ſum.* aut ſimilia. Hîc etiam ſubaudi ſimilitudinis ſignum; vt, ſi non poſuerò te ſicut ſolitudinem, ita vt nullum appareat vrbis veſtigium; & ſicut vrbes, quæ olim frequentes, ita tamen ſunt inhabitabiles, ſicut ciuitates, quæ in illa fœcundiſſima valle ſitæ fuerant, quam nunc maris mortui occupant fœtentes aquæ.

8. Verſ. 7. *Et ſanctificabo ſuper te interficientem virum; & arma eius.*] Sacrum bellum vocatur apud profanos, quod pro pietate, ac religione ſuſceptum eſt; quale fuit illud, quod contra Phocenſes inſtruxerunt Thebani, propter compilatum templum Apollinis Delphici: conſecratæ quoque, ac ſanctificatæ dicuntur manus; quæ Diuinam vlciſcuntur iniuriam, ſtillántque ſanguine inimicorum Dei; quales habuiſſe dicuntur illi, qui ferrum verè pium in aurei vituli adoratores adegerunt: ad quos Moyſes Exodi 32. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in patre ſuo.* Sic etiam ſanctificata dicuntur bella, quorum auctor eſt Deus, Ieremias ſuprà capite 6. & Ioel capite 3. & ſanctificati milites, Iſai. cap. 13. & Ieremiæ capite 51. ſanctificatæ gentes. Vide quæ diximus ſuprà ad caput 6. Ieremiæ, & ad caput 13. Iſaiæ. Significat igitur Deus hoc loco, auctorem ſe futurum belli contra Iudæos, & ſuis auſpiciis rem eſſe gerendam; à ſe conſcribendos eſſe milites, qui eo nomine ſanctificandi fore videbuntur.

Exodi 32.

9. *Et ſuccident electas cedros tuas.*] Perſequitur inchoatam allegoriam: cùm enim tam Libanus, quàm eius caput Galaad, cedris abundarent proceris, & pulchris; ſic etiam Ieruſalem, & regia domus, ſeu ciuitas Dauid, excelſis muniebantur turribus, & egregiis inſtruebantur ædificiis, quæ cenſeri iure optimo poſſunt pro cedris. In illas ergo metaphoricas cedros ſanctificati milites tanquam lignatores irrumpent, & ab imis radicibus inimica ſecuri proſternent.

10. Verſ. 18. *Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum, qui egreditur, quia non reuertetur vltra.*] Variè hìc Interpretes laborant, neque ſanè ſine cauſa, quia locus iſte multiplices habet nexus, quos extricare non leuis eſt negotij. Hebræi, vt docet hîc Hieronymus, omnes filios Ioſiæ Sellum eſſe vocatos arbitrantur; quia in illis conſummata videri potuit Hieroſolymæ gloria, & Dauidici generis imperium. Vt enim Hebræi in fine librorum pro coronide habere ſolent שלום *ſalom*, quaſi dicant, abſolutum eſt opus, ſicut nos addere ſolemus, *Laus Deo,* aut aliquid ſimile: ſic Iudæorum regno, & ciuitati olim florentiſſimæ impoſitus videbatur finis, & extrema coronis: quod tamen meritò Hieronymus improbat. Qui tamen iſtum Sellum Sedeciam eſſe cenſet, quo regnante excisa fuit, atque deſerta Ieruſalem. Ego, vt ſtatim in principio capitis 1. dixi, Sellum eundem eſſe puto, qui 4. Regum 23. & 2. Paralipomenō 36. vocatur Ioachaz, cui omnino conueniunt, quæ de Sellum hoc loco tradit Ieremias. Cùm enim conſtet, quatuor eſſe Ioſiæ filios, qui libro 1. Paralipomenon, capite 3. numerantur; nempe Iohanam, Ioacim, Sedeciam, Sellum; neque negari poſſit, Ioachaz filium eſſe Ioſiæ, cùm id apertè conſtet ex libro 4. Regum capite 23. & libro 2. Paralipomenon capite 36. vbi parenti Ioſiæ in regno ſucceſſiſſe traditur; neceſſe eſt illum, qui quarto numeratur loco, eſſe binominem. Accedit, quòd omnia, quæ de Ioachaz Scriptura tradit, Ieremias hoc loco dicit de Sellum: vt quòd parenti Ioſiæ in regno ſucceſſerit; quòd eò abductus, vnde rurſus in patriam rediturus non erat; quòd iam regnaſſet, quando hæc dicebantur; quòd iam egreſſus ex vrbe non regreſſurus. Quæ ſanè omnia, in nullum alium filiorum Ioſiæ conuenire poſſunt, de quorum morte, vel exilio, tanquam de re futura vaticinium profertur, vt de Ioacim inſepulto, & de illius filio Iechonia captiuo.

Sellum dictus eſt Ioachaz.

Vt autem de capitis filo, ac de re tota conſtet, 11.
videndum nobis, quo temporis articulo propoſita fuerint hæc à Ieremia. Quare de re cùm nihil habeamus à Scriptura certum, coniecturas ſequemur non admodum incertas: dicemúſque, quod in re confuſa, ac perplexa magis videtur fore veriſimile. Conſtat optimi Regis Ioſiæ cædem immaturam accidiſſe toti populo adeò triſtem, & duram, vt & illam lacrymis proſecutus fuerit multis diebus, & planctum anniuerſarium in eius memoriam inſtituerit, de quo 2. Paralipomenon capite 35. *Mortuus eſt Rex Ioſias, & ſepultus in Mauſolæo patrum ſuorum: & vniuerſus Iuda, & Ieruſalem luxerunt eum. Ieremias maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices vſque in præſentem diem lamentationem ſuper Ioſiam replicant; & quaſi lex obtinuit in Iſrael.* Mortuo Ioſia ſtatim illi in regno ſucceſſit Ioachaz, quem appellari diximus Sellum, qui licèt filiorum Ioſiæ non eſſet natu maximus; magis tamen, quàm alij, dignus viſus eſt, qui parenti ſuccederet: atque ideo à populo terræ in regnum aſcitus eſſe traditur 4. Regum capite 23. *Tulitque populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & vnxerunt eum, & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo.* Hic tertio poſtquam vocatus eſt Rex menſe à Pharaone Ægyptiorum Rege a ſolio depulſus captiuus abducitur in Ægyptum, neque ab eo tempore patriam vidit: cuius loco Ioacim alius Ioſiæ filius in regnum ſufficitur. Hoc ego tempore, quo primùm regnum iniit Ioacim, & adhuc Ioachaz in exilio apud Ægyptios viuebat, credo contigiſſe, quæ de tribus Iudææ Regibus prædicit Ieremias.

Ioachaz quando regnauit.

Lugebant, credo, Iudæi, vt facere inſtituerant, 12.
Ioſiam; accedebántque recentes lacrymæ, nouo Rege deiecto, & conſtricto vinculis, quibus plorantibus obloquitur hoc modo Propheta: *Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum, qui egreditur, quia non reuertetur vltrà.* Loquitur, opinor, de Sellum, ſeu Ioachaz, quem lugeri iubet, quia in patriam iterum rediturus non eſt. Sed quis ſit iſte mortuus, à cuius ploratu temperandum eſſe dicitur, non facile dictu eſt.

Quidam, nullum hîc certum deſignari putant, 13.
ſed tantùm vniuerſi de omnibus, qui vita functi ſunt, eſſe ſermonem: quaſi dicat, illam fore Regis conditionem, qui egreſſus è patria, non reuertetur, vt minùs lugeri mortui debeant, quàm

Iudæorum in Hieroſolymã amor.

quàm illius fortuna. Ita Maldonatus, & indicat Pagninus, dum vertit: *Ne defleatis mortuos, nec condoleatis eis.* Et ſanè Iudæi ſic afficiebantur molliter in ſuam Ieruſalem, vt mallent è vita, quàm à Hieroſolyma depelli. De quibus Tacitus libro 21. Annalium ad medium: *Si transferre ſedes cogerentur, maior vitæ metus, quàm mortis.* ideſt, durius eſſet illis, patria carere, quàm vita: quare magis videbatur, exules quàm mortuos plorari oportere.

14. Alij mortuum iſtum eſſe putant Ioachaz, qui in Ægypto deceſſit: ita placuit Lyræ; atque Dionyſio; neque puto, difficilis eſſet expoſitio, ſi in hunc ſenſum accipias: Si in exilio Sellum, ſiue Ioachaz obiiſſe audieritis, nolite flere, plorate potiùs illius infelicem ſortem, dum adhuc viuit; neque tam infortunatus videri debet mortuus, quàm alterius addictus ſeruituti, & exul à patria, ad quam nunquam remigraturus eſt.

Mihi veriſimilius eſt, quod Theodoretus docet, & ſanctus Thomas, quem ſequitur Caſtrus, mortuum iſtum eſſe Ioſiam, cuius tunc funeri lugubrem operam dabant de more Iudæi, quos Ieremias admonet, à lacrymis vt temperent, quas impendunt Ioſiæ, séque ad maius aliquod malum deplorandum conuertant: ad Sellum nempe, quem durior exagitat caſus, quàm ipſa mors, ex quo, vel moriendo, emergere, optabile eſſet.

15. Verſ. 13. *Væ, qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia: & cœnacula ſua non in iudicio.*] Poſtquam egit de Ioachaz, ſeu Sellum, qui exul tunc agebat in Ægypto; agere iam incipit de Ioacim, qui illius loco ſuffectus fuit à Pharaone, commemorátque grauia ipſius peccata, propter quæ commeruit illa ſubire, quæ ſtatim comminatur Propheta. Quod verò hæc magis ad Ioacim, quàm ad Sellum referri debeant, probat & textus ipſe ſermonis, qui eò maxime inclinat; & quia Sellum trimeſtri ſpatio, quo cum regia poteſtate fuit, tot moles, támque inſanas excitare non potuit, quot hîc à Propheta numerantur. Quàm verò ædificia, quæ hîc molitus dicitur Ioacim, ſuperba fuerint, ex adiunctis facile colligere eſt; quæ non niſi in regiis, aut magnorum Principum ædibus inueniuntur.

16. Quanuis, *ædificare domum*, in propria ſignificatione ſumendum putem, exiſtimo tamen per ſynecdochen in immani domorũ ſubſtructione ſignificari omnia, quæ lautam, numeroſámque familiam ornant, & amplificant. Vt enim domus in omni fermè lingua pro familia ponitur, ſic quæ domus propria ſunt, pro quocunque familiæ ornamento, atque ſplendore frequenter vſurpantur. Vnde eſt illud, *ædificare domum*, pro generare filios, qui domum, ideſt, familiam paternam illuſtrant, & propagant. Quomodo Lia, & Rachel ædificaſſe dicũtur domum Iſraël, Ruth capite 4. Quare, qui domum egregia, & lauta inſtruit ſupellectili, & qui opes congerit, fundóſque dilatat, ædificare, aut amplificare dicitur domum ſuam; ſicut illam deſtruere, qui bona diſſipat, aut impendiis excitat alienis, quia ad egeſtatem redigitur familia, quam fundat, aut amplificat iniquitas. Vt ergo deſtructa dicitur domus, quia deſpecta eſt, aut nudata familia, licèt integra ſit marmorea moles, quæ propriè domus appellatur, ſic ædificari, & amplificari dicitur, licèt ad antiquam molem

Ædificare idem quod ornare domum.

A nulla fiat operis acceſſio. Quocirca, etſi Ioacim, de quo grauis hæc querimonia, domum ædificaſſet nullam, ſi tamen ſuam aliquo modo familiam illuſtraſſet, domum conſtruxiſſe videri poſſet; nihilominus, vt dixi, de domo propriè hæc cenſeo eſſe intelligenda.

Verſ. 14. *Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa.*] In domo magnis conſtructa ſumptibus, & egregiè ad vſum, atque ſpeciem elaborata, reliqua locupletis, lautæque familiæ ornamenta, atque ſubſidia ſignificari poſſent: ſed hîc propriè ſingula accipio. Quæ hîc minutim à Propheta numerantur, regiam eſſe docent habitationem, quando domus latam dicitur B habere ſedem, & in altitudinem eſſe producta. Sunt enim cœnacula partes ſuperiores domus, quæ plures habet contignationes: quare non omnium ædium eſt, habere cœnacula. vide, quæ diximus ad illud Actorum 1. *Cùm introiiſſent in cœnaculum.* De ædificiorum inſania, & quomodo in illis magna exiſtimatur eſſe gloria, & nominis æternitas, vide Plinium libro 36. capite 12. vbi cùm pyramidum meminiſſet molis incredibilis, quæ Regum opes multis annis exhauſerant, ait Diuino, eóque iuſtiſſimo iudicio effectum eſſe, vt obliteratis nominibus ignoretur, quinam fuerint tantæ molis auctores, ideſt, tantę vanitatis aucupes. 17.

Ædificiorũ inſania.

C *Qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide.*] Deſcriptio eſt lautæ, atque ſpecioſæ domus, quæ ad deſpectus, & elegantiam perforatos habet parietes, & cancellatos egregiè, cuius ſunt contignationes è cedro, nobili, atque odorata materia; cui etiam accedit aliquod artis, atque pigmenti lenocinium; à quo tecta dicuntur laquearia, ſiue lacunaria, quia aut variis impedita nexibus, aut vndarum in modum inducto tectorio. Sinopide dicuntur picta, quæ rubricæ genus quoddam eſt, quia vis illius ingens in varias orbis partes è ſinope conuehitur: quidam minium eſſe credunt. Porro hîc ſinopis pro quocunque ſumitur pigmento, quo incruſtari ſolent, aut illini parietes, aut ligna. 18.

D Verſ. 15. *Nunquid regnabis, quia conferes te cedro?*] Superbos Regis ſpiritus accuſat, qui ſe inter alios ita putabat eſſe ſublimem, ſicut inter ſylueſtres arbores eminet cedrus. Sed re vera ſuperbia, atque philautia non tam confirmat, quàm debilitat, atque diſſipat regna. Humilitas propitium habet, atque fauentem Deum, qui regna transfert, quocunque libet, eáque pro ſuo arbitratu aut tuetur, aut perdit. Solet autem Scriptura impios comparare cum cedris, Pſalmo 36. quorum tamen altitudo momento deiicitur. Hieronymus in cedro Ioſiam agnoſcit, qui cum Ioacim filio ſuo compoſitus, non ſecus illum ſuperat, quàm cedrus arbuſta, aut E ſitientem myricam in deſerto. Regnaturum igitur ſe putabat Ioacim, quia ſe parenti ſuo ſimilem eſſe arbitrabatur, ſed illum ſuperba vanitas traducebat, cùm tam abeſſet à paternis meritis, quàm à cedri proceritate ignobile arbuſtum. Quare non eſt, cur ſperet, regnum ſibi fore ſplendidum, aut diuturnum. Vtraque expoſitio probabilis; in priorem magis inclinaret animus, niſi poſterior eſſet magis communis, quam cum Hieronymo tenet Theodoretus, ſanctus Thomas, & alij. 19.

20. *Pater tuus nunquid non comedit, & bibit? & fecit iudicium, & iuſtitiam tunc, cùm bene erat ei?*]

Iuſtitia domum amplificat, ac ornat.

Exemplo parentis Ioſiæ docet, quomodo A
Ioacim filio inſtituendum fuerit vitæ genus. Comedere, & bibere hoc loco nihil aliud ſibi velle exiſtimo, quàm pacatam habuiſſe vitam,& rebus omnibus affluentem. Quo dicendi genere hominum fortunatam conditionem explicare ſolet Hiſpanus: quod, credo, explicat Ieremias ſtatim, cùm addit: *Tunc, cùm bene erat ei.* Videtur etenim idem bene alicui eſſe, quod Hiſpanus dicit, *Vale bien.* & *comedit, & bibit*, Hiſpanè, *tiene que comer.* Porro illud, *& fecit iudicium*, cauſam indicat abundantiæ, & pacis. Quaſi dicat: *Pater tuus comedit, & bibit*, quia tunc, cùm illi bene erat, iuſtè iudicabat, atque integrè. In hunc ego ſenſum accipio illud Eccleſiaſtici 9. verſu 7. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua*: ideſt, abundabis bonis, quibus in pace frueris, quia gratus es Deo. Porro & ſignificare cauſam, ſatis eſt vſitatum.

Eccl.9.

B

21. Verſ.16. *Iudicauit cauſam pauperis, & egeni in bonum ſuum.*] Pro, *ſuum*, Hebraicè eſt pronomen affixum *vau*, quod tam ſimplex eſt, quàm reciprocum pronomen. Quare referri poteſt ad egenum, & pauperem, cuius Ioſias agebat cauſam, in hunc ſenſum: In iudicanda pauperis cauſa non tam ſuis ſeruiebat commodis, quod faciunt tyranni, quàm pauperis intuebatur commoditatem, & vſum: vel certè referri ad Ioſiam C poteſt, in hanc ſententiam: Dum cauſam pauperis iudicat Ioſias, non tam pauperis conſulit commoditati, quàm ſuæ. Iuſtitia quippe dominum amplificat, regnúmque firmat, & amplificat magis, quàm rapina. Vtraque expoſitio mihi placet, quia vtraque & opportuna eſt, & cum textu conſentiens.

22. *Nunquid non ideo, quia cognouit me?*] Ideo Rex optimus Ioſias pauperum cauſam æquè, atque clementer iudicauit, quia id Deo gratum eſſe videbat, cuius ſe voluntati totum addixerat. *Cognoſcere*, ex vſu Scripturæ, prouidentiam, & fauorem importat, ſi de ſuperiore ſermo ſit. Et ideo Dauid ad Deum 1. Paralipomenon capite D 11. *Quid vltra addere poteſt Dauid, cùm ita glorificaueris ſeruum tuum: & cognoueris eum?* & Amos 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Oſeæ 13. *Ego cognoui te in deſerto.* Si verò *cognoſco*, aut *ſcio*, ad inferiorem referatur, cultum ſignificat, & obſequium. Pſalmo 90. *Protegam eum, quia cognouit nomen meum.* 1. Regum 2. *Filij Heli, filij Belial neſcientes Dominum.* Quia ergo Ioſias Dominum cognouit, ideſt, eius voluntati audiens fuit, pauperum cauſam tam ſtudioſè, ac ſeriò complexus eſt.

Cognoſco, in ſuperiore prouidentiã, in inferiore obſeruantiã ſignificat.

1.Paralip. 11. Amos 3. Oſeæ 13. Pſal.90. 1.Reg.2.

23. Verſ.17. *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam, & ad ſanguinem innocẽtem fundendum, & ad calumniam, & ad curſum mali operis.*] E Opponit parenti optimo peſſimum filium, ſtudia ſtudiis, meritis merita: vt enim Ioſias innocentes à calumnia, ab iniuria pauperes tuebatur: ſic contrà Ioacim ſtudia eò ferebantur, vt per vim, fraudem, atque calumniam compendia captaret, exhauſtíſque aliis, domus ſua in ſingulos dies fieret ornatior. Illud, *ad curſum mali operis*, ſuperiorum complexio eſt; additur tamen modus: neque enim aut ſegniter, aut timidè ſtudia ſectabatur iniqua, ſed audacter, & feſtinatò: vt non iam ad opus iniquum, quod deſignarat animo, tarda eſſet molitio, ſed curſus acceleratus, & præceps.

24. Verſ.18. *Non plangent eum, væ frater, & væ ſoror. Non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte.*] Cauſam oſtenderat, an Ioacim dignus videretur, in quem Diuinus animaduerteret furor; nunc, quas expendere debeat ſcelerum pœnas, edifferit. Quia de Ioacim, eiuſque ſupplicio multiplici ac duro ſæpius agendum eſt in hoc Propheta, commodum me facturum putaui, ſi quæ paſſus eſt ignominioſa, ac triſtia, in breuem ſummam hoc loco congererem, ad quam deinceps ſæpe allegetur commentatio. Res itaque Ioacim ſic habent: Poſtquam è regno depulſus eſt Ioachaz, qui & Sellum, à Pharaone in eius locum ſuffectus eſt Ioacim, qui priùs Heliacim, cuius anno tertio aſcendit Nabuchodonoſor in Ieruſalem, vt auctor eſt Daniel capite 1. tulitque ſecum in Babylonem egregia templi donaria, & vaſa, & ipſum quoque Regem, vt habes 2. libro Paralipomenon capite 36. *Contra hunc* (nempe Ioacim) *aſcendit Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem.* Cùm autem regnaſſe dicatur Ioacim vndecim annis, 2. Paralipomenon ſuprà, & 4. Regum 36, conſtat ad regnum, à quo depulſus fuerat, fuiſſe reuocatum; ea tamen lege, vt certa quædam tributa quotannis penſitaret, quæ reuerſus in patriam ſeruauit tribus annis. Deinde prodita fide, & aliquid nouum contra Babylonium molitus, iterum illius in ſe inflammauit animum, & arma conuertit: quare ſuperatus iterum eſt, & illud mortis, ac ſepulturæ genus conſequutus, de quo hic Ieremias, & capite 36. Fuit autem apud Babylonios captiuus non ampliùs anno: nam abductus eſt anno regni ſui tertio, vt auctor eſt Daniel, & inchoato anno quarto, vt ex Ieremia colligitur, capite 25. qui docet primum annum Nabuchodonoſor incidiſſe in quartum annum Ioacim. Quæ loca nullo alio modo videntur poſſe componi, niſi dicamus, quartum illum annum nondum eſſe completum. Incompleti verò anni licèt in Scriptura interdum numerentur, aliquando tamen, neque id raro, prætermitti ſolent. Inuenimus apud Ieremiam capite 25. anno quarto regni Ioacim ad Regem ipſum Ieremiam habuiſſe mandatum, vno nempe anno, poſtquam victus, & actus in exilium à Chaldæorum Rege.

Ioacim hiſtoria.

His breuiter, & vtrimque libatis, ad inſtitutum redeat noſtra commentatio. 25.
Non ſolùm in homines crudelis, & auarus fuit Ioacim, ſed abiurata religione patria, in Deum quoque fuit ſceleratus, & impius: nam, vt refert hiſtoria ſcholaſtica in libro 4. Regum, capite 39. quam non improbat Abulenſis in caput 25. libri 4. Regum quæſtione 39. cùm occiſus eſſet Ioacim, ſtigmata quædam in eius corpore reperta ſunt, quibus religionis deſertæ teſtimonium inerat, inuſtum quippe erat idoli nomen, quod colebat, cuius erat nomen Codonazer. Id verò colligi poſſe putant ex libro 2. Paralipomenon capite 36. verſu 8. *Reliqua autem verborum Ioacim, & abominationum eius, & quæ inuenta ſunt in eo, continentur in libro Regum Iuda.* In ſuorum ſcelerum pœnam id conſequutus eſt Ioacim; primùm, vt deiiceretur è paterno ſolio, mortémque obiret ignobilem: deinde, quod in ſumma deputant miſeria viri nobiles, non ſolùm honore careret regij ſepulcri, ſed etiam inhumatus iaceret, non aliam adeptus ſepulturam, quàm aſinus ſolet, in loco videlicet aperto, ac ſordido, vbi & laceretur à canibus, & fœdè putreſcat.

Ioacim idolorum characterẽ compunctus.

Ioacim inuſtum habuit corpori impietatis ſymbolum.

Non

26. *Non plangent eum, væ frater,*&c.] Vt alia ſolennia, & quaſi legitima fuerunt apud Hebræos, vt in nuptiis contrahendis, in fœdere ſanciendo, &c. ſic in funere certam aliquam lugendi formam eſſe puto; tum pro domeſticis, tum etiam pro externis. Domeſticis illam familiarem eſſe reor, *Væ frater*, &, *Væ ſoror*; alienis verò à familia, & ſanguine, *Væ inclyte*, &, *Væ domine*. Quod ex eo mihi perſuadeo, quia cùm de funere Sedeciæ Ieremias ageret capite 34. verſu 5. hæc eadem repetit, quaſi inter Hebræos vſitata, *In pace morieris*, &c. &, *Væ, domine, plangent te.* Et Prophetam, qui à leone occiſus eſt, ſic Propheta alius ſolemni, vt apparet, Hebræorum more, proſequebatur funebri lamento: *Heu, heu, mi frater*, 3. Regum capite 13. Hac de re nonnihil poſtea, capite 34. Significat ergo Propheta, eam futuram eſſe rerum turbationem, aut illud impij Regis apud omnes futurum odium, vt neque ab externis, neque à domeſticis, neque publico, neque priuato planctu cohoneſtandus, neque in illius infauſta cæde audiendum eſſe, *Væ frater, & væ domine.* Videtur autem opponere parentis Ioſiæ funus, & anniuerſarium planctum, ſicur mores ſuperiùs oppoſuerat.

Planctus ſolemnis in Iudæorum funere.

27. Verſ. 19. *Sepultura aſini ſepelietur.*] Non difficile eſt, noſſe, quæ ſit aſini ſepultura, nempe ſordidus, & apertus locus, qui neque tegat cadaueris horribilem, & obſcœnum aſpectum, neque canes, aut vultures à laceratione prohibeat: quod magis explicuit idem Ieremias capite 36. verſu 30. *Hæc dicit Dominus contra Ioacim Regem Iuda*, &c. *Cadauer eius proiicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem.* Vide quæ diximus ſuprà cap. 16. n. 5.

28. Sed poſſet hîc rogare nonnemo, quomodo inhumatus dici poſſit Ioacim, qui tamen 4. Regum capite 24. dormiiſſe traditur cum patribus ſuis? Qui dicendi modus, Hieronymo teſte, ſepultum aliquem eſſe tradit; item, quia putrefactus extra ciuitatis portas proiectus eſt; quod ſanè fieri non poſſet, ſi ſtatim, atque occiſus fuit, extra ciuitatem eſſet eductus. Neque præterea veriſimile eſt, regium cadauer intra mœnia fuiſſe inſepultum, donec putrẽ ſolueretur in ſaniem. Quidam ſepultum fuiſſe dicunt Ioacim à Iudæis, poſtea verò à Chaldæis effoſſum è ſepulcro, iam corruptum, & tabidum, extractúmque extra portas: ita ſanctus Thomas: ſed communiter alij inhumatum eſſe dicunt: quod verba indicant Ieremiæ, tam hîc, quàm capite 36. neque admodum vrget obiecta ratio. Nam, licèt *dormire cum patribus*, plerunque ſignificet, in ſepulcrum inferri, non tamen illud quocunque modo fieri ſignificat: illi enim cum patribus dormiunt, qui eodem cum patribus tumulo conduntur; at quî paterentur hoſtes Babylonij in parentum, ideſt, Regum Iuda Mauſolæa inferri Ioacim, cùm Regum Iuda ſepulcra diſiecerint, & Regum oſſa in Solis, Lunæque conſpectum extulerint, vt prædixerat Ieremias capite 8. Quare, qui tumulatos effodiunt, nôn paterentur, qui

29. nondum humatus erat, terræ mandari. Vt ergo ſepultura, & funus pro morte ſumuntur, quia mortui plerunque ſepulcro, & funereis ſacris honeſtari ſolent; ſic dormire, aut requieſcere cum patribus, quòd mortem, & ſepulturam ſonat, dici poſſunt, qui mortui ſunt, etiamſi tumulati nunquam fuerint. Quod verò dicunt, putrefactum extractum è ciuitate, minùs vrget in oppoſitum:

Regula. Ab eo nomẽ ſumitur, quod fieri plerunque ſolet, etiamſi aliter res contingat.

A neque enim ſignificatur proiectus, poſtquam extabuiſſet, ſed computruiſſe, & eſſe proiectum. vtrunque verò accidit. Verba textus ſic habent: *Putrefactus, & proiectus extra Ieruſalem*, tantùm hîc video quoddam hyſteron proteron, quale eſt illud Virgilianum:

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Quod in Scriptura ſacra frequens eſt, quando, quod priori loco dici debuit, poſteriori ponitur. Eſt enim prius, extra portas cadauer eſſe proiectum, quàm extra portas eſſe putrefactum: hîc verò præpoſterus eſt, & inuerſus ordo.

De loco, vbi occiſus fuerit Ioacim, nonnulli B dubitant. Hieronymus hîc in Babylone cenſet, quia abductus in Babylonem dicitur, neque de illo vſpiam præterea ſermo; ſed communiter alij in Ieruſalem extinctum putant, & textus ipſe docet: quia proiectus dicitur extra portas Ieruſalem, neque aliter viſum eſt Hieronymo in caput 25. Ieremiæ, ſtatim in principio.

30. Verſ. 20. *Aſcende Libanum, & clama: & in Baſan da vocem tuam, & clama ad tranſeuntes, quia contriti ſunt omnes amatores tui.*] Hæc verba non diriguntur iam ampliùs ad Regem Ioacim, niſi quâ moderator eſt, & caput Reipublicæ, ſed ad ciuitatem, vt ſuadent duo verba, *aſcende, & clama*, & plures aliæ voces, quæ generis ſunt fœminei. Si- C gnificat autem Propheta, quantumcunque in partes omnes, auxilij gratia, ſeſe conuertat Hieroſolyma, nihil habituram eſſe præſidij, quod Chaldæorum caſtris opponat. Quia ipſi quoque, quos futuros ſibi præſidio confidebat, eiſdẽ, quibus Hieroſolyma viribus, opprimentur. Iubetur autem montes aſcendere Libanum, & Baſan, vt putat Hieronymus, quia hi trans Iordanem ſunt, & ad Ægyptum aliquo modo ſpectant, vnde ſibi auxiliares copias promittebant Iudæi, vt ibi clament, fœderatíſque populis denuncient, Iudæorum fortunam in anguſtum deduci. Quod tamen auxilium nequicquam implorabit, cùm ipſos quoque fœderatos, ac ſocios, qui hoc loco dicuntur amatores, idem maneat exitus, eadem D ſtrages. Vbi noſter, *tranſeuntes*, Septuaginta, & Theodotio, εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης, ideſt, *ad tranſmarinas regiones.* Qui, vt bene notauit Maldonatus, diuiſiſſe videntur Hebraicam vocem: vbi enim Vulgatus legit מעברים *meabarim*, ideſt, *tranſeuntes*, ipſi legerunt, מעבר ים *meabar iam*, ideſt, *de trans mare*, aut *tranſmarino tractu.* nẽpe, vt videtur, ab Ægypto fidem, & auxilium implorent, quę trans mare mortuum eſt, & trans mare Erythræum. Neque diſplicet, ſi in עדים montes intelligas Abarim, quos traiecerunt filij Iſraël, cùm in terram promiſſionis ingreſſi ſunt, Numerorum capite 33. verſu 47. Tunc verò noſter Interpres, quod alibi ſæpe facit, ſignificationem nominis pro ipſo Hebraico nomine adhibuit. Arabim enim idem eſt, E quod *tranſeuntes.*

31. Verſ. 21. *Locutus ſum ad te in abundantia tua: dixiſti, non audiam.*] Magno ſuo merito in rerum anguſtiis non eſt audita Ieruſalem, neque à Deo, ad quem ſupplices extendebat manus; neque à fœderatis, & ſociis, quorum expectabat, atque implorabat auxilium: quia aut deſeruêre fidem, quã antea dederant, aut ipſi quoque eodem, quo Iudæi impetu, aut fracti, aut exanimati ſunt. Magno (inquam) ſuo merito non eſt audita Ieruſalẽ, quia cùm integra eſſet, floréнſque res Iudaica, clamãtẽ ad ſe Deum audire noluit. *In abundãtia*, idem eſt,

atque dum abundaret omnibus, otio frueretur, & pace, & ad ciuium vota fluerent vniuerſa. Pſalmo 29. *Ego dixi in abundantia mea,* ideſt, dum mihi arrideret fortuna, *non mouebor in æternum.* Cumque Deo, cuius beneficio bonorum illam abundantiam acceperat, obſequi debuiſſet, eò ſtudioſius, quò magis illum liberalem, & placidum eſſet experta, ex Dei tanto dono magis inflata, quaſi illius humanitati nihil deberet, & ſibi ipſi ſatis ex ſe ipſa ſufficeret, incredibili non ſolùm veſania, ſed etiam impudentia dicebat vocanti, atque admonenti Deo, *Non audiam.*

32. *Hæc eſt via tua ab adoleſcentia tua.*] Peccatum exaggerat Hebræorum à diuturnitate, quia à primis annis, ideſt, ab eo tempore, quo primùm electus eſt à Deo populus ille, & certo charactere conſignatus, durum ſeſe præbuit, & peruicacem vocanti Deo. Idem propè, quod nunc Ieremias, exprobrarat olim Moyſes, Deuteronomij capite 32. dum abundantem populum, adhuc in ipſa adoleſcentia, Diuina mandata contempſiſſe dicit: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum.* Idem dixit Ieremias capite 2. *A ſæculo confregiſti iugum.* & ante hunc Iſaias capite 48. *Tranſgreſſorem ex ventre vocaui te.* *Synagoga adoleſcentia.* Adoleſcentia Synagogæ, fuit ætas illa prima, quæ Hebræis ab Ægyptia ſeruitute libertatem dedit, vt latè diximus ad illud Ieremiæ capite 2. *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* Vide, quæ in hunc locum ſuprà pluribus oſtendimus.

33. PROV. *A vento paſci. & ventum paſcere.* Verſ.22. *Omnes paſtores tuos paſcet ventus.*] Duo dicendi genera in Scriptura occurrunt, planè antiſtropha, paſcere ventos, & à ventis paſci. Is autem dicitur ventos paſcere, qui inani ſe labore conficit, & operam perdit; ſumitur autem metaphora à paſtore, qui pecudes agit obſequentes, hic operam ſumit, non vtilem ſolùm, ſed etiam iucundam, qui verò ventum ad ouium ſimilitudinem paſcere, ac moderari vellet, rem ſane tentaret moleſtam, & ſtultam; neque inde quicquam referret compendij, quo ſenſu dicitur
Prou. c.10. Prouerbiorum 10. de illo, qui mendaces captat, atque fucatas opes, vnde ſperari nihil poteſt ſolidi: *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos; idem autem ipſe ſequitur aues volantes.* Secunda pars ſatis oſtendit, quo ſenſu debeat explicari prior. Ean-
Oſeæ 12. dem fortaſſe ſententiam habet illud Oſeæ capitis 12. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum.* Similia ſunt illa apud profanos: *Ventos venari*, aut, *Ventos colere.*

34. Paſci verò à vento, nihil videtur eſſe aliud, quàm lactari ab aliquo falſa ſpe, aut vacuis promiſſionibus ſeduci: ſatis enim notum eſt, ventum pro re vacua, atque nugatoria vſurpari. Qui vitam ex aliena promiſſione ſuſpenſam trahunt, atque hiantem, quorum in Principum oculis ingens numerus, vulgus Hiſpanorum *Camaleones* vocat, qui à vento ſolùm ſuſtentari creduntur. Cùm ergo Iudæorum Principes, atque Paſtores externarum virium expectatione confirmari, à quibus nihil erant habituri ſubſidij, Prophetarum minas, & Chaldæorum offenſionem, & caſtra contemnerent, iure optimo dici potuerunt à vento paſci: neque enim illis plus accedet ab illa expectatione ſubſidij, quàm exhauſto, atque languenti corpore firmitatis à vento. Quare optimè ſtatim ſubijcitur, tam ipſos Principes, quàm illorum amatores, à

A quibus habere ſe paratas auxiliares copias arbitrabantur, in alienum ſolum abituros eſſe captiuos. Hæc eſt ſine dubio genuina ſententia, quam frequentes probant. Alij dicunt, à vento paſci, idem eſſe omnino, atque à vento diſpergi: nam ſicut paſtor in alias, atque alias ſtationes, & paſcua pecus deducit, ſic ventus, qui varias quam ocyſſime regiones permeat, Principes illos, & eorum amatores varie diſpergit. Ita Chaldæus, Hieronymus, & Gloſſa interlinearis: ſed prior expoſitio pluribus placet, neque immeritò.

Verſ.23. *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris, quomodo congemuiſti?*] Ieruſalem, vt dixi- 35. PROV. *Nidificare in cedris, aut in alto.*
B mus, cum Libano confertur, immo & Libanus vocatur, propter ſublimitatem, & ſpeciem; cuius caput regiam eſſe domum, dixit Ieremias paulò antè, ſicut Galaad eſt caput Libani. Eſt autem optima allegoria, quæ ciuitatis maieſtatem, & excellentiam declarat: nam & Libanus mons eſt altiſſimus, & in eo, quod magis eſt in Libano ſublime, ſuam ſibi locaſſe dicitur ſedem Ieruſalem, in cedrorum nempe cacuminibus; quaſi aquila, aut nobilis alia volucris, quæ conſtruit in arduis nidum: non ſicut aliæ exiguæ, atque ignobiles auiculæ, quæ in arbuſtis nidificant, aut in humili ceſpite. Eſt autem hæc dicendi formula penè prouerbialis. Ieremiæ ite-
C rum capite 49. *Cùm exaltaueris, quaſi aquila, nidum tuum, inde detraham te.* & Abdiæ verſu 4. *Si exaltatus fueris, vt aquila: & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te.* Illud, *congemuiſti*, pro futuro ponitur, prophetali more: quia futurum eſt, vt de cedrorum ſummitate deiecta, non ſecus ingemiſcat, quàm quæ in ipſo pariendi conatu diſrumpitur. Porro illud, *quomodo*, fletum indicat, quo, qui bene in vrbem animatus eſt, illam proſequi debet. Eſt enim notum, lugubrem næniam ab hac particula ſolere duci; exempla ſunt in Ieremiæ Threnis non pauca: *Quomodo ſedet ſola ciuitas? Quomodo obſcuratum eſt aurum?* & 2. Regum capite 1. *Quomodo ceciderunt fortes?*
D Iſaias c. 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer?* & plura alia.

Verſ.24. *Viuo ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit* 36. *Iechonias filius Ioacim Regis Iuda annulus in manu* PROV. *dextera mea, inde euellam eum.*] A Ioacim vaticinium traducit ad Iechoniam, ſeu Ioacim illius *Annulus in manu.* filium, cui dura item, & acerba minatur, ſicut aliis Regibus, de quibus proximè. Cùm enim Iechonias iſte nihilo eſſet parente melior, iureiurando illi minatur Dominus ignominiam, ſordes, & durum exilium. Neque leuem indicat offenſionem, quod de annulo dicitur ex Diuina dextera detrahendo: quæ enim nobis aut in pretio, aut in amore ſunt, ſi quando proijcere, aut abalienare contingat, magno neceſſe eſt
E accendamur odio; aut grauis intercedat cauſa, quæ in illa furoris noſtri ſtimulos exacuat. Conſtat, magnum aliquid eſſe, quod in annulo ſignificatur, quid tamen illud ſit, non adeò exploratum, neque idem omnibus.

Tres habet vſus, eóſque præcipuos annulus 37. in dextera: alter eſt, conſignare quæ vim habere *Sigillum hominem repræſentat.* volumus, & pondus, vt noſtrum ibi nomen repræſentetur, & auctoritas: id verò, quia loco noſtri ſupponitur, perinde cenſeri videtur, atque nos ipſi: hic verò annulus ſignatorius dicitur, qualis erat ille Aſſueri, Eſther capite 3. verſu 10. qui traditus eſt Aman. Hic verò haberi debet maxi

maximi, cuſtodirique diligenter, quia magna in illo contineri videntur rerum momenta. Ex hoc vſu ſumptam opinantur eſſe metaphoram, Hieronymus, & alij, cui fauet Septuaginta tranſlatio, quæ vertit, *ſigillum*. Quod ſi ita accipias, quod pluribus placet, neque immeritò, maximè declaratur, quanto Deus peccatorem odio faſtidiat, quàm ad illius nomen, & aſpectum nauſeet, cùm detrahendus eſſe dicatur à dextera, & remouẽdus ab oculis: nam ſi ſignatorius annulus eſt, quaſi alter ipſe, qui alterum ipſum longè ſummouet, non poteſt maiorem offenſionis ſignificationem oſtendere.

Magnum offenſionis indicium.

38. Alius vſus eſt ad elegantiam, atque ideo videmus in lautiorum hominum articulis lucere gemmas, quas impendio magno ſibi comparant, has verò abiicere, niſi graui efferueſcente ira, nemo ſolet.

39. *Charorum effigies in annulis.* Alius vſus eſt, & meo iudicio magis ad hunc locum, quo aliquis illorum effigiem, quos impenſiùs amat, in annulis geſtat, ne vnquam aut ab oculis abeant, aut è memoria excidant; quod apud Hebræos in vſu fuiſſe docuimus ad illud Canticorum 8. *Pone me, vt ſignaculum*; & ſuper Iſaiam capite 44. ad illud, *Et hic ſubſcribet manu ſua Domino.* Vbi obſeruauimus, non ſolùm in annulis, & armillis cælari illorum nomina, ſeu monumenta, quos amamus, aut colimus, ſed in carne etiam, ſicut modò dicebamus de Ioacim, qui, vt tradit hiſtoria ſcholaſtica, in corpore impreſſam habuit imaginem idoli, cuius ſe religioni deuouerat. Idem, quod nunc de Iechonia dicitur, dictum etiam opinor de ipſius nepote Zorobabel, Aggæi capite 2. quem Dominus ad magnam ſecundi templi fabricam adminiſtrum aſſumpſit. *Aſſumam te, Zorobabel, fili Salathiel, ſerue meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia elegi te.* ideſt, eris annulus in dextera mea, in quo tua exprimatur effigies. Annulus verò pro ipſa ponitur imagine, ea figura, qua res continens pro eo, quod continetur, vſurpatur.

Aggæi c.2.

40. *Iechonias dictus Chonias.* Hic obſeruandum, ſi textum conſulas Hebraicum, hic non eſſe *Iechoniam*, ſed, *Choniam*, prima ſyllabâ ſublata, quod nomen ipſe per contumeliam audiuit. Sic ipſius pater Ioacim, qui priùs Heliacim appellabatur, detracta prima ſyllaba, vocatus eſt à Pharaone Ioacim. Si enim integrũm nomen legas, neque propter euphoniam contractum, HeliIoacim potiùs dicendus erat, quàm Heliacim, vt ad primum caput in principio diximus. Neque mihi improbabile eſt, ſicut Pharao victor priorem nominis partem abſtulit ab Heliacim, ſic à Iechoniæ nomine priorem partem à Nabuchodonoſor victore fuiſſe ſublatam, & ab illo pro Iechonia Choniam appellari iuſſum. Ad quod nomen, quod captiuum habuiſſe Iechoniam, non eſt incredibile, reſpexiſſe videtur Deus, cùm illum in hac ſeuera comminatione Choniam appellat. Neque ratio defuit, cur ab vtroque nomine auferri debuerit prima pars? nam, cùm in *Heliacim*, illud, *Heli*, nomen ſit Dei, quod Ioſias religionis gratia audiri voluit in filij ſui nomine, non debuit ſacrum illud nomen in ſcelerati Regis compellatione reſonare. Item Iechonias, vt inquit Hieronymus, à nomine etiam Dei, *Ia*, compoſitum eſt, ſignificátque *Dei præparationem*, ſeu *a Domino præparatum*, quod etiam ſignificabat, quod pater quondam habuit, nomen Heliacim. Iuſto ergo Dei iudicio ſublatum eſt ab illis nomen Domini, qui à Dei mandatis longè

A victore quod eſt in victi nomine glorioſũ, aufertur.

A receſſere. In magno beneficio numerat Deus dediſſe Iacobo nomen ſuum, ideſt, feciſſe vt in eo Diuinum nomen audiretur, cùm appellauit illum Iſraël, atque ideo hortatur, vt illius beneficij recordetur, foréque putet, vt Deum patronum habeat, & parentem, cui ſingularis humanitatis in ſacroſancto illo nomine pignus dedit. Sic autem ad populum Iſaiæ capite 48. verſu 1. *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſraël.* & iterum verſu 12. *Audi me, Iacob, & Iſraël, quem ego voco.* ideſt, cui ego de meo nomine nomen attribuo, quod magnæ beneuolentiæ pondus habet. Vide quæ eo loco diximus. Propter nominis ſui ſanctitatem, quæ erat in Angelo, aut in Ioſue, vt opinatur Rabbanus, dicebat Dominus, Angelo B deberi reuerentiam. Exodi 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c. obſerua eum, & audi vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaueris, & eſt nomem meum in illo.* Nomen autem Dei eſſe dicitur aut in Ioſue, qui idem ſonat, quod *Ieſus*, aut in Angelo, qui à Dei nomine compellationem habet: vocantur enim *Michaël, Raphaël, &c.* in quibus *El*, Dei nomen auditur. Hinc Societatis Ieſu dignitatem agnoſce, & quàm illam Deus charam habeat, quando à ſuo nomine vocari voluit. Quid ergo in Heliacim, retinendus eſſet aliquis Diuini nominis ſonus, cuius vita longè abeſſet à Diuini nominis obſeruantia, & cuius cadauer aſini ſepulcrum manebat? Cur Iechonias C Diuinum aliquid in ſuo nomine referret, cuius futura eſſet apud Barbaros tam vilis, ac ſordida conditio? Hic repetendum, quod capite 1. in principio diximus, omnes Ioſiæ filios communi appellatos eſſe Iechoniæ nomine. Locum illum adi. 41.

Nomen Dei in alicuius nomine reperiri, ſingulare munus eſt. Iſai.48.

Exod.23.

Verſ.25. *Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu, quorum tu formidas faciem.*] Quærere alicuius animam idem eſt, atque alicuius vitæ inſidias moliri, aut ad perdendum aliquem confirmare vires, aut arma comparare. Exempla ſunt obuia. Illud, *Quorum tu formidas faciem*, idem eſſe reor, atque, *quos tu formidas: facies* enim *hominis*, aut *vultus hominis*, ex Scripturæ ſacræ idiomate pro *homine* vſurpari ſolet; vnde frequens, *placare*, D ſeu *deprecari alicuius faciem*; immo hæc vox etiam inanimatis rebus attribuitur, *A facie iræ*, *A facie peccatorum*, *A facie inſipientiæ*; Pſalmo 37. *A facie frigoris*; Pſalmo 147. *A facie tempeſtatum famis*; Threnorum capite 5. Sic etiam nunc accipi, *quorum faciem*, pro, *quos*, mihi difficile non eſt. Vide plura in noſtris Commentariis ad illud Iſaiæ capite 25. *Faciem vinculi colligati.* 42.

Facies, pro eo cuius eſt facies.

Et in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis: & in manu Chaldæorum.] Otioſum videri poterat alicui, quod nunc de Nabuchodonoſor, & de Chaldæis à Propheta dicitur: neque enim alij ſunt, quorum faciem formidabat Iechonias, quàm Nabuchodonoſor, & Chaldæos, à quibus pater Ioacim E interfectus fuerat, & in aſini ſepulturam proiectus. Solutio difficilis non eſt, quam nobis repræſentat Hebræorum idioma, apud quos particula, *&*, exponendi vim habet, valétque idem, quod *ideſt*, quæ vox Interpretibus eſt perquàm familiaris. Exempla adducit Salmeron non pauca prolegomeno 16. §. De coniunctionibus. & nos ad illud Actorum 7. *Et ſemini eius poſt ipſum*, verſu 20. Quibus nunc adde illud Danielis capite 14. verſu 31. *Dabantur eis quotidie duo corpora, & duæ oues.* ideſt, duæ oues. Sic ego cum Maldonato locum iſtum accipio, licèt alij corpora damnatorum intelligant. 43.

Et, particula expoſitiua.

Dan.14.

1.Reg.18. telligant. Adde item illud 1. Regum capite 18. vbi Vulgatus de lapidibus Dauid: *Et miſit eos in peram paſtoralem.* Hebraicè eſt: *Et poſuit eos in vaſe paſtorali, & pera.* pro, ideſt, in pera. Hîc porro genus quoddam apparet repetitionis in priorum explicatione, quod quidem ſine epitaſi non fit.

Verſ.26. *Et mittam te, & matrem tuam.*] Hiſtoriam habes 4. Regum capite 24. vbi fides oſtenditur prophetiæ.

44. Verſ.27. *Et in terram, ad quam ipſi leuant animam ſuam vt reuertantur illuc: non reuertentur.*] Eodem genere ſermonis vſus eſt capite 44. verſu 14. cum ageret de his, qui poſt exciſam Hieroſolymam in Ægyptum abierunt. *Leuare animam*, deſiderium ardens, & aſſiduum importat, quo aliquis ad rem optatam vehementer anhelat, quod ab eius cogitatione animum decedere non ſinit. Quod ſignificarunt, qui cum Iechonia abducti ſunt captiui, dum è patriæ diuellerentur ſinu, cùm dicebant, nunquam ſibi patriæ deponendam eſſe memoriam. Pſalmo 136. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.*

45. Verſ.28. *Nunquid vas fictile, atque contritum vir iſte Iechonias? nunquid vas abſque omni voluptate? quare abiecti ſunt ipſi, & ſemen eius?*] Verba iſta Ieremiæ ſunt, qui eò abiectum eſſe dolet ſuæ gentis Regem Iechoniam, quò vas confractum: quódque non tam ad voluptatem, & nobilem vſum, quam ad ſordidum, vileque miniſterium formatum erat. Pro *vaſe fictili*, Hebraicè eſt עצב *eſeb*, quod variè ab auctoribus conuertitur: quidam *idolum* trãsferunt, ex argilla nempe factum, quod homines, vbi illius vanitatem agnouerunt, confringunt, & in fimetum abiiciunt, tanquam aliquid odioſum, aut vile. Symmachus *purgamentum*, ſiue *quiſquiliæ viles*, noſter Vulgatus aliquid reddidit

PROVERB. *Vas confractum.* magis commune. Notum eſt enim *vas* ad multas ſignificationes patere, cùm idem apud Hebræos ſit, quod apud Græcos σκεῦος, apud Latinos *inſtrumentum.* Prouerbiali porro ſpecie, vas confractum, & abiectum pro re viliſſima vſurpari ſolet. vide quæ diximus capite 19. ad finem Pſalm. 30. *Factus ſum tanquam vas perditum.* & Baruch cap.6. *Sicut vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt & dij illorum.*

46. Verſ.29. *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.*] In tergemina repetitione vis ſignificatur maxima, vt ſuprà docuimus capite 7. ad illud, *Templum Domini, templum Domini, templum Domini.* Hîc puto in hac repetitione grauem, & certum caſum Ieruſalem cum ingenti animi Prophetæ dolore ſignificari.

47. Verſ.30. *Scribe virum iſtum ſterilem: virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur.*] Quæ inutilia ſunt, aut quæ finem, quò deſtinabantur, non conſequuntur, illa perinde iudicamus, ac ſi non eſſent, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 3. *Iudicem, & Prophetam.* Quomodo homines dicuntur non audiiſſe clamantem Deum, quando illius voci non obſequuntur. Et Deus dicitur non

Quæ inutilia ſũt, aut quæ ſuum non cõſequuntur finem, exiſtimantur ac ſi non eſſent.

A recordari, quando aut non punit hominum peccata, aut iuſto laboranti non ſubuenit: quia Dei memoria, dum non videtur in opere manifeſta, vulgo hominum imperitorum iudicatur otioſa. Vnde frequens in Scriptura illud: *Peccatorum tuorum non recordabor.* ideſt, non puniam. *Memento mei.* ideſt, miſerere. Si Rex eſt aut infans, aut fatuus, nullum eſſe Regem, aut ſi medicina ſalutaris non fuit, nullam fuiſſe medicinam arbitramur. Cùm ergo Iechonias iſte filium habuerit Salathiel, à quo deinde Zorobabel natus, & poſteri ad tempus vſque Chriſti, vt memorat Matthæus capite 1. ſterilis tamen appellatur, quia poſterorum nemo (mitto modò, quæ de Chriſti regno, ſolióque Dauidico docet fides) regnum obtinuit, aut pa-

B rentibus cum regio nomine, ac maieſtate ſucceſſit: quem ad finem regia ſoboles optari poſſe videbatur. Porro hæc id ſpectant, quod pollicitus eſt Deus ſuprà capite 17. verſu 25. qui ſic ad viros Ieruſalem, ſi piè voluerint, & ex lege viuere, *Ingrediantur per portas ciuitatis huius Reges, & Principes ſedentes ſuper ſolium Dauid, & aſcendentes in curribus, & equis.* Quod ſanè conſequutus eſt nemo eorum qui ex ſtirpe Iechoniæ propagati ſunt. Cùm ergo Rex Iechonias Regem non genuerit, aut regiam ſobolem, quia ſi quos ſuſcepit liberos, geniti ſunt in exilio à patre iam non Rege, ſterilis iure optimo vocari potuit. Addé, quòd Hebræorum more 48.

C hîc ſubaudiri poteſt ſimilitudinis forma, nempe, *ſicut*, aut, *quaſi*, in hunc ſenſum: *Scribe Iechoniam quaſi ſterilem.* quia quod ad regnum attinet, perinde eſt, ac ſi nullum ſuſcepiſſet filium. Quomodo ſterilis vocari etiam poteſt, & ſolet, qui filios non tam vitæ genuiſſe videtur, quàm ferro, vel exilio; quia ex liberis ea ratione vel ſublatis, vel amotis nihilo maiorem ſuauitatem capit, quàm ſi nunquam communem hanc lucem aſpexiſſent: ſic vxor, dum virum abeſſe contigerit, viduam ſe vocet, quia tunc à viro nihil accipit ampliùs, quàm ſi in viuis non eſſet. Sic, puto, explicari non incommodè poteſt, quomodo ſterilis ſcribi poſ-

D ſet Iechonias, cùm tamen virum ſuſceperit Salathiel, & ex eo nepotes ad multas vſque poſterorum ætates.

Hæc mihi difficilia non ſunt, ſed ſi accuratè lo- 49.
cum iſtum expendas, minùs erit impeditus, quàm nonnulli putant. Non enim negat Propheta, aliquem ex regio ſemine aliquando futurum in Dauidico ſolio: nam id non videtur ſic extricatum, vt omnibus ſit omnino certum: ſed tantùm dicit, in diebus ſuis Iechoniam ſterilem fore, atque infortunatum, quia in illis nempe diebus filium ſuſcipiet nullum, qui ſceptrum habeat, & poteſtatem in terra Iuda. Id enim ſonat, vt videre mihi perſpicuè videor, *Scribe virum iſtum ſterilem: virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur. Neque enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat* (in diebus nempe illius) *ſuper ſolium Dauid.* In hunc modum ſoluit iſta Hieronymus. Hæc de capite vigeſimoſecundo.

ARGVMENTVM CAPITIS XXIII.

GRAVITER Deus in Sacerdotes inuehitur, & Prophetas, qui mendacibus, & aſſentatoriis vaticiniis populum nimis credulum, in fraudem, atque in exilium coniecerunt. Quorum peccata vehementer amplificat. Promittit deinde populo libertatem, & eius occaſione de Chriſto maioris libertatis vindice ſermonem inducit. Reuertitur deinde ad pſeudoprophetas, qui quaſi à Domino vera ſuſcepiſſent oracula, ſuis ſomniis, commentíſque fallacibus Diuini nominis fidem obtendebant, quos eam ob cauſam grauiter accuſat. Ad extremum in illorum inuehitur audaciam, qui Prophetarum vocibus inſultant, Diuinúmque verbum oneris *nomine in odium, atque ignominiam trahunt. Quare edicit, ne quis ampliùs nomen illud* oneris *odioſum Diuinis oraculis attribuat.*

IEREM. CAP. XXIII.

1. *VAe paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus.*

2. *Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad paſtores, qui paſcunt populum meum: Vos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos, & non viſitaſtis eos: ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum, ait Dominus.*

3. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura ſua, & creſcent, & multiplicabuntur.*

4. *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos: non formidabunt vltrà, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.*

5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit Rex,*

IN IDEM CAP. PARAPH.

A 1. VÆ paſtoribus, ait Dominus, qui quem ego in meis paſcuis aluceram, ipſi deglubunt, perdunt, ac dilacerant gregem.

2. Propterea dicit Dominus ad paſtores, qui præſunt gregi, paſcúntque, aut certè paſcere ſe ſimulant: Vos gregem è paſcuis, quæ mea benignitas, ac prudentia pararat, eieciſtis: vos aliò, atque aliò diſſeminaſtis, neque quid ipſi foret ex vſu prouidiſtis, neque magis de illo laboraſtis, quàm ſi eſſet alienus. Quia ergo gregem
B meum non viſitaſtis amicè, ac prouidè, vt nomen exigebat paſtorale, ego viſitabo vos, ſtudiáque veſtra peſſima, non molli, atque paterno baculo, ſed virga ſeuera, & peccatorum vindice.

3. Pòſt ego congregabo reliquias gregis mei, quas vos in varia loca diſperſiſtis, in eum locum, vnde illum extruſeram, & ad antiqua, & nota pabula reducam: vbi multiplicentur, & creſcant. Et ad huius ſimilitudinem, atque vmbram nouiſſimis temporibus populum alium magis fortunatum, atque copioſum congregabo, ſta-
C tuámque in melioribus, atque vberioribus paſcuis.

4. Præficiam ſeruatis gregis mei reliquiis paſtores vigilantes, & ſtrenuos, qui paſcant illas. Non formidabunt vltrà, neque pauebunt, neque ex illo numero requiretur vnus; quæ ſic erunt in Iudæorum libertate vera, vt multò ſint in alio populo congregando poſtea vera magis.

5. Ex his ego maiora, atque ſacrata magis intueor. Nam licèt Dauidi nati fuerint impij,

Rex, & ſapiens erit: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.

A impij, ac ſcelerati filij, quos Deus è regio ſolio cum ignominia deturbet, naſcetur tamen illi aliquando filius iuſtus, & ſapiens, qui & ſedulò curet ſubditorum ſalutem, & illos in officio, ac pietate contineat.

6. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.

6. In diebus autem illis, in quibus verus paſtor Chriſtus gregem moderabitur, vera tunc erit ſalus, & non tantùm adumbrata Iudæorum. Tunc verè ſine vllo periculorum metu, confidenter habitabit Iſraël: erit etenim ille verè Dominus iuſtus, & verè noſter, quia noſtris commodis B inuigilabit; non iniquus, ſicut Reges alij, qui ex ſubditorum præda ſua ſibi commoda venantur.

7. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà: Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aegypti:

7. De vmbra nunc ago, & Iudæorum libertate. Propter ſeducti populi frequentes ærũnas, dicit Dominus, aderit aliquando tẽpus, cùm ita ornabo ſolutum Iudæorum genus, è Babylone, vt beneficia longè maxima, quibus illũ ad Ægyptium egreſſum cumulaui, obliuioni tradãtur, dicántque non ampliùs in iureiurando concipiendo, Viuit Dominus, qui eduxit de terra Ægypti filios Iſraël. C

8. Sed: Viuit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſraël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc: & habitabunt in terra ſua.

8. Sed dicent potiùs, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aquilonis, & de vniuerſis terris, in quas à me diſſeminati fuerant. Futurum eſt enim, vt aliquando in patrios, datámque parentibus hæreditatem reuertantur.

9. Ad Prophetas: Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea: factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius.

9. Iam ad Prophetas nouum vaticinium aggredior. Extabuit cor meum, & graui totius corporis concuſſu ita cohorrui, vt omnia oſſa mea contremuerint. Neque aliter affectus ſum, quàm qui æſtuat à D vino, qui impos eſt ſui, & fanaticum in modum amens bacchatur; quia faciem vidi Domini inflammatam furore, & oculos horribile aliquid ſcintillantes, audiuíque verba furoris, atque acerbitatis plena.

10. Quia adulteris repleta eſt terra, quia à facie maledictionis luxit terra, areſacta ſunt arua deſerti: factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo eorum diſſimilis.

10. Hæc autem fuerunt Domini verba, quæ mihi horrorem tantum incuſſerunt. Vidi, inquit Dominus, totam terram delibutam, atque contaminatam adulteriis; vidi regiones inducta maledictione lugentes, & ſteriles; vidi areſcentes agros; vidi omnes ad malum curſu ferri præcipiti, & ſi quid habent fortitudinis, illud ad E ea, quæ à vera diſſident religione, conferri.

11. Propheta námque & Sacerdos polluti ſunt: & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus.

11. Sacerdotes etenim, & Prophetæ, qui populum in officio continere debuiſſent, ipſi quoque eadem ſe polluerunt intemperantia, dicit Dominus; neque illis religioni fuit domus mea, & Iſraëliticæ gentis commune ſacrarium: ibi námque reperi rapinam, & dolum, & nefariæ etiam libidinis diuerticula.

12. Idcir 12. Quo

12. Idcirco via eorum erit quaſi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea: afferam enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum, ait Dominus.

A 12. Quocirca in omni loco, ac tempore illorum erit ærumnoſa fortuna. Ambulabunt namque in lubrico, ac tenebricoſo loco, in quo niti non poterunt, aut firmari veſtigia. Cúmque adfuturus ſit, qui in eo rerum articulo incurrat,& impellat,neceſſe eſt, vt præcipites ruant. Inducam enim ſuper eos mala, & veniet aliquando tempus, quod ipſi venturum non credebant, in quo in illorum vitam, & mores inquiram, & pro ſcelerum modo puniam vniuerſos.

13. Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Iſraël.

B 13. Vidi ſanè in Prophetis Samariæ ſtuporem fatuum; qui conſulebant Baal, & illius reſponſa referebant ad populum, & eo modo ſeducebant Iſraël.

14. Et in Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus peſſimorum, vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua: facti ſunt mihi omnes vt Sodoma, & habitatores eius quaſi Gomorrha.

14. Neque minùs fatuos eſſe video, qui Prophetarum ſibi nomen ſumunt in Ieruſalem: qui quaſi alienos deos conſuluiſſent, & quaſi adulterantes à vera religione defeciſſent, pro oraculis venditant deliria ſua,atque commenta fallacia. Quibus aluerunt in ſceleratis animis audaciam in peccando, & ad omne facinus improborum manus confirmarunt, effecerúntque, ne à ſua quiſque nequitia reſipiſceret. Eò denique turpitudinis proiecti ſunt omnes, vt nihilo viderentur meliores his, qui quondam Sodomam habitarunt, & Gomorrham.

C

15. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas: Ecce ego cibabo eos abſynthio,& potabo eos felle: à Prophetis enim Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram.

15. Propterea ego, ait Dominus, ſic illos acerbè puniam, ſic accipiam amarè, vt nihil aliud comedere, aut haurire videantur, quàm ex abſynthio cibum, aut è felle poculum. A Solymitanis námque Prophetis in vniuerſam Iudæam pollutio redundauit,& vaſtitas.

16. Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: viſionem cordis ſui loquuntur,non de ore Domini.

D 16. Nolite,dicit Dominus,audire Prophetas, qui oracula habere ſe ſimulant, & vobis re vera fraudi ſunt, ſua quippe vobis ſomnia narrant, non quæ à Deo ipſis oblata,atque inſpirata ſunt.

17. Dicunt his,qui blaſphemant me: Locutus eſt Dominus: Pax erit vobis: & omni, qui ambulat in prauitate cordis ſui, dixerunt: Non veniet ſuper vos malum.

17. Dicunt enim his,qui impiè de me, atque indignè loquuntur, cùm illis iam impenderit horribile ſupplicium; Fauſtum habemus oraculum à Domino; Pax adeſt optata; & his, qui prauis, ac voluptuariis indulgebant affectibus,dicebant: Longè à vobis aberit infortunium.

18. Quis enim affuit in conſilio Domini, & vidit,& audiuit ſermonem eius? quis conſiderauit verbum illius,& audiuit?

E 18. Quis Diuino conſilio, quis Diuinis cogitationibus interfuit? Quis vidit Deum, & illius ſermonem audiuit? Quis, inquam, verbum illius audiuit, & expendit? At fallàces hi viri ita loquuntur indubitanter, quaſi Diuino interfuiſſent conſilio,& à Deo accepiſſent,quem tunc ad populum ſermonem habebant.

19. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur: & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet.

19. Pacem illi promittunt, ac ſecunda omnia. Sed ecce à Diuini pectoris offenſione conflari video turbinem, & tempe-

20. Non ſtatem

A ſtatem vehementem, quæ in ipſorum caput violenter erumpet.

20. *Non reuertetur furor Domini, vſque dum faciat, & vſque dum compleat cogitationem cordis ſui: in nouiſſimis diebus intelligetis conſilium eius.*

20. Furor meus non erit ſicut muliebris, aut infantilis indignatio, quæ citò langueſcet, neque plerunque præſtat quod minatur; ſed conſtans, & efficax, qui non ſedatur, niſi cùm, ſumpto de ſontibus ſupplició, ſibi ipſi omnino ſatisfecerit. Quid autem Diuinus hic furor aut velit, aut poſſit, extremis veſtræ Reipublicæ temporibus, cum magno veſtro malo cognoſcetis.

21. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.*

B 21. Non mittebam illos, ipſi autem impauidè, atque veloci curſu properabant: Et cùm nullo eſſent à me afflati, atque illuminati verbo, prophetabant tamen, quaſi Diuinum accepiſſent oraculum.

22. *Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis.*

22. Si Prophetæ illi ex ore meo populum docuiſſent, & mea conſilia, ac verba, non ſua ſomnia illi manifeſtaſſent, abduxiſſem illum à via mala, quam fuerunt ingreſſi, & à prauis, ſtultíſque conſiliis.

23. *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus? & non Deus de longè?*

23. Putáſne, ô Propheta falſe, me talem eſſe Deum, vt tantùm videam, quæ C propè ſunt, & quæ longè diſtant, cernere, ac iudicare non poſſim?

24. *Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?*

24. Si homo ſe, aut animi conſilia, penitus occultauerit, nunquid meos oculos, aut meam intelligentiam effugiet? Nunquid, cùm nihil ſit in cælo, nihil in terra, quod ego non compleam, quicquam eſſe poterit mihi non præſens?

25. *Audiui quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniaui, ſomniaui.*

25. Quia ego nihil non video, & occultas etiam animi latebras introſpicio; & nihil non audio, audiui, quæ Prophetæ dicunt, dum nominis maieſtatem, & fidem ſuis commentis, ac mendaciis prætendunt, D dicentes in ſomnis Diuina ſe accepiſſe oracula.

26. *Vſquequo iſtud eſt in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis ſui?*

26. Quandiu vani iſti, atque ſtulti Prophetæ, ſtudio ſibi habebunt, mendacibus illudere vaticiniis? & errores ſuos populo proponere, quibus ipſi à malo ſpiritu ſeducuntur.

27. *Qui volunt facere vt obliuiſcatur populus meus nominis mei propter ſomnia eorum, quæ narrat vnuſquiſque ad proximum ſuum: ſicut obliti ſunt patres eorum nominis mei propter Baal.*

27. Quod fecit olim Baal, qui præſtigiis, & fraudibus populum eò abduxit, vt Dei cultum abiiceret, & nominis obliuiſceretur Diuini: idem ſuis ſomniis nunc ſtudent facere Prophetæ, vt populus non E ita ampliùs recordetur nominis mei.

28. *Propheta, qui habet ſomnium, narret ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè: quid paleis ad triticum, dicit Dominus?*

28. Qui habent ſomnium, aut verbum à Domino verum, id me probante, atque etiam iubente ad populum loquatur. Somnium autem, aut verbum diuinitus oblatum facilè à mendaci verbo, aut à ſomnio fallaci ſecernitur. Illud enim eſt ſicut frumentum, quod fructuosè ſeritur; hoc ſicut paleæ, quas ſi ſeminare volueris, vtilitatis inde nihil referes.

29. *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis,*

29. En aliud ſignum, quod verbum meum

ignis, dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petram?

A meum ab aliorum commentis diſtinguit. Verba etenim, quæ à Diuino ſpiritu animata non ſunt, nihilo magis inflammant, quàm emortua fauilla, neque grauiores habebunt pulſus, quàm euanidæ ſtipulæ. At Dei verba ignea ſunt, quæ inflammant, & vrunt, & adeò potentia, vt ſicut malleus ſaxa, ſic ipſa ſaxea hominum pectora comminuant.

30\. *Propterea ecce ego ad Prophetas, ait Dominus: qui furantur verba mea vnuſquiſque à proximo ſuo.*

30\. Propterea, ait Dominus, ſic ego ad Prophetas, qui ſuo potiùs loquuntur ſpiritu, quàm Diuino: qui verba non tam ipſi
B accipiunt à Deo, quàm furantur à proximis:

31\. *Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus: qui aſſumunt linguas ſuas, & aiunt: Dicit Dominus:*

31\. Ecce, inquam, ego ad Prophetas, qui cùm illis loquantur linguis, quas ambitio, aut alius humanus ſenſus moderatur, & inſtruit, id eſt, ſua lingua, aut ſuo etiam ſpiritu verba fundant, illis tamen Diuini nominis maieſtatem prætexunt.

32\. *Ecce ego ad Prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus: qui narrauerunt ea, & ſeduxerunt populum meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis: cùm ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.*

32\. Ecce ego ad illos, quibus pro ſomnio mendacium eſt, quíque illud quaſi oraculum foret Diuinum, populo proponunt, illúmque noua, atque admiranda re-
C rum ſpecie, & verborum inuſitata, ac prophetali forma decipiunt: cùm tamen ego cum mandatis illos nunquam miſerim. Qui ſanè populo nihil attulerunt opportunum, aut vtile.

33\. *Si igitur interrogauerit te populus iſte, vel Propheta, aut Sacerdos, dicens: Quod eſt onus Domini? dices ad eos: Vos eſtis onus, proiiciam quippe vos, dicit Dominus.*

33\. Si populus hic, ô Ieremia, quod ſæpe facit, aut Propheta, ſeu Sacerdos, cum irriſione, ac ſtomacho dixerint, Aliquódne habes, ô Ieremia, *onus*, ideſt, vaticinium durum, quod obnuncies? Dices ad eos meo nomine, Iam vobis à me nullum afferetur onus, vaticinium nempe, minax, &
D triſte, quod licèt durum, ab animo tamen paterno proficiſcitur: ſed vos mihi verè eſtis onus, in alia nempe ſignificatione, ideſt, pondus importabile, quod ego ab humeris meis longè proiiciam.

34\. *Et Propheta, & Sacerdos, & populus qui dicit, Onus Domini: viſitabo ſuper virum illum, & ſuper domum eius.*

34\. Quòd ſi quiſpiam deinceps è populo Propheta, vel Sacerdos verbum meum *onus* appellauerit Domini, tam ipſum, quàm illius domum, & familiam ſeuerè mulctabo.

35\. *Hæc dicetis vnuſquiſque ad proximum, & ad fratrem ſuum: Quid reſpondit Dominus? & quid locutus eſt Dominus?*

35\. Hic erit inter vos familiaris ſermo: Dicetis enim, Quid Dominus dixit? Quid Dominus reſpondit? & ſimilia.

36\. *Et onus Domini vltrà non memorabitur: quia onus erit vnicuique ſermo ſuus: & peruertiſtis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei noſtri.*

E 36\. Et *onus Domini* non audietur vltrà, quia talis ſermo cuilibet, onus, ideſt, pondus imponet importabile: quia viuentis Dei, ac Domini exercituum verba in alienos ſenſus detorquetis, irridendo, &, quantum in vobis eſt, illorum fidem eleuatis.

37\. *Hæc dices ad Prophetam: Quid reſpondit tibi Dominus? & quid locutus eſt Dominus?*

37\. Cùm tibi agendum fuerit cum Propheta, modeſtè ab illo rogabis, & dices, quod habes à Domino reſponſum? ſeu,

38\. *Si* quod

38. *Si autem onus Domini dixeritis, propter hoc hæc dicit Dominus: Quia dixiſtis ſermonem iſtum: Onus Domini: & miſi ad vos, dicens: Nolite dicere: Onus Domini.*

39. *Propterea ecce ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & ciuitatem, quam dedi vobis, & patribus veſtris, à facie mea.*

40. *Et dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.*

A quod à Domino verbum accepiſti; à nominando tamen *onere* prorſus abſtinebis.

38. Sin autem, poſtquam admoniti eſtis, adhuc tamen nomen *oneris* vſurpare pergatis, efficiam, ne ſicut antea impunitatem habeat iſta proteruitas.

39. Propter hæc etenim tollam vos, ſicut onus, quod in plauſtro, aut iumentorum dorſo tranſportatur, quàm longiſſimè à patria, & tam vos, quàm ciuitatem, quam olim tradidi parentibus veſtris, derelinquam.

40. Et ſicut vobis opprobrio fuerunt Prophetarum oracula, ſic ego efficiam, vt opprobrium habeatis æternum, & ignominiam, quæ recens erit in hominum memória, neque vlla vnquam obliuione delebitur.

IN CAPVT VIGESIMVMTERTIVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Væ paſtoribus, qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus.*]

1. HACTENVS de Regibus actum, ſingulíſque prædictum, quis illos exitus, aut exitium maneat: dehinc ad alios, quibus commiſſa eſt Reipublicæ cura, vaticinium traducitur: ad Sacerdotes, nempe, atque alios, quibus adminiſtris in Reipublicæ adminiſtratione Reges vtebantur, quos hîc paſtores appellat Propheta. Hi verò ideo dilacerare, ac perdere greges dicuntur, vel quia, quò ſuis inſeruiant commodis, pecus non ſolùm tondent, ſed etiam deglubunt, & eorum ſe carnibus ad ſatietatem explent: vel quia, aut vitæ exemplo peſſimo, aut veſano conſilio, in fraudem, atque exitium abducunt. Ex quo id conſequuti ſunt infortunati greges, vt ab vberrimis paſcuis, ad ſitientes, ac ſenticoſos agros variè diſperſi, & macie attenuentur, & ab immitibus hoſtibus nihilò accipiantur benigniùs, quàm à luporum dentibus, aut leonum vnguibus.

2. Verſ. 2. *Ecce ego viſitabo ſuper malitiam ſtudiorum veſtrorum, ait Dominus.*] Viſitare, verbum eſt ambiguum, quod ſtudium ſignificat, & opus, quod tam ab offenſo, quàm à beneuolo animo promanat. Vtranque ſignificationem complexus eſt hoc loco Dominus: reprehendit enim paſtores, quòd gregem non viſitarunt illo modo, quo ipſorum ſaluti, atque vſui eſſet accommodatior; ideſt, ea virga, quam *decorem* appellauit Zacharias capite 11. verſu 7. cuius vſum explicuit Ezechiel capite 34. *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum, non alligaſtis, quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis.* Hæc eſt illa viſitatio mitior, quæ ab animo naſcitur paterno. Hic por-

Ezech. 34.

B ro locus Ezechielis optimè exprimit totum, quem nunc verſamus, Ieremiæ locum: deinde, cùm animaduertendum eſſe dicit in Paſtorum fraudem, & incuriam, alterum viſitationis modum oſtendit; illum nempe, qui eſt à virga, quam Zacharias proximè vocauit *funiculum*, qui plenus eſt ſeueritatis, magíſque ab indignato iudice, aut ab armato vindice, quàm à paſtore, ſiue parente proficiſcitur.

Vt autem in paſtores, aut in paſtorum potiùs idolum inuehitur, qui in fraudem, & exitium incautos greges impulerunt; ſic gregis ſeducti, atque lacerati miſertus, reuocaturum ſe promittit C illum ad antiqua paſcua, perfecturúmque, vt adoleſcat, & niteat, & in ſingulos dies magis, atque magis augeatur.

Verſ. 3. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc.*] Vſitatum eſt inter Prophetas, vt non ſolùm quando Teſtamenti noui, & Euangelici ſæculi aliqua ſe oſtentat vmbra, ad illud ſermonem, & ſpiritum intendant; quod pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 45. *Rorate cæli deſuper*, ſed etiam cùm occurrit cõtraria. Ex multis pauca accipe exempla. Egerat Zacharias capite 7. de victoria contra D Tyrum, & Aſcalonem, vbi potentia, opes, & apparatus ſuperbi deſcribebantur: ſtatim contraria omnia in Chriſto bellatore, aut triumphatore contemplatus, ait: *Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus, & Saluator, pauper, & aſcendens ſuper aſinam.* Ac ſi dicat: Longè alius erit habitus, atque aſpectus Chriſti, qui pauper veniet, & aſello inſidens, & tamen inimicorum caſtra, & quadrigas euertet. Et capite 13. cùm de falſis Prophetis ageret, quos eo titulo confixerunt parentes, affecerúntque

3.

Ex re commemorata Teſtamenti veteris, ad eius contrarium ex nouo gradus fit.

Zach. 9.

que plagis, ad verum Prophetam Chriſtum à parente plagatum, atque confixum vaticinium conuertit: *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum.* Sic nunc, cùm de malis egiſſet paſtoribus Ieremias, qui gregem lacerarunt, diſperſerúntque, ad paſtorem bonum ſeſe conuertit, & eius ſtudio rediiſſe dicit greges in campos vberes, & antiqua paſcua, vbi pingueſcant, & niteant, & augeantur numero.

Zachar. 13.

4. Exiſtit autem hoc loco inter Auctores controuerſia, de quo tempore oraculum iſtud tam illuſtre accipiendum ſit; de reditúne ab exilio Babylonico, in quod paſtorum ſiue dolo, ſiue incuria, abactum eſt infortunatum pecus, quod conſtat Dei beneficio per paſtores ſuos Cyrum, Eſdram, &c. ad antiquas ſedes reuocatum: an de tempore Euangelij, quo à maiori periculo, magíſque dura ſeruitute grex multò copioſior vendicatus eſt.

5. Hebræorum aliqui de tempore Babylonico hæc interpretantur; paſtoréſque putant Eſdram, Zorobabel, Ieſum filium Ioſedech, & Prophetas, qui aut duces, aut hortatores fuerunt remigrationis in patriam; in quorum ſententiam non leuiter inclinat Theodoretus. Communiter alij fermè omnes cum Hieronymo eò conſpirant, vt de ſpiritali omnia libertate, Euangeliíque ſæculo intelligenda cenſeant: quorum ego ſententiæ libens ſubſcribo. Occurrunt quippe non pauca, quæ in tempus illud Babylonicum aptari non poſſunt, quæ ſuis locis à nobis explicabuntur: ſed quid mihi abs re non videatur alienum, paucis expediam.

6. Inprimis cenſeo, ſermonem hunc eſſe de Chriſto Paſtore optimo, gregiſque amante: qui inſtar Iacobi, in quo Paſtoris optimi ac vigilantis effigies exprimitur, gregem ita pauit à parente traditum, vt dum illius commodis inuigilat, æſtu vreretur, & gelu: neque aut oculis ſomnum, aut quietem corpori largiretur, ne à beſtia captum pecus oſtenderet; in quem, vt promptum eſt cuique animaduertere, quæ deinde dicuntur, bellè conueniunt.

Ieſus Paſtor bonus.

7. Deinde cenſeo hîc eſſe aliquid, quod ad temporariam Iudæorum ſalutem pertineat, reditúmque ab exilio: vnde excitari potuit Prophetæ ſpiritus, vt de maiori libertate, meliorique tempore ſermonem induceret. Quod fieri ſolere non infrequenter diximus ad illud Iſaiæ 45. *Rorate cæli deſuper.* Quare aliqua hîc typicè interpretanda cenſeo de tempore Babylonico; in quibus tanquam in vmbra maiorem libertatem, & diuinius aliquod opus intuemur. Hoc, credo, negabit nemo, qui legerit hîc eos, qui congregandi dicuntur, ac reducendi, à Deo eſſe compulſos eò, vnde ad propria rura reuocandi ſunt. *Ego congregabo reliquias gregis mei, de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura ſua.* At quis ſanus, ac pius dicat, quenquam à Deo in peccatum eſſe coniectum, vnde à Chriſto ſpiritualis libertatis vindice reuocandus ſit? Præterea, non propriè de his, qui magno numero in Eccleſiam confluxêre, diceretur, *Congregabo reliquias gregis mei:* optimè verò de his, qui magno numero in Babyloniam relegati ſunt, ex quibus pro tanta copia pauci remigrarunt: qui etiam Iſaiæ capite 1. reliquiæ dicuntur, vt etiam citat Paulus ad Romanos 9. *Si fuerit populus tuus, Iſraël, quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo.* Deinde, qui populi ſui reliquias appellat, ille iam facit, populum eſſe conſti-

A tum, & ex eo periiſſe non paucos: niſi velis verba non obſcura, vſitatúmque dicendi modum contorquere. At quæ tunc Eccleſia conſtituta, quæ multitudo perdita, cuius congregandæ dicuntur eſſe reliquiæ? Accedit, quòd, quemadmodum in proœmio ad caput 40. Iſaiæ probauimus, reſtitutus populus ab ærumnoſa conditione, ad ſtatum meliorem, ex omnium fermè Patrum ſententia, quos eo in loco produximus, Eccleſiæ à Chriſto fundatæ typus eſt. Quò ſæpe reſpectant Patres, cùm de Eccleſia loquuntur. Deinde negare poteſt nemo, dum terræ Aquilonis Propheta meminit, vmbram oſtendiſſe ſpiritualis exilij, aut ſeruitutis, vnde Chriſtus peccatorem populum

B eduxit. Spectabat ergo, dum de Chriſto, ſpiritualibúſque paſcuis agebat Propheta, Ieruſalem antè captiuam, deinde verò patriæ, ſibíque reſtitutam.

Neque Apoſtolis, de quibus præcipuus hîc ſermo, ſui quoque typi defuerunt. Vt enim Cyrus, qui Iudæorum libertatis auctor videri potuit, qui aditum ad patriam aperuit, fecítque, vt non modò ſolutus, ſed iucundus eſſet regreſſus, typus Chriſti fuit, vt capite 45. in Iſaiam oſtendimus: ſic qui à Cyro redeunti populo dati ſunt duces, Eſdras, Neemias, Zorobabel, &c. vmbra quædam fuerunt Apoſtolorum, qui paſcendo, moderandóque meliori gregi, à Chriſto Paſtorum maximo præpoſiti ſunt. His ergo iam pro- 8.

C poſitis, ad ſingulorum explicationem accedamus.

Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc.] Hæc typicè de Eccleſia, hiſtoricè de populo antè diſperſo, nunc verò reſtituto, congregatóque exponenda puto, ſubaudiendámque ſimilitudinis notam, Hebraico more, in hunc ſenſum: Sicut ego congregabo reliquias gregis mei, ex omnibus terris, illuc, vnde illas eieci, & ad rura ſua iterum reducam, vbi multiplicentur, & creſcant: ſic populum alium congregabo, ſtatuámque in vberrimis paſcuis, &c. 9.

Verſ. 4. *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos. Non formidabunt vltrà, & non pauebunt: & nullus* 10.

D *quæretur ex numero.*] Hæc item de populo in patriam reuocato dici puto; ſubaudita tamen, vt nuper, ſimilitudinis forma, in quibus ſpecies quædam apparet Eccleſiæ. Qui ſint Paſtores illi, quos Dominus aut reſtituto populo, aut iam in vrbe commoranti præficiet, diximus ſuprà. Quòd verò reſtituti ciues non iam vltrà formidaturi dicantur, non incommodat huic cogitationi: nam licèt aliquando timuerint ſub Machabæorum tempus rem Iudaicam affligente Antiocho, tamen ex Scripturæ vſu non iam illis timendum eſſe dicitur: quia illud, *non vltrà,* non ſemper valet id quod nunquam fiet, ſed aliquando, ídque non

E infrequenter, quod poſt longum tempus fiat, vt diximus ad illud Iſaiæ capite 23. *Non adiicies vltrà, vt glorieris.* Aut quod minùs ſæpe quàm antea; quod etiam aliquando contingere docuimus in capite Iſaiæ 2. *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres.*

REGVLA. *Nõ vltrà, & ſimilia, aliquando valent id quod longè poſt, aut quod minùs frequenter fiet.*

Illud difficilius, quod ſubditur: *Et nullus quæretur ex numero.* Qui loquendi modus ſignificat omnes, qui in patriam reducentur, futuros incolumes; ſed etiamſi ex illis aliquot perierint, quod non eſt improbabile; tamen, vt ex vſu Scripturæ familiari conſtat, vniuerſale ſignum non ſemper aliquid ſignificat vniuerſaliter: immo cùm ex magno numero pauci deſiderantur, nullus de-

11. REGVLA. *Vniuerſale ſignum non ſemper aliquid dicit vniuerſaliter.*

ſiderari dicitur; aut cum ex magno numero pauci deprehenſi ſunt, qui aliquid non fecerint, omnes illud feciſſe exiſtimantur. Habes hanc regulam in noſtris Commentariis ad illud Iſaiæ capite 10. *Conſummatio abbreuiata mundabit iuſtitiam.* Vt ergo aliquot ex reſtituto grege perituri fuerint, pro multitudine illorum, quos hoſtile ferrum non attingat, nullus dicitur fore requirendus. Exemplum habemus optimum, quod Ioannes ſuggerit optimus ſacratum literarum interpres, qui quod Chriſtus in hunc, credo, locum

Ioan.17. intentus dixit Ioannis capite 17. verſu 12. *Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur* (quæ Scriptura non apparet, quæ vlla alia eſſe poſſit, niſi quam nos nunc interpretamur: nam Pſalmus 40. & 118. qui notantur in margine, non tam fidem hanc, vigilémque cuſtodiam prædicunt, quod ſignificare voluiſſe videtur Chriſtus, quàm Iudæ perfidiam, & horribilem caſum.) Hæc Chriſti verba cùm referret Ioannes capite 18. verſu 9. complexus potiùs verborum ſententiam, quàm verba dinumerans (quod ſæpe faciunt Auctores canonici, dum aliorum ſermones allegant) dixit, *Vt impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* neque contrà aut ſenſit, aut dixit, quàm Chriſtus: quia ſciebat ex Scripturæ vſu, cùm ex duodecim periiſſet vnus, omnes vocari poſſe ſeruatos. Exemplum habemus huic quàm

Gen.35. ſimillimum Geneſis 35. verſu 26. nam cùm ſingularim duodecim numerarentur filij Iacob, & inter hos Benjamin, qui eodem capite dicitur natus in Ephrata, ſeu Bethlehem, ideſt, extra Meſopotamiam, omnes tamen dicuntur in Meſopotamia ſuſcepti, quia vnus ex eo numero non prohibebat, quominus ex Scripturæ more, omnes in Meſopotamia nati dicerentur. *Hi* (inquit) *ſunt filij Iacob, qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.*

12. Ex his habes, quæ proximè præceſſerunt, de Chriſto eſſe intelligenda typicè, atque præcipuè, quia hæc de ſe videtur Chriſtus ipſe accepiſſe, vt diximus: neque enim apparet, quod ego viderim, locus alius, quem Chriſtus ſpectare potuerit, cùm dixit: *Nemo ex eis periit, vt Scriptura impleretur.* Quæcunque enim verbis, quæ modò explicuimus, in quibus ſimilitudo quædam continetur, & typus, Chriſtus ad vnum, dum hominum libertatem procurat, in ſpirituali ordine complexus eſt.

13. Verſ. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum.*] Hinc iam pars altera ſimilitudinis adhibetur, ideſt, applicatio veritatis ad vmbram; & apertus iam, & ſine vllo integumento de Chriſto ſermo eſt. Egerat hactenus de Regibus iniquis, qui, vt priuatis commodis ſeruirent, publica non curabant; immo hoſtilem in modum vexabant, & exhauriebant. Egerat de aliis populi proceribus, & Sacerdotibus, quorum tam ſacra, quàm profana tutelæ, ac fidei credita fuerant, in quibus nihilo maior, quàm in Regibus vigilantia, ac fides. Nunc illis opponit optimum Regem, atque Paſtorem Chriſtum, ita iuſtum, vt nulla vis illum, aut ratio vlla, quæ iuſtitiam expugnet, abducere queat ab æquo, & fas. Illud, *Dauid*, in datiuo eſt, Hebraicè לדוד *ledauid*, quaſi dicat Propheta: etiamſi Dauidi nati fuerint impij, atque ſcelerati filij, quos Deus è regio ſolio cũ ignominia deiiciet: naſcetur tamen illi aliquãdo filius iuſtus, & ſapiens, qui & ſedulò curet ſubditorum ſalutem, & illos in officio, ac

Chriſtus qualis paſtor, & rector.

pietate contineat. Hæc eadem ſententia recurrit infrà, capite 32. verſu 15.

Verſ. 6. *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter.*] Sæpe Deus reuocatis ab exilio Iudæis fuerat pollicitus otium, ſecuritatem, & pacem. Et Michææ capite 6. *Sedebit vir ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit, qui deterreat.* Et Zachariæ 3. *Vocabit vir amicum ſuum, ſubter vineam, & ſubter ficum.* Ad hanc, credo ſecuritatẽ, & quietem reſpectans Ieremias ait: Tempore, quo regnabit, iudicabitque Chriſtus, futuram eſſe pacem illam, ſecuritatémque, quam toties de ſua Republica audierant Iudæi. Ac ſi dicat, Tunc vera continget, & non adumbrata, atque incerta Iudæorum ſalus: tunc vere ſine vllo periculorum metu, animo confidenti, atque impauido habitare poterit Iſraël ſub vite, ac ficu; quia fracti erunt hoſtiles ſpiritus, neque mala beſtia venenum habebit, quod effundat; quando *delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Iſaias capite 11. Sic locus iſte explicatur de Chriſto, quod præcipuè ſpectabat Ieremias: vt tamen reſpectus aliquis ſit ad temporariam Iudæorum ſalutem, tanquam ad obſcuram aliquam, & imperfectam vmbram. 14.

Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.] Sicut *nomen* in Scriptura ſumitur non rarò pro re, cuius eſt nomen, vt pluribus oſtendimus ad illud Canticorum 1. *Oleum effuſum nomen tuum*; vnde *nomen Dei* millies in Scriptura prò *Deo* ſumitur; ſic etiam, *vocari*, eadem ratione idem eſt, quod *eſſe*. Quod in his nominibus præſertim obſeruandum, quæ Deus rebus indidit, quæ non ſolùm ſignificant, ſed etiam continent, & quaſi conſignant id, quod ſonant. Sic Eccleſia, & Ieruſalem in typo, Iſaiæ 62. vocatur *voluntas mea in ea*: & Ezechiel. 48. *Dominus ibidem*: Baruch capite 5. *Pax iuſtitiæ, & honor pietatis.* quia ita re vera futurum erat: cùm tamen Ieruſalem, aut Eccleſia illud de ſe nomen nunquam audierit. Sic Chriſtus Iſaiæ capite 9. multa dicitur habiturus nomina, quorum tamen compellationem nunquam habuit, quia talia fecit, quæ illa ipſi nomina parere potuiſſent: vt ſunt; *Conſiliarius, Princeps pacis, Pater futuri ſæculi.* Sic dum Chriſtus vocandus eſſe prædicitur, *Dominus iuſtus noſter*, nihil aliud ſignificatur, quàm futurum eſſe non iniquum, ſicut Reges, de quibus proximè, fuerunt: ſed iuſtum illis, quibus erit Dominus. Pro, *Dominus*, Hebraice eſt nomen tetragrammatum יהוה *Iehouah*, quod hîc attributum eſt Chriſto; ſicut etiam capite 33. verſu 16. ex quo contra Iudæos graue ſumitur argumentum, quod Chriſtum Deum eſſe conuincit. 15.

Vocor, idem quod ſum.

REGVLA. *Tale alicui dicitur futurum nomen, quale conditio, aut merita.*

Chriſti benignitas.

Verſ. 7. *Propter hoc, ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltra, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti, &c.* Hæc referenda ſunt ad illa, quæ præceſsêre numero 3. & 4. vbi libertas promittitur his, quos vexauit Regum auaritia, atque in fraudem, & in exilium coniecit Sacerdotum, atque aliorum Principum improbitas. Propter populi igitur ſeducti frequentes ærumnas, dicit Dominus, perfecturum ſe, vt populus ille ſic ab exilio liberetur potenter, ſic in reditu, atque in patria cumuletur, atque ornetur lautè, atque iucundè, vt beneficia, quæ accepit maxima, antiquiſſimis Ægyptiæ captiuitatis temporibus, obliuioni tradantur. Hæc verba, & quæ ſtatim ſequuntur, ſcripta fuerunt antea capite 16. verſu 16.

verſu 14. & 15. & à nobis explicata ſunt: neque aliud eſt, quod ad illa addendum videatur. Tantùm obſeruo, ex illo loco non difficilè colligi, ſermonem hunc ſaltem in vmbra ſumendum eſſe de temporaria Iudæorum libertate: iiſdem quippe verbis, ibi eadem quoque libertas promiſſa, atque deſcripta eſt: ſermonem verò illo loco eſſe de Babylonico exilio, tenent cum Hieronymo Theodoretus, ſanctus Thomas, & complures alij.

Verſ.9. *Ad Prophetas.*] Hîc titulus eſt prophetiæ nouæ, vt putat Hieronymus, quæ grauiter exagitat Prophetas, nempe mendaces, qui dum populum fallaci blandimento ſeducunt, malis implicuère grauiſſimis.

Horror ex duro nũcio.

17. *Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea, factus ſum quaſi vir ebrius.*] Cùm aliquid durum, atque horribile auditur, cohorreſcit animus, & corpus pauore concutitur; caditque interdum homo aut exanimis, aut exanimato ſimilis. Exempla ex profanis occurrunt non pauca: ex ſacris eſt illud Saül, qui cùm robuſtus eſſet, bellis, atque periculis aſſuetus, vbi tamen à Samuele durum habuit reſponſum, 1. Regum capite 28. *cecidit porrectus in terram, extimuerat enim verba Samuelis.* & Abacuc capite 3. *Audiui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea.* Neque diſſimili motu, aut affectu concuſſus eſt Iſaias capite 24. verſu 16. qui cùm audiiſſet non diſſimilia his, quæ ſe audiiſſe dicit Ieremias, dixit: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, væ mihi.* Quæ alij ſic vertunt: *macies mihi.* Ita quidam Hebræorum magiſtri, Vatablus, & Pagninus, in Lexico, in radice רזה *razah.* Quare magnum aliquid, atque horribile, hoc dicendi modo, & graui corporis, atque animi concuſſu, ſe audiiſſe ſignificat Propheta: propter quod talia ſe pati dicit, qualia æſtuans à vino, qui impos eſt ſui, & fanaticum in modum amens bacchatur. His verbis magnus animorum motus, & perturbatio exprimi ſolet. Sic Dauid Pſalmo 21. *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Et Iſaias capite 29. *Obſtupeſcite, & admiramini: fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino.*

Ebrietas pro perturbatione, ac tremore.

Vultus Dei toruus, & minax.

18. *A facie Domini, & à facie verborum eius.*] Vnde incuſſus cordi ingens ille dolor, oſſibus tremor, & menti ſtupor, docet hîc Propheta: quia Dominum vidit inflammatum furore, ſcintillantibus oculis, eo fortaſſe modo, quo viſus eſt à Ioanne Apocalypſis 1. Item, quia verba audiuit ita grauia, atque minacia, & ſicut ab horribili tonitru, cum quo ſimul fulgor emicat, & vibratur fulmen, horreſcit animus, & contremiſcit corpus: ita à verborum ſonitu contremuit Ieremias, & quaſi amens, & ebrius conſternatus eſt. Illud, *à facie*, idem eſt, quod *propter.* Quare tremor ille, atque æſtus à duplici cauſa prouenit, à vultu nempe irato, ac ſcintillante Deo, & à verborum ſonitu minaci, & acerba inſonante.

19. Verſ.10. *Quia adulteris repleta eſt terra: quia à facie maledictionis luxit terra.*] Docet, quid in Domini verbis horribile audierit, vnde cor conteri, & oſſa tremere debuerint. Dixit, credo, Deus, terram plenam eſſe peccatis, abundare adulteriis, ideſt, idololatriis: nam idololatria hoc nomine ſæpe in ſacris literis exprimitur, quam neceſſe eſt alia plurima conſequantur flagitia. Deinde minatus eſt grauia illorum ſcelerum flagitia, quæ

A maledictionis nomine ſignificantur. Nam vbi primùm maledictio in alicuius mores, familiam, aut poſſeſſiones incubuit, omnia flammarum in modum populatur, & perdit. Hinc terra luget, ideſt, ſterilis eſt; atua à ſuis cultoribus, & dominis deſeruntur, quia dum bella ferunt, agricultura deſeritur, atque ſylueſcunt agri. Hieronymus maledictionem actiuè ſumit, pro blaſphemiis, quas impij in Deum intorquent, aut periuriis: quod indicant Septuaginta, qui, vt ipſe obſeruauit Hieronymus, pro *maledictione, iuramentum* reddidère. Sed in Bibliis correctis non B eſt apud Septuaginta, *à facie iuramenti*, ſed, *à facie eorum.* Sed ſi paſſiuè ſumas, ita vt non tam Iudæi in Deum ſint maledici, quàm vt Diuina maledictione configantur, ſententia videtur magis cum conſequentibus apta, quam probat ſanctus Thomas. Oſtenditur enim, vnde tanta prouenerit calamitas, aut cur tantopere à facie verborum Domini horruerit Propheta. Nihilominus non diſplicet Hieronymi ſententia, quam etiam ſequitur Maldonatus.

Lugeo, apud Hebræos ſterile aliquid, & deſer- 20.
tum indicat. Iſaiæ 6. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius: & deſolata in terra ſedebit.* & Threnorum 1. *Viæ Sion lugent.* & rurſus Iſaiæ capite 33. *Luxit, &* C *elanguit terra, confuſus eſt Libanus, & obſorduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum.*

Factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo eorum 21.
diſſimilis.] Eo ſenſu, credo, curſum dici malum, quo ſuprà capite 22. verſu 17. Iudæorum oculi dicuntur intenti ad curſum mali operis, ideſt, vt præcipites ferantur ad faciendum malum: quomodo Pſalmo 13. de impiis ſcribitur: *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Pſal.13. Fortitudo, ideſt, conatus, & impetus, ideo diſſimilis eſſe traditur, quia in ea confertur, à quibus magis abhorrere debuiſſet, quaſi aliena ſit à viri Iudæi religione. Hæc verò fortitudo, quia ad idolorum religionem tota ſeſe conuertit, non poteſt non eſſe inſtabilis; quia idolorum neque vna D ratio eſt, neque vnum exigunt à ſuis cultoribus, ſed varia, eáque viciſſim inter ſe pugnãtia. Quare hæc non tam fortitudo vocari debet, quam infirmitas. Quocirca qui ab idolorum cultu ad Deum verum ſeſe conferre voluerint, & ab illo vno accipere viuendi formam, mutaturi dicuntur fortitudinem, quæ neque laſſabitur, neque paſſim in diuerſa flectetur. Iſaias capite 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ſicut aquilæ.*

Verſ.11. *Propheta námque, & Sacerdos polluti* 22.
ſunt: & in domo mea inueni malum eorum.] Explicat, vnde curſus Iudæorum malus ſit, & fortitudo diſſimilis; ideſt, vnde proueniat, vt tam præceps populus feratur ad malum, & quidquid habet E virium in ſtudia diſſimilia, ideſt, aliena à vera, atque auita religione contulerit. Quia Sacerdotes, ac Prophetæ, qui populum in officio continere debuiſſet, magis ipſi ſunt in omne ſcelus, ac morum intemperantiam proiecti. Cùm autem viri religioſi, ac Principes, maximè ſi ſuis moribus ſanctitatis nomen, atque ſpeciem prætexunt, immoderatè, ac flagitioſè viuunt; cætera multitudo, quæ ad eorum ſe ſimilitudinem plerunque fingit, minùs ad vitia nauſeat: immo licere ſibi putat, quod à Sacerdote ac Propheta probari, immo & amari videt. Hinc expeditus, & velox ad libidinem, cæteráſque labes animi curſus; hinc toti populo grandis inuecta calamitas.

Sacerdotum & Principũ perniciosum exemplum.

ſiderati dicitur; aut cum ex magno numero pauci deprehenſi ſunt, qui aliquid non fecerint, omnes illud feciſſe exiſtimantur. Habes hanc regulam in noſtris Commentariis ad illud Iſaiæ capite 10. *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.* Vt ergò aliquot ex reſtituto grege perituri fuerint, pro multitudine illorum, quos hoſtile ferrum non attingat, nullus dicitur fore requirendus. Exemplum habemus optimum, quod Ioannes ſuggerit optimus ſacrarum literarum interpres, qui quod Chriſtus in hunc, credo, locum
Ioan.17. intentus dixit Ioannis capite 17. verſu 12. *Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur* (quæ Scriptura non apparet, quæ vlla alia eſſe poſſit, niſi quam nos nunc interpretamur: nam Pſalmus 40. & 118. qui notantur in margine, non tam fidem hanc, vigilémque cuſtodiam prædicunt, quod ſignificare voluiſſe videtur Chriſtus, quàm Iudæ perfidiam, & horribilem caſum.) Hæc Chriſti verba cùm referret Ioannes capite 18. verſu 9. complexus potiùs verborum ſententiam, quàm verba dinumerans (quod ſæpe faciunt Auctores canonici, dum aliorum ſermones allegant) dixit, *Vt impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* neque contrà aut ſenſit, aut dixit, quàm Chriſtus: quia ſciebat ex Scripturæ vſu, cùm ex duodecim periiſſet vnus, omnes vocari poſſe ſeruatos. Exemplum habemus huic quàm
Gen.35. ſimillimum Geneſis 35. verſu 26. nam cùm ſingulatim duodecim numerarentur filij Iacob, & inter hos Benjamin, qui eodem capite dicitur natus in Ephrata, ſeu Bethlehem, ideſt, extra Meſopotamiam, omnes tamen dicuntur in Meſopotamia ſuſcepti, quia vnus ex eo numero non prohibebat, quominus ex Scripturæ more, omnes in Meſopotamia nati dicerentur. *Hi* (inquit) *ſunt filij Iacob, qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.*

12. Ex his habes, quæ proximè præceſſerunt, de Chriſto eſſe intelligenda typicè, atque præcipuè, quia hæc de ſe videtur Chriſtus ipſe accepiſſe, vt diximus: neque enim apparet, quod ego viderim, locus alius, quem Chriſtus ſpectare potuerit, cùm dixit: *Nemo ex eis periit, vt Scriptura impleretur.* Quæcunque enim verbis, quæ modò explicuimus, in quibus ſimilitudo quædam continetur, & typus, Chriſtus ad vnum, dum hominum libertatem procurat, in ſpirituali ordine complexus eſt.

13. Verſ. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum.*] Hinc iam pars altera ſimilitudinis adhibetur, ideſt, applicatio veritatis ad vmbram; & apertus iam, & ſine vllo integumento de Chriſto ſermo eſt. Egerat hactenus de Regibus iniquis, qui, vt priuatis commodis ſeruirent, publica non curabant; immo hoſtilem in modum vexabant, & exhauriebant. Egerat de aliis populi proceribus, & Sacerdotibus, quorum tam ſacra, quàm profana tutelæ, ac fidei credita fuerant, in quibus nihilo maior, quàm in Regibus vigilantia, ac fides. Nunc illis opponit optimum Regem, atque Paſtorem Chriſtum, ita iuſtum, vt nulla vis illum, aut ratio vlla, quæ iuſtitiam expugnet, abducere queat ab æquo, & fas. Illud, *Dauid*, in datiuo eſt, Hebraicè לדוד *ledauid*, quaſi dicat Propheta: etiamſi Dauidi nati fuerint impij, atque ſcelerati filij, quos Deus è regio ſolio cũ ignominia deiiciet: naſcetur tamen illi aliquãdo filius iuſtus, & ſapiens, qui & ſeduló curet ſubditorum ſalutem, & illos in officio, ac

Chriſtus qualis paſtor, & rector.

pietate contineat. Hæc eadem ſententia recurrit infrà, capite 33. verſu 15.

Verſ. 6. *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter.*] Sæpe Deus reuocatis ab exilio Iudæis futurum pollicetur otium, ſecuritatem, & pacem. Et Michææ capite 6. *Sedebit vir ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit, qui deterreat.* Et Zachariæ 3. *Vocabit vir amicum ſuum, ſubter vineam, & ſubter ficum.* Ad hanc, credo ſecuritatẽ, & quietem reſpectans Ieremias ait: Tempore, quo regnabit, iudicabítque Chriſtus, futuram eſſe pacem illam, ſecuritatémque, quam toties de ſua Republica audierant Iudæi. Ac ſi dicat, Tunc vera continget, & non adumbrata, atque incerta Iudæorum ſalus: tunc verè ſine vllo periculorum metu, animo confidenti, atque impauido habitare poterit Iſraël ſub vite, ac ficu; quia fracti erunt hoſtiles ſpiritus, neque mala beſtia venenum habebit, quod effundat; quando *delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Iſaias capite 11. Sic locus iſte explicatur de Chriſto, quod præcipuè ſpectabat Ieremias: vt tamen reſpectus aliquis ſit ad temporariam Iudæorum ſalutem, tanquam ad obſcuram aliquam, & imperfectam vmbram. 14.

Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.] Sicut *nomen* in Scriptura ſumitur non rarò pro re, cuius eſt nomen, vt pluribus oſtendimus ad illud Canticorum 1. *Oleum effuſum nomen tuum*; vnde *nomen Dei* millies in Scriptura pro *Deo* ſumitur; ſic etiam, *vocari*, eadem ratione idem eſt, quod *eſſe*. Quod in his nominibus præſertim obſeruandum, quæ Deus rebus indidit, quæ non ſolùm ſignificant, ſed etiam continent, & quaſi conſignant id, quod ſonant. Sic Eccleſia, & Ieruſalem in typo, Iſaiæ 62. vocatur *voluntas mea in ea:* & Ezechiel. 48. *Dominus ibidem*: Baruch capite 5. *Pax iuſtitiæ, & honor pietatis.* quia ita re vera futurum erat: cùm tamen Ieruſalem, aut Eccleſia illud de ſe nomen nunquam audierit. Sic Chriſtus Iſaiæ capite 9. multa dicitur habiturus nomina, quorum tamen compellationem nunquam habuit, quia talia fecit, quæ illa ipſi nomina parere potuiſſent: vt ſunt; *Conſiliarius, Princeps pacis, Pater futuri ſæculi.* Sic dum Chriſtus vocandus eſſe prædicitur, *Dominus iuſtus noſter*, nihil aliud ſignificatur, quàm futurum eſſe non iniquum, ſicut Reges, de quibus proximè, fuerunt: ſed iuſtum illis, quibus erit Dominus. Pro, *Dominus*, Hebraicè eſt nomen tetragrammatum יהוה *Iehouah*, quod hîc attributum eſt Chriſto; ſicut etiam capite 33. verſu 16. ex quo contra Iudæos graue ſumitur argumentum, quod Chriſtum Deum eſſe conuincit. 15.

Vocor, idem quod ſum. REGVLA. *Tale alicui dicitur futurum nomen, qualis conditio, aut merita. Chriſti benignitas.*

Verſ. 7. *Propter hoc, ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltra, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti, &c.* Hæc referenda ſunt ad illa, quæ præceſſére numero 3. & 4. vbi libertas promittitur his, quos vexauit Regum auaritia, atque in fraudem, & in exilium coniecit Sacerdotum, atque aliorum Principum improbitas. Propter populi igitur ſeducti frequentes ærumnas, dicit Dominus, perfecturum ſe, vt populus ille ſic ab exilio liberetur potenter, ſic in reditu, atque in patria cumuletur, atque ornetur lautè, atque iucundè, vt beneficia, quæ accepit maxima, antiquiſſimis Ægyptiæ captiuitatis temporibus, obliuioni tradantur. Hæc verba, & quæ ſtatim ſequuntur, ſcripta fuerunt antea capite 16. verſu 16.

verſu 14. & 15. & à nobis explicata ſunt: neque aliud eſt, quod ad illa addendum videatur. Tantùm obſeruo, ex illo loco non difficilè colligi, ſermonem hunc ſaltem in vmbra ſumendum eſſe de temporaria Iudæorum libertate: iiſdem quippe verbis, ibi eadem quoque libertas promiſſa, atque deſcripta eſt: ſermonem verò illo loco eſſe de Babylonico exilio, tenent cum Hieronymo Theodoretus, ſanctus Thomas, & complures alij.

Verſ.9. *Ad Prophetas.*] Hîc titulus eſt prophetiæ nouæ, vt putat Hieronymus, quæ grauiter exagitat Prophetas, nempe mendaces, qui dum populum fallaci blandimento ſeducunt, malis implicuère grauiſſimis.

17. *Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea, factus ſum quaſi vir ebrius.*] Cùm aliquid durum, atque horribile auditur, cohorreſcit animus, & corpus pauore concutitur; caditque interdum homo aut exanimis, aut exanimato ſimilis. Exempla ex profanis occurrunt non pauca: ex ſacris eſt illud Saül, qui cùm robuſtus eſſet, bellis, atque periculis aſſuetus, vbi tamen à Samuele durum habuit reſponſum, 1. Regum capite 28. *cecidit porrectus in terram, extimuerat enim verba Samuelis.* & Abacuc capite 3. *Audiui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea.* Neque diſſimili motu, aut affectu concuſſus eſt Iſaias capite 24. verſu 16. qui cùm audiiſſet non diſſimilia his, quæ ſe audiiſſe dicit Ieremias, dixit: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, væ mihi.* Quæ alij ſic vertunt: *macies mihi.* Ita quidam Hebræorum magiſtri, Vatablus, & Pagninus, in Lexico, in radice רזה *razah.* Quare magnum aliquid, atque horribile, hoc dicendi modo, & graui corporis, atque animi concuſſu, ſe audiiſſe ſignificat Propheta: propter quod talia ſe pati dicit, qualia æſtuans à vino, qui impos eſt ſui, & fanaticum in modum amens bacchatur. His verbis magnus animorum motus, & perturbatio exprimi ſolet. Sic Dauid Pſalmo 21. *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Et Iſaias capite 29. *Obſtupeſcite, & admiramini: fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino.*

Horror ex duro nũcio.

Ebrietas pro perturbatione, ac tremore.

18. *A facie Domini, & à facie verborum eius.*] Vnde incuſſus cordi ingens ille dolor, oſſibus tremor, & menti ſtupor, docet hîc Propheta: quia Dominum vidit inflammatum furore, ſcintillantibus oculis, eo fortaſſe modo, quo viſus eſt à Ioanne Apocalypſis 1. Item, quia verba audiuit ira grauia, atque minacia, & ſicut ab horribili tonitru, cum quo ſimul fulgor emicat, & vibratur fulmen, horreſcit animus, & contremiſcit corpus: ita à verborum ſonitu contremuit Ieremias, & quaſi amens, & ebrius conſternatus eſt. Illud, *à facie,* idem eſt, quod *propter.* Quare tremor ille, atque æſtus à duplici cauſa prouenit, à vultu nempe irato, ac ſcintillante Deo, & à verborum ſonitu minaci, & acerba inſonante.

Vultus Dei iratus, & minax.

19. Verſ.10. *Quia adulteris repleta eſt terra: quia à facie maledictionis luxit terra.*] Docet, quid in Domini verbis horribile audierit, vnde cor conteri, & oſſa tremere debuerint. Dixit, credo, Deus, terram plenam eſſe peccatis, abundare adulteriis, ideſt, idololatriis: nam idololatria hoc nomine ſæpe in ſacris literis exprimitur, quam neceſſe eſt alia plurima conſequantur flagitia. Deinde minatus eſt grauia illorum ſcelerum flagitia, quæ

A maledictionis nomine ſignificantur. Nam vbi primùm maledictio in alicuius mores, familiam, aut poſſeſſiones incubuit, omnia flammarum in modum populatur, & perdit. Hinc terra luget, ideſt, ſterilis eſt; arua à ſuis cultoribus, & dominis deſeruntur, quia dum bella ferunt, agricultura deſeritur, atque ſylueſcunt agri. Hieronymus maledictionem actiuè ſumit, pro blaſphemiis, quas impij in Deum intorquent, aut periuriis: quod indicant Septuaginta, qui, vt ipſe obſeruauit Hieronymus, pro *maledictione, iuramentum* reddidère. Sed in Bibliis correctis non B eſt apud Septuaginta, *à facie iuramenti*, ſed, *à facie eorum.* Sed ſi paſſiuè ſumas, ita vt non tam Iudæi in Deum ſint maledici, quàm vt Diuina maledictione configantur, ſententia videtur magis cum conſequentibus apta, quam probat ſanctus Thomas. Oſtenditur enim, vnde tanta prouenerit calamitas, aut cur tantopere à facie verborum Domini horruerit Propheta. Nihilominus non diſplicet Hieronymi ſententia, quam etiam ſequitur Maldonatus.

Lugeo, apud Hebræos ſterile aliquid, & deſertum indicat. 20.
Iſaiæ 6. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius: & deſolata in terra ſedebit.* & Threnorum 1. *Viæ Sion lugent.* & rurſus Iſaiæ capite 33. *Luxit, &* C *elanguit terra, confuſus eſt Libanus, & obſorduit, & factus eſt Saron ſicut deſertum.*

Factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo eorum 21.
diſſimilis.] Eo ſenſu, credo, curſum dici malum, quo ſuprà capite 22. verſu 17. Iudæorum oculi dicuntur intenti ad curſum mali operis, ideſt, vt præcipites ferantur ad faciendum malum: quomodo Pſalmo 13. de impiis ſcribitur: *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Fortitudo, ideſt, conatus, & impetus, ideo diſſimilis eſſe traditur, quia in ea confertur, à quibus magis abhorrere debuiſſet, quaſi aliena ſit à viri Iudæi religione. Hæc verò fortitudo, quia ad idolorum religionem tota ſeſe conuertit, non poteſt non eſſe inſtabilis; quia idolorum neque vna D ratio eſt, neque vnum exigunt à ſuis cultoribus, ſed varia, eáque viciſſim inter ſe pugnãtia. Quare hæc non tam fortitudo vocari debet, quam infirmitas. Quocirca qui ab idolorum cultu ad Deum verum ſeſe conferre voluerint, & ab illo vno accipere viuendi formam, mutaturi dicuntur fortitudinem, quæ neque laſſabitur, neque paſſim in diuerſa flectetur. Iſaias capite 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ſicut aquilæ.*

Pſal.13.

Verſ.11. *Propheta námque, & Sacerdos polluti* 22.
ſunt: & in domo mea inueni malum eorum.] Explicat, vnde curſus Iudæorum malus ſit, & fortitudo diſſimilis; ideſt, vnde proueniat, vt tam præceps populus feratur ad malum, & quidquid habet E virium in ſtudia diſſimilia, ideſt, aliena à vera, atque auita religione contulerit. Quia Sacerdotes, ac Prophetæ, qui populum in officio continere debuiſſet, magis ipſi ſunt in omne ſcelus, ac morum intemperantiam proiecti. Cùm autem viri religioſi, ac Principes, maximè ſi ſuis moribus ſanctitatis nomen, atque ſpeciem prætexunt, immoderatè, ac flagitioſè viuunt; cætera multitudo, quæ ad eorum ſe ſimilitudinem plerunque fingit, minùs ad vitia nauſeat: immo licere ſibi putat, quod à Sacerdote ac Propheta probari, immo & amari videt. Hinc expeditus, & velox ad libidinem, cæteráſque labes animi curſus; hinc toti populo grandis inuecta calamitas.

Sacerdotum & Principũ perniciosum exemplum.

23. *In domo mea inueni malum eorum.*] En rurſus alia cauſa curſus ad vitia feſtinati, & liberi; quia templum, vnde eſſet placandum, conſulendum, & orandum numen; & vnde ſumenda maximarum exempla virtutum, plenum erat rapinæ, & doli, & ibi excitatæ ſimulacrorum aræ, locata proſtibula, ac tandem factum commune vitiorum omnium diuerticulum. Quid ergo mirum, ſi priuatæ domus alerent impietatem, & libidinem, quando magnum illud pietatis vinculum, & religionis illuſtre ſacrarium factum erat, non occultum, aut priuatum, ſed patens, atque commune proſtibulum? Quòd verò, quo tempore hæc à Ieremia dicebantur, aræ eſſent impiæ in templo diu excitatæ à tribus Ioſiæ filiis, & eius nepote Ioachin, ſiue Iechonia, conſtat ex 4. Regum capite 23. & 24. vbi dicuntur quatuor iſti Reges ſequuti non veſtigia Ioſiæ, ſed parentum, qui impia ſacra, & venereas ſordes in templum induxerunt, vt habes 4. Regum 23. vbi Ioſias abſtuliſſe traditur de templo lucos, & aras, & ædes effœminatorum euertiſſe, quæ ſtatim filij, & nepos, vbi regiam ſedem nacti ſunt, ſequuti maiorum veſtigia renouarunt; de quorum ſingulis dicitur: *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerunt patres eius.* nempe Manaſſes, & Amon. de his Ieremias ſuprà capite 7. verſu 30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, & polluerunt eam.* vide, quæ ibi diximus.

In templo varia peccata.

24. Verſ. 12. *Idcirco via eorum erit quaſi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea.*] Prouerbiali, vt reor, ſpecie, infelix hominum conditio ſignificatur per locum præcipitem, ac lubricum, ac tenebricoſum, ſiue id à nocturno tempore, ſiue à locorum profunditate, aut opacitate contingat. Nam, cùm paſſim occurrat, ad quod offendas, aut in quod præceps ruas, atque in lubrico loco niti non poſſint, aut firmari veſtigia, neque offuſa caligo, quid declinare debeas, diſpicere ſinat, neceſſe eſt, vt paſſim deuius, grauiter offendas. Eundem dicendi modum, & in eandem ſententiam adhibuit Dauid Pſalmo 34. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum.* & Prouerbiorum 4. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt, vbi corruant.* Sic puto verbis hiſce prouerbialibus nihil aliud denunciari, quàm ærumnoſam, & in omni loco, & tempore afflictam fortunam.

Prov. Lubricum in tenebris.

25. *Afferam enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum.*] Explicatio eſt lubricæ viæ, & tenebricoſi temporis; quæ mala important grauia, & illata à Deo. Annus viſitationis, tempus indicat, quo plectenda ſunt Iudæorum peccata, quæ ad illum vſque articulum impunita fuiſſe videbantur. Effuderant ſe cum Sacerdotibus, & Prophetis reliqui de populo in omnium vitiorum intemperantiam: neque putabant fore, vt ſibi irato numine aliquid contingeret amarum; quare repetebant hoc etiam tempore, quod ſuo eidem genti exprobrabat Iſaias capite 48. *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos.* Ac ſi dicerent. Quæ de inferno, ac morte quotidie ſonāt propheticæ minæ, ſibi curę, ac terrori nō eſſe. His igitur Deus annum retributionis minatur, aut viſitationis, in quo non iam vt patiens pater, ſed vt ſeuerus iudex in eorum merita diligenter
26. inquiret, mulctabitque ad vnū pro ſcelerū modo.

Verſ. 13. *Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meū Iſraël: & in Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium.*] Modus hic loquendi comparationem indicat, quæ in ſacris literis hoc fermè modo explicari ſolet. Pauca nunc è multis exempla cape, in quibus aliquid ponitur in ſuo genere excellens; deinde ſine vlla ſimilitudinis, aut comparationis nota id, quod amplificare volumus, adiungitur. Iſaias capite 62. *Habitabit iuuenis cum virgine: & habitabunt in te filij tui.* & iterum ibidem: *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam: & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Quæ loca ſic interpretor: Suauiter viuet iuuenis cum virgine, id eſt, ſponſus cum ſponſa: ſed ſuauiùs viuent in ciuitate filij tui, & multò magis tecum Dominus gaudebit. & Pſalmo 124. *Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi ſui.* id eſt, licèt magnum ſit ciuitatis præſidium à montium altitudine, maius tamen eſt à Domini cuſtodia. & Pſalmo 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Id eſt, magis ille aut potiùs beatus cenſeri debet, cui fauet Deus. Sic ergo, cùm Prophetarum Samariæ fatuitatem, aut idolomaniam accuſaſſet, non minoris ſceleris reos arguendos ſignificat Hieroſolymitanos Prophetas. Quod verò, *&*, in comparationibus, qualis eſt iſta, idem valeat, quod *præcipuè*, aut *potiùs*, diximus in caput 7. Iſaiæ, verſu 27. & in caput 19. verſu 25. inde petes exempla, quæ plurimùm faciunt ad hunc locum.

Regula. Comparationis genus ſine nota ſimilitudinis.

Iſai. 62.

Pſal. 124.

Pſal. 143.

Prophetæ Samariæ ideo dicuntur prophetaſſe 27.
in Baal, quia ex illius conſultis oracula populo reddebant: quæ cùm vana eſſent, & quorum facilè à mediocri ingenio deprehendi falſitas poſſet, illorum artem, ſiue præſtigias fatuitatem appellat. Eadem quoque in Solymitanis Prophetis, falſis nempe, deprehenduntur deliria: nam & ipſi idola conſulunt, quorum nugas ad populum referunt nimis credulum: id enim ſonat adulterantium nomen. Aut certè, ſi ad muta ſimulacra, oraculorum gratia, non accedunt, ea tamen reddunt ſtolidæ multitudini reſponſa, vt à dæmone conſulto profecta fuiſſe videantur. Atque ideo dixiſſe videri potuit Ieremias, non vidiſſe ſe adulterantes Prophetas, ſed adulterantium ſimilitudinem, & iter mendacij: quaſi dicat, fallacem eſſe viam; & viuendi, ſeu agendi conſilia, quæ à falſis Prophetis proponuntur populo, adeò delira, ac ſi ea dæmon ipſe conſultus edidiſſet.

Verſ. 14. *Et confortauerunt manus peſſimorum: vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua.*] Clamabant Prophetæ veri, hortabantúrque populum ſeductum, ſuæque libidini ſeruientem, ſe vt à via, quam inſtituiſſet, auerteret; & Diuinæ voci iam tandem obſecutus ſaniora cogitaret, propoſitis minis, ſi rebellis, aut contumax eſſe pergeret. Quibus verbis emolliri potuit illa durities, & animus, qui præfractè priùs in malitia hæſerat, ad meliorem mentem inflecti. Sed accedebat ſtultorum Prophetarum blandior oratio, quę vanas eſſe minas clamitabat, neque in illis quidquam aliud videri præter ſonum. Promittebant ipſi pacem, & otium: neque ſi hoſtis ingrueret Chaldæus in Iudæorum fines, ab ipſis eſſe quicquam metuendum. Ea ratione manus, quæ iam in vitiorum ſtudio laſſari videbantur, confirmabāt, obtundebántque reprehēſionis, ac comminationis aculeos, quos in illorum viſcera veri adigebant Prophetæ. Vnde factum eſt, vt omnes tā Sacerdotes, & Prophetæ, quā de plebe reliqui, voluptuarios ſenſus, & affectus in omnia vitiorum genera laxarent, ita vt in ciuitate quondam ſancta ſpecies quædam appareret illarum ciuitatum, quas ad mare mortuum cæleſtis flamma cōbuſſit. 28.

bulliit. Vnde ab Iſaia capite 1. ciuitatis proceres Principes Sodomæ, atque Gomorrhæ vocantur. *Ecce ego cibabo eos abſynthio,& potabo eos felle.* Similẽ ſententiã,quæ prouerbialis eſt,inuenies capite 8. verſu 14.& ca.9.verſu 15.ibi nos ea de re pluribus.

29. Verſ.15. *A Prophetis enim Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram.*] Sicut ſordes pro luctu,atque calamitate ſumuntur, ſic etiam *pollutio*; ſed indicat aliquid ſacrum, cui à profanis, aut certè profanum in modum facta ſit iniuria. Quare, cùm templum aliquid ſacrum ſit, immo & terra promiſſionis, quam ſibi ex omnibus Dominus ſacrauit,& quaſi conſignauit,excitatis ſignis, ac titulis,quibus ſe illius poſſeſſorem teſtabatur: quæcunque illi ab hoſtibus accideret vis, aut iniuria,pollutio dicebatur. Sic Threnorum 2.verſu 2.de eodem, quo nunc rerum articulo, dicit Ieremias: *Polluit regnum,& Principes eius.*ideſt,tradidit hoſti Babylonico polluendũ. Porro *omnis terra*,pro Iudæa ſumitur, iuxta regulam Hieronymi ſæpius à nobis vſurpatam,quę ſignum vniuerſale ad certam, determinatámque materiam coarctat.

30. Verſ.16. *Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.*] Docet, quomodo pſeudoprophetæ populum ſeduxerint, quia cùm ſpiritum ſequantur ſuum,& non Diuinum, ſuis tamen verbis Diuini nominis fidem, & maieſtatem prætendunt. Viſio cordis aut error eſt, aut ludificatio dæmonis;aut certè quod vidiſſe ſe, aut audiiſſe mentiuntur Prophetæ, quos hîc mendacij Dominus incuſat. De his Prophetæ veri ſæpe, & multa. Quo ſpiritu ducuntur, docuit Ezechiel capite 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* Quid autem dicant, quo tempore ab offenſione Diuina paratum eſt malum, & nihil eſt propius, quàm vt à Chaldæis Hieroſolyma deleatur, docet Ieremias ſtatim,& ſuprà capite 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia dicentes,Pax,pax,& non erat pax.* Ex quibus liquet, quomodo de ore Domini dicantur non loquuti: Deus etenim obſtinato populo bellũ denunciabat,& cladem,non pacem,& victoriã:ab alio igitur ore, non à Diuino loquebãtur nugatores illi.

31. Verſ.18. *Quis enim adfuit in conſilio Domini, & vidit,& audiuit ſermonem eius?*] Ita fallaces illi Vates audacter loquebantur, & indubitanter, dum pauidos Iudæorum animos à metu liberare ſtudent, quaſi Diuino interfuiſſent conſilio; & à Deo accepiſſent, quem tunc ad populum ſermonem habebant. Quorum ſermones audaces Dominus appellat, & vanos,cùm rerum euentus ſolus ipſe cognoſcat, quos ſuis Prophetis aliquando reuelat, quorum è numero non ſunt, qui pacem clamant, & quietem. Cùm ergo neminem illorum Deus ad conſilium aduocauerit, neque quid ſibi conſtitutum ſit,vnquam aperuerit,conſequens eſt, illos, cùm de ore Domini non loquantur, neque aliter Diuina conſilia noſſe poſſunt,incerta loqui,erraréque, atque alios in fraudem,& errorẽ inducere.Nemini Diuina conſilia, niſi reuelante Domino, eſſe explorata, dixit alio loco per Iſaiam capite 40.ex quo ſumpſit Paulus ad Romanos 11. *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?*

32. Verſ.19.*Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur,& tempeſtas erumpẽs ſuper caput impiorum.*] Contrario rerum euentu fallaces Prophetarum nugas eſſe conuincit. Placatum Deum,atque fauentem prædicabant deceptores illi,atque adeò cũcta populo tranquilla promittebant; Dominus contrà tempeſtatẽ minatur,& turbinẽ;quo dicendi mo-

A do vehemens denũciatur,& repentina calamitas: quod opus ab offẽſo numine potiùs,quàm à pacato prouenire conſtat.Hæc,& quę ſequuntur proximè eodem propè modo redeunt,cap.30.ad finẽ.

33. Verſ.20. *Non reuertetur furor Domini, vſque dum faciat.*] Verbum *reuertor*, cùm multa in Scriptura ſignificet, illud proprium habet, vt oſtendat conatum aliquem irritum, & inanem. De Saül, & Ionatha 2.Regum capite 1.cecinit Dauid. De altero:*Gladius Saül non eſt reuerſus inanis*;&de altero: *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum.* & Iſaias capite 45. *Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur vacuum.* Eodem modo capite 55. vbi additur,*ad me vacuum.*eſt ergo ſenſus:Furor meus B non erit ſicut infantilis, aut muliebris indignatio,quæ citò langueſcit, & frangitur, neque plerunque complet quod minatur; ſed conſtans,ardens,& efficax,qui non acquieſcit,niſi cùm,ſumpto de fontibus ſupplicio, ſibi ipſi ſatisfecerit. Illud verò,quod additur, *Vſque dum faciat*, conſtantiam indicat, & ardorem, qualem oſtendit Deus, qui totos ſeptuaginta annos duriſſimo Chaldęorũ iugo indomitã populi ceruicẽ ſubiecit, & fregit.

Reuertor, conatum ſignificat inutilem.

34. *In nouiſſimis diebus intelligetis conſilium eius.*] Vetus eſt apud profanos prouerbium, *Piſcator ictus ſapit.* & aliud non diſſimile: *Malo accepto ſtultus ſapit.* Eſt etenim ſtultorũ, neque præuidere futura, neque de illis quidquam curare: ſed inſtar animantium C mutorũ ſpectare ad id, quod præſens eſt, ſenſúſque capit, & oblectat. Tunc verò infortunium agnoſcunt,cùm in illud inciderunt, neque declinandi vlla ſupereſt facultas. Dixit hoc(vt credo) Eccleſiaſtes capite 2.verſu 14.cùm ſapientis oculos ſtatuit in capite,quia vt in ſublimi locati,quę longè ſunt,proſpectant,híſque quomodo occurrendum ſit,præuidet.Contrà verò ſtultus oculos habet in pedibus,qui lapidem non videt,niſi offenſo pede; aut foueam, niſi cùm in illam præcipitari contingat. Similes Deus his appellat aut ſeductores Prophetas, aut ſeductos Iudæos, qui propoſitam toties ante oculos cladem, & exiliũ non vident;videbunt tamẽ poſtea.Neque vacuas D experientur Prophetarũ minas,cùm pedes, quos tantùm habere videntur oculatos, ad ſaxum impegerint Babylonicum. Tunc intelligent conſilium Dei,cui non adfuerunt, & agnoſcent à ſuo longè fuiſſe diuerſum.

Stulti ſerò ſapiunt.

35. Verſ.21.*Nõ mittebã Prophetas,& ipſi currebãt.*] Illi cõſilia cognouêre Domini,quibus Dominus ipſe impartitus eſt,quóſque ipſe ad illa populis denũciãda mittebat. Qualia ergo exiſtimabimus oracula,quæ deferunt fallaces illi Prophetæ,qui intrepidè,atq;veloci gradu munus exiſtimãtur obire propheticum,cùm neque à Deo miſſi, neque Diuinorũ cõſiliorũ cognitione illuſtrati fuerint?

36. Verſ.22. *Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo,auertiſſẽ vtique eos à via ſua mala.*] E Si textum,quem nunc habemus,cõſulas,*auertiſſent*, potiùs legeres in tertia perſona plurali,quã *auertiſſem*,in prima ſingulari:quomodo Septuaginta legunt,& Chaldæus, & recentiores omnes Interpretes; immo & nonnulli codices vulgati, vt Complutenſes,& Regij:tunc verò ſenſus eſſet nõ difficilis:Si Prophetæ illi ex ore meo populũ docuiſſent,& mea cõſilia, non ſua ſomnia illi manifeſtaſſent, abduxiſſent illũ ab ea viuendi ratione, quã ingreſſi fuerant:in eum ſẽſum,quo Tyrus, & Sidon conuertendæ fuiſſe dicuntur,& pœnitentiam acturæ, ſi talia apud eos fieri contigiſſet, qualia in Capharnaum,& Bethſaida,Matthæi capite 11.verſu 21. Aut certè id agere conarentur,

vt non tam in falſam fiduciam, fallacibus impellerent, quàm vt ab illa minacibus verbis auocarent.

37. Sed quia Vulgatus *auertiſſem* habet, ad hanc lectionem commentatio nobis attemperanda eſt. Et quidem ſi illud, *eos*, populares potiùs referat, quàm Prophetas, vt plerique putant; in quibus eſt ſanctus Thomas, Lyra, Hugo, Dionyſius, ſenſus eſt non longè à ſuperiori diuerſus: Si Propheta mandata mea ad populum detuliſſent, ego auocaſſem illum à via mala, & cogitationibus peſſimis. Quare grauis fuit Prophetarum culpa, qui ſalutarem illam medicinam à percuſſo, & moriente corpore remouerunt.

Grauis à vano concionatore damnum.

38. Si verò *eos* ad Prophetas pertinere putes, vt Hieronymus vult, neque abnuit ſanctus Thomas, ſenſus eſt, aut quem adducit Hieronymus: Si integrè, atque ſyncerè ſuum obiiſſent munus, meiſque conſiliis potiùs quàm ſuis commentis eſſent obſecuti, non tradidiſſem eos in reprobum ſenſum; in pœnam, videlicet, infidelis, atque fallacis animi: ſeu certè *via mala, cogitationéſque peſſimæ*, pro viæ malæ, cogitationumque peſſimarum ſupplicio ponuntur: quod in Scriptura frequens, quæ cauſam adhibet pro effectu. Ita putat Maldonatus. Supplicium autem eſſe poteſt, aut reprobus ſenſus, vt putat Hieronymus, animíque cæcitas, ſeu clades, ſeruitus, & exilium: nam hæc quoque ad Prophetas peruenerunt mala. Placet magis, ſi *eos*, ad populares referamus, quia magis aptus eſt, atque expeditus ſenſus.

39. Verſ.23. *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè.*] Septuaginta hæc ſine interrogatione efferunt, quod item facit, teſte Hieronymo, Theodotio, ſenſu planè contrario. *Deus appropinquans ego, dicit Dominus, & non Deus de longè.* Ac ſi dicant, Deum vbique eſſe præſentem, neque quicquam eſſe, quod non ſit eius oculis præſens: aut Deum ab his, quæ fiunt, non abeſſe procul, contra illorum cogitationem, ſeu inſaniam, qui Deum circa cæli cardines ambulare dicebant: neque illi de rebus humanis quidquam eſſe curæ. In quem ſenſum dictum eſt à Dauid Pſalmo 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Sed iuxta Vulgati tranſlationem ſenſus eſt, Deum abeſſe longè ab hominum ingenio: homines enim tantùm vident, quæ propè ſunt, quæ ſi parum amoueas, illorum oculos, & cognitionem effugient. Non ſic Deus, qui cùm omnia compleat, non neceſſe eſt, rebus, quæ geruntur, appropinquet, vt illa cognoſcat, cùm Diuinam intelligentiam vllibi terrarum nihil poſſit latère; & hunc eſſe ſenſum, quæ ſequuntur omnia, facilè ſuadent.

40. Quidam hæc non tam locum ſpectare putant, quàm tempus, ita vt æternus dicatur Deus, non è vicino, aut proximo tempore principium ducens: quemadmodum idolum recens eſt commentum hominum: cuius initium promptum eſt oſtendere, & modum, quo ab artifice aut dolatus è ligno eſt, aut cælatus ex auro, aut etiam fictus ex argilla. Quæ Deus ſæpe apud Iſaiam repetit, à capite 40. Qui à Dauide noui, atque recentes appellantur dij Pſalmo 32. *Noui, recentéſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Sed in locum meliùs, quàm in tempus quadrant, quæ ſtatim ſuccedunt.

41. Verſ.24. *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego* A *non videbo eum?*] Aliquid hîc ſupplendum eſt, quod excogitatu non eſt difficile, nempe: Si quid cuiuſquam lateat oculos, vbicunque locorum ſit, aut in ipſis viſceribus terræ obſtruſum, illud nihil habere poſſe numinis. Quod etiam inſtinctu quodam, ac luce naturali cognouere Gentiles, qui de Suo Ioue eadem penè narrant, quæ de Deo confitetur vera fides. Exempla habes ad illud Actorum 17. *in ipſo enim mouemur.* & adde illud Virgilij Ecloga 3.

——*Iouis omnia plena.*

Eſt igitur ſenſus; Si aliquid fuerit, quod ego non videam, planè Deus ego non ero: quomodo enim conſequens eſt, vt ego cælum, & terram B compleam, & aliquid ab oculis meis ſummotum, aut occultum ſit? Quomodo, *ſi*, vim habeat iuramenti, & execrationis aliquid admiſceat, diximus alibi, & exemplorum vis maxima.

Verſ.25. *Audiui, quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium.*] Quia ego nihil non video, & occultas etiam animi latebras introſpicio: & quia nihil non audio, etiam verba, quæ quis apud ſe magis concipit mente, quàm fingit lingua, aut ore profatur, audiui, quæ Prophetæ dicunt, dum nominis mei maieſtatem, & fidem, ſuis commentis, atque mendaciis prætexunt. 42.

C *Dicentes, Somniaui, ſomniaui.*] Explicat, quid ſit illud, *in nomine meo.* Quaſi Prophetæ illi ſeductores in ſomniis ſe dicant audiiſſe, à Deóque iuſſos annunciare, quæ dicunt. Porro cùm multis modis Deus hominibus ſua manifeſtet conſilia, id interdum facit, aut dum per ſomnia cum dormientibus loquitur, aut rerum futurarum ſpecies offert. Priori modo quid fieri vellet, in Teſtamento veteri docuit Abimelech Geneſis 20. verſu 3. *Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte; & ait illi: En morieris,* &c. & ad Abraham Geneſis 15. verſu 20. *Sopor irruit ſuper Abraham,* &c. *dictúmque eſt ad eum, Scito prænoſcens,* &c. In Teſtamento verò nouo, ter in ſomnis admonitus eſt Ioſeph. Primùm, D vt Mariam coniugem in domum traduceret; deinde, vt puerum cum Matre in Ægyptum tranſmitteret; tertiò, vt mortuo Herode in Galilæam, non in Iudæam rediret ex Ægypto. Idem etiam Petro contigit, Actorum 10. & Paulo Actorum 16. verſu 9. Hanc autem prophetiæ ſpeciem ſanctus Thomas nobiliorem putat eſſe viſione, 2.2. quæſtione 174. articulo 3. *Quia licèt altior prophetiæ gradus ſit, videre viſiones, quàm ſomnia ſomniare, quia tamen plus eſt, audire verba, quæ ſunt ſigna maximè expreſſa intelligibilis veritatis, ſeu vigiles, ſeu dormias, quàm videre res ſignificatiuas etiam veritatis.* Hinc fiat, vt modus ille cognoſcendi ſit illuſtrior. E Vnde Deus Numerorum capite 12. verſu 6. quaſi ſermo per quietem nobilior eſſet, ſignificandi ratio, quàm per viſionem in vigilia, illum ſecundo loco poſuit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Hinc nonnulli putant, Ioëlis capite 2. viſionem datam eſſe iuuenibus, ſenioribus ſomnia.

Per ſomnium mens illuſtrata verbis.

43. Alio modo oblatis per quietem ſpectris, quaſi hieroglyplicis, Prophetas ſuos ſolet Deus inſtruere, atque etiam externos, quibus interdum ſermonem adiungit. Qualis fuit illa lintei ſpecies, quæ obiecta eſt Petro Actorum 10. & Danieli capite 7. Sanè per nocturna ſpectra, quid eſſet futurum, ſignificauit Deus Pharaoni, ſeptem ſpicarum, & totidem vaccarum obiectu; & Nabuchodo

Per ſomnium mens ſignis illuſtrata.

44. buchodonoſor ſemel obiecta arbore, iterum oblata ſtatua variarum rerum adglutinatione conflata. Sed hic obſeruandum, neque omni locutione, aut viſione oblata à Deo fieri Prophetam: alioqui in Prophetis numerandi fuerant Laban, Abimelech, Nabuchodonoſor, & Pharao: maxime cum hi duo non intellexerint, quid portenderant ſpecies oblatæ: alij verò licèt, quid Deus ſignificatum eſſe voluerit, apertè cognouerint, de ſuis tamen rationibus admonebantur, non de communibus, quod datum eſt Prophetis, per quos Deus populis aut prædicebat futura, aut de præteritis, & quæ non niſi Diuina poterant reuelatione cognoſci, populos inſtruebat.

45. His vtcunque libatis, neque enim neceſſarium puto, plura, quæ de ſomniis ab aliis traduntur, in hunc locum congerere, Prophetæ iſti mendaces ſomniaſſe ſe dicebant, ideſt, accepiſſe per quietem a Deo, quæ ad alios in nomine Domini tranſmittebant: ſed erant mera ſomnia, & commenta, qualia per eburneam portam immitti fabulantur Poëtæ, quibus nugatores iſti Vates quàm ſimillimi ſunt.

46. Verſ. 26. *Vſquequò iſtud eſt in corde Prophetarum, vaticinantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis ſui?*] Apparet, hunc prophetandi modum, ſeu Prophetarum genus non eſſe recens. *In corde eſſe*, idem eſt, quod ſtudio ſibi aliquid habere, aut id ſibi aſſumere negotij. *Seductio cordis*, vaticinium falſum eſt, quo Prophetæ ipſi ſeducuntur à dæmone: aut certe ſe ipſos ipſi, quæſtus, aut honoris gratia, ad vanam religionis ſpeciem ſeducunt.

47. Verſ. 27. *Qui volunt facere, vt obliuiſcatur populus meus nominis mei, propter ſomnia, &c. Sicut obliti ſunt patres eorum nominis mei propter Baal.*] Quod fecit olim Baal, qui præſtigiis, & fraudibus populum eò abduxit, vt Dei cultum abiiceret, & Diuini obliuiſceretur nominis, id faciunt nugaces iſti Prophetæ, dum ſomnia ſua, quaſi Diuina forent oracula, venditant. His, credo, à dæmone deluſi ſtudebant Prophetæ, aut certè, ſi minùs id eorum captabat animus, id efficiebat tamen: nam eam ob cauſam plurimi Diuina prodita, ad nefarias ſe religiones contulerant. Quod ſatis eſt, vt voluiſſe dicantur, quòd populus Diuini nominis eſſet immemor. Particula etenim *vt*, non ſemper cauſam importat finalem, ſed interdum tantùm oſtendit effectum. Exempla occurrunt in Scriptura quàmplurima. Exemplum adducit optimum Damaſcenus libro 4. capite 20. in fine. *Quemadmodum* (inquit) *ſi ſedeat quis operans, ſuperueniat autem quiſpiam amicus, ait: Ne hodie operer, ſuperuenit amicus; attamen amicus non, vt non operetur, aduentauit: ſic autem euenit: nam occupatus circa amici ſuſceptionem, non operatur.* Sic Iacobi filij à patre dicuntur indicaſſe Ægyptio præfecto, alium fratrem remanſiſſe domi in ipſius miſeriam: quia ex indicatione illa ſequuta eſt parentis miſeria, non ſecus, atque ſi id ſuo propoſuiſſent animo: ſic etiam nunc Prophetæ falſi voluiſſe videntur, vt populus à Domino recederet, quia re ipſa dum ſua narrant ſomnia, id perfecerunt non ſecus, atque ſi eò ſpectarent falſa vaticinia. Illud, *nominis mei*, loco ponitur Dei, ac ſi dicat: Oblitus eſt mei populus meus. notum eſt enim per *nomen* circumſcribi perſonam.

Regula. Vt, non ſemper eſt finalis particula, ſed effectum ſignificat.

48. Verſ. 28. *Propheta, qui habet ſomnium, narret ſom-*

A *nium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum vere.*] Grauiter fert Dominus aliena ſomnia, aut verba venditari pro ſuis: quare monet, ne quiſquam alienum nomen ſuis cogitationibus prætendat. Qui habet, inquit, ſomnium, aut verbum à Domino verum, id, me probante, atque etiam iubente, ad populum loquatur; qui ſuum habet ſomnium, & non oblatum à Deo, aut qui ſua loquitur commenta, ſua eſſe profiteatur ſomnia, & ſua eſſe figmenta, & à nomine meo interim abſtineat, quo ſuis nugis auctoritatem ſtudet conciliare Diuinam.

Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?] Rationem oſtendit Deus, cur quæ meræ ſunt nugæ, & 49.
B vacui cerebri deliria, ſuo nomini conſignari nolit, ſimúlque certam notam adducit, qua vera ſomnia à falſis, Diuina cõſilia ab humanis ſecerni poſſint. Somnia falſa, & humana vaticinia, ſeu deliramenta paleis dicit eſſe quàm ſimillima, in quibus ponderis nihil, ſed leuitas, & vacuitas, neque quidquam medullæ, quas ſi fetas, quia nihil habent vitale, putreſcunt fœdè, & vaneſcunt in nihilum. Contrà verò triticum, quia in ſe virtutem cohibet genitalem, ſeu vitalem, ex eius ſatu prouentus colligitur, qui ſatis agricolæ ſumptus, & laborem compenſat. Planè Diuinum verbum frumentum eſt, cui vitæ ſemen ineſt, & vis admirabilis ad cæleſtes fructus. Qui aliud ſeminare voluerit, commenta nimirum humanæ artis, & ingenij, næ ille paleas ſeminabit & ventum, atque adeò nihil omnino metet prætet turbinem. Hæc Hieronymus doctrinæ peruerſæ hæreticorum accommodat: ego etiam accommodari poſſe optimè arbitror illorum hominum doctrinæ, qui, dum è ſuperiori loco ad populum agunt, comptulas proferunt conciones, quæ plus habent artis, quàm ſpiritus, quas non tam concepit, atque parturiit oratio ad Deum, quàm elegantiæ, atque ingenij apud homines infantile aucupium: ſic ergo de horum ſiue artificio, ſiue ingenio Hieronymi iudicium: *Pulchrè peruerſa doctrina paleis comparatur, quæ medullam non habent, nec poſſunt nutrire credentium populos.*

Dei verbũ quomodo à profano ſecernitur.

C

D Verſ. 29. *Nonne verba mea, quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras?*] Aliam 50.
adhibet notam, ex qua cuius ſint ſermones, aut ſomnia, Deíne, an hominum, quiuis ſecernat. Verba etenim, quæ à Diuino ſpiritu animata non ſunt, nihilo magìs inflammant, quàm è mortua fauilla, neque grauiores habent petitiones, aut pulſus, quàm inanes ſtipulæ, cuius proximè ſimilitudinem adhibuit. At Dei verba, quæ aut ipſe loquitur, aut ſuis inſpirat Prophetis, ignea ſunt; quia & inflammant animos, vrunt, & cruciant, dum minas ingerunt; quibus non minùs exagitantur, & æſtuant, quàm ſi intra viſcera concepiſſent incendium: & adeò dura, atque potentia, vt ſicut malleus ſaxa, ſic ipſa ſaxea hominum corda conterant, & duritiem pluſquam adamantinam in pulueris mollitudinem commutent. Hanc Diuini verbi virtutem admirabilem & cognouerunt, & in ſe ipſis experiebantur antiqui. De quibus Dauid Pſalmo 118. verſu 4. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, Paulus ad Hebræos 4. verſu 12. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Neque vim habet tantùm, cùm profertur à Deo, ſed etiam cùm ab ore, quod aperuit, atque purgauit Deus, annunciatur. De quo eſt illud Eccleſiaſtici capite 12. verſu 11. *Verba ſapientium, quaſi*

Diuinum verbum ſimile igni, & malleo.

E

quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. At hominum verba mulcent, blandiuntur; & cùm arma concrepant,& tuba claſſicum canit,ipſa clamant: *Pax, & ſecuritas*, quibus impendet repentinus interitus.

51. Aliis ſimilitudinibus Diuini verbi vis, & natura declarari ſolet, tum à Canonicis ſcriptoribus,tum ab antiquis Patribus. Moyſes Deuteronomij capite 32. cæleſti rori comparat,qui vitam plantæ, atque nitorem præbet. Sic enim de verbo, quod ipſe loquebatur, quod ſine dubio, vt perſpicuum eſt legenti, à Domino acceperat: *Fluat vt ros eloquium meum;quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Iſaias capite 55. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cælo,& illuc vltra non reuertitur,ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare facit,&c. Sic erit verbum meum.* Hanc ſimilitudinem explicuit Origenes latè, homilia 1. in Exodum.

Diuinum verbum ſimile rori, ac pluuiæ.

52. Comparatur item ab eodem homilia 1. in Pſalmum 36.ad illud: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*, Diuinum verbum cum ſagitta. *Qui loquitur* (inquit) *ſermones Domini,iaculatur ſagittas.* Ambroſius eleganriſſimè amplificat ſimilitudinem à Ieremia productam de igne;quam huc tranſcribere non pigebit, quia mirè Diuini verbi potentiam declarat. Sic autem ille ſermone 18. in illud Pſalmi 118. *Ignitum eloquium tuum*, ait: *Quem ergo Dominus ignem in nouo ſparſit Teſtamento? qui ſecretos mentium Diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus. Qui vaporem fidei, & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Ieremias, Et erat ignis flammigerans in oſſibus meis: hoc ſermonum igne cæleſtium vaporati Cleophas, & ille alius, qui ſimul cum Domino ab Ieruſalem vſque ad caſtellum confecerunt iter, dicebant: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis,cùm aperiret nobis Scripturas? Ignis ergo hic ſermo Chriſti eſt, & bonus ignis, qui calefacere nouit,neſcit exurere, niſi ſola peccata. Hoc igne ſuper bonum fundamentum poſito, Apoſtolicum illud aurum probatur. Hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum. Hoc igne pretioſi illi lapides illuminantur,fœnum autem, & ſtipula conſumitur. Mundat ergo hic ignis animum, conſumit errorem. Vnde & Dominus ait: Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis.* Vide reliqua, quæ planè Ambroſio digna ſunt auctore.

Diuinum verbum ſimile igni.

53. Ad ſimilitudinem de malleo conterente petram,faciunt duæ aliæ ſimilitudines, quas adducit Chryſoſtomus homilia 40. operis imperfecti. Altera eſt ferri, aut vomeris,qui terram frangit, proſcindit, & emollit: altera ferrei raſtri, quod noxias herbas radicitùs euellit à vinea: his perſimile dicitur eſſe verbum Dei; quod vbi ad hominum animum deſcendit, altè tanquam vomer imprimitur, quidquid durum eſt emollit, & ſubigit; & vitiorum fibras, quæ altè obſequentem animum implicuerunt, aut vellit, aut elidit.

Simile vomeris.

54. Verſ.30. *Qui furantur verba mea, vnuſquiſque à proximo ſuo.*] Vſurpabant Prophetæ falſi verorum Prophetarum familiarem,& quaſi legitimum loquendi modum, dicebántque: *Hoc eſt verbum Domini: Hæc dicit Dominus*, & ſimilia:ſed planè furabantur, quia furto potiùs arripiebant negata, quàm lubente, atque probante Domino, oblata capiebant. Neque multò faciebant meliùs, cùm verba ipſius Domini vſurpabant:ſic enim tractabant alieno ſenſu,& ſpiritu, vt verba illa non eſſe Domini exiſtimari potuerint: quod nunc hæ-

Concionator qui ſuo loquitur ſpiritu, non Diuino, fur eſt.

A retici magno ſuo,& aliorum damno quotidie faciunt,qui pro ſuo ſenſu, ac cerebro Scripturam ſacram interpretati,alunt in peccando licentiam, & veræ religioni bellum indicunt. Id quomodo faciant, ſtatim declarat, dum dicit: *Aſſumunt linguas ſuas.* Ac ſi dicat: Illorum in loquendo linguam peruerſa animorum affectio moderatur. Tales erant illi,de quibus Ezechiel capite 13.qui Dei nomine prætento his, quibus mors erat à Domino parata, vitam, & quibus vitam proponebat Dominus,mortem denunciabant. *Violabant* (inquit) *me ad populum* (quia quoad eorum fieri poterat, mendacem faciebant Deum) *vt interficerent animas,quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt.* Hæc ſuo quoque modo aliis obiici B poſſent, qui verbi Dei præcones ſeſe venditant, & populum è ſuggeſtu docent:qui ſua lingua loquuntur, non Diuina, ambitionem captant, de proximorum cauſa non laborant; ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Omnibus his negatum eſſe puto verbum à Deo, qui ad futiles illos ſonos, & polita verba non aperit labia prædicantium. Pſalmo 49. *Peccatori autem dixit Deus,quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Cùm ad hunc verſum peruéniſſet Origenes, vt inquit Epiphanius in hæreſi Origeniſtarum,complicato libro è concione receſſit,eo eiulatu, cùm peccati ſui recordaretur, vt alios quo- C que ſui commiſeratione ad lacrymas, & eiulatum compulerit.

Origenes peccati memor concionē intermittit.

Verſ.31. *Ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus,* 55.
qui aſſumunt linguas ſuas, & aiunt, Dicit Dominus.] Prophetarum ſuorum linguas aſſumit, & moderatur Dominus: neque tam Propheta loquitur, cùm Diuina recitat oracula, quàm Dominus in ore Prophetarum. Quare frequens eſt in ore Prophetarum: *Sic dicit Dominus*;&, *Audite verbum Domini.*& ſimilia. Et ſæpe Dominus per os Prophetarum loquutus eſſe dicitur Lucæ 1. capite. *Sicut loquutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt Prophetarum eius.* Hi ergo Prophetæ,quos mendacij, ac doli Dominus coarguit, non tam linguam ſuam conſecrabant,& tradebant Deo,vt illam inſtrue- D ret,moderaretur, ac regeret,tanquam Diuini ſpiritus, & magnorum operum inſtrumentum, quàm ipſi aſſumebant,ſuóque ſpiritui,ac vanitati ſeruire faciebant: loquebantur enim,quæ malus afflabat ſpiritus, ad populi ruinam, cui aſſentabantur, non quæ Deus ad illius ſalutem miniſtrabat; quæ longè à fallaci illo, & noxio blandimento aberat, & tamen Diuino nomine commendabant, configurabántque dicentes, quaſi inſtincti forent à Deo: *Dicit Dominus*,aut, *Audite verbum Dei.*

Cùm pronomina poſſeſſiua tertiæ perſonæ 56.
vim habeant interdum reciprocam, quæ eò reſpiciunt, vnde manauit actio;interdum non reciprocam;cùm aliquid alienum ſpectant ab agente E perſona,fit vt interdum Interpretes, cùm pronomen eſt reciprocum, per abſolutum reddant; & contrà, cùm abſolutum eſt,pronomen adhibeant reciprocum. Duo accipe nunc exempla, plura tibi in Scriptura paſſim occurrent. Geneſis 2. *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* ideſt,ei.& Zachariæ 12. *Plangent eum.* pro, *plangent ſe.* vt vertit Ioannes Apocalypſis capite 1. qui in hunc Zachariæ locum intentus dixit, *Plangent ſe.* Sunt nonnulli,qui id accidiſſe putant huic loco: & illud, *linguas ſuas*,idem eſſe putant, quod *linguas eorum.* Ita putant, qui his verbis ſignificari

REGVLA. Pronomina poſſeſſiua tertiæ perſonæ modo reciproca ſunt, modo ſimplicia.

Prophetarũ veſtitus, & lingua. gnificari credunt, Prophetas falſos modum illum dicendi, ac prophetandi adhibere ſolitos, quem veris Prophetis videbant eſſe familiarem: hoc autem eſt, linguas Prophetarum aſſumere. Et quidem, ſi externam tantùm faciem, ac dicendi characterem ſpectes, non facilè Prophetas falſos internoſces à veris: nam illi veſtes quoque geſtantė cilicio contextas, vt conſtat ex illo Zachariæ 13. vbi de impoſtoribus hiſce ſermo eſt: *Nec induentur pallio ſaccino, vt mentiantur.* Quare Chriſtus cùm, quoad externam ſpeciem, quam facilè componit, aut fingit hypocriſis, inter fallaces, ac veros Prophetas, nihil videret eſſe diſcriminis, admonuit turbas, ne deciperẽtur à fucata illa ſanctitatis imagine. *Attendite,* inquit, *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* In hunc ſenſum inclinat Lyra, & dicit expreſsè Maldonatus, *ſuas*, hoc loco poſitum eſſe pro *eorum*: ſed ſi reciprocum eſſe putes, grauis eſt ſignificatio, vt diximus.

57. Pro *aſſumentes*, Hebraicè eſt לוקחים *loquechim,* quod præter alia etiam *lenire*, aut *dulcorare* ſignificat: in qua ſignificatione ſumunt recentiores Interpretes, Pagninus, & Vatablus, & Rabbi Dauid in libro radicum; neque ideſt alienum ab illorum Prophetarum ſpiritu, qui cæleſtium minarum ſtimulos obtundere ſtudent: & exulceratos atque concuſſos animos ſupplicij metu fouere, atque lenire. Quod aliis verbis explicuit Ezechiel capite 13. *Qui conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis.* Planè illi dulcorant linguas, dum verba effundunt melle ſtillantia, dum clamant, *Pax, pax*, ſed *molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Exemplum habes in Hanania Pſeudopropheta, qui Ieremiæ capite 28. omnia Hieroſolymis prædicabat ſecura, & proſpera, cùm tamen clades iam immineret ab hoſte Babylonico.

58. Verſ. 32. *Et in miraculis ſuis.*] Miracula hoc loco illa videntur dici, quæ turba rerum imperita admiratur, & ſtupet: qualia ſunt ſi quis cenſetur cum Deo habere familiare commercium, quale Moyſes olim: ſi abduci à ſenſibus, & extaſim pati, ſi afflari à Deo, ſi attolli, aut abripi altiùs ab humanis. Quæ finxerunt profani, cùm ſuis legibus auctoritatem ſtudebant conciliare Diuinam. Vide Valerium Maximum libro 1. capite 2. de ſimulata religione: vbi varia adducit exempla eorum, qui eo artificio ſe, ac ſua in aliorum animos inſinuarũt. Hæc facilè ſimulare poterant veteratores illi, aut præſtigiatores, nõ Prophetæ; ſicut etiam nunc multi faciunt, qui non tam eſſe volunt Sancti, quàm videri. Aut etiam miracula dicuntur ea, quæ vt inuſitata, & non cuiuis permiſſa oſtentabant ipſi ſtupidæ plebi: quale eſt ſaccum geſtare cilicinum, aut catenam frangere, quod fecit Hananias, Ieremiæ capite 28. & cornua ſumere ferrea, quod fecit Sedecias 3. Regum capite 22. qui oſtentans illa Regi dixit: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.*

59. Verſ. 33. *Si igitur interrogauerit te populus iſte, vel Propheta, aut Sacerdos dicens: Quod eſt onus Domini?*] Hæc verba ad Ieremiam ſunt: quibus admonetur Propheta, quid facere debeat cum iis, qui moleſtè ferunt ſe reprehendi, & cum ſibilo excipiunt Prophetarum verba, & oracula. *Onus* duo ſignificat, & id, quod ſonat, nempe pondus graue, quod iumentorum dorſum, aut hominum ceruices, aut humeros premit. Item vaticinium durum, quod calamitatem hominibus, aut ignominiam denunciat. In hac ambigua ſignificatione ludit oratio, ſed ludit minaciter, & amarè, vt ſuis obſeruabimus locis. *Onus, ambigua vox.* Antequam explicationem aggredior, obſeruo, Prophetas ſanctos, cùm amara nunciant, & illud fulminant vaticinium, quod *onus* vocatur, cenſeri ab hominibus, qui ægrè ferunt obiurgari ſe, deliros, & inſanos; neque magis illorum verbis eſſe credendum, quàm anilibus nugis, aut fabulis è circo. Sic Iſaiæ capite 18. ſubſannantes occinebant tritum, atque vulgate; *Manda, remanda, expecta, reexpecta.* Sic Ezechielis minarum plenas, & Diuinæ indignationis voces per ludibrium in compitis concinebant, & circulis, capite 33. verſu 31. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos.* Et hoc ipſum Ieremiæ obiecerunt non ſemel, vt ex hac prophetia legenti conſtabit; & Ieremias ipſe docet, capite 17. vbi, quia nihil eſſe ponderis in Diuinis oraculis putabant, cum irriſione, & audaci confidentia dicebant: *Vbi eſt verbum Domini, veniat.* Vide quæ eo loco diximus. Ex his, credo, aliquid accipient lucis, quæ implexa videntur, & obſcura.

Cùm omnia fermè Ieremiæ vaticinia, quæ ſanè plurima fuêre, plena forent minarum, iam è Iudæorum populo multis inuiſus erat, ac moleſtus, vt ipſe querebatur capite 15. verſu 10. *Væ mihi, mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ*, &c. *omnes maledicunt mihi.* Sed præcipuè Sacerdotibus, falsíſque Prophetis, qui ægrè ferebant, exprobrari ſibi id, ex quo ipſi apud populares gloriam captabant. Quocirca, cùm obuium haberent Ieremiam, illi cum irriſione occinebant, ecquid habemus monſtri? aliquódne onus apportas, quod nobis abnuncies? ecquod verbum eſt Dei, quod noſtra peruertat conſilia, aut pacem turbet? Hæc, credo, aut ſimilia, obloquebatur populus ille exagitatus à Propheta, cui Deus hoc loco præſcribit, quid inſultanti, atque procaci populo reſpondere debeat. 60.

Si interrogauerit te populus iſte, &c. *quod eſt onus Domini* (cum irriſione, ſcilicet, quaſi increduli) *dices ad eos, Vt quid vobis onus? proiiciam quippe vos, dicit Dominus.* Hæc eſt reſponſio ad populum irriſorem, ſatis ipſius petulantiæ digna: iam vobis à me nullum proferetur onus, ideſt, vaticinium, quod licèt durum ſit, ex beneuolo tamen animo naſcitur; quíque remouere ſtudet populum à periculo, vos eſtis verè onus (in alia, nempe, ſignificatione, quæ grauem molem ſonat, & pondus importabile) quod ego ſuſtinens iam pridem laboro. Hoc ergo reliquum eſt, vt vos excutiam ex humeris, tanquam alienum, atque moleſtum aliquid, ad exilium, & mortem: & veſtri curam, quam hactenus habui, procul abiiciam. 61.

Verſ. 34. *Et Propheta, & Sacerdos, & populus, qui dicit, Onus Domini, viſitabo ſuper virum illum, & ſuper domum eius.*] Vniuersè Dominus dixerat, proiecturum ſe populum, qui ex Diuino ore loquenti Prophetæ inſultauiſſet. Nunc præcipuè illis, illorúmque domibus prædicit interitum: qui onus Domini cum irriſione audaciùs vſurpat; quod frequentiùs Prophetis, ac Sacerdotibus accidebat, qui alios præter ipſos ſapere, aut aliquid accepiſſe Diuinum moleſtè ferebant. Illud, 62. *Verbum Domini quomodo nõ onus.*

&,

&,ſuſpicor aliquid importare maius,& eſſe idem, A quod *præcipuè*, quem vſum habet in Scriptura frequentem. *Populum*, pro populari, aut aliquo è populo ſumi puto: neque enim totus populus cum irriſione dicebat, *Onus Domini*; ſed qui è populo paulò eſſet audacior, quíque Sacerdotibus,ac Prophetis aſſentiri, aut aſſentari vellet. Aliam explicationem huius clauſulæ, atque ſequentium adducemus poſt verſum 36. numero 64.

63. Verſ.35. *Hæc dicetis vnuſquiſque ad proximum ſuum, & ad fratrem ſuum: Quid reſpondit Dominus, & quid loquutus eſt Dominus?*] Cùm quiſpiam de onere Domini, aut de Diuino oraculo quæſierit, hoc illi reddetur vniuerſale, & commune re- B ſponſum, quod Ieremiæ præſcriptum eſt, nempe populum eſſe onus Domini, quod ipſe iam diu pertulit, quódque quamprimùm ex humeris excutiet. Hoc eſſe prædictum omnibus Dominus vult,vt hæc inter ſe conferant, neque iam quidquam ampliùs de onere requirant.

64. Verſ.36. *Et onus Domini vltrà non memorabitur.*] Graue hoc ſupplicium eſt, ſi Dominus hoc loco minaretur oneris,ideſt,duri vaticinij ſilentium,& quod omnium maximè ſapientes horrent animi. Cùm nomen oneris non auditur, neque propoſito metu concutitur peccator, aut vexatione,& plagis non exercetur ad ſalutem.

65. *Quia onus erit vnicuique ſermo ſuus.*] Onus, vt C dixi, vaticinium ſonat acerbum, & minax; item ſarcinam grauem. Vtrolibet accipias modo,ſententia grauis eſt, & illuſorum hominum meritis ſatis accommodata. Si priori modo intelligas, ſenſus eſt: Ex eo, quod quiſque loquitur,ex irriſione nempe, atque conuitiis, quibus tam Prophetas, quàm Prophetarum Dominum, cuius madata perferunt, exagitant, coniectare illos facilè poſſe, quid ipſis reſponderi fas ſit, & quale audire debeant onus, nempe durum,& horribile. Quòd ſi *ſermo*, vt in Scriptura frequens, quodcunque opus, aut conſilium ſignificet, latior eſt, ac plenior ſignificatio: nempe, Qualia quiſque fecerit, loquutúſve fuerit, talia ab vltore Domino recepturum eſſe reſponſa. Quare D neceſſe non erit rogare de onere, cùm quiſque ex meritis coniectare poſſit, quale ſit, & quantum futurum: ſi verò *onus* pro ſarcina, ſeu pro ſupplicio ſumatur, ſenſus eſt facilis, & in Scriptura ſacra ſæpe repetitum. Qualia nempe quiſque fecerit, dixerítve, talia recepturum à Iudice Deo: qui iuſta mercede hominum facta ſeuerè, aut placidè pro meritorum varietate compenſat.

66. *Et peruertiſtis verba Dei viuentis.*] Cur hominum ſermoni ſuum iam onus definitum ſit durum, & horribile, etiamſi Prophetæ, & Diuina conticeſcant oracula, rationem oſtendit; quia illi, in quos Diuinus inuehitur furor, ſacra per- E uertunt verba, dum illa in alienos contorquent ſenſus, aut fidem illis, & pondus adimunt, dum commenta vocant, & nugas delirantium? Quæ cùm verba ſint, & oracula viuentis Dei, perinde accipiunt, atque ſi vana forent idolorum, ideſt, mortuorum deorum nugamenta. Quod ſupplicium iure plus quàm optimo timere poſſunt, qui cùm oracula tractent Euangelica, vim illis, & quaſi neruos incidunt; in quorum ore non ſagittæ ſunt, quæ corda configunt, ſed leues ſtipulæ, quas ventus iactat; non claui in altum defixi, ſed fumus, & vmbra, quæ malè

Supplicium eorum qui verbum Dei peruertunt.

ſanum cerebrum proponit venalia plaudenti, atque admiranti ſtultæ plebeculæ.

Aut certè Dei verba peruertunt, dum vocant 67. *onera*, quaſi ſemper grauia ſint, neque vnquam lætum aliquid nuncient: cùm tamen longè ſecus habeant: videmus enim apud hunc Prophetam, qui omnium exiſtimatur maximè aut prædixiſſe, aut portendiſſe dura, quia imminere videbat Iudæorum cladem, multa prædicta fuiſſe iucunda, vt de reditu Iudæorum ab exilio, de inſtauranda iterum, atque ornanda ciuitate, de cæde illorum, qui Iudæorum Rempublicam vexauerunt. Hæc verò dum propria eſſe dicunt Diuinis oraculis, populum ab audiendo deterrent, qui cùm amplexetur adulatoria, & lenia; auerſetur, quæ pungunt, & cruciant, ſi quid minùs ad voluptatem audierit, illud execratur, & reſpuit. Ita indicat Maldonatus: qui etiam in eo iudicio verè, tunc verba Dei peruerti putat, cùm in canticum, & fabulam conuertuntur, proponuntúrque tanquam nugatorium aliquid otioſo, atque inſultanti populo: quod item putat ſanctus Thomas.

Qui auertunt alios à verbo Dei.

Hæc, quæ hactenus dixi, à litera non viden- 68. tur aliena, & ſunt ad mores opportuna, & grauia: ſed credo magis eſſe expeditum,& obuium, ſi ab illis verbis verſus 34. prohibeantur homines, ne Diuina verba *oneris* compellatione ſuggillent, quod moleſtum aliquid, & odioſum importat. Ab eo igitur loco ſic adhortationem iſtam paraphraſticè reddo: Ego viſitabo, ſeueréque puniam Sacerdotem, & Prophetam, & quemcunque alium è populo, cum ipſorum familiis, qui verbum Domini compellarit *onus*. Quare cùm aliquis proximum ſuum de Prophetarum oraculis rogauerit, abſtinebit à nominando *onere*: dicétque,non, Quid habemus oneris à Propheta? ſed, Quid Propheta dicit,aut Dominus. Neque iam ampliùs apud vos *oneris* nomen audietur: ſermo etenim eius,qui nomen vſurpauerit *oneris*; aut *onus* ipſum compellatum, verè onus erit illi, ideſt, ſupplicium graue: quia ille Dei verba peruertit, dum illis aliquid odioſum, & graue portendi docet. Ex quo fit, vt vulgo hominum Diuina oracula in fabulam conuertantur,& riſum,cum qua explicatione bellè conſentit quod proximè adiungitur.

Verſ.37. *Hæc dices ad Prophetam: Quid reſpon-* 69. *dit tibi Dominus, & quid loquutus eſt Dominus?*] Cum populo loquitur, in quo etiam Sacerdotes continentur, & Prophetæ; cui præſcribit, qua modeſtia,aut quibus verbis actum eſſe velit cum Propheta, quem Deus ſuum ſibi nuncium aut ſequeſtrum eſſe voluit ad populum:& iubet,abſtinendum eſſe prorſus ab *oneris* compellatione.

Verſ.38. *Si autem onus Domini dixeritis.*] Si ve- 70. rò admoniti à me, adhuc tamen nomen *oneris* vſurpare pergatis, efficiam, ne, ſicut hactenus, impunitatem habeat iſta proteruia.

Verſ.39. *Ecce ego tollam vos portans.*] Eadem 71. repetit, quæ nuper, cùm dixit: *Onus erit cuique ſermo ſuus.* Dicitur enim, ſic fore tractandum illum, qui contra Domini præſcriptum nomen iterat *oneris*, ſicut tractantur onera, quæ impoſita aut plauſtro, aut iumentorum dorſo tranſportantur interdum quàm longiſſimè. Sic ergo Deus ciuitatem euertet,& illius non ſolùm opes, ſed etiam ciues in peregrinam regionem, tanquam onus aliquod, tranſmittet.

Verſ.40. *Et dabo vos in opprobrium ſempiter-* 72. *num.*]

num.] In Scriptura ſacra *æternum*, *ſempiternum*, & ſimilia, non ſemper valent, quod nullis definitur terminis, ſed aliquando idem eſt, quod diuturnum: vt docuimus ſuprà non ſemel: neque hoc opprobrium fine caruit, cùm poſt ſeptuageſimum annum ſoluta ſit captiuitas, & in- A

ſtaurata Hieroſolyma. Poſterius illud, *quod nunquam obliuione delebitur*, potiori ratione vocari poſſet ſempiternum, quia ſupplicium illud non ſemper in hominum memoria recens eſt, neque vlla videtur obliuione delendum. Hæc de capite vigeſimotertio.

ARGVMENTVM CAPITIS XXIV.

OBLATA in duobus calathis bonarum, atque malarum ficuum ſpecie, docetur Propheta, qualis futura ſit illorum conditio, qui ſe Regi Babylonio cum Iechonia Rege tradiderunt, & eorum, qui cum Sedecia poſtea, Diuina contemnentes monita, aut in ciuitate, in qua ſatis putabant eſſe præſidij, continuerunt; aut Sedecia capto, & vrbe direpta, in Ægypto contrà clamante Ieremia profecti ſunt. Prioribus Deus reditum pollicetur in patriam, ſuúmque populum affirmat; poſterioribus cædem, & vbique terrarum vexationem, & opprobrium minatur.

IEREM. CAP. XXIV.

1. *OStendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis, poſiti ante templum Domini, poſtquam tranſtulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis Iechoniam filium Ioakim Regem Iuda, & Principes eius, & fabrum, & incluſorem, de Ieruſalem, & adduxit eos in Babylonem.* B

2. *Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt ſolent ficus eſſe primi temporis: & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quòd eſſent malæ.*

3. *Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde: quæ comedi non poſſunt, eo quòd ſint malæ.* C

4. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens:*

5. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Sicut ficus hæ bonæ: ſic cognoſcam tranſmigrationem Iuda, quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum, in bonum.* D

6. *Et ponam oculos meos ſuper eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non deſtruam: & plantabo eos, & non euellam.*

IN IDEM CAP. PARAPH.

1. POſtquam Iechonias filius Ioacim cum Principibus, fabris, aliiſque artificibus, qui caſtra munire, atque metari nouerant, à Rege Nabuchodonoſor tranſlatus eſt in Babylonem, oſtendit mihi Dominus, inquit Ieremias, ante templum calathos duos ficubus plenos.

2. Calathus alter ficus habebat perquàm bonas, quales eſſe ſolent illæ, quas primùm fundit arbor, quæ præcoquæ dicuntur, & ſuauiſſimæ ſunt. In altero ficus erant vſque adeò peſſimæ, vt faſtidium potiùs, & nauſeam mouerent, quàm expeterentur ad menſam.

3. Tunc ad me Dominus: Ecquid tu vides, ô Ieremia? Ad quem ego: Ficuum duo genera contemplor. Video námque ficus & ſpecie pulchras, & tempeſtiua maturitate opportunas, ad menſæ delicias, denique bonas valde: video item ficus alias, quas cum faſtidio, ac nauſea auerſatur ſtomachus, malas denique valde.

4. Tunc Dominus ad me loquutus eſt, & quid ficuum ſpecies oblata portenderet, expoſuit.

5. Sicut qui ficus bonas, dicit Dominus, videt eſuriente ſtomacho, illas libenter accipit, & cum voluptate comedit; ſic ego illos, qui ex Iudæis in Babylonem, me iubente, cum Iechonia tranſmigrarunt, accipiam, amplexabórque, vt illis benefaciam.

6. Vt illis, inquam, benefaciam placatus, benigno illos aſpiciam, ac ſereno vultu: reuocabóque eò, vnde extorres abierant; & ibi ſtabilem illis ædificabo do-

A mum, plantabóque ſummis ad diuturnitatem radicibus; neque illos vt antè euellam, aut demoliar.

7. Et dabo eis cor vt ſciant me, quia ego ſum Dominus: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: quia reuertentur ad me in toto corde ſuo.

7. Quibus ego illud addam ſtudium, & affectum, vt me ea cognitione norint, quæ ipſos præceptis meis dociles, & meæ voluntati obſequentes reddat: quod tunc facient non grauatè, cùm me Deum eſſe, ac Dominum cognouerint. Tunc verò, quia ſeriò ad me, atque ex animo redibunt, illum ego rurſus in meum mihi populum aſſumam, & illi me ſuum ſibi Deum, ac Dominum accipient.

8. Et ſicut ficus peſſimæ, quæ comedi non poſſunt, eo quòd ſint malæ: hæc dicit Dominus, ſic dabo Sedeciam Regem Iuda, & Principes eius, & reliquos de Ieruſalem, qui remanſerunt in vrbe hac, & qui habitant in terra Aegypti.

B 8. Nunc ad ficus venio peſſimas. Sicut ficus hæ malæ nihil habent, quod palatum alliciat, ſed potiùs multa, quæ faſtidium moueant, atque ideo comedi nullo modo poſſunt; ſic faciam, vt Sedecias, & Principes eius, & reliqui, qui parere mihi noluerunt, dum clamante ſæpe Ieremia mandarem, vt traderent ſe Regi Babylonio, ſed potiùs ſeſe continuerunt in vrbe, & illi etiam, qui vt gladium effugerent Babylonicum, ſuas ſibi ſedes in Ægypto locarunt, ficubus hiſce peſſimis ſunt quàm ſimillimi, ſordidi, ærumnoſi, & quos nemo ab oculis, atque à conuictu non reſpuat.

9. Et dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ: in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuerſis locis, ad quæ eieci eos.

C 9. Et quamcunque ſe in partem dederint, efficiam, vt vexentur durè, atque affligantur ab omnibus. Eo autem erunt in loco vbique terrarum, vt eorum nomen vile apud omnes, & probroſum ſit. Dabunt enim in omnibus regnis, quæ extorres obiecerint, locum parabolis, prouerbiis, ac maledictionibus, quæ ex ipſorum ſordida, atque ærumnoſa conditione ſumantur.

10. Et mittam in eis gladium, & famem, & peſtem: donec conſumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.

10. Neque ſæuire deſinent, me iubente, gladius, fames, & peſtis, donec illorum nemo relinquatur in terra, quã ego quondam illorum parentibus attribui.

IN

IN CAPVT VIGESIMVMQVARTVM IEREMIÆ.

Verſ. *Oſtendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis, poſiti ante templum Domini.*]

1. HÆc viſio diſcrimen oſtendit eorum, quos Nabuchodonoſor in ſuum ſibi regnum abducet, vel debellatos armis, & ferro ſubactos, vel eos, qui vltrò ſe meliori conſilio ſeruos obtulerunt: quorum illis nihil annunciat benignum, & molle, his verò poſt aliquam exilij moram, reditum in patriam, & felicitatem promittit. Obiiciuntur autem Ieremiæ ficus potiùs in calathis, quàm alij arborum fructus, accommodatè ad regionis naturam, quæ ficus alit, quarum ibi nobilis, & copioſus prouentus. Vnde apud Hebræos tritum, & prouerbiale: *Sedere ſub vite, & ficu.* & quidem ficus ſæpe cum vinea coniungitur, & pro arboretis aliis, ἀμπελοσυκεῶν opinor, vſurpari apud Hebræos ficeta ſolent. Ioëlis capite 1. *Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit.* Habacuc capite 3. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.* Et Canticorum capite 2. cum vineæ odore ficus quoque fructum coniunxit. *Ficus (inquit) protulit groſſos ſuos.*

Ficus in Palæſtina frequens.

2. *Poſiti ante templum Domini.*] Locus ipſe oſtendit, de quo populo ſpecies iſta calathorum, & ficuum ſit accipienda: de illo nempe, qui in ciuitatis medio, & quaſi complexu templum habet; vnde quotidie in populum, & redduntur oracula, & larga promanant beneficia. Hîc autem obſeruet moralis Interpres eos, qui in templo Dei ſunt, aut malos eſſe valde, ſi fortè malos eſſe contingat, aut valde bonos, ſi templi ſanctitati, cui ſeruiunt, aut dato ſibi muneri ſatisfecerint. Quod idem de Religioſis, qui in templo, id eſt, in domo Domini ſunt, quæ eſt quoddam cæleſtis aulæ veſtibulum, dici quàm veriſſimè poſſunt, vt putat Hugo. Si enim tam hi, quàm illi corruptè vixerint, magnam neceſſe eſt corruptionem ſubierint: quibus neque loci ſanctitas, neque functiones religionis plenæ, neque frequens orationis, atque ſacrorum myſteriorum vſus, aut continere in officio deuios, aut eorum mentes ſanare potuerunt. Eſt hæc ſententia à Patribus ſæpius vſurpata, qui experientia ipſa edocti, nullum peiorem eſſe clamant eo, qui cùm ex inſtituto deberet eſſe ſanctus, abductus à ſenſibus, & carnis illecebris, cogitationem ſuam, & mentem ad ea, quæ ſæculi vanitatem, & delicias olent, ſtolidène dicam, an ignominioſè, conuerterit. Vnum producam Auguſtinum, qui nobis eſt pro mille, in epiſtola quadam ad Hipponenſes, quæ eſt in 2. tomo centeſima trigeſimaſeptima, & habetur diſtinctione 47. capite *Quantumlibet: Simpliciter* (inquit) *fateor charitati veſtræ; coram Domino noſtro Deo, qui eſt teſtis mibi ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quoniam difficile ſum expertus, non eſſe meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt; ita non ſum deteriores expertus, quàm qui in monaſterio ceciderunt.* Quod in eadem epiſtola exemplis confirmat:

Qui in templo, aut in Sanctorum cœtu viuit, niſi boni fuerint, peſſimi ſunt.

A nam, qui ratione ſocietatis, ac domeſticæ diſciplinæ ſanctiſſimi eſſe debuerunt; iidem, vbi ab officij, doctrinæque ſanctitate defecerunt, omnium ſuæ ætatis hominum iudicati ſunt peſſimi. Quæ ſanctior toto orbe, immo quæ alia ſancta toto orbe familia, quàm quæ diluuij tempore ſeruata eſt in arca Noë? At inde prodiit ſceleratiſſimus Cham. Ex familia Iſaac ortus eſt reproborum ſymbolum Eſau; ex eo Diaconorum ordine, qui Spiritu ſancto auctore, electi ſunt ab Apoſtolis, prodiit Nicolaus; ex Apoſtolorum collegio egreſſus eſt Iudas. Qui in Dei familiis, & ſortibus, quales Religioſorum ſunt, & Sacerdotum, corruptè viuunt, quis dubitet, illos futuros eſſe peſſimos? Dixit hoc idem de Athenienſibus Plutarchus, in vita Dionis, ad finem: eos aut vehementer eſſe malos, aut vehementer bonos: B quia ibi religio vigebat, & Philoſophia, quæ mores ad ſanctitatem informarent, quas qui contemneret, aut in quem illæ vim haberent nullam, ſceleratiſſimum eſſe oportebat. Addit etiam ibidem: ſicut Attica optimum producit mel, ſic præſentiſſimum gignere venenum. Sic ergo in templo Domini, ſi malæ ficus ſunt, malæ ſint oportet vehementer; ſi verò bonæ, ſint oportet quàm optimæ.

Exemplum eorum, qui in Sanctorum ſocietate peſſimi.

Poſtquam tranſtulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis Iechoniam filium Ioacim.] Tempus deſcribitur, quo obiecta eſt Prophetæ calathorum ſpecies. Quæ eò ſpectare videtur, vt mœrorem leniat illorum, qui obſequuti Ieremiæ, immo veriùs Diuino C conſilio, Nabuchodonoſor Regi ſe tradiderunt; ſpemque afferat remigrationis in patriam: tum etiam, vt abiecto metu, ad idem deditionis conſilium Sedeciam inducat, qui eò cum domeſticis, atque Principibus adducetur, vt non minùs propter conditionis miſeræ vexationem, & ſordes nauſeam moueat, quàm ficus illæ malæ, quæ comedi nec ab eſuriente poſſunt. 4.

Et Principes eius, & fabrum, & incluſorem.] In fabro omnis intelligitur artifex, ſeu qui ferrum tundit, ſeu qui ligna dolat, aut ſaxa ſecat, & polit. Incluſorem Hieronymus illum intelligit, qui gemmas pretioſis illigata metallis, & palis includit. Alij plures verbum eſſe putant militare, ſignificaréque illum, qui caſtrametari nouit, ciuitateſque D mœnibus ſepire, & obiectis clauſtris ab hoſte defendere. Quod mihi videtur ſatis ad hoſtium commoditatem, & conſilia, qui tunc ſibi cautum ab inimicis arbitrantur, cùm inermes relinquunt, neque artifices apud illos eſſe ſinunt, quorum induſtria integrari poſſint, & refici quæ belli furor debilitauit, aut ſuſtulit. Quare in *Principibus* duces fortaſſe intelliguntur, quorum in re bellica non inutile conſilium, & explorata virtus, atque conſtantia. Quod apertè colligitur ex 4. Regum capite 24. vbi, qui hîc *artifices* vocantur, & *incluſores*, fortes appellantur, & bellatores. 5.

Incluſor quid.

Quod autem, vt Angelonius obſeruauit in libro 4. Regum capite 24. ad hæc eadem verba, fecerunt olim Philiſtim in ſubiectum ſibi Hebræorum populum: idem fecerunt poſtea victores Babylonij. *Hoc eſt* (inquit) *quod populo Iſraël Philiſtim regnantes feciſſe narrantur, cùm dicitur: Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël. Cauerant enim Philiſtim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Sicut enim tunc illi cauerant, ne habentes fabros ferrarios Hebræi, arma ad repugnandum facerent, ita nunc Chaldæi deſtructa Ieruſalem, & vaſtata omni terra repromiſſionis ſatagunt, vt nullus in ea remaneat artifex, nullus incluſor, qui vel fœdata vrbis mœnia componere, vel poſſet reſarcire diſrupta.*

6. Verſ. 2. *Vt ſolent ficus eſſe primi temporis.*] Ficus illas eſſe ſuauiſſimas, multa Scripturæ loca teſtantur. Michæas capite 7. *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea.* Quæ verò ſint ficus iſtæ præcoces, ſtatim oſtendit, dum ſubdit: *Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Oſeæ capite 9. *Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum.* Nempe Abraham, Iſaac, & Iacob; qui propter morum ſanctitatem, & innocentiam ſic Deo placuerunt, ſicut ficus primi temporis ieiuno, atque eſurienti ſtomacho. Quòd autem eorum poſteri ficus ſint malæ, malæ valde, docent, quæ mox ſuccedunt. *Ipſi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſiones, & facti ſunt abominabiles.* Et quia de Religiòſis ſuperiora exponere inſtituimus, hæc etiam eòdem referamus. Sicut prima poma ficulneæ fuerũt primi illi Iſraëlitici generis parentes, ex quibus ingens ille populus propagatus eſt; ſic religioſorum ordinum Fundatores prima poma ſunt, quæ Deus ſic arripuit auidè, tanquam qui diuturnam explere velit famem. At qui à parentum moribus, religioſáque diſciplina abalienati ſunt, & ad Beelphegor, ideſt, carnis mollitiem, & ſenſuum lenocinia intrauerunt, abominabiles fiunt, ad quos Deus non minùs nauſeat, quàm ad ficus alias malas, malas valde, quas nulla fames appetere, nullus ſtomachus ſuſtinere poteſt. Ficus primi temporis illæ ſunt, quas primùm fundit arbor, quas Latini groſſos, vulgus Hiſpanorum *breuas* appellat: quas in Palæſtina in deliciis haberi docent, quæ nuper adduximus loca. Et dicit apertè Cyrillus lib. 3. contra Iulianum: *In ficubus* (inquit) *dulciſſimus fructus, quæ præ aliis matureſcit, hoc eſt, ficus præcox.* Hebraicè בכורה *becorah*, à quo deductum Punicum vocabulum, *albacora*, quæ idem valet, quod vox Hiſpanica, *breua*.

Prouer. Ficus primæ.

Iuſti, Dei deliciæ.

Religionum prima tempora.

7. *Et calathus vnus ficus habebat malas nimis.*] Multis modis ficus eſſe poſſunt malæ, & eſui ineptę: vel quia, antequam ad maturitatem peruenêre tempeſtiuam, noxius illas afflauit ventus, aut frigus exuſſit; quod contingit plerunque ſub autumnum, appetente iam hyeme, quo tempore in ipſis etiam ramis ſemiaridæ, aut certè euanidæ ficus ſponte defluunt. quas iubet Columella libro 3. decuti ab iis, qui ficum habere volunt optimam. Aliter inutiles eſſe ficus ſolent, & ad nauſeam magis, quàm ad menſæ delicias, quando poſtquam maturuerunt, aut ſitu, quia ex humido ſolo excitatæ non ſunt, aut calcatæ pedibus, aut ab immundis beſtiolis corroſæ, potiùs faſtidium in ſtomacho, quàm appetitum mouent. Hæc rurſus, quando ante templum oblata ſunt Ieremiæ, ad religionis clauſtra, & Sacerdotum inſtituta conferamus. Quidam ſunt, quos in ipſo religionis ingreſſu, neque toto illo

Quomodo Religioſus vir in ſuo ſtatu langueſcat.

A tempore, quo grandeſcere, & ſaporem aliquem accipere potuerunt, nullo modo informauit, aut finxit religionis norma, quia calor ille deuotionis abfuit, qui maturitatem ficui, ac ſuauitatem inducit. Hæ ficus, quibus neque maturitas vnquam, neque dulcedo contigit, excutiendæ ſunt, vt ex arboraria diſciplina docet Columella, ne tota pereat, aut ſeneſcat arbor; quod faciunt magno cum religionis bono, qui Diuino huic horto exornando, atque excolendo, inuigilant. Alij ſunt, qui tempeſtiuo calore tempeſtiuam ipſi quoque maturitatem conſequuti ſunt, qui cum ætatis incremento incrementa quoque virturum acceperunt; ſed fecit incuria poſt longam

B ſolicitudinem, & ex longo religionis decurſu concepta ſecuritas, vt langueret vegeta quondam virtus, torpeſceret otio, ac denique diſſoluta tabeſceret, & eò produceretur ſenſim, vt nihil haberet amplius, quàm inanem religionis vmbram, & nomen omnino vacuum, quale incidi ſolet mortuorum ſepulcro, quod vixiſſe indicat hominem, ſed mortuum iacere, & in vermes, aut cineres extabuiſſe. Hos auerſatur Dominus, tanquam putridas ficus, cum faſtidio, ac nauſea.

Vana religio.

Verſ. 5. *Sicut ficus hæ bonæ, ſic cognoſcam transmigrationem Iuda, quam emiſi de loco illo in terram Chaldæorum in bonum.*] Accommodat iam Deus inductam ficuum ſimilitudinem: & primùm agit de 8.

C ficubus bonis, quibus ſimiles futuros eſſe dicit illos, qui cum Iechonia in Chaldæorum regionem tranſmigrarunt; quos ſic Deus amabit, accipiétque, ſicut qui eſuriente ſtomacho bonas ficus videt, & bonas valde. Hic aliqua nobis obſeruanda. Primùm, profectionem illam ſecundam ſub Iechonia vocari non captiuitatem, ſed tranſmigrationem; quia cùm ſe Iudæi tunc tradidiſſent vltrò, non ferro ſubacti, non tam abducti videbantur in exilium, quàm ſponte profecti. Quare Deus dicitur emiſiſſe illos, non abieciſſe. Deinde, cùm, *cognoſcere*, etiamſi nihil addas, fauorem ſignificet, vt alio loco pluribus oſtendimus, quia tamen interdum latiori forma ſumitur, ad-

D ditur ad extremum, *in bonum*, ne quid in communi verbo appareret ambiguum.

Verſ. 6. *Et ponam oculos meos ſuper eos ad placandum.*] ideſt, vt illos mihi gratos reddam, quo illis placer, aut placido illos aſpiciam, ac ſereno vultu. Hebraicè eſt לטובה *letobah*, ideſt, *in bonum*, eodem ſenſu, quo ſuprà dixerat, *cognoſcam in bonum*, ideſt, vt bene faciam; vt magis confirmatur ex ſequentibus. 9.

Et ædificabo eos, & non deſtruam, & plantabo eos, & non euellam.] Hic non nemo dubitet, cur neque deſtruendi dicantur, neque euellendi, quos iam diu deſtructos, & euulſos videmus ex iis ſedibus, ad quas reuerſuri dicuntur. Propter hæc quidam de Eccleſia hæc accipiunt, cuius typus fuit in- 10.

E ſtaurata Ieruſalem, aut etiam æterna vita; & in his eſt Maldonatus: quod ego non improbo; ſed non puto neceſſarium ad iſta confugere: cùm hæc in Iudæos quoque, quos in patrias ſedes Dominus reduxit, iuxta Hebræorum idioma conueniant: vt enim alio loco diximus, ad maiorem dictorum confirmationem, cum epitaſi non vulgari, eadem ſententia, quam affirmando proferimus, cum negatione contrarij explicari ſolet: quomodo de Ioanne Baptiſta dicitur: *Confeſſus eſt, & non negauit.* Et de Ezechia Iſaiæ 38. *Morieris, & non viues.* vbi altera pars nil addit priori, præter modum,

modum, in quo maior ineſt vis. Quare nihil aliud hîc ſignificari credo, quàm ædificandos, atque plantandos eſſe eodem in loco Iudæos, vnde ſeptuageſimo antè anno fuerant euulſi. Iiſdem verbis vſus eſt Ieremias poſtea capite 42. verſu 10. *Ædificabo vos, & non deſtruam: plantabo, & non euellam.* Aut etiam Scripturæ more id dicitur non euertendum, quod incolume diu futurum eſt: aut non vltrà, ſeu non ampliùs futurum, quod durabit diu: & æternum fore, quod extinguendum eſt, ſerò tamen, & poſt multa ſæcula. Sic etiam dicitur non deſtruendum, quod ſtabit diu, vt certè contigit populo è Babylone reuocato. Vide quæ diximus in noſtris Commentariis in Iſaiam cap. 60. n. 39. & c. 23. n. 29. Quomodo ab exilio redierint, qui cum Iechonia, & Sedecia in exilium abierunt, dicemus infrà cap. 29. à num. 16.

12. Verſ. 7. *Et dabo eis cor, vt ſciant me.*] Cor voluntatem ſignificat, ſtudium, & affectum, quem Dominus indidit iis, à quibus amatur, & colitur. Illud autem *ſcire*, non eſt, vtcunque noſſe Deum, ſed cognitionem habere practicam; quæ cor, & totum hominem obſequentem Diuinæ voluntati ſubiiciat. Id enim in Scriptura ſæpe valet *ſcire*: ſicut neſcire, praxim aliquam negat, vel obſequium in eos, quos neſcire dicimur. Sicut Pharao Exodi capite 5. dixit: *Neſcio Dominum,* nempe, vt illi obediam. & Deus ad fatuas virgines, *Neſcio vos.* ſcilicet, vt largiar, quod à me poſtulatis. Simile aliquid dixit idem Dominus Ezechielis capite 36. verſu 20. *Et dabo vobis cor nouum, &c. & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.*

13. Antequam è bonarum ficuum calatho diſcedo, explorare iuuat, & expendere, quid in Iechonia, populique Principibus, quos cum illo Babylonem tranſtulit Nabuchodonoſor, Dominus inuenerit, propter quod eum ficubus componat bonis valde, & tam illis munificum ſe fore promittat. Nam ſi vitam Iechoniæ ex eo, quod de illo Scriptura ſacra tradit, penſemus, iniuſtus fuit, & idola coluit, ſequutus illorum veſtigia, quos Scriptura magnorum ſcelerum arguit, propter quæ regno, libertatéque priuatus eſt. De quo 4. Regum capite 24. verſu 9. *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat pater eius.* Hieronymus obedientiæ tribuit, quòd tam Iechonias Domino placuerit, obliteraritque alia omnia, quæ Diuinum furorem priùs inflammauerant: nam obſecutus Diuinæ voci, quæ per Ieremiam illum hortabatur, ſe vt Regi dederet Babylonio, in Chaldæam non tam à Nabuchodonoſor, quàm à Deo miſſus eſt. Quare Deus ipſe nuper dixit de hac Iechoniæ tranſmigratione, *quam emiſi de loco iſto.* Hæc mihi maxima viſa eſt obedientiæ commendatio; quæ ita capit Diuinum animum, vt de illorum ſalute, atque honore cogitet, quos antea magno ſuo merito abiiciendos putarat; & ex ficubus malis, malis valde, ficus faciat bonas, & valde bonas. Quomodo verò ſecundam hanc tranſmigrationem Deus ornauerit, cumulaueritque, etiamdum ageret apud Babylonios captiua, docet hîc Hieronymus, & ex eo Rabbanus.

Obedientia mira laus.

14. Verſ. 8. *Et ſicut ficus peſſimæ, quæ comedi non poſſunt, &c. ſic dabo Sedeciam Regem Iuda, & Principes eius: & reliquos de Ieruſalem, qui remanſerunt in vrbe hac, & qui habitant in terra Ægypti.*] Sicut, qui audientes fuerunt Diuinæ voci, ſimiles eſſe dicuntur ficubus primi temporis, quas Domini eſuriens anima deſiderat; ſic, qui ſuo potiùs indulget ſtudio, ac voluntati, quàm Diuino obſequitur imperio, inſtar obtinet malarum ficuum, quas auerſatur, atque faſtidit Deus. Admonuit ſæpe ex ore Domini Ieremias Sedeciam Regem, & illos, quorum ipſe in rebus quibuſque grauibus conſilium aduocabat, vt ſe Babylonio traderent, cui repugnare non poterant, & quo Deus vtebatur vindice, ad ſuas iniurias perſequendas, vt habes infrà capite 38. & alibi perſæpe; vbi etiam eis, qui in vrbe remanſiſſent, aſpera minatur, & dura. Monuit præterea ſæpe, eos, qui in vrbe reliqui fuerant, ablato Sedecia, ne in Ægyptum diſcederent, vnde nihil ſeſe oſtentabat à periculo vacuum, vt habes infrà capite 42. & capite 43. Qui tamen parere noluerunt, ſed falſa ſpe, atque opinione decepti, illi reſtiterunt pertinaci conſilio, hi in Ægyptum præſidij gratia profecti ſunt: quos ſua ſibi veſania ſic exagitauit, vt ſimiles reddiderit ficubus malis valde, & ad ea deduxerit incommoda, quæ nunc illis fore ſubeunda Dominus prædicit.

Verſ. 9. *Et dabo eos in vexationem, afflictionémque* 15.
omnibus regnis terræ.] Quamcunque ſe in partem dederunt, aut qui cum Sedecia reſtitère Chaldæo, aut qui eo ſublato in Ægyptum abierunt, ab omnibus malè vexati, & indigniſſimis modis accepti ſunt. Quæ in Ægypto pertulerint incommoda Iudæi, prædicit Ieremias capite 42. & 44. vbi etiam perpeſſuri traduntur eadem, quæ nunc à Ieremia audiunt, & eiſdem penè verbis.

In parabolam, & in prouerbium, & in maledictio- 16.
nem.] Parabolæ, ac prouerbia, nunquam à re vulgari, aut viſitata ſumuntur, vt apud profanos conſtat, qui ad ſignificandas ærumnas maximas, aut labores, illa aſſumunt exempla, quæ in eo genere putantur eſſe maxima. Quomodo à Troia, quæ diu bellorum incommoda ſuſtinuit, *Ilias malorum,* in prouerbium venit: eodem modo, *Herculei labores,* aut *Inus dolores*: ſic è Iudæorum ærumnis locus fiet prouerbialis; ita vt quoties amplificare voluerimus fortunam alicuius aduerſam, dicamus, *Ærumnoſior Sedecia:* & in execrationibus, aut maledictionibus, *Si fallo, accidat mihi, quod Sedeciæ.* aut, Non mihi ſtatio contingat ſecura magis, quàm his, qui ad Ægyptios profecti ſunt.

Verſ. 10. *Donec conſumantur de terra, quam dedi* 17.
eis, & patribus eorum.] Hyperbolica loquutio eſt: nam conſtat, aliquot fuiſſe reliquos in terra promiſſionis, qui neque in Babyloniam captiui, neque in Ægyptum præſidij gratia commigrarũt: vt enim docuimus in caput 7. Zachariæ, ſtatim in principio, multi relicti ſunt in Iudæa, ad reditum vſque filiorum Iſraël è Babylone: nam primùm, vt conſtat ex Ieremia capite 43. non omnes, qui diſperſi fuerant, Sedecia capto, & vrbe ſubuerſa, duce Iohannam, abierunt in Ægyptum; ſed qui ex diſperſione ad Godoliam, quem Præpoſitum eſſe norant Iudæorum reliquiis, ſeſe receperant. Quod etiam docuit Iſaias capite 7. vbi ait, relinquendos eſſe aliquos in Iudæa, ita tamen paucos, vt vna vacca, & duæ oues vnam poſſint ſuſtentare familiam. Neque aliter Habacuc agros habuiſſet, & meſſores, quibus panes intriuiſſet in alueolo, quos ad Danielem, qui in Babylone, in lacum leonum coniectus erat, afferret, vt habes apud Danielem capite vltimo.

Quomodo nemo in terra dicatur eſſe reliquus.

Neque præterea omnes, qui profecti ſunt in 18.
Ægyptum, ibi fame, ferro, & peſte peribunt. Idem námque Ieremias, qui omnibus ad vnum interitum, videtur eſſe minatus; aliquos tamen ex Ægypto in patriam affirmat eſſe redituros,

capite 44. verſu 17. *Conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus conſumantur.* Quid clarius? Sed addit continuò: *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Iuda viri pauci.* Ecce, quomodo non omnes ibi mo- A
rituri. Sed hyperbole vſus eſt Propheta; aut certè, quia ex magno numero pauci dicuntur futuri ſuperſtites, omnibus dicitur eſſe moriendum, iuxta regulam ſæpius à nobis repetitam. Hæc de capite vigeſimoquarto.

ARGVMENTVM CAPITIS XXV.

EXPROBRAT Propheta Iudæorum genti, quòd cùm per vigintitres annos ſedulò, atque conſtanter eſſet in nomine Domini cohortatus, vt meliora quàm antè cogitarent, neque ad animum, neque ad aures Diuinam vocem admittere voluerint. Et ideo, quod ſæpius antè fecerat, exilium, & ſolitudinem minatur, quam ſeptuaginta annorum ſpatio definit. Quo tempore frangendam eſſe dicit Chaldæorum potentiam; & tale illis ſubeundum exitium, quale ipſi Iudæis inuexère. Deinde in calice Diuini furoris quibuſdam gentibus propinato, illarum portendit calamitatem, & cladem, quam eiuſmodi futuram eſſe clamat, vt neque plangantur mortui Iudæorum more, neque mandentur ſepulturæ: quam plagam Paſtoribus cum gregibus dicit fore communem.

IEREM. CAP. XXV.

1. *VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam de omni populo Iuda, in anno quarto Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda (ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis.)* B

2. *Quod locutus eſt Ieremias Propheta ad omnem populum Iuda, & ad vniuerſos habitatores Ieruſalem, dicens:*

3. *A tertiodecimo anno Ioſiæ filij Ammon Regis Iuda vſque ad diem hanc: iſte tertius & vigeſimus annus, factum eſt verbum Domini ad me, & locutus ſum ad vos de nocte conſurgens, & loquens; & non audiſtis.*

C

4. *Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas conſurgens diluculo, mittenſque: & non audiſtis, neque inclinaſtis aures veſtras vt audiretis*

D

5. *Cùm diceret: Reuertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris: & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus veſtris, à ſæculo & vſque in ſæculum.*

6. *Et nolite ire poſt deos alienos, vt ſeruiatis eis, adoretiſque eos: neque me ad iracundiam prouocetis*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

B 1. HOc eſt verbum, quod de toto Iudæorum populo accepit à Domino Ieremias, anno quarto Ioacim filij Ioſiæ, qui incurrit in annum primum Nabuchodonoſor Regis Babylonis.

2. Quod deinde Ieremias detulit ad omnem Iudæorum populum, & ad eos, qui tunc Hieroſolymam habitabant.

3. Viceſimustertius, ait Ieremias, agitur annus, ex quo vobis à Domino mandata perfero: tantum enim eſt temporis, ab anno decimotertio Ioſiæ filij Ammon Regis Iuda, ex quo primùm afflatus à Do-
C mino prophetare cœpi. A quo tempore datum mihi munus ita ſtrenuè, ac diligenter obiui, vt illi curæ nihil eſſe prævertendum putauerim.

4. Neque hoc vni mihi negotium datum eſt: nam Deus ſatis vigilanter, ac prouidè, multò ante inimicorum appulſum, per Prophetas ſuos locutus eſt ad vos, vos tamen neque Prophetarum ore clamantem audiſtis, neque vt audire poſſetis, aurem inclinaſtis.

D 5. Cùm admoneret Dominus, vt omnes ſe à malè inſtituta vita, & ab impiis animi deprauati cogitationibus auerteret, æternámque ſibi parare vellent habitationem in terra, quam illorum parentibus aſſignaſſet, promitteret.

6. Hortaretur denique, ne deos ſequerentur alienos, neque illis ſeruirent, aut

honores

prouocetis in operibus manuum veſtrarum, & non affligam vos.

A honores impenderent Diuinos, neque impio illo, atque veſano cultu Diuinum inflammarent furorem, quod ſi facerent, omnia tuta, atque ab omni vexatione libera polliceretur.

7. Et non audiſtis me, dicit Dominus, vt me ad iracundiam prouocaretis in operibus manuum veſtrarum, in malum veſtrum.

7. Vos tamen ad voces toties ingeminatas obſurduiſtis, ita vt operi nihilominus manuum veſtrarum religioſum cultum exhiberetis, in caput nempe veſtrum: inflammatum námque furorem meum in veſtram perniciem excitaſtis.

8. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quòd non audiſtis verba mea:

8. Propterea, dicit Dominus, quia verba mea auribus veſtris reſpuiſtis,

B

9. Ecce ego mittam, & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum: & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt: & interficiam eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas.

9. Ecce ego mandata dabo ad omnes prouincias, quæ ſpectant ad Aquilonarem plagam, & ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis, quem in eo negotio ſeruire mihi volo, & aſſumam inde, inducámque in terram iſtam, eiúſque habitatores, & ſuper nationes alias, quæ fines illius vndique circumfundunt, quas ciuibus ſublatis, & ſempiterna inducta ſolitudine, opprobrio eſſe faciam, atque ſtupori cunctis gentibus.

10. Perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ: vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.

C

10. Inducta verò in regionem illam longa ſolitudine, ceſſabunt omnia felicis, & pacatæ ciuitatis oblectamenta, neque feſtiui erunt, & geniales plauſus, neque in nuptialibus ſacris, & Hymenæo cantico nouorum coniugum audientur voces, aut cantus illi, quem modulantur virgines, dum ad molam ſedent, vt pro geniali menſa bellaria comparent, quæ opere piſtorio, ac dulciario fiunt; aut quem ex more turba, quæ noctu cum lucernis ferculum comitatur nuptiale, numeroſè fundit perſtrepente, atque accinente ſymphonia.

11. Et erit vniuerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem: & ſeruient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis.

D

11. Erit vniuerſa terra cum ingenti hominum ſtupore in ſolitudinem redacta ſeptuaginta annis, quo tempore nationes, quæ ſunt Iudæorum finibus vicinæ, Regi ſeruient Nabuchodonoſori.

12. Cúmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum: & ponam illam in ſolitudines ſempiternas.

12. Et cùm à captiuitate ſeptuageſimus aduenerit annus, viſitabo, manu nempe vltrice, atque ſeuera, peccata Regis Babylonij, & earum gentium, quæ cum illo in Iudæorum nomen coniurarunt. Denique ſic omnes Chaldæorum prouincias populabor hoſtiliter, vt nihil in eis ſpectetur aliud, quàm ſempiterna quædam ſolitudo.

13. Et adducam ſuper terram illam, omnia verba mea, quæ locutus ſum contra eam, omne quod ſcriptum eſt in libro iſto, quæcunque prophetauit Ieremias aduerſum omnes gentes:

E

13. Et complebo in regionem illam Iudæorum rationibus infenſam minas omnes, quas in illius interitum intonui, & quæcunque in hoc libro notata ſunt, & quæcunque in gentes omnes Ieremias prædixit.

14. Quia ſeruierunt eis, cùm eſſent gentes multæ, & Reges magni: & reddam eis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm facta manuum ſuarum.

14. Quia cùm gentes eſſent plurimæ, & Reges potentes, ſeruire ſibi fecerunt ſubactum populum Iudæorum, quare ſubeundum erit Gentibus tale iugum, à Babylonio Rege, quale ipſe plus iuſto graue

15. Quia

Z 4 Hebræo

15. *Quia ſic dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.*

16. *Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos.*

17. *Et accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus:*

18. *Ieruſalem, & ciuitatibus Iuda, & Regibus eius, & Principibus eius; vt darem eos in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem, ſicut eſt dies iſta:*

19. *Pharaoni Regi Aegypti, & ſeruis eius, & principibus eius, & omni populo eius,*

20. *Et vniuerſis generaliter: cunctis Regibus terræ Auſitidis, & cunctis Regibus terræ Philiſthiim, & Aſcaloni, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti,*

21. *Et Idumææ, & Moab, & filiis Ammon:*

22. *Et cunctis Regibus Tyri, & vniuerſis Regibus Sidonis: & Regibus terræ inſularum, qui ſunt trans mare:*

23. *Et Dedan, & Thema, & Buz, & vniuerſis qui attonſi ſunt in comam:*

24. *Et cunctis Regibus Arabiæ, & cunctis Regibus Occidentis, qui habitant in deſerto:*

25. *Et cunctis Regibus Zambri, & cunctis regibus Elam, & cunctis Regibus Medorum:*

26. *Cunctis quoque Regibus Aquilonis de propè, & de longè, vnicuique contra fratrem ſuum: & omnibus regnis terræ, quæ ſuper faciem eius ſunt: & Rex Seſach bibet poſt eos.*

27. Et

A Hebræorum ceruicibus illigarunt.

15. Sume, inquit Dominus Deus Iſraël, de manu mea poculum furore meo, atque offenſione plenum; quod cunctis gentibus, ad quas te cum mandatis legabo, propinabis.

16. Cùm autem furor meus hauſtus è calice fuerit, ſic turbabit, atque agitabit illarum gentium mentes, vt ebriorum in modum æſtuent, & inſaniant: quibus gladius, qui, me iubente, inter illos hoſtiliter graſſabitur, vires omnes, atque conſilium adimet. B

17. Accepi tunc ego calicem, quem manus mihi Domini porrigebat, bibendúmque præbui cunctis gentibus, ad quas me Dominus abire iuſſit.

18. Propinaui primum Diuini furoris poculum Hieroſolymæ, & ciuitatibus Iuda, & earum Regibus, atque Principibus; prædixíque illam ſic eſſe deſerendam à ciuibus, vt nihil à vaſta ſolitudine differret: cuius ruinam alij cum ſtupore aſpicerent, alij exſibilarent, & exploderent, alij maledictionibus inde exemplar deſumerent, ſicut nunc præſentes experimur.

C 19. Propinaui iterum Pharaoni, Ægyptiorum Regi, ſeruis, ac Principibus, omni denique populo, qui Pharaoni ſuberat.

20. Quid multis? omnibus omnino gentibus cum poculo furorem propinaui Diuinum; Auſitidis plagæ Regibus, qui ad Idumæos ſpectant; Regibus item Philiſthim, nempe Aſcalonis, & Gazæ, & Accaron, quíque reliquiis præſunt, quas Sargon reliquit in Azoto.

D 21.22. Idumæis item, Moabitis, & Ammonitis, Regibus quoque Tyri, & Regibus Sidonis, & Regibus inſularum, quæ in mari, & prouinciarum, quæ extra mare ſunt.

23. Dedanitis, Themanitis, Buzitis, illis denique omnibus, qui comam habent circuntonſam.

24.25. Omnibus Arabiæ Regibus, & cunctis Regibus, qui in Occiduis regionibus dominantur, qui ſola habitant, atque deſerta loca; cunctis item Regibus Zambri, Regibus Elamitarum, & Regibus Medorum. E

26. Cunctis quoque Regibus, qui regionibus præſunt Aquilonaribus, tam quæ proximè, quàm quæ procul abſunt à Iudæorum finibus, qui mutuis inter ſe odiis accendentur: ex quo fiet, vt eorum regna inteſtinis debilitata ſeditionibus, in ſuam ſibi poteſtatem redigat Nabuchodonoſor; ſed tandem poſt ipſos ipſi quoque Regi

Babylo

A Babylonis poculum, in quo Diuinus eſt furor, propinabitur.

27. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Bibite, & inebriamini, & vomite: & cadite, neque ſurgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.

27. Et dices ad hos Reges, atque prouincias: O Ieremia, ſic illis ex Diui furoris calice bibendum eſſe largiter, vt inebrientur, vomant, & denique vini poteſtati ſuccumbant, cadántque ignominioſè: immittam námque in illos vibratum à meo furore gladium, qui metaphorica quædam eſt ebrietas, à quo ſic proſternentur, vt nunquam reſurgant.

28. Cúmque noluerint accipere calicem de manu tua vt bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis:

28. Quòd ſi propinatum de manu tua
B calicem haurire noluerint, dices ad eos meo nomine: Nequaquam recuſare poteritis, quin bibatis: quod inuitati non vultis, inuiti facietis.

29. Quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quaſi innocentes & immunes eritis? non eritis immunes: gladium enim ego voco ſuper omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum.

29. Ecce ego ciuitati, quæ me diu coluit, primum furoris poculum propinaui; & vos, quaſi nihil vnquam admiſeritis impium, expertes fore vexationis arbitramini. Non ita fiet, in vos quoque meus graſſabitur gladius, dicit Dominus, qui populum perculit Iudaicum. Bellum etenim ego omnibus terræ habitatoribus indico.

30. Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, & dices ad illos: Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam: rugiens rugiet ſuper decorem ſuum: celeuma quaſi calcantium concinetur aduersùs omnes habitatores terræ.

C 30. Et tu, ô Ieremia, hæc omnia prophetando dices ad illos: Si in populum meum ſic Dominus eſt hoſtiliter inuectus, quia peccauit, quo erit in alienum animo, ſi in illo ſimile, aut etiam grauius peccatum inuenerit? Rugiet tanquam leo de arce Sion, ac ciuitate Dauid, quam Chaldæorum armis expugnabit, ac diruet. Rugiet item de templo, vbi ſuum ſibi domicilium poſuerat, quod hoſtili, atque profano incendio cremandum tradet. Rugitu fremet horribili in gentem, quam
D in ſponſæ modum, nuptialibus deliciis ornauerat, & alienos, in quibus culpa hæret, indignationis ſuæ relinquet exſortes. Non ita ſanè. Non enim minori ſtudio, atque impetu in illarum gentium interitum incumbet, quàm quo in copioſa vindemia, qui racemos in torculari calcant, mutuò ſe ad laborem illum ſuſcipiendum inſtimulant.

31. Peruenit ſonitus vſque ad extrema terræ: quia iudicium Domino cum Gentibus iudicatur ipſe cum omni carne, impios tradidi gladio, dicit Dominus.

31. Is erit ſonitus, is tubarum clangor, atque armorum ſtrepitus, & vſque adeò acutum militum celeuma, vt ad fines vſ-
E que terrarum audiatur. Quia iudicabit Dominus gentes, ita tamen, vt cum illis diſceptet priùs, ſéque ipſum, qua eſt humanitate, iudicandum præbeat; vincet tamen in iudicio Deus, ac ferro peccatores ſubiiciet.

32. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: & turbo magnus egredietur à ſummitatibus terræ.

32. Cùm in ea diſceptatione conuictæ ſceleris fuerint gentes illæ, ad omnes ſcelerum vindex afflictio peruadet, quæ inſtar torrentis rapidi, & violenti, atque inciti

33. Et citati

A citati turbinis, de vltimis terræ finibus erumpet.

33. *Et erunt interfecti Domini in die illa, à ſummo terræ vſque ad ſummum eius: non plangentur, & non colligentur, neque ſepelientur: in ſterquilinium ſuper faciem terræ iacebunt.*

33. A Dei autem furore, à finibus ad fines vſque terræ plurimi interfecti cadent, quibus tamen neque amicorum impendentur lacrymæ, neque lugubre canticum, neque funeris conſequentur honorem, ſed manebunt prorſus inſepulti, non aliter, atque in ſterquilinio iumentum.

34. *Vlulate Paſtores, & clamate: & aſpergite vos cinere Optimates gregis: quia completi ſunt dies veſtri, vt interficiamini, & diſſipationes veſtræ, & cadetis quaſi vaſa pretioſa.*

34. Vlulate igitur Paſtores, & Principes, ad quos maior veniet exitij pars. Lugubrem, & ſordidum habitum aſſumite
B Optimates, caput veſtrum cinere conſpergite, quia iam adeſt vobis vltimus vitæ dies. Cadetis namque, ſicut cadere, atque perire ſolent pretioſa vaſa, quæ magno habentur in precio, & ſtudioſè ſeruantur; quæ ſua ruina admirationem aliis afferent, & ſtuporem.

35. *Et peribit fuga à Paſtoribus: & ſaluatio ab Optimatibus gregis.*

35. Neque enim impendentem Paſtores effugient calamitatem, neque Optimates, & Principes ſalutem conſequentur.

36. *Vox clamoris Paſtorum, & vlulatus Optimatum gregis: quia vaſtauit Dominus paſcua eorum.*

36. Audire iam videor Paſtorum lu-
C gubre lamentum, & Principum, atque Optimatum gregis vlulatum, quia ſublatis paſcuis, in quibus numeroſi paſcebantur greges, neceſſe eſt, illorum quoque compendium auferatur.

37. *Et conticuerunt arua pacis à facie iræ furoris Domini.*

37. Arua illa, quæ ruſticis abundabant commodis, & deliciis, ab æſtu Diuini furoris exuſta, nihil afferent humanis vſibus opportunum.

38. *Dereliquit quaſi leo vmbraculum ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.*

38. Sicut leo vmbraculum, aut cubile deſerit, aut ardente ſylua, aut inſequente venatore, ſic Optimates illi, cùm Diuinus graſſabitur, & vrgebit furor, arua
D pacis deſerere cogentur. Vaſtabitur quippe illorum terra à Chaldæis, quorum eſt in bellis inſigne columba; à cuius facie, quia in illa Diuinus inſidebit furor, illi, qui putabantur leones, ab vmbraculo fugient.

IN

IN CAPVT VIGESIMVMQVINTVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *In anno quarto Ioacim filij Ioſiæ Regis Iuda, ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis.*]

1. HINC apparet in digerendis prophetiis ſeruatum non eſſe ordinem temporis: quando prophetia ſuperior ſub Iechonia contigit, ideſt, anno nono poſt eam, quam nunc explicare aggredimur. Quod eſſe huic Prophetæ vſitatum valde, probant plurima, quæ ad finem vſque prophetiæ paſſim occurrunt. Illud obſeruandum hìc maximè, Ieremiam Danieli in hoc annorũ calculo videri contrarium: Daniel etenim capite 1. ſtatim in principio aſſerit, veniſſe Nabuchodonoſor in Ieruſalem anno tertio regni Ioacim; quare non apparet, quomodo annus primus Nabuchodonoſor incidere potuerit in annum quartum Ioacim, cùm non niſi occupato imperio caſtra mouerit contra Ieruſalem: at anno illo tertio nondum regnum inierat, vt indicat hìc Ieremias. Sed huic difficultati ſatis

Conciliatur cum Ieremia Daniel.

2. ſupérque facit Scripturæ ſacræ conſuetudo: notum eſt enim iis, qui vel medioeriter in lectione ſacra verſati ſunt, imperfectum numerum interdum numerari ſolitum, interdum omitti. Vide Salmeronem prolegomeno 9. quinquag. 1. capite 30. &, vt omittam alia plurima, hoc vnum exẽplum ſit pro multis. Regnaſſe dicitur Dauid in Hebron ſeptem annis, & ſex menſibus ſuper Iudam, 2. Regum capite 5. & trigintatribus annis ſuper omnem Iſraël, & Iuda: & tamen ibidem regnaſſe traditur quadraginta annis; à quo numero ſine dubio excluſi ſunt ſex menſes, qui priùs ſeptem annis annumerati fuerant. Et 3. Regum 2. vbi etiam quadraginta annos regnaſſe ſcribitur, in Hebron regnum obtinuiſſe traditur ſeptem annis, vbi ſex menſes omittuntur, qui priùs fuerant expreſſi.

REGVLA. Imperfectus numerus in numerādo interdum additur, interdum omittitur.

3. His poſitis, conciliari duobus modis poteſt cum Daniele Ieremias: altero, ſi dicamus, ſecundo anno regni ſui inchoato veniſſe Nabuchodonoſor: nam tunc ſecundum annum imperfectum omiſit Daniel, qui incidit in quartum annum Ioacim; atque ideo dixit, veniſſe Babylonium anno primo regni ſui, qui incidit in tertium annum Ioacim: quia ſpatium aliud anni ſecundi tantùm inchoati anno primo adnumerauit. At Ieremias de anno ſecundo ſic eſt loquutus, quaſi non eſſet à priori diuerſus. Cùm autem pars illa ſecundi anni Nabuchodonoſor, quæ pars etiam D cenſetur anni primi, in quartum annum incurreret regni Ioacim, optimè Nabuchodonoſor primo anno regni ſui, & quarto Ioacim, obſediſſe dicitur Ieruſalem.

4. Alio modo, & magis, vt arbitror, expedito componi inter ſe poſſunt duo hæc teſtimonia, ſi primum annum Nabuchodonoſor incurriſſe dicamus in annum tertium, & quartum Ioacim; in tertium quidem iam adultum, & ad finem pronum, in quartum verò inchoatum, aut modicè progreſſum. Quare optimè, & quàm veriſſimè

A dici poteſt, veniſſe Nabuchodonoſor in Ieruſalem primo anno regni ſui, & veniſſe anno tertio, & anno quarto Ioacim, quia illorum annorum alterius extremum, alterius initium, primus ille annus complexus eſt. Hæc eadem ratio alium etiam nodum diſſoluit huic non diſſimilem: nam 4. Regum 24. verſu 12. Nabuchodonoſor dicitur abduxiſſe Iechoniam, & plures alios anno octauo regni ſui, quod Ieremias capite 52. verſu 28. contigiſſe dicit anno ſeptimo: quia cùm nondum eſſet completus octauus annus, omiſſus fuit à Ieremia, adhibitus tamen ab eo, qui librorum Regum auctor fuit. Qui ſcribendi, aut numerandi modus omni, vt reor, nationi, ac linguæ communis eſt.

B Alij ſunt conciliandi modi apud alios, ſed hic nihil offenſionis habet, aut difficultatis. Ioſephus libro 10. Antiquitatum, capite 7. & Hiſtoria ſcholaſtica ſuper librum 4. Regum capite 39. aiunt, veniſſe primum Nabuchodonoſor in Ieruſalem octauo anno Regis Ioacim; quo argumento in eam cogitationem adducantur, ipſi viderint: ſed errant omnino, & valde infantiliter. 5.

Verſ. 3. *A tertiodecimo anno Ioſiæ filij Amon Regis Iuda, vſque ad diem hanc, iſte tertius, & viceſimus annus.*] Ieremias, vt ipſe docet, ſtatim capite 1. in principio, munus cœpit exercere propheticum ab anno tertiodecimo Ioſiæ, qui regnaſſe traditur annos triginta vnum, 4. Regum 22. quare C ſub Ioſia prophetauit annos decem & nouem: quibus ſi addas quatuor annos ex Ioacim regno: nam quarto anno illius, verbum hoc factum eſt; conſtat, tunc agi annum viceſimumtertium. De tribus menſibus, quibus regnauit Ioachaz, non laboro, quia cùm breue fuerit tempus illud, eius haberi rationem neceſſarium non fuit, ex vſu, vt diximus, Scripturæ. 6.

Factum eſt verbum Domini ad me, & loquutus ſum ad vos de nocte conſurgens, & loquens, & non audiſtis.] Satis apertè dicit Ieremias, ex quo tempore orſus fuerit prophetare; & oſtendit, ab eo tempore vſque ad præſentem diem, nunquam ſe omiſiſſe datum ſibi munus, aut intercesſiſſe vacuum à prophetando tempus. Illud, *loquutus ſum, & loquens,* ſtudium indicat magnum Ieremiæ, in hortando, & increpando populo: idem enim eſt, atque locutus ſum loquens, in quo epitaſis eſt. *De nocte conſurgere*, prouerbiali forma dicitur de eo, qui rem aggreditur ſtudioſè, & ſedulò. Quod enim auidè ſuſcipimus, illud ante lucem, manè, & diluculo, aut etiam de nocte, curare dicimur. Vnde elucubrare, quod idem eſt, atque lucem præuertere, frequens etiam apud externos. Vide, quæ diximus ſuprà capite 7. verſu 10. Hæc verba eodem penè modo repetuntur à Ieremia ſæpe, vt capite 7. de quo modò, capite 11. verſu 8. capite 35. verſu 14. & alibi millies. Pro 7.

PROVER. Manè conſurgere.

de

de nocte conſurgere, aut, quod idem eſt, manè, ſeu diluculò ſurgere, Hebraicè eſt אשכים *aſkim*, ideſt, *manicare ſeu lucubrare*. Quò verò ſæpius, vigilantiúſque Prophetæ verbum inſonabant Diuinum, eò Iudæi magis animum obdurabant, & aures obſtruebant.

8. Verſ.4. *Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas, conſurgens diluculo.*] Multo mane Deus, ideſt, multò antequam immineret ab hoſte calamitas, admonuit populum, & exitij futuri, & vitæ flagitioſæ, per ſuos Prophetas, qui ſanè pauci non fuerunt: nam licèt præter Sophoniam, & Baruch, nullus certo nomine propheta ſſe cognoſcatur Ieremiæ tempore; ac alios quoque fuiſſe Prophetas, non eſt incredibile: ſed licèt non fuerint eo tempore plures, fuerunt tamen plurimi, qui futuram hanc populi cladem prædicebant ex ore Domini, illúmque ſtudebant ſpe pacis, atque otij propoſita ad meliorem viuendi rationem reuocare. Quod fecit Iſaias non ſemel, & alij ex Prophetis, qui dicuntur minores, qui onus aſſumpſerunt contra Iudam, & porrecta ſibi à Domino in populi malè ſani caput fulmina vibrarunt.

Verſ.6. *In operibus manuum veſtrarum.*] Idola intelligit, quæ opera dicuntur hominum, quia humano facta ſunt artificio, & ſumptu. De quorum mole, ac fabrica cum irriſione, & ſanna multa dicuntur in Scriptura, præſertim à Prophetis.

9. Verſ.7. *Vt me ad iracundiam prouocaretis.*] Hic non oſtenditur operantium finis, ſed operum effectus, & conſecutio: neque enim eo conſilio Iudæi conflarunt ſibi ex argento Deos, illiſque ſupplicarunt, vt Diuinum in ſe furorem acuerent, ſed ex fabrefactis, adoratíſque idolis, id conſequuti ſunt, vt Deum contra ſe haberent infenſum. Quòd verò, vt finalis cauſæ vim non ſemper habeat, nemo dubitat. Qua de re nos pluribus ad illud Iſaiæ capite 66. *Vt ſugatis, & repleamini.* vide quæ ſuprà diximus cap. 23. verſu 47.

10. Verſ.9. *Ecce ego mittam, & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis.*] *Cognationes* hoc loco dicuntur familiæ, & populi, qui ad Aquilonem ſpectant, aut certè gentes, quæ aliquo modo cum Aquilonaribus, ideſt, cum Babyloniis fœderatæ ſunt, quia tunc quaſi cognatæ ſunt, vtpote eiuſdem conſilij, atque animi. Illæ ergo excitatæ à Deo, tanquam ab Imperatore, qui delectus habet militares, in Iudæorum cladem coniurabunt. Vide quæ diximus ſuprà capite 1. ad illud: *Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes.*

11. Illud, *mittam*, quidam ad Angelos referunt malos, quos Deus in Babylonem, cognatóſque, ad fœderatos populos mittit, vt illos conturbent, & ſpiritus afflent furioſos, & bellicos contra Ieruſalem. Ita Dionyſius, & ex parte Hugo. Rationes ſatis ſunt infirmæ: quia dicunt, peccaſſe Chaldæos, dum arma ſumunt contra Ieruſalem, & templum; neque id adſcribi oportere bonis Angelis; ſed cum ſe illius exercitus auctorem, & Imperatorem Deus appellet, non video, quomodo ad Dei præclara conſilia, & pœnas à ſcelerato populo exigendas, boni Angeli ad conuocandos milites mitti non potuerint. Aut, ſi opus illud iuſtum fuit, & indictum à Deo Imperatorum Maximo, ſcelerúmque vindice, ſi illius executores animo non æquo Dei cogitationes impleuere, quid indignum in Deo, aut in Angelis, qui ſe

Deus aſſumit homines ſuæ iuſtitiæ miniſtros,

A Diuini conſilij miniſtros præbuere, deprehendes, cum & ipſi ſanctiſſimè opus illud iuſtiſſimum tentauerint, præmonentque, alij verò ad operis molitionem auaros, violentos, aut ambitioſos animos attulerint? Sanè Aſſur, dum ſpiritui ſuo in vexando populo Iudæorum obſequitur, peccauit non leuiter: in eius tamen manu ſuam indignationem Dominus poſuerat, ideſt, vim, & arma, quibus Deus ipſe Iudæorum ſcelera mulctaret. Iſaias capite 10. *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt; in manu eorum indignatio mea,* &c. *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius.*

etiamſi ipſi malum aſſerant animū.

Sanè ſi Angeli eo eſſent à Domino conſilio 12.
B miſſi, vt ſeditionum ſemina ſpargerent, & pacatos populos in mutua ſtimularent odia, vnde nihil ſperari poſſet præter incendia, cædem, & ex bellorum fœcundiſſima ſtirpe ſcelerum ſyluam, non mihi diſpliceret illa cogitatio. At hic id vnum agit Deus, vt in ſceleratos animaduertat, quod iuſtitiæ eſt; & ad optimam viuendi rationem reducat, quod eſt humanitatis, & clementiæ. Illud prius malorum Angelorum iudicatur opus, qui pacem turbant; à quibus ſe Diuino beneficio liberatum dicebat Salomon 3. Regum 5. *Requiem dedit Deus meus mihi per circuitum, & non eſt ſatan, nec occurſus malus.* Horum opera Gentes excitari putant ſeditiones, furorem immitti, & pacatos, ac fœderatos animos diuelli, & in ſe
C ipſos viciſſim armari. Ex hac communi Gentium opinione dixit Maro de Alecto furiarum maxima, ideſt, de Spiritu malo, qui diſcordiam ſeminat, & fouet, Æneidos libro 7.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos, vt verbera tectis,
Funereáſque inferre faces. Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fœcundum concute pectus:
Disiice compoſitam pacem, ſere crimina belli;
Arma velit, poſcátque ſimul, rapiátque iuuentus.

Hieronymus, & ex eo Rabbanus, Angelos putat eſſe bonos, licèt non nemo in aliam ſententiam immeritò vtrunque aduocet: ſeu certè immiſiſſe Deum ſpiritum, & cogitationem Babyloniis, vt bello appeterent Iudæam. Hieronymum audi:
D *Mittit autem Dominus vel Angelos, vt concitent Gentes; vel certè huiuſcemodi mouet cognationes, vt faciant Domini voluntatem.*

Et Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum 13.
meum.] Seruum appellat Regem impium, non quia Dei voluntati parere vult, ſicut veri Dei ſerui ſtudent, quomodo Angeli, ac viri ſancti, ſerui vocantur Dei; ſed quia per illum, tanquam ſuæ indignationis adminiſtrum, Deus rebellem illum populum toties admonitum puniuit; quo ſenſu etiam dæmon ipſe ſeruus, ac miniſter dicitur Dei: vt multis docet Gregorius libro 33. Moralium capite 18. ad illud Iob. capite 40. de Leuiathā: *Nunquid feriet tecum pactum: & accipies eum ſer-*
E *uum ſempiternum?* Immo Spiritus quoque dicitur Dei, licèt non ſine aliquo adiuncto, quod illius ingenium, & animum oſtendit. Dæmon erat, qui exagitabat Saul 1. Regum 16. & tamen ſpiritus Dei vocatur, ſed cum adiuncto: *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* Cuius licèt ſit peſſima voluntas, poteſtas tamen iniuſta non eſt, vt notauit Gregorius libro 2. Moralium capite 10. ad illud Iob. capite 1. *Extende paululùm manum tuam. Sciendum (inquit) eſt, quòd ſatanæ voluntas ſemper iniqua eſt; ſed nunquam poteſtas iniuſta: quia à ſemetipſo voluntatem*

Diabolus Dei miniſter & ſeruus.

lunitatem habet, ſed à Domino poteſtatem. Sic ergo, quia Nabuchodonoſor poteſtatem habuit à Domino iuſtam, vt opes prædaretur Iudaicas,& vrbem exſcinderet, licet iniquus intercederet animus, ſeruus tamen Domini vocari potuit; ſicut etiam ſeruus Dei, aut etiam Pauli, vt hîc indicat Hieronymus, nominari ſatanas potuit, cui Paulus excruciandos tradidit Hymenæum, & Alexandrum, vt ſuo malo edocti blaſphemare dediſcant.

14. *Et ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt.*] De his nationibus poſtea ſigillatim agit, à verſu 19. Cur verò eodem, quo Hieroſolyma impetu, captæ quoque fuerint, ſpoliatæque vicinæ ciuitates, variæ ſunt Interpretum ſententiæ. Theodoretus dediſſe pœnas putat, quia illarum vel ſuaſu, vel exemplo, idolorum cultum amplexi ſunt Iudæi: Lyra tam grauiter mulctatas eſſe dicit, vt ſpes omnis eriperetur Iudæis auxilij præſtandi, cùm aliæ quoque nationes Babylonicus furor exhauſiſſet. Veram rationem magis certè ſolutam adducemus ſtatim verſu 24. quam ipſe, vt apparet, indicat Ieremias.

15. *Et ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas.*] Hæc ſententia tum apud hunc Prophetam, tum apud alios frequens eſt, quæ tamen multis modis variari ſolet, *Eſſe in prouerbium, in fabulam, in parabolam.* Stupor autem non tam Iudæorum eſt, qui obſtu peſcent, mouebunturque, vt ebrij, graui plaga percuſſi, quàm aliorũ, quos tantam nobiliſſimæ illius Reipublicæ ruinam contemplatos ſtupor arripiet. Id ſatis videtur indicare locus alius huic nõ diſſimilis 2. Paralipomenon capite 7. verſu 21. vbi ſtupor illis attribuitur, qui aliorum caſum intuentur. *Et domus iſta erit in prouerbium cunctis tranſeuntibus, & dicent ſtupentes: Quare Dominus fecit ſic terræ huic?* Solitudines ſempiternæ ex vſu Scripturæ dicuntur diuturnæ, vt alibi à nobis probatum eſt. Fuit autem terra deſerta, & vaſta ſeptuaginta annis, poſt quos illa ſolitudo habitata eſt, & ſtudio agricolarum exculta.

16. Verſ. 10. *Perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ: vocem ſponſi; & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.*] De aliis diximus ſuprà capite 7. verſu 34. & capite 16. verſu 9. quibus nihil eſt, quod addamus. De duobus aliis, de voce nempe molæ, & lumine lucernæ, nonnihil dicendum. Mihi certum eſt, ſermonem hîc eſſe ſiue allegoricum, ſiue proprium, de nuptiali plauſu, atque lætitia; quæ ſic erat apud Hebræos effuſa, ac frequens, vt ad ingentis gaudij comparationem adducatur prouerbiali ſpecie, vt ex his locis conſtar, & ex Apocalypſi capite 18. vbi *vox molæ*, cum *voce ſponſi*, & *lumine lucernæ* coniungitur. In nuptiis, quia noctu fiebant, faces, & tedæ comitabantur nouos coniuges, quæ etiam frequenti ſtipantium turbæ prælucebant. Hoc ſatis conſtat ex Euangelio, vbi virgines, ſponſus, atque ſponſæ occurrunt obuiam cum lampadibus. De voce *molæ* paulò obſcuriùs, ſed eſt hoc quoque mihi valde probabile, vt pluribus docui ad illud Canticorum 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis.* Vbi variæ tranſlationes vocis Hebraicæ אשישות *aſiſah*, aliquid indicant operis farinacei, atque dulciarij à ſponſa, eiúſque ſodalibus fingi, ac parari ſolitum. Quidam enim *lagana*, alij *poppana*, alij *ſimilam oleo fuxam* conuertunt. Quibus adhibetur mola ex diſciplina dulciaria, cui dum aſſident puellæ, fingúntque pla-

Ad molam cantus in nuptiis.

Cant. 2.

A centas, ſuauiter ex rei nuptialis, ac genialis ritu modulantur. Quare quatuor hæc eodem ſpectant. Cantant enim in nuptialibus ſacris ſponſus, & ſponſa, vt ex Salomonis canticis perſpicuum eſt. Lucernæ lucent maximè, cùm noui coniuges ex hortis ad ſponſi domum traducuntur, propter quas auroræ dicuntur ſimiles, quæ nocturnas tenebras ſplendore ſuo diſpellit, & fugat. Cætera, quæ ab aliis dicuntur de *voce molæ*, non videntur eiuſmodi, vt aſſumi poſſint in lætitiæ magnæ ſimilitudinem: aut eum ſponſi, ac ſponſæ voce nempe epithalamica coniungi.

Verſ. 11. *Et ſeruient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis.*] Quòd Iudæorum captiuitas ad ſeptuageſimum annum vſque eſſet producenda, ſatis Scriptura ſacra clamat, de quo iterum Ieremias capite 29. verſu 10. neque de hoc diſputare longiùs libet, quia res omninò certa. An verò exacto ſeptuaginta annorũ exilio, vicinæ quoque gentes, quas ex ſuis finibus exturbauit Nabuchodonoſor, & captiuas ſecum abegit in terram Chaldæorum, ad antiquas ſedes remigrauerint, magis eſt obſcurum. A qua quæſtione tam veteres Patres, quàm Interpretes noui abſtinuerunt; neque ea de re, quod ego viderim, verbum fecerunt vllum: quare mihi tentanda res eſt, & propriis vtendum coniecturis, quæ ſumendæ ſunt ab hoc Propheta, & ab aliis, qui hoc idem argumentum tractauêre. 17.

Primùm arbitror, ſermonem hîc eſſe de populis, qui aut Iudæorum attingebant fines, quales ſunt Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Palæſtini, Ægyptij, Tyrij, aut non longè aberant à terra promiſſionis, vt Cedareni, Ælamitę, de quibus agit hoc capite Ieremias, & poſtea à capite 47. & nos agemus ſingulatim, cùm ad gentes iſtas in hoc ipſo capite ventum erit: quibus propinatus eſt à Ieremia calix, & contra quos Chaldæorum exercitus ex ſuo voto pugnauit. Cùm verò populos hoſce ſubiugauerit, captiuóſque ſecum egerit Babylonius, non tamen omnibus, quibus porrectus fuit ille calix, promiſſus fuit reditus, aut libertas, vt de Babyloniis conſtat: contra quos multa hîc, & grauia à Ieremia; quibus nihil à victore Cyro humanitatis impenſum. 18.

Nationes aliæ cum Iudæis poſt 70. annos in patriam reſtitutæ.

Aliis omnibus, aut pleriſque promiſſam eſſe credo libertatem, & reditum à Cyro, ſicut & Iudæis ad annum à captiuitate ſeptuageſimum, & eodem fortaſſe edicto, quo laxata fuit Iudæorum captiuitas. Id mihi colligere poſſe videor ex hoc Ieremiæ loco, qui cùm loquutus eſſet de vicinis Iudææ populis, quos populatus eſt Chaldæus, ſubiecit: *Et ſeruient omnes Gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis.* Sed ſpeciatim aliquibus populis libertas, & ciuitatum inſtauratio promiſſa eſt. De Ammon Ieremiæ capite 49. verſu 6. *Et poſt hæc reuerti faciam captiuos filios Ammon, ait Dominus.* De Ælam eodem capite verſu 39. *In nouiſſimis autem diebus reuerti faciam captiuos Ælam, dicit Dominus.* De Moab capite 48. verſu 47. *Et conuertam captiuitatem Moab in nouiſſimis diebus.* De Ægyptiis idem capite 46. verſu 26. *Dabo eos in manum quærentium animam eorum, & in manum Nabuchodonoſor Regis Babylonis, &c. Poſt hæc habitabitur ſicut diebus priſtinis.* Ægyptum credo in hoc ſeptuaginta annorum ſpatio non comprehendi: quia Ezechielis capite 29. verſu 13. dicitur: *Poſt finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus diſperſi fuerunt:* niſi dicamus reſtitutos quidem fuiſſe in ſuas ciuitates 19.

Ammonitæ reſtituti poſt 70. annos, item Ælamitæ, & Moabitæ. Quo tempore Ægyptij reſtituti.

Aa Ægy

Ægyptios;ita tamen,vt vectigales eſſent Babyloniis, quod ſeruitutis quoddam genus eſt. Sed etiam ſi quadraginta tantùm annos ſeruiiſſe Ægyptios fateamur: Gentes tamen omnes, quæ commemoratæ ſunt poſtea, ſeruiiſſe dici optimè poſſunt,quia aut aliæ nationes omnes,aut earum pleræque ſeruierunt, quia ex vſu Scripturæ ſacræ, cùm ex magno numero pauci excluduntur, omnes exiſtimantur, aut dicuntur aliquid feciſſe, vt diximus ſuprà capite 23. verſu 5. *Nullus quæretur ex numero.*

Tyrij, Idumæi, & Sidonij reſtituti.

20. De Tyriis (quod etiam de Sidoniis,viciniſque populis dici poſſe credo)prædixerat apertè Iſaias capite 23.verſu 15. *In obliuione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis*, &c. *& erit,poſt ſeptuaginta annos viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eas ad merces ſuas.* Cùm autem eodẽ tempore, atque eodẽ impetu Iudæi, ac Tyrij debellati fuerint à Chaldæis,eodẽ etiam tempore, atque eodem fortaſſe Cyri edicto remigrarunt in patriam. Dixit hoc idem non obſcure Ieremias capite 27. cùm enim dixiſſet, Edom,Moab, Ammon,Tyrum, & Sidonem ſubiugatum iri à Chaldæorum Rege, ſubdit verſu 7. *Et ſeruient ei omnes gentes,& filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius.* Imperium autem horum trium ſeptuaginta annorum ſpatio definitum eſt,vt ſuo dicemus loco.

Toto ergo hoc ſeptuaginta annorum ſpatio, quo redactæ erunt cum Ieruſalem aliæ quoque regiones in ſtuporem,& ſolitudinem, iacebit Ieruſalem ſolitaria,ac mœſta,orbata filiis,& ſquallida, in qua non audietur vox vlla nuptialis, neque Hymenæus plauſus: quod vſque adeò longum erit,vt vocari ex Hebræorum idiomate poſſit illa ſolitudo ſempiterna: producetur enim ad annum vſque ſeptuageſimum, poſtquam ſpoliari cœpit,atque ſubuerti Hieroſolyma. Porro annus ille maximè obſeruatus fuit à Iudæis, quia finem ærumnoſi exilij, & duræ ſeruitutis erat allaturus.

21. Verſ.12. *Cùmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis.*] Eodem anno, atque eadem prophetia conſignata eſt populi captiui libertas,& Babylonij imperij finis:quod ſanè ita contigit. Nam illi iidem, qui Babylonicam fregère potentiam, & imperium illius transtulerunt ad Perſas, eodem anno liberam Iudæis poteſtatem fecerunt in patriam redeundi, vt conſtat ex libro 1. Eſdræ capite 1. Vnde verò numerari debeant ſeptuaginta illi anni,cùm variæ fuerint Iudæorum in Babyloniam migrationes, diximus ſuper Zachariam ad illud capitis 1. *Iſte ſeptuageſimus annus eſt.*

22. Verſ.13. *Et adducam ſuper terram illam omnia verba mea, quæ loquutus ſum contra eam, omne, quod ſcriptum eſt in libro iſto.*] Multa Deus, & grauia minatus fuerat Babyloni per Iſaiam capite 13.& capite 21. dixit item per Ieremiam, tum hoc capite,tum pluribus capitibus 50.& 51. Hæc igitur ad Hebræorum conſolationem, quos grauiter vaticinio minaci proximè percuſſerat, inductum ſe dicit in Chaldæorum prouinciam. Hinc non obſcurè videtur poſſe colligi, ea, quæ ad finem huius libri tradita ſunt de Babylonis interitu,ante hæc, quæ modò verſamus, fuiſſe à Ieremia prædicta; quando ad ea ſe tanquam antè cognita refert Propheta, dum ait: *Omne, quod ſcriptum eſt in libro iſto.* Quare,aut ſcripta non fuerant, cùm hæc dicuntur, aut certè, quod videtur probabilius,cùm ſcripta fuiſſẽt antea,diſpoſita poſtea eodem ordine non fuerunt. In *verbis* porro ſignificari, quæ verbis explicantur, ſatis eſt notum.

23. *Quæcunque prophetauit Ieremias aduersùs omnes gentes.*] Proximè dixerat Deus, adducturum ſe Nabuchodonoſor ſuper Iudæam,& ſuper omnes nationes,quæ in circuitu illius ſunt. Hîc deſideratur coniunctio, *&*, quæ ſubaudiri ſæpe ſolet in omnibus linguis,quibus familiaris eſt illa figura, quæ dicitur aſyntheton; ſed apud Hebræos præcipuè. Vide Pagninum libro 1. Inſtitutionum,capite 25. Eſt ergo ſenſus: *Adducam ſuper terram illam verba mea*, &c. *& quæcunque prophetauit*, &c. Prophetauit autem Ieremias aduersùs omnes gentes Iſraëlitidi regioni vicinas, tum hoc capite,tum poſtea à capite 46. ferè ad finem vſque libri:vnde colligo, non eodem ordine fuiſſe diſpoſita,quo prædicta ſunt,atque ſcripta illa de externarum gentium interitu vaticinia.

24. Verſ.14. *Quia ſeruierunt eis,cùm eſſent gentes multæ,& Reges magni.*] Ratio redditur,cur in vicinas quoque gentes ſeueram,& vltricem manum Dominus extenderit. Duas nuper adduximus verſu 14.ex Theodoreto,& Lyra;tertiam,meo iudicio, profert nunc ipſe Deus, quæ abſque dubio cæteris eſt præferenda: ſed, quænam illa ſit, nobis explorandum. Quidam putant, perituras alias quoque gentes cũ Babyloniis, quia in excidenda Hieroſolyma, militarem illis operam nauarunt, neque animo minùs inimico in Iudæorum cladem exarsère, quàm hoſtes Babylonij. Ita putat Hieronymus,& ex ipſo Rabbanus, Dionyſius,& Hugo.

25. Non longè ab his abiit Rabbi Dauid, qui docet verbum עבד *abad*, ſi poſt ſe habeat ב pertinere ad dominum, ſeu herum, cui ſerui famulantur, & ſignificare paſſiuè, ideſt, obſequium non tam delatum,quàm acceptum,quod Hiſpani dicunt, *ſeruirſe de otio.* Si verò ל habeat, verbum eſſe ſeruile,dicíque tantùm de inferiori,ac ſeruo, Hiſpanè, *ſeruir à otio.* Quare idem fermè putat Rabbi Dauid, quod alij, nempe vſos eſſe Chaldæos delato ab aliis nationibus obſequio, cùm ad excindendam Hieroſolymam intentam haberent aciem.

26. Quominùs ego hæc probem, facit, quòd non nationes omnes, quæ in hoc capite, & poſtea à capite 46.numerantur à Ieremia;quibus communis debet eſſe ratio à Ieremia propoſita, operam nauarunt Nabuchodonoſor, dum rem popularetur Iudaicam. Adfuerunt quidem Babyloniis Idumæi, vt cantat Dauid Pſalmo 136. *Memor eſto,Domine, filiorum Edom, in die Ieruſalem, qui dicunt, Exinanite, exinanite.* Adfuerunt Ammonitæ,vt ex libro Iudith conſtat:nam Achior Ammonitarum dux cum Holopherne ſtetit,cùm Iudæam inuaſit. Quod etiam feciſſe veriſimile eſt Moabitas,qui & genere,& loco proximi fuerunt. De nationibus aliis, quod ego ſciam, nihil ex Scriptura ſacra conſtat. At ſcimus,Tyrios nullam nauaſſe operam Chaldæis, immo ab eis longa,ac pertinaci obſidione fuiſſe deletos, licèt non ægrè tulerint, Hieroſolymam eſſe vaſtatam, vt colligitur ex Ezechiele capite 26. verſu 2. De Ægyptiis ſcimus adfuiſſe Iudæis, potiùs quàm Babyloniis, & eo nomine ab illis eſſe malè mulctatos. Immo arbitror, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Tyrios,& Sidonios, fœdus iniiſſe cum Regibus Iuda contra Babylonium, à quo ſuis rebus periculum imminere videbant;cui niſi collectis multorum

Chaldæorũ multi de viciniis regionibus adfuêre contra Ieruſalem. non tamen omnes.

rum Regum viribus reſiſtendum non putabant. Id verò colligere poſſe videor ex capite 27. vbi harum prouinciarum legati ad Regem Sedeciam veniſſe dicuntur, & eodem tempore fuiſſe Hieroſolymis:& eam fortaſſe ob rem bellum intulit regionibus illis. Quare aliter cenſeo tentandum eſſe,atque explicandum locum.

27. Et primùm non diſplicet quod tradit Rabbi Dauid, ibi עבר explicandum eſſe paſſiuè, ita vt obſequium, ſeu famulatus acceptus ſignificetur, non impenſus. Tunc autem, *in eis*, Iudæos intelligo, non gentes alias, quibus hoc loco denunciatur interitus. Quod ex eo mihi fit veriſimile: nam, vt ſuprà diximus, nationes iſtæ ſubactæ fuerunt à Nabuchodonoſor, cui etiam, ſicut Iudæi, ſeptuaginta annis ſeruierunt. Quod ſanè factum non fuiſſet à Rege non omnino barbaro, ſi gentes illas in caſtris contra Iudæos auxiliares habuiſſet. Puto ergo ideo contra nationes illas eſſe ſæuitum à Deo, quia illæ Dei populum aliquando aut malè vexarunt, aut ſibi ipſis ſeruire coëgerunt. Lege libros Regum, & prima tempora Regum Iſraël, & inuenies, quid poteſtatis in populum Dei habuerint Moabitæ, Ammonitæ, Madianitæ, Palæſtini,& nationes aliæ, quæ in horum aut genus, aut fines ſunt contributi. His igitur gentibus ſeruierunt Hebræi, quos propter ipſorum peccata Dominus illarum poteſtati ſubiecit: ſed abuſæ data ſibi à Domino poteſtate, duriùs accepère populum illum,quàm aut patiebatur humanitatis ratio, aut Domini voluntas. Ita videtur ſanctus Thomas ſentire, qui explicans hunc locum ait: *Ipſi* (nempe,quibus Propheta calamitatem denunciat) *in ſuperbiam abuſi ſunt Dei beneficio.*

28. Neque alius eſt ſenſus, ſi verbum עבר actiuè ſumas, quod videtur voluiſſe Vulgatus. Tunc verò, *in eis*, nationes omnes intelligo, quarum imperium ſubierunt Iudæi. Quaſi dicat Deus,illis nationibus ſubeundum eſſe iugum à Babylonio, quod ipſæ plus iuſto grauiùs Iudæorum ceruicibus illigarunt.

29. Verſ.15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.*] Sæpe in Scriptura ſacra calicis auditur nomen, idque prouerbiali forma:neque ſemper eodem ſenſu. Modò enim aliquid ſignificat ſecundum,& dulce; modò aliquid inauſpicatum, & acerbum. Vt enim *bibere*, aut *inebriari*, & nomen ipſum *vini*, ac *cellæ vinariæ*, ſummam ſignificat voluptatem, vt pluribus oſtendimus,ad illud Canticorum 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam:* ſic nomen *calicis*, in quo vinum illud propinatur, quod inebriat, & exhilarat, pro ingenti voluptate ſumitur: maximè,quæ ex amore capitur, qui ebrietatem inducit, & extaſim facit. Auguſtinus in illud Pſalmi 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: Cùm accepta* (inquit) *fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & inebriatur ab vbertate domus Dei. Vnde in alio Pſalmo dicitur: Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!*

Prov. Calix dulce interdũ, & interdum amarum ſignificat.

30. Sed plerunque *calix* pro amaro ſumitur poculo, pro afflictione, & morte, præſertim apud Prophetas; ſicut etiam ebrietas. Sic Pſalmo 10. *Spiritus procellarum pars calicis eorum.*& Pſalmo 74. *Calix in manu Domini, &c. bibent omnes peccatores terræ.* Apocalypſis 14. *Hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero, in calice iræ ipſius.* Et Chriſtus Ioannis 18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* & alibi millies. Vnde verò prouerbialis hæc figura ortum habuerit, obſcurum eſt; mihi etiam nunc probatur maximè, quod in Iſaiæ Commentariis dixi, ad illud capitis 51. *Quæ bibiſti de manu Dei calicem iræ eius vſque ad fundum.* Vbi oſtenditur, probatúrque, moris apud Hebræos fuiſſe, vt morte damnatis, iam iamque ſubituris ſupplicium, vinum porrigeretur condîtum, & nobile, quod ſenſus ſopiret,& doloris acerbitatem adimeret. Hic porrò calix vinum ſtuporis, ſeu tremoris vocatur: tremoris quidem, quia trementibus propter mortis horrorem propinatur; ſtuporis, quia ſtuporem, & torporem quendam membris inducit, obtuúdítque ſenſum, vt minùs crucietur, qui ſecatur, aut vritur. Hoc vinum propinatum fuit Chriſto, iam iam in crucem aſcenſuro, quod myrrhatum dicitur, ideſt, myrrha condîtum; ita putat Baronius 1. tomo Annalium, anno Chriſti 34. Maldonatus in illud 27, Matthæi, *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Idem docet Franciſcus Suarez 1. tomo in 3. partem ſancti Thomæ diſputatione 46. ſectione 3. & Salmeron tomo 3. tractatu 35. tradit hoc in mandatis Hebræos habuiſſe. Et adde ex Galatino lib.8. c.19.qui tradit in libro Sanhedrin, in capite, quod incipit *Nigmar haddin*, hoc eſſe definitum: citat autem hæc verba ex Rab. Haſda, *quòd occidendus egreſſurus potabatur puluere incenſi in ſcypho vini quatenus ſepararetur ſenſus eius ab eo. Sicut dictum eſt* Prou.31. *Date ebriatiuum perdito,& vinum amaro animo. Erant autem in Ieruſalem mulieres honeſtæ,quæ hac ſponte mittebant.* Vide, quæ diximus ad locum Iſaiæ ſuprà, vbi hac de re pluribus. Ex hac, credo,conſuetudine ortum eſt, vt calix pro magno dolore, aut 31. vexatione ſumatur. Quanuis enim calix ille ab humanitate potiùs,quàm à ſæuitia propinaretur, quia tamen non niſi iis qui damnati ſunt, ſiue ad mortem, ſiue ad aliquod durum tormenti genus, aut quos alias ob cauſas grauis doloris acerbitas porrigi ſolet, pro ſtatu ponitur infelici,& duro ea figura, qua antecedens pro conſequente ponitur,aut ſignum pro re ſignificata. Dum ergo Propheta propinare iubetur calicem Gentibus, hoc quaſi hieroglyphico ſigno,ærumnas,cladem, ſeruitutem,& exilium denunciat.

Morte damnatis calix datus.

Chriſto cur datum myrrhatum vinum.

32. Dicitur autem Propheta propinare aliis calicem, non quòd ipſe porrexerit id, quod deſignabatur in calice, ſed quia eo ſymbolo,& quaſi præiudicio ab alio propinandum oſtendebat. Propinauit autem re vera Deus peccatorum vindex, ſicut de aliis priùs cecinerat Dauid Pſalmo 74.*Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto,& inclinauit ex hoc in hoc,&c.bibêt omnes peccatores terræ.* Sed propinauit per Nabuchodonoſor, tanquam per pocillatoris manum, qui calix Domini dici commodè potuit, in quo vinum, ſeu venenum continebatur, quod latè Deus in populos effudit; de quibus ſtatim. Quod apertè docuit Ieremias capite 51. *Calix, inquit, aureus Babylon, in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commota ſunt.* Propinat verò poculum Ieremias eo ſenſu, quo capite 1. miſſus eſſe dicitur, vt ædificet, & deſtruat, plantet,& euellat, ideſt, vt plantandum, & euellendum ab aliis eſſe nunciet.

Pſal.74.

33. Porro in hoc dicendi genere reſpectum eſſe arbitror ad conuiuialem ritum, quem Græci vocant φιλοτησίαν, iuxta quem amoris, & beneuolentiæ gratia prælibatus ab vno calix per omnes circumfertur conuiuas; vſitatum id eſſe apud ex-

ternos docet illud Virgilij 1. libro Æneid. vbi ex
veteri ritu Regina prælibatum poculum per om-
nes traduci fecit:

Primáque libato ſummo tenus attigit ore,
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.
Inde alij proceres. ———

De antiquiſſimis Hebræorum temporibus, docet
Philo in Ioſeph, non longè à fine, vbi præbibiſſe
dicitur Ioſeph, & idem poculum fratribus pro-
pinaſſe. Sic enim Ioſephi diſpenſator: *Poculum he-*
rile pulcherrimum, & pretioſiſſimum, ex quo vobis præ-
bibit, ſurripuiſtis. Quam conſuetudinem ad tempus
vſque Euangelij productam fuiſſe, argumento
eſt Chriſti factum, qui in poſtrema cœna cùm
accepiſſet calicem, præbibiſſétque, vt eſt com-
munis Patrum, Doctorúmque ſententia, Diſci-
pulis quoque propinauit, 1. Corinthiorum 11. &
Marci 14. verſu 23. quod in ſacro Miſſæ quoti-
die Eccleſia clamat, dum ore Chriſti dicit: *Bibite*
ex hoc omnes. Ad hanc conſuetudinem videtur al-
luſum in hoc hieroglyphico ſigno, dum omni-
bus propinatur idem calix, & idem, ſeu non val-
de diuerſum, infortunium prædicitur.

34. *Et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego*
mittam te.] Hîc dubium eſſe poſſet, An Deus ſpe-
ciem Ieremiæ obiecerit regionum illarum, qui-
bus propinare iubetur calicem iræ Dei; an re ve-
ra ad Gentes illas ſit profectus, & proprium cali-
cem obtulerit, qui, quo ſenſu ſuprà explicuimus,
vexationem, exitiúmve portenderet. Sanctus
Thomas, Dionyſius, & Hugo, id in viſione ima-
ginaria contigiſſe putant; neque datum eſſe Pro-
phetæ poculum, ſed oſtenſum. Sed ſanè modus
ipſe loquendi durior eſt ad hanc explicationem,
& multa deinde ſubiiciuntur, quæ non bene ca-
dunt in hanc ſententiam: quale eſt, *Et accepi cali-*
cem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad
quas miſit me Dominus. Et poſtea verſu 28. *Cúmque*
noluerint accipere calicem de manu tua, vt bibant, dices
ad eos, &c. Hæc omnia non bene cadunt in rem
tantùm oblatam imaginationi. Quid enim re-
ſponderent gentes illæ imaginanti tantùm Pro-
phetæ, & non potiùs in calice propinato Diuinæ
offenſionis minas denuncianti?

35. Mihi primùm veriſimile eſt, habuiſſe Prophe-
tam calicem, quem populis porrigeret, tanquam
ferto, vexationíque deuotis: ſignis autem vti
Prophetas in rerum prædictionibus, ſatis eſt vſi-
tatum. Quomodo Iſaias diſcalceatus, & nudus
Ægypto, atque Æthiopiæ ſeruitutem portendit,
& Ieremias hoc idem ſignificauit populo cate-
nis oneratus, & Ezechiel aſſumptis tranſmigra-
tionis vaſis: ſic ergo Ieremias porrecto poculo,
quod cruciandis, aut capitali ſupplicio moritu-
ris exhibetur, interitum, aut graue aliud infortu-
nium denunciat. Illud tamen videtur durum,
quia non apparet, quomodo Propheta tot obiret
regiones ſpatio diſſitas, linguis diuerſas, neque
in Iudæorum nomen ſic animatas, vt homo Iu-
dæus inter illas verſari ſine periculo potuerit.
Reſpondeo id multis modis fieri potuiſſe. De
linguis nihil moror: nam vicinæ gentes eadem
cum Hebræis lingua, licèt non eadem omnes vte-
bantur dialecto, duas linguas inuenio, quæ He-
bręis dicuntur ignotę; Ægyptiam, de qua Pſalmo
80. cùm ſermo eſſet de Ioſeph apud Ægyptios ex-
torre: *Linguam, quam non nouerat, audiuit:* & Baby-
lonicam, ſeu Chaldaicam, de qua Ieremias capi-
te 5. verſu 15. *Ecce ego adducam gentem ſuper vos de*
longinquo, &c. *gentem cuius ignorabis linguam, nec in-*
telliges quid loquatur. Et fortaſſe aliæ ſunt linguæ,
neque minùs obſcuræ, neque magis cognitæ Iu-
dæis, qualis eſt Ælamitarum, & Macedonum. Ad
hæc reſpondeo, cum Babyloniis, & Ægyptiis lo- 36.
quutum fuiſſe Ieremiam non rarò; cum Ægy-
ptiis, quãdo apud illos vixit, & contra illos mul-
ta coram vaticinatus eſt, vt eſt ſatis probabile ex
capite 44. cum Babyloniis verò, quia cum illis
egit ſæpe, & capite 40. cùm Nabuzardan, & ad
captiuos mandata quædam ſcripſit Chaldaicè
capite 10. verſu 11. vt ibi diximus: de aliis nihil
explorati mihi eſt: ſed credo, illarum gentium
linguis affinem eſſe Hebraicam, aut propter con-
ſuetudinem, & commercium illarum nationum
plurimis eſſe notam. Scimus autem, Iudæos, cùm
ingruerent hæc à Chaldæis incommoda, in re-
giones illas fuiſſe diſperſos: vnde poſtquam in
ſuos ſe fines recepêre Chaldæi, ipſi quoque ad ci-
uitatis ruinas redierunt. Ieremiæ capite 40. verſu
11. *Omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Am-*
mon, & in Idumæa, & vniuerſis regionibus, &c. *vene-*
runt in terram Iuda. Cum his ergo Iudæis (vt igno-
ta fuerit aliis Ieremiæ lingua) agere Propheta po-
tuit; per quos, quaſi per Interpretes Diuina man-
data gentibus denunciaret externis.

Illud de metu à populis non bene in Iudæo- 37.
rum nomen animatis, nihil habet negotij: nam
neque ſic erant hoſtiliter affecti alieni populi,
vt non exciperent profugos hoſpitio, vt modò
vidimus è Ieremia capite 40. Neque Ieremiæ
quidquam ab illis metuendum fuit, etiamſi ad-
uerſa nunciaret, & horribilia, quia Diuina pro-
miſſione confirmarat animum, qua acceperat, ni-
hil ſibi ab hoſtili manu impendere periculi, capi-
te 1. verſu 8. *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego*
ſum, vt eruam te.

Illud de locorum ſpatio difficilius, quia non 38.
videtur, tot nationes Prophetam adire potuiſſe;
ſed neque deeſt, quod huic difficultati reſpon-
deam: nam, vt Habacuch in Babylonem ab An-
gelo tranſportatus eſt à Iudæa, Danielis capite
14. & è Babylone in Iudæam, Ezechiel capite 8. *Gentes Hieroſolymam venire ſolitæ.*
ſic non eſt incredibile, per prouincias illas varias
ab Angelo traductum eſſe Ieremiam cum calice
Diuini furoris pleno. Sed fortaſſe in vrbem il-
lam regiam ex omnibus prouinciis multi con-
uenerant, negotiandi gratia, aut alias ob cauſas,
quæ in magnorum Principum curiis agitari ſo-
lent; aut certè, in Azymorum, Pentecoſtes, aut Ta-
bernaculorum feriis, in quibus mandatum iſtud
à Domino Ieremia accepiſſe potuit, propinatus
eſt Gentibus calix ille, quæ religionis cauſa eò
confluxêre: ſicut Actorum 2. ad feſtum Penteco-
ſtes gentes eædem, atque aliæ magis à Iudæorum
finibus ſubmotæ conueniſſe traduntur. Qui li-
cèt Iudæi eſſent genere, domo tamen Arabes
erant, Ælamitæ, ac Medi, Ægyptij, &c. & multò
plures, magíſque remoti, quàm hic commemo-
rantur. His ergo in vno loco propinari potuit
calix iſte, vt cùm in ſuas ſibi ſedes remigrarent,
docerent ciues ſuos, quid ad nationes illas in
mandatis à Deo Ieremias habuerit. Hoc poſte-
rius mihi probatur maximè, quia video per lega-
tos, qui ex variis prouinciis, quæ hoc loco no-
minantur, illarum Regibus porrectum eſſe
poculum, ideſt, dura mandata vaticinia, de
quibus ſtatim capite 27. Dominus ad Iere-
miam: *Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas*
in collo tuo, & mittes eas ad Regem Edom, & ad Re-

gem Moab, & ad Regem filiorum Ammon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis, in manu nunciorum, qui venerunt Ieruſalem, ad Sedeciam Regem Iuda. Et præcipies eis, vt ad Dominos ſuos loquantur. Statim verò ſubdit, quid loquuturi ſint: *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis.* Et capite 26. ſtatim in principio loquutus dicitur Ieremias ad omnes ciuitates Iuda, cùm tamen tantùm eſſet loquutus ad ciues, qui in vrbem, & templum, ex illis ciuitatibus religionis gratia conuenêre. Hoc modo occurri videtur poſſe cogitationi illorum, qui totum hoc obitionum eſſe putant imaginationi potiùs, quàm rei ipſa in opus exiiſſe. Quod ſanè textus ipſe, ac loquendi modus non admittit, aut non, niſi contorte, & tacitè reclamante, atque inuito conſenſu.

39. Verſ. 26. *Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij.*] Hinc liquet, qualis futurus ſit ille calix, ex quo bibere iubentur populi, de quibus ſtatim. Quem ſanè non tam implebit vinum, quàm venenum, vt effectus ipſe ſatis oſtendit: turbatio quippe, atque inſania à veneno eſt, quod turbari, atque æſtuare mentem facit, potiùs quàm à vino. Hic porro effectus prouerbiali ſpecie pro mentis angore, atque æſtu, graníque calamitate, atque infortunio ſumitur. Iſaias capite 29. *Obſtupeſcite, & admiramini; fluctuate, & vacillate; inebriamini, & non à vino quia miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* & capite 51. *Audi paupercula, & ebria, & non à vino.* Ieremias 51. *Calix aureus Babylon, &c. de vino eius biberunt omnes gentes, ideo commotæ ſunt.*

Ebrietas, proturbatione atque æſtu.

40. Verſ. 18. *Ieruſalem, & ciuitatibus Iuda, & Regibus eius, & Principibus eius.*] Incipit à Ieruſalem, idest, à populo ſuo, vt diſcant gentes aliæ, quàm in ipſas ſeuerè ſæuiendum ſit, cùm graues, & inimicas manus à populo ſuo Deus non abſtinuerit. Sic Ezechielis capite 9. à domo ſua primum omnium ſupplicium ſumendum eſſe dicit. *Senem, adoleſcentulum, & virginem, paruulos, & mulieres interficite, &c. & à Sanctuario meo incipite.* Quò ſpectaſſe videtur Petrus epiſtola 1. capite 4. verſu 17. *Quoniam tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei.* Porro contra Reges omnes Iuda multa vaticinatus eſt, vt vidimus, & plura etiam ad finem vſque prophetiæ videbimus. Contra Ioachaz, ſiue Sellum, contra Ioacim, Iechoniam, Sedeciam, & alios Principes Iudaicę gentis, Phaſſur nempe, Ananiam filium Azur, Iohannam filium Care, & plures alios, de quibus ſuis locis.

Iudicium Dei incipit à domo ſua.

Ezech. c. 9.

Epiſt. 1. Petri 4.

41. *Vt darem eos in ſolitudinem, & ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem.*] Hunc habuit hauſtum calix porrectus Hieroſolymæ: hoc eſt, fulmen in ipſius caput à Domino vibratum. De horum verborum explicatione alibi à nobis dictum.

42. *Sicut eſt dies iſta.*] Si hæc dicta ſunt anno quarto Regis Ioacim, non videntur hæc de illo ſtatu, quem tunc res habebat Iudaica, dici potuiſſe. Neque enim tunc euerſa erat ciuitas, aut gens Iudæa imperio ſubiecta Babylonico. Quidam hoc capite duas putant contineri prophetias; priorem acceptam eſſe exiſtimant anno quarto Ioacim: poſteriorem, quæ eſt de calice, variis nationibus propinato alio tempore, quod non eſt hoc loco à Ieremia deſignatum, quando iam erat vaſtata ciuitas, aut grauiter afflicta. ita Vatablus. Quod mihi non videtur eſſe difficile. Nam licèt anno quarto Ioacim omnes prophetiæ ad illud vſque tempus acceptæ redactæ fuerint in volumen ab ipſo Propheta, vt habes capite 36: fieri tamen potuit, vt in anni illius initio collectæ fuerint prophetiæ omnes ad illud vſque anni principium denunciatæ. Hæc verò, in qua nunc explicanda verſamur, in anni illius quarti fine contigerit, aut etiam longè poſt: quare non neceſſe eſt, eodem, quo prophetiæ aliæ tempore, conſcriptà fuerit. Eodem videtur inclinare Hugo, qui, quo iſta dicebantur tempore, euerſam ciuitatem eſſe putat.

43. Alij rem præſentem, ſeu præteritam adhiberi putant pro futura, quod apud Prophetas non infrequens eſt: ita vt, quod propheticis oculis intuebatur Ieremias, quaſi iam factum, id pro facto numeret. Eò inclinat Lyra, Dionyſius, & Maldonatus. Mihi magis videtur expeditum, & facile, ſi ſub finem anni quarti hoc mandatum acceptum de calice propinando exiſtimemus: quo tempore grauem accepiſſe plagam Hieroſolymam veriſimile eſt. Nam veniſſe Nabuchodonoſor in ipſo ineuntis anni quarti principio, ex eo mihi fit veriſimile, quia Danielis capite 1. anno tertio Ioacim obſediſſe traditur Ieruſalem, quia ſcilicet annus ille tertius paulò antea fuerat exactus. Optimè ergo, ſi ſub finem anni quarti hæc dicta ſunt, cùm iam grauiter eſſet afflicta Hieroſolyma, dici potuit: *Sicut eſt dies iſta*, idest, ſicut iam experiri cœpimus.

44. Verſ. 19. *Et Pharaoni Regi Ægypti.*] Quid paſſurus ſit à Chaldæo Rex Ægypti Pharao, pluribus prædixit Ieremias capite 46. quid paſſus fuerit, habes 4. Regum cap. 24. De Ægyptiis plura ſuis poſtea locis.

Verſ. 20. *Cunctis Regibus terræ Auſitidis.*] Hebraicè עוץ *Hus*, de qua Iob, vt habes capite 1. quæ eſt ad Orientalem plagam Ieruſalem. Auſitidem vocant Septuaginta Hps, ſicut etiam nunc Vulgatus, quæ aut pars eſt Idumææ, aut Idumææ proxima, vt indicat Ieremias Threnorum capite 4. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Sanè prope Arabiam eſſe, atque Idumæam, docet appendix illa, quam ad vltimum caput Iob addidêre Septuaginta: *Habitauit Iob in terra Auſitide, in finibus Idumææ, & Arabiæ.*

Et cunctis Regibus Philiſtim.] Contra hos pluribus infrà capite 47. Cùm verò præcipuas Palæſtinæ ciuitates commemoraſſet, omiſit tamen Geth, quia, vt inquit Hieronymus, affinis eſt Azoto: atque ideo in Azoti reliquiis continetur, de quibus proximè: niſi mauis, reliquias appellari eos, qui reliqui fuerunt poſt expugnatam Azotum à Sargon, qui etiam Sennacherib vocatur. de quo capite 20. verſu 1.

Verſ. 21. *Et Idumææ, & Moab, & filiis Ammon.*] De his poſtea capite 27. & latiùs ad finem prophetiæ: de Idumæis quidem capite 49. verſu 7. de Ammon ibidem, verſu 1. de Moab, capite 48.

Verſ. 22. *Et cunctis Regibus Tyri, & vniuerſis Regibus Sidonis.*] De his infrà capite 27. & capite 47. verſu 4. & pluribus Ezechiel à capite 26. & Iſaias capite 23. vide, quæ eo loco diximus.

Et Regibus terræ inſularum, qui ſunt trans mare.] 45.
Hebraicè pro, *trans*, eſt בעבר *beeber*. Hieronymus Cyprum intelligit, Rhodum, & inſulas alias, quæ dicuntur Cyclades: quas dicit captas fuiſſe à Nabuchodonoſor. Neque obſtat illud, *trans mare*:

nam vox Hebraica, de qua nuper, *in tranſitu*, ſeu, *in traiectione*, ſignificat. Quaſi dicat: quæ occurrunt his, qui mare traiiciunt. Neque ſanè inſulæ eſſe trans mare poſſunt, cùm filiæ dicantur maris, & in eius complexu ſitæ ſint. Vatablus explicat, *trans littora maris*, illa nempe littora, quæ mare definiunt Mediterraneum ab ea parte, qua fines attingit Palæſtinos. Lyra, *trans partem maris*. Sed tu vide, an inſularum nomine intelligantur regiones, etiam vltramarinæ, ex Hebræorum more, qui remotas quaſque prouincias, quæcunque ſint loco, inſularum nomine ſignificant. Quia & ipſi primis ſuæ Reipublicæ temporibus, cùm ad illas ſoluendum eſſet è littore, quod illis erat perquàm rarum, abeſſe quàm longiſſimè putabant. Quare familiari, & quaſi prouerbiali dicendi modo, *in inſulis*, quidquid erat remotum, etiam extra mare continetur; & gentes omnes, vbiuis locorum agant, inſulæ appellantur. Pſalmo 96. *Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ.* Iſaias 42. *legem eius inſulæ expectabunt.* & capite 49. *Audite inſulæ, & attendite populi de longè.* Iuxta hæc intelligi poſſunt perquàm optimè, quomodo inſulæ trans mare poſitæ dici poſſint; quomodo verò transmarinas regiones peruagatus, prædatúſque fuerit Nabuchodonoſor, ſuo loco dicemus.

Inſulæ dicūtur prouinciæ remotæ, licèt in mari non ſint.

46. Verſ. 23. *Et Dedan, & Thema, & Buz.*] Has regiones Hieronymus ad Agarenos, ſeu Iſmaëlitas pertinere putat. Ieremias ipſe capite 49. Idumææ videtur attribuere: nam cùm loqueretur ad Idumæos, contra Theman, & Dedan onus intorſit prophetiæ, eo loco nos pluribus.

Et vniuerſis, qui attonſi ſunt in comam.] De his iam multis egimus capite 9. de quibus etiam poſtea capite 49. verſu 32.

47. Verſ. 24. *Et cunctis Regibus Arabiæ, & cunctis Regibus Occidentis, qui habitant in deſerto.*] Arabiæ três ſunt tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores; Petrea, quæ eſt in regione Moabitide, cuius caput eſt illa ciuitas, quæ Iſaiæ capite 16. Petra nominatur deſerti, vnde egreſſa eſt Ruth Moabitis. Altera deſerta, quæ ab his incolitur, qui Nomades ſunt, & in tentoriis habitant. Alteram Occidentis nomine ſignificari credo, quæ fortaſſe illa eſt, quæ communiter à ſcriptoribus appellatur *felix*, quia aromate abundat multo, & nobili. Sanè mons Sina, qui, vt docet Paulus ad Galatas capite 4. in Arabia eſt, *Occaſus* dicitur Pſalmo 67. *Qui aſcendit ſuper Occaſum.* Hebraicè עבר *eber*, à quo pars quædam Occidentalis Hiſpaniæ Punico vocabulo, quod ab Hebraico duxit originem, *Algarbes* nominatur.

Arabia quadruplex.

48. Verſ. 25. *Et cunctis Regibus Zambri.*] De Zambri nihil eſt certum, tantùm eſt coniectura. Hieronymus, quia hæc ſiue ciuitas, ſiue prouincia inter Arabiam, & Ælam, ideſt, Perſidem, poſita eſt, ad Arabiam, ſeu Perſidem pertinere coniectat. Theodoretus populos eſſe cenſet, quorum pater fuit Zamram Abrahæ filius ex Cethura, Geneſis 25. Cùm autem tota penè poſteritas Abrahæ ex Cethura deſertum incoluerit, & ruſticam operam pecori paſcendo nauauerit, vt de Madian, Saba, & Epha conſtet, veriſimile eſt, propagatum genus à Zamram, in deſertis quoque locis habitaſſe.

49. *Et cunctis Regibus Ælam, & cunctis Regibus Medorum.*] Hos quoque principio regni ſui credo à Nabuchodonoſor fuiſſe debellatos, quos tamen poſtea, aut fœderatos, aut ſubditos ſecum adduxit contra Ieruſalem. Debellatos autem puto poſt

A annum quartum Ioacim, quando hæc gentibus à Ieremia denunciata ſunt, & ante funeſtum illud tempus, quo ſub Sedecia, cum ciuitate, ipſum quoque penè Iudæorum nomen interiit. Nam Medos eſſe à Nabuchodonoſor bello ſubactos, habes in libro Iudith ſtatim in principio, vbi Arphaxad Rex Medorum ſuperatus eſſe traditur à Nabuchodonoſor, anno duodecimo regni ipſius, ideſt, ſub initium regni Sedeciæ (ſi tamen idem eſt Nabuchodonoſor, qui ciuitatem ab Arphaxad ſtructam, & Ieruſalem ſuo ſubiugauit imperio) quare Medum quoque militem conſcribere, atque armare potuit contra Ieruſalem;

Medi. & Perſæ domiti à Nabuchodonoſor.

B certè adfuiſſe Perſas, qui Hebraicè dicuntur Ælam, ſeu Ælamitæ, docet apertè Iſaias capite 22. vbi, cùm ageret de extremo ciuitatis interitu, ſub Sedecia, verſu 6. de Perſis ait: *Et Ælam ſumpſit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.* Hieronymus Medis, & Perſis propinatum eſſe dicit calicem ab Alexandro, à quo in Dario vtriuſque gentis Principe ſuperati ſunt. Libertatis verò, quam Medi, ac Perſæ poſt ſeptuageſimum annum à Babylonico iugo nacti ſint, quod de omnibus gentibus à Chaldæo domitis dicendum eſſe putabamus, alia ratio eſt. Fuerunt etenim liberi, tametſi in Babylonico ſolo, quia ibi

C mutato imperio, poſt annum à ſeruitute ſeptuageſimum, cognatis paruerunt, & propriis, non alieno domino, Cyro nempe Perſæ, & Dario Medo. De vaticinio contra Ælam vide infrà capite 49.

Verſ. 26. *Cunctis quoque Regibus Aquilonis de propè, & de longè, vnicuique contra fratrem ſuum.*] Ad Aquilonem pertinet Chaldæorum imperium, cuius regia ſedes eſt Babylon. Cunctis ergo Regibus, qui Aquilonarem illam regionem poſſidebunt, calicem propinat, quem mutuò ſibi porrigent, inteſtinis inter ſe odiis, ac ſeditionibus diſtracti: id enim eſt, *vnicuique fratrem ſuum.* Quomodo hoc impletum fuerit (nam ita accidiſſe, ſicut à Ieremia prædictum, dubitare nefas) non

D meminime legiſſe: neque difficile creditu eſt, diſtractis ſtudiis, ac viribus Regum Aquilonis, inueniſſe primùm Nabuchodonoſor aditum ad Chaldæorum imperium; deinde Cyrum, vt, occupata illa regione rerum domina, Chaldæorum imperium ad Perſas traduceret. Vt autem Reges domeſticis ſe armis, atque ciuilibus odiis conciderunt, ſic etiam eorum regna inteſtinis debilitata ſeditionibus Nabuchodonoſor occupauit. 50.

Et Rex Seſac bibet poſt eos.] Vbi Reges alij ſubacti fuerint, & regna à Babylonis Rege ſubuerſa, ipſe quoque magnus Babylonis Imperator ex indignationis Diuinæ poculo largiter bibet. De cuius obitu ignominioſo, ac triſti grauiter Iſaias 51.

E capite 14. vbi Reges à Babylone ſubiugatos inducit, illius inſultantes infelici morti, & inſepulto cadaueri. *Et tu* (inquiunt) *vulneratus es, ſicut & nos: noſtri ſimilis effectus es: detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: concidit cadauer tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Vide reliqua, quæ mirè amplificant potionem amaram, quam Rex Seſac, ideſt, Babylonis, potare compulſus eſt.

Porro, vt cum Hieronymo ſentiunt omnes ferme Doctores, & Interpretes, *Seſac* hoc loco pro Babylone ponitur, obſcuro quidem, vſitato tamen aliquibus ſcribendi genere; cùm multæ fuerint olim ſcribendi notæ, quibus homines vulgò, 52.

Literæ in ſcribendo permutata, apud Hebræos.

vulgò, aut hoſtibus ſua conſilia occultare ſtudebant:eam hoc loco Ieremias adhibuit, vt inuerſum haberet alphabeticum ordinem: ita vt pro prima litera ſumeretur vltima, pro ſecunda penultima, pro tertia illa, quæ poſt ſe duas à tergo relinqueret, & ſic deinceps in aliis elementis. Ergo pro gemino ב *beth*, quod eſt in nomine בבל *Babel*, & eſt ſecunda litera in ordine alphabetico, poſitum eſt geminum ש *ſin*, quod in illo ordine penultimum eſt: & ſi ab vltimo numerare incipias, eſt litera ſecunda. Pro ל *lamed* autem, quæ eſt decimatertia litera in recta ſerie, כ *caph* adhibetur, quæ ordine inuerſo litera etiam eſt decimatertia, vt conſtat: quare pro *Babel*, poſitum eſt *Seſac*.

53. *Item apud profanos.* Qua literarum commutatione vſi ſunt etiam antiqui, licèt non eodem omnes ordine. Iulius Cæſar, vt auctor eſt Suetonius, & Dio Caſſius, in illius vterque vita, ſic commutabat literas, vt quartam quoque ſumeret pro ea, quæ in alphabetico ordine quarto præcederet loco. De quo ita Suetonius. *Extant* (nēpe Iulij epiſtolæ) *ad Ciceronem, item ad familiares, domeſticis de rebus, in quibus ſi quia occultius perferenda erant, per notas ſcripſit, ideſt, ſic ſtructo literarum ordine, vt nullum verbum effici poſſet. Quæ ſi quis inueſtigare, & perſequi vellet, quartam elementorum literam, ideſt, D, pro A, & perinde reliquas commutet.* Auguſtus, vt auctor etiam eſt Suetonius, & Dio in eius vita, & Iſidorus libro 1. Etymologiarum capite 15. cuius hic verba referam, quæ ſumpſiſſe videtur ex Suetonio, apud quem tamen integra non inuenio. Sic itaque Iſidorus: *Cæſar quoque Auguſtus ad filium; Cùm (inquit) innumerabilia incidunt aſſiduè, quæ ſcribi ad alterutrum oportet, & eſſe ſecreta, habeamus ergo inter nos notas, ſi vis, tales, vt cùm aliquid notis ſcribendum erit, pro vnaquaque litera ſcribamus ſequentem, hoc modo, pro A, B, pro B, C, deinceps eadem ratione cæteras; pro Z, autem litera redeundum erit ad duplex A, A.* Hæc Auguſtus ex Iſidoro.

54. Sed cur Ieremias hoc obſcuro dicendi genere occultare voluerit Babylonis nomen? Hieronymus ideo putat, obſcurè in calice propinando non tam nomen Babylonis, quàm eius inuolucrum fuiſſe propoſitum, ne Regem Babylonis, qui tunc Hieroſolymæ obſidionem vrgebat, laceſſeret, & contra ciuitatem ſeuero illo, atque minaci vaticinio inſtimularet. Eodem nomine vſus iterum eſt capite 51. verſu 40. vbi apertè de Babylone loquitur: *Quomodo capta eſt Seſac? quomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter gentes?*

55. Verſ. 27. *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite.*] Allegoricus iſte dicendi modus vexationem indicat moleſtam, & duram, quæ opprimet eos, quæ ad fæces vſque bibent exundantem calicem: nam, qui inebriatur, & vomit, plurimum de poculo, aut de lagena biberit, neceſſe eſt. Porro hæc metaphora cum æſtu vacillantis animi, conſilium in homine defuiſſe ſignificat. Eodem modo Iſaias capite 19. verſu 10. *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens.* Idem cap. 24. verſu 20. *Agitabitur terra ſicut ebrius.* Sumitur verò imperatiuus pro futuro, vſitato Prophetarum ſtylo.

56. *Neque ſurgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.*] Explicatio hæc eſt calicis, & vomitus: nam qui ita ſe ingurgitauit intemperanter, vt temulentus vomeret, ille plerunque à dominante vino ſuperatus cadit: ſic, qui à gladio, fame, atque aliis ab irato Deo immiſſis incommodis

A inebriatus eſt, ſternetur, & cadet, non conſilij ſolùm, ſed ſui etiam ipſius impos. Illud tamen eſt diſcriminis inter illos, quos propria, atque eos, quos metaphorica crapula deiecit: illi enim tantiſper, dum æſtuat ſtomachus, & cerebrum tenetur à vino, iacēt vino, quaſi ſepulti, ac ſomno, qui mortis inſtar eſt: at vbi iam edormiêre crapulam, excitantur à ſomno, & tanquam à morte; & ſanitati, ſibique ipſis reſtituti, nihil videntur paſſi fuiſſe indecorum, ac turpe. Hi verò ſic inebriantur, vt ad ſe ipſos nunquam redeant, ſic cadent, & non ſurgent. Illud enim eſſe videtur, *Neque ſurgatis à facie gladij*; ideſt, à metaphorica vinolentia.

B At dices, eorum plurimos, qui cecidêre poſt epotum calicem, aliquando ſurrexiſſe, immo illorum pleroſque, ne dicam omnes: nam poſt annum ſeptuageſimum à captiuitate, ad quod tempus durauit amarus ille hauſtus venenati calicis, redierunt ad ſe, & ab indecoro caſu ſurrexerunt, vt diximus hoc ipſo capite ad verſum 11. quod ſub eadem metaphora promiſſum eſt à Deo Hieroſolymæ. Iſaiæ capite 51. verſu 17. *Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius.* Duobus modis occurri poteſt huic cogitationi: altero, ſi dicas, idem eſſe *cadite, & neque ſurgatis*, in quo dicendi genere epitaſis eſt, neque ea vulgaris: vt enim diximus C ad illud capitis 20. *Maledicta dies, in qua natus ſum*, cùm vim addere vult Scriptura rebus, quæ affirmantur, negationem ſolet adhibere contrarij; vt de Ioanne Baptiſta, Ioannis capite 1. *Confeſſus eſt, & non negauit*: ſic modò, *Cadite, neque reſurgatis.* Aut certè, qui cecidêre, dicuntur non ſurrecturi, quia ipſi ad antiquas ſedes, & ablatam libertatem non redierunt, licèt ipſorum poſteri reuerſi ſint. Neque incommodat, quòd illorum aliquot ab exilio remigrarint in patriam: nam hi aliorum comparatione, quos ærumnoſa conditio, & tempus longum in exilio confecit, adeò fuerunt pauci, vt pro nullis Scripturæ more cenſeri debeant; quæ de paucis perinde loquitur, ac ſi nullus foret. 57. *Quomodo nationes dicantur non ſurrecturæ, cùm aliquando ſurrexerint.* *Regvla. Epitaſis eſt in affirmatione cum negatione contrarij.*

D Verſ. 28. *Cùmque noluerint accipere calicem de manu tua, vt bibant, dices ad eos.*] Hinc, credo, non obſcurè colligitur, niſi vim textui, ac nobis ipſis facere voluerimus, re vera populis calicem eſſe propinatum à Ieremia. Vt quid enim reſponderent gentes inuitatæ ad poculum nolle ſe bibere, niſi propinari ſibi calicem viderent? Neque dubium erat, quin admiſſuri non fuerint, quod portendebat calix, peſtem videlicet, famem, ſeruitutem, & gladium. 58.

Bibentes bibetis.] ideſt, recuſare non poteritis, quin bibatis; quod inuitati non vultis, inuiti facietis. Illa ſimilium vocum coniugatio vim indicat maximam, aut venenati calicis, aut largi potus, & immoderatæ crapulæ. Ac ſi dicat, certiſſimè E bibetis, etiam ſi cum nauſea, & ad fundum vſque, & fæces exhauriatis calicem: & re ipſa experiemini cum magno veſtro malo, quæ nunc prædicenti mihi credere non vultis. 59.

Verſ. 29. *Quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere, & vos quaſi innocentes, & immunes eritis.*] Primo loco, vt vidimus, porrectus à Ieremia Hieroſolymæ calix, & primùm illi denunciata vaſtitas: vnde argumento à minori comparatione ſumpto alienos vrget populos; quos dicit ſupplicij in calice ſignificati fore non expertes, cùm ex eo tam largè bibe- 60. *Supplicium incipit à domeſticis.*

rint domeſtici. Hoc eodem argumento aliis in locis vſus eſt contra gentes à religione alienas Ieremias capite 49. verſu 12. ad Idumæam. *Ecce, quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinquêris? non eris innocens, ſed bibens bibes:* & Iſaiæ capite 32. verſu 13. *Super humum populi mei ſpinæ; & vepres aſcendent, quantò magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?*

61\. Verſ. 30. *Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam.*] Hieronymus, & cum eo plerique alij Interpretes, explicari hîc putant magis, quæ proximè dicta ſunt de Hieroſolymæ vexatione; à qua externi diſcent populi, quid ſuo capiti calamitatis impendeat: vt enim, cùm cæditur filius, flagellum timet famularis turba; cùm vaſtantur horti, & incendio pereunt regiæ deliciæ, timere poſſunt non immeritò ſylueſtres arbores, & ſaltus inculti: ſic, cùm graſſatus ſit ignis Diuini furoris in ciuitatem, & templum, vbi ſuam ſibi Dominus ſedem, & delicias poſuerat; ciuitates aliæ, in ſyluarum modum efferatæ, nihil ſibi tutum promittere, nihil ſibi non acerbum formidare poſſunt. Rugiet autem Deus tanquam leo de excelſo, id eſt, de arce Sion, aut ciuitate Dauid, quam Chaldæorum armis expugnabit, ac diruet. Rugiet item de templo, quod hoſtili, atque profano incendio cremandum tradet. Rugitus autem ille nationibus aliis, niſi prorſus cum pudore mens etiam abiit, pauorem incutere, & ſi quid eſt falſæ pacis, turbare debet. Audierat Amos rugientem leonem de Sion, neque fieri putabat, vt quiſquam, qui rugitum illum audire potuit, non timeret. Primum capite 1. cùm aduersùs omnes propè regiones prophetaret, de quibus nunc Ieremias iiſdem propemodum vtitur verbis: *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam*; deinde capite 3. verſu 8. *Leo rugiet, quis non timebit?*

62\. *Rugiet ſuper decorem ſuum.*] Credo hîc alluſum ad Sponſi humanitatem, & officium, cui proprium erat, ex nuptiali Iudæorum ritu, Sponſam ornare, vt pluribus in Canticis docuimus, & docet apertè Ezechiel capite 16. vbi Sponſa in materno priùs ſanguine volutata, ad regiam dignitatem, & luxum prouecta eſt. Quàm verò ſæpe populus hic Hebræus Sponſa appellatus ſit à Domino, quis non videt? Qua de re pluribus ad caput 2. Ieremiæ. Quidquid ergo pulchrum erat in Ieruſalem, & in tota Iudæa, id decor dici poterat, & ornamentum Dei, datum nempe Sponſæ quaſi geniales deliciæ, atque dotale munus. Super quem decorem tunc irrugiit Dominus, quando illud ab hoſte diripi paſſus eſt. Aut certè ideo ciuitatem, & templum, & hoc præcipuè, decorem ſuum appellat, quia ibi ipſe religioſo cultu obſeruari, & quaſi decorari videbatur.

63\. *Celeuma quaſi calcantium concinetur aduersùs omnes habitatores terræ.*] Hæc eſt concluſio comparationis. Si Deus ſuper decorem ſuum rugiet, & ſua dona tam effuſè diſperdet; ſi templum, in quo ipſius nomen in honore, ac veneratione toties auditum, funditus excindet; in gentes alias quo furore bacchabitur? Quo impetu, atque alacritate acies à Deo iniectæ in earum ſtragem, atque exitium incumbent? Non ſanè minori ſtudio, quàm quo in copioſa vindemia, qui racemos in torcularibus calcant, mutuò ſe ad laborem illum ſuſcipiendum hortantur: aut non alio ſtudio, ac iubilo feſtinabunt, non tam ad prælium ineundum, quam ad ſpolia diripienda; quæ ſic ſpe deuorabunt certa, vt de illorum poſſeſſione non dubitent.

Quid ſit celeuſma, ſiue celeuma, diximus ad illud Iſaiæ capite 16. *Vocem calcantium abſtuli*; vbi oſtendimus, hac voce ſignificari vocem illam, quâ ſe mutuò ad ornatum aliquem homines cohortantur; verbi gratia, remiges ad impellendam nauem; aut qui ingens aliquod pondus, collectis in vnum viribus, promouere ſtudent. Aut etiam vocem eſſe lætitiæ, ac iubili, quâ ſignificat, aliquid ſucceſſiſſe pro votis, & propter quod ſibi ipſis viciſſim homines gratulantur. Cùm que hoc poſterius non ineptè cadat in hunc locum; quia non aliter exultabunt Chaldæi Gentium præda potiti, quàm exultant ruſtici, aut peracta meſſe, aut collecta vindemia (quod Iſaias coniunxit capite 9. verſu 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt ſpolia*) tamen credo, in priori ſignificatione accipiendum hîc eſſe celeuma; ita vt ſibi mutuò ſpiritus addant, & vires milites Chaldæi, vt auidè ſuſcipiant, & ſtrenuè peragant datum ſibi à Domino negotium. Quod propriè ſonat vox Græca *celeuma*. Tale eſt illud Idumæorum, cùm ad excindendam funditus ciuitatem alios hortarentur, Pſalmo 136. *Qui dicunt, exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.* 64. *Celeuſma, quid.*

Omnes habitatores terræ illi dicuntur, qui terras habitant, quibus clades nunc à Ieremia prædicitur: eſt enim in Scriptura vſitatum, & frequens, vt *omnis terra*, aut, *omnes terræ habitatores*, & loquutiones ſimiles, in quibus ſignum reperitur vniuerſale, non dicantur vniuerſim de tota terra, ſed de illa, de qua inſtitutus ſermo: quam regulam tradidit Hieronymus ad illud Iſaiæ capite 10. *Vt diſperdam omnem terram.* Quo ſenſu etiam nobis explicanda ſunt, quæ ſequuntur, quæ cùm vniuerſim de tota terra dici videantur, de quadam tamen terræ parte intelligenda ſunt. 65.

Verſ. 31. *Peruenit ſonitus vſque ad extrema terræ.*] Armorum ſtrepitus, & horror, & lituorum clangor, ad finem vſque terræ vagabitur. Peruadent enim militares acies ad extrema illarum prouinciarum, de quibus nuper. Aut certè ea erit vocum conſpirans cõtentio, vſque adeò acutum militum celeuſma, vt à finibus vſque, ad fines vſque terrarum audiantur. ita exponit Hieronymus. qui loquendi modus hyperbolicus eſt. Quòd ſi in *ſonitu*, opinionem, aut rumorem bellorum intelligas, nihil eſt aut hyperbolicum, aut durum: facilè enim acceptæ plagæ rumor loca quantumcunque diſſita latè peruadit. Idem quoque dicendum de minarum ſonitu, quas per Ieremiam Dominus Gentibus intentat: quæ licet denunciatæ ſint Hieroſolymæ, vt probabile cenſebamus, Regum legatis, facilè tamen ad regiones ipſas perferuntur. Quæ explicatio non omnino diſplicet: cui arrident, quæ proximè ſuccedunt; inclino tamen magis in explicationes alias, quibus fauent plurimùm quæ deinde ſequuntur. 66.

Quia iudicium Domino cum Gentibus: iudicatur ipſe cum omni carne. Impios tradidi gladio, dicit Dominus.] Non Deus temere, ac ſine iudicio, ſicut homines plerunque aſſolent, certamen cum peccatoribus ſuſcipit: ſed priùs ad examen, & iudicium, quàm ad arma, ſuppliciúmque deſcendit: neque vult, ignaros eſſe peccatores, cur pœnam ſubeant, nequid malignum, aut iniuſtum de Diuina 67. *Deus iudicari vult.*

uina iuſtitia ſuſpicentur. Quare, vt ipſe gentes iudicat, ſic etiam ſe ipſum Gentibus iudicandum tradit, quibuſcum de meritis, iudiciiſque priùs ſeuere, atque legitime diſceptat, quàm ſupplicio tradat. Id enim eſſe puto, *iudicatur cum omni carne.* Porro mutuum hoc iudicium non ſemel habemus in Scriptura ſacra: Iſaias capite 1. verſu 18. *Venite, & arguite me, dicit Dominus.* & capite 43. verſu 44. *Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul: narra, ſiquid habes, vt iuſtificeris.* Michææ capite 6. *Iudicium Dei cum populo ſuo, & cum Iſraël diiudicabitur.* Deinde iudicij formam, & modum exponit: *Popule meus, quid feci tibi,* &c. Vide, quid de hac Dei humanitate diximus, qui eorum iudicio, quos ſceleris, atque perfidiæ arguit, opera ſua examinanda ſupponit ad caput 1. Iſaiæ citatum. In hoc tandem iudicio æquo atque legitimo, cùm nihil haberent gentes illæ, quo à ſe ſupplicium illud iuſtum depellerent, gladio traditi ſunt à Deo peccatorum vindice.

67. Verſ.32. *Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: & turbo magnus egredietur de ſummitatibus terræ.*] Quia in eo iudicio, quo Dei, hominúmque cauſæ diſceptatæ ſunt, conuictæ ſunt gentes ſceleris, quod ſeuero debuit ſupplicio mulctari, ideo de gente in gentem ad vnam vindex ſcelerum afflictio peruadet: ſeu, quod idem eſt, calix iræ Diuinæ plenus omnibus populis ad vnum propinabitur, de quibus ſuprà, *quem bibentes bibent,* inuiti licèt, & nauſeante ſtomacho. Id verò perbreui ſpatio totum fiet, quia Chaldæorum exercitus, inſtar rapidiſſimi torrentis, aut violenti turbinis, à ſummitatibus terræ, ideſt, à fine vſque ad finem terrarum, in quas intentæ ſunt propheticæ minæ, in regionibus illis latè, celeritérque graſſabitur.

68. Verſ.33. *Et erunt interfecti Domini in die illa, à ſummo terræ vſque ad ſummum eius.*] Ex illo citato, ac proſpero Chaldæorum curſu, auſpice, atque adnitente Deo, fiet, vt à ſummo ad ſummum, ideſt, ab extremis illarum gentium finibus, ſpatium totum, quàm latè patet, impiorum cadaueribus conſternatur. Dicuntur autem, qui hoſtili gladio ceciderunt, interfecti Domini, ſiue à Domino: quia Dominus hoſtibus à ſe vocatis, & in illud miniſterium conſcriptis, confirmauit animos, & manus armauit: victoriam verò partam, & hoſtium cladem imperatoribus aſcribit, & ius ipſum belli, & gentium conſuetudo.

69. *Non plangentur, & non colligentur, neque ſepelientur: in ſterquilinium,* &c.] In magna clade, maximè cùm victor hoſtis ſummam rerum moderatur, & pro ſuo arbitratu cuncta diſponit, aut nulla, aut perquàm leuis habetur ſepulturæ ratio. Quarè inhumata putreſcunt cadauera, aut canes paſcunt, aut inauſpicatas volucres. Neque mihi dubium eſt, accidiſſe regionibus aliis quas domuit, ſubiugauítque Chaldæus, quod Solymitanis ab eodem Chaldæo ſuperatis: nam quemadmodum Solymitanos inhumatos proiecit in Topheth, eorúmque cadauera volucribus, ac feris laceranda reliquit, Ieremias capite 7. verſu 33. immo Regum oſſa è tumulis extracta ignominiosè diſperſit, Ieremias capite 8. ſic credo, nationes ab eodem ſuperatas Chaldæo eandem ignominiam ſubiiſſe, quæ neque ſolenni ritu deploratæ, nec funeris honorem conſequutæ, in ſterquilinio iacuerunt, in aſini nempe ſepultura. Hoc idem de Iudæis dictum antea fuerat capite 7. verſu 32. vide, quæ ibi diximus.

A Verſ.34. *Vlulate, paſtores, & clamate, aſpergite vos cinere, Optimates, quia completi ſunt dies veſtri.*] 70.
Cùm in communi clade ſummi, atque infimi extrema patiantur; multò tamen grauiùs conflictantur Optimates, & Principes, qui hoc loco nominantur paſtores, qui metaphorico gregi metaphorici ipſi quoque paſtores præponuntur: quia & minùs aſſueti ſunt malis perferendis, & pluribus ſpoliantur rerum emolumentis. His itaque præcipuè clamorem, & vlulatum, & lugubrem, ac ſordidum habitum indidit, vt ſuum ipſi funus ante ſupremum illud tempus faciant, cùm poſtea nemini futura ſit plorandi facultas.

B *Et cadetis quaſi vaſa pretioſa.*] In graui ruina, 71.
aut communi incendio, nihil eſt aut in domo priuata, aut in re etiam publica tutum ab interitu. Et quæ magno ſtudio propter plures vſus, aut honeſtiorem Speciem, ſeruabantur magis, in eandem cum vilioribus aliis ſortem trahuntur. Honeſta dicuntur, atque pretioſa vaſa, in quibus *Vas pretioſ. quod.* aliquid eſt, quod admirere, aut ames: quomodo Sol vas appellatur admirabile Eccleſiaſtici capite *Prov.* 43. *Vas admirabile, opus excelſi.* Pretioſa item, quæ honeſtos habent vſus: nam alia ſunt, quæ ſordida, ac vilia miniſteria ſubeunt, de quibus Paulus 2. ad Timotheum 2. verſu 20. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, atque argentea, ſed & C lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.* Vaſa ergo in honorem conflata exiſtimari poſſunt Paſtores, & Optimates populorum, cadent nihilominus in communi ruina, aut etiam communi abſumentur incendio: ſed cadent ſicut vaſa pretioſa, ideſt, cum maiori gentium admiratione, quæ tantam gloriam repentè concidiſſe conſpexerint. Sic de vaſe admirabili, & inſtar Solis radiante Rege Babylonis cecinit Iſaias capite 14. *Quomodo cecidiſti lucifer, qui manè oriebaris?* Eodem etiam modo obſtupuêre populi, cùm Rex cecidit Tyri, quod vas appellatur pretioſum ab Ezechiele capite 28. *Ezech.c.28* omni lapide pretioſo cælatum: de quo cùm dixiſſet verſu 13. *Omnis lapis pretioſus operimentum D tuum,* &c. *aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, preparata ſunt* (ideſt, ſinus, & pallæ, in quibus lapides illigarentur pretioſi, de quibus proximè, quæ elegans pretioſi vaſis deſcriptio eſt.) De hoc igitur pretioſo vaſe iam perdito, & in ſordidos vſus abiecto ſtatim addit verſu 19. *Omnes, qui viderint te in gentibus, obſtupeſcent ſuper te: nihil factus es,* &c. En quomodo duo ceciderunt paſtores illarum gentium, in quos cæleſtes intorquentur minæ, qui pretioſi vaſis inſtar obtinebant.

Verſ.35. *Et peribit fuga à paſtoribus, & ſaluatio ab Optimatibus gregis.*] 72.
Sententia eadem bis iterata, quæ certitudinem indicat vaticinij. Quid ſit, ab aliquo perire fugam, explicuimus ſuprà capite E 18. ad illud: *Nonne peribit lex à Sacerdote?* Valet autem, peribit fuga à paſtoribus, & ſaluatio ab Optimatibus, idem, quod neque paſtores effugient malum, neque Optimates ſalutem conſequentur. Huic affinis eſt alius dicendi modus, in eandem ſententiam, quo Ieremias vtitur infrà capite 33. verſu 17. & 18. *Non peribit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël, & de Sacerdotibus, & Leuitis, non interibit vir à facie mea.* ideſt, non aberit, qui Dauidi ſuccedat, aut qui munus obeat Sacerdotale.

Verſ.36. *Vox clamoris paſtorum.*] Hebraiſmus 73.
eſt,

eſt, per quem nominatiuus abſolutè ponitur. Sicut *vox clamantis*, *vox dicentis*, *vox dilecti mei pulſantis*, & ſimilia paſſim. Aut certè per ellipſim verbum ſubauditur, *ſonat*, *auditur*, aut aliud rerum articulo conſentaneum.

74. Verſ. 37. *Et conticuerunt arua pacis à facie iræ.*] *Tacere*, & *ſilere*, & quæ ab illis deducuntur coniugatę voces aliquid ſonant deſertum, & incultum, vt docuimus ad illud Iſaiæ 23. *Tacete, qui habitatis in inſula.* Dicuntur autem ſilere arua per metonymiam, quia in aruis non ſunt, qui loquantur, qui nempe rem curant pecuariam, aut ruſticam. Qui loquendi modus etiam profanis familiaris eſt. Porro arua pacis dicuntur, vel quia in illis antea paſtores illi metaphorici pacificè viuebant, cùm nullus eſſet, qui eorum interpellaret quietem, & otium, vel quia pinguia erant, pariebántque dominis varios, copioſóſque prouentus. Pax enim abundantiam ſonat, & quicquid ad hominum vſus, & felicitatem pertinet. Huiuſmodi verò ſilentium agris quondam felicibus Diuinus furor inuexit.

75. Verſ. 38. *Dereliquit quaſi leo vmbraculum ſuum.*] Locus hic variis explicationibus patet, & ideo variè ab Interpretibus exponitur. Si poſtrema hæc ſolos ſpectarent Iudæos, ab illis verbis, *Vlulate paſtores*, vt nonnulli putant, neque ego improbo, explicatio eſſet non difficilis. Si in *leone* Deum intelligas, vt cum Hieronymo ſentiunt communiter alij, tunc verò variè exponitur locus, & ad textum, rémque ipſam hiſtoricam perquàm aptè. Hieronymus vaſtatam dicit eſſe terram, quia Deus, qui eam tanquam leo tuebatur, ab illa recedet. *Ipſe* (inquit) *deſeret ſedem ſuam, & complebit, quod per hunc eundem Prophetam loquutus eſt, Dimiſi domum meam, dereliqui hæreditatem meam. Reliquit autem quaſi leo cubile ſuum, vt omnes beſtiæ vaſtandi terram eius habeant poteſtatem.* Alij derelictum à Deo putant habitaculum, quia ibi nihil inueniebat, in quo ſibi placeret, aut quod inſtar eſſet pabuli voluntati ſuæ, cùm in templo nihil eſſet purum à ſanguine, nihil non contaminatum ab auaritia. Vt autem leo, cùm prædam non inuenit, qua ſuam expleat famem, cubile deſerit; ſic Deus, cùm nihil haberet in templo, quod probaret, immo plurima, quæ cum graui nauſea faſtidiret, ſub hæc Chaldæorum tempora templum deſeruit: ſic Vatablus, neque Maldonato diſplicet.

A Deo derelictus, omnium præda expoſitus.

Deus cur animam deſerat.

76. Ego hæc ita probo, vt tamen putem, aliter hunc locum explicari poſſe: quod etiam iam tentabo. Et primùm cenſeo, non videri improbabile, ſi extremam capitis partem ad omnes gentes illas accommodemus, quibus iuſſus eſt Propheta offenſionis Diuinæ propinare calicem. Quod videtur non improbare Hieronymus, qui ſtatim poſt verba nuper allegata ait: *Facta eſt* (inquit) *terra eorum, haud dubium quin vel populi Iudæorum, vel certè vniuerſarum gentium, in deſolationem, & in inuium à facie iræ columbæ.* Cùm verò à communi clade ipſos quoque Principes non excepiſſet, qui mille habent artes infortunij communis declinandi, dixiſsétque ipſos quoque quaſi pretioſa vaſa ruituros; nunc alia ſimilitudine id ipſum declarat, vt vaſis parcimus pretioſis, in quibus multum eſt artis, & ingenij, quæ ſua pulchritudo, ac ſpecies ab exitio vendicat. Quare propter id, quod habent eximium, communem effugiunt neceſſitatem, & interitum; ſic etiam alij propter inſitum robur, quod alij laceſſere non audent,

A expertes ſunt publicæ calamitatis, quales Reges ſunt, & qui ſe contra communes caſus muniερunt: hos cum leone comparat, qui, licèt fortis ſit, & ad nullius occurſum paueat; fieri tamen ſolet, vt ſic à venatoribus exagiterur, vt cubile deſerat; neque tamen periculum, quod fugit, effugiat. Aut certè ſic poteſt inflammari ſylua, aut à lignatoribus ſuccidi, vt nihil habeat leo commodum, & tutum, vbi latere poſſit. Sic ergo continget iis, qui quaſi leones aliis eſſe formidini conſueuêre: quorum regiones ſic inflammabunt, populabuntúrque Chaldæi, vt nullus ſit reliquus effugij locus. Tunc verò literam ſic ordino: *Quaſi leo dereliquit vmbraculum ſuum, aut ardente*
B *ſylua, aut inſequente venatore, ſic ipſi arua pacis, & opima deſerent paſcua.* Eſt autem in Scriptura frequens, vt altera pars ſimilitudinis omittatur.

Quare facta eſt terra eis in deſolationem à facie iræ columbæ.] Pro columba Hebraicè יונה *ionah*, quod varij variè reddunt. Quidam deducunt à יין *iaiin*, quod vinum ſignificat, & ita vertunt, *à facie iræ inebriantis*, alluſúmque putant ad calicem iræ Dei, de quo ſuprà, quod Dominus Gentibus propinauit: ita Rabbi Salomon, & Chaldæus. Alij à ינה *ianah*, quod eſt vaſtare, atque opprimere, & ita vertunt, *ab ira vaſtante*, ſeu opprimente, aut *ab ira vaſtantis*: ita è recentioribus Pagninus, Vatablus, Tigurina, Iſidorus, qui in vaſtan- 77.
C te, ſeu opprimente Dominum intelligunt. Huc accedit Septuaginta tranſlatio, qui aliis in locis, vbi de gladio aut ira columbæ, ipſi vertunt, de gladio Græcorum, ſeu Græco, vt capite 46. verſu 10. & capite 50. verſu 16. à יין *iaiin.* Hîc verò tranſtulerunt, *gladium magnum*; Vulgatus, *columbam* reddidit, cui nos, quod neceſſe eſt, commentationem accommodabimus.

Et primùm exploremus, quis hîc intelligatur in columbæ nomine. Quidam Deum adumbrari putant in columba, qui cùm mitem ſe, & patientem præbuerit, quo tempore ſuo ſibi genio contra Diuina præcepta peccator indulget, quicum ſibi rem fore putet cum columba, quæ nunquam 78.
D iraſcitur, impunè ſe peccare exiſtimat. At tempus aderit, quando, qui ſe columbæ ſimilem, placidum nempe, ac manſuetum præbuerat, furorem induat, & ſpiritus leonis, qui rebus vaſtitatem, & cladem hominibus inducat. Aut certè iram columbæ in Deo eſſe videri poteſt, quia cùm ſeuerè puniat, & commoueri grauiter appareat, tranquillo tamen eſt, & immoto animo, ad columbæ modum, quæ nullo interiùs turbidiore motu tentari videtur. ita fermè ſanctus Thomas, & Hugo, item Gregorius libro 32. Moralium capite 6. quod non improbat Maldonatus.

Deus columba.

Communiter alij cum Hieronymo columbæ nomine ſignificari credunt Nabuchodonoſor. 79.
E Cur verò illo nomine, quod in ipſius ingenium minimè conuenit, exprimatur crudelis, & ſanguinarius imperator, non vna ab omnibus ratio traditur. Quidam propter velocitatem arbitrantur, quia ea celeritate peruagatus eſt Babylonicus exercitus regiones, quas ſuo ſubiugauit imperio, qua columba immenſa aëris ſpatia pernici volatu. Dicuntur autem Chaldæorum equites aquilis velociores Threnorum 4. Alij, quia non aliter ad prædam egreditur Nabuchodonoſor è Babylone, quàm è columbario egreditur columba ad quærendam eſcam. Quæ ſententia omnium mihi probatur maximè, imò hanc ſolam

veram

veram eſſe arbitror. Cauſam reddam infrà cap. 46. nu. 37. vbi confutata eſt illorum cogitatio, qui putant in Chaldæorum vexillis imaginem eſſe columbæ. Verùm quia hæc ſententia multis maximè è recentioribus probari cœpit, accommodatè ad illam aliquid adiiciam.

80. Sentiunt, vt dixi, è recentioribus non pauci, ideo Nabuchodonoſor, ſeu eius exercitum vocari columbam, quia in vexillis pro inſigni militari columbam præferebat; ſicut Romani aquilam, Ægyptij draconem. Eſt autem frequens in omni lingua, vt ſignum pro re ſignificata ſumatur. Cur verò Babylonici exercitus ſignum ſit columba, tradit Diodorus Siculus libro 3. capite 5. vbi ait; illum honorem impendere voluiſſe Babylonios Semiramidi, à qua conditi feruntur muri Babylonici, & ciuitas ipſa aut condita, aut mirum in modum amplificata. Hæc verò, vt ex Gnidio refert Pierius, à columbis nutrita fuiſſe dicitur, & in columbam poſtea fuiſſe conuerſa. Cur hæc fabulati ſint Aſſyrij, dicere neceſſe non eſt; quia aliquid olet libidinis profuſæ. Inde tamen occaſionem ſumpsêre Babylonij, vt columbas penè pro numine coluerint, & boni ominis gratia in militari prætulerint vexillo. Ad hanc gentium opinionem, cui ſe in loquendo interdum accommodat Scriptura, alluſiones aliquot ſunt in ſacris literis, non hoc loco ſolùm, ſed etiam capite 46. & capite 50. Nabuchodonoſor, aut illius exercitus columba vocatur. Oſeæ capite 11. columbam attribuit Babyloni: *Auolabunt quaſi auis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum.* Ex his difficile non eſt ſtatuere, quid ſit hoc loco, à facie iræ columbæ regiones in ſolitudinem verti; nempe ab infenſo Chaldæorum exercitu vaſtandas eſſe prouincias, de quibus antea.

Babylonii ſignum, columba.

81. Hæc mihi, & quia ſine fundamento non aſſeruntur, & quia pluribus placent, maximè probantur, ſed addam aliquid noui, quod in rebus obſcuris non ſolùm poteſt, ſed etiam debet aliquando fieri. Columba in Chaldæorum vexillis præferri iam antè diximus, quæ communis eſt ſententia, &, vt arbitror, vera: ſic tenent recentiores Interpretes in Ieremiam, Capella, Caſtrus, Maldonatus, Alphonſus Mendoça quæſtione 2. expoſitiua. Pradus in illud capitis 17. Ezech. *Aquila grandis*; & plures alij. In caſtris verò Iudæorum leones ſpectabantur in vexillis, propria, atque antiquiſſima Iudaicæ gentis inſignia. Sic docet Abulenſis in caput 2. Numerorum, quæſtione 5. ex Hebræorum magiſtris, & Pradus in Ezechielem capite 1. in viſione 1. ſectione 2.

82. Eſſe ſanè ſingularum Tribuum ſua cuique vexilla, & in illis certa ſigna, coniectura ſumitur non leuis ex capite 2. Numerorum, vbi ſic Deus ad Moyſem: *Singuli per turmas, ſigna, atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtrametabuntur.* De his ſignis varia tam noſtrì, quàm Hebræì, de quibus vide Abulenſem, & Lyram in hunc locum. Placet tamen omnibus magis, quod viſum eſt pleriſque Hebræorum Doctoribus, vexillorum illa fuiſſe ſigna, quibus Iacob, & Moyſes, iamiam morituri, ſuis quaſi notis ſingulas conſignarunt familias: alter Geneſis 49. alter Deuteronomij capite 33. Tribus igitur Iuda inſigne fuit leo, quia de Iuda fuit illud patris oraculum: *Catulus leonis Iuda; ad prædam, fili mi, aſcendiſti. requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Tribui Dan coluber, quia illi à parente dictum: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Ephraim taurus, quia de illius parente Ioſeph dixit Moyſes Deuteronomij capite 33. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Ad hoc gentilitium ſtemma reſpexiſſe videtur Salomon, cùm in ædificiis, locíſque præcipuis, vbi Regia ſpectabatur maieſtas, inſculpi fecit leones, quibus, credo, ſe ex Iudæ ſtirpe natum profitebatur: ſicut in omni ferè natione viri nobiles Gentilitia ſtemmata in publicis, atque præcipuis locis conſpicua proponunt, vt 3. Regum capite 7. verſu 29. & iterum verſu 36. & 2. Paralipomenon capite 9. in eburneo ſolio ſculpſiſſe traditur, *duos leones ſtantes iuxta brachiola, ſed & alios duodecim leunculos ſtantes ſuper ſex gradus ex vtraque parte.*

Singularum Tribuum ſua vexilla.

Tribui Iuda inſigne leo.

83. Ex his iam ſeſe oſtentat explicatio, meo iudicio, non inelegans, in qua apparet ſimilitudo quædam ſumpta ex aciebus, quæ collatis aduerſiſque ſignis congrediuntur. In vexillis ferebat Babylonius columbam, Iudæus leonem, inter leonem igitur, & columbam committebatur certamen, quòd ſi rerum naturam contemplêre, inæquale eſt. Quid enim columbæ timiditas ad leonis audaciam? quid lenitas innoxia ad ſæuitiam ſanguinariam? quid ad rugitum gemitus? At fugiet leo, derelinquétque terram à facie iræ columbæ, cuius impetum ſuſtinere non poterit. Vide, an in hanc ſententiam trahi poſſint hæc verba: *Dereliquit quaſi leo* (idest, ille, qui quaſi leo videbatur, & quaſi leonis catulus) *vmbraculum ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem, à facie iræ columbæ*: neque hic loquendi modus inuſitatus eſt, cùm enim ſigna rem ſignificatam repræſentent, id ſigno interdum adſcribitur, quod rei ſignificatæ proprium eſt. Romanorum ſigna *pila*, atque *aquilas* pro Romanis caſtris adhibuit Lucanus libro 1. Pharſal.

Perſia duce Deo ab imbelli ſuperata.

—— infenſiſque obuia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

& Virgilius libro 8. Æneidos, pugnaſſe dicit Ægyptiorum inſignia ducibus Cleopatra, & Antonio cum Romanorum inſignibus, quæ naues diſtinguebant, notabántque:

Omnigenúmque Deûm monſtra, & latrator Anubis
Contra Neptunum, Venerem, contráque Mineruam
Tela tenent. ——

Hæc iuxta illorum ſententiam, qui in Chaldæorum vexillis columbam eſſe putant. Quod ego, vt probaui cap. 46. num. 37. falſum eſſe puto: neque aliud in columba, cuius velox eſt, conſtánſque volatus, ſignificari, quàm feſtinum inimicorum aduentum.

Atqui dices, hæc valere in illorum tantùm ſententia, qui huius capitis extrema ad Iudæos referunt: nam his tantùm leo Gentilitium putabatur ſtemma: eſt ita ſanè, verùm, quia leo ſtrenuorum, & fortium ſymbolum eſt, in alias quoque gentes aptari poteſt hæc explicatio, in hunc ſenſum: Qui quaſi leones ſunt, aut quaſi leones ſe inſuperabiles eſſe ſibi blandiuntur, à facie columbæ ſtupefacti, ac domiti proprias deſerent ſedes. 84.

Et à facie iræ furoris Domini.] Particula, *&*, non ſemper coniungit diuerſa, ſed interdum explicat obſcura, aut in comparatione aliquid importat maius. In poſteriores hoſce duos vſus potiùs ego acciperem, quàm in primum. Cùm enim non tam Babylonicæ acies, quàm Dei grauis offenſio, quę Chaldęorum inſtruxit, atque armauit 85.

uit manus; Iudæorum, aliarúmque gentium fregiſſet vires, & ſeruitutis iugo ceruices inflecti neſcias ſubdidiſſet. Explicat Propheta quod antea dixerat, affirmátque victoriam illam non iræ columbæ, ſed furori Diuino eſſe tribuendam. Quare ſic expono: *A facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Quaſi dicas: ideſt, *à facie furoris Domini.* Quia furor, aut ira columbæ furor erat Dei. Sicut Iſaiæ capite 10. idem dixit Dominus de Aſſur, quo vſus eſt ſui furoris adminiſtro: *In manu eius indignatio mea*: aut quia non tam Chaldæus, quàm Dominus, illorum populorum exagitabat peccata, explicandum eſt, &, cum com- A paratione, dicendúmque: *A facie iræ columbæ, vel potiùs à facie furoris Dei.*

86. Illud præterea obſeruandum, coniungi hoc loco non ſine cauſa iram cum furore, *A facie iræ furoris*, quia modus iſte loquendi epitaſim habet, cùm duo eiuſdem ſignificationis nomina coniunguntur, vt pluribus oſtendimus in titulo Pſalmi 67. *Canticum Pſalmi.* Exempla occurrunt ſimilia non rarò. Pſalmo 39. vbi Vulgatus, *de luto facis*, Hebraicè, *de luto cœni.* Zacharias capite 10. *Pluuiam imbris dabit eis.* ideſt, copioſam: ſic modò *ira furoris* iram ſignificat vehementer accenſá, & furentem. Hæc de capite vigeſimoquinto.

REGVLA. *Duo eiuſdẽ ſignificationis nomina epitaſim habent.*

ARGVMENTVM CAPITIS XXVI.

SVB initium regni Ioacim, iubetur à Domino Ieremias, vt omnibus ciuitatibus Iuda, ſuo nomine exprobret obſtinatam in reſpuendis Diuinis mandatis impudentiam, ſi modò templum ſeruatum eſſe velint. Qua denunciatione totius in ſe populi conflauit inuidiam, & armauit odium. Quidam tamen de Principibus Sacerdotum, & Prophetarum ſeſe oppoſuerunt conſiliis, & nihil in eo capitali ſupplicio dignum affirmarunt: ſed omnium conſtantiſſimè Ahicam filius Sapham, quo adnitente Ieremias ab offenſione populari liberatus eſt. Porro huic capiti, quia clarum eſt, & filum eius non difficile, non putaui adhibendam eſſe paraphraſim: quod etiam in quibuſdam aliis capitibus faciam in quibus aliquid potiùs hiſtoricum, quàm propheticum proditur: in quibus ſi quid occurrat obſcurius, ſatis opinor lucis habebit in Commentariis.

IEREM. CAP. XXVI.

1. *IN principio regni Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda, factum eſt verbum iſtud à Domino, dicens:* B

2. *Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, & loquèris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo Domini, vniuerſos ſermones, quos ego mandaui tibi vt loquaris ad eos: noli ſubtrahere verbum,*

3. *Si fortè audiant & conuertantur vnuſquiſque à via ſua mala: & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam ſtudiorum eorum.*

4. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis:* C

5. *Vt audiatis ſermones ſeruorum meorum Prophetarum, quos ego miſi ad vos de nocte conſurgens, & dirigens, & non audiſtis:*

6. *Dabo domum iſtam ſicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.*

7. *Et audierunt Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini.*

8. *Cúmque compleſſet Ieremias loquens omnia quæ præceperat ei Dominus vt loqueretur ad vniuerſum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur.*

9. *Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & vrbs iſta deſolabitur, eo quòd non ſit habitator. Et congregatus eſt omnis populus aduersùs Ieremiam in domo Domini.*

10. *Et audierunt Principes Iuda verba hæc: & aſcenderunt de domo Regis in domum Domini, & ſederunt in introitu portæ domus Domini nouæ.*

11. *Et locuti ſunt Sacerdotes & Prophetæ ad Principes, & ad omnem populum, dicentes: Iudicium mortis eſt viro huic: quia prophetauit aduersùs ciuitatem iſtam, ſicut audiſtis auribus veſtris.*

12. *Et ait Ieremias ad omnes Principes, & ad vniuerſum populum, dicens: Dominus miſit me vt prophetarem ad domum iſtam, & ad ciuitatem hanc, omnia verba quæ audiſtis.*

13. *Nunc ergo bonas facite vias veſtras,*

&

& ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei A *veſtri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt aduersùm vos.*

14. Ego autem ecce in manibus veſtris ſum: facite mihi quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris.

15. Veruntamen ſcitote & cognoſcite, quòd ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, & contra ciuitatem iſtã, & habitatores eius: in veritate enim miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc.

16. Et dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes, & ad Prophetas: Non eſt viro huic iudicium mortis: quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos.

17. Surrexerunt ergo viri de ſenioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes:

18. Micheas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quaſi ager arabitur: & Ieruſalem in aceruum lapidum erit: & mons domus in excelſa ſyluarum.

19. Numquid morte condemnauit eum Ezechias Rex Iuda, & omnis Iuda? numquid non timuerunt Dominum, & deprecati ſunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersùm eos? Itaque nos fecimus malum grande contra animas noſtras.

20. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei de Cariathiarim: & prophetauit aduersùs ciuitatem iſtam, & aduersùs terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ.

21. Et audiuit Rex Ioakim, & omnes potentes, & Principes eius, verba hæc: & quæſiuit Rex interficere eum. B *Et audiuit Vrias, & timuit, fugítque, & ingreſſus eſt Aegyptum.*

22. Et miſit Rex Ioakim viros in Aegyptum, Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Aegyptum.

23. Et eduxerunt Vriam de Aegypto: & adduxerunt eum ad Regem Ioakim, & percuſſit eum gladio: & proiecit cadauer eius in ſepulcris vulgi ignobilis.

24. Igitur manus Abicam filij Saphan fuit cum Ieremia: vt non traderetur in manus populi, & interficerent eum.

IN CAPVT VIGESIMVMSEXTVM IEREMIÆ.

Verſ.2. *Sta in atrio domus Domini, & loquêris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt, vt adorent in domo Domini.*]

1. LOCVM Dominus opportunum deſignat, vbi Ieremias ad omnes ciuitates Diuina referat oracula: neque enim alium in locũ conuenire meliùs poſſent, qui ex ciuitatibus aliis Hieroſolymam, religionis gratia, iter habuiſſent. Ad illos autem, tanquam ad ciuitates locuturus dicitur Propheta, quia illi in patriam reuerſi contribulibus ſuis hæc eadem erant relaturi. Ex quo fit maximè probabile, quod capite 25. dicebamus, propinaſſe nempe Ieremiam calicem non ciuitatibus omnibus, aut prouinciis, quarum ibi meminit, ſed ciuibus, aut legatis, qui ex illis locis in regiam ciuitatem, religionis, aut negotiationis cauſa, confluxiſſent.

Verſ.3. *Pœniteat me mali, quod ego cogito facere.*]
2. De hoc loquendi genere, & quomodo Deum cogitationis ſuæ pœnitere poſſit, diximus ad eadem penè verba capite 18. verſu 8.

Verſ.5. *De nocte conſurgens, & dirigens.*] Eadem habuimus verba capite 7. verſu 13. vbi etiam eadem & ibi dicta, & à nobis explicata ſunt de domo, ſeu tabernaculo Domini, quod fuerat in Silo. Hæc verba iterum redeunt capite 35. verſu 14.

Verſ.9. *Quare prophetauit in nomine Domini, di-*
3. *cens: Sicut Silo erit domus hæc.*] Cùm populus ille
plurimum ſibi ipſi placeret in templo, à quo om- C nia ſibi promittebat ſecunda, & eo ſibi nomine primum inter gentes deberi locum arbitraretur, quòd Deum haberet ſibi penè contubernalem; ferebat impatienter, ſi quidpiam contra illius ſanctitatem, aut incolumitatem, à quoquam diceretur. Eo nomine accuſatus eſt Chriſtus à corruptis teſtibus; eodem Stephanus tanquam blaſphemus extra ciuitatem lapidatus; eo etiam nunc accuſatur Ieremias, & ad capitis ſupplicium vocatur. Vide, quæ diximus ad illud Ieremiæ capite 7. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.*

Templi ho-
mi apud Iu-
daos maxi-
mus, & in
eo iudicia.

Et congregatus eſt omnis populus aduersùs Ieremiam 4.
in domo Domini.] Eo tempore egiſſe videtur Ieremias ad populum, D quando maior gentium multitudo conuenerat: atque eo ſpiritu, vocíſque contentione, vt omnes & vocarit ad ſe, & in ſui odium, atque exitium inflammauerit. In ipſo ergo temporis veſtigio accurrunt in templum omnes, & in Prophetam hoſtile aliquid moliuntur.

Verſ.10. *Aſcenderunt de domo Regis in domum Domini.*] Quomodo, cùm domus regia in ſuperiori eſſet regione ciuitatis, ex ea aſcendiſſe dicantur in templum Principes Iuda, cùm potiùs deſcendere debuiſſent, diximus ſuprà capite 22. ſtatim in principio.

5\. *Sederunt in introitu domus Domini noua.*] Noua communi gentium conſuetudine vocari ſolent, quæ poſt aliquod aliud opus facta ſunt, quantumuis illa antiquitatis habeant. Sic noua Græcia dicitur, noua Carthago, noua ciuitas, ſeu Neapolis, noua tragœdia, & nouum denique Teſtamentum. Sic ergo nouam portam vocari putant Lyra, Dionyſius, Vatablus, Maldonatus, & Caſtrus, quam longè poſt templum, à Salomone conſtructum ædificauit Ioathan, de quo 4. Regum 15. verſu 25. *Ipſe ædificauit portam domus Domini ſublimiſſimam.* Ibi autem, vt obſeruat Hieronymus, iudicia exercebantur, vbi Ieremiæ cauſa diſceptata eſt, ereptáque Sacerdotum, ac pſeudoprophetarum calumniæ.

Nouum, idē eſt quod poſterius.

6\. Verſ.14. *Ego autem, ecce, in manibus veſtris ſum; facite mihi quod bonum, & rectum eſt in oculis veſtris.*] Non recuſat Propheta ſubire iudicium ſeniorum, & Principum Iuda, quia neque laborat cauſa, cùm ex ore Domini loquutus ſit: neque, aſſiſtente ſibi Domino, quidquam timendum ſibi putat ab accuſatorum calumnia, aut Iudicum ſeueritate. In eorum poteſtate ſe eſſe dicit, neque recuſare quominus de ſuo ſtatuant capite, quod in ipſorum oculis rectum, & bonum apparuerit: ideſt, aut quod ipſi voluerint, aut quod ipſis lex, aut conſuetudo præſcribet.

7\. Verſ.15. *Sanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos.*] Phraſim credo prouerbialem eſſe apud Hebræos, cùm homicidij pœnas alicui denunciant, clamare contra ipſorum caput illorum ſanguinem, quibus oblata vis eſt: aut effuſum ſanguinem pœnas expetere. Sic Geneſis capite 3. ſanguis Abel clamare dicitur contra fratricidam Cain: ſic ſanguis Prophetarum omnium ſuper Iudæos venturus eſſe traditur Matthæi 13. ſic Iudæi Matthæi 27. imprecantur ſuo filiorúmque capiti ſanguinem: ſic Iob capite 16. verſu 9. ſanguinis ſui clamorem audiri vult; *Terra, ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.* Sic ergo Ieremias clamaturum dicit ſanguinem ſuum, iniquo iudicio, ab impiis effuſum, non ſolùm in ſuæ necis auctores, ſed etiam contra ciuitatem ipſam, & habitatores eius.

Prov. Sanguis contra aliquē.

Iob.16.

8\. Verſ.16. *Et dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes, & Prophetas, Non eſt viro huic iudicium mortis.*] Principes hos apparet fuiſſe Iudices, quando nihil admiſiſſe dicunt Ieremiam, quod capitali iudicio expiari debeat. Aliter, credo, falſi Prophetæ, ac Sacerdotes ſtatuiſſent de Ieremia, ſi illorum voluntati permiſſa foret iudicandi poteſtas. *Non eſt viro huic iudicium mortis.* Idem eſt, atque non eſt hic reus mortis, quæ vox Iudicis eſt poſt exploratam cauſam.

9\. Verſ.17. *Surrexerunt ergo viri de ſenioribus terræ, & dixerunt ad omnem cœtum*] Seniores hi iidem ſunt, opinor, qui nuper appellati ſunt Principes, qui iudicij ſui populo rationem reddunt, ſuadéntque, exemplo aliorum, Ieremiam, qui ex ore Domini locutus eſt, capitali ſupplicio non eſſe mulctandum. Quare non ſolùm reum habent, quem iudicent Ieremiam, ſed etiam clientem quem defendant.

10\. Verſ.18. *Michæas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Iuda, & ait ad omnem populum.*] Exemplum afferunt omnino ſimile Michææ, qui non minùs ſeuerè, & grauiter contra ciuitatem & templum loquutus eſt, quàm in præſenti Ieremias; qui tamen nihil ideo paſſus eſt à Rege iuſtiſſimo Ezechia; qui neque minùs erat religionis, & templi ſtudioſus, aut ciuitatis amans, neque vllus aut reprehendit Prophetam, quòd adeò loquutus eſſet liberè, aut Regem, quòd impunitam abire paſſus ſit illam loquendi libertatem.

Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelſa ſyluarum.] Sic ſeniores illi, paulò aliter eſt apud Michæam, vbi pro *domo*, *templum* legitur, capite 3. ad finem. 11.
Arias Montanus in hunc locum Michææ conſuetudinem quandam ſeruandam eſſe dicit, familiarem iis, qui vrbes exciderunt hoſtiles, ac delendas eſſe funditus voluerunt: ait enim aratrum imprimi ſolitum ab hoſte victore, & eo ritu æternæ ſolitudini deuoueri; adducítque illud Horatij libro 1. Carminum, Ode 16,

Aratrum imprimi ſolitum inciuitatē excidio.

—altis vrbibus vltimæ
Stetêre cauſæ cur perirent
Funditus, imprimerétque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Vbi in hanc ſententiā aliqua Lambinus adducit non inerudité, quem tu vide. Idem etiam Iſidorus libro 15. Origin. capite 1. *Vrbs* (inquit) *aratro conditur, aratro vertitur.* Vide ea de re plura apud Tiraquellum in Alexandrum libro 6. cap. 14. De hac ego conſuetudine non dubito; ſententiam Montani ſequitur Caſtrus.

Sale conſperſa ciuitates.

Verùm probare debuiſſet Montanus, id in vſu quoque fuiſſe apud Hebræos, aut certè apud illos, à quibus Hieroſolyma ſubuerſa eſt. Scimus apud Hebræos, euerſas vrbes conſpergi ſolitas eſſe ſale, cùm ſolitudo illis indicitur æterna. Quod accidit Iudicum capite 9. vbi Abimelec cepiſſe traditur ciuitatem quandam, eóque redegiſſe, vt illam ſale conſpergeret. Et licèt hoc tantùm exemplum habeamus, quod ego viderim, tamen fieri ſolitum in magna ſtrage, atque odio ciuitatum, modus ipſe dicendi perſuadet: ſic enim textus: *Oppugnabat vrbem, quam cepit, interfectis habitatoribus eius, ipſaq́; deſtructa, ita vt ſal in ea diſpergeret.* Illud, *ita vt ſal*, &c. aliquid indicat fieri ſolitum. Exiſtimo autem, hanc conſuetudinem inductam eſſe in Hebræorum populum, quia Deus regiones vberes, & ſpecioſas, inducto ſale, aut quod ſalis proprietatem habet, deformaſſe, atque euertiſſe traditur. Sic in vallem, quæ inſtar paradiſi Dei olim erat illuſtris, inducto mari ſalſiſſimo & mortuo, non inutilem ſolùm, ſed etiam execrabilem reddidit: de qua Pſalmo 106. *Terram frugiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea.* Quod ſuppliciū Deuteronomij 29. capite 23. ad exemplum Sodomorum minatur Deus Hebrææ genti, quòd nempe illius regiones *ſulfuris, & ſalis ardore comburat, ita vt vltrà non ſeratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ.* Sale ergo inſperſo, potiùs quàm aratro impreſſo ciuitati, exiſtimo æternam ciuitatum ſolitudinem oſtendi Hebræorum more. Quod etiam regiones aliæ imitatæ ſunt, id certè vſitatum eſt apud Hiſpanos, quorum aliquot ciuitates ſeminatas ſale tradit Abulenſis in Iudicum capite 9. quæſt. 45.

12\.

Iudic.9.

Pſal.106.

Simplicem ergo ſenſum eſſe puto, Ieruſalem deſtitutam ciuibus, ingentibúſque molibus ſolo complanatis, magis fore idoneam aut paſcendo pecori, aut faciendæ ſementi, quàm ciuium habitationi. Ideo enim ſtatim dicitur: *Et mons domus in excelſa ſyluarum.* Neque aliam eſſe puto ſententiam, quàm quæ ab Iſaia tradita capite 1.

Ieruſalem [illegible]. & ſolitudo.

Et

Et deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili, & relinquetur filia Sion, ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario. Quomodo hunc locum vertunt Septuaginta, qui vbi nos, *in aceruum lapidum*, ipſi vertunt, εἰς ὀπωρο φυλάκιον. ideſt, *in pomorum cuſtodiam.* Eſt autem etiam apud profanos frequens, extremam ciuitatum fortunam, & excidium hoc, aut alio ſimili modo ſignificare. Virgilius 3. Æneid.

Littora tunc patriæ lacrymans, portúſque relinquam,
Et campos, vbi Troia fuit. ———

Et Ouidius epiſtola 1. Heroid.

Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandáque falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curuis feriuntur aratris
Oſſa, ruinoſas occulit herba domus.

Neque verò huic explicationi incommodat, quòd ſedes, vbi olim Hieroſolyma, arata non ſit, neque ad ſatus accipiendos ſubacta: ſatis eſt enim, ſi eò redacta ſit, vt quod ad domus, habitatoréſque attinet, arari potuerit: eſt enim in Scriptura frequens, vt actus ſecundus, vt Logici dicunt, ſumatur pro primo, ideſt, id fieri dicatur, quod aptum eſt, vt fiat. Quare *arabitur*, idem eſt, quod *erit arabile.*

13. Videntur autem ſeniores iſti duo perſuadere voluiſſe, & Ieremiam admiſiſſe nihil, propter quod malè à Rege accipi debuerit, cùm Rex ſapientiſſimus, atque optimus Ezechias contra Michæam Moraſthitem nihil cogitarit aduerſum, & effugituros eſſe Iudæos Prophetarum minas, ſi mores mutent, quos Deus graui illo ſupplicio punire vult. Sicut tunc ſub Ezechia parentes prædictum à Michæa onus declinarunt. Neque mirandum, ſi hoc loco audiamus, pœnituiſſe Dominum mali, quod loquutus fuerat: cùm tamen ciuitas eò ſit redacta ſolitudinis, vt arari potuerit, & in eius ſolo nihil videas, præter aceruum lapidum, & ſyluarum ſpeciem: nam hæc verba non tam ex ore Domini dicit, quàm ex ſeniorum ore recitat Ieremias; qui cùm ciuitatem deſertam, & vaſtam non viderent, placatum opinabantur Deum, & minarum immemorem.

14. Verſ. 20. *Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Vrias, &c.*] Hæc verba quidam eſſe putant, non illorum ſeniorum, qui in eo conuentu patrocinium ſuſcepêre Ieremiæ, ſed aliorum, qui de illius capitali, aut alio duro, atque ignobili ſupplicio cogitabant. In his ſunt Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid, & inclinant Lyra, Dionyſius, Vatablus, Iſidorus. Quaſi veteri exemplo Ezechiæ recens opponant Ioacim, qui Vriæ libertatem in loquendo impunitam eſſe paſſus non eſt. Quæ ſanè explicatio facilis eſt, neque contemnenda: neque enim apparet vlla grauis, atque idonea ratio, cur hoc exemplum à ſenioribus in Ieremiæ defenſionem afferri debuerit: neque aptè hoc exemplū de Vria cum alio de Michæa coniungitur. Adde, quòd Sacerdotes, & Prophetæ in ea diſceptatione ſuperiores videntur fuiſſe, quando non à ſenioribus, ſed ab Ahicā filio Saphan liberatus dicitur Ieremias, *Ne traderetur in manus populi, & interficerent eum:* quod ſuadet non leuiter illud, *igitur manus Ahican,* quaſi dicat: Cùm igitur nihil habuiſſet ponderis ſeniorum auctoritas, cùm grauiùs vrgerent aduerſarij, & recens exemplum apud iniquum Regem, & ſceleratum populum plus valeret, Ahi-

A can, cui magna apud omnes erat auctoritas, ex infenſæ multitudinis, & Sacerdotum manibus Ieremiam exemit.

Alij poſterius etiam exemplum ſenioribus tribuunt, & variè explicant. Theodoretus hanc putat eſſe ſententiam, grauem admiſſam eſſe culpam à ſenioribus, cùm Vriam Prophetam ab impio Rege Ioacim interimi paſſi ſunt, neque oportere, occiſo Ieremia, peccatum illud nouo adhuc peccato cumulari. Idem putat ſanctus Thomas, & inclinant alij. Sunt, qui putent, à contrario exemplo ſuadere voluiſſe ſeniores, ne quid ſtrueretur mali Ieremiæ vitæ. Nam Ezechias, qui Michææ nihil afferri mali paſſus eſt, pleno omnium ore laudatur; Ioacim verò, qui B ſecus in Vriam animatus fuit, in publicum odiū, & inuidiam incurrit. Id verò expreſſum non eſt, quia cùm recens eſſet exemplum, & eodem editum anno, nemini ignotum eſſe oportebat: neque viuente, atque præſente Rege, tutum videbatur, aut opportunum, odij, quod in ſe ipſum ex Vriæ cæde conflauerat, in publico illo conuentu meminiſſe. Quod nullo modo Regem latere poterat; præſertim cùm in eo cœtu intereſſent non pauci, qui regium animum in Ieremiæ cædem inflammare ſtuderent; & in offenſionem trahere illorum, qui pro Ieremiæ cauſa laborabant. Satis enim erat, meminiſſe facti apud illos, qui memores erant & vulgi ſermonum, & C offenſionis publicæ. Ex omnibus hæc mihi magis probatur expoſitio: quam indicant Lyra, Dionyſius, Hugo, Maldonatus. 15.

Verſ. 22. *Et miſit Rex Ioacim viros in Ægyptum.*] Cùm Ioacim conſtitutus eſſet pro fratre Ioachaz Rex à Pharaone Nechao, cui populum Iudæorum vectigalem fecerat, facilè ab eo impetrare potuit, vt Vriam, quem, credo, transfugam appellarat, oneraràtque nominibus falſis, illorum manibus traderet, quos ipſe ad comprehendendum Vriam emiſiſſet. Ita putat Hieronymus. 16.

Verſ. 23. *Et percuſſit eum gladio.*] Theodoretus confoſſum Vriam iaculis arbitratur: ſed textus eſt apertus.

D *In ſepulcris vulgi ignobilis.*] Magna apud Hebræos erat ſepulcrorum cura, atque religio: quare ſepulcra nobiles habuêre domeſtica, atque illuſtria, in quæ inferebantur, qui ex eadem eſſent familia, ac ſanguine: pro peregrinis, & qui eſſent ex ignota, atque ignobili plebe, ſepulcra habuêre communia, in quibus confuſa tenuiorum cadauera, aut eorum etiam fortaſſe, qui morte damnabantur, inferrentur: quæ Septuaginta apellant polyandria, & à nobis communiter cœmeteria dicuntur. Nunc à ſenioribus ſepulcra vocantur ignobilis vulgi, ibi non tam conditum eſt, quàm proiectum tanquam vile Vriæ cadauer. 17.

Sepulcra cōmunia, ſeu cœmeteria apud Hebræos.

E Verſ. 24. *Igitur manus Ahican filij Saphan fuit cum Ieremia.*] Si dicamus poſterius hoc exemplum adductum ab iis, qui Ieremiæ cauſam oppugnabant, iam nobis ſuprà expoſita eſt huius loci ſententia: ſin verò hoc quoque à ſenioribus allatum ſit, ne populus ardens in Ieremiæ cædem, manus illi violentas afferret, dicendum videtur, hunc Ahican illud ſeniorum concilium coëgiſſe, cuius conſulto tandem effectum eſt, vt extingueretur illa ſeditio, frangeretúrque impetus furentis populi. Erat autem Ahican vir & 18.

ætate grauis, & auctoritate Princeps, à diebus quoque Ioſiæ, quem cum Pontifice Maximo magnis de rebus conſulturum miſit Ioſias 4.Re- A gum 22.verſu 22. *Et præcepit Helciæ Sacerdoti, & Abican filio Saphan, Ite, conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo.* Hæc de capite vigeſimoſexto.

ARGVMENTVM CAPITIS XXVII.

EXILIVM, & ſeruitutem prædicit Ieremias; tam externis quibuſdam Regibus, quàm Sedeciæ, populóque Iudaico, neque id ſolùm verbis, ſed etiam ſignis. Cùm enim collo inſeruiſſet lora, atque catenas, qualibus boum ceruicibus iugum alligatur, aliáque manibus vincula geſtaret, mittit illa ad Reges quoſdam per ipſorum legatos, qui ad Sedeciam Regem variis de cauſis mandata pertulerant. Quibus edicit, vt ſi ſalui eſſe velint, Babylonicum iugum ſubire non recuſent: ſibi enim iam conſtitutum, illorum prouincias Nabuchodonoſoris poteſtati tradere. Quod etiam edicit Sedeciæ, populóque Solymitano, monétque, ne ſe à pſeudoprophetis deludi ſinant, qui tranquilla omnia pollicētur, vasáque reſtitutum iri clamant à Nabuchodonoſore Iechoniæ tempore ſublata, quod tam dicit fore non implendum, vt etiam, quæ relicta fuerunt tam in templo, quàm in domo regia, totáque ciuitate, diripienda ſint, & Babylonem vſque tranſportanda.

IEREM. CAP. XXVII.

1. *IN principio regni Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda, factum eſt verbum iſtud ad Ieremiam à Domino, dicens:* B

2. *Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo.*

3. *Et mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem filiorum Ammon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis: in manu nunciorum, qui venerunt Ieruſalem ad Sedeciam Regem Iuda.*

4. *Et præcipies eis vt ad dominos ſuos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Hæc dicetis ad dominos veſtros:* C

5. *Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis.*

6. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſerui mei: inſuper & beſtias agri dedi ei vt ſeruiant illi.*

7. *Et ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, &*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. HÆc, quæ capite præcedenti dicta ſunt, contigêre, vt antea diximus, in principio regni Ioacim, quod Ieremias accepit, vt illud poſtea tranſmitteret ad alios.

2. Fac tibi, ait Dominus, in anno primo Sedeciæ, ô Ieremia, vincula, ſeu lora, qualia boues cum iugo geſtare ſolent, & catenas, & illis collum tuum innecte.

3. Et mittes ea ad Regem Edom, & Regem Moab, & ad Reges, qui in Ammonitide, Tyria, & Sidonia regione dominantur, per legatorum manus, qui ab his Regibus ad Sedeciam Regem cum mandatis Hieroſolymam profecti ſunt.

4. Quibus legatis meo nomine præcipies, vt hæc tanquam nuncij à me miſſi ad dominos ſuos mandata perferant:

5. Ego virtute mea, atque omnipotenti brachio terram creaui, & omnia, quæ in terra ſunt, tam homines, quàm iumenta: & ſicut illius auctor ego fui, ſic etiam illi tradidi, cui mihi collibitum eſt.

6. Quare libuit mihi terras omnes poteſtati ſubiicere Nabuchodonoſor ſerui mei, inſuper & beſtias agri, vt illius vſibus, atque imperio ſeruiant.

7. Cui, & filio ipſius Euilmerodach, &

& filio filij eius: donec veniat tempus terræ eius & ipſius: & ſeruient ei gentes multæ, & Reges magni.

8. *Gens autem & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicumque non curauerit collum ſuum ſub iugo Regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus: donec conſumam eos in manu eius.*

9. *Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non ſeruietis Regi Babylonis.*

10. *Quia mendacium prophetant vobis: vt longè vos faciant de terra veſtra, & eiiciant vos, & pereatis.*

11. *Porro gens, quæ ſubiecerit ceruicem ſuam ſub iugo Regis Babylonis, & ſeruierit ei; dimittam eam in terra ſua, dicit Dominus: & colet eam, & habitabit in ea.*

12. *Et ad Sedeciam Regem Iuda locutus ſum ſecundùm omnia verba hæc, dicens: Subiicite colla veſtra ſub iugo Regis Babylonis, & ſeruite ei, & populo eius, & viuetis:*

13. *Quare moriemini tu, & populus tuus gladio, & fame, & peſte, ſicut locutus eſt Dominus ad gentem, quæ ſeruire noluerit Regi Babylonis?*

14. *Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Non ſeruietis Regi Babylonis: quia mendacium ipſi loquuntur vobis.*

15. *Quia non miſi eos, ait Dominus: & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter: vt eiiciant vos, & pereatis tam vos, quàm Prophetæ, qui vaticinantur vobis.*

16. *Et ad Sacerdotes, & ad populum iſtum locutus ſum, dicens: Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba Prophetarum veſtrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vaſa Domini reuertentur de Babylone nunc citò: mendacium enim prophetant vobis.*

A Balthaſſari nepoti ſeruient omnes gentes, quæ ſanè multæ erunt: neque ab iis Reges etiam magnos excipio, donec tandem ſeptuageſimo abhinc anno tempus adueniet, in quo ipſius quoque regna ſimile ſubeant infortunium.

8. Si qua verò gens, & regnum Nabuchodonoſor imperium detrectauerit, ipſiſque iugo collum ſubmittere noluerit, gladio, peſte, ac fame inſectabor gentem illam, donec per Chaldæorum manum omnino deleam.

B 9. Vos ergo cauete, ne fidem habeatis Prophetis veſtris, aut his, qui per ſomnia, auguria, maleficia, præſagire ſe, ac prænoſſe putant futuros rerum euentus: qui vos ab omni liberant metu, dicúntque, nunquam fore, vt Babylonicum ſubeatis imperium.

10. Id enim faciunt veteratores iſti, dum fallacibus iactant, atque ſeducunt vaticiniis, vt vos in alienos fines exules amandent, atque omnino perdant.

11. At qui ceruicem ſuam Babyloni-co ſummiſerint iugo, & Nabuchodono-
C ſoris vltrò parere voluerint imperio, in ſuis relinquentur ſedibus, ibíque ſicut antea liberi & agros colent, & domos habitabunt.

12. Talia deinde mandata detuli ad Sedeciam Regem Iuda, qualia proximè ad nationes externas, nempe, vt admittant vltrò Nabuchodonoſoris, & ſeruorum eius, Chaldaicæ denique gentis imperium, ſi ſuæ vitæ ſatis conſultum eſſe velint.

13. Quare, ô Sedecia, patieris, vt tu cum toto populo, ſicut aliis gentibus
D prædictum eſt, quæ ſubire noluerint Babylonicum iugum, fame, peſte, ac ferro moriaris.

14. Nullo modo aures adhibete obſequentes, & faciles ad Prophetarum voces, quæ vos ſecuros eſſe iubent à Chaldæorum armis, quia mendaci vos vaticinio ſeducunt.

15. Quia cùm à me mandatúm nullum habeant, ſuis tamen ſomniis, atque fallacibus nugis nominis mei fidem, & ſanctitatem prætendunt. Et hac inani
E falſi nominis vmbra id effecerunt, vt tam vos, quàm qui falſa ſomniarunt oracula, pereatis.

16. Quemadmodum ad Sedeciam, ſic etiam ad Sacerdotes, & ad reliquos è populo, in eundem modum loquutus ſum. Nolite, dicit Dominus, Prophetarum veſtrorum verbis attendere, qui pro veris oraculis mendacia vobis venditant, & meras nugas. Dicunt enim, quaſi actum

A iam eſſet de re Babylonica, vaſa, quæ de templo tranſlata ſunt, à victore Chaldæo, quamprimùm in ſuam ſedem fore vendicanda: mendacibus enim blandiuntur promiſſis, lactántque populum expectatione vacua.

17. *Nolite ergo audire eos, ſed ſeruite Regi Babylonis, vt viuatis: quare datur hæc ciuitas in ſolitudinem?*

17. Ab auribus igitur veſtris illorum voces longè reſpuite, & ſi vitam veſtram conſeruare eſt animus, Regi potiùs ſeruite Babylonis. Quid enim patiemini, vt excindatur ciuitas, & in vaſtam redigatur ſolitudinem?

18. *Et ſi Prophetæ ſunt, & eſt verbum Domini in eis: occurrant Domino exercituum, vt non veniant vaſa, quæ derelicta fuerant in domo Domini, & in domo Regis Iuda, & in Ieruſalem, in Babylonem.*

18. Quòd ſi hi, qui verbum ſe Dei ac- B cepiſſe prædicant, Diuino afflati Spiritu verba fundunt, efficiant orando, aut alio quouis modo flectendo Deum, ne reliqua vaſa, quæ in templo ſunt, ac domo regia, & in Ieruſalem, prædæ ſint hoſtibus, & ne cum aliis Babyloniam quoque transferantur.

19. *Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, & ad mare, & ad baſes, & ad reliqua vaſorum, quæ remanſerunt in ciuitate hac:*

19. Quod ſanè, vt maximè contendant, non efficient, quia hæc vt Dominus de vaſis, quæ poſt victum Ioacim, & tranſlatum Iechoniam, relicta ſunt in templo, de mari videlicet æneo, de baſibus, & vaſis, quæ relicta ſunt in vrbe.

C

20. *Quæ non tulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, cùm transferret Iechoniam filium Ioakim Regem Iuda de Ieruſalem in Babylonem, & omnes Optimates Iuda & Ieruſalem.*

20. A quibus abſtinuit Nabuchodonoſor, cùm Iechoniam filium Ioacim, & Optimates, ac Principes Ieruſalem tranſtulit in Babylonem.

21. *Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël ad vaſa, quæ derelicta ſunt in domo Domini, & in domo Regis Iuda & Ieruſalem:*

21. Quia ſic ait Dominus Deus exercituum, de vaſis, quæ in domo Domini, & in domo Regis, atque in tota Hieroſolyma derelicta ſunt:

22. *In Babylonem transferentur, & ibi erunt vſque ad diem viſitationis ſuæ, dicit Dominus, & afferri faciam ea, & reſtitui in loco iſto.*

22. In Babylonem hæc omnia transferentur, neque inde reducentur, donec tempus adueniat, quod Deus Chaldæorum ſupplicio, ac vaſtitati deſtinauit. Tunc enim, dicit Dominus, in ſuam ſedem poſtliminio redibunt.

IN

IN CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *In principio regni Ioacim filij Ioſiæ.*]

1. IN ipſo ſtatim exordio occurrit, in quo neceſſariò nobis hærendum, atque immorandum ſit. Nam verbum factum eſſe dicitur ad Ieremiam in principio regni Ioacim, quod tamen verbum ad Regem ipſum Ioacim non pertinebat, ſed ad eius fratrem Sedeciam, qui vndecimo pòſt anno abducto in Babylonem Iechonia regnum ſuſcepit: quæ non ſatis videntur conſtare poſſe. Quidam exiſtimant, accepiſſe verbum illud à Domino, vt poſt annum vndecimum illud Sedeciæ denunciaret. Illorum quidam aſſerunt, & omnes meo iudicio affirmare debent, per vndecim illos annos Prophetam catenas illas, ſeu vincula geſtaſſe ad tempus vſque Sedeciæ. In his ſunt Doctores quidam Hebræorum, quos citat Lyra, ſequitúrque, & cum ipſo alij, quibus Rabbinorum ſententia non ſemper diſplicet, quales ſunt Iſidorus, & Vatablus, quibus etiam Caſtrus ſubſcribit. Neque huic cogitationi ratio deeſt, eáque non infirma: nam communiter hæc pars ita diſtinguitur, vt non tam ad vigeſimumſextum, quàm ad vigeſimumſeptimum caput pertinere videatur. Neque id tantùm apud Vulgatum, ſed etiam apud Chaldæum Paraphraſten, immo apud Septuaginta in quibuſdam codicibus, vbi hæc reperiuntur (nam apud Septuaginta initium huius capitis deſiderari Hieronymus docet) vt ex Theodoreto non obſcurè conſtat. Deinde, quia cùm in exordio vigeſimiſexti capitis hæc eadem verba præceſſiſſent, non apparet vlla idonea ratio, cur ad extremum capitis eiuſdem iterari debuerint. Tandem, quia illud, *dicens*, pertinere videtur ad id, quod ſubſequutum eſt, potiùs quàm ad illud, quod antè fuerat à Propheta propoſitum.

2. Alij capiti vigeſimoſexto attexũt, & inchoandum eſſe caput vigeſimumſeptimum exiſtimant ab illis verbis: *Hæc dicit Dominus ad me.* Ita cenſet Hieronymus, & cum eo Rabbanus, Dionyſius, Hugo, Maldonatus, & Emanuel Sà, quorum mihi ſententia vehementer placet. Nam cùm in hoc capite nullum dicatur verbum factum ad Ioacim, ſed tantùm ad Sedeciam, legatóſque vicinarum gentium, non apparet, cur eo tempore de euentu longè pòſt futuro mandatum hoc Propheta à Domino ſuſcipere debuerit. Onuſtum autem tot annis incedere Prophetam, & illigatum iugo, durum videtur eſſe mandatum, neque, credo, Scriptura aliis locis ſiluiſſet, cùm ad tempus vſque Sedeciæ, ſæpe cum populo, atque Principibus egiſſet Ieremias; neque id tuliſſent Sacerdotes, atque Prophetæ falſi, cùm habitus ille ſeruitutem portenderet ciuitati, ſicut capite ſequenti ab Hanania Propheta falsò ſublata fuiſſe traditur, & fracta catena de collo Ieremiæ. Neque leuis eſt Hieronymi ratio, quia hæc verba in principio capitis vigeſimiſeptimi, apud Septuaginta non reperiuntur: ſcio reperiri A in Complutenſi codice, & id non obſcurè colligi ex Theodoreto; ſed codices alij partem illam non habent, neque antiqui Patres agnoſcunt; & nunc abiiciunt Sixtiani codices, quorum apud me grauiſſima eſt auctoritas.

3. Neque video, quòd tanti momenti pondus habeant rationes oppoſitæ, vt in contrariam partem ſententiam noſtram inclinare debeant: conſtat enim, diſtinctionem capitum non eſſe factã ab Auctore canonico, ſed longè poſt. Quare antiqui Patres in Scriptura ſacra non capita citabant, quia nullis tunc capitibus erat Scriptura ſacra diſtincta, ſed verba, vel ſententias, vel tractum aliquem verborum. Quomodo Auguſtinus dicit, ſe ſcripſiſſe à principio Geneſeos, B vſque ad expulſionem primorum Parentum de paradiſo. Gregorius à principio libri Regum, vſque ad Dauidis Regis vnctionem. Hoc tempore nos diceremus, cùm in capita Scripturam diſcretam habeamus, *Tria priora capita Geneſeos, &, libri primi Regum priora capita.* Quòd verò capitum partitio cum ipſa Scriptura ſacra nata non ſit, ſuadet præter alia plurima, quòd hæc neque omni tempore, neque eodem apud omnes modo diſtributa ſit. Adi Oecumenium, Euthymium, Aretham, & quàm illorum diſtinctio à noſtra diſſentiat, conſidera. Vide Sixtum Senenſem libro 3. Bibliothecæ, titulo, *De Partitione methodus quarta*, vbi in hanc ſententiam plurima, neque ineruditè. Non igitur mirum, neque inuſitatum, ſi cùm tam varia, ac multiplex fuerit C Scripturæ partitio, quæ diſſecta ſunt titulis, materia conueniant. Sanè, quæ in tranſlatione Latina in fine ponuntur capitis 2. Actuum, illa Græci codices principio ſtatuunt capite 3. & quæ apud Iſaiam capite 15. ponuntur in fine, illa à multis exiſtimantur principium eſſe capitis 16. & ſimilia occurrent in Scriptura non raro. Neque ratio deeſt, cur iterari potuerit deſignatio temporis, in quo prophetia illa ſeuerior, de qua capite 26. Ioacim Regi denunciata ſit, quia plurimi intererat, noſſe ſtatim, atque regnum initum fuit, admonitum eſſe Regem, vt ſibi, & ciuitati caueret, ne diceret ſibi maturè non prædictum. Quæ autem infixa mentibus eſſe volumus, illa bis, & nonnunquam ſæpius iteramus. D Oportebat autem, vt notum eſſet omnibus, quibus ignotum eſſe non poterat Regis ſupplicium, quàm iuſtè expendiſſet pœnas, qui tam maturè admonitus à Deo, tam durè in Ieremiam, & Vriam Prophetas eſſet inuectus. Quod ad extremum opponunt illud, *dicens*, non aptè cum antecedentibus componi, multò minùs vrget, quàm qui contrà ſentiunt, arbitrantur. Immo ſi eo ſenſu accipiamus, quo ipſi volunt, non poſſet ſententia inepta non videri. Nam ſi, *dicens*, id ſimpliciter valet, quod ſonat, nempe quod, quæ proximè ſequuntur, dicat; quomodo id verum eſſe poteſt, cùm ea, quæ ſequuntur, non à Domino, ſed à Ieremia dicta ſint? nempe, *Hæc dicit*

Diſtinctio capitum in Biblijs non eſt ab Auctore canonico.

4. *Dominus ad me.* Ego illud, *dicēs*, Hebraicè לאמר *le-*
mor, cum *verbo Domini* coniungo, quod millies in
Scriptura reperitur, quaſi hæc vox proprium ſit
quaſi epitheton prophetiæ. Eſt autē לאמר *lemor*,
gerundium accuſatiui, vt docet ל *lamed* infinitiuo
præpoſitum, quaſi dicas, *ad dicendum*, in hanc reor
ſententiam: Hoc eſt verbum Domini Ieremiæ di-
ctum, vt illud ipſe poſtea ad alios tranſmitteret.
Sic credo exponendum eſſe illud לאמר *lemor*, ma-
ximè quando id ſequitur, quod à Domino di-
ctum non eſſe conſtat; vt hoc loco: *Hæc dicit*
Dominus ad me. & ita Pagninus in Lexico, ad ra-
dicem אמר exponit illud Exodi 6. verſu 10. *Loqu-*
tus eſt Dominus ad Moyſē, לאמר *lemor*, id eſt, *vt diceret*
filiis Iſrael. Et iterum eodem cap. verſu 29. vbi vi-
detur ſentire, in huiuſmodi locis eodem modo
gerundium illud exponi oportere.

5. Verſ. 2. *Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas*
in collo tuo.] Prophetabant interdum viri Dei non
verbis ſolùm, ſed hieroglyphicis ſignis, vt in
Iſaia nudo, & in grandi volumine pauciſſimis
exarato verbis, & in Ezechiele in vaſis tranſmi-
grationis, & in aliis Prophetis ſæpe, & in Iere-
mia non ſemel obſeruamus. Vt autem onuſtus
Ezechiel vaſis tranſmigrationis ſolum eſſe ver-
tendum, ſic conſtrictus vinculis Ieremias ſubeū-
dam Iudæis fore ſeruitutem portendit. Pro *vin-*
culis, Hebraicè eſt מוסרות *moſeroth*, quæ quia ſæpe
in Scriptura ſacra cum iugo copulantur, veriſi-
mile eſt, hoc loco pro loris vſurpari, quæ iugum
ceruicibus aſtringunt. Pro *catenis*, Hebraicè eſt
מוטות *mototh*, cuiꝰ ſignificatio paulò eſt obſcutior.
Hieronymus eas eſſe putat, quas boias appellant
Latini, & Græci κλοίας. Sunt autem boiæ, vt au- *Boiæ quid?*
ctor eſt Iſidorus libro 5. Etymologiarum, titulo,
de pœnis in legibus conſtitutis, torques damnatorum,
quaſi iugum boum, quam puto Latini furcam
appellant, cui in traductione rei ad ignominiam,
& ludibrium, collum inſerunt: vnde furciferi no-
6. men frequens in conuitiis. Plutarchus in quæ-
ſtionibus Romanis, familiare eſſe dicit apud
Romanos ſupplicium, vt alligati furca per loca
traducantur publica: id verò ſatis indicat, quòd
catenæ, id eſt, boiæ capite ſequenti dicuntur eſſe
ligneæ. Et quia cùm legatis porrigeret id, quod
in collo geſtabat, & in manibus, addidit, *Quicun-*
que non curuauerit collum ſub iugo Regis Babylonis, &c.
quod ſæpius repetit in hoc capite. Incedebat er-
go Ieremias cum furca, aut iugo, tanquam ſer-
uus ignominioſè traductus, aut ſicut bos ad iu-
gum, ſiue ad plauſtrum ligatus: quod ſymbolum
erat duræ, atque ignominioſæ ſeruitutis.

7. Hoc iugum, & lora conſtrinxêre Chaldæi, vt
qui nobilem, atque ingenuam ſeruitutem ſubire
noluerunt ſub Deo magis benigno Domino, ſub
duro, atque inexorabili ſubeant ærumnoſam, &
ſordidam. De his per Ieremiam dixerat capite 2.
verſu 20. *A ſæculo confregiſti iugum meum; rupiſti*
vincula mea; dixiſti: Non ſeruiam. Eiſdem nunc per
eundem Prophetam iugum minatur durum,
ignobile, diuturnum.

8. Verſ. 3. *Et mittes eas ad Regem Edom, & Regem*
Moab, &c. in manu nunciorum, qui venerunt Ieruſa-
lem ad Sedeciam.] Non tantùm deſignatus eſt Ie-
remias Iudæorum Propheta, ſed etiam Gentium,
vt in eius inſtitutione, & quaſi conſecratione
vidimus capite 1. *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes,*
& ſuper regna, &c. Quare, vt ſuis poſtea locis
explicabimus à capite 46. multa contra nationes
iſtas, ac dura prædixit, ad quas modò per lega-
A torum manus vincula mittit, & catenas. Eſt au-
tem veriſimile, cum audiiſſent vicini populi,
adornari Chaldæorum exercitum, & iam iam
geſtire à ſuis finibus erumpere in alienos, miſiſ-
ſe ad Sedeciam legatos de pace, ſocietatemque
contra communem hoſtem: aut certè, quod vi-
detur veriſimile magis, miſſos eſſe legatos ad
Sedeciam ſtatim, atque regnum iniit, primo
ſcilicet anno gratulandi cauſa, quod officium vi-
cini Reges omittere non ſolent. Hæc verò con-
tigiſſe anno primo Sedeciæ, dicemus ſtatim in
principio capitis 28. Ad quos Ieremias, quemad-
modum ad Sedeciam ipſum, vincula tranſmittit,
& iugum, ſeu furcam. Eſt autem mihi veriſimile,
B geſtaſſe quidem Ieremiam in collo iugum, & lo-
ra, quaſi bos ad aratrum, aut ſeruus ad ignomi-
niam: geſtaſſe autem furcas plures, & vincula in
manibus, aut humeris, quæ regiis legatis ad do-
minos porrigeret, per quos ediceret, ſi Chal-
dæorum Regi ſeruire recuſent, extremam ſub-
eundam eſſe fortunam: ſicut Sedeciæ, cui iugum
etiam, atque catenas obtulit.

Verſ. 4. 5. & 6. *Hæc dicetis ad dominos veſtros:* 9.
Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ ſunt ſu- *Nabuchodonoſor à Deo*
per faciem terræ, &c. & dedi eam ei, qui placuit in *Gentem obtinuit, &*
oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas *regna.*
in manu Nabuchodonoſor Regis.] Primùm ſuadet
Dominus à poſſibili, vt aiunt Rhetores, dum ſe
rerum omnium auctorem oſtendit, qui & fe-
C cit omnia ſine aliorum adminiculo, & pro ſuo
arbitratu liberè, cuicumque voluerit, imperti-
tur. Vt autem cuncta prius aliis, atque aliis, ſic
modò illorum Principum, quorum tunc legati
Hieroſolymis erant, prouincias Nabuchodono-
ſori largitus eſt, cuius poteſtati, cui adeſt Diuina,
reſiſtere nemo poteſt. Quæ ratio tam Sedeciæ,
quàm aliis Regibus, ſi ſaperent, perſuadere de-
buit, ne quid contra Chaldæos, qui, auctore, at-
que auſpice Deo, dimicabant, aduerſum moli-
rentur, ſed vltrò illorum iugum ſeu imperium
ſubirent.

Verſ. 7. *Et ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, &* 10.
filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius.] Multi
D multa dicunt de Regibus, qui a Nabuchodono-
ſor, a quo euerſa fuit Ieruſalem, ad imperij Ba-
bylonici finem regnauerunt; quorum ſententias
hîc connumerare longus eſſet, & inanis labor:
cùm id vſque adeò apertè Ieremias oſtendat, vt
nemo paulò attentior ignorare poſſit, nemo pius
dubitare debeat. Omiſſis igitur aliis, dicendum *Imperium*
eſt, tres tantùm Reges imperium tenuiſſe Baby- *Babylonicū*
lonicum, quorum primus fuit Nabuchodonoſor, *tres tantùm habuit Re-*
de quo in noſtro Propheta frequens mentio; ſe- *ges.*
cundus Euilmerodach, vt conſtat ex capite 52.
Ieremiæ, & ex libro 4. Regum capite 25. tertius
fuit Balthaſar, vt ex Daniele capite 5. conſtat,
cuius anno tertio à Cyro Perſa, & à Dario
E Medo euerſa fuit Babylon, & ſoluta captiuitas,
vt eſt communis Hebræorum traditio. Tunc ve-
rò tempus venit Babyloniis extremum, quod
non ſemel à Ieremia prædictum; poſt ſeptuage-
ſimum nempe annum, ex quo Iudæi, vicinique
populi in Chaldæorum exilium captiui commi-
grarunt.

Ex his conſtat, quod pluribus antea probaui- 11.
mus, capite... cum Iudæis alias quoque nationes
& captas eſſe, & ab exilio ſolutas, omnes quippe
gentes, illas nempe, ad quas per nuncios vincula
mittuntur, & catenæ, ſeruituræ dicuntur tribus
Chaldæorum Regibus, quorum ætate ſeptua-
ginta

ginta annorum circulus definitus eſt. Vide, quę de harum gentium libertate diximus ſupra ad illud capitis...

12. *Et ſeruient ei gentes multæ, & Reges magni.*] Otioſum alicui, & minùs ex arte videri poſſet, quòd cùm omnes gentes priùs ſeruituræ dicantur Babylonio, nunc addantur *gentes multæ*, quaſi *in omnibus* non eſſent *multæ* comprehenſæ. Sed eſt ſolutio facilis, ex linguæ ſanctæ conſuetudine, quę in *omnibus*, aut *vniuerſis* nõ omnia omnino, & vniuerſe ſignificat: ſed accõmodatè ad ea, de quibus ſermo eſt. Cõſtat, nõ omnes gẽtes Nabuchodonoſori ſeruiiſſe, non Romanas, non Britannicas, aut Germanas, quare has vox illa *omnes*, non amplectitur. Seruierunt autem Idumæi, Ammonitæ, Tyrij, &c. de quibus proximè Ieremias egerat, & ad quos ſeruitutis ſymbola mandarat. Hæ omnes gentes ſeruituræ dicuntur, quia de his tantùm inſtitutus ſermo, & productum vaticinium. Reges verò magni, & gentes multæ alij ſunt ab his: nam Ægyptij, & Æthiopes, Ælamitæ, & Medi, ſubiugati ſunt à Babylonio, & facti vectigales. Quare otioſa non ſunt, quæ videbantur ſileri potuiſſe.

13. Verſ. 9. *Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non ſeruietis Regi Babylonis.*] Veriſimile eſt, nationes illas, quarum legati Hieroſolymis erant, cùm de armorum motu rumorem accepiſſent, à ſuis diis reſponſa petiiſſe de rerum euentu. Quare ſicut Sedecias falſos conſuluit Prophetas, ſic alij augures, alij diuinos, alij ſomniatores, & maleficos adierunt, vt ſua quiſque arte præſagiret, prædiceretque, quid ſperare populus, aut timere poſſet. Quia verò omnes eodem afflabantur, aut lactabantur ſpiritu, mendaci nempe, vtpote diabolico, ab omni metu, immo ab omni bellorum ſuſpicione ſollicitum, ac mœrentem populum liberabant: dicebántque nunquam fore, vt libera, atque ingenua ceruix iugum ſubiret Babylonicum. Quorum ſe fraudibus opponit Propheta, prædicítque, ſi ſuis rebus bene conſultum eſſe velint, vt vltrò admittant iugum, ne ſubacti armis multò moleſtius ſubire compellantur inuiti.

14. Verſ. 10. *Quia mendacium prophetant vobis, vt longè vos faciant de terra veſtra.*] Illud, *vt*, non importat finalis cauſæ pondus, ſed euentum oraculi fallacis: neque enim id agebant veteratores illi, atque mendaces Prophetæ, ſomniatores, & augures, dum ſuis ſomniis, ac nugis haberi fidem poſtulant, vt contribules ſuos in alienos fines exules emandent, cùm illius ipſi calamitatis expertes eſſe non potuerint. Ex eorum tamen fallaci, aut ſtulta perſuaſione effectum eſt, vt alienas viderent regiones, & alienum item ſubirent dominatum.

15. Verſ. 11. *Porro gens, quæ ſubiecerit ceruicem ſuam ſub iugo Regis Babylonis, & ſeruierit ei, dimittam eam in terra ſua.*] Ex ſeruitute vltrò Babyloniis oblata id conſequentur commodi populi ſubiecti, vt impoſitis ab hoſte ſuperiori tributis, in ſua relinquantur ſede, ibique ſicut antè liberi & agros colant, & domos inhabitent.

16. Verſ. 12. *Et ad Sedeciam Regem Iuda loquutus ſum ſecundùm omnia verba hæc dicens: Subiicite colla.*] Quidam reſpondere putant Ieremiam tacitæ legatorum cogitationi, qui ſubindignari poſſe videbantur, quòd ad ipſos tantùm verba fecerit; neque vllus ad Sedeciam ſermo, aut Sacerdotes,

A cùm tamen ipſi quoque communi conſilio ſtatuiſſent, congrediendum eſſe ferro cum Babyloniis: neque defuiſſent Hieroſolymis Prophetæ mendaces, & ſomniatores, qui Regem, & populum in veſana illa cogitatione confirmarent. Quibus reſpondet Propheta, iam ea de re cum Rege, ac Sacerdotibus ſe fuiſſe locutum; iterátque verba, quæ ad ipſos olim, & nuper ſępius habuiſſet. Eſt quidem iſtud veriſimile, veruntamen non video, cur non hæc primùm in hoc eodem temporis veſtigio dicta videantur Sedeciæ Regi, & populi Principibus. Neque hactenus quidquam video Regi à Ieremia propoſitum; quæ ratio apud hunc Prophetam, non eſt admodum B grauis, qui res geſtas, aut accepta vaticinia non eodem diſponunt ordine, quo contigerunt; veruntamen ex eo ſilentio, quod ad hunc vſque locum de Sedecia ſeruatum eſt, nónnulla ſumitur coniectura. Erit ergo ſententia, iuxta illa, quæ Gentium legatis propoſita ſunt, Sedeciæ quoque ac Sacerdotibus annunciatum eſſe, vt admiſſo vltrò Babylonico iugo, ſibi, publicíſque rebus maturè conſulant: cætera obſcura non ſunt.

17. Verſ. 16. *Ecce vaſa domus Domini reuertentur de Babylone nunc citò.*] Antequam Sedecias Iechoniæ ſucceſſiſſet in regno, ablata fuerant in Babylonẽ templi vaſa non pauca, eáque maximè pretioſa, vt conſtat ex 4. Regum capite 24. *Protulit inde* C (Nabuchodonoſor) *omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus regiæ, & concidit vniuerſa vaſa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Iſraël in templo Domini, iuxta verbum Domini.* Neque pauca priùs ſuſtulerat vaſa, ſub Ioacim, vt habes Danielis capite 1. *In anno tertio Regis Ioacim, Regis Iuda, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioacim Regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei, & aſportauit ea in terrã Sennaar in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui.* Illa ergo vaſa iam antè ſublata reſtitutum iri clamabant Prophetæ falſi à Nabuchodonoſor, adeò illum non eſſe formidandum prædicabant. Illorum igitur nugis credendum eſſe negat à Solymitanis, niſi actum eſſe velint D de re Iudaica.

18. Verſ. 18. *Et ſi Prophetæ ſunt, & eſt verbum Domini in eis, occurrant Domino exercituum, vt non veniant vaſa, quæ derelicta fuerant, &c.*] Tam longè eſt, vt ablata priùs vaſa reſtituantur, vt neque iis, quæ reliqua fuerant in templo, parcendum ſit à Babyloniis. Quare ſi hi, qui verbum ſe Dei accepiſſe dictitant, efficere potuerint, orando, aut alio quouis modo flectendo Deum, ne reliqua ſacri templi vaſa prædæ ſint hoſtibus, ſpiritu illos arbitrabitur afflatos Diuino. Quod ſanè non facient, quia ipſorum oratio pondus habet nullum: neque Deus ab eo, quod in peruicacem populum ſtatuerat, cogitationem abducet.

19. E Verſ. 19. *Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, & ad mare, & ad baſes, & ad reliqua vaſorum, &c.*] Hæc relicta fuerant in templo poſt victum Ioacim, & tranſlatum Iechoniam; quæ idẽ expectat exitus, qui ſuperiora: auehentur enim ipſa quoque in Babylonem. Porro hîc non loquitur Propheta ad vaſa per proſopopœiam; ſed de vaſis transferendis. Eſt enim in Scriptura ſacra non infrequens, vt *ad*, & *in*, adhibeatur pro *de*. Ex multis pauca nunc exempla accipe. Marci 9. *Quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis.* id eſt, de Filio hominis. *Lucæ 19. Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* id eſt, *de eo.* non enim ſermo ad Zachæum

REGVLA. Ad, & in, pro, de. Marci 9. Lucæ 19.

Zachęũ dirigebatur, ſed ad alios, qui loquẽti aderant. Ad Hebræos cap. 1. *Et ad Angelos quidem dicit:* ideſt, de Angelis. & capite 4. *Ad quem nobis ſermo.* ideſt, de quo. Sic Actorum capite 2. *Dauid quidem dixit in eum.* ideſt, de eo. Sic ergo hîc, *Ad columnas, ad mare, & ad baſes.* idem eſt, quod de columnis, de mari, de baſibus. Quomodo verò hæc omnia in Babylonem fuerint à Chaldęorum Rege tranſlata, habes apud hunc Prophetã cap. 52. & libro 4. Regum capite 25. verſu 13. & 16.

ad Hebr. 1. Actor. 2.

20. Verſ. 22. *Vſque ad diem viſitationis ſuæ, dicit Dominus, & afferri faciam ea.*] Triſtibus ſuo more Deus læta ſubiungit. Omnia templi vaſa tranſ- A portanda ad alienum ſolum minatur Propheat, ſed eadem aliquando in ſuas ſibi ſedes reditura promittit. Vtrunque verò factum eſt, ablata quippe ſunt, vt nuper diximus, ſed eſſe reſtituta à Cyro Perſarum Rege, iam re Babylonica potito, cùm laxata captiuitate, Iudæi reſpirare cœperant, docet Eſdras libro 1. capite 1. verſu 7. & capite 6. verſu 5. vbi in decreto de Iudæorum libertate hæc etiam adduntur: *Sed & vaſa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor tulerat de templo Ieruſalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referantur in templum in Ieruſalem, in locum ſuum.* Hæc de capite vigeſimoſeptimo.

ARGVMENTVM CAPITIS XXVIII.

OSTENDIT primùm Ieremias, quo tempore acciderit quod præcedenti capite traditum eſt, de vinculis, & catenis, anno nempe primo regni Sedeciæ: ſtatim verò annò quarto eiuſdem regni, Hananias pſeudopropheta libertatem prædicit captiuorum, & referenda vaſa à Babylonis Rege quondam ablata, & illius omnino confringendam eſſe potentiam. Cuius vaticinium mendacij coarguit Ieremias, & dicit, ipſius prophetiæ fidem exitu fore confirmandam; ſicut aliorum Prophetarum oracula à rerum euentu fidem acceperunt. Nihilo tamen à priore mente alienior Hananias ſignis portendit, quod verbis antea ſignificarat: confracto námque iugo, quod in collo geſtabat Ieremias, frangendum dicit eſſe iugum, quod Babylonius omnium gentium ceruicibus impoſuit. Cúmque iam diſceſſum moliretur Propheta, reuocatur à Deo, iubetúrque, vt quæ antea de terrarum omnium exitio, ac ſeruitute prædixerat, illa iterum magis ſignificanter ingeminet. Ad extremum mortem Hananiæ eodem anno prædicit, & vaticinij fidem exitus probauit. Quia verò filum facilè contexitur, non putaui caput hoc indigere Paraphraſi.

IEREM. CAP. XXVIII.

1. *ET factũ eſt in anno illo, in principio regni Sedeciæ Regis Iuda, in anno quarto, in menſe quinto, dixit ad me Hananias filius Azur Propheta de Gabaon, in domo Domini, coram Sacerdotibus & omni populo, dicens:*

2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Contriui iugum Regis Babylonis.

3. Adhuc duo anni dierum, & ego referri faciam ad locum iſtum omnia vaſa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis de loco iſto, & tranſtulit ea in Babylonem.

4. Et Iechoniam filium Ioakim Regem Iuda, & omnem tranſmigrationem Iuda, qui ingreſſi ſunt in Babylonem, ego conuertam ad locum iſtum, ait Dominus: conteram enim iugum Regis Babylonis.

5. Et dixit Ieremias Propheta ad Hananiam Prophetam in oculis Sacerdotum, & in o- B *culis omnis populi, qui ſtabat in domo Domini.*

6. Et ait Ieremias Propheta: Amen, ſic faciat Dominus: ſuſcitet Dominus verba tua, quæ prophetaſti: vt referantur vaſa in domum Domini, & omnis tranſmigratio de Babylone ad locum iſtum.

7. Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vniuerſi populi:

8. Prophetæ, qui fuerunt ante me, & ante te ab initio, & prophetauerunt ſuper terras multas, & ſuper regna magna de prælio, & de afflictione, & de fame.

9. Propheta, qui vaticinatus eſt pacem: cùm venerit verbum eius, ſcietur Propheta, quem miſit Dominus in veritate.

10. Et tulit Hananias Propheta catenam de collo Ieremiæ Prophetæ, & confregit eam.

11. Et ait Hananias in conſpectu omnis po-

puli, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonoſor Regis Babylonis poſt duos annos dierum de collo omnium gentium.

12. Et abiit Ieremias Propheta in viam ſuam. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, poſtquam confregit Hananias Propheta catenam de collo Ieremiæ Prophetæ, dicens:

13. Vade, & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contriuiſti: & facies pro eis catenas ferreas:

14. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Iugum ferreum poſui ſuper collum

A *cunctarum Gentium iſtarum, vt ſeruiant Nabuchodonoſor Regi Babylonis: & ſeruient ei: inſuper & beſtias terræ dedi ei.*

15. Et dixit Ieremias Propheta ad Hananiam Prophetam: Audi Hanania: non miſit te Dominus, & tu confidere feciſti populum iſtum in mendacio.

16. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: aduersùm enim Dominum locutus es.

Et mortuus eſt Hananias Propheta in anno illo, menſe ſeptimo.

IN CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Et factum eſt in anno illo, in principio regni Sedeciæ Regis Iuda, in anno quarto, in menſe quinto.*]

1. HIc tantiſper hæreamus oportet, exploremúſque quomodo hæc contingere potuerint in principio regni Sedeciæ, cùm tamen quarto illius anno accidiſſe dicantur. Aliqui, in quibus eſt Vatablus, quart m opinantur annum, non regni Sedeciæ, ſed hebdomadis, quæ remiſſionis appellatur: nam, cùm ſeptimus quiſque annus ſabbatarius ſit, in quo à ſemente vacare terra debeat, illius hebdomadæ notabantur anni. Qui ergo primus fuit regni Sedeciæ, idem hebdomadis quartus erat; ita vt tertio pòſt anno terræ concederetur otium, aut ſabbatiſmus. Aut cèrtè cùm Leuitici capite 25. ſeptem annorum hebdomades numerentur, quibus exactis reuertebatur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque ad familiam priſtinam redibat, exiſtimat Vatablus, quartum illum annum eſſe hebdomadis ſeptimæ, qui proximus erat & libertati hominum, & poſſeſſionis abalienatæ vindiciis. Cui ſententiæ nonnihil fauet quod capite 33. iuſſit Dominus, *vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam, Hebræum, & Hebræam, liberos.* Veruntamen, quia hæc obſeruatio, ac computatio temporum inuſitata eſt, ſententia hæc mihi probari non poteſt. Aliam rationem expediendi nodi adducit Rabbi Salomon, vt refert, immo & probare videtur Lyra, ſed planè nata eſt è Rabbinorum cerebro, quibus familiare eſt, cùm emergere è difficultate non poſſunt, aliquid confingere, à quibus ſi rationem exquiras, quid reſpondeant, promptum nihil habent, niſi fabuloſum. Miror quibuſdam è noſtris illud placuiſſe.

2. Ego duobus modis explicare poſſe videor impeditum nodum: prior, ſi cum Hugone, ac Dionyſio, quartum illum annum principium eſſe dicamus regni Sedeciæ. Cùm enim ſpatia quælibet temporũ in tres partes communiter diſtribuantur, in principium, medium, & finem: ad principium ſpectant, quæ ad tertiam ſpatij partem pertinere videntur. Vixiſſe conſtat in regno Sedeciam vndecim annos, cuius ſpatij tertiam

Spatium quodlibet temporum in tres partes diſtribuitur.

B partem conſtituunt tres anni, & octo menſes: at minori ſpatio à regni principio contigiſſe dicuntur, quæ hoc loco commemorantur à Propheta, menſe videlicet quinto anni quarti, quod ſpatium eſt trium annorum, & quinque menſium. Et quemadmodum nemo improbaret hanc loquutionem, ſi quod accidit octauo Sedeciæ anno, in fine illius regni contigiſſe diceret: ſic neque hanc, quam habes in hoc capite, ſi in principio factum arbitrere, quod poſt tres annos, & menſes à principio quinque factum eſt.

In hac ego explicatione duri nihil video: ſed 3.
aliam eſſe puto expeditam magis, & in qua, credo, libentiùs acquieſcat attentus animus. Partem primam capitis 27. pertinere diximus ad caput 26. Quare quo tempore verbum acceperit Ieremias à Domino, iuſsúſque fuerit catenas illigare collo ſuo, non audieramus. Id ergo nunc in principio capitis 28. facit Propheta, quod prorſus pertinere cenſeo ad caput 27. ita vt fini capitis ſuperioris attexatur illud: *Et factum eſt in anno illo, in principio regni Sedeciæ Regis Iuda*, id nempe, quod narratum antè fuerat. Deinde caput 28. ab illis incipiat verbis: *In anno quarto*, &c. ita vt iugalia vincula, & furcam Ieremias acceperit anno Sedeciæ primo, dederítque Regi tunc primùm in regiam dignitatem aſſumpto, legatíſque aliorum Principum, qui aut fœderis ineundi, aut gratulandi cauſa Hieroſolymam venerunt. Deinde anno quarto Hananias filius Azur ſomnium, aut pſeudoprophetiam induxerit. Hoc videntur docuiſſe Septuaginta, qui verba illa priora à principio capitis 28. ſummouerunt.

Nunc quomodo ſine vlla aſperitate, aut vi 4.
priora verba cum capite præcedenti connecti poſſint, exploremus. Notum eſt his, qui mediocriter didicerunt Hebraicè, relatiuum ab Hebræis ſubaudiri perſæpe: quod docet Pagninus libro 4. Inſtitutionum capite 10. & plures alij Auctores de re grammatica. Duo nunc accipe exempla, plura occurrunt attento lectori. Ioſue 10. verſu 20. vbi Vulgatus: *Hi, qui Iſrael effugere potuerunt, ingreſſi ſunt ciuitates munitas.* Hebraicè eſt: *Hi*

REGVLA. *Relatiuum ſæpe ſubauditur.*

Ioſue 10.

Iob.19. *Hi effugere potuerunt, ingreſſi ſunt.* & Iob. capite 19. verſu 19. vbi noſter: *Et quem maximè diligebam, auerſatus eſt me.* Hebraicè, *& hi, diligebam, auerſati ſunt.* vbi, vt vides, relatiuum deſideratur. Quòd ſi hìc quoque relatiuum ſubaudias, nihil erit difficile, aut contortum in noſtra ſententia.

5. Notandum ſecundò, illud, *&*, quod anteceſſit *factum*, otioſum eſſe in tranſlatione Latina: quod ſæpe contingit in principio non ſolùm capitum, ſed etiam librorum: nam *vau*, ibi nihil connectit, ſed tantùm futurum in præteritum mutat; quem Hebraiſmum interdum ſeruat noſter Interpres. Ex his ego ſic lego propoſitum locum ſuperiori capiti ſubiectum: *Factum eſt* (quod de Ieremiæ catenis diximus) *in anno illo, qui fuit in principio regni Sedeciæ.*

6. *In anno quarto, in menſe quinto, dixit ad me Hananias.*] Hinc exordium ſumit ſequens ratio, quæ accidit anno tertio, poſt vincula innexa Ieremiæ collo, quæ nihil aliud fermè continet, quàm merum Hananiæ commentum, & ementitum oraculum, & grauem ab eodem iniuriam inflictam Ieremiæ.

7. Verſ. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël, contriui iugum Regis Babylonis.*] Impoſuerat graue iugum Babylonius Iudæorum ceruicibus, cùm gentem illam, maximis ſpoliatam ornamentis, vectigalem feciſſet. Veterator autem, & pſeudoprophetes Hananias verbis maximè ſignificantibus omnem felicitatem populo, quàm ocyſſimè adfuturam eſſe denunciat; tum quia ex ore ſe loqui profitetur Dei, cùm ait, *Hæc dicit Dominus*; tum quia tempore præterito vtitur, cùm tamen de futura libertate ſermo ſit, cùm dicit, contriuiſſe iam Deum Babylonicum iugum, & ex eo ſubiectas antè ceruices exemiſſe.

8. Verſ. 3. *Adhuc duo anni dierum, & ego referri faciam, &c.*] Modus iſte loquendi idioma olet aliquod Hebraicum; neque exiſtimo, *dies*, qui cum *anno* coniunguntur, aliquid addere ad annorum numerum, ſed tantùm explicare paulò magis, definiréque certiùs, quæ priùs non ita accipiebantur anguſtè. Nam ex vſu Scripturæ duo anni dicerentur, etiam ſi aliquot aut deficerent, aut excederent dies. Cùm verò *duo anni dierum* dicuntur, ſignificantur, credo, duo anni completi, qui videlicet illis conſtant diebus, qui adæquatè tempus illud complent, & abſoluunt. Quòd ſi (vt Maldonatus putat) per hypallagen ita commutes, *dies duorum annorum*, quod mihi valde placet, idem erit omnino ſenſus: nempe, adhuc ſupereſſe dies, qui duos annos compleant, & æquent. Alij ſunt in Scriptura ſacra dicendi modi non abſimiles; Iudicum 19. vbi Vulgatus: *Manſitque apud eum quatuor menſibus*; Hebraicè eſt, *diebus quatuor menſium*. & 2. Regum capite 19. *Quot ſunt dies annorum vitæ meæ?* Pſalmo 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.* vbi dies aut nihil addunt, aut tempus definiunt, quo conſtant, & complentur anni.

REGVLA. *Dies annis appoſiti nihil interdũ ſpacij addũt.*

Iudi.19. 2.Reg.19. Pſal.89.

9. Verſ. 5. & 6. *Et dixit Ieremias Propheta ad Hananiam Prophetam, &c. & ait Ieremias Propheta, Amen; ſic faciat Dominus.*] Bis dicitur, *& ait Ieremias Propheta*: quod ſanè abſque epitaſi non eſt, aut ſine cauſa. Cùm enim dura contribulibus ſuis, eáque animo audaci, ac libero denunciaret Propheta; nonnemo, qui de rebus non æquè iudicaret, ſuſpicari poſſet, in votis eſſe Prophetæ, vt grauia Iudæorum genti acciderent incommo-

A da: quam ſuſpicionem vt è ſuorum animis eximeret, optare ſe dicit Ieremias, vt verus probetur euentus, quod falſus Prophetes Hananias annunciare ſe dicit ex ore Dei. Id enim valet, *Amẽ, ſic faciat Dominus*, &c. Illud autem, *& dixit Ieremias*, bis iteratum, indicat illud, *Amen*, ſæpius ingeminatum à Propheta: quo etiam oſtenditur, quæ dicebantur ab Hanania, de Iudæorum libertate, vaſorúmque in antiquam ſedem reſtitutione, maximè eſſe Prophetæ in votis: quæ res lenire poſſet popularem inuidiam, quam in Ieremiam illa loquendi libertas, & audacia conflauerat. Simile aliquid apud Michæam inuenies capite 2. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, &* B *mendacium potius loquerer.* quia minus ferebat moleſtè, coargui ſe mendacij, quàm gentem ſuam tam dure vexari. De ſignificatione, atque vſu vocis, *Amen*, pluribus egimus ad illud Iſaiæ capite 25. *Cogitationes antiquas fideles, Amen.* Hìc verò vox eſt optantis, ſicut in Eccleſię vſu frequentiſſimè.

Verſ. 8. *Prophetæ, qui fuerunt ante me, & ante te ab initio.*] Hic locus implexus eſt, & variis explicationibus patet. De Rabbinorum cogitatione non curo, qui neſcio quid ſtatuunt tanquam certum, quod Scriptura ſacra nullo modo patitur; quorum cogitationem miror quibuſdam è noſtris non improbari. Rationem ego Ieremiæ C ſic accipio, vt veri Prophetæ ſignum certum edat; illud autem eſt, quod Deus ipſe tradidit Deuteronomij capite 18. *Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt loquutus.* ſiue hoc aduerſum aliquid minetur, ſiue fauſtum promittat (nam in hoc Rabbini, & quidam, qui cum ipſis Rabbinizare videntur, diſcrimen ſtatuunt) quare ex euentu ſpectari Propheta iubet Hananiæ fidem; quam propheticam haberi vult, ſi poſt duos annos dierum vaſa reſtituantur à Babyloniis ablata. Tunc autem literam, quæ valde videtur impedita, atque ſuſpenſa, ita diſpono: Prophetarum, qui fuerunt ante nos, quidam prophetauerunt ſuper terras multas, & regna, prælia, afflictionem, & famem; alij D verò pacem. Tunc autem illos veros Prophetas eſſe dicamus, cùm oraculorum fidem euentus ipſe probat. Hoc idem nos in præſentia teſtimonium quæramus: Tu læta nuncias, ô Hanania; ego, & alij, qui præceſſerunt, moleſta, & dura: vter noſtrum vera prædicat, res ipſa propediem argumento erit. 10.

Sed eſt adhuc aliquid, tam in hac explicatione, quàm in ipſo textu difficile, quòd expediri oporteat. Primùm, in textu aliquid videtur eſſe ſuſpenſum, tam in priori, quàm in poſteriori membro: quod ad prius ſpectat, integrum erit, & conſtans, ſi coniunctionem, *&*, verbo, *prophetauerunt*, præpoſitam amoueas; quod planè faciendum, ſi textum expendas Hebraicum, & E quid res Grammatica poſtulat, conſideres. Nam illud, *vau*, vt nuper in cauſa ſimili dicebamus, coniunctio non eſt, ſed particula futurum conuertens in præteritum. Noſter autem Interpres, qui in tranſlatione Latina idioma interdum retinet Hebraicum, *&*, adhibuit, quod valet, *vau*, cùm tamen Latinis non præſtet vſum illum, quem, *vau*, Hebræis. Si ergo legas: *Prophetæ, qui fuerunt ante me, & ante te, ab initio, prophetauerunt ſuper terras*, &c. oratio, vt vides, ſuſpenſa non eſt. Conſtabit quoque poſterius membrum, ſi per Zeugma verbum ſubſtantiuum, quod anteceſſe- 11.

rat,

tat, hunc in modum repetas: *Fuit quoque Propheta, qui vaticinatus eſt pacem.*

12. Hæc de textu, quod ad explicationem attinet; illud videndum, quomodo in ſingulari dictum ſit: *Cùm venerit verbum eius*, & non, *verbum illorum*: nam hæc, vt reor, conſideratio Hebræorum magiſtros, & illorum aſſeclas, induxit in ſententiam illam, quam cum aliis magno ſuo merito reiecimus. Sed eſt, quòd illorum cogitationi reſpondeamus ex noto, maximéque frequenti Hebræorum idiomate depromptum. Solent enim Hebræi, vt obſeruauit Pagninus libro 4. Inſtitutionum capite 15. numero plurali aut verbum, aut nomen adhibere ſingulare. Geneſis 26. verſu 35. vbi Vulgatus: *Quæ ambæ offenderant animum Iſaac*, Hebraice: *Et fuerunt exacerbans ſpiritum Iſaac*. Geneſis 49. verſu 22. vbi Vulgatus: *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum*; Hebraicè: *filiæ incedebat*. Geneſis 27. verſu 29. vbi nos legimus: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*; Hebraicè eſt: *Maledicentes tibi maledictus, & benedicentes tibi benedictus.* His ſimilia occurrent exempla plurima: neque pauca adducit Pagninus ſuprà. Ad hunc ego modum pronomen, *eius*, in ſingulari referri arbitror ad Prophetas omnes, qui præceſſerunt, ſiue læta, & ſecunda, ſiue moleſta, ac dura prophetauerint.

REGVLA. *Numero plurali nomē aut verbum additur ſingulare.*
Geneſ. 26.
Geneſis 49.
Geneſis 27.

13. Ad illud, quod ex prædictorum euentu diximus ſpectandam eſſe & Prophetarum fidem, & oraculorum pondus, occurrit alius locus Deuteronomij capite 13. vbi euentuí à Prophetis deſignato docet, aliquando fidem adhibendam non eſſe. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit, quod loquutus eſt, & dixerit tibi, Eamus, & ſequamur Deos alienos*, &c. *non audies verba*, &c. Reſpondeo, hîc comparationem quandam fieri inter ſigna Prophetę veri, quæ ſumuntur ex rerum euentu, & inter alia, quæ conſtat ex Scriptura ſacra à Domino fuiſſe propoſita. Nam quantumcunque prædicti rerum euentus cum illorum Prophetarum prædictione conſentiant; ſi tamen his, quæ à Domino proponuntur, aduerſentur, illis habenda fides non eſt. Millies audierant Hebræi à Domino, vnum eſſe Deum, & in idolis nihil eſſe ſolidi, immo & nihil eſſe præter vacuum nomen ementiti numinis. Si contra hæc aliquid Prophetæ moliantur, quantumuis prædictorum ſigna ſuccedant, ridiculi cenſendi ſunt, & nugatores: quod vſque adeò verum exiſtimarunt magni duo Principes Eccleſiæ Petrus, & Paulus, vt contra Scripturarum fidem nihil eſſe putent non ſuſpectum. Petrus epiſtola 2. capite 1. cùm audiiſſe ſe diceret, allatam Patris de cælo vocem, ſubdit: *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes.* Paulus ad Galatas capite 1. *Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Signa itaque iſta valere nihil dicit Dominus, cùm contra ſtat aut Diuina fides, aut Domini mandatum. At in Hananiæ cauſa, nihil horum opponi poſſe conſtabat, niſi quod à Ieremia, Vria, aliiſque Prophetis denunciabatur, quorum oraculis, tam Hananias, quàm falſi alij Prophetæ, habendam eſſe fidem non putabant. Quare ſi ab Hanania prædicta non ſuccederent, falſi illum vaticinij coargui oportebat.

Diuina fides omni teſtimonio ſuperior.
Petri epi. 2. cap. 1.
ad Galat. 1.

14. Verſ. 10. & 11. *Et tulit Hananias Propheta catenam de collo Ieremiæ*, &c. *& ait*, &c. *ſic confringam iugum Nabuchodonoſor.*] Duas iniurias eodem tempore accepit Ieremias ab Hanania: altera, quia ablata ſunt vincula de collo; quæ, vt diximus, ineunte regnum Sedecia, iubente Domino, ſuſcepit: altera, quia aliorſum interpretatus eſt illud vinculorum, ac iugi portentum. Deſignabat Ieremias illo hieroglyphico ſigno ſeruitutem, aut quæ vltrò eſſet offerenda Chaldæis, aut quæ inuitè ab iiſdem ſubeunda. At Hananias iugum illud libertatis ſymbolum eſſe voluit: cùm enim abſtuliſſet iugum è ſubiecta ceruice viri Iudæi, fregiſsétque vehementi, credo, ad ſaxum, ſeu parietem alliſu, addidit, ſic confringendum eſſe à Domino iugum, quod Babylonius Iudæorum ceruicibus illigaſſet, præfixo tempore, de quo priùs, duorum, nempe annorum.

A

B

15. *De collo omnium gentium.*] Domuerat Nabuchodonoſor gentes multas, & regna, quibus ſeruile iugum impoſuerat, quibus tunc libertatis ſpes affulgebat, cùm extincto Rege, & re Babylonica duriùs afflicta, aut patria fruerentur luce, aut ab humeris excuterent vectigale pondus. Illud verò tempus iamiam adeſſe clamabat Hananias, dum iugum frangit, & vincula diſrumpit.

16. Verſ. 12. *Et abiit Ieremias Propheta in viam ſuam.*] Obſeruat hîc Hieronymus Ieremiæ humilitatem, & patientiam, qui cùm grauem illam iniuriam pateretur, tacet tamen, dolorémque diſſimulat, ſilentij cauſam illam eſſe arbitratus, quia nondum à Deo acceperat, quid pſeudo illi prophetæ reſponderet. Qui enim os ſuum ſpiritui conſecrauit prophetico, ac Diuino, non facilè adducitur, vt obſequatur ſuo; maximè cùm de futuris agendum eſt, quæ vni comperta ſunt Deo. Abiit ergo, cùm nihil haberet reuelatum à Domino in viam ſuam; ad res, credo, domeſticas tractandas & ſuas, cùm iam imperio obſequutus Diuino tractauiſſet publicas. Sic enim vulgò Hiſpani loquuntur, cùm aliquem ſignificare volunt, publica aut nolle, aut non audere curare, *vaſe ſu camino*, aut *va por ſu camino.* Quòd autem via pro negotio, aut inſtituto ſumatur, ſatis notum eſt, & frequens in Scriptura.

C

D

17. *Catenas ligneas contriuiſti, & facies pro eis catenas ferreas.*] Cùm accepiſſet Ieremias à Domino verbum, redit ad Hananiam, & quid effecerit arroganti illa, ac violenta iugi contritione, ſeuera denunciatione ſignificat. Catenas geſtabat ligneas Ieremias, quas ſubituros dicebat eſſe Iudæos, ſi vltrò ſe dederent Babylonio; leues nempe, & quæ facilè conſtringi poſſent, ſicut ab Hanania confractæ ſunt. At nunc, quando neque ipſe audire, neque alij illius fallaci blandimento decepti parere volunt, pro ligneis vinculis, ac iugo, ferrea accipient, quæ & grauia ſunt, & magis diuturna. Eſt autem ferreum iugum prouerbiali figura dura ſeruitus, qualis fuit Babylonica, quam eo, vt puto, vocabulo multò antè ſignificauit Deus, Deuteronomij capite 28. verſu 28. *Seruies inimico tuo, quem mittet tibi Dominus in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria; & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat.* Et Eccleſiaſtici capite 28. verſu 24. *Iugum illius iugum ferreum eſt: & vincula illius vinculum æreum.* Dicitur autem Hananias catenas feciſſe

E

PROV. *Iugum ferreum.*
Deut. 28.
Eccleſ. 28.

ferreas, non quòd illas cuderit, illigarítque col- A
lo, ſicut Ieremias ligneas; ſed quia vt illas ſubierint Iudæi verbis effecit adulatoriis, & fallacibus, quomodo euertiſſe aliquis ciuitatem dicitur, aut ciues exturbaſſe domo, cùm ſuis conſiliis, quanuis inuitus, & imprudens auctor fuit, vt illa fierent, vnde ſecuta aut ciuitatis ruina, aut ciuium exitium.

18. Verſ.13. *Quia hæc dicit Dominus, &c. iugum ferreum poſui ſuper collum cunctarum gentium.*] En quis iugum cuderit ferreum, Deus nempe, non Hananias, quem tamen catenarum illarum artificem vocarat, quia rebelles ceruices vt iugo à Domino fabrefacto ſubderentur, effecit: quod non ſolùm Iudæis, quibuſcum agebat, ſed aliis etiam populis, quorum tunc legati in regia illa curia fortaſſe aderant, denunciat.

Verſ.14. *Audi Hanania, non miſit te Dominus, & tu confidere feciſti populum iſtum in mendacio.*] 19.
Rationem oſtendit, cur ferreum iugum fecerit Hananias, quia cùm non eſſet miſſus à Domino, neque ab eo verbum accepiſſet propheticum; ipſe tamen quaſi Diuina promeret verba, & non potiùs commenta ſua, verbis ſuis Diuinam conciliabat auctoritatem, faciebátque vt populus audacior ſuã proſequeretur veſaniam, & à fallaci mẽdacio in ſuò ſcelere pertinaciam alerent.

Verſ.15. *Ecce ego mittam te à facie terræ.*] ideſt, 20.
occidam te; quod idem eſt, atque *delebo de terra.* & ſanè ita accidit: nam ſeptimo menſe eiuſdem anni mortuus eſt Hananias, ideſt, menſe ſecundo, poſtquam hæc audiuit: audiuit autem, vt vidimus, menſe quinto. Hæc de capite vigeſimooctauo.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXIX.

CAPVT hoc tres continet epiſtolas, quas, iubente Domino, miſit Ieremias. Prima fuit ad captiuos,qui cum Iechonia Rege Iuda Babylonem commigrarunt: miſit autem per nuncios, quos ad Nabuchodonoſor Sedecias cum mandatis legauerat. Et primùm monet, ad ſeptuageſimum vſque annum producendam eſſe captiuitatem. Quare ſuis inſeruiant commodis, & ſe ciues in ſua patria potiùs quàm hoſpites putent in aliena. Quare ædificent domos,& plantent hortos,neque credant aliis, qui breuem eſſe clamant illam moram Babylonicam. Deinde,vt captiuorum conſoletur dolorem,& leniat patriæ deſiderium, ait, multò duriorem fore tam Sedeciæ Regis fortunam, quàm illorum, qui ablato Iechonia remanſerunt in vrbe, quia Dei verbis audientes eſſe noluerunt. Secunda epiſtola eſt ad Sedeciam, & Achab, qui falſa vaticinia populo pro veris venditabant, quibus graue minatur à Rege Babylonis ſupplicium. Denique cùm Semeias Nehelamites, qui exul agebat Babylone, inuidiam per literas conflare ſtuderet Ieremiæ apud Sacerdotes, & populum, tertiam mittit de Semeia ad exules epiſtolam, qua ipſum falſi coarguit vaticinij, & tam illi, quàm eius generi in patriam reditum omnino præcidit.

IEREM. CAP. XXIX.

1. *ET hæc ſunt verba libri, quem miſit Ieremias Propheta de Ieruſalem ad reliquias ſeniorum tranſmigrationis,& ad Sacerdotes,& ad Prophetas,& ad omnem populum,quem traduxerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem in Babylonem:* A

2. *Poſtquam egreſſus eſt Iechonias Rex, & domina,& eunuchi, & Principes Iuda,& Ieruſalem,& faber,& incluſor de Ieruſalem:*

3. *In manu Elaſa filij Saphan, & Gamariæ filij Helciæ,quos miſit Sedecias Rex Iuda ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis in Babylonem,dicens:* B

4. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël omni tranſmigrationi, quam tranſtuli de Ieruſalem in Babylonem.*

5. *Aedificate domos,& habitate:& plantate hortos,& comedite fructum eorum.*

6. *Accipite vxores, & generate filios & filias:*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. HÆc ſunt verba illius epiſtolæ, quam è Hieroſolymis miſit Babylonem Ieremias, ad eos, qui è ſenioribus captiui agebant Babylone, ad Sacerdotes, & Prophetas, ad omnem denique populum, à Nabuchodonoſore relegatum.

2. Miſſa verò fuit epiſtola, poſtquam Iechonias cum matre, eunuchi, & Optimates, quíque magno vſui futuri videbantur rei bellicæ, fabri nempe, caſtrorúmque metatores, è Hieroſolymis Babylonem vſque deportati ſunt.

3. Tulerunt autem Ieremiæ literas nuncij, quos ad Babylonium Sedecias legauit, ſcilicet Elaſa filius Saphan, & Gamarias Helciæ filius.

4. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël omnibus, qui ad Babylonios tranſmigrarunt.

5. Ita de rebus veſtris conſulite, quaſi diuturnum habituri in Babylonico ſolo domicilium. Ædificate igitur, non tabernacula ad breue, ſed domos ad longum habitationis tempus;hortos plantate,quorum vobis fructibus veſci licebit.

6. Vxores ducite,& ex eis filios, atque filias

lias: & date filiis veſtris vxores, & filias veſtras date viris, & pariant filios & filias: & multiplicamini ibi, & nolite eſſe pauci numero.

A filias ſuſcipite, & tam hos quàm illas matrimonio coniungite; & ex illis nepotum magna ſoboleſcat multitudo: neque enim exiguus erit poſterorum numerus, quando remigrandum vobis erit ab exilio.

7. Et quærite pacem ciuitatis, ad quam tranſmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius, erit pax vobis.

7. Et quia in Babylone non tam inquilini, atque hoſpites, quàm ciues futuri eſtis, orate pro ciuitatis commodis, ac pace, tanquam ciues, qui de patriæ ſuæ commoditate laborant. Quia pax illius, atque commoditas ad vos, quaſi ciues, & filios pertinebit.

8. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrûm, & diuini veſtri: & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis:

B 8. Ita viſum eſt Domino Deo Iſraël. Quare, ſi quid aliud Prophetæ falſi, qui ſunt inter vos, aut qui alia quauis ratione diuinant, perſuadere volent, cauete, ne vos in fraudem atque errorem inducant. Quòd ſi qua ſpecies vobis per quietem occurrat, videte, ne quam ex illis ſumatis coniecturam, aut in ſomniis veſtris putetis aliquod ineſſe pondus.

9. Quia falsò ipſi prophetant vobis in nomine meo: & non miſi eos, dicit Dominus.

9. Quia falſa prophetant vobis, & ſua commenta: licèt enim Diuinum nomen
C ſuis ſermonibus tanquam propheticis præfigant, ego non miſi eos, ſed ſe in illud munus obtrudunt non vocati.

10. Quia hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum iſtum.

10. Quia ad ſeptuageſimum vſque annum, dicit Dominus, qui humanæ vitæ modus eſt, veſtrum producetur exilium; tunc autem viſitabo vos multò benignior, & excitabo Cyrum, qui verbum vobis bonum annunciet; ac tandem efficiam, vt hunc in ipſum locum reuertamini.

11. Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam.

11. Dum moneo, ædificandam eſſe domum, & hortos plantandos, id ago, vt
D veſtræ commoditati, & paci conſulam, ac vos ab omnibus liberem paupertatis incommodis (eſſet enim in tot annorum exilio ærumnoſum, & graue, ſi ſpe proximæ libertatis, neque domum conſtruerent, neque hortorum haberent opportunos vſus, aut vitam agerent ſolitariam, & cælibem) & licèt exilij finem ſtatuerim, & modum, volui tamen, vt interim hoc vitæ ſubſidio patienter feratis ſeruitutis incommoda.

12. Et inuocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos.

12. Inuocabitis me pro reditu, nempe, in patriam, & veſtri voti compotes in il-
E lam redibitis. Orabitis me pro reditu, & exoratus ego vos reducam.

13. Quæretis me, & inuenietis: cùm quæſieritis me in toto corde veſtro.

13. Quæretis me, & inuenietis placatum, & mitem, ſi toto tamen, id eſt, ſyncero, & puro ſtudio, ac corde quæſieritis.

14. Et inueniar à vobis, ait Dominus: & reducam captiuitatem veſtram, & congregabo vos de vniuerſis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reuerti vos faciam de loco, ad quem tranſmigrare vos feci.

14. Tunc ego quæſitus inueniar, & ad locum, vnde expulſi antè fuerant, exules reſtituam: & eos, qui variis in locis diſperſi fuerant, in vnum locum vndecunque colligam. Colligam, inquam, ab eo loco, ad quem offenſus antè tranſtuleram?

15. Quia

15. Hæc

15. *Quia dixiſtis: Suſcitauit nobis Dominus Prophetas in Babylone.*

16. *Quia hæc dicit Dominus ad Regem, qui ſedet ſuper ſolium Dauid, & ad omnem populum habitatorem vrbis huius, ad fratres veſtros, qui non ſunt egreſſi vobiſcum in tranſmigrationem.*

17. *Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, & famem, & peſtem: & ponam eos quaſi ficus malas, quæ comedi non poſſunt, eo quòd peſſimæ ſint.*

18. *Et perſequar eos in gladio, & in fame, & in peſtilentia: & dabo eos in vexationem vniuerſis regnis terræ: in maledictionem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in opprobrium cunctis Gentibus, ad quas ego eieci eos:*

19. *Eo quòd non audierint verba mea, dicit Dominus, quæ miſi ad eos per ſeruos meos Prophetas de nocte conſurgens, & mittens: & non audiſtis, dicit Dominus.*

20. *Vos ergo audite verbum Domini: omnis tranſmigratio, quam emiſi de Ieruſalem in Babylonem.*

21. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maaſiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis: & percutiet eos in oculis veſtris.*

22. *Et aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne:*

23. *Pro eo quòd fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mœchati ſunt in vxores amicorum ſuorum, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis: ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus.*

A 15. Hæc vobis ex hoc tempore prædicta volui, vt habeatis aliquid certum, quod aut fallacibus Prophetarum verbis, aut veſtris conſiliis, atque cogitationibus occurrat. Dixiſtis enim in Babylone, à Deo ſuſcitandos eſſe Prophetas.

16. Ad alios autem, qui vobiſcum egreſſi non ſunt, quo tempore cum Iechonia vltrò, in Nabuchodonoſoris poteſtatem veniſtis, & ad Sedeciam, qui hoc ipſo tempore, quo captiui apud Babylonios agitis, ſolium obtinet regium, & ad populum, qui nunc ſibi placet, quòd in Solymitanis habitent ſedibus. B

17. Ecce, ait Dominus, multis illos modis inſectabor, mittam quippe in illos peſtem, famem, & gladium, reddámque quàm ſimillimos ficubus, quas, quia peſſimæ ſunt, adeò non appetit ſtomachus, vt potiùs faſtidiat, & nauſeabundus reſpuat.

18. Vrgebo illos, & perſequar vehementer, graſſante peſte, ac gladio, & dura inſtimulante fame; & omnibus terræ regnis vexandos, & cunctis gentibus, ad quas illos eiiciam, quæque eorum caſum cum ſtupore cernent, irridendos, & ſibilandos, C ac diris execrationibus configendos tradam.

19. 20. Hæc verò tanta calamitas adueniet, quia verbis meis, quæ ipſis meo nomine propoſuerunt Prophetæ, quæque ego illis ſatis vigilanter, & maturè denunciari iuſſi, parere noluerunt.

21. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maaſiæ, qui falſa vobis obtrudunt vaticinia, eáque meo nomine conſignata: D Ecce ego tradam ipſos furori Nabuchodonoſoris, qui ſpectantibus vobis, ipſos graui manu percutiet.

22. Hoc verò ſupplicium ſic erit acerbum, vt inde captiui omnes, qui ſunt in Babylone, parabolam ſibi, ſeu prouerbium aſſumant, quo ſibi aliquid imprecentur mali, ſi fallant, aut aliis, in quos ardenti ſunt odio, & extinctos cupiunt. Dicent enim familiari maledicto: Contingat tibi, quod Achab, & Sedeciæ, quos torreri fecit Nabuchodonoſor:

E 23. Quia variis ſe peccatis contaminarunt, præcipuè dum ſuæ ſibi libidini intemperanter indulgent, neque ſe à fratrum ſuorum vxoribus continent; & mendacibus commentis, vaticinij veracis nomen obtendunt. Sed ego, qui iudex ſum, & teſtis, cuius oculos latêre nihil poteſt, illorum commenta ex vmbra, ſimulationéque prophetiæ veræ, & Veneris cælata fur-

24. *Et ad Semeian Nehelamiten dices:*
25. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Pro eo quòd miſiſti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui eſt in Ieruſalem, & ad Sophoniam filium Maaſiæ Sacerdotem, & ad vniuerſos Sacerdotes, dicens:*

26. *Dominus dedit te Sacerdotem pro Ioiade Sacerdote, vt ſis dux in domo Domini ſuper omnem virum arreptitium, & prophetantem, vt mittas eum in neruum, & in carcerem.*

27. *Et nunc quare non increpaſti Ieremiam Anathothiten, qui prophetat vobis?*

28. *Quia ſuper hoc miſit in Babylonem ad nos, dicens: Longum eſt: ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructus eorum.*

29. *Legit ergo Sophonias Sacerdos librum iſtum in auribus Ieremiæ Prophetæ.*

30. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens:*
31. *Mitte ad omnem tranſmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeian Nehelamiten: Pro eo quod prophetauit vobis Semeias, & ego non miſi eum: & fecit vos confidere in mendacio:*

32. *Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego viſitabo ſuper Semeian Nehelamiten, & ſuper ſemen eius: non erit ei vir ſedens in medio populi huius, & non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia præuaricationem locutus eſt aduersùs Dominum.*

A ta ex tenebris in lucem, & in hominum oculos euocabo.

24. 25. Scribes prætere ad Semeiam Nehelamitem in hæc verba meo nomine: Pro eo, quòd non iam communi nomine, ſed tuo ad vniuerſum populum, qui eſt Hieroſolymæ, & priuatim ad Sophoniam filium Amaſiæ Sacerdotis, & ad Sacerdotes, literas dediſti in hanc ſententiam:

26. Dominus te, ô Sophonia, templo B præpoſuit, vt, ſicut olim Ioiadas in arreptitios, falsóſque Prophetas, & publicæ pacis turbatores, iudicium exerceres legitimè, illóſque in neruum, & vincula coniiceres.

27. Quid ergo nunc pateris, Ieremiam ex Anathoth prophetare publicè? Quare non increpas, & liberam illam linguam ſupplicio coërces?

28. Miſit enim ad omnes, qui captiui apud Babylonios agunt, literas, Deique nomine edixit, quaſi diuturna futura eſſet illa captiuitas, vt ædificent domos, ſerant C arbores, quia ſatis erit ſpatij, vt illarum fructibus veſci poſſint.

29. Cùm ergo literas accepiſſet Sophonias à Semeia datas, illas audiente Ieremia recitauit.

30. 31. Tunc verò verbum accepit Ieremias à Domino, & iuſſus, vt hæc mandata ad exulantem populum de Semeia Nehelamite tranſmitteret. Quia in meo nomine mendacium vobis annunciat Semeias, quaſi à me verum accepiſſet oraculum, cùm ſuo potiùs agatur ſpiritu, quàm mittatur, aut informetur meo: & D mendaci vos lactat, & ſecuros facit eſſe promiſſo.

32. Idcirco tam ipſum Semeiam, quàm ipſius ſobolem ſeuerè mulctabo. Peribunt etenim omnes in exilio, neque ex eius ſemine quiſquam erit, qui Hieroſolymam videat, aut fruatur eo bono, quod poſt ſeptuageſimum annum Dominus captiuis indulgebit, quia in exilio ad vnum omnes conſumentur. Non enim feret impunitum, quòd præuaricatus ſit, quia nempè, cùm Domini cauſa laborare ſe dicat, Diuina tamen conſilia per Ieremiam annunciata euertere, aut obſcurare nititur.

IN CAPVT VIGESIMVMNONVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Et hæc ſunt verba libri, quæ miſit Ieremias Propheta de Ieruſalem, ad reliquias ſeniorum tranſmigrationis.*]

1. LIBER hoc loco idem eſt, quod epi-
ſtola, quæ eo ſpiritu à Ieremia miſſa
eſt, vt quid in exilio facto opus eſſet,
captiuos admoneret: vir etenim de
ſuorum ciuium commoditate ſollicitus, nullum
omittit tempus, in quo ſuam illis operam vſui
eſſe poſſe arbitraretur. Quare cùm nactus eſſet
legatos, quos Babylonem Sedecias ſiue ad ſol-
uendum tributum, ſiue aliis de rebus publicis
amandarat, literas dedit ad captiuos, de quarum
argumento ſuo loco poſtea: nunc videndum, ad
quos vel ſolùm, vel præcipuè datæ ſunt li-
teræ.
2. Hieronymus, & cum eo Hugo, Dionyſius, &
Rabbanus, ad illos, qui cum Iechonia Babylo-
nem commigrarunt, perferri putant hæc man-
data: quorum ſententiæ fauet tranſmigrationis
vocabulum: nam, qui cum Iechonia profecti
ſunt, cùm vltrò ſe Babylonio dediderint, com-
migraſſe dici poſſunt, magis quàm abducti: ſed
multa penè cogunt, vt fateamur, ad omnes exu-
les, qui Babylonico ſuberant imperio, ſiue nu-
per cum Iechonia, ſiue octauo priùs, aut nono
anno ſub Ioacim eò eſſent tranſlati. Primùm,
quia ipſe non obſcurè Ieremias indicat, qui ante-
quam populi cum Iechonia tranſlati meminiſſet,
alios commemorat, quos planè ex antiquiorum
numero fuiſſe, multa ſuadent, ne dicam conuin-
cunt: reliquiæ quippe dicuntur ſeniorum, id eſt,
qui è vexatione longa, quæ multos extinxerat,
reliqui fuerant. Nam eorum, qui paulò antè cum
Iechonia Babylonem commigrarunt, vocari reli-
quiæ non debuère, quia exiguo tempore, neque
durè tractati ab hoſte non offenſo, non videban-
tur ad illum numerum, ſeu ſtatum redigendi, vt
vocari debuerint ſeniorum reliquiæ; deinde, quia
multa, quæ leguntur in epiſtola, tam ad prio-
res, quàm ad poſteriores exules ſpectant; vt quòd
poſt annum ſeptuageſimum in antiquas ſedes re-
uerſuri ſint, quòd Prophetas habuerint, quorum
commentis, ac ſomniis fides nō habenda. Neque
minùs his indigebant conſiliis, qui priùs, quàm
qui nuper abducti: neque facilè inuenias, cùm
omnes in eadem ciuitate promiſcuè viuerent,
quomodo alij ab aliis ſeorſum his Ieremiæ do-
cumentis informari, ac confirmari potuerint. Il-
lud de tranſmigratione non nimis premit: nam
ſiue vltrò, ſiue inuiti tranſlati ſint, re tamen ve-
ra, commigrarunt Babylonem, ſeu tranſmigra-
runt: cùm tranſmigrare nihil ſit aliud, quàm ſo-
lum vertere, aut domicilium mutare. Præſertim,
quia alij quoque, qui coacti alienas regiones
adierunt, tranſmigraſſe dicantur, & tranſmigra-
tio vocentur. Sanè de omnibus, qui, exciſſa iam
vrbe, Babylonem ablegati ſunt, idem dixit Ie-
remias Threnorum capite 1. *Migrauit Iuda propter
afflictionem, & multitudinem ſeruitutis; habitauit inter
gentes, nec inuenit requiem: omnes perſequutores eius ap-*
A *prehenderunt eam inter anguſtias.* Quæ extrema ver-
ba non tam oblatam, quàm extortam ſeruitutem
oſtendunt; & decem Tribus, quas vi in exilium
abduxerunt Aſſyrij, tranſmigratio dicuntur, Ab-
diæ verſu 20.
Verſ.2. *Poſtquam egreſſus eſt Iechonias Rex, & do-* 3.
mina, & eunuchi, &c. *& faber, & incluſor.*] Illud,
poſtquam egreſſus eſt, non ſignificat, miſſas eſſe li-
teras ad eos, qui, poſtquā egreſſus eſt Iechonias,
tranſlati ſunt Babylonem (maximè quia non poſt
illum, ſed cum illo alij, ad quos miſſa videri
poterat epiſtola, migrarant) ſed miſſas eſſe ad
omnem populum, poſt deportatum in Babylo-
nem Iechoniam. Quid ſit incluſor, & faber, di-
ximus ſuprà capite 24. verſu 1. De Rege, & Re-
B gina, quæ hîc vocatur *domina*, diximus capite
13. Hanc verò fuiſſe matrem Iechoniæ, conſtat
4. Regum capite 24. verſu 12. *Egreſſus eſt Ioachim
Rex Iuda, ad Regem Babylonis, ipſe, & mater eius.* ne-
que vxorem eo tempore duxiſſe videtur, cùm an-
norum tunc eſſet decem & octo.
Verſ.3. *In manu Elaſa.*] Hi legati fuerunt à 4.
Sedecia miſſi ad Regem Babylonis: qua de re di-
uinare non libet, fortaſſe, quia edoctus Hananiæ
inopinata morte, quam prædictam à Ieremia no-
uerat, tributa miſit, quæ ex pacto debebat, conci-
liaríque voluit ſibi, ac ſuis regium animum, no-
uarum rerum ſuſpicione offenſum.
Verſ.4. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſ-* 5.
raël, omni tranſmigrationi, quam tranſtulit de Ieruſa-
C *lem.*] Vide, quomodo ad omnes hæc verba per-
tineant, quos Dominus trāſtulit Babylonem, qui
ſanè plurimi fuerunt, ante Iechoniam. *Tranſmi-* *Abſtractum*
gratio pro his, qui tranſmigrarunt, vſurpatur, ex *pro concreto.*
Hebræorum vſu, apud quos frequens eſt, *diſperſio*,
pro diſperſis, *circuncíſio*, pro circuncíſis, vt Paulus
ſæpe ſibi traditam eſſe circunciſionem, & Apo-
ſtolum ſe eſſe circunciſionis, id eſt, circunciſo-
rum, dicit.
Verſ.5. *Ædificate domos, & habitate, & plantate* 6.
hortos.] Qui exiguam moram in aliquo ponen-
dam loco ſibi perſuaſère, neque de ſtabili, ac fir-
mo domicilio curant, neque de plantatione, aut
propriâ aliqua poſſeſſione laborant: quia compa-
rare ſibi, atque moliri, quod è veſtigio relin- *Ædificare,*
D quendum eſt, ſtulti putant eſſe conſilij. Quare *atque plan-*
cùm antiqui Patres nullam haberent certam, ſta- *tare, diutur-*
bilémque regionem, vbi conſiſterent, tabernacu- *nam com-*
la ſibi potiùs erigebant è ceſpite, aut calamo, *morationem*
quàm domos excitabant ad diuturnos vſus. Sic *indicant.*
Abraham, Iſaac, Iacob neque ædificaſſe domos
dicuntur, neque plantandis arboribus operam
dediſſe, quia peregrinos ſe fore audierant, ſed
tantùm in tabernaculis habitaſſe. Idem quoque
fecerunt Rechabitæ, quibus, vt habes Ieremiæ
capite 35. edixit pater Ionadab, quia peregrini
futuri erant in terra, aut non aliter illam, quàm
peregrini, poſſeſſuri. *Domum non ædificabitis, & ſe-*

mentem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis omnibus diebus veſtris. Eodem modo cùm iam immineret ciuitati clades, futurúmque eſſet, vt breui inde emigraret Ieremias, iubet illi Dominus, ne ibi duceret vxorem, & filios ſuſciperet ex ea. Cùm ergo multorum annorum futura eſſet Hebræis illa apud Babylonios commoratio, monet Propheta, vt domeſticis rebus ita conſulant in alieno, quaſi in paterno ſolo ſtabile habituri forent domicilium: quare plantent hortos, ædificent domos, ad diuturnitatem firmas, reíque tam vxoriæ, quàm ruſticæ operam nauent diligentem. Eodem penè modo Zacharias capite 5. dixit, impietati, id eſt, ſupplicio impietati debito ædificandam eſſe domum in terra Sennaar, quia ſupplicium illud in multa ſæcula producendum erat. Hoc itaque loquendi genere & exilij diuturnitatem indicat Propheta, & per Prophetam Dominus, quid exulibus futurum eſſet ex vſu, prudenter admonet.

7. Verſ.7. *Et quærite pacem ciuitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum.*] Ciues iam appellat Iudæos, non hoſpites, aut inquilinos Babylonis, quando id commendat illis, quod ius ipſum ciuibus, & natura præſcribit. Debent enim ciues pacem optare, ac quærere ciuitatis, quando ipſi aliter in pace viuere non poſſunt, idque à Deo pacis auctore aſſiduè petere. Quod dum ab Hebræis exigit Dominus, id planè ſignificat, vt ſe pro ciuibus deputent Babyloniis. Feciſſe verò captiuos aliquando, id quod ipſis datum erat in mandatis, conſtat ex Baruch cap. 1. vbi non ſolùm pro Nabuchodonoſor, regiáque prole ſupplicant, ſed vt idipſum faciant, qui reliqui fuerant in Ieruſalem, per literas orant. *Orate* (inquiunt) *pro vita Nabuchodonoſor, Regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies cæli ſuper terram.* Hæc porro Paulus quoque commendat, quaſi Regibus, patriæque debeantur, 1. ad Timotheum 2. *Obſecro igitur primùm omnium, fieri obſecrationes,* &c. *pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus.*

Pro communi pace & Regum vita orandum.

8. Verſ.8. *Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrûm.*] Sicut Prophetæ falſi fraudi fuerunt populo, integra adhuc re, cùm dicerent, nihil eſſe à Babylone metuendum, & deinde fore quamprimùm confringendum Babylonicum iugum, & ſublata vaſa reſtituenda Hieroſolymis: ſic in exilio plurimi erant, qui propediem adeſſe libertatem canebant, quare rationes Iudæorum domeſticas turbabant, efficiebántque, vt eorum in parandis rebus vitæ neceſſariis ſtudia languerent. His credendum non eſſe admonet Propheta, quia ſua narrant commenta, non Diuina ediſſerunt oracula: neque enim ſi nomen Dei ſermonibus præfigunt tanquam propheticis, à Domino mittuntur, ſed ſe in illud munus obtrudunt non vocati.

9. Verſ.10. *Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni.*] Humanæ vitæ ſatis longum ſpatium deſignat Propheta, cùm pauci ſint, qui vltra tempus illud ſeptuagenarium ætatem producant. Quod dixit ante hoc tempus Dauid Pſalmo 89. verſu 11. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octuaginta anni, & ampliùs eorum labor, & dolor.* Huc ſpectat illud Macrobij libro 1. ſomnij Scipionis capite 6. *Septies deni anni à Phyſicis creditur meta viuendi; & hoc vitæ humanæ perfectum ſpatiũ terminatur: quod quiſquis exceſſerit, ab omni officio vacuus, ſoli ſapientiæ, & ſtudio vacat.* Cùm ergo poſt ſpatium illud, quod hominum vitam plerunque definit, pauci eſſent in parentum ſuorum ſedes remigraturi, prudenter à Propheta monentur, vt perinde ſe in alieno ſolo gerant, quaſi nunquam in proprium reuerſuri. Rediiſſe verò aliquos ex his, qui Hieroſolymis antè vixerunt, conſtat ex libro 1. capite 3. verſu 11. Nam cùm ageret eo loco Eſdras de templo inſtaurari cœpto, addit: *Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis, & Principes patrum, & ſeniores, qui viderant templum priùs, cùm fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.*

70. anni, communis vitæ terminus.

Ex his qui tranſmigrarunt rediêre nonnulli.

Verſ.11. *Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis.*] 10.
Apparet hîc ſingularis Dei humanitas, & clementia; qui ita punit rebellem populum, & incredulum, & millies dignum ſeueriori ſupplicio, vt tamen illius non abiiciat curam, ſed aliquod adhibeat exilij, & paupertatis leuamentum. Agerent vitam ærumnoſam, & lugubrem captiui, ſi ſpe iam proximæ libertatis, neque domum conſtruerent, neque plantarent hortos, aut vitam agerent ſolitariam, & cælibem. Quia verò Deus cogitationes ſuſceperat pacis, & non afflictionis, id eſt, magis eò ſua conſilia retulerat, vt ſolaretur, quàm vt affligeret, & perderet populum perire digniſſimum, monet, quid facto ſit opus, vt res collapſas exules aliqua ratione conſtituant, & inſtaurent.

Mira Dei benignitas.

Vt dem vobis finem, & patientiam.] Hæc eſt cogitatio pacis, & non afflictionis. 11.
Non priùs cogitauit Deus de Iudæorum exilio, quàm de illorum libertate, neque minùs attentè ſpectat, donec compleatur peccatorum menſura, vt in exilium mandet, quàm vt compleatur annus à captiuitate ſeptuageſimus, vt ab exilio reuocet. Neque tamen interea ab omni auxilio, ſolatióque deſtituit: dat etenim patientiam, id eſt, vt Hieronymus putat, futuræ libertatis expectationem, quæ mœrentes animos conſolatur, ac reficit; ſeu, vt idem vult, & cum eo ſanctus Thomas, & alij plures, conſtantiam, ſeu tolerantiam, in ferendis incommodis. Ego aliquid hîc ampliùs intueor, iuxta illa, quæ proximè diximus, de ædificandis domibus, atque hortis plantandis. Dat enim Dominus patientiam, quando doloris, ac moleſtiæ leuamenta præbet: qualia hîc videri poſſunt, quæ in exilio patriæ, ac domus commoditatem præſtant: nempe domicilium habere ſtabile, curíſque domeſticis opportunum: hortos plantaſſe, vbi & animum à moleſtia leues, & prouentus inde neceſſarios capias: habere vxores, & liberos, quorum ſuauitate, atque opera te ipſum oblectes, & ſubſidium habeas ſenectutis. Hoc ego interpretor, à Domino miſeris dari patientiam, id eſt, quò patienter ferant ſeruitutis incommoda. Licèt non incommodè interpretari quis poſſet, vires addere, atque conſtantiam, ne quis ſuccumbat dolori, aut iniquæ fortunæ pondere frangatur. Sed, quod proximè dixeram, magis videtur ad capitis filum, & neſcio quomodo Diuinam clementiam magis oſtendit, qui amara ſic condit, vorari vt poſſint non difficilè.

Patientiam dat Dominus laboranti.

Verſ.12. *Et inuocabitis me, & ibitis; & orabitis me, & ego exaudiam.*] 12.
Videri alicui poſſet hîc hyſteron proteron, & eſſe legendum, ordine muta-

to, *ibitis, & inuocabitis me*; ſed placet, quod viſum eſt pleriſque, nihil hic eſſe immutandum: ſed adhuc explicatio difficilis, neque omnibus eadem. Hieronymus, & cum eo Dionyſius,& Lyra, ad tempus referunt, quod Iudæorum libertari ſucceſſit: Tunc, inquiunt, inuocabitis me, & ibitis in Ieruſalem, vt ibi oretis. Ego tribus clauſulis eandem ineſſe puto ſententiam, ter quoque repetitam: nempe exoratum aliquando Deum conceſſurum Iudæorum precibus reditum in patriam. Quas ego clauſulas in hunc modum interpretor: Inuocabitis me pro reditu nempe in patriam, & voti veſtri compotes in illam ibitis. Orabitis me pro reditu, & exoratus ego vos reducam. Quæretis me,& inuenietis placatum, & mitem, ſi toto tamen quæſieritis animo. Et tandem hæc complectitur, & explicat, dum ait: *Et inueniar à vobis, & reducam captiuitatem veſtram.*

13. Hoc loco Hieronymus obſeruat,quanti Deus orationem faciat. Abſque inuocatione, & oratione captiuorum poterat implere Dominus quod promiſerat: ſed hortatur eos ad preces, vt, quod promiſſum eſt, mereantur accipere. Idem etiam Gregorius docuit, libro 1. Dialogorum capite 8. probátque exemplo Iſaac, qui precibus obtinuit, ne ſterilis maneret Rebecca: cùm tamen Deus iam antè ſtatuiſſet, multiplicare eius poſteritatem ſupra cæli ſtellas, & arenam maris. Vide etiam Auguſtinum de Eccleſiaſticis dogmatibus cap.96.

Orari vult Deus etiam ad ea, quæ promiſit.

14. Verſ.15. *Quia dixiſtis: Suſcitauit nobis Dominus Prophetas in Babylone.*] Sicut in vrbe Prophetæ fuere falſi, qui Sedeciam, populúmque Solymitanum, mendaci ſpe lactarent; ſic etiam in Babylone non deerant, qui captiuos ſiue adulati, ſiue inſidiati in ſpem falſam coniicerent: quorum, vt apparet, verbis fidem habuerunt, qui placentia à Prophetis audire cupiebant, vt ea minacibus aliorum vaticiniis opponerent. Quia ergo hæc ſecum cogitabant, dicebántque captiuis, ideo Deus, quid futurum in poſterum ſit, verbis ſignificat manifeſtis, ne quid ab aliis deinceps expectent, aut quod feſtinam magis libertatem promittant, aut libertatis ſpem omnino præcidant: quod non ſemel fecerunt pſeudoprophetæ, & augures Babylonij, vt diximus in noſtris Commentariis in Zachariam, ad illud capitis 10. *Diuini viderunt mendacium,& ſomniatores loquuti ſunt fruſtra.*

15. Verſ.16. *Quia hæc dicit Dominus ad Regem, qui ſedet ſuper ſolium Dauid.*] Quia non aliter nugabantur in vrbe Hieroſolymitana pſeudoprophetæ, quàm in Babylone veteratores alij eodem quo Babylonios modo, Solymitanos quoque ſomniatores ſugillat, traducítque. Quibus edicit, tam longè abfore, vt promiſſionis, ac voti compotes fiant: vt potiùs ipſis gladio, fame, ac peſte, miſerandum in modum pereundum ſit: quod etiam ad captiuorum ſolatium dictum puto, quibuſcum mitiùs actum eſt, quia ſe maturè Babylonij imperio crediderunt, quàm cum illis, qui in patria remanſerunt, futuris poſtea eiuſdem calamitatis conſortibus.

16. Verſ.17. *Et ponam eos quaſi ficus malas, quæ comedi non poſſunt.*] Eadem ſimilitudine vſus eſt Propheta capite 24. vbi nos ea de re pluribus, quæ hîc repetere neceſſarium non erit. Oſtenditur autem ea ſimilitudine, quantum ſit futurum diſcriminis inter eos, qui ſe cum Iechonia Babylo-

A niis dederunt, & eos, qui cum Sedecia poſtea armis ſubacti,& in exilium ablegati ſunt. Quidam exiſtimant, eos, qui cum Sedecia capti ſunt, etiam poſt annos ſeptuaginta, nunquam in patriam fuiſſe reuerſos. Ita Hieronymus ex aliorum, credo, ſententia, in illud Ezechielis capite 11. verſu 17. *Congregabo vos de populis.* Sed hoc dici nullo modo poteſt: quia quod hoc capite de ſeptuagenario exilio dicitur his, qui cum Iechonia tranſlati ſunt, idem capite 25. promittitur omnibus indefinitè Iudæis: neque in Cyri decreto, quo laxata eſt Iudæorum captiuitas, vllus exceptus fuit ex Iudæorum populo. Adde, quòd Ezechiel capite 5. hoc ipſum ſignificauit apertè, B cùm partem aliquam rediturum eſſe dixit eorum, qui cum Sedecia tranſlati ſunt.

Redierunt ab exilio tã qui cũ Sedecia, quàm qui cum Iechonia trãſmigrarunt.

17. Nunc ergo videndum, in quo ſpectari poſſit diſcrimen illud, quod duo ficuum calathi cum tanta diuerſitate portendunt: nam maximum eſſe neceſſe eſt, vt perſpicuè docet ipſe Dominus. Reſpondeo, in eo ſpectari maximè, quia in eos, qui cum Iechonia commigrarunt, mitius fuit Chaldæorum imperium: ſic enim in aliena regione pacificè vixerunt, vt vixiſſe videri potuerint in ſua. Habuerunt quippe domos, plantauerunt hortos, & in alieno ſolo ſuam quoque habuiſſe videntur qualemcunque Rempublicam. Habuerunt quippe Iudices, qui Iudæorum cauſas, controuerſiáſque diſcernerent, vt probant ſenes illi duo, qui Suſannæ pudori inſidiati ſunt, C quos tempus habuiſſe deſignatum cauſarum cognitioni, iúſque legitimum, ex Daniele capite 13. verſu 5. liquet. *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes Iudices in illo anno,&c. & veniebant ad eos omnes, qui habebant iudicia.* Quo verò loco, quámque honeſto habiti fuerint Iudæi, probat Ioachim vir Suſannæ, de quo ibidem. Erat autem Ioachim diues valde, & erat ei pomarium vicinum domui ſuæ; qui iuxta Ieremiæ verba, de quibus nuper, ædificarat domum, plantarat hortum, & vxorem duxerat, cui ancillas dederat, quod amplæ, ac ſplendidæ familiæ argumentum eſt.

Mitius exiliũ fuit iis, qui cum Iechonia trãſmigrarunt.

Contrarium accidiſſe puto tam Sedeciæ, 18.
quàm iis, qui cum ipſo ſub iugum inuiti miſſi D ſunt: de quibus multa nunc planè dura, ſicut ſuprà, capite 24. adeò vt futuri dicantur in maledictum, ſibilum, & prouerbium. De his, credo, intelligenda ſunt, quæ à Ieremia in Threnis de captiuorum ignominia, vexatione, & ſordibus dicuntur: vt, quòd amplexati ſint ſtercora, qui croceis olim amiciebantur; & eorum denigrata ſit facies ſuper carbones, qui priùs lacte fuerant candidiores: quòd à fame fuerit ſicut clibanus exuſta pellis; quòd Principes ſuſpenſi, oppreſſæ virgines, in nefarium libidinis vſum adacti iuuenes. Hæc ſanè ſpeciem referunt peſſimarum ficuum, quæ intueri nemo ſine nauſea poteſt, nedum guſtare. Cætera ad verſum vſque 19. explicata ſunt capite 24. ad finem.

E Verſ.19. *Eò quòd non audierit verba mea.*] Pro- 19.
poſito, quod dabit Sedecias, ſupplicio, quia audire noluit Prophetarum verba ex ore Domini, ab obſtinatione ſimili deterret captiuos Babylonicos, ne ipſi, ſi veſani conſilij conſortes eſſe voluerint, in ſimilem vexationem, & ludibrium incurrant. ideo addidit: *Vos ergo audite,&c.*

Verſ.21. *Ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam* 20.
filium Maaſiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter.] Altera iam epiſtola eſt, non ad captiuos, ſed ad duos ſceleratos viros, qui mendaciis lacta

A lactabant credulum populum, & ipſi luxurioſè viuebant. Hebræi, vt Hieronymus tradit, duos hoſce pſeudoprophetas ſenes illos eſſe putant, qui Suſannæ pudori moliti ſunt inſidias: neque illorum ſententiæ abeſt aliqua ſimilitudo veri, quam probant, ſequunturque tam ex antiquis, quàm ex recentioribus non pauci. Ego, vt verum fatear, opinionem illam probare nunquam potui, quia non conuenit in Danielem, qui ſenes illos mendacij coarguit, nomen *pueri iunioris*, cùm eo tempore iam eſſet grandior, quando epiſtola hæc ſcripta dicitur, poſt migrationem nempe Iechoniæ; Græcè eſt παιδαρίου νεωτέρου, ideſt, *puеruli iunioris*. Item, quia ſenes illi lapidati dicuntur à B populo, hi verò pſeudoprophetæ à Nabuchodonoſor igne combuſti, ſeu frixi in ſartagine. Adde, quòd illi Iudices vocantur populi; hi verò Prophetæ mendaces. Cùm verò pſeudoprophetæ verorum exprimere ſolerent imaginem, atque ideo humanarum rerum contemptores videri vellent, veſtéque vterentur cilicina, ideſt, dura, atque horrida (hæc enim veſtis erat prophetica, vt oſtendit Zacharias capite 13. vbi cùm ageret de Prophetis mendacibus ait: Nec operientur pallio ſaccino, vt mentiantur) contemnerent ipſi iudicandi munus: neque populus in habitu ſylueſtri, & ſordido præeſſe vellet homines conſiliis publicis. Scio eſſe aliquid, quod his rationibus reſponderi poſſit; ſed in re conie- C cturali plurimum habet momenti, quod magis videtur expeditum, & promptum, quódque obuium eſt ei, qui primùm ad intelligendum mentem applicuit. Ita putat Maldonatus hîc, & Pereira in Danielem.

21. *Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis: & percutiet eos in oculis veſtris.*] Iam Deus veteratores iſtos in manus Nabuchodonoſor antè tradiderat, ſiue cumprimùm venit in Ieruſalem ſub Ioacim, quo tempore Daniel captus eſt, ſiue cùm aliquot poſt annos plures alios abduxit Babylonem, tradiderat tamen in ſeruitutem, quam honeſtè tranſegiſſe videntur, non tamen ad mortem, tanquam capitalis ſupplicij D reum. Cur verò in eorum caput tam grauiter animaduerterit Nabuchodonoſor, coniectare licet, ex illorum inſtituto, & fallaci, atque odioſo vaticinio. Nam, vt ex hoc capite promptum eſt, pſeudoprophetæ, qui erant apud Babylonios exules, clamabant, frangendum eſſe propediem Babylonicum iugum, ipſóſque breui libertatis, ac patriæ futuros eſſe compotes: quod Regi inſolenti, ac barbaro, non poterat eſſe non odioſum. Hanc ſatis grauem cauſam eſſe puto, cur tam in illos durè ſæuitum, atque animaduerſum ſit.

22. Verſ. 22. *Et aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iuda.*] Eximium aliquid eſt, & ſupra commune fortunæ, ſiue naturæ modum; vnde E aut vota ſibi homines orant, & amicis, aut hoſtibus infortunium imprecantur. Ex huiuſmodi euentibus, in quibus nihil videmus accidiſſe vulgare, orta ſunt plurima in omni penè natione prouerbia, vt, *Herculei labores, Ino mala, Ilias malorum*, &c. Is ergo dicitur futurus eſſe cruciatus, ea ignominia duorum pſeudoprophetarum, vt locum faciant Babyloniis execrationi prouerbiali, qui dum aliis horribile aliquid precabuntur, dicent: Contingat tibi, quod Achab, & Sedeciæ, quos in igne torreri fecit Nabuchodonoſor.

A *Quos frixit Rex Babylonis in igne.*] Ignis pro graui cruciatu ſumitur, à quocunque ille inſtru- 23.
mento proueniat, vt non rarò in Scriptura videmus. Nam filij Iſraël, quia dura apud Ægyptios ſubierunt, educti eſſe traduntur de ferrea fornace, Deuteronomij 4. verſu 20. Et Ioſue 7. verſu 13. cùm præcepiſſet Dominus igne comburi, quicunque de anathemate Iericho aliquid acciperet; tamen verſu 25. propter illud ſcelus lapidatus eſt à populo, iubente Ioſue, qui ſanè Diuinum præceptum non eſt tranſgreſſus. Hinc puto, vt capite 1. diximus, ad illud, *Ollam ſuccenſam ego video, ollam, & lebetem*, quibus ignis ſubiicitur, pro graui aliquo cruciamento ſumi: atque B ideo hoc loco frixura in igne pro lapidatione ſumi poſſet, vt vidimus in Acham, & in his duobus ſenibus aliquid etiam videmus non diſſimile: nam, cùm lapidibus oppreſſi fuerint à populo, ſecandi tamen, ac diuidendi medij dicuntur à Daniele capite 13. quorum alteri dictum eſt verſu 55. *Angelus Dei ſcindet te medium*; alteri verſu 58. *Manet Angelus Domini gladium habens, vt ſecet te medium.* Sed, vt dixi, verba hæc propriè opinor exponenda eſſe, non figuratè: tum quia, quod eſt à lapidatione ſupplicium, licèt apud Hebræos vſitatum, & frequens, apud nationes alias vſitatum non eſt: neque, quod ego viderim, à lege vllibi conſtitutum, niſi apud Luſitanos, vt tradit C Strabo libro 3. Quod autem ab igne, id aut à lege decretum eſt, aut receptum à conſuetudine. Sanè apud Babylonios, & Chaldæos, extingui homines, aut torqueri igne, teſtimonio nobis eſt Abraham, qui de Vr Chaldæorum, ideſt, de igne liberatus dicitur à Domino: & ſub hæc tempora ab eodem Nabuchodonoſor tres pueri traduntur in fornacem coniecti: quomodo Antiochus ſuccendi iuſſerit ollas, & ſartagines æneas ad Machabæorum cruciamenta. Vide librum 1. Machabæorum cap. 7.

Ignis, pro quocunque ſupplicio.

Ioſue 7.

Verſ. 23. *Pro eo quòd fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mœchati ſunt in vxores amicorum ſuorum.*] Igno- 24.
rantem appellat Philoſophus hominem peccatorem, quia ea facit, licèt ſciens, & videns, quæ D à ſapientis viri prudentia, atque animo abeſſe quàm longiſſimè debent: ſic etiam ignorantia dicitur peccatum, Pſalmo 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* & 2. Regum 13. Thamar fratrem ſuum à peccando deterret his verbis: *Noli facere ſtultitiam hanc.* Quòd ſi iuſtus vocatur ſapiens in Scriptura, conſequens eſt, vt impius ſtultus appelletur, & ignorans. Iob capite 24. *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo, intelligentia.* Stultitiam operati dicuntur duo hi nugatores, ideſt, peccatum; cùmque alia, atque alia admiſiſſe peccata videri poſſint, cùm ſanctitatis ſpeciem aſſumpſerint, & propheticum nomen, quod ſuperbi animi eſt, à quo abeſſe pleraque alia flagitia non ſolent, duorum E tantùm hîc Propheta meminit; luxuriæ, qua in proximorum vxores exarſerunt, & quòd mendaciis ſuis, vt Diuinam conciliarent auctoritatem, Diuini nominis fidem prætendebant. Hinc ſibi perſuadent aliqui, hos eſſe ſenes illos, qui Suſannæ pudori illudere voluerunt: quorum ſententiæ nihil fauent Suſannæ paratæ inſidiæ, & intentatum adulterij crimen: nam ſtatim atque impuram illam cogitationem ſuſcepere, ſublati ſunt capitali ſupplicio. Fauet tamen quod Danielis 13. verſu 57. à Daniele ſenibus obiicitur: *Sic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur* vobis

Peccator ſtultus.
Stultitia, pro peccato.
Pſal. 24.
2. Reg. 13.

vobis (idest, veſtræ obſequebantur libidini) *ſed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram.* Sed neque id plurimum cogitationem noſtram premit: nam vitium illud temporibus illis ſic erat familiare Iudæis, vt omnibus publicè illud Ieremias obiecerit capite 5. Sic enim ad Ieruſalem de ipſius filiis: *Saturaui eos, & mœchati ſunt: & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Quare ex communi vitio non eſt cur certam aliquam perſonam deſignemus. At dicis, ſi tam luxuries familiaris eo ſæculo, & communis omnibus, cur tanquam nouum, atque inſolens obiicitur duobus iſtis pſeudoprophetis? In promptu ratio eſt: quia cùm hi Prophetæ videri vellent, ac ſancti, libidinem ſuam alioqui profuſam hypocriſi ſubdola, & magno aliquo artificio cælabant: qui quiduis aliud videri mallent, quàm molles, & adulteri: illorum tamen libidines, & Veneris furta cælata tenebris euocauit Dominus in lucem, conſpectúmque hominum, quæ Diuinos oculos latere non poſſunt. Et ideo ad hæc accommodatè ſubditur: *Ego ſum iudex, & teſtis, dicit Dominus.*

25. Verſ. 24. *Et ad Semeian Nehelamiten dices, &c.*] Hæc iam tertia epiſtola eſt, quam cum duabus aliis ad Babylonios exules dedit Ieremias. Semeias iſte, vt apparet ſtatim verſu 31. vnus erat è Prophetarum numero, qui ſpe libertatis proximæ populum lactabant, hortabantúrque, vt eſt veriſimile, ne plantarent hortos, aut domos extruerent, tanquam breui Babylonicum ſolum relicturi. Cur dicatur Nehelamites, obſcurum: quidam ab vrbe Nehelam vocatum exiſtimant, quod nomen in nullo alio Scripturæ loco reperitur. Rabbi Dauid à radice חלם *chalam* deducit, quæ ſomniare valet: quaſi dicat; *ad Semeiam ſomniatorem.* quodcunque probabile eſt; neque magni refert, hócne, an illo modo capias.

26. Verſ. 25. *Pro eo quod miſiſti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui eſt in Ieruſalem, & ad Sophoniam filium Maaſiæ Sacerdotem, & ad vniuerſos Sacerdotes.*] Sumpſit, credo, Semeias iſte epiſtolas plures, neque enim ſine cauſa libros miſiſſe dicitur in plurali, non librum: quas, veriſimile eſt, retuliſſe legatos Sedeciæ, qui priores literas Ieremiæ portauerant. Erant autem literæ querelarum, & accuſationum plenæ contra Ieremiam, quòd ægrè affeciſſet exulum animos, diuturnámque fore captiuitatem aſſereret, contra aliorum Prophetarum, & augurum fidem: vt in Prophetam duriùs animati, vel exacta lingua loquendi libertatem præſcinderent. Hæc fortaſſe ad populum. Ad Sophoniam autem Sacerdotem, eodem ſpiritu, furioſas literas dat, de quibus ſtatim.

27. Cur ad Sophoniam datæ fuerint propriæ literæ, iam explorandum. Sacerdotem eſſe ſummum, quidam exiſtimant, quia datus eſſe dicitur pro Ioiade, qui planè ſummus Pontifex fuit. At conſtat, hoc eodem tempore alium inter Sacerdotes fuiſſe ſummum, nempe Saraiam, cui dignitate proximus videtur eſſe Sophonias hic: de vtroque libro 4. Regum capite 25. *Tulit magiſter militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem ſecundum.* Quem magno in loco apud Regem fuiſſe, ex eo conſtat, quia à Rege miſſus eſſe dicitur ad Ieremiam cum mandatis de communi re cum Phaſſur, capite 21. verſu 1. & iterum capite 37. verſu 3. Eſt autem veriſimile (neque enim hac de re quicquam affirmari poſſe puto.) Sacerdotibus hiſce ſecundis aliquid eſſe permiſſum vel à Pontifice Maximo, vel à conſuetudine, in eorum vitam, aut corpus, qui in aliquo peccatorum genere deliquiſſent. Sicut etiam videmus à ſumma poteſtate, ſiue ciuili, ſiue ſacra, vicariam facultatem delegari aliis, vt in hominum mores inquirant, aut in illorum caput animaduertant. Quam habuiſſe puto Sophoniam, & Phaſſur, qui quaſi ordine, & dignitate pares legationem à Rege ad Ieremiam obierunt capite 21. At ſcimus à Phaſſur alio Ieremiam in neruum eſſe coniectum capite 20. qui tamen Sacerdos non erat ſummus, ſed *conſtitutus Princeps in domo Domini*; vt de quibuſdam controuerſiis cognoſceret, vt veriſimile eſt. Cur autem, qui ſummus non eſt, Princeps dicatur Sacerdotum, diximus ad hunc locum cap. 20.

Sacerdotibus aliis aliqua iudicia permiſſa à ſummo Pontifice.

Verſ. 26. *Dominus dedit te Sacerdotem pro Ioiade* 28.
Sacerdote, vt ſis dux in domo Domini, ſuper omnem virum arreptitium, & prophetantem, vt mittas eum in neruum.] Licèt Ioiada ſummus fuerit Sacerdos, non tamen fit, vt qui pro Ioiade datus eſt Sacerdos, ſummus fuerit; quia aliquid commune habere potuit cum Sacerdote ſummo; ſicut in Republica multi ſunt, qui de aliqua quæſtione cognoſcere, & iudicare poſſunt. Credo igitur tam primo, quàm ſecundo Sacerdoti, integrum eſſe de arreptitiis, falſis Prophetis, & publicæ pacis turbatoribus, iudicium exercere legitimum; qua in re Sophonias Ioiadæ ſuffectus eſſe videri potuit: quod ipſe Propheta non obſcurè ſignificat, dum ait: *Vt ſis dux in domo Domini ſuper omnem virum arreptitium.* Quæ pars communis erat tam primo, quàm ſecundo Sacerdoti. Meminit autem Ioiadæ præcipuè, quia hic, vt obſeruauit Hieronymus, Mathan occiderat Sacerdotem Baal. Dicebatur verò Propheta arreptitius, quia ſpiritu inſtinctus alieno extra poſitus furere videbatur: quod licèt in Prophetas veros non conueniat, qui nunquam ſic arripiuntur, vt amentes fiant, arreptitij tamen à Semeia dicuntur, quia falſos exiſtimat Prophetas, quos mendax inſtimulat ſpiritus, ſcilicet, Pythonicus, aut fanaticus: quomodo inſtincta dicitur, & exagitata à Virgilio Sibylla, Æneidos libro 6.

Arreptitij qui.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum. Tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

De illorum furore, diſtorſione oris, & indecoro vultu, qui vocari poſſunt arreptitij, quóſque malus ſubit, & exagitat dæmon, vide Gregorium Nyſſenum in vita Thaumaturgi, Chryſoſtomum homilia 29. in epiſtolam 1. ad Corinthios. Sed audi Ciceronem libro 2. de Diuin. vbi optimè de iſtis arreptitiis, ſeu diuinis: *Quid verò habet auctoritatis furor iſte, quem Diuinum vocatis, vt quæ ſapiens non videt, ea videat inſanus; & is, qui humanos ſenſus amiſerit, Diuinos aſſecutus ſit?*

Hæc aut his ſimilia patiebãtur diuini, & malefici, quotũ è numero à Semeia putabatur Ieremias. 29.
Accedebat, quòd veri etiam Prophetæ aliquid faciebant interdum, quod vulgò homines affine iudicabant inſaniæ, vt cùm Ieremias poculum propinabat, tam Sedeciæ, quàm externarum gentium legatis, & ligneas catenas in collo geſtabat, cùm Iſaias nudus inceſſit, Ezechiel vaſa ſumpſit tranſmigrationis, & Zacharias vaſa ſtul-

Prophetæ aliqui inſani vocati.

ti

ti paſtoris. Neque mirum, ſi homines, qui à natura ducuntur, & ſenſu, hæc amentiæ damnent, & arreptos potiùs à ſpiritu Pythonico putent, quàm à Diuino afflatos. Sanè Eliſæus 4. Regum 9. 11. inſanus dictus eſt: *Quid venit inſanus iſte ad te?* Quid ſit neruus, in quem à Sacerdote Phaſſur compactus fuit Ieremias, diximus ſuprà capite 20.

Verſ.27. *Et nunc quare non increpaſti Ieremiam?*] Coarguit Sacerdotem inertiæ, aut timidi, ſiue languentis animi, quòd Ieremiam impunitum abire permiſerit, cùm tamen populo annunciare dura, eáque propediem euentura non dubitauerit. Et quò Sacerdotis animum in Prophetæ ſiue ignominiam, ſiue exitium magis inflammet, docet illa eadem, quæ Hieroſolymæ coràm ad ciues, Babylone quoque per literas ad exules fuiſſe loquutum: vbi explicat, quid ſibi voluerit Ieremiæ liber, cùm ædificare domos iubet, & hortos plantare, nempe exilium fore diuturnum, & in longum tempus parari debere ad vitam neceſſaria.

31. Verſ.31. *Mitte ad omnem tranſmigrationem dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeiam.*] Cùm à Sophonia accepiſſet Propheta, cum obiurgatione fortaſſe, quod accepiſſet à Semeia Nehelamite: rurſus aliud à Domino mandatum Ieremias accepit, vt aliam ad tranſmigrationem, ideſt, ad
A Babylonicos exules epiſtolam mittat, vt diſcant, credendum non eſſe Semeiæ, quem ſuus potiùs tranſuertit ſpiritus, quàm Diuinus agit, & informat.

Verſ.32. *Ecce ego viſitabo ſuper Semeiam Nehe-* 32.
lamiten, & ſuper ſemen eius: non erit ei vir ſedens in medio populi huius.] Adeſſe iam prope reditum in patriam clamat Semeias, Dominus contrà, non niſi exacto iam anno ſeptuageſimo; pœnas verò daturum dicit Semeiam, quæ in poſterorum quoque perniciem redundabit. Dicit enim, tam ipſum, quàm ipſius ſobolem in exilio periturum, neque fore ex eius ſemine quemquam, qui Hieroſolymam videat, parentum ſuorum antiquam ſedem, aut fruatur eo bono, quod Dominus poſt
B ſeptuageſimum annum captiuis indulgebit, quia in exilio ad vnum omnes conſumentur.

Quia præuaricationem loquutus eſt aduersùs Domi- 33.
num.] Præuaricator dicitur in re iudiciali, atque forenſi, qui contra illum agit, à quo ſtare ſe dicit. Hìc verò præuaricationem loquutus Semeias dicitur, quia cùm Domini cauſa laborare ſe dicat, Diuinúmque nomen ſuis verbis prætendat; euertit tamen, quæ per Ieremiam denunciantur, quæ Dei voluntatem, & imperium continent, facítque, vt alij præuaricentur, ideſt, à Dei placito, conſilióque diſcedant. Hæc de capite vigeſimonono.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXX.

IVBET Propheta Dominus, vt quæ ad illum vſque diem accepit oracula, referat in volumen, vt magis ſuo tempore conſtet dictorum fides. Illa verò partim minas continent, & exitus amaros, partim benigna, atque optata promiſſa. In promiſsis verò ſiue proponendis, ſiue explicandis, tota fermè capitis ſumma verſatur. Proponit primùm, quàm multa, & grauia populus acceperit vulnera: quæ ad vnum omnia Dominus ſanaturum ſe dicit; ita vt ad quietem, & gloriam, ex qua cecidit, nihil in poſterum deſideratura videatur Ieruſalem.

IEREM. CAP. XXX.

1. *HOc verbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens:* A

2. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus ſum ad te, in libro.*

3. *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: & conuertã conuerſionem populi mei Iſraël, & Iuda, ait Dominus: & conuertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, & poſſidebunt eam.*

4. *Et hæc verba, quæ locutus eſt Dominus ad Iſraël, & ad Iudam:* B

5. *Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audiuimus: formido, & non eſt pax.*

6. *Interrogate, & videte ſi generat maſculus: quare ergo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis, & conuerſæ ſunt facies in auruginem?*

7. *Væ, quia magna dies illa, nec eſt ſimilis eius: tempúſque tribulationis eſt Iacob, & ex ipſo ſaluabitur.* C

8. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam, & non dominabuntur ei ampliùs alieni:*

9. *Sed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid* Regi

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. HOc eſt verbum, quod accepit à Deo Ieremias:

2. Refer, inquit Dominus Deus Iſraël, ô Ieremia, in librum omnia verba, quæ ad hunc vſque diem loquutus ſum ad te, vt conſtet, quemadmodum omnia succeſſum habuerint à me prædictum.

3. Aderit, inquit Dominus, tempus, cùm captiuum populum tam ex Iuda, quàm ex Iſraël ab exilio reducam. Reducam, inquam, ad locum, quem olim eorum parentibus attribui, vt illum poſtliminio poſſideant.

4. Hæc Dominus ad Iſraël, & Iudam loquutus eſt.

5. Vox, quam audiuimus, inquit Dominus, vox eſt, quæ terrorem ſonat, & formidinem; quæ nihil pacificum, & quietum portendit.

6. Videre mihi videor in maſculis fœminarum parturientium imaginem: viri etenim manus ad lumbos apprimunt, quod faciunt fœminæ, quando cum graui partus difficultate conflictantur. Quorum facies ab angore, & metu, tum etiam à fame talem contraxêre pallorem, qualem eſſe videmus in auro.

7. Heu, grauis erit dies illa, quæ Iudæorum res, rationéſque turbabit; quæ magna meritò vocari poteſt, quia magnam rebus mutationem, & ruinam inducet, cui non eſt vlla ſimilis. Tempus adueniet turbidum, & ærumnoſum Iacob; ſed poſt tempus illud calamitoſum, & lugubre, ſalus adueniet, & libertas.

8. Eo verò tempore, dicit Dominus, confringam iugum, quod Babylonius impoſuit collo tuo, & vincula diſrumpam iugalia: neque iam ampliùs in te imperium agitabunt externi.

9. Sed ſeruient pro mortali Domino, immor

Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.

10. *Tu ergo ne timeas ſerue meus Iacob, ait Dominus, neque paueas Iſraël: quia ecce ego ſaluabo te de terra longinqua, & ſemen tuum de terra captiuitatis eorum: & reuertetur Iacob, & quieſcet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet:*

11. *Quoniam tecum ego ſum, ait Dominus, vt ſaluem te: faciam enim conſummationem in cunctis Gentibus, in quibus diſperſi te: te autem non faciam in conſummationem: ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*

12. *Quia hæc dicit Dominus: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.*

13. *Non eſt qui iudicet iudicium tuum ad alligandum: curationum vtilitas non eſt tibi.*

14. *Omnes amatores tui obliti ſunt tui, téque non quærent: plaga enim inimici percuſſi te caſtigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua.*

15. *Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

16. *Propterea omnes, qui comedunt te, deuorabuntur: & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur: & qui te vaſtant, vaſtabuntur, cunctóſque prædatores tuos dabo in prædam.*

17. *Obducam enim cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te, dicit Dominus. Quia eiectam vocauerunt te Sion: Hæc eſt, quæ non habebat requirentem.*

18. *Hæc*

A immortali Deo, & Chriſto, quem ex genere ſuſcitabo Dauidico; & qui Dauidis inſtar, animo paterno, ac prouido, excubias agat pro ſuorum ſalute.

10. Tu ergo Iacob, ſerue mi, timere noli. Timere, inquam, noli, ô Iſraël; ſaluabo etenim te de terra longinqua, & filios tuos de exilio vendicabo. Cúmque reuerſus fuerit Iacob, otioſo, atque tranquillo requieſcet animo; neque externa vlla vexatione turbabitur. Omnibus abundabit & pacis ornamentis, & vitæ ſubſidiis, ne-
B que vllus occurret hoſtis, quem formidet.

11. Tibi enim ſemper adero, vt te ex omni periculo præſtem incolumem. Delebo quidem omnes gentes, quas captiuus obieris. Te autem licèt affligam aliquandiu, non omnino perdam: ſic enim attentè, & cum iudicio attemperabo ad plagam vltricem manum, vt neque pereas, neque tibi ipſi de inculpata vita blandiaris.

12. Inſanabilis, ait Dominus, eſt confractio tua, & plaga omnino peſſima, quæ
C leuari non poteſt à mortali manu.

13. Si ſanabilis eſſet crudelis illa plaga, nihilominus ſanitatem non acciperet, quia nemo de illa ſananda, aut lenienda cogitaret; ſed ab homine nulla, quæ tibi futura ſit ex vſu, medicina parabitur.

14. Omnes enim amici, ac fœderati tui, qui medicinam tibi admouere poſſe videbantur, neque tui recordabuntur, neque quid grauis illa plaga requirat, aut cogitabunt, aut quærent. Sanè caſtigatione, qualis à crudeli, & plaga, qualis infligi ſolet ab hoſte, percuſſi te, propter multitu-
D dinem iniquitatum, atque duritiem peccatorum tuorum.

15. Quid clamas, & luges, quia te vexari vides, & durè iactari? Sanè dolor tuus ab humano ſubſidio leuari non poteſt, propter peccata grauia, & plurima, in quibus obduruiſti.

16. Propterea, vt promiſſa compleam, licèt plaga ſanari non poſſe videatur, efficiam, vt commutata fortuna, deuorentur illi, quibus tu priùs prædæ fuiſti, & captiui à ſuis finibus abducantur, ſeruitutémque ſubeant duram, & ignobilem, quam aliis
E induxêre; prædæque ſint aliis, qui prædatores fuerunt; & ſpoliati bonis inopes fiant, qui alios bonorum omnium poſſeſſione nudauerant.

17. Plurimis fuiſti, ô Ieruſalem, conciſa vulneribus, ab illis tamen liberabo, & faciam, vt obducta cicatrice, cum ſanitate ſpecies quoque reſtituatur. Vocabant quidem Gentes, quæ tuam ignominiam, & nuditatem norant, te derelictam, tanquam ſponſam cum libello repudij à viro dimiſſam:

A dimiſſam: dicebántque, nullum eſſe, qui
cauſam illius, & patrocinium ſuſciperet,
aut de obligando vulnere cogitaret.

18. Hæc dicit Dominus: Ecce ego conuertam conuerſionem tabernaculorum Iacob: & tectis eius miſerebor, & ædificabitur ciuitas in excelſo ſuo, & templum iuxta ordinem ſuum fundabitur.

18. Sed non deerit, qui ſauciæ medeatur, aut qui abiectam requirat. Ego enim, dicit Dominus, antiquam inſtaurabo Hieroſolymæ gloriam; conuulſa quippe reſtituam tabernacula, & tectorum, quæ graui collapſa fuerunt ruina, miſertus, illa rurſus excitabo è rediuiua materia; & exuſtum templum, & deformata ciuitas in ſuo quæque loco, atque ordine reſurgent.

19. Et egredietur de eis laus, vóxque ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glorificabo eos, & non attenuabuntur.

B 19. Ceſſarat ex vrbe vox laudis, in
templo, & in plateis chorus exultantium,
ſed chorum, & laudem iam pridem intermiſſam, ego reducam: neque iam illorum, qui exultabunt, & canent, minuetur, ſed potiùs valde amplificabitur numerus. Et qui aliorum iniuriis, atque ludibrio ſuberant, faciam vt gloria ſint, neque deinceps attenuentur fame, aut tabe conſumantur.

20. Et erunt filij eius ſicut à principio, & cœtus eius coram me permanebit: & viſitabo aduersùm omnes qui tribulant eum.

20. Et erunt filij Ieruſalem ſicut à principio elegantes, & plurimi. Implebo námque noua ſobole viduatam à filiis Hiero-
C ſolymam. Quorum ego cœtibus, vt bene
ſit, attentis oculis prouidebo. Neque impunè ferent, ſi qui contra illos aduerſum aliquid moliantur.

21. Et erit dux eius ex eo: & princeps de medio eius producetur: & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum vt appropinquet mihi, ait Dominus?

21. Neque alieno parebunt imperio, aut externum ſicut priùs ſequentur ducem; ſed ducem habebunt, & Principem, ex ſuo genere prognatum, quem ego populo præponam, qui ad me accedet, neque aliter quàm à me præſcriptum fuerit, moderabitur populum. Nunc verò quis eſt, qui accedat ad me, & cogitationes ſuas ad
meam voluntatem attemperet? dicit Do-
D minus.

22. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

22. Tunc aſſumam vos in populum meum, cuius præcipuam quandam rationem habeam: & me vos Deum accipietis, cui tanquam legiſlatori, ac duci pareatis.

23. Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquieſcet.

23. In caput autem impiorum furor meus turbinis in modum erumpet, qui in populi Iudaici hoſtes violentus graſſabitur, & eos graui ſternet, & repentino caſu, neque exiguo apud illos immorabitur tempore.

24. Non auertet iram indignationis Dominus, donec faciat & compleat cogitationem cordis ſui: in nouiſſimo dierum intelligetis ea.

E 24. Furor hic meus non erit eiuſmodi,
vt citò deficiat, aut langueſcat; ſed conſtans, & efficax, qui non ſedatur, niſi poſtquam completo, quod antea deſignauerat, ſibi ipſi omnino ſatisfecerit; longiſſimo abhinc, ideſt, ſuo tempore iſtorum apparebit fides.

IN CAPVT TRIGESIMVM IEREMIÆ.

Verſ.2. *Scribe tibi omnia verba, quæ locutus ſum ad te, in libro.*]

1\. *Ieremias in volumen redigit prophetias.*

QVÆ de ſcripto leguntur, aut literis (A) conſignata ſeruantur, maioris vulgò cenſentur eſſe fidei, & plus habere firmitatis. Quæ Deus à ſuis oraculis abeſſe noluit, vt ſi minùs cumulatè promiſſa præſtaret, coargui poſſet leuitatis, aut violatæ fidei. Quid ſcribere Ieremias iubeatur, incertum eſt, cùm non conſtet, quo tempore hoc acceperit verbum, vt inde, quid verborum ad illud vſque tempus habuerit, coniectare poſſimus. Eſt tamen veriſimile, contigiſſe hæc poſt tranſlatum Iechoniam; quo tempore datæ ſunt ad exules Ieremiæ literæ, & à Semeia ad Sacerdotes, & populum de Ieremia puniendo tranſmiſſi libri. ita putat Hieronymus. Illud, *tibi*, in Latino redundat, ſicut alibi ſæpe, idque ex Hebræorum (B) vſu, quibus id eſt perquàm familiare. Qua de re nos in Iſaiam, capite 59. numero 61.

2\. *De Iudæis hiſtoricè, de Eccleſia typicè.*

Verſ.3. *Ecce enim dies venient, dicit Dominus: & conuertam conuerſionem populi mei Iſraël, & Iuda.*] Hic quæri ſolet, neque ſanè immeritò, quia plurimi refert id prius eſſe definitum, An hæc intelligenda ſint de captiuitate, reſtitutioneque poſt longa tempora populi Iudaici ex Babylonica ſeruitute; vel de Chriſti tempore, & libertate longè maiori, & à grauiori iugo? De re Babylonica accipiunt Theodoretus, ſanctus Thomas, & Hugo, & alij plures: de Chriſto Hieronymus, Rabbanus, Dionyſius, & Hugo. Ego, vt aliis in locis pluribus oſtendi, maximè in præfatione ad caput 40. Iſaiæ, hæc de Chriſti tem- (C) pore ſic accipio allegorico ſenſu, vt tamen hiſtorico cenſeam, de re Iudaica, ac Babylonica exponi oportere. Quod tenet Maldonatus, neque negat Hieronymus in huius capitis proœmio, qui dicit: *Quidquid populo Iſraël carnaliter repromittitur, in nobis ſpiritaliter completum eſſe monſtremus.* Qui multa neceſſariò cogitur hiſtoricè de temporaria Iudæorum libertate interpretari. Quomodo verò quæcunque toto capite dicuntur, in Babylonica tempora conueniant, ſuis quæque locis oſtendemus.

3\. *Cum duabus Tribubus plurimi è decem rediêre.*

Et primùm, quod nonnullos in contrariam cogitationem induxit, alio loco à nobis probatum eſt, non ſolùm duas Tribus, Iuda, & Benjamin, quæ in Iudæ familiam contribuitur, vt di- (D) ximus in caput 48. Iſaiæ numero 2. ab exilio reuerſas; ſed etiam è decem Tribubus rediiſſe quàmplurimos, vt latè docuimus item ſuper Iſaiam capite 11. numero 24. & pluribus ſuper Zachariam, capite 8. numero 29. vbi etiam docuimus, cur decem Tribus alibi aut rediiſſe, aut redituræ negentur, quem omnino vide: neque enim hîc iterare lubet.

4\. *REGVLA. Hebrais familiare, nomina cognata verbis addere.*

Conuertere conuerſionem, Hebraiſmus eſt, qui ſæpe vocem verbo cognatam adhibet, ornatus tantùm gratia; vt Pſalmo 67. *Captiuam duxit captiuitatem.* & 2. Paralipomenon capite 28. eadem eſt loquendi forma. Sic ergo hoc loco, *Conuertere conuerſionem populi*, nihil eſt aliud, quàm populum conuertere: qui modus loquendi in hac voce frequens eſt, maximè apud hunc Prophetam. vt ſtatim verſu 18. & poſtea capite 33. verſu 7. Niſi mauis, quod Maldonato placet, ſignificari eos, qui redituri eſſent, à Deo fore conuertendos: neque enim omnes ab exilio rediêre, ſed in Babylone plerique perierunt. Quæ explicatio valde mihi probatur; ad cuius confirmationem obſeruo id, quod ſuprà notaui capite 25. nomina, quæ actionem videntur ſignificare, abſtractámque formam, interdum concretum aliquem numerum, ſeu multitudinem oſtendere. Qua ratione tranſmigratio, circunciſio, diſperſio, congregatio, ſynagoga, Eccleſia, pro diſperſis, circunciſis, congregatis ſumitur: ſic etiam modò *conuerſio* pro his, qui ab exilio conuertentur, vſurpatur.

Verſ.5. *Vocem terroris audiuimus, formido, & non* 5.
eſt pax.] Varij ad varia tempora referunt; &, quod ideo neceſſe eſt, variè etiam exponunt. Ego, vt dicere inſtitui, ad tempus Babylonicum accommodo, quod etiam ſentiunt Theodoretus, ſanctus Thomas, Hugo, Dionyſius, & Maldonatus. Proponitur autem priùs tribulatio grauis, quæ vehementer concuſſit, & miſerabiliter afflixit rem Iudaicam: hæc verò per vocem terroris exprimitur, id eſt, per clangorem, & ſtrepitum militarem, qui formidinem incutit, & ſpem omnem præcidit, & conditionem pacis.

Verſ.6. *Interrogate, & videte, ſi generat maſculus.*] 6.
In parturiente præcipuè, ſi difficili laborat puerperio, duo videntur acerbiſſimi doloris ſigna: inprimis gemitus, quem exprimit è ruptis viſceribus vehemens dolor; deinde habitus ipſe corporis, qui latentem dolorem prodit non obſcuris indiciis; qualis eſt oris diſtorſio, complicatio, atque complosio manuum, percuſſio fœmorum, & ſimilia. In graui autem parturientis nixu manus ſolent ad lumbos, & ilia adhibere puerperæ. Vt verò Scriptura dolorem ingentem, dolorem vocat parturientis: ſic modò parturientis ſigna pro ipſius dolore parturientis vſurpat. Videre, quaſi dicat, video parturientis ſpeciem, quia viri manus ad lumbos apprimunt, quod faciunt, qui cum graui partus difficultate cõflictantur. Id verò cum quadam irriſionis ſpecie ſignificat Propheta, dum ait: *Videte, ſi generat maſculus.* ac ſi dicat, non aliter affecti videntur viri, habitu corporis ad omnem doloris ſenſum compoſito, quàm fœminæ, dum conceptum fœtum cum moleſta viſcerum conuulſione enituntur.

Conuerſæ ſunt vniuerſæ facies in auruginem.] Aliud 7.
doloris, & formidinis argumentum oſtenditur: ſolet enim ſollicitudinem, & metum prodere in varios vultus mutata facies, & pallor in ore. Id enim ſignificat aurugo, quæ vt ab auro deducitur: ſic etiam colorem ſignificat auri; qualis ineſſe ſolet iis, qui morbo laborant icterico. Pallor autem ille prouenire potuit à metu, à quo populus

populus Iudaicus nunquam liber fuit, ex quo Chaldæorum exercitus in fines Iudæorum irrupit: ſcimus enim ab angore, & metu ſolere vultui pallorem induci. Vnde *pallor*, pro *timore* non infrequens. Aut certè à longa fame, & tabe, quæ obſeſſos exhauſère priùs; deinde bona ex parte confecêro.

8. Verſ.7. *Væ, quia magna dies illa.*] Magna dicitur dies, etiam ſi ſpatio aliis maior non ſit, quandò in ea magna hunc rerum momenta: ſiue id ad dignitatem, honeſtatémque pertineat, ſiue ad perniciem, & dedecus. Qua ratione dies ſæculorum extrema dies dicitur magna, quia ex illa pendent magna rerum momenta: ſic dies Reſurrectionis magna vocatur, Actorum capite 2. quia, reſurgente Domino, plurimum lucis, & dignitatis habuit. Sic Oſeæ capite 1. propter cauſam non admodum diſſimilem, magnus dicitur dies Iezrael. Sic ergo nunc dies illa, quæ facies hominum in auruginem vertet, quæ res Iudaicas turbabit; & euertet, magna ſuo iure vocari poteſt, quia magnam rebus mutationem, & ruinam inducet.

Dies magna quæ.

9. *Et ex ipſa ſaluabitur.*] Hinc incipit prophetia benignior, quæ mœrentes animos priorum memoria ſoletur, & reficiat. Poſt tribulationem etenim illam, de qua priùs, ſalus ſequetur, & libertas; confracto iugo, quod Chaldæus impoſuit Iudæorum ceruicibus. In illo, *ex ipſa*, aliquid ſubolet ex Hebræorum idiomate, qui genus fœmineum pro neutro adhibet, vt norunt, qui mediocriter in ſacris literis verſati ſunt. Eſt igitur, *ex ipſa*, idem quod *ex eo tempore*, aut *deinde*, aut *poſtea*. Quare ſententia hæc erit: Poſt tempus illud calamitoſum, & lugubre, ſalus adueniet, & libertas.

10. Verſ.8. *Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam.*] Hæc verba ſatis declarant, quid ſignificet illud, *Ex ipſa ſaluabitur.* Illud, *eius*, Nabuchodonoſor ſpectat, qui iugum impoſuerat. Adhiberi autem relatiuum ſine antecedenti, non eſt in Scriptura nouum, in quo non leuis eſt epitaſis, vt pluribus oſtendimus ad illud Canticorum 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* vbi ſimiliter *ſui*, antecedens non habet, quod reſpiciat. Cur autem Nabuchodonoſoris non exprimatur nomen, ea videtur eſſe ratio, ne illius animus exulceratus hac prophetia, quam ipſe non videbatur ignoraturus, ſeueriùs ageret in Iudæos, quos apud ſe captiuos retinebat. Neque aliam ob cauſam dicebamus capite 25. permutatis literis obſcuro ſcribendi genere, & Iudæis tantùm noto, pro *Babel*, poſitum eſſe *Seſac.*

11. *Et non dominabuntur ei ampliùs alieni.*] Hic locus, & qui proximè ſequitur, magno firmamento fuerunt iis, qui de Chriſti regno, & ſpiritali libertate hæc explicuerunt; quia videbant alios, poſt libertatem Babylonicam, in Iudæorum Republica fuiſſe dominatos; Romanos dico; & ſub Machabæorum tempus Græcorum aliquot. Verùm illud, *non ampliùs*, non omnino negat aliquid futurum, ſed affirmat longum tempus ab eo, quod negatur, liberatum iri. Qua de re nos pluribus in illud Iſaiæ capite 23. *Non adiicies vltrà, vt glorieris*; & idem eſt de *æternum*. Exemplorum ſatis inuenies apud Salmeronem Prolegomenon 13. formula 29. & apud Riberam Michææ capite 5. numero 40. Item ex vſu Scripturæ non ampliùs futurum eſſe dicitur, quòd licèt aliquando contingat, rariùs tamen contingit, aut non ita

REGVLA. Non ampliùs, Non vltrà, *& ſimilia, ſæpe ſignificant interdum diuturnum, aut minùs frequens.*

A vehementer, vt diximus ad illud Iſaiæ capite 2. *Nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Cùm ergo poſt libertatem Babylonicam Iudæis perquam diu externorum nullus dominatus ſit; aut quia Iudæorum domini, ſi qui aliquandiu fuerunt, minùs quam Chaldæi ſeuerè, & durè Iudæorum Rempublicam oppreſſerint, dici ex Scripturæ conſuetudine poteſt, neminem ampliùs in Iudæos imperium agitaſſe.

Verſ.9. *Sed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid* 12.
Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.] Magna ſanè rerum conuerſio, quando pro mortali, eóque inclementi, & barbaro, ſuccedit dominator Deus, à quo ſperari omnia, atque præſtari facilè poſſunt.
B Quòd ſi mortalem Regem ſpectes, ſuccedet ex eodem genere, qui res moderatur Iudaicas, qui ſit aut prognatus ex regio ſemine Dauidis, aut qui Dauidis inſtar animo paterno, ac prouido excubias agat pro ſuorum ſalute.

Si quis in Dauide Chriſtum agnoſcat, patro- 13.
nymicè nempe, quia à Dauide prognatus eſt (ſicut alibi quoque Chriſtus videtur vocatus eſſe Dauid, vt Ezech. cap. 37. vbi eadem penè verba adhibet, quæ nunc Ieremias) id ego quoque vehementer probo, ſed myſtico ſenſu. Quia qui temporarias res Iudæorum moderabitur, nempe Zorobabel, aut Ieſus filius Ioſedech, aut ex Iudæorum Gente aliquis alius, is typus erit
C Chriſti: ſicut libertas à Babylonico iugo typus quoque fuit libertatis à dæmonis tyrannide. Sanè Ieſum Sacerdotem filium Ioſedech Chriſti Ieſu Seruatoris vmbram fuiſſe, pluribus oſtendimus ad illud Zachar. c. 6. *Et ſubter eum orietur.* Quòd autem poſt captiuitatem ſumma eſſet poteſtas penes Sacerdotem, docuimus in cap. Zachar. 3. ad illud, *Tu quoque iudicabis domum meam.*

Dauid patronymicè pro Chriſto.

Verſ.10. *Quia ecce ego ſaluabo te de terra longin-* 14.
qua: & ſemen tuum de terra captiuitatis eorum.] Hæc planè aliquid ſonant Babylonicum; neque Hieronymus negat, immo potiùs probat: tametſi hîc multa ſumat de Chriſto. Quòd verò hîc Iacob nominetur, & Iſraël, cogitationi noſtræ nihil incommodat.
D Nam, vt nullus è decem Tribubus in patriam redierit, tamen duarum Tribuum pater fuit Iacob, qui & Iſraël. Verùm ex aliis Tribubus remigraſſe quàmplurimos, nuper oſtendimus. Sed hæc multò meliùs explicari poſſunt de tempore Euangelij, & aurei illius ſæculi felicitate.

Et cunctis affluet bonis, & non erit, quem formidet.] 15.
Quanta felicitas, & rerum abundantia conſecuta fuerit Iudæorum reditum, omnes clamant Prophetæ. Iſaias capite 48. vbi nos de hac felicitate latè à numero 67. & alibi millies, & Zacharias capite 2. Sophonias capite 2. Abdias, & plures alij, quos nos magis opportuno loco poſtea citabimus.

E Verſ.11. *Faciam enim conſummationem in cun-* 16.
ctis gentibus, in quibus diſperſi te.] Hîc nemo, credo, negabit, ſermonem eſſe de temporaria Iudæorum Republica, libertatéque à Babylonico dominatu: vt quid enim Deus gentes conſummaret, ac perderet, ad quas Iudæorum populus diuerſus abierat, ſi de ſpirituali libertate iſtud foret oraculum? cùm potiùs ſpecialis illa ſalus, & libertas, non minùs ad Gentilicum, quàm ad Iudaicum genus pertineret. Vt ergo Deus populum redimeret captiuum, gentem euertit Babylonicam, cuius imperio ſuberat Iudæorum populus.

pulus. Miſit enim eò Perſas, & Medos, quibus ſe ducem, & auctorem præbuit, qui extincto Babylonis Rege, & Chaldæorum imperio ad Perſas tranſlato, gentes illas barbaras, & immites ſic attriuerunt, vt conſummaſſe genus illud hominum viderentur.

Benigna Dei vexatio, & ad ſalutem attemperata.

17. *Te autem non faciam in conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*] Afflixit quidem Dominus gentem ſuam, ſed non ita contriuit, vt omnino conſumpſerit: nam ad patriam reduxit, quam non minùs frequentem ciuibus, & florentem habuit, quàm ante Chaldæorum appulſum habuerat. Caſtigauit in iudicio populum, ideſt, paterno animo, ſicut pater corripit, & verberat filium, non vt interimat, aut perdat, ſed vt admoneat, reddátque meliorem: atque ideo furorem ita temperat, ac moderâtur amor, vt licèt dolorem infligat, non tamen exitium afferat. Sic chirurgus ſecat, & vrit, quod item hoſtis facit, ac tyrannus; ſed non eodem omnes aut ſpiritu, aut modo. Chirurgus ex alieno dolore dolorem capit, eóque refert acutum, ſeu candens ferrum, vt mortis præcidat, non vt inferat cauſas. Atque ideo in iudicio, ideſt, cum magna attentione, circunſpectionéque; aut tractat, & fricat, aut etiam renouat, & infligit vulnera. At tyrannus, & hoſtis nil ſpectat in vulnere inferendo, niſi dolorem, aut exitium alterius. Sic ergo Deus in iudicio percutit, vt mundet, & ſanet, & ſcoriam excoquat eorum, qui mundi debuerunt eſſe ſicut argentum. Hoc correctionis iudicium ſæpe Dominus iterat. Vide, quæ diximus ſuprà capite 10. verſu 24. vbi eadem penè verba apud noſtrum Prophetam deprehendas. *Corripe me, Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Vide quomodo furori iudicium opponitur.

Afflictio à Deo, vt peccatum cognoſcat.

18. *Vt non videaris tibi innoxius.*] Quia veſanus ille populus impunita videbat peccata ſua; aut ſibi ipſi de innocentia blandiebatur; aut Deo occulta eſſe humana conſilia cogitabat, quæ Deus iterat per Prophetas, & exprobrat populo frequenter; nunc docet, quid in eo conſilio affligendi populum ſpectarit: ne videlicet ſe putaret innocentem, aut mundum, cùm in eam ſe fornacem coniectum videret: ſtultis quippe, qui, dum blanda arridet fortuna, ſcoriam ſe nullam habere exiſtimant, quam ignis expiatorius exurat. Vexatio ſolet aperire oculos, & intellectum dare, quò inolitas ſibi ſordes agnoſcat. Hæc videtur eſſe explicatio obuia, & ad Vulgati tranſlationem accòmmodata. Quam ego omnium maximè probo: & eam mihi omnino perſuadet locus alius non tam ſimilis, quàm idem apud Ieremiam capite 46. in fine; vbi verba ſunt omnino eadem, quæ ſic Vulgatus vertit: *Et tu, noli timere, ſerue meus Iacob, ait Dominus, quia tecum ego ſum: quia ego conſumam cunctas gentes, ad quas eieci te: te verò non conſumam, ſed caſtigabo te in iudicio, nec quaſi innocenti parcam tibi.* Nihil adhiberi potuit ad captandam huius loci ſententiam magis opportunum. Sed tranſlationes aliæ, quas non improbat Hieronymus, in aliam nos ſententiam abducunt. Vbi noſter; *vt non videaris tibi innoxius*, Symmachus; *& mundans, non mundabo te.* Ad eundem penè modum recentiores Interpretes. Aquila: *Cùm te erudiero per iudicium, nequaquam innocentem faciam.* Ex quibus verbis hanc explicationem informo: Non te omnino conficiam, & perdam, ſicut gentes alias, ſed in iudicio puniam; non vt prorſus liber ſis, ô popule, ab omni vexatione, ne tibi mundus videaris, & innocens; ſed relinquam aliquid expiatorij ignis, quod tuarum te ſordium admoneat. Hic verò puniendi modus iudicium appellatur, aut quia lene eſt, & aliquid in nobis relinquit, quod pungat, & admoneat: aut quia, ſi quidquid eſt ſcoriæ, atque rubiginis, purgatorius ille caminus excoqueret, conſumeret omnino populum illum; quia totus videtur è ſcelere compoſitus. Quomodo ſi quiſpiam vellet ex eo, quod videbatur argentum, plumbum excoquere, Si totum vas illud conſtaret ex plumbo, totum liquefaceret, ac diſſolueret vas. Sic Deus, ſi mũdare vellet, quidquid eſt ſordidum, in populo illo, quia in illo nihil eſſe videtur præter ſordes, totum perderet populum. Hanc explicationem indicat Hieronymus, dum ait: *Docet eos, nequaquam pœnæ, ſed eruditioni traditos, vt iudicarentur, quaſi proprij, non perderentur, quaſi alieni.* Ex quo inducit hoc loco Hieronymus, dum Aquilæ tranſlationem adducit, quam non improbat; nemini perſuaſum eſſe debere, ab omni ſe immunem eſſe culpa. *Illud* (inquit) *ſignificat, quòd omnis mundus indigeat miſericordia Dei, & nullus, quamuis ſanctus ſit, ſecurus pergat ad iudicem.* Hanc ſententiam iuxta tranſlationes alias probat Maldonatus. *Non* (inquit) *abſtergam te penitus, non excoquam ad purum, multa peccata tua diſſimulabo: nam ſi omnia purgare vellem, conſummationem in te facerem, ſicut in cæteras gentes: citiùs te frangerem, quàm corrigerem.* Eodem etiam inclinat Caſtrus. Facit ad hanc explicationem, quòd cùm de hoc ipſo tempore loqueretur Ieremias capite 6. præceſſiſsétque durum, atque expiatorium examen argenti ſordidi, ſubdidit: *Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt.* Quibuſcum ſi ſummo ageret iure, totámque adhiberet vim expiatoriam, quia nihil erat purum, nihil non eſſet liquefactum, & redactum in nihilum. Hæc poſtrema explicatio non improbatur mihi, ad quam non difficilè trahuntur reliqua, ſed placet multò magis, quæ primo loco à me poſita eſt.

Verſ. 12. *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga* 19.
tua.] Si poſtremam ſpectemus explicationem, facilis eſt horum ſententia: Si ſummo tecum ageretur iure, & excoquere ex te, niteremur ſcoriam, atque rubiginem, neceſſe eſſet, vt à te omnino deficeres, atque in aliquid aliud prorſus abires; quia plaga tua, & fractura, nullum admittit curationis genus: mors eſt potiùs metuenda, quàm ab vlla medicina ſperanda ſalus. Sed ſi ad ſecundam ſententiam explicationem accommodes, quæ non omnino curatum eſſe dicit populum à plaga, ne ſibi innocentis nomen attribuat, cùm ab omni ſe vexatione cõtempletur liberum, ſenſus eſt: Non eſt plaga illa ſanabilis, quia maximè expedit, vt ex illis quaſi reliquiis acceptæ plagæ, ſe perpetuò populus peccatorem agnoſcat, & ſupplicij reum.

Sed ego hæc libentiùs ab aliis ſeparo, & ſeor- 20.
ſum conſidero, quaſi noua inſtituatur narratio, amplificetúrque vulneris magnitudo, cui nemo præter Deum medicinam faciat. Cœperat initio capitis oſtendere conuerſionem, & reditum captiui populi; deinde plagæ, ideſt, ſupplicij grauitatem, ad illud vſque verſus 7. *Et ex ipſa ſaluabitur*, excluſiuè: deinde interpoſuit, quaſi per parentheſim, illius vulneris curationem, vſque ad illud verſus 12. *Quia hæc dicit Dominus.* Rurſus

ſus ſe refert ad alteram partem de plagæ magnitudine, & docet: cùm ab omni arte, atque induſtria leuari non poſſit vulnus, & dolor, à ſe tamen non ſolum eſſe leuandum, ſed etiam in integrum reſtitutum iri ſanitatem. De plaga ergo ſic: *Inſanabilis fractura tua*. id eſt, eam à me plagam accipies, vt ſanari non poſſit ab humana manu; cuius ſtatim rationem reddit.

21. Verſ. 13. *Non eſt, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum.*] Si ſanabilis eſſet plaga illa crudelis, nihilominus ſanitatem non acciperet; quia nemo de illa ſananda, aut lenienda cogitationem ſuſciperet: neque vllus erat, qui iudicaret, conſilio certè practico, alligari vulnus oportere illius gentis, quam magno ſuo merito omnes exiſtimarent eſſe viliſſimam, & indignam omni miſericordia. *Iudicare* verbum eſt ambiguum, quod modò fauorem, & auxilium, modò offenſionem, & damnationem importat. Hîc ſtudium negat, & fauorem, cùm dicitur nemo iudicaturus populum, vt alliger, id eſt, de populo ſanando laboret.

22. *Curationum vtilitas non eſt tibi.*] Curatio nulla à mortali manu; ſi quis tamen curare volet, adhibebitur, quæ tibi futura ſit ex vſu: immo abſolutè curatio tibi nulla futura eſt.

Verſ. 14. *Omnes amatores tui obliti ſunt tui.*] Docet, nullum fore, qui manum velit admouere medicam inſanabili plagæ: neque ipſos quidem, qui ſuam priùs amicitiam venditabant, foréque dicebant auxilio, ſi quando vis hoſtilis ingrueret. Hi verò amatores Ægyptij ſunt, quorum auxilio freti Iudæi, fœdus, quod cum Babylonio pepigerant, violarunt. Aut certè muta gentium ſimulacra, quæ ſibi adfutura in eo rerum diſcrimine ſperabant: contra quorum ſpem prorſus inanem ſæpe Deus, & Prophetæ clamant.

23. *Plaga enim inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli.*] Oſtendit, quare humana ſpe ſanari nequeat vulnus, aut leniri dolor; quia non humana manus, ſed Diuina vulnus illud inflixit. Licèt autem plaga illa à beneuolo, atque paterno animo profecta ſit, qui corrigere maluit, quàm perdere peccantem, ab inimico tamen illata dicitur, quia grauis eſt, qualem inferre ſolet inimicus. Sicut odiſſe dicitur patrem, & matrem, immo & animam ſuam, qui illorum rationem non habet, neque quid velint, curat, vbi ſeſe Diuina interponit voluntas, licèt tunc ex odio nil fiat; quia, cùm aliorum preces, & vota reſpuimus, id communiter ex odio naſcitur, aut ex odio naſci vulgò homines interpretantur; ſic quia grauis eſt illa plaga, hoſtilis eſſe dicitur, quia non ab alio, quàm ab hoſte tale vulnus infligitur. Exiſtimo autem, ſubaudiendam hîc eſſe ſimilitudinis notam, in hanc ſententiam: Percuſſi te quaſi inimici plaga, id eſt, grandi, ac dura; quod ſtatim magis explicat, dum ait, *Caſtigatione crudeli.* Obſeruat autem hîc optimè Maldonatus, illud, *caſtigatione*, eſſe in regimine, Hebraicè מוסר *muſar*, atque ideo, quod ſequitur, eſſe in genitiuo; atque adeò vertendum fuiſſe, *caſtigatione crudelis*; ita vt altera pars alterius contineat, explicétque ſententiam: Percuſſi te plaga quaſi hoſtili, & caſtigatione, quaſi ab homine crudeli. Sed eſt eadem omnino ſententia, quocunque modo accipias.

24. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta ſunt peccata tua.*] Multitudo iniquitatis, & animi in peccãdo obſtinata durities fecit, vt vulnus tibi durum infligerem, tanquam hoſtili manu. Eſt autem ſecundo loco per zeugma repetendum, *propter*, quod in priori legimus; quod conſtat, quia ſtatim tam multitudini iniquitatis, quàm peccatis duris, *propter*, præfigitur verſu ſequenti, vt vides, in hunc ſenſum: *Propter multitudinem iniquitatis, & propter peccata, quæ facta ſunt dura.*

Verſ. 15. *Quid clamas ſuper contritione tua?*] Cùm vrgeri ſe populus videret ab hoſte Chaldæo, neque quenquam ſibi auxilio fore conſideret, cùm omnes amicos maior Chaldæorum terruiſſet potentia; aut certè, cùm in exilio omnes videret interclusos libertatis aditus, clamabat aſſiduè, quaſi actum iam eſſet de Iudæorum ſtatu, ac vita, neque ſpes appareret vlla ſanitatis; ſic ſuprà cap. 10. verſu 19. *Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea.* & iterum capite 15. verſu 18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis?* 25.

Inſanabilis eſt dolor tuus propter multitudinem iniquitatis.] Illa Iudæorum vox non erat tantùm doloris, ſed etiam offenſionis, & querimoniæ, quòd eò eſſet deducta Iudæorum fortuna, vt ſpes ſupereſſet nulla ſanitatis. Ad vtrunque Deus hoc loco reſpondet; ad querelam quidem, dum dicit, vexationem illam, ſeu plagam pœnam eſſe peccati: quare non eſſe, quod cuiuſquam ſeueritatem accuſet, cùm morum intemperantia illud ſibi malum accerſierit. Dolorem verò conſolatur, ſpe propoſita fortunæ melioris; de quo ſtatim pluribus. 26.

Verſ. 16. *Propterea omnes, qui comedunt te, deuorabuntur: & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur.*] Hæc, puto, referuntur ad ea, quæ præceſſerunt ad verſum vſque duodecimum: in quibus populo ſuo Deus libertatem, gentibus autem inimicis conſummationem prædixit: ideo additum eſſe puto *propterea*: quaſi dicat Deus; vt illa compleam, quæ promiſi, efficiam, vt, commutata fortuna, deuorentur illi, qui deuorarunt alios, & ſeruitutem ſubeant, quam aliis indixerunt. Hæc eadem ſæpe Deus promiſerat Iſaiæ capite 49. numero 19. *Longè fugabuntur, qui abſorbebant te.* Abdias: *Tranſmigratio Ieruſalem, quæ ad Boſphorum eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri.* Sophonias capite 2. ſubiugandum dicit à Iudæis funiculum maris, id eſt, ciuitates, quæ ſunt in tractu maritimo, quæ ad Palæſtinos pertinent, Tyrios, & Sidonios. Clariùs Zacharias capite 2. *Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos, &c. & erunt præda his, qui ſeruiebant ſibi.* Quomodo autem Iudæi populos, quibus antè ſeruierant, ſuo ſibi ſubiugarint imperio, diximus in noſtris Commentariis ad illum Iſaiæ locum, de quo proximè, & ſuper Zachariam cap. 2. numero 23. 27. *Iudæi reſtituti ſuos ſibi inimicos ſubiugerũt.*

Verſ. 17. *Obducam enim cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te.*] Qui lacunam, aut foueam implere vult, tantum neceſſe eſt ingerat terræ, quantum inde fuerat antè detractum: neque omnino videtur curatum eſſe, niſi cum ſanitate ſpecies quoque prior, & pulchritudo reſtituta ſit. Hoc ergo nunc præſtiturum ſe Dominus dicit, ſub eadem allegoria, de qua priùs. Illata fuerat plaga adeò grauis, vt inſanabilis videretur: huic Deus medicas admouit manus, effecitque, vt obducta cicatrice, res Iudaica vocaretur in integrum, reuocatis exulibus, inſtaurata vrbe, excitato templo, & non ſolùm receptis, ſed etiam amplificatis finibus antiquæ poſſeſſionis. Dicit 28.

 autem

autem pluraliter, ſanandum eſſe populum à vulneribus, quia non vno, ſed multis modis vulneratus erat: quia vrbs ſpoliata ciuibus, exhauſta opibus, nudata mœnibus, à templo, & ab ipſo quodammodo numine deſerta. His verò omnibus affirmat, obducendam eſſe cicatricem, & priorem reuocandam formam.

29. *Quia eiectam vocauerunt te, Sion hæc eſt, quæ non habebat requirentem.*] Putabant gentes, quarum manus Deus in Solymitanæ ciuitatis interitum armauerat, eiectam eſſe Sion, ſicut accepto libello repudij, infidelis vxor ab offenſo coniuge dimittitur, de cuius poſtea victu, atque honeſtate non laborat. Quare illam non iam ampliùs cum dignitate, ac ſplendore futuram eſſe ſibi perſuaſerant. Dicebant igitur, nullum eſſe, qui requireret, congregarétque abiectam, atque diſperſam, aut de obligando vulnere cogitaret.

30. Verſ. 18. *Ecce ego conuertam conuerſionem tabernaculorum Iacob.*] Vnum è vulneribus, quibus hoſtes nullam ſupereſſe medicinam arbitrabantur, erat exciſa ciuitas, exuſtum templum, & deformata prorſus Hieroſolymæ facies. Quod Deus vulnus ſic obligauit, ſanauítque, vt nullum propè veſtigium appareret veteris ruinæ. Quid ſit, *conuerſionem conuertere,* diximus hoc eodem capite verſu 3.

31. Verſ. 19. *Et egredietur de eis laus, vóxque ludentium.*] Aliud vulnus acceperat populus, cui Dominus ſuam quoque medicinam comparat. Ceſſerat etenim conſueta illa, & penè continens laus, qua populus Deum ſolenni, atque legitimo ritu celebrabat in templo, ceſſarat quoque pſallentium, atque ludentium chorus, qui in nuptialibus ſacris, rebúſque ex voto geſtis, lætitia, ac plauſu complebat ciuitatem. De quo Ieremias Threnorum 5. verſu 14. *Iuuenes* (defecerunt) *de choróque pſallentium: defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter.* Sed chorum, & laudem iampridem intermiſſa reducet poſtliminio Deus in vrbem inſtauratam.

32. *Et glorificabo eos.*] Aliam plagam glorioſæ quondam ciuitati Chaldæus inflixerat ab ignominia, quæ ingenuos animos non minùs excruciat, quàm alia quæuis. Nam virgines ante delicatæ, ac nobiles ancillarum in modum ignominiosè nudabantur: immo & libidinoſorum hominum petulantiam ſubire cogebantur. Iuuenes, quidquid nefariæ inimicorum libidini collibuiſſet, patiebantur: ſenes nullo habebantur in numero: Principes agebantur in crucem; nullum denique erat ludibrij, aut ignominiæ genus, quod gens illa Iudaica, iuxta ſuum quæque ordinem, non pateretur; quod Ieremias lamentatur. Threnorum capite 5. verſu 11. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu ſuſpenſi ſunt, facies ſenum non erubuerunt. Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt.* Huic quoque plagæ medicinam admouit Deus, & populum in exilio ſordidum, & in omnem ignominiam, atque ludibrium ab hoſte propoſitum, glorioſum reddidit.

33. *Et non attenuabuntur.*] Reſpicit, credo, ad vulnus aliud, quod gentem Iudæorum, ſiue obſidionis tempore, ſiue in Babylonico exilio, aut extenuauit fame, aut tabe conſumpſit. De qua plaga Ieremias Threnorum 4. verſu 8. *Adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Ne verò id iterum contingeret, prouidit Dominus rerum omnium abundantiam largitus.

A Verſ. 20. *Et erunt filij eius ſicut à principio.*] Ante Chaldæorum appulſum frequens erat ciuitas, 34.
tam ſenibus, qui regerent, quàm adoleſcentibus, qui ornarent, & exhilararent illam. Poſt verò, aut in ipſa obſidione, aut in diſceſſu ab vrbe, dulcis illa, ac tenera puerorum multitudo, magna ex parte conſumpta eſt, aut alliſa ad petras, aut confecta fame, aut traiecta ferro in matrum complexu. Qua de re multa Ieremias dum horum temporum infortunia deplorat. Quod vulnus curauit quoque Dominus, implens iterum noua prole viduatam à filiis Ieruſalem. Hæc omnia penè complexus eſt Dominus, Zachariæ capite 8. verſu 4. *Adhuc habitabunt ſenes,* Zachar. 8.
B *& anus in plateis Ieruſalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* Quæ omnia cùm in terrena Ieruſalem hiſtoricè contigerint, multò tamen cumulatiùs, atque nobiliùs collata videmus in Eccleſiam, quam omnis ætas, & ordo, ad miraculum vſque compleuerunt.

Verſ. 21. *Et erit dux eius ex eo, & Princeps de* 35.
medio eius producetur.] Alieno paruerunt imperio Chaldæorum ſæculo Iudæi, ſed fecit Deus, rerum admirabili conuerſione, vt ex ſua gente ducem ſequerentur, & Principem, nempe Zorobabelē, & Ieſum filium Ioſedech, & duces alios,
C qui rem Iudaicam poſt illum caſum conſtituerunt, & ornarunt. Hæc multò impleta ſunt magis in Eccleſia, cui Deus ex Iudæorum genere Chriſtum præfecit auctorem, & ducem. De quo Michææ capite 5. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Quo modo non ex noſtris ſolùm, ſed etiam ex Hebræis plurimi interpretantur.

Et applicabo eum, & accedet ad me.] Dux ille, qui- 36.
cunque fuerit, ſiue Zorobabel, ſiue aliquis alius, quem Dominus applicuerit, præfeceritque populo gubernando, accedet ad Dominum, ad cuius ſe voluntatem, & nutum totum finget: neque aliter populum moderabitur, quàm præſcri-
D ptum fuerit à Deo. Si tamen de Chriſto intelligas, cuius figura fuit dux Zorobabel, & Ieſus Sacerdos, multò hæc ſpectantur illuſtriùs. Applicuit enim illum Pater conſtituendæ, atque gubernandæ Eccleſiæ; neque ipſe à voluntate Patris minimùm receſſit. De Chriſto hæc accipiunt ipſi quoque Hebræorum magiſtri. Quocunque interpreteris modo, ſiue hiſtoricè de Iudæorum Principe, ſiue de Chriſto cum aliis allegoricè, magna oſtenditur populi felicitas, cùm Dux, ac Princeps à Deo deſignandus dicatur, qui totus ab eius præſcripto, nutúque pendebit.

Verſ. 22. *Et eritis mihi in populum, & ego ero vo-* 37.
bis in Deum.] Ecce ſumma felicitas, qua nihil ex-
E cogitari poteſt optabilius. Quid enim accidere poterit aduerſum populo, qui ſe totum Diuinæ voluntati conſecrauit? Id enim propriè eſt, habere Dominum in Deum, ideſt, Deo ſubeſſe legiſlatori, ac duci; neque ab alio ſumere velle viuendi formam. Quòd ſi Dominus cœtum aliquem acceperit in populum ſuum, nihil illi ad dignitatem, & gloriam, nihil ad honeſtum, vſum opportunum, ſi modò ad ſalutem conferat, abeſſe poterit. At qui in Deum ſumpſerunt ſibi aut inania gentium ſimulacra, aut quæ voluptariis ſenſibus blandiuntur, ſperare poterunt nil præter confuſionem, dedecus, inopiam.

Verſ. 23.

38. Verſ.23. *Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquieſcet.*] In turbine, atque procella duo ſunt: nam vim oſtentant maximam, & ſtragem important inopinatam, & grauem. Turbo velociſſimus eſt, & vehemens, item & procella, malum ſecum, & ruinam conuoluens. Huic Diuinus furor dicitur ſimilis: furor, inquam, qui in populi Iudaici hoſtes ita graſſabitur, vt vehemens, & inopinatus irrumpat, & graui caſu ſternat. Statuitur tamen aliquid diſcriminis: nam turbo quàm rapidè fertur, tam citò langueſcit, atque conſiſtit; & vbi illius B impetus fractus fuerit, non eſt cur ab illo quicquam ampliùs metuas. At Diuinus furor in gentium ruinam incitatus, & ardens, in illarum capite conquieſcet, ideſt, inſidebit diu. Non ſic, cùm in Iudæorum fines, & fortunas irrumperet: nam licèt ſubita impreſſione ſtrauiſſe videatur, quicquid apud Iudæos erat in honore, ac pretio, ſed non omnino in illorum finibus conquieuit: nam poſt aliquot annos inſtaurata eſt ruina, & A quæ rabies hoſtilis munimenta concuſſerat, licèt poſt multos dies, aliquando tamen reſtituta ſunt.

Verſ.24. *Non auertet iram indignationis Dominus.*] Hæc eadem verba habes capite 23. verſu 39.
20. quorum explicationem inde pete. Tantùm hîc addam, in *ira indignationis* magnam aliquam offenſionem indicari, ex vſu Scripturæ, quæ coniunctione duarum vocum idem ſignificantiū magnum aliquid in ſuo genere demonſtrat. Quomodo in titulis Pſalmorum inuenies *Canticum Pſalmi*, & *Pſalmum Cantici.* quæ eximium aliquid B in Pſalmo latère ſignificat: de quo Hebræorum idiomate egimus pluribus ad caput 25. numero 86.

In nouiſſimo dierum intelligetis ea.] Succeſſus ipſe 40.
fidem faciet verbis meis: in nouiſſimis etenim diebus, quando videlicet Chaldæorum imperium, turbo, atque procella concuſſerint, apparebit promiſſis non abfuiſſe pondus. Hæc de capite trigeſimo.

ARGVMENTVM CAPITIS XXXI.

TOTVM hoc caput felicem reditum, magnámque fortunæ mutationem promittit, in qua deſcribenda multus eſt, mirificúſque Propheta ſanctus. In quo apparet typus quidam, & imago viua Euangelici ſæculi, quod rebus illis vbertim abundauit, quæ hîc in vmbra ſe nobis oſtentant. Verſus autem vigeſimusprimus non tam figuratè, quàm propriè videtur continere de Eccleſia vaticinium; de cuius auctore Chriſto, & maioris libertatis, atque ſalutis vindice ideo videri poteſt ſermonem induxiſſe Propheta; quia illius ſpeciem quondam viderat in populo à Chaldæorum tyrannide liberato: licèt non videatur improbabile, illum quoque verſum, vt in Paraphraſi diximus, hiſtoricè ad tempus Babylonicum pertinere. Deinde diſcrimen ſtatuit inter antiquum tempus Synagogæ, & nouum Eccleſiæ; & inter legem huius, & illius ætatis: ad extremum, gloriam illam poſtremam longè aliter atque priorem ſempiternam futuram eſſe prædicit.

IEREM. CAP. XXXI.

1. *IN tempore illo, dicit Dominus: Ero Deus vniuerſis cognationibus Iſraël, & ipſi erunt mihi in populum.* C

2. *Hæc dicit Dominus: Inuenit gratiam in deſerto populus, qui remanſerat à gladio: vadet ad requiem ſuam Iſraël.*

3. *Longè*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. EO tempore, cùm de reducendo populo cogitabo, ait Dominus, vniuerſis familiis de domo Iacob, tamquam eorum Deus, præcipua quadam ratione prouidebo: & ipſæ me tanquam familiæ præcipua quadam ratione in populum aſſumptæ Deum me agnoſcent, & altiori quadam religione colent.

2. Populus, ait Dominus, qui reliquus fuerit ex gladio Babylonico, gratiam inueniet talem apud me, qualem olim habuit populus Hebræorum antiquus. Nam eodem modo ad requiem ſuam vadet Iſraël è Babylone, quo ex Ægypto quondam

dam

A dam per deſertum in terram promiſſionis ingreſſus eſt.

3. Longè Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miſerans.

3. Dicebat populus in longo conſeneſcens exilio, longè à ſe Diuinum animum receſſiſſe, multò ſecus, quàm parentes fuiſſet antè complexus. Cui Dominus reſpondit: Erras longè, ô popule: neque enim te deſerui, neque tui ſum oblitus, ſed eadem charitate, qua te olim dilexi, nunc etiam proſequor, & quæ tibi ab irato animo orta videntur, illa potiùs à miſericorde naſcuntur: his enim modis tui miſertus te mihi concilio, attrahóque.

4. Rursúmque ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael: adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.

B 4. Permiſi te ab hoſtibus euerti, diſſiparique, ſed efficiam, vt iterum ad antiquum ſplendorem, & gloriam reuoceris, & quaſi è rediuiuo lapide reſurgas. Reducam tympana, quibus internum ſilentium videbatur indictum, & puellares choros ad exhilarandam iterum ciuitatem reducam.

5. Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ: plantabunt plantantes, & donec tempus veniat, non vindemiabunt:

5. Plantabis vineas non ſolùm in agro Solymitano, ac tuo, ſed etiam in montibus Samariæ; neque vicinus hoſtis, aut periculi metus efficiet, vt ante ſuum tempus condatur immatura vindemia.

C

6. Quia erit dies, in qua clamabunt cuſtodes in monte Ephraim: Surgite, & aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum.

6. Aderit námque tempus, quando ſpeculatores de monte Ephraim, qui propè ſpectat captiuos è Babylone redeuntes, clament, hortentúrque ſe mutuò, & alios latè per alia loca diſperſos, vt in Ieruſalem ad communem Dominum adorandum aſcendant.

7. Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput Gentium: perſonate, & canite, & dicite: Salua Domine populum tuum, reliquias Iſraël.

7. Exultantes congratulamini Iſraëli, & quia eodem tempore veſtra libertas, & Chaldæorum continget exitium, conuitio, & ſanna in Chaldæorum, & aliarum
D gentium caput inſultate, òrate, vt Dominus, quod reliquum eſt, è Iudæorum ſemine conſeruet.

8. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus & claudus, prægnans & pariens ſimul, cœtus magnus reuertentium huc.

8. Ecce ego ex Aquilonari plaga, ideſt, regione Babylonica, reuocabo exules, & ab extremis terræ finibus, vbicunque locorum morabuntur, congregabo. Qui ita in patriam redibunt molliter, ac placidè, in equis putà quadrigis, lecticis, & carrucis, vt claudi, cæci, quæque grauido ſunt vtero, aut recèns iam à partu leuatæ, nullam habituri ſint in itinere moleſtiam.

E

9. In fletu venient, & in miſericordia reducam eos: & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea: quia factus ſum Iſraëli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.

9. Abierunt quidem in exilium mœſto animo, & lacrymantibus oculis, benigniùs tamen, & clementiùs accepti, in patriam reuertentur; incedent námque non per viam flexuoſam, ſed rectam, abundantem aquis, expeditam, & planam, & in qua nuſquam offendent pedes. Complectar enim Iſraël, fauebóque non aliter, ac filium; & Ephraim eo erit apud me loco, quo apud patrem habetur primogenitus.

10. Audite 10. O

10. *Audite verbum Domini Gentes, & annunciate in inſulis, quæ procul ſunt, & dicite: Qui diſperſit Iſrael, congregabit eum: & cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem ſuum.* A

11. *Redemit enim Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris.*

12. *Et venient, & laudabunt in monte Sion: & confluent ad bona Domini; ſuper frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum & armentorum: eritque anima eorum quaſi hortus irriguus, & vltrà non eſurient.* B

13. *Tunc lætabitur virgo in choro, iuuenes & ſenes ſimul: & conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo.* C

14. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus.*

15. *Hæc dicit Dominus: Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.* D

16. *Hæc dicit Dominus: Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia eſt merces operi tuo, ait Dominus: & reuertentur de terra inimici.* E

17. *Et eſt ſpes nouiſſimis tuis, ait Dominus: & reuertentur filij ad terminos ſuos.*

18. *Au*

10. O igitur populi iam olim à patriis ſedibus diſtracti, audite quod per me vobis Deus annunciari iubet, eáque rurſus inſulis, quæ procul ſunt, manifeſtate, ac dicite. Idem, qui indignatus antea Iſraëliticum genus latè diſperſit, ille diſperſum iterum congregauit, neque minori cura, atque ſtudio tuebitur, quàm paſtor traditum ſuæ cuſtodiæ gregem.

11. Dominus enim è vinculis eximet, & ab exilio vendicabit Iacob, & domita Chaldæorum potentia, de potentiori manu liberabit.

12. Et venient in Sion expediti, & liberi, vt laudent ibi, ac deprecentur Dominum. Ibi poſſeſſiones, è quibus depulſi fuerant, rurſus obtinebunt, quas experientur non ſteriles, vt antea, ſed vberes, & vini, olei, frumentíque feraces, in quibus lætum erit, atque fœcundum pecus. Sic autem illi rebus ad vitam neceſſariis affluent, ſicut hortus irriguus omnium rerum vbertate abundat, neque victus poſtea inopia laborabunt.

13. Tunc, quod in pacata, ac lauta ciuitate fieri ſolet, ducent virgines feſtiuos choros, & cum ipſis non iuuenes ſolùm, ſed etiam ſenes exultabunt. Et qui priùs tandiu, támque aſſiduè lacrymis ſe, atque mœrori dederant, iam mea benignitate recreati, ac deterſis per me mœrore, ac lacrymis, ea fortunæ conuerſione lætabuntur.

14. Ea porro erit victimarum copia, ea pinguedo, vt Sacerdotes, quibus illarum pars maxima debetur, exſaturentur, atque pingueſcant. Populum denique meum, dicit Dominus, bonis meis ad ipſius votum largè fluentibus implebo.

15. Fuit cùm in Ramach, quà traducebantur captiui Babylonem, ingens audiebatur vlulatus, & fletus, quos tanquam filios ſuos lamentabatur Rachel, quæ tam ad Tribum Iuda, quàm ad Benjamin, & Ephraim, aliquo modo pertinebat, ad illam, quia in Bethlehem ſepulta, ad has, quia ex ipſa propagatæ ſunt. Quæ nullo modo aut leuari à dolore, aut temperare ſibi à lacrymis potuit, quia filios aut periiſſe videt, aut in mortuis numerat.

16. Nunc autem, dicit Dominus, à lacrymis tibi, atque à ploratu tempera, quia populus, qui tanquam mercenarius duros trahit apud Babylonios, & ærumnoſos dies, reuertetur in patriam, vbi diuturni mœroris ſolatium, & quaſi operæ longæ mercedem accipiet.

17. Spera tandem, licèt poſt longum tempus, quæ nunc à me audis, libertatis commoda,

A commoda, quia reuera filij tui ad terminos antè relictos remigrabunt.

18. *Audiens audiui Ephraim tranſmigrantem: Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus: conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus.*

18. Audiui, inquit Dominus, Ephraim, qui dum abduceretur captiuus in ipſo curſu, aut dum in exilio poſtea moraretur, ſic ad me ſuperioris vitæ memoria compunctum, cum dolore dicentem: Caſtigaſti me, Domine, & quid fecerim mali, quidque facere debuiſſem, ſi ſaperem, flagellis docuiſti; non aliter atque iuuencus indomitus, qui ſtimulis diſciplinam accipit, & elatam ceruicem iugo ſummittit.
B Quando ergo cœpiſti, beneficus eſſe perge: niſi enim tu me ipſum conuerteris, in eodem ſemper luto hærebo; neque ego quemquam alium intueor niſi te, quia te Deum eſſe meum agnoſco.

19. *Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.*

19. Quòd abs te vno erudiri, atque conuerti poſſim, re ipſa iam pridem mihi compertum eſt. Poſtquam enim conuertiſti me, ſuperioris vitæ errata pœnitentia damnaui: poſtquam mea mihi peccata ob oculos poſuiſti, illũ ex ipſorũ conſcientia dolorem concepi, vt, quod in dolore ma-
C ximo, atque ſtupore fieri ſolet, femur manu percuſſerim. Tunc autem non ſecus erubui, quàm parentes noſtri in primis Iſraëlitici generis incunabulis, quos ignominia, & ſtimulus ad ruborem primùm, deinde ad pœnitentiam, & ſanitatem adduxerunt.

20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, ſi puer delicatus: quia ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum: miſerans miſerebor eius, ait Dominus.*

20. Si filius mihi fuit Ephraim, primogenij titulo decoratus, ornatus ſemper, & in deliciis habitus, non committam, vt à me, quod petit, non exoret. Nunc autem illius maximè recordabor, quia ex quo illum ſeueriùs allocutus ſum, compunctus
D peccatorum conſcientia pœnitẽtiam egit. Idcirco illius vicem ſic doleo molliter, ac piè, vt mea mihi viſcera turbentur: illius igitur non vulgari, ac leui, ſed eximia quadam miſeratione miſerebor.

21. *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: reuertere virgo Iſraël, reuertere ad ciuitates tuas iſtas.*

21. Ergo, ô Ieruſalem, quæ nunc à tuis finibus excluſa vagaris, erige tibi ſpeculam, vt peccata priùs admiſſa, & eorum turpitudinem altè contempleris; & huic meditationi, vt vſum tibi legitimum, atque optabilem afferat, amaritudinem, &
E lacrymas adiunge. Reuoca cogitationem ad illam viam, atque veſtigia, quæ cùm Babylonem exportareris lugens impreſſiſti: & ita vitæ tuæ modum inſtitue, vt ad ciuitates, vnde tua te peccata diſtraxerunt, reuertaris.

22. *Vſquequò deliciis diſſolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum ſuper terram: FOEMINA CIRCVMDABIT VIRVM.*

22. O igitur virgo Iſraël, quæ nunc extorris, & vaga peregrinaris à patria, cur ſegnis, atque otioſa deſides, neque de reditu, ac libertate cogitas? En ego te quaſi ſponſus ad thalamum, & amplexum acceſſo. Sed videbimus non multò pòſt rem planè

23. *Hæc*

A planè nouam, atque mirabilem, nempe,
vt quæ repudiata videri poterat, quia non
facilè ſe ad ſponſi mores, & ingenium at-
temperabat, illa virum ſuum ambiat, il-
lum depereat, omnibúſque modis in il-
lius thorum,& gratiam admitti ſtudeat.

22. Aliter de tempore Euangelij. O
virgo Iſraël, vſquequo otio, atque deliciis
immoderatè dedita longè à ſalute vera, &
libertate vagaberis? Audi rem nouam,
cui nulla in terra ſimilis viſa eſt: fœmina
etenim virum in vtero concipiet, paruu-
B lum quidem corpore,ſed ſapientia, ac for-
titudine virum, qui à maiore reuocet exi-
lio,& à duriore vendicet ſeruitute.

23. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum: Benedicat tibi Dominus,pulchritudo iuſtitiæ,mons ſanctus.

23. Poſt reditum autem captiuorum
in patriam, dicit Dominus,audientur illa,
quæ ante tempus illud infelix, frequenti
hominum ſermone de Iuda, aliíſque ci-
uitatibus ſub illius imperio glorioſè ia-
ctabantur. Dicent homines, tantam ciui-
tatis pulchritudinem admirati, O ciuitas,
in qua iuſtitiæ, atque æquitatis ſedes eſt;
ô mons ſancte, in quo beneplacitum eſt
C Deo, ſuum ſibi domicilium conſtituere,
bene tibi dicat,& faxit Deus.

24. Et habitabunt in eo Iudas, & omnes ciuitates eius ſimul: agricolæ & minantes greges.

24. In eo monte habitabit Iudas, &
ciuitates aliæ cum eo contributæ; neque
ex eo excludentur numero, qui rem cu-
rant ruſticam, aut qui ſtudio vacant pa-
ſtoritio.

25. Quia inebriaui animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturaui.

25. Tunc verò laſſum, atque deficien-
tem ad ebrietatem vſque reficiam, & fa-
me priùs laborantem,& languidum ad ſa-
turitatem explebo.

26. Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum:& vidi,& ſomnus meus dulcis mihi.

26. Ego tunc, ait Ieremias, quem
D priùs ærumnoſus caſus grauiter percu-
lerat, vbi oblata eſt rerum lætiſſimarum
illuſtris ſpecies, dormiiſſe mihi videbar,
& felicitatem illam tantam ſomniaſſe, &
tunc ab illo ſomno fuiſſe ſolutus. Sanè
gauiſus ſum vehementer, cùm ille mihi
ſomnus ſuauiter obrepſit.

27. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſeminabo domum Iſraël,& domum Iuda ſemine hominum,& ſemine iumentorum.

27. Spoliata fuerat terra Iuda, non
ciuibus ſolùm, ſed etiam iumentis, quæ
terram excolerent, & alia obirent mini-
ſteria, humanis vſibus opportuna; ſed
erunt poſt reditum tam homines, quàm
E iumenta adeò fœcundi, vt terram com-
pleant numeroſa ſobole, non aliter, quàm
in feraci ſolo ſeminata grana fructum par-
turiunt.

28. Et ſicut vigilaui ſuper eos vt euellerem, & demolirer, & diſſiparem, & diſperderem, & affligerem: ſic vigilabo ſuper eos vt ædificem,& plantem,ait Dominus.

28. Et ſicut priùs animo fui attento,
& vigili, vt euellerem, demolirer, diſſipa-
rem, perderem, & affligerem populum,
ſic nunc eò intendam vigilantem ani-
mum, vt plantem, & ædificem, & quæ
collapſa fuerant, excitem, & inſtaurem,
dicit Dominus.

29. *In diebus illis non dicent vltrà: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.*

A 29. Eo verò tempore non audietur vltrà vulgare illud, quod poſteri cum ſtomacho ſæpius vſurpabant. Patres ante ſuum tempus immaturam vuam comederunt, & illorum intempeſtiuam ingluuiem infelices nepotes inducto dentibus ſtupore luunt.

30. *Sed vnuſquiſque in iniquitate ſua morietur: omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.*

30. Sed vnuſquiſque ſuorum ſcelerum pœnas in ſuo ſibi capite dependet, & illi tantùm obſtupeſcent dentes, qui vuam guſtauerit immaturam.

31. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum:*

31. Ecce dies venient, ait Dominus, & nouum fœdus cum Iuda, atque Iſraële

B percutiam.

32. *Non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus.*

32. Erit autem longè aliud ab eo, quod cum eorum parentibus tunc inij, quando veluti apprehenſos manu ex Ægyptio iugo liberaui. Quod tamen ipſi, quaſi alienum foret, & vile, contempſerunt. Quocirca in illos non me ſicut priùs vt parentem mitem, ſed vt ſeuerum dominum exhibui.

33. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.*

33. Pacti autem, quod poſt tempus illud ærumnoſum, & triſte cum populo percutiam, dicit Dominus, hæc erit for-

C ma, atque proprietas: ſcribam enim non in lapidibus, vt olim veterem legem, ſed in viſceribus, atque intimis præcordiis inſculpam. Et tunc efficiam, vt verè magis, ac ſeriò ille ſit mihi populus, & vt maiori quadam indulgentia ego ſim illi Deus.

34. *Et non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominũ: omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs.*

34. Neque deinceps vir à proximo ſuo, ſeu à fratre docebitur, neque quiſquam hortabitur alium, vt Deum cognoſcat: omnibus enim ad vnum notus ero, notitia videlicet non otioſa, ſed efficaci, & practica: & illorum ego pec-

D catis ignoſcam, neque vlteriùs earum, quas in me commiſerunt, iniquitatum recordabor.

35. *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ & ſtellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & ſonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi.*

35. Neque his verbis fides vnquam deerit, aut pondus: ſunt enim non hominum promiſſa, qui perſæpe fallunt, & quia imbecilli, atque inopes, quæ promiſerunt, præſtare non poſſunt; ſed Dei, cui tanquam auctori ſuo vniuerſa rerum natura ſubiicitur. Qui ad euocandum, illuſtrandúmque diem, Solem præfixit cælo, quíque ad lumen & ſpeciem nocturni temporis ſtellarum, & Lunæ ſplendorem

E adiecit: qui miſcet, turbátque marinos fluctus, & alliſos ſcopulis, vel inflatos à turbine horrere, atque ſonare facit. Hic autem eſt Dominus virtutum.

36. *Si defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus: tunc & ſemen Iſraël deficiet, vt non ſit gens coram me cunctis diebus.*

36. Tunc ſemen Iſraël, ſiue proprium in Iudaico populo, ſiue metaphoricum in Eccleſia deficiet, & coram me eſſe definet, quando in cælis aſtrorum ordo, & datæ leges à Domino defecerint.

37. Hæc

37. Sicut

A *37. Hæc dicit Dominus: Si menſurari potuerint cæli ſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum: & ego abiiciam vniuerſum ſemen Iſraël, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus.*

37. Sicut immenſa cælorum moles menſurari non poteſt, neque terræ fundamẽtā definitè cognoſci; ſic etiam neque Iſraëliticum genus, quantacumque præceſſerint peccata, vniuerſum delebitur.

38. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vſque ad portam anguli.

38. Aderit námque tempus, dicit Dominus, cùm ciuitas ſic à Babyloniis exciſſa, vt nihil antiquæ gloriæ, niſi immane buſtum reliquum ſit, ſic ædificetur, & impleat quicquid in antiquis mœnibus erat ſpatij, à turre nempe Hananeel, vſque ad portam anguli.

39. Et exibit vltrà norma menſuræ in conſpectu eius ſuper collem Gareb: & circuibit Goatha,

B 39. Non tantùm intra notos murorum ambitus habitabitur ciuitas, ſed etiã extra antiqua ſepta latè ſe ciuitas, & menſuram extendet, ita vt collem Gareb intra mœnia cohibeat, & Goatha intra ſuum ambitum comprehendat.

40. Et omnem vallem cadauerum, & cineris, & vniuerſam regionem mortis, vſque ad torrentem Cedron, & vſque ad angulum portæ equorum Orientalis, Sanctum Domini non euelletur, & non deſtruetur vltrà in perpetuum.

40. Expandet quoque ciuitas ſpatia ad vallem vſque Topheth, vbi ſtrata Aſſyriorum priùs, deinde Iudæorum cadauera, quæ ideo cineres vocatur, & regio mortis. Amplectetur quoque Cedron, & vſque ad angulum portæ equorum, quæ ad Orientem ſpectat, pertinebit. Qui locus licèt antea inquinatus, & impiæ religioni deuotus, ſanctus erit Domino, & ita gratus, ſicut ipſa ciuitas; neque ciuitas ſic inſtaurata euelletur, aut diſſipabitur vlteriùs.

IN CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus vniuerſis cognationibus Iſraël, & ipſi erunt mihi in populum.*]

1. IN hoc capite multa occurrunt difficilia, in quibus enucleandis aliquantulùm ponamus moram neceſſe eſt. Neque verò leuis eſt negotij, explorare, quod tempus reſpiciant, quæ hoc loco dicuntur à Propheta: nam ea de re variè ſtatuunt Interpretes. Quidam de Ieruſalem terrena, captiuorúmque reditu, poſt extinctum Chaldæorum imperium, inſtitui putant præſens vaticinium: in quibus ſunt Theodoretus, quoad priorem capitis partem, ſanctus Thomas, Hugo, Chaldæus, & nonnulli ex Doctoribus Hebræorum, quod item probat Maldonatus. Alij cum Hieronymo de Chriſto accipiunt, & aureo Euangelij ſæculo. Ego, quod etiam alibi ſæpe in cauſa non diſſimili ſequutus ſum, de ſtatu Iudæorum poſt exilium hiſtoricè, de Chriſti tempore allegoricè, horum pleraque accipienda puto. Nam aliqua ſunt, quæ ab Eccleſia in hiſtorico etiam ſenſu diſtrahere difficile eſt; de quibus poſtea ſuis locis. Neque id negat Hieronymus,

C dum multa de ſtatu, ac reditu Iudæorum exponit. Nos ergo priùs ſenſum explorabimus hiſtoricum de meliori Iudæorum ſtatu, conabimúrque oſtendere, admodum eſſe pauca in toto capite, quæ in ſtatum illum aptari non poſſint: deinde quàm hæc bellè, atque aptè Euangelicum ſæculum adumbrent, quod præcipuum eſſe cenſeo, explicare contendam.

In tempore illo.] Tempus hoc idem eſſe conſtat, 2.
de quo proximè; cognationes verò Iſraël illæ eædem ſunt, quæ Deo in fine capitis præcedentis futuræ dicuntur in populum; illæ nempe, quæ in patriam reuerſæ ſunt ab exilio. Neque credo, valde incommodat huic cogitationi, quòd hæc euentura dicuntur vniuerſis cognationibus Iſraël: cùm conſtet, ex duodecim cognationibus, ideſt, duodecim Tribubus, rediiſſe tantùm duas. Tum quia ſigna vniuerſalia, qualia sũt *vniuerſus,* & *omnis*, attemperatè exponenda ſunt ad ea, de quibus ſermo eſt, vt Hieronymus docuit, & nos pluribus oſtendimus. Quomodo edictum eſſe traditur à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus

REGVLA. *Vniuerſalia ſigna accõmodatè ad rem ſubiectam explicanda.*

uerſus orbis, ſubiectus nimirum Romano Imperio. Et Actorum 2. ad feſtum Pentecoſtes concurſus dicitur eſſe factus ab omni natione, quæ ſub cælo eſt; nẽpe, in quam forent diſperſi Iudæi. Sic hoc in loco vniuerſæ vocari poſſunt cognationes, ad quas à Ieremia ſermo fit, quæ cognationes dicuntur Iſraël, quia ab illo prognatæ. Hoc credo modo ſatis eſſet factũ huic obiectioni: ſed eſt prætereà aliquid aliud, quod reſpondeam: nam, vt paulò antè diximus capite 30. numero 3. cum duabus Tribubus alij etiam non pauci ex omnibus aliis cognationibus Iſraël in vrbem remigrarunt: vbi etiam oſtendimus, cur dici potuerint ad patriam non reuerſæ. De Eccleſiæ tempore quàm hæc aptiùs explicari poſſint, nemo non videt.

3\. Verſ. 2. *Inuenit gratiam in deſerto populus, qui remanſerat à gladio: vadet ad requiem ſuam Iſraël.*] Vt Ægyptia ſeruitus pro labore maximo, vitáque ærumnoſa, ac ſordida prouerbialiter ſumitur: ſic etiam, quæ in deſerto Dominus beneficia præſtitit, pro maximis, prouerbiali figura, capiuntur. Quare in reditu à Babylone, cùm neque diuiſum fuerit remigrantibus mare, neque ex percuſſa petra riuus profluxerit: tamen eadem tunc contigiſſe dicuntur, quia magnis in reditu beneficiis Iudæi cumulati ſunt. De petra iugiter manante Iſaias capite 43. verſu 18. cùm ageret de hoc ipſo tempore: *Ne memineritis priora, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea. Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina.* Et in caſu non diſſimili, aut eodem fortaſſe dixit Zacharias cap. 10. verſu 11. *Et tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus.* Similia dicit Iſaias capite 11. verſu 19. vbi etiam addit, eodem modo reuerſuros eſſe captiuos è Babylone, quo filij Iſraël quondam ex Ægypto: quoniam illuſtria à Domino in reditu beneficia capient. *Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis, ſicut fuit Iſraëli in die illa, quando aſcendit de terra Ægypti.*

PROVE. *Libertas ex Ægypto.*

Iſaiæ 43.

Zachar. 10.

4\. Ex his ego hanc ſententiam informo: Populus, qui reliquus fuerit ex gladio Babylonico (in quo etiam per ſynecdochen quamcunque aliam exitij cauſam accipio) gratiam inueniet talem, qualem olim habuit in deſerto populus Hebræorum antiquus. Nam eodem modo ad requiem ſuam vadet Iſraël è Babylone, quo ex Ægypto quondam per deſertum in terram promiſſionis ingreſſus eſt. Hîc etiam obſerua, ſimilitudinis notam apud Hebræos ſolere ſubaudiri frequenter. Quare ſic lege: *Inuenit gratiam populus ſicut in deſerto.* Hæc facilè quiuis ad tempus referre poterit Euangelicum: vt enim iter illud longum per deſertum, ex Ægyptia priùs, deinde ex Babylonica ſeruitute, ad terram promiſſionis, vrbiſque poſſeſſionem vmbra fuit illius vitæ, quam ad cæleſtem patriam inſtituunt veri Iſraëlitæ; ſic etiam Euangelica vita, cuius hæc eſt illuſtris vmbra ad veram Ieruſalem, ideſt, ad viſionem veræ pacis deducit.

5\. Verſ. 3. *Longè Dominus apparuit mihi.*] Hæc verba communiter Hebræorum populo adſcribunt Interpretes, cuius ſubtriſtem cogitationem humaniſſima quadam reſponſione ſolatur. Ait enim populus, vt cum Hieronymo putant plures alij, longè abeſſe tempus illud, in quo Deus captiuorum miſertus, de illorum libertate cogitabit. Alij, meo iudicio, veriſimiliùs, ita cogitaſſe, ac queri populum arbitrantur: apparuiſſe qui- A dem Dominum parentibus, illóſque molli, facilíque veſtigio per arentem regionem deduxiſſe; mutaſſe tamen iam animum, & antiquam exuiſſe humanitatem: neque benigniùs de ſuo, quam de quouis alio populo cogitare. Cui Deus longè aliter rem habere docet: atque ideo accommodatè ad hanc captiuitatem ait,

Et in charitate perpetua dilexi te.] Immo, inquit Deus, eadem nunc perſeuerat charitas, qua te olim dilexi, neque ab alio animo naſcuntur illa, quæ tu putas incommoda, quàm illa, quæ parentes olim in beneficiis numerabant. Hîc duæ voces notandæ nobis, atque explicandæ ſunt. Altera eſt, *&*, quæ hoc planè loco coniunctio non eſt copulatiua, ſed potiùs comparatiua, ſeu B etiam aduerſatiua, quales ſunt *immo, quinimmo, potiùs*, & ſimilia. Habere autem, *&*, hunc vſum in Scriptura, docuimus Iſaiæ capite 7. numero 27. Exemplum accipe vnum, & alterum. Pſalmo 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* Vallant, ac ſi dicat, montes ciuitatem, immo potiùs vallat Dominus, à quo plus habet firmamenti. Iſaias capite 62. *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* ideſt, immo gaudebit ſuper te. Ezechielis capite 33. verſu 17. *Et dixerunt filij populi tui, non eſt æqui ponderis via Domini, & ipſorum via iniuſta eſt.* ideſt, immo ipſorum via. Sic ergo Deus querenti, aut deſperanti populo reſpondet: C *Immo charitate perpetua dilexi te.* Altera vox eſt *perpetua*, pro qua Hebraicè eſt עולם *olam*, quæ ſæculum ſignificat, & antiquum; à quo deducta videri poteſt Latina vox, *olim*; quaſi Deus ita reſpondeat: Neque te deſerui, neque tui ſum immemor, ſed eadem charitate, qua te olim dilexi, nunc etiam proſequor. 6.

&, particula comparatiua.

Iſaiæ 7.

Pſal. 124.

Iſaiæ 62.

Ezech. 33.

Olim *vnde dictum.*

Ideo attraxi te miſerans.] Percuſſit Deus populum ſuum, vt capite præcedenti vidimus, non in furore, ſed in iudicio, nempe vt pater, vt corrigeret, aut medicus, vt ſanaret, non vt hoſtis, vt perderet. Quare dum vexat populum Chaldæorum armis, illum ab impietate reuocat, & ad ſe trahit. Quod opus planè miſericordiæ eſt. 7.

Ex amore diſciplina & correptio.

D Verſ. 4. *Rurſúmque ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſraël.*] Iudicium hoc eſt animi in antiqua charitate conſtantis, quando idem præſtare paratus eſt, quod antea præſtiterat. Ædificarat olim Deus Iſraëli domum, illámque inſtruxerat luculenter, & amplè; idem nunc facere meditatur, cùm renouare, atque inſtaurare vult domum eandem graui ruina collapſam: nec plurimùm intereſt, ſiue primùm ædifices, ſiue collapſum, aut ruinoſum inſtaures. Hoc ergo indicium eſſe vult ſuæ in populum beneuolentiæ, & charitatis antiquæ. 8.

Adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.] Statuerat iam populus extorris à pa- E tria, ceſſandum eſſe omnino à cantico, & lyra, donec iterum patriam quaſi rediuiuus aſpiceret. Cùm enim ventum eſſet ad ripas Babylonici fluminis, ſuſpendit ibi è ſalicibus organa, quæ ſæpe intra Hieroſolymæ ſepta concrepuerant, quibus æternum indixit ſilentium, quandiu in ſolo maneret alieno. *Quomodo cantabimus* (inquiunt) *canticum Domini in terra aliena? Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Quod ſeruatum eſſe exilij tempore, veriſimile fit ex illo Threnorum 5. verſu 15. *Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter.* Antiquos igitur ludos inſtaurat Dominus, 9.

Pſal. 136.

nus, tympana reſtituit, & quidquid vrbi lætitiæ, atque ornamento fuit.

10. Verſ.5. *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ.*] Vbi generoſæ quondam erant vites, ita vt quælibet Domino in ſingulos annos argenteum penſitaret; ſic inhorruerat ſyluarum ſqualor, & denſus frutex, vt fierent ferarum opportuna latibula. Iſaias capite 7. verſu 23. *Omnis locus, vbi fuerint mille vites, mille argenteis, in ſpinas, & in vepres erunt. Cum ſagittis, & arcu ingredientur illuc: vepres enim, & ſpinæ erunt in vniuerſa terra.* His quoque Deus antiquum ſplendorem, cultum, & vbertatem promittit. Meminit autem montium Samariæ, quia montes illi vitibus abundabant, quæ in montibus eſſe ſolent, & ad prouentum magis fœcundæ, & vinum exprimunt generoſum, & nobile. De quibus eſt illud Maronis libro 2. Georgicon:

Samaria vitibus abundans.

Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni,
Naſcuntur ſteriles, ſaxoſis montibus orni;
Littora myrtetis lætiſſima: denique apertos
Bacchus amat colles. ———

Et ipſa ruſticorum experientia docet, nobiliorem eſſe vindemiam ex collibus, locíſque parentibus, quàm ex plano loco, aut ex demiſſa valle. Samariæ verò vberem eſſe vindemiam, indicat Iſaias capite 28. vbi Ephraimitis ebrietatem exprobrat. Et Oſeas capite 10. Ephraim vitem appellat frondoſam. Meminit quoque Samariæ, ideo fortaſſe, quia hæc occupata fuerat ab hoſtibus Aſſyriis, vt conſtat ex libro 4. Regum capite 17. Quòd ſi ibi plantabant vineas Iudæi, multò faciliùs in locis aliis deſertis, & ab alieno cultore vacuis.

11. *Et donec tempus veniat, non vindemiabunt.*] In locis, quos circunſtant prædones, aut vbi hoſtium timetur aduentus, ante maturitatem colliguntur fructus: quia magis è re ſua putant agricolæ, acerbos carpere, quàm omnino ſinere perire prouentus. Cùm verò pax eſt, aut certè ſic aduersùs omnem vim, & iniuriam comparantur agricolæ, vt nihil metuant, expectatur frugum tempeſtiua maturitas, & ſuo tempore colligitur dulcis, & matura vindemia. Vt ergo maxima ſignificatur infelicitas, ſi quod ab vno plantatum eſt, comedatur ab altero: ſic felicitatis loco numeratur, ſi quiſpiam pacificè, & non alieno tempore ſuis fruatur commodis. De priori eſt illud Iob. cap. 31. quod credo in maledictis aſſumi ſolitum: *Seram, & alius comedat.* & illud Iſaiæ cap. 66. cùm de hoc ipſo tempore loqueretur: *Non plantabunt, & alius comedet.* & Sophonias capite 1. verſu 13. *Plantabunt vineas, & bibent vinum earum.* quod etiam eiſdem verbis dixerat Amos capite 3. verſu 11. De poſteriori, ideſt, de quiete, & otio, quo quis fruitur bonis, ſine vlla interpellatione hoſtili, ſunt etiam aliæ, vt opinor, prouerbiales formæ. Iſaias capite 37. verſu 30. *Plantate vineas, & comedite fructus earum.* & idem capite 65. verſu 21. Ieremias ſuprà capite 29. verſu 28. Huc facit illud Michææ 4. verſu 4. *Sedebit vir ſubtus vineam ſuam; & non erit, qui deterreat.* & 3. Regum 4. verſu 25. *Habitabátque Iuda, & Iſraël abſque timore vllo; vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua.* Quantò hæc magis de Eccleſiæ tempore dici poſſint, quis non videt? ſed in ſtatu Iudæorum poſt ſolutum exilium conuenire, nemo non videt.

Maturitas grata.

Labor irritus, pro execratione.

12. Verſ.6. *Quia erit dies, in qua clamabunt cuſtodes in monte Ephraim: Surgite, & aſcendamus in Sion.*]

A Hæc ad reditum captiuorum ſpectant, quos ſpeculatores de ſummis montium faſtigiis proſpectare finguntur, qui elati lætitia, propter inopinatam libertatem, clara voce ſignificabunt aliis, qui in terra promiſſionis variè diſperſi timidam agebant, & ærumnoſam vitam, redire iam exules in montem Sion. Quare occurrerent illis cum tympanis, vt reor, & ſiſtris, vt ſimul omnes in ruinas, ac buſtum ciuitatis ingreſſi, communi matri priùs orbatæ liberis, nunc verò numeroſa ſobole fœcundæ gratularentur. Dicuntur verò clamaturi cuſtodes de monte Ephraim, quia mons ille excelſus eſt, & propiùs ſpectat exules è Babylone redeuntes. B Vt enim de monte Ephraim ſpeculator vidit, annunciauítque Chaldæorum aduentum, Ieremiæ capite 4. verſu 15. *Vox enim annunciantis à Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim* (quia, vt notauit Hieronymus, Dan, & Ephraim eo ſitæ ſũt loco, vt per eas Chaldæis futura fuerit ad Hieroſolymam tranſmiſſio) ſic etiam ex eodem monte captiuorum reditus annunciari potuit. Porro ex montibus ſolere per præcones edici quicquid ſciro opus eſſet, diximus ad illud Iſaiæ capite 40. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion:* cùm enim regio illa cliuoſa ſit, facilè in montium iugis conſtituti cuſtodes, excipere poſſunt voces, & tranſmittere in omnem partem.

C Hæc de Eccleſia multò videntur dici poſſe commodiùs: nam cuſtodes, & præcones Euangelici, montes iubentur aſcendere, & allatam à Domino pacem annunciare populis: ita Iſaias capite 40. de quo modò, & capite 52. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem!* Nahum 1. *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis.* Hi verò euangelizabunt, quod nunc prædicit Ieremias, nempe, vt omnes aduolent ad myſticam Sion, ideſt, ad Eccleſiam. Quod etiam antè Iſaias prædixerat capite 2. *Venite aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias ſuas.*

Iſaiæ 52. Nahum cap. 1.

Verſ.7. *Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput gentium, perſonate, & canite*]. Idem dies, vt ca- 13.
pite 25. diximus, libertatem, & lucem attulit Iudæis, & Chaldæis ante rerum dominis exitium. D Quare eodem die gratulari potuerunt Iudæi fortunæ ſuæ, & in hoſtium ſuorum caput inſultare. Quam ſententiam omnino his verbis contineri puto: & probat ל *lamed* præfixum *Iacob*, quod oſtendit illud eſſe in datiuo caſu. quare ſenſus eſt: Exultantes congratulamini Iacobo, & conuitio, ac ſanna Chaldæorum fortunam laceſſite; ita vt vtrunque perſonet, & canat, & vox exultationis, & probrum exibilans.

Salua, Domine, populum tuum, reliquias Iſraël.] 14.
Tripartitum canticum, aut vocem iubet eſſe Dominus. Alia ad Iacob ſpectat, quæ, vt diximus, gratulatoria eſt, pro rerum tanta commutatione; E alia ad hoſtes, quæ illorum ſubſannat fortunam, gaudétque, ac triumphat in ipſorum lacrymis; altera denique ad Deum, quem ſaluatorem, & vindicem eſſe prædicat inopinatæ libertatis; ad illum námque pertinet illud, *Salua, Domine, populum tuum.* Quid verò ſignificet hæc oratio, non eſt obſcurum, nempe, vt Deus ſeruet populi reliquias, eas nempe, quas hoſtile ferrum, aut exilij ærumnoſa conditio non abſorbuit. Quòd enim hæc aliqua precatoria forma ſit, nemo, credo, dubitat, & facit quod, vt Angelus Caninius obſeruauit in titulo de *Hoſanna* in Litaniis, quas

Hoſanna, *interiectio gratulantis, & fauentis.*

in feſto tabernaculorum recitant Iudæi populus reſpondet *Hoſanna*, ſicut in noſtris nos Litaniis, *Libera nos Domine*. Si nondum reſtitutum dicamus eſſe populum, ſed adhuc agere in exilio, non eſt difficilis explicatio: neque ſi iam inchoata, aut etiam perfecta remigratio: quia id obtinere hæc deprecatio vult, vt Deus beneuolus eſſe pergat, & quotidie populum recentibus cumulet beneficiis.

15. Sed ego hîc aliquid ſubolfacio magis arcanæ, atque latentis eruditionis, quod lectori non tam perſuadeo, quàm propono. Videtur hic loquendi modus adhiberi non tam ad precandum, quàm ad laudandum: quem audire de ſe ſuſpicor victorem, atque triumphantem ducem, ſicut ſtrenuis ob rem præclarè geſtam à populo acclamari ſolet: *Euge, Feliciter*, & ſimilia. Id credo ſignificare tritum illud *Hoſanna*, quod in Dei laudem adhiberi docet vſus Eccleſiæ, quaſi illius humanitati, ac potentiæ attribuat ſalutem, qua nunc fruitur. Quod ſumpſit ex illa multitudinis acclamatione, qua exceptus fuit Chriſtus, cùm ex Bethania ingreſſus eſt Ieruſalem, Matthæi capite 21. tunc enim turbæ clamaſſe dicuntur, *Hoſanna filio David: Benedictus, qui venit*, &c. Cui acclamationi ſimilem aliam habes Pſalmo 117. verſu 24. *O Domine, ſaluum me fac; ô Domine, bene proſperare; benedictus, qui venit in nomine Domini.* Vnde videntur turbæ accepiſſe illam acclamationem, & laudem, quam oneratæ palmarum ramis impenderunt Chriſto. Porro huiuſmodi acclamationem vni Deo impendi ſolitam, ipſi videntur indicaſſe Iudæi, qui cùm in Chriſti laudem cantari audiiſſent ſacrum illud *Hoſanna*, ad Chriſtum, quaſi nefas putarent, quòd ille Diuinam illam acclamationem non reſpuiſſet, cum indignatione conuerſi dixerunt: *Audis quid iſti dicunt?* Plura de Hoſanna vide apud Angelum Caninium: mihi ſatis ſit, hanc eſſe acclamationem ad Deum, cuius magis potentiam commendat, quàm auxilium, aut miſericordiam implorat. Hanc eandem laudem exhiberi puto hoc loco Triumphatori Deo, cuius potentia Iſraëlis filij conſequuti ſunt libertatem, & domiti Chaldæi. Cùm verò liberatus iam fingatur Iſraël, & euerſa Babylon, illud, *ſalua*, non incommodè per præteritum, *ſaluaſti*, explicari poſſet: ſicut conuerterunt Septuaginta, & Chaldæus; quod etiam placet Maldonato. Quàm aptè hæc in Euangelij tempora conueniant, quiuis intelliget: in quibus vt hominibus gratulandum eſt, quòd apertam habeant ad libertatem viam, ſic inſultandum dæmoni, cuius per Chriſtum triumphatorem eſt debilitata potentia.

Matth. 21.

Pſal. 117.

16. Verſ. 8. *Ecce ego adducã eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ.*] Cauſa redditur, cur gratulandum ſit Iſraëli, & triumphatori Chriſto cantandum *Hoſanna*, quia populum ab Aquilone, id eſt, à Chaldæorum regione reuocabit, & vndecunque terrarum ad antiquas ſedes redire faciet. Extrema terrarum credo hîc appellari Babylonem, quia ibi vltima erat exulum commoratio: neque enim puto, extremum hîc abſolutè dici, ſed comparatione illarum regionum, ad quas Iudæi poſt vrbis exitium dilapſi ſunt.

17. *Inter quos erunt cæcus, & claudus, pregnans, & pariens.*] Qui graui ſunt, & affecto corpore, vt prægnantes, & ſenes, aut aliqua ex parte debilitato, ac mutato, vt cæci, & claudi, aut quos impedi-

A mentum aliquod retardat, & quaſi ambulare geſtientẽ cõſtringit, & cohibet: vt quæ enixæ ſunt, ac teneros alũt infantes, quiduis ferũt libentiùs, quàm iter ſuſcipere, & locum mutare. De cæcis, & claudis res eſt nota, vtriſque via difficilis eſt, plenáque moleſtiæ: illis, quia, vbi veſtigia ponere poſſint, non vident: his, quia non poſſunt ſine moleſto, tardóque molimine formare veſtigia. De prægnantibus, & nutrientibus docuit Chriſtus Matthæi 24. verſu 19. qui cùm de fuga ageret, miſertus prægnantium, & nutrientium, vt pote quæ cõmouere ſe in ſummo etiam periculo non poſſent, ait: *Væ autem pregnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Ea tamen erat in reditu commoditas, vt inceſſu delicato, ac molli, hi
B quoque iter illud longum ad patrias vſque ſedes 18.
obire poſſint. Complanabit enim Deus viam, ita vt in ea arduum nihil, aut ſalebroſum occurrat: iis verò, qui nonniſi ægrè, ac tardè moliri poſſunt iter illud longum, carrucas attribuat, atque lecticas. De quibus Iſaias capite 66. verſu 20. *Et adducet omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum Ieruſalem.* & Baruch cap. 5. verſu 6. *Exierunt abs te pedibus ducti ab inimicis, adducet autem illos Dominus ad te, portatos in honore, ſicut filios regni. Conſtituit enim Dominus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ.*
C Vide, quàm non moleſtè remigrare poſſunt cæci, claudi, prægnantes, & enixæ, quando non ſuis pedibus, ſed vecti curribus, iter illud in patriam ſuſcepturi ſint. Cæterùm, *pariens*, hoc loco non ſignificat illam, quæ in ipſo eſt pariendi nixu, ſed quæ iam peperit, nutrítque infantem, ita vt idem ſit hoc loco *pregnans*, & *pariens*, quod aliis locis *prægnans*, & *nutriens*, ídque, vt reór, prouerbiali ſpecie, qua ſignificatur magnum aliquod impedimentum, præſertim ad fugam, ſeu diſceſſum. Quòd ſi in *pariente*, fœminam illam intelligas, quæ nixu laborat puerperij, magna amplificatio eſt Diuini beneficij: cùm enim in partu grauis ſit dolor, neque vitæ periculum le-
D ue; ita tamen mollis comparatus eſt à Domino reditus, vt vel in via non incommodè dolorem illum, atque diſcrimen ſubire poſſit fœmina puerpera. Hæc tamen multò magis ad tempus Euangelicum accommoda; vbi Chriſtus, dum paupertatem amauit, & crucem ſubiit, & nihil recuſauit eorum, quæ horret, & refugit humana mollities, ſic aſpera, atque depreſſa complanauit, ſic emolliuit dura, ſic condiuit amara, vt qui præ deliciis perferre non poterant humanam moleſtiam, illi iam vltrò ſubeant Euangelij iugum, crucíſque moleſtiam; & amarum calicem, quem Dominus propinat, non ſolùm non horreant, ſed etiam ſitiant, & cum ingenti volu-
E ptate hauriant. Ecqua via expedita magis, atque decliuis? ecqua lectica mollior? ecquod iter ſuauius?

Matth. 24.

Iudæi ex exilio ſine moleſtia, imò cum voluptate remigrarũt.

Prov. *Pregnans, & pariens.*

Quæ dura ſunt, Euangelij tempore ſiunt mollia.

Verſ. 9. *In fletu venient, & in miſericordia reducam eos.*] Quidam totum hoc de Iudæorum reditu interpretantur, & lacrymas, & fletum, ex gaudio prouenisse putant, non ex dolore; quaſi pro inexpectata libertate cohibere non poſſint erumpentes lacrymas: quod ſanctus Thomas, & Hieronymus non improbant: tenet Rabbi Dauid, Maldonatus, & Caſtrus. Mihi probatur magis, quod cum Theodoreto ſentiunt alij plures, in quibus videtur eſſe Hieronymus, iuxta 19.

tranſ

tranſlationem Septuaginta, vt prior pars ad tempus illud pertineat, in quo captiui egreſſi ſunt à patria, & in Babylonem abducti: poſterior verò illud reſpiciat, in quo è Babylone iam ſoluti in patriam remigrarunt: & id planè indicat totum caput, in quo de hac tanta rerum conuerſione plurima. Cùm autem nondum, quo tempore hæc à Ieremia dicuntur, in exilium forent egreſſi Iudæi, optimè tam de egreſſu, quàm de reditu per tempus futurum loquitur Propheta.

20. *Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea.*] Comparat, credo, Babylonicum reditum, cum egreſſu Ægyptio, & docet illum fore magis expeditum & mollem: locus enim, per quem ex Ægypto progreſſi ſunt Hebræi, deſertus erat & aridus, in quo paſſim mortis occurſabat vmbra: neque recta via ingrediebantur, ſed longo, atque moleſto circuitu. Contraria omnia Babylonicis exulibus promittit, viam nempe rectam, aquarum abundantem, & in qua nuſquam offendant pedes. Puto tractum illum, qui inter Babyloniam, & Hieroſolymam medius eſt, aquis abundare frequentibus; quòd ſi aliquo loco ſiticuloſus ſit, prouiſum à Domini humanitate, ne ſiti populus laboraret; ſicut & Deus in terra ſitienti ex percuſſo ſaxo fontem eduxit. Talia enim ſe facturum eſſe dixit, qualia olim cùm populus idem emerſit ex Ægypto, Iſaiæ capite 11. *Et erit via reliquo populo meo, qui relinquitur ab Aſſyriis, ſicut fuit Iſraël in die illa, qua aſcendit de terra Ægypti.*

21. *Singularis Dei humanitas.* *Quia factus ſum Iſraëli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.*] Sicut pater non ſolùm quæ ad vſum, ſed etiam quæ ad voluptatem ſunt, liberis indulget: ſic Deus Iſraëli non tantùm expeditam, & tutam, ſed etiam ſuauem, & mollem ſemitam parauit; neque id ſolùm duabus Tribubus, quibus minùs erat, quàm aliis offenſus, ſed etiam Ephraim, in quo decem aliæ Tribus intelliguntur (nam ex decem Tribubus plurimi duabus permixti redierunt) quem ſic amplectetur amanter, ſicut pater primogenitum filium. Hæc alij communiter, &, vt arbitror, verè. Sed vide, an alia quoque poſſit eſſe ſententia. Datiuus ſæpe aut æqualitatem, &, vt aiunt, identitatem, & ſimilitudinem importat, ſicut apud Horatium de arte poëtica, ad finem:

Regula. Per datiuũ æqualitas, ſeu identitas ſignificatur. Deus homini pro patre.

Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.

ideſt, qui ſeruat volentem mori, perinde facit, ac ſi occideret. Qui loquendi modus familiaris eſt Lucretio. Sic fortaſſe hoc loco ſignificat Deus, ſe populo ſuo futurum eſſe pro patre Iſraële, à quo prognatus, & propagatus eſt. Ac ſi dicat: Ego ero populo in patrem perinde atque fuit Iſraël. Sed quia hic loquendi modus paulò durior eſt, aliter eandem ſententiam informo; & ſubaudio, quod Hebræis familiare eſt, ſimilitudinis formam, in hunc modum: Ego ero Iſraëli, populo videlicet Iſraëlitico, pater, ideſt, tanquam pater: pater, inquam, ille, à quo ipſi vocati ſunt Iſraëlitæ. Quòd verò hæc ſit huius loci ſententia, ſuadet, meo iudicio, non obſcurè, quod ſequitur.

22. *Ephraim cur primogenitus Dei.* *Et Ephraim primogenitus meus.*] Cur hoc loco Deus primogenitum vocet Ephraim, non apparet vlla idonea ratio, præter eam, quam nuper adduximus. Neque enim primogenitus apud Deum videri potuit Ephraim, quacunque id ratione conſideres; non amore, quia potiùs illum

A abieciſſe viſus eſt, cùm ad hoc vſque tempus in exilio reliquit; non naſcendi ordine, quia hic omnium, ex quibus Iſraëliticum genus deriuatum eſt, vltimus fuit, filius nempe Ioſephi, & ſecũdo loco natus. Appellat verò Deus Ephraim primogenitum, quia ſic illum appellauit, & conſtituit Iacob, cui ſe Deus ſimilem futurum eſſe dicit. Bis autem Iacob, ſiue Iſraël primogenitum fecit Ephraim; ſemel Geneſis 48. cùm tranſuerſis in decuſſim manibus prætulit illum fratri maiori Manaſſe, cui cùm pater ægrè ferret, dicerétque de Manaſſe, *Non ita conuenit, pater, quia hic eſt primogenitus*, reſpondit Iacob: *Frater eius minor maior erit illo, & ſemen illius creſcet inter gentes.* *Ephraim primogenitus Iacob.*

B Iterum pro Ruben primogenitus eſt habitus Ioſeph, & eius loco filius Ephraim 1. Paralipom. capite 5. *Ipſe quippe (Ruben) fuit primogenitus eius (Iſraël) ſed cùm violaſſet torum patris ſui, data ſunt primogenita eius filiis Ioſeph filij Iſraël, & non eſt ille reputatus in primogenitum.* Quare hoc loco ſignificare videtur Deus, ſe Hebræorum populo futurum eſſe patrem pro Iacob, quia illam adhibet notam, quæ non aliis conuenit à Iacob, quòd nempe primogenitum ſibi eſſe voluit Ephraim.

Hæc fortaſſe vera, ſatis certè ad veriſimilitudinem: ſed quia ſæpe in hoc capite agitur de Ephraim, ad quæ hæc minùs aptè accommodari poſſe videntur, aliter videtur inſtituenda ſenten- 23. *Quomodo decẽ Tribus ab exilio redierint.*

C tia. Puto igitur hîc non tantùm duabus Tribubus promitti reditum ab exilio, ſed etiam aliis decem, & Ephraim præcipuè, quia cùm proximus eſſet Hieroſolymæ, ac templo, ex ea Tribu multi in antiqua religione hærere maluerunt, quàm ſequuti Ieroboam aureos adorare vitulos, & patriam abiurare religionem. Sanè 2. Paralip. capite 30. verſu 18. magna pars Ephraim ſub Ezechia celebraſſe dicitur Phaſe in Ieruſalem. Quòd verò ex aliis Tribubus plurimi redierint, nemini dubium eſſe poteſt, qui in ſacra literatura mediocriter verſatus ſit. Ita apertè Ezechiel capite 37. verſu 16. *Et tu, fili hominis, ſume tibi lignum vnum*, &c. & Tobiæ capite 14. de decem Ezech. 37. Tob. 14.

D Tribubus, quæ tunc tantùm exulabant à patria, ait: *Propè erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini, & fratres noſtri, qui diſperſi ſunt à terra Iſraël, reuertentur ad eam.* Et apud Oſeam, vbi decem Tribus negantur reuerſuræ, earum reditus non obſcurè prædicitur capite 11. *Non conuertar, vt diſpergam Ephraim, quia Deus ego, & non homo.* Et capite 12. *Adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis.* Et iterum capite 14. *Sanabo contritiones eorum; diligam eos ſpontaneè, quia auerſus eſt furor meus ab eis.* Propter hæc, & alia, de quibus ſtatim, Cyrillus in prologo Zachariæ, Theodoretus, & Theophylactus in illud Oſeæ capite 3. *Quia dies multos ſedebunt*, pu-

E tant, decem quoque Tribus in patriam remigraſſe.

Ego in hac re primùm opinor, quod communiter alij, durare adhuc decem Tribuum exilium; exiſtimo tamen ex illis cum duabus aliis rediiſſe quàmplurimos, quod illa loca, de quibus nuper, non obſcurè conuincunt. Quibus adde illud Ieremiæ capite 3. verſu 18. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Iſraël, & venient ſimul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus veſtris.* Vide quæ nos in eum locum pluribus, & in illud Zachariæ capite 8. *Domus Iuda, & domus Iſraël, ſic ſaluabo vos.* Quomodo verò decem Tri- 24.

 bus,

bus, aut quo ſenſu dicantur non rediiſſe, diximus ſuprà capite 3. quia videlicet non ſuo nomine, neque vt olim ſub familiarum ſuarum ducibus, & ſignis reuerſi ſunt, ſed permixti Iudæis ſub Zorobabel, & Eſdra, & vocati Iudæi, non vt olim Ephraimitæ, aut Rubenitæ. Quod dixit Ezechiel capite 37. verſu 16. vbi ſub duorum lignorum metaphora futurum dixit, vt duo populi in vnum coaleſcerent. Idem etiam Oſeas capite 1. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter: & ponent ſibimet caput vnum.*

25. Ex his facile videor hunc ſenſum deſumere: Non deponendam eſſe memoriam Ephraim, neque obliuioni traditum primogeniti nomen; quia ad ipſum quoque ſeſe Diuina porriget clementia. Neque enim aliæ duæ Tribus ſolæ rediêre; ſed ex aliis plurimi, maximè ex Ephraimitica Tribu, quia propior erat Hieroſolymæ, & ex illa multi eò commearant: quare vt plurimi cum Iudæis captiui, ſic etiam cum eiſdem plurimi ex exilio reuerſi.

26. Verſ.10. *Audite verbum Domini gentes, & annunciate in inſulis, quæ procul ſunt.*] Optimè hæc in Eccleſiam aptari poſſunt, quæ ſinus ſuos ad gentes omnes laxat, & expandit; neque reſpicit, aut faſtidit, quos in antiqua lege Deus abieciſſe videbatur. Sed quemadmodum ad Hebræorum ſtatum accommodari poſſint, ex iis, quæ proximè dedimus, ſatis, credo, veriſimile fit. Hæc verò videntur eſſe edicti verba, quo Cyrus Iudæis liberam fecit remigrandi facultatem, aut certè ad illud reſpexiſſe Ieremiam, quod edictum habes Eſdræ capite 1. verſu 3. *Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo, aſcendat in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa*, &c. Quod edictum ad eas quoque regiones tranſmiſſum eſt, ad quas olim tranſlatæ fuerant decem Tribus: nam ad has quoque, ſublato Chaldæorum imperio, ſeſe explicabat Perſarum dominatus. *Suſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam per Scripturam dicens, Omnia regna mundi dedit mihi Dominus, &c.* Quòd verò pauciores ex aliis Tribubus reuerſi fuerint, in aliis hæc quoque ratio videtur aſſignari poſſe, quia cùm longiorem multò moram apud Aſſyrios poſuiſſent, iam ibi & conſtruxerant domos, & agros quæſierant, plantauerántque, quæ oblata libertate, relinquere tamen durum videbatur.

27. *Qui diſperſit Iſraël, congregabit eum.*] Hæc quoque verba fauent non parum noſtræ cogitationi; quia plerunque Iſraël, poſtquam diſſectus eſt populus ſub Ieroboam, pro decem Tribubus vſurpatur, maximè cùm toties iteretur nomen Ephraim.

28. Verſ.12. *Et confluent ad bona Domini ſuper frumento, & vino, & oleo.*] Vbi iam ſoluti fuerint à vindice ſuæ libertatis Cyro, confluent ad montem Sion, & poſſeſſiones, ex quibus depulſi fuerant, rurſus obtinebunt, quas experientur non ſteriles, vt antea, ſed vberes, & vini, olei, frumentíque feraces, in quibus lætum erit, atque fœcundum pecus: quæ omnia benigna Domini manus largiùs impendet.

29. *Erítque anima eorum quaſi hortus irriguus.*] *Anima eorum*, idem eſt quod, *ipſi*, ſicut etiam ſtatim verſu 14. *Anima Sacerdotum*, pro *Sacerdotibus* adhibetur. Hæc verò tanta fertilitas, atque vbertas, quam Dominus poſt captiuitatem promittit, ſiccitati opponitur, quam Iudæi proximè

Sterilitas terræ propter peccata.

ante Chaldæorum aduentum ſubierunt. De qua Ieremias capite 12. verſu 4. *Vſquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur propter malitiam habitantium in ea? Conſumptum eſt animal*, &c. & capite 14. verſu 4. *Propter terræ vaſtitatem, quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua: nam & cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba.*

30. Sed dices quomodo verum eſſe poteſt, abundaſſe rerum omnium copia Iudæos ab exilio ſolutos, cum conſtet, illos poſt reditum non minùs rerum inopia laboraſſe quàm antea? Aggæi capite 1. verſu 6. *Seminaſtis multùm, & intuliſtis parum.* & verſu 10. *Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum: & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum.* Idem ferme Zacharias capite 8. à verſu 10. Propter hæc quidam exiſtimarunt, hæc de Eccleſia tantùm eſſe intelligenda, & nullo modo de Iudæorum ſtatu. Sed deberent hi, quicunque ſunt, conſiderare eadem, quæ nunc ab iiſdem Prophetis populo promitti, modò animum ad templi Domini fabricam adiiciant: nam ſi minùs terra ad agricolarum vota reſpondit, ingrati, atque inertis animi pœna fuit, qui ſibi de habitatione prouiderunt, nihil de templi conſtructione ſolliciti. Sed ſi hæc agant, de quibus primo loco curatum oportuit, omnia ſecunda per eoſdem Prophetas pollicetur Deus: per Aggæum quidem capite 2. verſu 19. *A die, qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum. Nunquid iam ſemen in germine eſt, & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit? Ex die iſta benedicam.* Eodem modo Zacharias, cùm dixiſſet capite 8. cùm ageret de tempore, quo ædificari templum Domini cœpit, ait: *Ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum*, &c. *Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam*, &c. *ſed ſemen pacis erit, vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum.*

Fertilitas ſub conditione promiſſa.

31. Verſ.13. *Tunc lætabitur virgo in choro.*] Hæc pars quædam eſt fortunæ prioris, à qua populus tandiu captiuus exciderat: quæ tunc adhiberi ſolet in Republica, quando omnia ex vſu, atque ex voto ſuccedunt.

Verſ.14. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine.*] Anima Sacerdotum, ex Hebræorum idiomate, pro Sacerdotibus ſumitur. Inebriari autem dicuntur Sacerdotum animæ pinguedine, quia multæ ad templum adducentur victimæ, quarum bona pars debetur Sacerdoti.

32. Verſ.15. *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.*] Hîc varia à variis adducuntur, neque id mirum, cùm locus ſit obſcurus, & in quo expendi multa, atque examinari debeant. Ego ab aliorum ſententiis commemorandis, ac refellendis abſtinebo, ne longus ſim, & quid mihi probetur maximè, quàm breuiſſimè potero, complectar. Promiſit Dominus felicitatem, lætitiam, & rerum omnium abundantiam iis, qui diu ærumnoſam exilij conditionem pertulerunt: quæ felicitas, vt maior appareat, & pluris æſtimetur, proponitur, quis illorum fuerit ſenſus, quis animi dolor, cùm relinquere coacti ſunt paternas ſedes, & natale ſolum: qui diſceſſus leuior eſſe non ſolet, quàm à vita, quia exules pro mortuis cenſentur; & in

Scriptura

Exilium, mors quædã eſt. Ezech. 37.

Scriptura ſacra exilium cum ſepultura comparatur. Quare Ezechiel capite 37. cùm euocandos eſſe dicit captiuos ab exilio, eruendos affirmat à ſepulcris. Et ideo Rachel abductos in Babylonem filios, pro mortuis deputat, dum dicitur, nullam conſolationem admittere, quia non ſunt, ideſt, quia perinde exiſtimantur, ac ſi non eſſent inter viuos. Vt autem poſt morbum gratior eſt valetudo; poſt bellorum diſcrimina pluris æſtimantur otium, & pax; poſt iactationem, & fluctus, nauiſque iacturam dulcior eſt portus; ſic poſt lacrymas ex patriæ deſiderio; poſt exilij ſordes, & ærumnas multò iucundior eſt patriæ, libertatiſque poſſeſſio. Aptiſſimè ergo præmittitur Rachelis lamentatio, quam nullum conſolationis genus lenire queat, vt oblata inſperata libertas iucundior appareat.

Rachel pro Tribu Iuda ſumitur, & Benjamin, atque Ephraim.

33. Duos ſuſcepit filios Rachel, alterum in Meſopotamia, alterum in Ephrata, quæ eſt Bethlehem. Ex priori natus eſt Ephraim, de quo in hoc capite ſæpe. Cùm ergo filios Ephraimitas, & Benjaminitas abduci videret ab exilio, quos iam planè cenſebat inter mortuos, fletu proſequebatur diſcedentes inconſolabili. Porro Rachel ſumi pro Bethlehem, ſeu Ephrata, quia ibi ſepulta eſt, communiter opinantur Interpretes: cùm verò Bethlehem ad ſortem potiùs pertineat Iuda, quàm Benjamin, in Rachele vtranque ſortem contineri puto: Iudam quidem, quia in eius ſorte ſepulta fuit; cui, credo, nomen dedit: ſicut alibi ſæpe, qui ciuitates fundarunt, aut in illis monumentum aliquod reliquerunt, ex ſuo nomine illas appellauerunt. Benjamin autem & Ephraim, quia familiæ hæ duæ ex Rachele natæ, ac propagatæ ſunt. Cur autem Deus Ephraim præcipuè redeuntis meminerit, & diximus nuper; & ex his, quæ dicentur, magis conſtabit. Sanè ad Rachelis nomen magis accommodatur, quæ filios deplorat, cùm ipſius filius fuerit Ephraim.

34. Vbi Vulgatus, *in excelſo*, Septuaginta retinuerunt Hebraicum nomen *Ramah*, quod in ſimilibus faciunt non rarò: quare obſcurum eſt, an hoc proprium ſit nomen ciuitatis, aut commune montium excelſorum: nam fuiſſe Ramah in Tribu Benjamin, conſtat Ioſue capite 18. verſu 25. quam eſſe non longè à Ieruſalem docet Hieronymus in illud Oſeæ capite 5. *Clangite buccina in Rabaa, tuba in Ramah.* Ego Ramah proprium eſſe nomen exiſtimo eius ciuitatis, de qua modò. neque obſtare credo quod à Vulgato *in excelſo* redditur, quia alibi perſæpe explicationem, aut etymologiam nominis, pro nomine ipſo proprio adhibere ſolet: vt *pacem*, pro, *Salem*, Pſalmo 75. *Et factus eſt in pace locus eius.* & *frenum* pro *metheg* 2. Regum capite 8. & 1. Paralipom. capite 4. verſu 21. & 22. Sex occurrunt exempla, in quibus pro nominibus propriis nominum adhibetur expoſitio. Eſt autem Ramah eo ſitu, vt inter eam, & Bethlehem, media intercedat Ieruſalem; vt conſtat Iudicum capite 19. vbi Leuites, qui ex Bethlehem fuerat egreſſus, cùm perueniſſet in Ieruſalem, tranſire ſe velle dixit ad Gabaa, ſeu Ramah, verſu 13. Porro per Ramah tranſeundum erat in Babylonem his, qui è Ieruſalem illuc abducebantur extorres. Id conſtat ex capite 40. Ieremiæ verſu 1. vbi cùm Nabuzardan Princeps militiæ cum captiuis aliis Ieremiam ageret in Babylonem, illum tamen ex Ramah, ideſt, è medio curſu Hieroſolymam remiſit. Iuuencus illud *in excelſo*, ſeu *in Ramah*, pro cælo vi-

Ramah quid.

REGVLA. Sæpe explicatio, ſeu notatio nominis pro nomine ponitur.

A detur accepiſſe, ita vt fœmineus vlulatus ad cælum videatur perueniſſe: ſic enim ille in caput 2. Matthæi, cùm ageret de infantium cæde:

Hæc etiam cædes olim præſcripta manebat:
Nam pius hanc Vates Diuino numine iuſſus
Complorat, miſero ſobolis pro munere matres
Horrendis grauiter cælum pulſare querelis.

Qui dicendi modus hyperbolicus apud profanos familiaris eſt. At de loco certo hæc alij communiter accipiunt, & verè.

Sed eſt adhuc obſcurum, an in Ramah editi 35.
fuerint lugubres clamores ab his, qui tunc primùm ſub Babylonico iugo viam illam carpebant, aut certè cùm ederentur à Rachel, ideſt, à ma-
B tribus, ſeu filiabus, quæ in vrbe remanſerunt; ad Ramah tamen, quæ non longè aberat, audiretur. Illud prius libentiùs accipio, quia modus ipſe loquendi eò magis inclinat; & conſtat, captiuos in via fuiſſe lacrymatos, vt verſu 9. hoc ipſo capite vidimus. Neque obſtat, quòd Rachel, quæ lacrymata dicitur, non fuerit in Ramah ſepulta, ſed in Bethlehem, quia non tam fleuiſſe traditur, quia Bethlehemitis, vt ita dicam, quàm quòd mater Benjamin, ad cuius funiculum pertinebat Ramah: aut certè pro Tribu ponitur Iuda, quia in ipſius ſorte tumulata eſt; niſi mauis ſumi pro Ieruſalem, quæ exciſa eſt, & ſpoliata ci-
C uibus, quam conſtat eſſe in Tribu Benjamin. Ioſue cap. 18. verſu 28.

Sed quæret aliquis, cur ſi vaticinium hoc im- 36.
pletum eſt, cùm duæ Tribus, adde etiam bonam partem Ephraim, vt nuper explicabamus, è patriis finibus expulſæ ſunt, quare Matthæi 2. impletum eſſe traditur, cùm ab Herode infantes in Bethlehem, & eius finibus occiſi ſunt? Res ſanè difficilis, cui variè occurrunt Patres, & Interpretes. Ego cum Maldonato hîc, & pluribus in caput 2. Matthæi cenſeo, ex vſu Scripturæ aliquid dici, aut impleri, aut fieri, cùm aliquod accipit incrementum, aut extremam, vt aiunt, perfectionem. Exempla inuenies apud Salmeronem Prolegomeno 15. Regula 30. Sane de Abraham
D Geneſis 15. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei in iuſtitiam.* Iam antè crediderat Abraham, teſte Apoſtolo ad Hebræos capite 11. *Fide* (inquit) *qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, neſciens quò iret.* Crediſſe tamen dicitur, quia eius fides continuata, & magis confirmata fuit. Sic in prophetiis aliquando contingit, vt prædicetur aliquid futurũ, in quo tamen vmbra quædam contineatur alterius rei, quæ poſtea dudum futura eſt: qualia multa fuerunt in Teſtamento veteri, in quibus imago quædam ſpectabatur eorum, quæ deinde in nouo contigerunt. Huiuſmodi fuère, apertum mare Rubrum, agnus, & azyma, datum manna de cælo, & his ſimilia non
E pauca. Horum aliqua prædicta ſunt futura, quia tamen hæc eadem facta aliquid præterea futurum deſignabant, licèt prophetia impleta videri poſſit, cùm illud priùs effectum eſt, quia tamen aliquid aliud implendum ſupererat, impleta tunc dicitur prophetia, cùm nihil eſt, præter ea, quod requiras. Quæcunque prædicta ſunt à Prophetis, de reditu Iudæorum è Babylone, de excitanda vrbe, & conſtruendo templo, vmbra quædam fuerunt Eccleſiæ, vt eſt communis Patrum ſententia, vt nos pluribus oſtendimus in Præfatione quadam ad caput 40. Iſaiæ. Quare licèt impleta illa fuerint, in Iudæorum reditu, excitatóque

Mat. c. 2.

Aliquid impleri dicitur aut fieri, cùm incrementũ accipit, aut perfectionẽ.

tóque tẽplo, tamen impleri quoque dici potue-
37. runt in aureo Euangelij tempore. Illud, *vox clamantis in deſerto*, de reditu Iudæorum accipiunt
Toletus in caput 3. Lucæ, Maldonatus in caput
3. Matthæi, Ianſenius in Concord. capite 8. ſicut
etiam iidem illud Iſaiæ capite 61. & Lucæ 4.
Spiritus Domini ſuper me. quod de ſe ipſo Chriſtus
exponit, quod etiam cenſent ſanctus Thomas,
Oſeæ c. 11. & Hugo. & illud Oſeæ capite 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum,* vt eſt communis Patrum ſententia, de populo Iſraëlitico intelligitur, in cuius egreſſu cùm ſpecies appareret Chriſti inde
euocati, Matthæi capite 2. in Chriſto completum eſſe dicit. Alia adducit Apoſtolus capite 9.
ad Romanos, quæ cùm in Iudæorum populo
completa fuerint, ipſe tamen in alios allegoricos ſenſus aſſumit. Sic nunc, cùm hæc Ieremiæ
verba impleta fuerint, quando abducti fuerunt
Iudæi cum fletu in Babylonem; quia tamen adhuc impleri rurſus poterant infantium cæde,
& matrum eiulatu, impleta dicuntur à Matthæo,
quando occiſi ſunt innocentes ab Herode; quia
adhuc vlteriùs erat aliquid, quod in tempore
Chriſti impleri debuerit. Prædicitur itaque primùm ciuilis mors, & fletus Iudææ gentis; deinde
quaſi in ſymbolo fletus, & cædes filiorum ipſius
à Tyranno non minùs ſeuero, quàm fuit antea
Nabuchodonoſor. Ex his habes, quomodo hæc
ad Eccleſiam pertineant; in quibus apparet occiſorum infantium illuſtris vmbra. Nam, vt illi
cum gemitu à patriæ complexu diuulſi ciuilem
mortem obierunt, redierúntque poſtea cum iubilo, & gloria: ſic iſti veram, & propriam mortem paſſi ab hoſtili ferro, poſt exilium non admodum longum à cæleſti patria, ad Chriſti
nempe mortem cum ingenti gloria, & feſtiuo
plauſu, non à Zorobabele duce, & Ieſu Sacerdote filio Ioſedech, ſed à Duce, & Seruatore Ieſu
inducti ſunt in myſticam illam Ieruſalem, quam
adumbrabat terreſtris.

38. Antequam hinc diſcedo, duo mihi obſeruanda ſunt; alterum eſt, vbi noſter tranſtulit, *& non ſunt*, Hebraicè eſſe, *& non ipſe*; ſenſu quidem eodem, ſpecie tamen orationis diuerſa. Prior enim
Non ipſe, idem quod non eſt.
dicendi modus indicat, omnes eſſe ſublatos; poſterior, neque vnum eſſe reliquum: quaſi dicas,
ad vnum omnes interierunt. Quod tamen ſpeciem habet quandam hyperboles: nam conſtat,
non omnes aut periiſſe, aut in exilium auectos,
& fortaſſe multos ex infantibus Herodis gladio parentum ſedulitas eripuit, vt multi putant
de Ioanne Baptiſta, propter quod exiſtimatur
Zacharias pater occiſus ab Herode inter templum, & altare: qua de re nos in caput 1. Zachariæ. Alterum eſt, *non eſſe*, ſeu, *non ipſe*, ex Hebræorum idiomate perinde valere, atque, *perire*, ſiue
Non eſſe, idem quod perire.
id ciuili, ſiue naturali morte contingat; aut non
apparere. Exempla ſunt plurima, pauca hæc accipe. Pſalmo 36. verſu 39. *Vidi impium ſuperexaltatum,* &c. *tranſiui, & ecce non erat.* & Geneſis 5.
Pſal. 36. Geneſ. 5. Dan. 9.
verſu 24. de Henoch, *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit.* Hebraicè, *& non ipſe.* Danielis capite 9. cùm ſermo eſſet de Chriſti morte, verſu
26. dicitur: *Poſt hebdomadas ſeptuaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.* ideſt, populus Iudaicus, qui Chriſtum negabit, non erit, quia ea ratione peribit, qua perituri dicuntur nunc parentes ipſius, nempe, aut
naturali morte, ferro, aut fame conſumpti, aut
ciuili: variè, nempe, à paterno ſolo diſperſi.

A Verſ. 16. *Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo.*] Ex his mihi videor poſſe colligere, in Rachele captiuum populum intelligi, quacunque ex familia ſit, ſiue ex
Iudaica, ſiue ex Benjaminitica, ſiue etiam ex
Ephraim, quando plorantium operi reddenda
dicitur eſſe merces; quæ ſanè non videtur eſſe
alia, quàm quæ ſtatim ſubiicitur, nempe, hæreditatis, & loci, vnde quondam exciderant, reſtituta poſſeſſio. *Reuertentur* (inquit) *de terra inimici.*
Hîc ego tranſlationem agnoſco, vel à mercenario, qui ſuam alteri locauit operam; vel ab eo,
qui militiam profeſſus, ærumnoſam trahit, &
difficilem vitam; immo duræ quotidie imaginem mortis intuetur. Labores, & ærumnoſum
B ſtatum in militari vita, aut in mercenarij opere
ſignificari prouerbiali ſpecie, ſatis eſt notum.
Vtrunque coniunxit Iob capite 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut dies mercenarij, dies eius.* De mercenario ſæpius idem Iob, qui capite
Prov. Mercenarij dies.
14. ſignificat, quàm cupiat ardenter mercenarius finiri diem, quam duro, atque difficili domino locauerat. *Recede paululum ab eo, donec optata veniat, & ſicut mercenarij dies eius.* & capite 7. *Sicut ceruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui.* Vitam ergo cùm ageret mercenarij in modum populus ille captiuus, plenam
ærumnarum, plenam ignominiæ, ac ſordium,
C mœrebat animo, ſuámque fortunam lacrymis
proſequebatur aſſiduis, cùm non minùs premeretur ab hoſte Babylonico, quàm mercenarius à
domino, cui operam ſuam, & vitam, ad definitum aliquod tempus, quaſi mancipio dedit. Spe
tamen mercedis mercenarius ille laborioſum illud tempus conſolatur. Ad huius igitur mercenarij ſimilitudinem, iubet Dominus, vt mœrorem deponat, gemitúmque cohibeat, populus
ille quaſi mercenarius apud Babylonios: futurum eſt enim, vt finis adueniat operis, quem
præſtolatur mercenarius, ideſt, laboris, & exilij:
& accedat merces, quæ tam longi laboris merita
compenſat. Id, credo, valet illud, *Quia eſt merces operi tuo.* Quod verò mercenario locata dies, id
D captiuo populo ſeptuaginta annorum ſpatium
fuit.

Verſ. 17. *Et eſt ſpes nouiſſimis tuis.*] Explicatio
eſt ſuperioris clauſulæ: quam enim priùs mercedem vocauit, eam modò nouiſſimorum ſpem
appellat: eſt autem ſpes de reditu in patriam, vt
ſtatim exponit.

Verſ. 18. *Audiens audiui Ephraim tranſmigrantem.*] Cùm ſermo hîc ſit de duabus Tribubus, 40.
admiſcet tamen Ephraim, quia ex ea ſe Tribu ad
alias duas plurimi aſſociarant: & quia hic ex
Rachele prognatus eſt, quam paulò antè plorantem indixerat. Significat verò Deus, cur ipſe
tantopere miſereatur Ephraim, in quo alios
E etiam captiuos per ſynecdochen intelligo, quia
ipſum vexatione reſipuiſſe, adductúmque pœnitentia de meliori vita cogitare videt. Adhibuit in præſenti *tranſmigrantem*, vel quia in ipſo
tranſmigrationis curſu agnoſcebat, dolebátque
peccatorum ſuorum multitudinem, & pondus,
quod videtur importare modus ipſe dicendi;
aut, quod magis reor, quia in ipſa tranſmigratione, ſeu exilio dolebat. Quam explicationem
indicat vox Hebraica מתנודד *mithnodad*, quæ
vagantem valet, ideſt, huc illúcque diſcurſantem.
quod faciunt, quibus incommoda eſt, atque moleſta commoratio: aut etiam, vt vult Hieronymus,

inus, *lamentantem*; quia aſſiduis ſe conficiebat lacrymis, doloréinque ſuum obuiis quibúſque Gentibus euulgabat.

41. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum.*] Hæc ſunt verba vagantis, atque dolentis Ephraim, quæ ex vſu Scripturæ ſupplicium graue, & dolorem indicant vehementem: nam ſicut geminatio vocis, aut ſententiæ epitaſim habet, ſic ſententia actiua, atque paſſiua, forma iterum explicata, vim habet maiorem, & pondus. Exemplum habet hoc ipſo in capite verſu 4. *Rurſúmque ædificabo te, & ædificaberis.* Pſalmo 101. *Mutabis eos, & mutabuntur.* & ſtatim numero 43. *Conuerte me, & conuertar.*

Regvla. Epitaſis eſt in ſententia actiuè, & paſſiuè ſignificata.

42. *Quaſi iuuenculus indomitus.*] Doctrina iuuenculi, aut præferocis equi ſtimulus eſt, quo compuncta animalia hæc indomita aſſueſcunt oneri, & iugum admittunt. Quare vox eadem לָמֵד *lamed* ſtimulum ſonat, & doctrinam: quia non aliter inſtituuntur boues ad vomerem, & plauſtrum, quàm edocti ſtimulis. Optimè ergo dicebat Ephraim, ſe tanquam iuuenculum indomitum eruditum, quia exagitatus aculeis, & vexatione doctus, oculos aperuit. Id, credo, optabat olim Iſaias capite 26. cùm dicebat, intellectum veſano illi populo à vexatione tantùm datum iri. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Vide, quæ eo loco diximus. Porro Ephraim alio etiam loco vitula appellatur, fortaſſe propter laſciuiam, & arrogantes ſpiritus. Oſeæ capite 10. *Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius.*

Stultorum doctrina caſtigatio eſt.

43. *Conuerte me, & conuertar.*] Pœnitentis populi vox iſta eſt, qui fatetur, in ſe nihil eſſe virium, quo ſuperioris vitæ peccata cognoſcat, & doleat, niſi hoc Diuinus largiatur Spiritus, quem ſibi adeſſe poſtulat, quò conuerti poſſit. ita cum Hieronymo complures alij. His autem verba non diſſimilia habes à Ieremia propoſita captiuorum nomine Threnorum 5. *Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio.* Quibus ex locis cum Auguſtino colligunt Theologi, & gratiam Dei, & liberum hominis arbitrium ad conuerſionem eſſe neceſſaria, ita tamen, vt arbitrij motum gratia præcedat.

Pœnitentia noſtra incipit à Deo.

44. *Quia tu, Domine Deus meus.*] Fatetur Ephraim edoctus iam, & eruditus à Domino ea vexatione, quæ oculos aperit cæcorum, & cæleſtem aduocat, & interdum exorat diſciplinam, à Deo tantùm eximium illud donum poſſe concedi. Quaſi dicat, Tu ſolus efficere potes, vt conuertar, quia tu Dominus Deus meus es. Aut, ſi aliquid putes eſſe ſupplendum, quod non improbo; ſenſus erit: Conuerte me, & conuertar ad te; quia te ſolum Dominum, ac Deum eſſe confiteor.

45. Verſ. 19. *Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam; & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.*] Exemplis docet conuerſionem illam ſibi impenſam à Deo fore non inutilem. Nam primis illius populi temporibus, quæ vocari potuerunt ipſius adoleſcentia, quoties à Deo caſtigati ſunt antiqui Patres, & duriùs accepti pœnitentiam egerunt: & poſita ob oculos vitæ turpitudine, quã priùs ignorarant, aut certè accuratè expendere noluerant, quaſi à graui aliquo ſopore excitati, admatíque, quòd eò progreſſi fuerint impudentiæ, percuſſerunt femur, quod in ſummo dolore, aut ſubita admiratione homines faciunt, cùm ſe ex ſtupore, aut profunda ali-

Vexatio vtilis.

A qua obliuione recipiunt. Idem antè docuerat Dauid Pſalmo 77. verſu 39. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Idem, credo, quod nunc Ephraim, orabant captiui, aut captiuorum nomine Ieremias Threnorum 5. cùm poſt ſimilem petitionem ſubiecit: *Innoua dies noſtros ſicut à principio.* ideſt, appareant in noſtro hoc ſæculo dies illi, quales parentes noſtri olim in principio, ideſt, in noſtræ Gentis adoleſcentia conſpexerunt, quos ſtimulis ad melioris vitæ rationem adegiſti.

Porro, vt alia ſunt ſigna, quæ varios produnt animorum affectus, ſic femoris percuſſio admirationem, ex ſubita rerum cognitione indicat. Eſt autem vſitatum, vt ſigna hæc naturalia pro B his affectibus, vnde naſcuntur, vſurpentur: quo modo ſuprà capite 30. verſu 6. manus ſuper lumbos dolorem prodit vehementem, qualis eſt parturientium: & manus ſuper caput, dolorem item, & luctum, & confuſionem. Ieremias capite 2. verſu 37. *Manus tuæ erunt ſuper caput tuum: quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam.* Pectoris percuſſio dolorem, & pœnitentiam, Lucæ capite 23. verſu 48. item Lucæ 18. verſu 13. ſic femoris percuſſio admirationem, & ſui ipſius reprehenſionem oſtendit. 46.

Signum, pro re ſignificata.

Femoris percuſſio.

Tractat hunc locum Gregorius in morali ſenſu libro 24. Moralium capite 26. *Quid* (inquit) *in femore, niſi voluptas carnis accipitur? Ecquid eſt, quod* C *ait: Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, niſi poſtquam ſuperna ſpiritaliter vidit, omne quod inferius in ſe carnaliter viuebat, extinxit; vt quantò magis ſumma putreſcerent, tantò ampliùs ima, quæ tenuerant, non liberent? Nam quantò quiſque magis incipit ſuperiùs viuere, tantò inchoat inferiùs interire.* Hæc Gregorius. Illud porro obſeruandum, intereſſe plurimùm, vter noſtra nobis errata, aut ſtatum oſtendat, Deúſne, an diabolus. Nam ſi Deus oſtenderit, femur percutimus, pœnitentiam agimus, noſtra nobis, immo nos ipſi nobis diſplicemus. Longè ſecus, ſi diabolus oſtendat: facit enim, vt quę execranda ſunt, & ad quæ nauſeare ſolet ſapientium, atque proborum ſtomachus, illa ſtulti pro- D bent, améntque; immo ſibi ipſis in illis vehementer placeant, adeò non horrent. Oſtendit Deus, breuem eſſe vitam hominis, & incertam, inde ſapiens efficit humana hæc, & peritura omnino contemni debere. Oſtendit contrà diabolus, infert inde ſtultus, *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.* Oſtendit Deus primis humani generis parentibus arborem ſcientiæ boni, & mali, & ab ipſo didicère, quacunque hora ex ipſa comederent, ipſis fore moriendum. Oſtendit item diabolus, & vitam promiſit. Diuinæ ſimilem. Optandum igitur eſt, vt noſtra nobis Deus oſtendat, ne obrepat à diabolo vana aliqua cogitatio, quæ nos aut fallaci blandimento lactet, aut pernicioſa fraude decipiat. 47.

Cæleſtium conſideratio vileſcere facit inferiora.

Deus aliter, ac dæmõ nobis peccata oſtendit.

E *Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.*] Hæc credo ſpectare ad antiqua ſæcula, & quaſi ad incunabula Iſraëliticæ gentis, de qua ſuperiora interpretati ſumus: quod valde facit probabile adoleſcentiæ nomen, quod primum illud tempus deſignat, vt pluribus nos ſuprà ad illud capitis 2. verſus 2. *miſerans adoleſcentiam tuam.* Tunc autem populus, cùm exprobraret Deus illi alienos mores, & vitæ turpitudinē; aut certè cùm propter peccata opprobrio foret alienis à religione gentibus (vtrunque enim valet opprobrium adoleſcentiæ ſuſtinuiſſe) confuſionem 48.

ſionem pertulit,& ruborem. Alij ad captiuos ipſos referunt, quos ſuperioris vitæ pudere cœpit, vbi oculos primùm aperuit vexatio. Placet hæc cogitatio, minùs tamen, quàm prior.

49. Verſ.20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim,ſi puer delicatus.*] Suſpenſa eſt hæc oratio, & in qua aliquid neceſſariò ſupplendum: quod ſæpe in Scriptura contingit, quando anteceſſit particula, *ſi*; vt: *Si introibunt in requiem meam. Si dedero ſomnum oculis meis.* Quid verò ſuppleri debeat, obſcurum non eſt: nempe, non obliuiſcar eius; aut non committam, vt à me, quod petit, non exoret: quod planè ſuadet id, quod proximè ſequitur: *Adhuc recordabor eius.* Non dubium,quin in Scriptura ſæpe pro decẽ Tribubus ſumatur Ephraim, quia ex ea Tribu fuit Ieroboam, qui illas à Dauidico dominatu diſſecuit: & ita hæc de decem Tribubus accipiunt frequentes alij; quod mihi etiam vehementer placet; ita vt decem quoque Tribubus Dominus & captiuitatem laxare, & viam aperire velit: in quam tamen illæ niſi exiguo numero ingreſſæ non fuerunt. Nihilominus aliquid ſpecialius afferri puto de Ephraim, in quem *honorabilis,* & *delicati* nomina bellè conue-

Ephraim honoratus à Iacob.

50. niunt. Honorabilem appellari ideo puto, quia primogenitus à Deo conſtitutus eſt per Iacob, cuius in ore loquebatur.Geneſis capite 48.& iterum inter omnes, qui orti fuerunt ex Iacob, per Ruben 1. Paralip. capite 5. verſu 1. Quare hoc ipſo capite compellatione hac honorabili vocatus fuit à Deo primogenitus. Et cùm alias Tribus ſæpe titulis Dominus ornauerit clariſſimis; tamen Ephraim maioribus auxit: nam ex ea Ioſue aſſumpſit, qui populo præfuit ſublato Moyſe;& poſtquam decem Tribus ab aliis diſceſsêre, ſuper illas regnauerunt viri Ephraimitæ, & in eorum ſorte regia ſedes conſtituta eſt:vbi etiam diu ante excitatum à Salomone templum, tabernaculum fuit, nempe, in Silo, vbi diu manſit ad tempus vſque Samuelis. Neque parum honeſtum fuit Ephraim, quòd in metandis caſtris duas Tribus illi ſubiectas eſſe voluit Manaſſe, & Benjamin, Numerorum capite 2. verſu 18. ad verſum 24. Propter hæc appellari quoque potuit delicatus, quaſi in deliciis habitus, ſeu dilectus: eos enim, quos diligimus, maioribus ornamus beneficiis. Sed eſt alia cauſa, cur delicatus vocari poſſit Ephraim, ſumpta ex benedictionibus tam Iacob Geneſis 49. quàm Moyſis Deuteronomij 33. vbi Ioſeph, & in eo Ephraim pulcher appellatur, & decorus: ſed præcipuè ex Geneſi capite 48. in quo ea dicuntur de Ephraim, quæ maximè dilecti, aut delicati naturam oſtendunt. Sic enim ibi Iacob, aut potiùs in Iacob Dominus de Ephraim: *In te benedicetur Iſraël, atque dicetur: Faciat tibi Deus, ſicut Ephraim,* &c. Qui loquendi modus magnam indicat felicitatem: prouerbia enim, aut ſolennes formulæ optandi, aut execrandi, à rebus deſumi ſolent in ſuo genere præſtantibus. Quomodo Ruth cap.4. Bethlehemitæ precabantur Booz: *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam,ſicut Rachel,& Liam, quæ ædificauerunt domum Iſraël.*

Ephraim quomodo primogenitus.

Ephraim cur delicatus.

Ex quo loquutus ſum de eo, adhuc recordabor eius.]
51. Sententia hæc è ſuperioribus pendet: loquutus eſt enim Deus de Ephraim per Iacob, cùm illum primogenitum cõſtituit,& cùm talia promiſit, vt in magnæ felicitatis comparationẽ, & votum afferri poſſint. Eius promiſſionis dicit Dominus nunquam ſe futurum immemorem, adhuc poſt grauia ipſius peccata. Pro *de eo*, Hebraicè eſt בו *bo,* quod quidam exponunt *contra eum*, neque temerè, cùm præpoſitio ב *beth*,non rarò in Scriptura idem ſit, atque *contra.* Tunc autem hæc erit ſententia: Ante hoc tempus oblitus eſſe videtur Ephraim,quia illum ab hoſtibus conculcari permiſeram; poſtquam verò contra illum loquutus ſum, exprobrans peccata, arguens illum, & ſtatuens contra faciem ſuam, quo tandem compunctus pœnitentiam egit, recordabor illius, ideſt, miſerebor. neque mihi lectio,& explicatio diſplicent.

Idcirco conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum.] 52.
Magna vis oſtenditur amantis,& miſerantis animi. Hebraicè, pro *conturbata ſunt*, *ſonuerunt viſcera mea.* Qui modus vehementem dolorem ex miſeratione profectum ſignificat: neque eo aliquid aliud exprimi puto, quàm quod idem Propheta dixit infrà capite 48. verſu 36. de Moab, illius infortunij miſertus. *Propterea cor meum ad Moab quaſi tibia reſonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit ſonitum tibiarum.* Quod item de Moab dixit Iſaias capite 16. verſu 11. *Super hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit.* Quid ſit ſonare viſcera lugubri nempe ſingultu, diximus ex Galeno ad locum citatum Iſaiæ, quem omnino vide. Eundem miſericordis animi ſenſum oſtendit Deus in Ephraim Oſeæ capite 11. *Quomodo dabo te ſicut Adama? ponam te vt Seboin? conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt diſperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.*

Dei in pœnitentem affectus tener.

Hic tu agnoſce, & admirare Diuini pectoris 53.
clementiam, & vim pœnitentiæ planè potentiſſimam. Nam, cùm Deus grauiter eſſet offenſus in Ephraim, ſiue vnam tantùm Tribum accipias, ſiue plures, dediſſérque propter peccata & plurima, & grauia, in prædam, & exilium: tamen poſtquam mentem mutauit, doluitque, quòd Deo minùs ſe obſequentem præbuiſſet; ſic Deus ſuum quoque animum temperauit, atque emolliuit, vt honorabilem appellet,& delicatum, ideſt,in quo ſuas ſibi delicias habeat, & viſcera ad ſupplicium capiendum incenſa,ad miſericordiam inflexerit, immo ad amoris molliſſimum affectum commouerit.

Pœnitentia vis admirabilis.

Verſ.21. *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritu-* 54.
dines.] Hic locus vt variè redditur, ſic etiam ad varios ſenſus patet. Pro ſpecula Hebraicè eſt ציונים *ſiuenim,* quam vocem Septuaginta reliquerunt, quæ ſignificare exiſtimatur *titulos, ſigna,* aut *aceruos lapidum,*quæ rei alicuius monumenta ſunt. Vbi Vulgatus *amaritudines*, Hebraicè תמרורים *thamrurim,*quod idem etiã valere creditur. Quod ſi ita eſt, eadem erit hemiſtichij vtriuſque ſententia:quaſi dicas,Statue titulos,& ſigna;titulos, inquam, & ſigna pone. Tunc verò, quia remigrationis populo ſpes proponitur, quæ per eadem veſtigia fiet, quæ captiui, dum Babylonem peterent, imprimebant, iubet Deus, vt erectis ibi titulis, ſeu viarum indicibus, notata relinquant loca,per quæ in patriã,à qua tunc flentes recedebant, reuertendum eſſet. In hanc ſententiam diſcedunt ſanctus Thomas, Maldonatus, Caſtrus, & quidam ex Hebræis: neque, meo iudicio, malè, & ad ſenſum ſpiritualem ſatis accommodarè, vt pòſt magis explicabitur. In qua cogitatione aliquid in *ſpecula* video ad conſolandos exules opportunum: Sion etenim ſpecula eſt;

Spes quietis laborantes recreat.

eſt, qua voce, licèt in plurali numero, nunc vtitur Propheta: monet ergo, vt ſpe reditus in patriam exilij ſui initiùs ferat incommoda, atque ideo reſpectet ſpeculam, ideſt, Sion, quam ſibi, ideſt, ànte oculos ſtatuat. Et dum ponit amaritudines, ideſt, exilij, & ſeruitutis incommoda præ oculis, quibus contrahitur animus, & mœret, ſtatuat quoque Sionem, ideſt, libertatis ſpem, vt illum exhilaret, & confirmet. Quam cogitationem confirmat, aut certè indicat, quod ſtatim ſubiicitur: *Dirige cor tuum in viam*, &c.

55. Alij, qui de libertate, ac reditu captiuorum hæc interpretantur, aliam hîc ſententiam agnoſcunt: exiſtimant enim iubere Dominum, vt in via ſpeculas, ac titulos conſtituat Ephraim, & ibi amaritudines ponant, quaſi ſigna illa monumenta futura ſint doloris, atque ludibrij, quæ in moleſta illa migratione ab hoſte pertulit; vt cùm exultans in patriam reuertatur, doloris, atque ignominiæ loca recognoſcat. Solet enim eorum, quæ cum dolore tulimus, eſſe poſtea non ingrata recordatio: neque fortaſſe res vlla dignior, quæ titulis notetur, & monumentis, quàm illa, quæ lacrymas excuſſit, & iuſtorum patientiam probauit, & exercuit. Sanè explicatio hæc ad mores grauis eſt: neque enim tam quis gloriari debet, quòd magna præſtiterit, ex quibus plauſus oritur, & populis admiratio, quàm quòd dura ſubierit. Horum monumenta Deus excitari iubet, illa libenter de cælo proſpectat, &, ne longiùs abeamus, in hac ipſa vrbe, vbi ſpecula eſt, de qua modò, nempe Sion, in qua probata fuit Abrahæ fides, & paterna viſcera grauiſſimo dolore tentata, vbi Iſaac intentari ſuo iugo vidit parentis gladium. Locus fuit adeò illuſtris, vt illum Deus lubens ſpectauerit; vnde fortaſſe nota eſt nominis etymologia: vocatus fuit quippe locus ille, *Dominus videbit*, Geneſis 22. ver. 14. Eo autem in loco Dominus monumentum erexit, quo nullum illuſtrius, maiorique ſumptu, atque arte perfectum in terra fuit, nempe Salomonis templum, in quod Diuini oculi ſemper intenti, 3. Regum capite 9. verſ. 3. Quàm verò tituli, ac ſtemmata, quæ ad illorum, quæ cum hominum plauſu, atque admiratione fiunt, memoriam excitantur, parum ſint grata Deo, probant frequentes Scripturæ voces, quæ huiuſmodi ſigna reprehendunt, qualis fuit fornix, ſiue triumphalis arcus, quem ſuperato Amalec excitauit Saül 1. Regum cap. 15. verſu 12.

Laborum grata recordatio.

Mira obedientia compenſatio.

56. Quòd iſta de reditu è Babylone accipi poſſint, mihi dubium non eſt, in quibus conuerſionem à ſpiritali exilio, ideſt, reditum ad gratiam, tanquam in ſymbolo ſpectare licet: quod ſymbolum proponi multis modis, atque exponi poteſt. Primùm, vt Deus probet populi pœnitentiam, & quem traxit ruborem ex peccatorum memoria, oſtendátque quomodo in eo ſtudio, atque conſilio pergere, ac promoueri valeat. Id verò fit, ſi ſpeculam aſcendat, & inde ſuperioris vitæ commiſſa recognoſcat: quod tunc prudenter, atque vtiliter facit, cùm ſupra humana, ac peritura mentem attollit: neque enim ſemper peccatorum apparet vilitas, ac deformitas, cùm illis aliqua ſe commoditas humana communicat, atque implicat. Facit enim vtilitatis ſpecies, tanquam fucus quidam allitus, ne tanta appareat ſcelerum turpitudo: immò, & quæ fœdiſſima ſunt, honeſtiſſima interdum iudicentur. Quare oportet, vt ſpeculam aſcendas, contemnas humana, & nihil in operum tuorum examine, præter Diuina, atque cæleſtia conſideres. Hæc pondus habeant, reliqua ſtipulæ, ac fumi, immo & nihili in eo rerum examine inſtar obtineant.

Qualo futurum peccatorum examen.

Poſtquam ex ſpecula, ideſt, ex conſideratione 57.
ſupra ſenſus, & humanas rationes eleuata, quiſquam actiones ſuas expendit, conſequens eſt, vt amaritudines ponat, ideſt, ſtatuat apud ſe, pœnas de erratis exigendas eſſe: & quantum de immoderato rerum vſu voluptatis cepit, tantum ſubeundum eſſe doloris. Fecit hoc Ezechias apud Iſaiam capite 38. *Recogitabo omnes annos meos* (en ſpecula, & examen) *in amaritudine animæ meæ*, en amaritudines. Huc aptari poteſt illud Iſaiæ capite 21. *Pone menſam, contemplare in ſpecula.* Iubet enim vt ex ſpecula contempletur Babylonius inſtantem mortem ab hoſte vicino, deinde menſam ponat, quam illa contemplatio poſtulat, nempe doloris, & ſollicitudinis plenam.

Peccati pœna.

Aliter in eandem ſententiá trahi poteſt hic lo- 58.
cus: plurimùm à peccãdo retrahit aut pœna peccãtibus propoſita, aut dolor, ſeu amaritudo, quæ poſt peccatum in peccatoris animo relinquitur: eſt enim peccatum radix amaritudinis; & vinum, quod meretrix Babylonica propinat, fel habet, & venenum: de quo eſt illud Deuteronomij 32. *Vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus.* Monere itaque Dominus videtur Ephraim, vt in ſpecula ſecum ipſe contempletur, quàm amarum ſperare poſſit intemperantiæ fructum, cùm æterna pœna ſit indicta peccanti, & ipſe, niſi omnino deſipuit, expertus ſcire poſſit, ex peccato nihil ſe percepiſſe præter ruborem, & angorem conſcientiæ. *Quem fructum* (inquit Apoſtolus) *habuiſtis eorum, in quibus nunc erubeſcitis.*

Dirige cor tuum in viam rectam; in qua ambulaſti. 59.
Reuertere, virgo Iſraël, reuertere ad ciuitates tuas iſtas.] Hæc bellè quadrant, vt vides, in remigrationem exulum ex Babylonia: admoneri etenim videtur populus, vt veſtigia relegat, per eandémque viã liberè reuertatur in patriam, per quam extorris ab illa receſſerat: per ſigna illa, & titulos, quibus in amaritudine viam antè nouerat, iuxta explicationem primam, quam in proximum locum adhibuimus. Quòd ſi ad ſpiritalem ſenſum accommodes, vocatur populus ad illum vitæ modum, quem parentes olim tenuerunt, vt viam inſtituat rectam, neque mores ſequatur Babylonicos, ſed corde ſeſe referat in Ieruſalem, vbi primo in loco ſunt religio, & ſanctitas, vt experiatur in ſe Diuinam clementiam talem, qualem in ſe parentes olim ſancti cognouerunt.

Verſ. 22. *Vſquequo deliciis diſſolueris filia vaga?*] 60.
Hic locus cum eo, qui proximè ſuccedit, difficilè videtur poſſe trahi ad hiſtoricum ſenſum, quẽ eſſe de Babylonico reditu diximus nobis videri veriſimile: quare in eo expediendo aliquantulum nobis moræ ponendũ eſt. Hebraicè תתחמקין *tithchamaquin*: quod alij ſic vertunt: *Vſquequo vagaris huc, atque illuc?* Alij: *Vſquequo à me longè diſcedis?* Septuaginta: *Vſquequo conuertêris filia deſpecta?* Chaldæus: *Quouſque tu offirmas, ſiue obduraris, quominus reuertaris?* Ex his non eſt difficile ſtatuere, quæ ſit huius loci ſententia, & quomodo hęc ad Iudæorum tempora pertineant. Neque aliud ſibi vult Vulgata tranſlatio, dum reddit: *Vſquequo deliciis diſſolueris filia vaga?* mollitiem etenim, & ignauiam obiicit populo pigritanti, quaſi nolit laborem illum aſſumere, qui in reditu ſubeundus eſt. Vt enim qui delicati ſunt, & molles, cùm occur

occurrit aliquid, in quo nonnihil periculi, aut laboris appareat, verſant ſe huc, atque illuc, vagantur in circuitu, vt de impiis dicitur Pſalmo 11. verſu 9. aut ſicut in cardine fores, ſic in ſua ſe mollitie, atque ignauia conuertunt. Admonet ergo Deus, vt torporem abiiciat virgo Iſraël, ſéque ad reditum hilari, atque conſtanti animo præcingat. Hæc ſatis, credo, ad captiuitatis tempus accommodata ſunt.

61. Sed ad mores, & ſpiritum eadem non inuita veniunt. Captiuus tenetur ſub diaboli dominatu peccator, abalienatus longè à Diuino complexu, hunc Deus ad libertatem vocat, & deſides animos ad reditum maturandum inſtimulat; ille, dum relinquere recuſat, quas habuit apud Babylonios delicias, neque audet aut iugum excutere, aut vix difficultatem aggredi, iterat illud, quod de pigris dicitur Prouerbiorum 26. verſu 13. *Leo eſt in via, & leæna in itineribus.* & dum ita ſecum deputat, ſibique noua ſemper impedimenta ſomniat, facit id, quod mox additur: *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* ideſt, in voluptatibus, atque deliciis, ex quibus extricari ſe non ſinit. Quòd verò, qui piger eſt, in vtroque ſenſu diſſolutus dicatur, ſicut virgo Iſraël hoc loco dicitur deliciis diſſolui, docet Prouerb. caput 19. verſu 15. *Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet.*

Peccatoris deſidia.

62. *Quia creauit Dominus nouum ſuper terram.*] Pigritabat populus ille captiuus, diſſolutúſque deliciis, de reditu cogitationem abieciſſe videbatur, immo & ſpem, vt Septuaginta vertunt in Bibliis Complutenſibus; Deus tamen aliter cogitabat in ſumma rerum difficultate, ac deſperatione: quare modos tentauit, ſic natura ſua debiles, ac infirmos, vt illos non tam antea factos aſſumpſiſſe, quàm de nouo creaſſe videretur. Quis enim crederet, infantem recens natum, & à Rege potentiſſimo antè penè quàm lucem aſpiceret, extingui iuſſum, expoſitum in ſyluis lacerandum à belluis, eò peruenturum eſſe potentiæ, vt Babylonicas vires frangeret, & imperio potitus captiuos de ſua ſalute deſperantes, in patriam reſtitueret? Nónne hæc quodammodo ex nihilo creaſſe Deus exiſtimari poteſt? At hæc in Cyro liberando, educando, & ad Regium nomen promouendo contigiſſe videmus. Creauit itaque Dominus nouum ſuper terram, ex mortuo propè, ac lacerato, viuum, ex paſtore Regem, rerúmque dominum; cuius, vt eſt apud Iſaiam capite 45. Deus apprehendit manum, cui gentes ſubiecit, portas contriuit æreas, & aperuit abſconditos terræ theſauros.

63. Præterea nouum Deus creaſſe videtur in terra, cùm gentem ita durè vexatam, vt pro mortua cenſeri potuerit, ex exilio, tanquam e ſepulcris effodit. Ex vſu verò Scripturæ cùm aliquid in meliorem formam adducitur, creari exiſtimatur. Sic Pſalmo 103. de agris hyemis inclementia deformibus, qui tamen verna temperie renouantur, & quaſi reuiuiſcunt, dicitur: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Qua ſimilitudine Deus Iudaici populi libertatem explicat, tum mortui cadaueris, tum germinantis herbæ. Iſaias capite 66. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* Et Ezechiel capite 37. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſraël.* Cæli item creari dicuntur, quia meliorem in ſtatum renouantur. Iſaias capite 65, verſu 17. *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam.* Et paulò pòſt ſtatum Hieroſolymæ reſtitutæ, creationem appellat. *Gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum in his, quæ ego creo: quia ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum eius gaudium.* Pſalmo item 50. cùm mundari ſibi cor poſtulat Dauid, creationis vtitur vocabulo: *Cor mundum crea in me Deus.* Creat ergo nunc Deus populum captiuum, cùm data libertate, & ablatis ſordibus, in ſtatum meliorem, & in conditionem ingenuam vocat.

Pſalm. 103.

Creari dicitur, quod ad formam meliorem adducitur.

Iſai. 65.

64. Quod ad ſpiritualem ſenſum attinet, grauis ex his ad mores deduci ſententia poteſt: nam is, qui deliciis diffluit, aut præ deliciis, quia quod aſperum eſt, auerſatur, & horret, ad libertatem aſpirare non audet, eò adducitur pigritando, vt ſi ſeruari poſtea velit, neceſſaria penè ſit miraculoſa creatio: qui vocatus à Domino de die in diem producit, ille Deum tentare videtur, dum creari in ſe aliquid nouum, ideſt, fieri in ſe miraculum poſtulat. Quo dicendi genere Deus ipſe fuiſſe videtur vſus Pſalmo 94. cùm ad cunctantes dicit: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto.*

Delicatus difficilè conuertitur.

65. Seu certè ideo creandum eſſe aliquid ſuper terram dicitur, iuxta communem Sanctorum, Interpretúmque ſententiam; qui de Verbi incarnatione capiunt quod proximè ſequitur, *Fœmina circumdabit virum*: tùnc enim, vt exponit Hieronymus, ratio redditur, cur populus ille è Babylonica, vel peccator è diabolica ſeruitute tam facilè liberari poſſit. Eſt autem nouum, & inauditum, immo quod cogitatio nulla hominum capiat, immenſum Dei Verbum fœminei vteri anguſtiis circundari poſſe.

Incarnatio, res noua.

66. *Fœmina circundabit virum.*] Hæc communiter Patres de Virgine, atque incarnato Verbo interpretantur. Neminem hic nomino, ne cunctos referam: nemo enim fermè eſt, qui non ita cogitet, à quibus ipſe diſſentire neque velim, neque poſſum. Tum verò, quòd anteceſſit proximè, ad hæc referendum eſt in hanc ſententiam. Quò libertas à diaboli tyrannide, ſeu etiam à iugo Babylonico, expeditior ſit, & ſoluta magis, aliquid Dominus creauit nouum ſuper terram; efficiet enim, vt fœmina virum concipiat, mole quidem puſillum, vt infantes alij, at ſapientiæ plenum, & conſilio virum, quod omnino nouum. In hanc ſententiam non ſolùm antiqui Patres, & iuniores Interpretes vno ore conſpirant, ſed etiam ex Hebræorum magiſtris non pauci. Vide Galatinum libro 7. de Arcanis, capite 14. Qua de re nihil dicam ampliùs, quia promptum eſt cuilibet Patres conſulere, qui in hanc ſententiam piè, atque eleganter multa: tantùm hic dicam, hæc etiam in Iudæorum ſtatum, reditúmque in patriam poſſe traduci: quæ tamen ita proponam examinanda ab aliis, vt non perſuadeam, quia à communi Patrum conſenſu diſcedere, in teſtimonio maximè tam ab aliis, ac tamdiu obſeruato, neque libet, neque placet. Dicam tamen quicquid alij ſentiant: id enim nemo putabit non licere.

67. De Iudæis, qui in patriam rediêre, quæſiuerúntque Dominum, ſicut ſponſa ſolet, quæ viri thalamum prodidit, & aliorum torum perfidioſè ſequuta eſt, tenet Oleaſter, probátque multis, canone 4. vbi docet, idem à Ieremia ſignificari hoc loco, quod à Salomone capite 5. Canticorum, vbi Sponſa inducitur ciuitatem circumicus,

Cantic. 8.

iens,& Sponſum quærens : idem tradit Aponius in illud Canticorum 8. *Apprehendam te ; & ducam in domum matris meæ. Sola* (inquit) *eſt anima, ideſt, natura humana, quæ Dominum deſiderat apprehendere, & circundatum carne in domum matris Synagogæ introducere,* &c. *De qua circundatione, vel apprehenſione prædixerat Ieremias, Creauit Dominus nouum in terra: fœmina circundabit virum.* Idem putat Pineda libro de Salomone 3. capite 3. Hanc ſententiam indicant tranſlationes quædam antiquæ: primùm, quæ olim erat Vulgata, cui conſentit Theodotio, vt tradit hìc Hieronymus, ita conuertit: *Creauit Dominus ſalutem nouam, in ſalute circuibit homo.* Chaldæus: *Quia ecce creauit Dominus nouum in terra, & populus domus Iſraël incumbet legi.* Septuaginta: *Quoniam creauit te Dominus ſalutem in plantationem nouam: in ſalute tua circuibunt homines.* Videntur autem reſpexiſſe Septuaginta, cùm plantationis meminère, ad illud Exodi 15. vbi populus in terram promiſſionis, ſub eadem metaphora, inducendus eſſe dicitur: *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ.* Et quidem verbum Hebraicum תסובב *theſobeb,* non tam ſignificat *continere,* aut *concludere,* verbi gratia, in vtero, quàm *circuire.* Ex his effici poſſe videbatur, quod putat Oleaſter, nouum eſſe ac mirum, vt fœmina contra omnium penè gentium conſuetudinem, viri nuptias ambiat; cùm id viri ſemper, aut plerunque faciant. Populus autem, qui tunc captiuus erat, ſponſa ſæpe vocatur, tum ab aliis, tum ab hoc Propheta non ſemel, & nunc proximè cùm inuitatur ad reditum, virgo nominatur: quod nomen de ſe frequenter audit innupta puella. *Reuertere virgo Iſraël, reuertere ad ciuitates tuas.* Cùm autem populus idem ad Ieruſalem, templúmque Domini deductus eſt, tanquam ſponſa in ſponſi domum, & thalamum traductus dicitur, Exodi 15. *Portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum;* & paulò inferiùs magis explicatè de templo: *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: Sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Et in ſponſæ domum, nempe templum, tanquam in thalamum inducendæ dicuntur virgines cum Sponſa, Pſalmo 44. *Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.* Quo loco ſponſus Rex vocatur, ſicut ſponſa Regina. Sanè templum thalamus dicitur Deuteronomij 33. verſu 12. vbi de Benjamin, in cuius ſorte conſtructum fuit templum, tanquam de ſponſa dicitur: *Benjamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur:* ſic credo, cùm ad Ieruſalem, templúmque ab exilio reuertitur, ad ſponſi domum, ac thalamum redire exiſtimatur, & circundat virum, ſponſum, nempe, ſuum, Deum (nam *vir* hoc loco pro *ſponſo* videtur eſſe poſitus) dum ad illius domum, nempe Hieroſolymam, templúmque reuertitur. Dum autem fœmina diſſoluta deliciis ſponſum ambitura dicitur, alluſum eſſe credo ad illud Cantic. 5. vbi ſponſa, quæ cùm euocaretur à ſponſo præ deliciis, & inurbana quadam mollitie exſurgere recuſabat ex lecto, & fores aperire; poſtea tamen, dum ſponſum quærit, cum dolore, ac gemitu ciuitatem luſtrat, & virum circundat. Neque contrà facit verbum, *circundo,* quo vſus eſt noſter Interpres, quod obſidere potiùs, aut circumſepire valet, quàm ambire, ſeu circumire: nam hoc verbum ex vſu Scripturæ circumire etiam ſignificat, & aliis adhærere, ſeu ad alios congregari. Pſal. 7. *Synagoga populorum circundabit te.* Hæc nos explicandæ poſterioris ſententiæ gratia produximus, non quòd illam valde probemus; priorem amplectimur, quia & plena pietatis eſt, & ad textum non difficilis. Hanc ego explicationem in Paraphraſi cum alia etiam addidi; quia hiſtoriam in ea plerumque ſequor, aut quod propiùs videtur ad veritatem accedere, neque tamen ſua caret probabilitatis ſpecie.

Templum, thalamus Sponſæ, & Dei.

68. Verſ. 23. *Adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum.*] Ex his colligere licet ante hoc tempus quæ ſubiiciuntur ſtatim, prædicari ſolita de Ieruſalem, ac de populo, qui extremam in exilio poſtea fortunam paſſus eſt. Vrbes porro, de quibus illud erit præconium, aut votum, illas eſſe arbitror, quæ fuerunt extra funiculum Iuda: nam quæ ad illius ſortem pertinebant, comprehenſæ videntur illis verbis, *in terra Iuda.* Conſtat autem, illos, qui ex exilio remigrarunt, licèt ex aliis prognatos familiis, in Iudæorum tamen nomen, & genus eſſe contributos: quare optimè à Tribu Iuda, à qua omnes vocati ſunt Iudæi, poſſeſſæ dici poſſunt ciuitates, quæ fuerunt extra ſortem illius.

69. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus.*] Hæc licèt precatio videatur, ſeu votum, quo alij ciuitati ſecunda omnia poſtulant; tamen hæc ex admiratione videntur eſſe nata, quæ homines ad bene precandum excitare, atque adhortari ſolet: eſt enim vſitatum, ac penè naturale, vt cùm in aliquo ſpeciem, honeſtatem, aut aliquid demum eximium intuemur, precemur illi ſecunda omnia. Hiſpani certè, cùm aliquid pulchrum, & egregium vident, hoc illi modo precari aſſolent, *Bendigate Dios.* Quòd ante Chaldæorum appulſum ea fuerit Hieroſolymæ ſpecies, vt omnes illi bene precari debuerint, habes Threnorum capite 2. verſu 15. *Haccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* Pro *pulchritudo iuſtitiæ,* Hebraicè eſt, נוה *neheh,* quæ vox etiam *habitaculum* valet, quaſi dicatur *iuſtitiæ ſedes,* ſeu *domus.* Sed ſenſus idem eſt: pulchritudo námque iuſtitiæ in eo habitat, qui in hoc loco laudatur: ſicut Pſalmo 67. ſpeciei domus, pro domo ſpecioſa ponitur; ſic nunc iuſtitiæ pulchritudo, pro pulchra illa ſede, vbi iuſtitia habitat.

70. Sed dubitabis, an pulchritudo iuſtitiæ ad vrbem referenda ſit, vel ad Deum, in quo omnis eſt iuſtitiæ pulchritudo? Hieronymus ad Dominum refert, quem ſequitur ſanctus Thomas, & quidam alij, in quibus eſſe videtur Maldonatus: ſed ſimplicius eſſe credo, ſi duo illa nomina in vocatiuo ſint, & ad ciuitatem, & templum accommodentur: quod putat Rabbanus, Lyra, & Caſtrus, neque Dionyſio, atque Hugoni diſplicet. Et quidem de hoc ipſo tempore poſt reditum aliis in locis eadem prædicantur de Ieruſalem, tum ab Iſaia, vbi ſæpe dicitur, *Ciuitas ſancta,* &, *Ciuitas Sancti.* & à Zacharia capite 8. *Vocabitur Ieruſalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, & mons ſanctificatus.* Quæ verba non aliam continent ſententiam, quàm quæ nunc apud Ieremiam. De Eccleſia multò hæc poſſunt prædicari illuſtriùs, ad quam ex Interpretibus multi iſta conferunt, & piè, & rectè.

71. Verſ. 24. *Et habitabunt in ea Iudas, & omnes ciuitates eius ſimul, agricolæ, & minantes greges.*] De Eccleſia hæc communiter accipiunt Interpre-

tes,& verè,quæ omnes in ſuum complexum aduocat, & admittit. Neque ego dubito; ſed videndum eſt, an etiam tanquam in typo hæc eadem in reditu captiuorum, inſtaurataque Hieroſolyma, ſpectari poſſint. Quòd in Ieruſalem ciuitatum omnium, atque omnium ordinum homines confluxerunt, dubium mihi non eſt: quia eò primùm exules, in quibus ex omni Iudæa numerabantur plurimi,conuenerunt,in quibus veriſimile eſt, fuiſſe non paucos, qui rem curarent pecuariam,& ruſticam. Sanè decimam partem eorum, qui ex exilio remigrarunt, habitaſſe in Ieruſalem, tradit Eſdras libro 2. cap. 11. redierunt autem, teſte Ioſepho libro 11. Antiq. cap. 4. virorum; præter aliam imbellem, atque promiſcuam turbam, quater millia millium & ſexcenta viginti octo millia dumtaxat ex Tribu Iuda,& Benjamin. Cùm verò horum decima pars in ciuitatis Solymitanæ ruinis conſederit, ideſt, quatercentum hominum millia, ſatis eſt veriſimile è ciuitatibus aliis Iuda, & Benjamin ibi conſediſſe quamplurimos. Vt autem eò confluxiſſe dicantur ciuitates omnes, ſatis eſt, ſi ex illis ciuitatibus aliqui eò conuenerint, quomodo omne animal dicitur fuiſſe in arca Noë, quia aliquot ex omni genere in illa ſunt ingreſſa. Agricolarum præterea, atque paſtorum meminit, vt oſtendatur, quomodo libertas illa nemini ſit negata: neque quidquam futurum ſit à paſtore,ſiue à cultore vacuum, ſicut antè fuerat, quàm in illorum fines Chaldæorum exercitus appelleret.

72. Verſ.25. *Quia inebriaui animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturaui.*] De Eccleſia hæc optimè, in quam vndecumque populi non inuiti venient, quia abundè ſuppetent à Domino, quæ illorum vſibus, ac votis optari poterant. *Inebriari* porro,ac *ſaturari*, rerum omnium abundantiam importat: licèt enim eſculentum aliquid, & poculentum ſignificent, tamen quia his plerunque homines indigere ſolent, quæ cælorum, temporúmque alio, atque alio aſpectu dependent (cùm alia, quæ ad corporis cultum, & honeſtatem ſpectant,à temporum mutationibus pendere non ſoleant) cùm ad ſatietatem iſta tribuenda dicuntur, nulla rerum dicitur futura paupertas. Quomodo hæc in Hieroſolyma reſtaurata completa fuerint, diximus ſuprà verſu 12. ad illud: *Confluent ad bona Domini, ſuper frumento, vino, & oleo, & fœtu pecorum, & armentorum, eritque anima eorum quaſi hortus irriguus*, &c. quod idem eſt prorſus, atque *inebriaui animam.*

73. Verſ. 26. *Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi.*] Quæ magnam, inopinatámque ſubeunt mutationem, de quibus ſpes,aut cogitatio non ſuberat,illa per quietem, & ſomnum oblata fuiſſe nobis exiſtimamus. Quare cùm aliquid alicui contigit, quod maximè erat in votis,ſic ſecum lætabundus loquitur: *Vigilóne,an dormio? veráne video, an vana me rerum ſpecies dormientem ludificat?* & ſimilia. Eſt autem tanta, támque inſperata rerum viciſſitudo, vt aliquis non ſinè cauſa dubitare potuerit,an ſpectrum aliquod ſit,an verus Iudæorum è Babylone reditus: idem contigit Iacob, qui cùm iam omnino deſperaret, viſurum ſe Ioſeph, quem à bellua laceratum audierat, vbi audiuit illum viuere, *quaſi de graui ſomno euigilans, tamen non credebat.* Geneſis 45.

74. Eſt autem obſcurum, hæc verba cui adſcribi debeant, Deone,an Ieremiæ? ſeu certè populo, cui tanta rerum, fortunæque conuerſio promittitur. Hieronymus, & cum eo ſanctus Thomas, populo hæc attribuunt, quo ſenſu nuper explicuimus: ſed ſanè videtur durum; quia hactenus populus locutus non fuerat,ita vt verba iſta in prima perſona commodè illi conuenire potuerint. Alij Chriſto tribuunt ſenſu tamen myſtico,qui cùm è dulci ſomno, quem moriens inierat, reſurgendo foret excitatus, libertatem attulit, & ſalutem captiuo populo, ita Iſidorus. Ego Deo potiùs aſcriberem; qui, quo tempore durè vexabatur populus, ipſe illius curam abieciſſe videbatur. Huius verò obliuionis, aut non curantiæ natura ſignificari ſolet ſomni vocabulo. Quare Dauid, cùm Deum quaſi immemorem admonere vellet, & quodammodo illi obiiceret incuriam, dicit Pſalmo 43. *Exſurge, quare obdormis, Domine? exſurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ?* Et facit huc plurimùm, quod ſtatim verſu 28. dicitur: *Vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & plantem.* In hanc ego ſententiam magis inclinarem, niſi ab ea me ſomni illius ſuauitas abduxiſſet. Neque enim dulcis videtur fuiſſe Domino ſomnus ille, qui dilectum ſibi populum tandiu, ac tam crudeliter exerceri permiſit. Cùm Iſaias capite 1.verſu 24.illius populi dolorem magno ſibi dolori futurum prædixit: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis:*

75. Quare hæc ego libentiùs Ieremiæ tribuo, cuius abſque dubio verba ſunt ſequentia: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus.* qui cùm ſpectaſſet priùs propheticis oculis Iudaicæ gentis ærumnoſum ſtatum, inopinatum reditum, quaſi ſpectrum quoddam vidiſſe ſe dicit, qui non potuit eſſe dulcis, cùm tantam offerret fortunæ mutationem. Ita ſentiunt cum quibuſdam Hebræorum Magiſtris,Lyra,Dionyſius,Hugo,Maldonatus,& Caſtrus. Illud, *& vidi, & ſomnus meus dulcis mihi,* Hebraiſmum olet,qui in verbo, *video,* aliquid ſignificat magnum, quódque ingentis gaudij pondus importat; ſicut Iſaiæ capite 60. *Tunc videbis, & afflues.* & capite 66. *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum.* Vide quid nos de hoc dicendi modo ad illud Iſaiæ capite 53. *Videbit, & ſaturabitur.* Senſus ergo eſt: Gauiſus ſum valde,cùm ille mihi ſomnus aduenit.

76. Verſ.27. *Seminabo domum Iſrael, & domum Iuda, ſemine hominum, & ſemine iumentorum.*] Hæc nemo, credo, negabit ad Hieroſolymam reſtitutam pertinere: tametſi hæc quoque ad Eccleſiam conferri poſſint; in qua homines erunt, qui ſe Diuinæ voluntati regendos permittant. Hæc verò prompta, humiliſque ſubiectio iumentorum nomine declarari ſolet, *Vt iumentum* (inquit Dauid) *factus ſum apud te.* Sed vt ad ſenſum redeam hiſtoricum, ſignificat Deus, inſtaurandas eſſe euerſæ, atque ſpoliatæ Hieroſolymæ ruinas. Nam cum Iudæis ablata quoque fuiſſe in Babylonem iumenta, dixit idem Propheta capite 27. verſu 6. *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſerui mei: inſuper & beſtias agri dedi ei*; abundaſſe verò ſicut antea regionem illam iumentis, ad agros,nempe, colendos, & onerum vecturam,docet Zacharias, qui & ipſe è Babylone rediit capite 2. *Abſque muro habitabitur Ieruſalem* (ideſt, etiam extra muros) *præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.* vbi Septuaginta: *Frugifera habitabitur Ieruſalem.*

lem. qui reſpexiſſe videntur ad fructum, quem ex iumentorum labore perceptura erat.

77. Hoc porro dicendi genere metaphorico indicatur magna tum hominum, tum iumentorum, ac pecorum fœcunditas: vt enim, quæ ſeminamus in vbere, ac felici ſolo copioſos reddunt prouentus; &, vt eſt veriſimile, in Palæſtina centuplum fructum, ſic homines, ac iumenta è Babylone reducta, & in Palæſtino ſolo ſeminata, numeroſa fœtura regionem antea derelictam implebunt.

78. Verſ. 28. *Et ſicut vigilaui ſuper eos vt euellerem, &c. ſic vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & plantem.*] Alluſum eſt ad illud capitis 1. *Virgam vigilantem ego video*; vbi eo conſilio ad propheticum munus ſanctificatus, & afflatus eſt Propheta, vt doceret euellendum eſſe, ac deſtruendum populum, eóque primas conferendas à Domino vigilias, de quibus hactenus ſatis abundè. Nunc verò ſecundam illius prophetiæ partem proponit, nempe id, quod euulſum erat, plantandum, & quod deſtructum erat, fore conſtruendum. Vigilauit priùs ad ſumendum ſupplicium vindex virga, quam cum Zacharia capite 11. *funiculum* appellare licet: pòſt verò virga miſericors, & mollior, quam cum eodem Propheta *decorem* appello, ad ſanandum vigilat, inſtaurandúmque id, quod ab vltrice virga confractum erat, ac diſſolutum.

79. Verſ. 29. *In diebus illis non dicent vltrà, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.*] Hoc apud Hebræos prouerbium eſſe conſtat, antiquum credo, licèt ante hoc Ieremiæ tēpus, quod ego viderim, in Scriptura ſacra nuſquã vſurpatum. Quo verò tempore, cùm impiorum patrum innocentes filij, vel qui in ætate tenera, atque innoxia, in exilium abducti, aut qui apud Babylonios in exilio nati ærumnoſam vitam, & ignobilem ſeruitutem ſubirent, ingeminabant illud aſſiduè: *Patres comederunt vuam acerbam*, &c. Hoc enim Dominus dicit Ezechielis capite 18. vbi indicat, in terra quoque Iſraël vſurpari ſolitũ eſſe prouerbiũ, ſed eo tempore, credo, quo ab Aſſyriis, atque Chaldæis, propter peccata patrũ filij duris premebantur incommodis. *Quid eſt* (inquit) *quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium iſtud in terra Iſraël, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt?* In terra, inquit, Iſraël, & non ſolùm apud Chaldæos in exilio. Idem, minùs tamen explicatè, prouerbium adhibuit Ieremias Threnorum 5. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt: & nos iniquitates eorum portauimus.*

PROVE.

Ezech. c. 18.

80. Hos verò parentes, non illos tantùm voco, à quibus in lucem ſuſcepti liberi, ſed illos etiã, qui populo quocunque præſunt modo; rémque ſuſtinent, & moderantur publicam. Quare Magiſtros, Principes, Sacerdotes, Prophetas, *Patres* appellat Scriptura ſacra. Sic Dauid 1. Regum 24. patrem vocat Saül, & Naaman à ſeruis, 4. Regum c. 15. pater ſalutatur, & Geneſis 4. Iubal pater dicitur canentiũ in cithara, ideſt, inſtitutor, & magiſter; & Iubal pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum. Cùm verò ignobilis, aut imperita populi multitudo Prophetarum, Sacerdotúmque conſiliis, & Principum ſeduceretur imperio, parentum ſuorum peccata in ſuum caput cecidiſſe querebatur. Quod etiam ſæpe clamant Prophetę, & hic noſter non vno in loco. Threnorum cap. 2. & ſuprà cap. 15. verſu 4. propter peccata Manaſſæ delendam eſſe dicit Hieroſolymã. Quod clariùs habes 1. Regum cap. 21. verſu 11. Sic autem eo

Parētis nomen latè patet.

A loco Ieremias: *Et dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ propter Manaſſem filium Ezechiæ Regis Iuda, ſuper omnibus, quæ fecit in Ieruſalem.* Quomodo filij parentum ſuorum peccata luant, quod mei muneris eſſe putabam, dixi ſuprà ad citatum Ieremiæ locum; neque quid pro meo inſtituto noui afferam, quicquam occurrit.

Illud difficilius, quomodo reſtituto à captiuitate populo, non iam ampliùs in filiorum dentibus futurus dicatur ſtupor ab immatura vua, quã comederunt parentes. Nã & nunc Iudæi propter immane parentum ſcelus, quo Seruatori Chriſto manus attulerunt, vagi errant, neque vllam habēt Rempublicam, aut ſtabilem locum, in quo conſiſtant: vrget enim genus illud hominum Chriſti B ſanguis, quem in ſuum, filiorúmque caput expetierunt, &, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ cap. 3. *Erit pro ſuaui odore fœtor*, Iudæis omnibus fœtor quidam ineſt naturalis, propter parentum ſcelus, ſic omnibus notus, vt Gentibus quoque in prouerbium abierit, aut in fœtoris intolerabilis amplificationem adducatur. Sic enim de graui olenti Baſſa Martialis libro 4. Epigramma. 4. 81.

Iudæis naturalis fœtor.

Quod ieiunia Sabbatariorum, ideſt, Iudæorum,
Mæſtorum quod anhelitus reorum,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Malles, quàm quod oles olere Baſſa.

Mitto, quòd omnibus omnino gentibus ludibrio ſunt, eóque habentur loco, vt nemo cum illis audeat aut inire nuptias, aut hoſpitium habere cōmune. 82. C Hęc verò omnia, atque alia, quę poſt Chriſti mortem ſubierunt Iudæi, ſupplicium eſſe putant viri ſapientiſſimi illius ſceleris, quod in Chriſti odium, atque inuidiam admiſerunt parentes: quare ex acerba vua, quam patres comederunt, etiam nunc poſterorum dentes obſtupeſcunt.

Si hæc de Eccleſia tantùm interpretêre, quod plerique faciunt, déque ſpirituali pœna, quę ſanè peccatum eſt, aut illorum auxiliorum priuatio, quæ à peccato leuant, ſolutio difficilis non eſt. 83. Neque enim propter parentum peccata, ac ſordes damnantur, aut inquinantur filij, neque qui ſpiritali trutina res expendit humanas, in Chriſtiano, D qui factus eſt ex Iudæo, aliquid ignobile deprehendit, ac ſordidum; immo, ſi credendum eſt Fortunato, nota illa fœtoris quaſi hæreditario iure Iudæorum corporibus inuſta, cum Baptiſmo deponitur. Sic autem libro 4. Carminũ Fortunatus:

Abluitur Iudæus odor Baptiſmate diuo.

De tempore itaque Euangelico, ſpiritalíque libertate, atque munditia nihil occurrit impeditũ, & dubium. Sed quia diximus, hæc quoque de inſtaurata Hieroſolyma, reſtitutóque populo dici poſſe; vt etiam putant Theodoretus, ſanctus Thomas, & Hugo, & nuper Maldonatus, explicemus oportet, quomodo hæc quoque in Babylonicum illud tempus conueniant.

Fœtor Iudæi cum Baptiſmo deponitur.

E Licèt ante hoc tempus notum eſſet illud Exodi capite 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me*: tamen id non puto prouerbialem vſum habuiſſe, vſque ad illud tempus, quo vexari cœperunt Iudæi ab hoſte Chaldæo, quod ſumi videtur poſſe ab Ezechiele capite 18. *Quid eſt, quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium?* quaſi priùs grauis illa ſententia prouerbialis non fuerit. Cùm ergo prouerbialis illa querimonia multùm eſſet in captiuorum ore, dum graui premerentur 84.

Quomodo Iudæorum filij parentũ peccata non luant.

Chaldæorum iugo, promittit Deus non iam amplius repetendum eſſe, in exilio nempe Babylonico, illud iam captiuorum vulgo familiare prouerbium: quia in patriam aliquando reuerſi, potitique libertate, atque otio, e parentum peccatis nihil ad ſe moleſtiæ pertinere conſpicient: neque ſtupor erit vllus ex vuarum acerbitate, quas cum tanto ſuo, filiorúmque damno comederunt parentes. In hanc pene ſententiam Maldonatus, quæ mihi vehementer placet, quia non video, ſi de tempore Babylonico ſermo eſt, quomodo aliter his, quæ à nobis ſuprà allata ſunt, fieri poſſit ſatis.

85. Prouerbij vſus notus eſt, qui variè à profanis explicari ſolet, *Canis peccatum ſus dependit.* idem valet Horatianum illud:

Quidquid delirant Reges plectuntur Achiui.

Sed ſanè nullum video, quod meliùs, aut elegantiùs exprimat errata ſontium ab inſontibus lui, quàm noſtrum hoc prouerbium, quod alteri guſtum, ſeu intemperantiam attribuit; dolorem alteri, quod ab ipſa rerum natura ſumptum eſſe videtur. Accidit enim perſæpe, vt notauit Ariſtoteles Problematum ſectione 7. quæſtione 5.& experientia ipſa docet, vt dentes obſtupeſcant illorum, qui alios aliquid acidum comedentes aſpiciunt, quibus non ſua, ſed aliorum intemperantia ſtuporem induxit.

86. Verſ.30. *Sed vnuſquiſque in iniquitate ſua morietur.*] Hæc nobis fermè explicata ſunt capite 15. ſuprà: quæ Maldonatus ad tempus accommodat Babylonicum, eo ſenſu, quem ibi produximus: nempe, non eſſe deinceps luituros filios in exilio, quæ ſibi à parentum intemperantia incommoda veniſſe querebantur. Cuius querelæ occaſione Deus vnicuique dicit, ſuorum ſcelerum pœnas eſſe ſubeundas. Idem omnino habes apud Ezechielem capite 18. vbi eſt illud tritum: *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* De ſpirituali morte, atque æterno ſupplicio accipiunt communiter Theologi. Vide Gabrielem Vaſquez in ſanctum Thomam 1.2.quæſtione 83.diſputatione 135. capite 1. & 2. Si de temporali accipias, non diſplicet Maldonati ſententia. Tunc verò, *mori*, idem eſſe videtur, quod vitam agere ærumnoſam, & triſtem, qualem agebant, quos Dominus modò conſolatur ſpe fortunæ melioris. Illi enim Ezechielis capite 37. mortui dicuntur, ſeu, quod idem eſt, *oſſa arida.* Locus autem, in quo captiui morabantur exules, *ſepulcrum*, de quibus Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis, oſſa hæc* (nempe arida, ſiccáque vehementer) *vniuerſa domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt, aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſrael.* Vide, quomodo pro mortuis habetur captiui, & quomodo morituri quoque dici poſſint, quibus propter peccatum ſimile aliquando infortunium acciderit.

Exul, pro mortuo.

87. Verſ.31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iacob fœdus nouum.*] Sæpius à nobis dictum eſt, reſtitutum à captiuitate populum, inſtauratámque Hieroſolymam, Eccleſiæ typum eſſe, & vmbram quãdam Euangelici temporis, vt ex multorum Patrum, Doctorúmque ſentẽtia docuimus in præfatione quadã ad caput 40. Iſaiæ. Dictum etiam vſu frequenter venire apud Prophetas, vt ex vmbra, & typo

Regula. Ab vmbra ſæpe ad veritatem tranſit oratio.

A ad veritatem, id eſt, ad Euangelici temporis myſteria ſermo ſeſe propheticus attollat, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 45. *Rorate cæli deſuper.* Exemplum ſit in eadem omnino materia, quod nunc audis. Cùm enim Iſaias de Cyro loqueretur, qui libertum populum in patrias ſedes remigrare fecit, intentis in Chriſtum oculis, maioris vindicem libertatis clamat, *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Et Geneſis 49. poſtquã Iacob in filio Dan vmbram Chriſti Seruatoris agnouit, in illum intentus dixit: *Salutare tuum expectabo Domine:* ſic modò, cùm vmbra præceſſiſſet Eccleſiæ, atque Euangelij, in meliori captiuorum fortuna, intento in illud tempus animo, dicit in Propheta Dominus: *Feriam domui Iſrael, & domui Iacob fœdus nouum.* Quid verò illud ſit, iam exploremus.

B

Et feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouũ.] 88.
Hæc ſine dubio de Euangelij tempore accipienda ſunt, quorum typus in Iudæorum libertate præceſſit; in quibus aliquid nobis obſeruandum eſt. Primùm, illud, *feriam*, poſitum eſſe accommodatè ad antiquam tam ſacram, quàm profanam ineundi fœderis conſuetudinem. Quò enim ſanctum eſſet pactum, quódque violari, ſalua non ſolùm fide, ſed etiam religione non poſſet, ad iuſiurandum ſanguis quoque victimæ, & cædes adiungebatur. De iuramento nihil dico, quia

C nihil in vtraque literatura magis obuium; de ſanguine, & cæde apud profanos habes multa. Vide Alexandrum Neapolitanum libro 5. Genialium capite 3. & Briſſonium libro 4. Formularum, vbi exemplorum ſatis. Apud ſacros hæc accipe: Geneſis 15. *Sic Dominus ad Abrahamum: Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, &c. qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium.* Hæc verò ad ineundi fœderis ritum pertinere, indicat quod ſtatim ſubditur verſu 18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram hanc.* Ita putat Chryſoſtomus homilia 56. in Geneſim. *Vide* (inquit) *quemadmodum Deus more humano init fœdus cum Abraham. Quando nos aliquid promittimus, &*

Sanguis in fœdere ſanciendo.

D *volumus certum reddere eum, cui promiſſio fit ita vt de promiſſis nihil ambigat, ſignum aliquod damus, & pignus, vt ad illud ſpectans ſcire queat promiſſa omnino euentura. Ita miſericors Deus quærenti Abrahæ, Vnde ſciam? reſpondit, Sume tibi vaccam trimam; &c. Attende, obſecro, in quantam craſſitudinem deſcendendum ſibi duxerit bonus Dominus, quò Patriarcham argumentis copioſis certiorem redderet. Nam, quia olim talis erat mos paciſcendi, & pacta firmandi, ideo & ipſe Deus hac via ingreſſus eſt.* Idem putat Theodoretus in illum Ieremiæ locum, quem mox adducemus. *Quondam* (inquit) *hoc ritu iurare, & fœdera inire, mos erat; quin etiam cùm Deus fœdus iniret cum Abraham, iuſſit arietem trimum, & vitulum, & capram ſimilis*

E *ætatis in duas partes diuidi, &c. hunc in modum paciſcens cum Abraham iuxta morem, qui tunc vigebat.*

Hanc conſuetudinẽ fœderis religioſi, ac ſancti 89.
ſuo etiam tempore ſeruari docet Ieremias capite 34. verſu 18. nam cùm pacti meminiſſet, quod paulò antè populus feciſſet Iudaicus, illúmque & datæ fidei, & violati fœderis argueret Dei nomine, ait: *Et dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obſeruauerunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diuiſiones eius.* Fœdus autem tam antiquum, quàm nouum (vt inquit Paulus ad Hebræos 9.) ſanguine confirmatum

eſt,

eſt, illud victimarum, hoc Chriſti.

90. Quid ſit fœdus, non obſcurum eſt. Pro *fœdere* Paulus capite 8. ad Hebræos *teſtamentum* poſuit, quod idem eſt, ſicut etiam *pactum*, Hebraice ברית *berith*, Græcè διαθήκη, ex quo vocabulo πολυώνυμον natum exiſtimo, vt teſtamentum ſæpe pro fœdere ponatur. Eſt enim in Scriptura non infrequens, vt cùm vox duas haber ſignificationes, per quandam quaſi metalepſim, ab vna progreſſio quædam fiat ad alteram. Quomodo μόσχος cùm vitulum ſignificet, & germen, vbi germen valer, vitulus, ſiue vitulamen redditur. Sapientiæ 4. verſu 3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* Vox Hebræa רשפה *riſpah*, prunam ſignificat, ſeu carbonem ignitum, Græcè ἄνθραξ, tam carbonem valet, quàm carbunculum lapidem, propter ſimilitudinem. Noſter autem Interpres *calculum* reddidit ſuo more, Iſaiæ capite 6. in quo tamen carbonem intellexit, vt eſt communis Patrum ſentẽtia. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Sic ἀξίωμα, cùm dignitatem, & placitum, aut decretum ſignificet, principia quædam, ſeu ſapientiũ placita, propter vocis communitatem in Philoſophorum ſcholis *dignitates* vocantur. Plura hac de re diximus ad illud Pſalmi 67. *etenim non credentes.* Quia ergo, vt Hieronymus putat, διαθήκη non ſolùm defunctorum voluntatem ſignificat, ſed pactum viuentium, fit, vt modò *teſtamentum*, modò *pactum*, & *fœdus* à vulgato Interprete reddatur: quæ tamen voces idem omnino valent. Exempla ſunt obuia, pauca nunc accipe. Pſalmo 77. *Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.* & poſtea: *Neque fideles habiti ſunt in teſtamento eius.* 1. Machabæorum capite 1. *Eamus, & diſponamus teſtamentum cum gentibus, quæ circa nos ſunt.*

Regvla. Cùm vox duas habet ſignificationes, vna pro altera frequenter ſumitur.

Sap. 4.

Iſai. 6.

Teſtamentum, idem quod fœdus.

91. *Fœdus nouum*, ſeu, vt Paulus vertit, *teſtamentum nouum*, Euangelium eſt, quod iam in Eccleſia communiter nouum appellatur teſtamentum. Dicitur autem nouum, quia multa ex eo accepit Eccleſia, quæ non agnouit antiqua Synagoga, quorum aliqua adducit hoc loco Ieremias, de quibus ſtatim. Sed etiam ſi præcepta, aut fœdus idem eſſent, noua tamẽ ratio, qua fœdus initum, aut data præcepta ſunt, ſatis habuêre cauſæ, vt nouum fœdus, aut noua præcepta nominari debuerint. Sicut mandatum charitatis, quod Chriſtus Ioannis 13. dedit Diſcipulis, nouum dicitur, cùm tamen antiquiſſimum eſſet, propter rationem aliquam nouam; ſed, vt dixi, multa noua ſunt, propter quæ nouum appellari poſſit teſtamentum.

Teſtamentum cur dictum nouũ.

92. Paulus bonam huius capitis partem citat ad Hebræos capite 8. vbi aliqua habes paulò diuerſa; quia ex Septuaginta tranſlatione deſumpſit: qui non parum afferet lucis ad locum impeditum, & obſcurum. Primùm ergo Paulus contra populum antiquæ legi minùs obſequentem hæc dicta docet, dum ait: *Vituperans enim eos dicit.* Et quidem ſi ea, quæ præceſsêre, attentè conſideres, inuenies, multa audiſſe populum de ſua, aut in veram religionem incuria, aut in impiam idolorum ſuperſtitionem inſania. Sed dicet non nemo, minùs in præſentem rerum articulum verbum illud Pauli conuenire poſſe: neque enim, cùm hæc, quæ Paulus repetit, à Domino per Ieremiam dicuntur, vituperatur populus, ſed potiùs ad ſpẽ futuræ libertatis excitatur, dum tanta proponitur felicitas, quantam ipſe adfuturam

ad Hebr. 8.

A ſibi non putabat. Huic ego reſpondeo, quo tempore hæc dicebantur à Deo, vituperari rebellem illum, & infidelem populum, de cuius exilio, ac cæde cogitabat: neque enim tunc exciſa ciuitas erat, aut templum exuſtum. Erat igitur tunc offenſus animus, & oratio plena acerbitatis, & accuſationis: quod nemo credo dubitabit; ſi, quod nonnulli putant, & meo iudicio verè, idem in hoc atque in præcedenti capite continens texatur vaticinium, in quo plurima iactantur in populum acerba, & grauia. Et verè, cùm hæc diceret, illos, quibuſcum pactum illud iniit, vituperabat: de quibus eſt illud, de quo ſtatim: *Pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum:*
B cuius loco Paulus: *Et ego neglexi eos.* Neque ſi Deus iam mitior plurima promittat, ideo deſinit eſſe reprehenſio grauis: illam námque tam largam, atque prolixam liberalitatem non exigunt Iudæorum, aut extorquent merita, ſed vltrò affert Dei pronus ad largiendum animus. Ex quo longè maior ſeſe prodit Iudaicæ perfidiæ turpitudo, cùm ab illo defecerit, in quo tot inerant ad amandum illecebræ.

Et feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum.] Paulus: *Conſummabo teſtamentum nouum.* id eſt, perfectum teſtamentum dabo, non quale antiquum fuit, quod longum erat, atque ita moleſtum, neque tamen ad perfectum quenquam adducebat. Pro *feriam*, optimè Paulus adhibuit,
C *conſummabo*; quia conſummabat, nullóque modo temerabile reddebat pactum victimarum ſanguis. Id verò Chriſtus in condendo nouo teſtamento fecit: nam cùm toto vitæ tempore eò incubuiſſet, ad extremum compleuit, & percuſſit fœdus, cùm ſe victimam obtulit, & ſuo firmauit, & conſignauit ſanguine. 93.

Teſtamentũ nouum perfectum.

Verſ. 32. *Non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.*] Longè aliud futurum eſſe dicit nouum ab antiquo fœdere; cùm autem Deus ſæpe pactum cum aliis percuſſerit, vt cum Noë, Geneſis 8. & cum Abraham, Geneſis 12. nunc de illo tantùm loquitur, quod
D per Moyſem cum populo pepigit ad montem Sinai, quod perſpicuum eſt; quia ſtatim ab Ægyptia libertate percuſſum eſſe dicitur: de quo Exodi capite 19. *Moyſes autem aſcendit ad Deum, vocauítque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filiis Iſraël, &c. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, &c. & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta. Venit Moyſes, & conuocatis maioribus natu populi expoſuit omnes ſermones, quos mandauerat Dominus. Reſpondit autem omnis populus ſimul, Cuncta, quæ loquutus eſt Dominus, faciemus.* En pactum antiquum. 94.

Sed illud durum, quòd eodem die percuſſum 95.
E eſſe dicitur pactum, quo populus eductus ex Ægypto, cùm tamen quinquageſimo poſt egreſſum die data lex fuerit, receptáque à populo ad montem Sinai. Solutio facilis, de qua nos ſuprà. Quod non longè abeſt ab aliquo tempore, aut loco, in eo cenſetur, ac dicitur fieri. Et in hoc exitu Iſraël de Ægypto exempla ſunt aperta. Multa enim, quæ aliquot non ſolùm diebus, ſed etiam menſibus, poſt illum articulum contigerunt, facta eſſe traduntur, quando ex Ægypto egreſſus eſt Iſraël, vt datum manna, Exodi 16. occurriſſe Moab Iſraëlitis, Deuteronomij 23. verſu 4. & capite 25. verſu 18. &, quod magis ad

Regvla. Aliquid in aliquo tempore factum dicitur, quod tempore non longè diſtãte factum eſt.

 inſtitutum

inſtitutum facit, datam eſſe legem, de quo etiam nunc Deuteronomij 4. verſu 45. & Leuitici 26. verſu 45. *Recordabor fœderis mei priſtini, quando eduxi eos de terra Ægypti, in conſpectum gentium, vt eſſem Deus eorum.* Idem planè quod nunc 3. Regum 8. verſu 9.

96. *Apprehendi manum.*] Oſtenditur magna amantis animi vis, & indulgentia, qualem pater habere ſolet in filios, quos neque ante ſe agit, vrgétque tanquam greges: neque à tergo relinquit tanquam ſeruos, ſed manu apprehenſos ita ducit, vt non ſolùm ab oculis, ſed neque ab amplexu dimoueat. ita Chryſoſtomus homilia 8. de pœnitentia: *Non enim* (inquit) *quaſi ſeruos eduxit, ſed veluti paruulum filium manu accipiens pater ſic liberauit: non poſt tergum ſequi mandauit, quaſi ſeruum, ſed veluti filium nobilem, & liberum manu tenens, ſic duxit. vnde apud Oſeam, Ex Ægypto, ait, vocaui filium meum.*

Dominus quos amat, ſecum deducit.

97. *Et ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus.*] Paulus: *Et ego neglexi eos.* Sed eſt ſenſus idem: vt enim modò ex Chryſoſtomo dicebamus, pater apprehenſum manu filium molliter deducit; neque illum aut toruo ſpectat vultu, aut tractat ſeuerè; quia illum nec odit, nec negligit: ſecus Dominus ſe habet in ſeruum, maximè rebellem, in quem longè aliter eſt animatus, quémque ſuo propè iure contemnit. Ait ergo Dominus, quia populus ille fœdus, quod acceperat, irritum fecit, alium ſe in illum aſſumpſiſſe animum, & qui priùs mitem ſe patrem exhibuerat, pòſt ſe geſſiſſe vt dominum ſeuerum, & grauem. Porro *dominari*, ex Scripturæ vſu, *punire*, ſignificat, ſeu malè aliquem accipere, tanquam hoſtem. Pſalmo 10. verſu 5. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur.* Hebraicè: *In eos ſufflabit, & flatu proſternet.* Pſalmo 109. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* quod ſtatim explicuit, cùm dixit, *Conquaſſabit capita in terra multorum.*

Dominor, *idem quod caſtigo.* Pſal. 10. Pſal. 109.

98. Verſ. 33. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos.*] Diſcrimen oſtenditur inter antiquum fœdus, & nouum: ſed quódnam tempus deſignent illa verba, *poſt dies illos*, obſcurum. Omnes, & meritò, deſignari putant Euangelij tempus, cui optimè conueniunt, quæ ſequuntur omnia. Poſt dies illos, in quibus *creauit Dominus nouum ſuper terram, & fœmina circumdabit virum*: aut certè poſtquam illum populum neglexerit Deus, & datum olim teſtamentum reſciderit.

99. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.*] Legem illam antiquam vtpote duram lapidibus inſcripſit Deus, quam lapides ipſi vix videntur ferre potuiſſe: at legem nouam, quæ minus habet ponderis, & ſuauitatis plurimum, viſceribus hominum inſculpſit, quæ adeò non grauat, vt multum etiam ſuauitatis inſtillet. Quid ſit viſceribus fœdus nouum inſcribi, docet ex Auguſtini ſententia ſanctus Thomas, quorum ſi verba tantùm produxero, ſatisfactum arbitror præſenti loco. Plura qui volet, adeat Interpretes in citatum locum ad Hebræos. Significat ergo ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 106. articulo 1. duabus partibus contineri legem nouam, ſeu Euangelium, Scripturis edicentibus quid credendum, quidque agendum ſit, & auxiliis gratiæ excitantibus, & iuuantibus animum ad bona opera præſtanda; partem priorem communem eſſe legi nouæ cum veteri, & cum omni lege humana; poſteriorem, quæ longè

Lex noua quomodo ſcripta in corde.

A nobilior & excellentior eſt priore, propriam eſſe, & ſingularem nouæ legi, & Euangelio: ac propterea in hoc Ieremiæ, ac Pauli loco, nouæ legis nomine intelligendam eſſe gratiam Diuinam, qua inſtructus homo ſeruat ſcriptas leges. Sic ergo ſanctus Thomas ſuprà: *Vnaquaque res illud videtur eſſe, quod in ea eſt potiſſimum, vt Philoſophus dicit in 9. Ethic. Id autem, quod eſt potiſſimum, in lege noui teſtamenti, & in quo tota virtus eius conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti, quæ datur per fidem Chriſti: & ideo principaliter lex noua eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus.* Hæc ſanctus Thomas. Nunc Auguſtinū audi libro de ſpiritu, & litera, capite 21. *Quid ſunt ergo leges Dei, ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti?*
B *qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur charitas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & præcepti finis.* Et in fine capitis ait: *Nunc ipſum bonum cordis promittitur, mentis bonum, ſpiritus bonum, hoc eſt, intelligibile bonum, cùm dicitur: Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas; vnde ſignificauit eos non forinſecùs terrentem legem formidaturos, ſed intrinſecus habitantem ipſam legis iuſtitiam dilecturos.* Et capite 20. & 25. docet Paulum ex hoc Ieremiæ teſtimonio ſumpſiſſe illud 2. Corinthior. 3. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Hæc Auguſtinus.
C Quomodo lex hæc noua, ſeu lex Spiritus ab antiqua differat, docet multis ſanctus Thomas ſupra, & ibidem Interpretes; illa tu vide: neque enim mei muneris eſt, hîc pluribus immorari. 100.

Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.] Iiſdem penè conditionibus, ac verbis, conditum fuit antiquum fœdus Exodi 29. Sed hîc aliquid ego maius intueor. Quaſi dicat Deus, Elegi olim Hebræorum gentem in populum, vt ipſi me, vt Deum ſuum ſuſciperent, & colerent, ſed quia ipſi pactum neglexêre, & à fide data defecerunt, quod perinde eſt, ac ſi populus meus eſſe nollent, ego quoque illis in Deum non fui; eo nempe modo, quo pater præcipua quadam indul-
D gentia filium amplectitur, ſed quo dominus ſeruum tardum, & immemorem flagellat, & corripit. Nouum verò pactum, quod nobilius eſt, efficiet, vt verè ac ſeriò meus ſit ille populus, & verè item maiori quadam indulgentia egò ſim illi Deus. 101.

Verſ. 34. *Et non docebit vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo,* &c.] Locus hic diu torſit, variéque diſtraxit Doctorum ingenia, quia re vera difficilis. Quorum ego ſententias in re vſque adeò graui non poſſum non adducere, ſed faciam id parcè, ne longior ſim, quàm interpretis ſtudium deſiderat. 102.

E Prima ſententia eſt Auguſtini, de ſpiritu, & litera, capite 24. vbi tradit, promiſſionem hanc in cæleſti beatitudine fore complendam: ibi enim erit Dei perfecta viſio, in qua felicitas ſpectatur æterna, iuxta illud Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum.* Auguſtinum ſequuntur ſanctus Thomas, & Theodoretus, vterque hîc, & in Paulum Anſelmus, Haymo, Lyra, Caietanus, vtraque Gloſſa in Paulum, Belarminus libro 3. de verbo Dei, capite 10. Quæ ſententia, licèt probabilitate ſua non careat, minùs tamen videtur ad textum: confertur enim, vt vides, teſtamentum nouum cum veteri, quod irritum eſſe dicitur: neque ſi de felicitate 103.

ageretur

ageretur cæleſti, vlla appareret aut vis, aut ratio comparationis: vt enim, qui in noui fœderis ſæculo ſalui facti ſunt, Deum cognoſcunt, neque vllo indigent magiſtro, vt ad eius cognitionem deducantur; ſic etiam, qui in veteri æternam ſalutem conſequuti ſunt. Neque præterea apparet, qua occaſione induci potuerit præſens de cæleſti beatitudine ſermo.

104. Alij de præſenti, atque mortali ſtatu capiunt, ſed excludi tantùm exiſtimant difficilem, longámque doctrinam; breuem, ac facilem admittunt. Ita Chryſoſtomus tomo 5. de demonſtratione aduersùs Gentiles, *Quòd Chriſtus ſit Deus*, non longè à medio, Theophylactus, Oecumenius, & Titelmanus in Paulum, Caſtrus hîc. Cur verò facilis ſit eo Euangelij tempore doctrina, ea exiſtimatur eſſe ratio, quia gratiæ maiora aderunt auxilia, & lex ipſa Euangelica non erit ita longa, ac multiplex, ſicut antiqua. Illa etenim tredecim ſupra ſexcenta præcepta continebat, affirmantia quidem ducenta quadraginta octo, quot in humano corpore oſſa numerantur: negantia verò trecenta ſexagintaquinque, quot ſunt anni dies. Ad quam ſententiam facit, quòd in Scriptura ſacra, quæ exigua ſunt, perinde cenſentur, ac ſi non eſſent: vt etiam vulgaris omnium penè gentium ſermo declarat. Cùm ergo labor, qui in addiſcẽda lege noua, iiſque præceptis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, leuiſſimus futurus ſit, tam à diſcipulo, quàm à doctore ſuſceptus, dici optimè poteſt, aut nullam interueniſſe in magiſtro doctrinam, aut nullum in diſcipulo laborem.

Legis noua multò quā antiqua facilior cognitio.

105. Quòd ſi obiicias, multos in Eccleſia fore (vt nos quotidie plus quàm vellemus experimur) qui tardo ſunt ingenio, aut animo, ad diſcenda fidei myſteria, minùs attento, quíque non minùs breuem noui fœderis doctrinam ignorant, quàm laciniosſam legem fœderis antiqui Iudæi, non vna eſt, neque leuis reſponſio: aut enim *omnes*, pro, *multis* ſumuntur, quod in Scriptura frequens. Tria nobis Tobias exempla ſuppeditat capite 1. verſu 4. & 5. *Cúmque eſſet iunior omnibus in Tribu Nephthali, nihil tamen puerile geſſit in opere. Denique, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ierobоam fecerat Rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium.* Certum eſt, non fuiſſe Tobiam omnium ætate minimum, cùm nihil meditabatur puerile, cùm iam exceſſiſſet infantiles annos; neque omnes vitulos aureos adoraſſe, aut omnium hominum declinaſſe conſortium. Item Ioannis 18. verſu 20. de ſe dixit Chriſtus: *Ego ſemper docui in Synagoga*; cùm tamen ex Euangelio diſcamus, in monte, vicis, & plateis docuiſſe. In Synagoga verò docuiſſe dicitur, quia ibi plerunque populum docebat. Sic ergo, quia plurimi facili labore legem docebantur Euangelicam, omnes didiciſſe cenſeri poſſunt.

REGVLA. *Omnis, pro multis ſumitur, & ſemper, pro frequenter.*

106. Alia reſponſio eſt magis, meo iudicio, ſoluta; parata item ex Scripturæ ſacræ conſuetudine: quæ id ab aliquo fieri dicit, quod vt fiat, ipſa videtur natura rerum exigere. Quomodo in Eccleſiæ cunabulis Chriſtiani dicebantur ſancti, quia lex, quam acceperant, eò ſpectabat, vt ſanctitatem induceret. Et cum Euangelio pax in mundum aduenisſe dicitur, tametſi bella poſt illud quotidie fremant; quia lex Euangelica eò ſpectat, vt bellorũ omnium extinguat ſemina, & à ſuis cultoribus pacem exigat, & concordiam. Sic ergo nunc, cùm lex noua, ſeu pactum nouum eiuſmo-

REGVLA. *Id fieri dicitur, quod vt fiat, rerum natura poſtulat.*

A di ſit, vt à quolibet diſci, teneríque perfacilè poſſit, omnes dicuntur illam labore facili, & ſine vlla moleſtia percepturi. Neque mihi modus iſte ſoluendi nodi diſplicet.

Ego, quid in hac re magis probem, paucis dicam. Et inprimis cenſeo, non tam de Beatorum, ſtatu, quàm de Euangelij tempore ſermonem eſſe. Deinde Doctores fuiſſe, à quibus primo etiam Eccleſiæ tempore fideles doctrinam haurirent Euangelicam, quod negare nemo, aut ignorare poteſt: id enim expreſsè docet Paulus ad Epheſios 4. *Et ipſe dedit quidem quoſdam Apoſtolos*, &c. *alios autem Paſtores, & Doctores.* & 2. ad Timotheum 4. *Prædica verbum*, &c. & clariùs ad Romanos capite 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante?* 107.

B

Secundò dico, verum eſſe, in Eccleſia fideles, vt cognoſcant Deum, non egere Doctore, vt ſonant tam Ieremiæ, quàm Apoſtoli verba. Quo verò id modo fieri poſſit, explorandum eſt. Et primò ſuppono id, quod ex ſancto Thoma 1.2. quæſtione 106. articulo 1. & ex Ariſtotele libro 9. Ethicorum, paulò antè diximus: vnamquamque rem ab eo vocari, immo id eſſe videri, quod in ea præcipuum eſt. Cùm autem in Euangelica doctrina longè ſit maior vis illa à Deo, quæ mentem illuminat, & mouet, quàm quæ à Doctore eſt, quæ ſi cum Diuino cõparetur impulſu, atque illuſtratione, perinde cenſeri debet; ac ſi nõ eſſet, fit, vt Doctore dicatur Eccleſiæ diſcipulus non egere, quia à Deo habet illud, quod in ea inſtitutione præcipuum, ac penè ſolum eſt. Hoc velle videntur Patres, cùm dicunt, valere nihil verba Doctorum, niſi Dei virtus, & Spiritus ſancti gratia intus in animis operetur. Auguſtinus tractatu 3. in epiſtolam 1. Ioannis: *Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? ſi vnctio vos docet de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus.* Et paulò poſt: *Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt. Nolite putare, quemquam hominem aliquid diſcere ab alio homine: admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ, ſi non eſt intus, qui doceat, inanis eſt ſtrepitus noſter.* In eandem quoque ſententiam Gregorius explicans illud Ioannis capite 14. *Ille vos docebit omnia. Niſi idem* (inquit) *Spiritus cordi adhæſerit audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vanum laborat. Ecce vnam loquentis vocem pariter auditis, nec tamen pariter ſenſum auditæ vocis percipitis. Cùm ergo vox diſpar non ſit, cur in cordibus veſtris diſpar eſt vocis intelligentia, niſi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, eſt magiſter interior, qui de vocis intelligentia quoſdam ſpecialiter doceat?* Hæc Gregorius. His affinia inuenies apud Patres alios non pauca. 108.

Deus præcipuus Doctor.

C

Humana doctrina, niſi Spiritus adſit, infirma eſt.

D

E

His adde, quòd qui aureum Euangelij tempus nacti ſunt, à Deo dicuntur eſſe docendi. Iſaias capite 54. verſu 13. *Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Quò reſpexit Chriſtus Ioannis 6. verſu 45. *Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei.* dixerat autem priùs: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum.* In quem locum Auguſtinus: *Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient, et ſi ab hominibus audient; tamen, quod intelligunt intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur.* Ioannes epiſtola 1. capite 2. verſu 27. *Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus,* 109.

&

& verum eſt, & non eſt mendacium, & ſicut docuit vos, manete in eo.

110. Sed dices, hîc nihil promitti nouum, quod non fuerit cum Teſtamento veteri commune: vt enim cùm Apoſtoli, aut Apoſtolici Doctores Euangelica doctrina animos imbuebant, Deus vim addebat, & Spiritum, ſine quo doctrina omnis humana langueret: ſic etiam cùm Prophetæ, aut legis Doctores antiquum interpretabantur fœdus, niſi Deus ipſe aut languentes illas voces animaret, aut illuſtraret, moueretque audientium animos, otioſus eſſet ſermo Doctoris.

111. Huic ego obiectioni vt reſpondeam, nonnulla priùs obſeruabo. Primùm, hoc loco ſermonem non eſſe de cognitione illa, quæ rem ſpeculatur, quæque in ſcholis Theorica vocatur; ſed de ea, quæ ſic mentem illuſtrat, vt animum inclinet, aut deducat ad opus, quam practicam appellant. Talis erat illa, quam filio ſuo commendabat Dauid, cùm dicebat 1. Paralipomenon capite 28. *Tu autem, Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui.* id eſt, ama, & cole. quo ſenſu dixit Ioannes epiſtola 1. capite 2. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Eodem modo hunc Ieremiæ locum accipit Chaldæus: *Non docebit* (inquit) *vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicemes: Timete, ſcitote Dominum, quia omnes diſcent, vt ſciant timorem Domini.* Et quod ſtatim ſequitur: *Quia propitius ero,* &c. de quo mox ſatis apertè declarat.

Doctrina Dei practica.

1. Paralip. 28.

Ioã. ep. 1. c. 2.

112. Secundò obſeruo, ex vſu ſacræ Scripturæ, illud affirmari de aliquo, & quaſi de aliis negari, quod in illo illuſtrius, aut frequentius apparet, licèt cum aliis aliquo modo commune ſit. Amabat quidem Iſaac Iacob, & Rebecca Eſau, ſed quia ille Eſau magis, hæc magis diligebat Iacob, de vtriſque dicitur Geneſis 25. verſu 28. *Iſaac amabat Eſau, & Rebecca diligebat Iacob.* Et cùm Chriſtus Diſcipulos omnes diligeret, Ioannes tamen dicitur is, *quem diligebat Ieſus*; quia in eo plura amoris ſpectabantur ſigna. Sed eſt exemplum optimum Matthæi capite 15. nam cùm Chriſtus tam ad gentes, quàm ad Iudæos miſſus eſſet à Patre, quia tamen ad Iudæos primo mittebatur loco, dixit: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Negatur item de aliquo, quod in eo apparet, aut minùs frequenter, aut minùs ſtudioſè. Syri 4. Regum capite 6. dicuntur non ampliùs veniſſe in terram Iſraël, cùm tamen conſtet, aliquando rediiſſe. Et Geneſis 35. dictum eſt Iacob à Deo, *Non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum.* Et tamen poſt illud tempus ſæpe vocatus eſt Iacob: ſed verè Syri dicuntur non venturi, & Iacob non vltrà vocandus antiquo nomine, quia illi minùs ſæpe veniebant, & cum minori Iſraëlitarum incommodo: nomen verò Iſraël multò ſæpius auditum eſt, ſaltem in poſteris, qui filij dicti ſunt Iſraël, quàm nomen Iacob.

REGVLA. *Affirmatur de vno, & de aliis negatur, aut negari videtur, quod in illo frequentius eſt, & illuſtrius, licèt illud habeat cum aliis commune.*

Geneſ. 25.
Mat. c. 15.

4. Reg. 6.

Geneſ. 35.

113. Cùm igitur cognitio Dei, quæ ad pietatem, & amorem vrget, & inſtimulat, multò in Eccleſia ſit illuſtrior, & penè propria, & ſi quando hominis intercedit opera, vis illa ignea, quæ mentem inflammat, à Deo ſit, quod præcipuum eſt in ea cognitione practica; & à quo, vt ex ſancto Thoma ſuprà docuimus, pondus ſumit, & nomen illa doctrina; non immeritò dici poteſt, qui Euangelicam accipit doctrinam, à Deo doceri, non ab homine; quod negari videtur antiquæ

A legi, quia illi neque tam frequenter, ac familiariter, neque tam copioſè, atque benignè datum eſt.

Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum vſque ad maximum.] Cùm multi in Eccleſia ſint, qui, qua ſunt ingenij tarditate, aut etiam Prælatorum incuria, Deum ignorant; nemini tamen Deus ignotus fore dicitur, quia (vt ſuprà diximus) doctrina de Deo, qualis ad ſalutem neceſſaria eſt, neque longa apparet, neque difficilis. Quod autem aptum eſt, vt fiat, id re ipſa fieri, frequens Scripturæ vſus edocuit: in qua actus, vt Phyſici dicunt, primus pro ſecundo ponitur, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 53. *Et non erat aſpectus.* Quòd ſi illud, *cognoſcent me,* amorem indicat, & obſeruantiam, à qua nuda non eſt practica cognitio, explicatio facilis eſt, & eius ſtatim ratio oſtenditur. 114.

REGVLA. *Actus ſecũdus pro primo.*

B

Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs.] Quid mirum, ſi tanto ſtudio homines Deum colant, & ament, cùm eum experiantur adeò liberalem, & mitem, vt errata condonet? Fortaſſe illud, *quia*, vt alibi ſæpe, rationale non eſt, ſed coniungit extrema, vt docuimus ad illud Iſaiæ capite 35. *Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ.* & in capite 10. Zachariæ, numero 14. Tunc verò ſenſus eſſe poteſt; Omnes ſequentur me, & ego illorum miſerebor, &c. 115.

Antequam hinc diſcedo, reddenda videtur eſſe ratio, cur Eccleſia Iudæ ſignificetur, & Iſraëlis nomine. Nam, antequam adderet Propheta verba illa, quæ nos ex communi Patrum, immo & Pauli ſententia, de Eccleſia expoſuimus, dixit: *Et feriam domui Iuda, & domui Iſraël fœdus nouum.* Ratio verò videtur eſſe duplex; prior, quia promiſſio illa facta fuit Iudæis; vnde Euangelium priùs acceperunt Iudæi, & edictum Diſcipulis fuit à Chriſto: *In viam gentium ne abieritis.* quod Chriſtus ipſe dixit Matthæi capite 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Qua de re nos pluribus ad illud Iſaiæ 49. *Vt reducam Iacob ad eum.* 116.

C

Altera ratio eſt, quia, vt docet Auguſtinus libro 18. de Ciuitate capite 28. & libro 22. capite 89. contra Fauſtum; decem Tribus, quæ ab aliis diuulſæ aureos vitulos adorarunt, populum deſignant Gentilicum, qui idola coluerunt; Tribus verò aliæ, quæ auitam retinuerunt religionem, à præcipua Tribu nominatæ ſunt. Dum ergo nouum iſtud pactum domui Iuda, atque Iſraëlis promittitur, Eccleſiam intuetur, quæ ex Iudæo conſtat, atque Gentili. 117.

D

Verſ. 35. *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei: ordinem Lunæ, & ſtellarum, in lumine noctis, &c.*] Hîc, credo, ab Eccleſia, nouóque fœdere ad Iudæorum ſtatum, tempúſque Babylonicum, vaticinium recurrit, in quo tamen typicè Eccleſiæ firmitatem, atque ſplendorem ſpectare licet. Præmittit autem Deus, quæ confirmare poſſint languentes, ac deſperantes animos, dum ratos cælorum curſus, & aſtrorum mirificas viciſſitudines, cæterarúmque rerum multiplices vſus, ob oculos proponit; vt dubitare non poſſint de illius conſilio, quo diſponere priùs, & metari; neque de illius potentia, qua cogitata, atque diſpoſita perficere potuit. Hoc eodem, vt arbitror, conſilio, in cauſa non admodum diſſimili, ſpem aliorum confirmauit Dominus Iſaiæ capite 42. *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea,* 118.

E

dans

dans flatum populo, qui eſt ſuper eam. Porro his rebus explicari ſolet Dei admirabilis ſapientia, & potentia ſingularis. Illud verò, *Qui turbat mare, & ſonant fluctus eius*, iam ante cecinerat Dauid Pſalmo 64. numero 8. *Qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.* Huc puto reſpexiſſe Ieremiam, priora planè illud ſpectant Geneſis cap. 1. verſu 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem*, &c.

119. REGVLA. *Si, conditionalis in cõparationibus ſæpe ſubauditur.* Verſ. 36. *Si defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus, tunc & ſemen Iſraël deficiet.*] Iiſdem penè verbis aliis in locis ſtabilitas rerum ſignificatur, atque conſtantia. Ex hoc loco aliquid accipient lucis alia, quæ cùm eandem ſententiam contineant, figura eadem non eſt. Nam hic, *ſi*, conditionalis particula exprimitur; ſubauditur alibi. B Eſt itaque aliis in locis, quæ iam produco, hypothetica quædam comparatio: quaſi dicas, Si aliquid horum defuturum eſt, deficiet potiùs illud, quod videtur æternum, quàm id, cuius firmitatem oſtendo. Sic licebit exponere illud Iſaiæ *Iſai.c.51.* cap. 51. *Cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur*, &c. *Salus autem mea in ſempiternum erit.* & Matthæi capite 24. *Cælum, & terra* *Mat.c.24.* *tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Idem planè Pſalmo 101. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt*, &c. Plura de hac hypothetica comparatione diximus ad locum Iſaiæ citatum. Eſt ergo ſenſus huius loci: Tunc ſemen Iſraël ſiue proprium in Iudaico populo, ſiue metaphoricum C in Eccleſia, deficiet, quando in cælis aſtrorum ordo, & datæ leges à Domino defecerint. Eadem comparatione vſus eſt capite 33. verſu 20. *Si irritum fieri poteſt pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid*, &c. Qua etiam comparatione vtuntur profani, dum argumentantur ab impoſſibili. Seneca in Troade:

Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidúſque certas mundus euoluet vices:
Numerúſque arenis deerit; & ſolem dies,
Noctem ſequentur aſtra. ———

Idem, in Octauia:

Iungentur antè ſæua ſyderibus freta,
Et ignis vndæ. Tartaro triſti palus,
Lux alma tenebris, roſcida nocti dies.

120. Verſ. 37. *Si menſurari potuerint cæli ſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum, & ego abiiciam vniuerſum ſemen Iſraël, propter omnia, quæ fecerunt.*] Eadem ſententia, ſed alia comparatione ſignificata: vt enim menſurari non poteſt immenſa cælorum moles, neque terræ fundamenta definitò cognoſci: ſic etiam neque Iſraëlis genus, quantumcunque peccauerit, vniuerſum delebitur. Hęc aperta ſunt: ſed illud difficile, quòd Mathematici cælorum magnitudinem explorant, & tenere ſe purant. Certe de fundamento, id eſt, de centro terræ, minùs dubitant. Quare nihil magnum, aut E

REGVLA. *Scriptura in loquendo hominum ſe opinionibus accõmodat.* ſtabile à Deo videtur eſſe promiſſum. Reſpondeo, quantumcúque Mathematici, atque Aſtronomi ingenio ſuo, atque artificio tribuant, fortaſſe neque exploratá eſſe terræ profunditatem, nedum cælorum molem, & altitudinem. Sed demus hoc illis fortaſſe gratis, nihil tamen decedit ideo de firmitate promiſſi: conſtat enim Scripturam ſacram accommodare ſe nonnunquam in loquendo opinioni hominum, licèt illi in cogitando, & loquendo perſæpe fallantur. Quomodo Gentium ſimulacra *Deos* appellat, cùm

A tamen dij non ſint, quia hominum vulgo tales nominantur; & Beata Virgo Ioſephum patrem appellat Chriſti, quia talis apud omnes putabatur. Et in cauſa ſimili ſtellas cæli innumerabiles vocat, cum illas confert cum arena, quæ eſt in littore maris: ſic enim ad Abraham Geneſis 22. *Geneſ.22.* verſu 17. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* At Aſtronomi 1022. numerant, aſpectabiles dices: ita ſanè, ſed de his, quæ ſub aſpectum cadunt, loquitur Deus Geneſis 15. verſu 5. ad Abraham: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei: Sic erit ſemen tuum.* Cùm ergo homines impoſſibile crederent, inueſtigari poſſe cælorum molem, & terræ fundamentum, cum his ſuam in populum humanitatem confert. Quàm verò meliùs iſta in Eccleſiam conueniant, quis non videt?

Hæc eadem, quæ nunc ab Ieremia, aliis in locis in eiuſdem rei comparationem, tanquam impoſſibile aliquid adducitur Iob. 34. *Quis poſuit* 121.
menſuras terræ, aut quis poſuit ſuper eas lineam? Super *Iob.34.*
quo baſes eius ſolidatæ ſunt (id eſt, fundamenta) *nunquid noſti ordinem cæli, aut pones rationem eius in terra?* Eccleſiaſtici capite 1. verſu 2. *Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* *Eccli.c.1.*

Sed rogabis, quomodo hæc impleta dici poſſint, cùm populus ille, poſt tam prolixa promiſſa abiectus nunc ſit, & penè conſumptus? Reſpondent cum Hieronymo quidam, loqui Prophetam de Iſraële ad Eccleſiam aſcito, & noui Teſtamenti participe: nam qui ex eo genere Euãgelicam legem amplexi ſunt, præclaro ſunt loco, neque à Deo, aut hominum conuictu repulſi. De quibus Paulus ad Romanos capite 11. *Nunquid Deus repulit populum ſuum? abſit. nam & ego Iſraëlita ſum, non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Neque ſine cauſa additum exiſtimatur illud, *vniuerſum ſemen Iſraël*; quia licet abiecti fuerint plurimi, non tamen vniuerſi. Maldonatus impletam eſſe dicit Diuinam promiſſionem, quia Deus negauit, abiectum iri populum propter peccata, quæ vſque ad ſolutam captiuitatem admiſit; & ideo dictum eſt, *Propter omnia, quæ fecerunt.* At nunc abiecti ſunt Iudæi, non propter antiqua, ſed propter recens peccatum, quia Chriſtum Dominum in crucem egerunt: hoc ab illis iam diu, hodiéque graues repetit pœnas; vtrunque placet, ſed hoc poſterius magis.

Quomodo Iudæi propter peccata dicantur nõ abiecti.

D

Verſ. 38. *Ædificabitur ciuitas Domino à turre* 122.
Hananeel vſque ad portam anguli.] Sic erat ciuitas à Babyloniis exciſſa, vt nullum eſſet reliquum antiquæ gloriæ, atque frequentiæ veſtigium: vbi non tam Hieroſolymam videre te crederes, quàm Hieroſolymæ immane quoddam buſtum; ſed Deus nihil relinquet antiquæ ſedis, quod non impleat præclarè ædificiorum mole. Definit autem ciuitatis ſpatia, ſtatuitque terminos, qui in vrbe quàm longiſſimè diſtant, turrem nempe Hananeel, & portam anguli, de quibus 2. Eſdræ cap. 3. & Zachariæ cap. 14.

Verſ. 39. *Et exiuit vltrà norma menſuræ in conſpe-* 123.
ctu eius ſuper collem Gareb, & circuibit Goatha.] Non tantùm intra antiqua ſepta, notóſque murorum ambitus, habitanda dicitur ciuitas, ſed etiam extra, quia præ multitudine ſinus alioqui laxi, anguſti videbuntur. Qui autem ſint hi termini, non laboro, quia non admodũ refert, neque quid ab aliquo certum afferri poſſit, video. Illud non omittam, quòd hoc ipſum prædixit etiam Zacha- *Zach.2.*
rias

rias capite 2. verſu 4. *Abſque muro habitabitur ciuitas Ieruſalem, præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.* Cuius ego loci illam putabam eſſe ſententiam, vt quia tot homines ciuitatis antiqui fines capere non poterant, extra mœnia multis aut domus, aut tabernacula conſtrui foret neceſſarium. Idem etiam prædixit Iſaias capite 49. verſu 19. *Deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus.* Quod aliquando fuiſſe completum docet Ioſephus libro 6. de bello capite 6. vbi docet triplici muro circundatam eſſe ciuitatem, & nihilominus partem quandam fuiſſe à mœnibus nudam, quia exuberans habitatoribus ciuitas, paulatim extra mœnia ſerpebat.

Iſai.49.

124. Verſ.40. *Et omnem vallem cadauerum, & cineres, & vniuerſam regionem mortis vſque ad torrentem Cedron.*] Hîc etiam non valde nobis laborandum de his locis, ad quæ dicuntur producenda Hieroſolymæ ſepta; quia res eſt incerta, neque magnum in ea exploranda apparet operæpretium. Credo hîc deſcribi vallem Topheth, ſeu Gehinnon, ideſt, vallem filiorum Ennom, quæ prope Ieruſalem eſt; in quem hæc, quæ hîc dicuntur omnia, bellè conueniunt. Appellatur enim *vallis cadauerum*, & à Septuaginta Polyandrium, ideſt, commune ſepulcrum, vt pluribus oſtendimus ſuprà capite 7. ad illud, *Et ædificauerunt excelſa Topheth, quæ eſt in valle filij Ennom.* Cur verò vallis appelletur cadauerũ, ea exiſtimatur eſſe ratio, quia ibi deletus eſſe creditur exercitus Sennacherib, quod putant quidam Hebræorum magiſtri, & nos probari poſſe diximus, ad illud Iſaiæ capite 30. *Præparata eſt ab heri Topheth.* nominatur præterea *cineres*, vel quia ibi in cineres redacti Iudæorum filij conſecrati Moloch, aut quia exercitus Sennacherib, agente Angelo, non tam occiſus gladio, quàm conſumptus igne, & ſolutus in cinerem. Quod ſatis indicat Iſaias capite 10. vbi, cùm ageret de Sennacherib, ait: *Subtus gloriam eius*
125. *ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis.* Tradunt autem in hunc Iſaiæ locum Hieronymus, & ſanctus Thomas, exiſtimare Hebræos occulto igne ſic fuiſſe cremata Aſſyriorum corpora, veſtes, & ornamenta alia, intacta prorſus fuerint ab incendio, vt in illa ſtrage nihil periret, quod Iudæis vſui eſſe poſſe videretur: quam Hebræorum cogitationem ipſi non improbant. Aut certè vallis dicitur cineris, quia per portam fictilem, de qua ſuprà capite 19. ſordes extrahebantur in illam: quare porta dicebatur ſterquilinij. Cineres autem pro ſordibus ſumi non eſt durum; maximè quia ſi ibi figulorum officinæ ſunt, cineres quoque ex figulari fornace fuiſſe oportet. Sed credo, tribus nominibus eandem rem ornandi, atque amplificandi cauſa fuiſſe propoſitam: locus enim ille, ad quem ſeſe Hieroſolyma illa materialis extendet, cadauerum vallis, & vallis cinerum, & regio mortis eſt: nã cineres pro morte, ac ſepultura ſumi, ſatis eſt in omni literatura frequens:

Topheth, multi nominis.

Sennacherib exercitus deletus in Topheth.

A de reliquis nemo dubitat. Puto autem, ideo illius vallis meminiſſe Prophetam, eámque tot modis appellaſſe, atque amplificaſſe in meliori Iudæorum fortuna, quia illius quoque meminerat, non minùs grauiter, ac ſignificanter, cùm ageret priùs de Iudæorum cæde, capite 19. verſu 6. *Non vocabitur ampliùs locus iſte Topheth, & vallis filij Ennom, ſed vallis occiſionis.* & verſu 11. *In Topheth ſepelientur, eò quod non ſit alius locus ad ſepeliendum.* Vide quomodo locus ille cadauerum, & cinerum vocetur, ideſt, ſepulcrum; & regio mortis, ideſt, vallis occiſionis. Idem quoque dixerat priùs cap.7. verſu 32. Vt ergo tunc propoſita fœda Iudæorum ſtrage illorum animos terruerat, ſic nunc extenſis ad eundem locum ciuitatis finibus recreat, & B exhilarat. Quod ad hiſtoriã ſpectat, rémque Solymitanam, ſatis credo hæc commodè dicuntur, ad veritatem, & textum. Quod verò ad allegoriam, tempúſque Euangelicum, multò commodius, & illuſtrius: expandent enim ſe Eccleſiæ fines ad vallem cadauerum, ad cinerum, mortíſque regionem: cùm gentes excipient idolorum ſuperſtitioni deditas, quas Scriptura ſæpe habitaſſe clamat in tenebris, atque vmbra mortis. Ad vtranque autem explicationem tam allegoricam, quàm hiſtoricam, valde facit quod ſequitur:

Sanctum Domini.] Hic adhibendum punctum, 126
vt diſtinguunt noviſſimè Sixtiani codices; neque obſcura eſt ſententia: locus nempe ille contaminatus olim, atque execrabilis, in ea rerum commutatione, C ſanctus erit Domino, & ita gratus, ſicut ipſa ciuitas, quia re vera pars erit ciuitatis.

Non euelletur, & non deſtruetur vltrà in perpetuum.] Timorem adimit in patriam reuerſuris Iudæis, quos præteritæ cladis memoria, & ne aliquid poſtea paterentur ſimile, metus turbabat. Quomodo *non vltrà, non ampliùs*, & ſimilia, ſignificent aliquando id, quod diuturnum erit, & non perpetuum, diximus ſuprà capite 23, numero 10. & pluribus oſtendimus ſuper Iſaiam capite 23. numero 29. Quare ex ruina ciuitatis, quam attulit Romanorum exercitus, non ſatis infertur, quæ nunc à Ieremia dicuntur, non poſſe in terreſtrem Hieroſolymam conuenire: ſatis enim eſt, ſi D diu ad tempus vſque Romanorum ſteterit renouata ciuitas. Expreſſit hanc quoque ſententiam Zacharias capite 14. vbi & laxanda ſpatia ciuitatis, & eius diuturnam ſtabilitatem oſtendit. *Reuertetur* (inquit) *omnis terra vſque ad deſertum, de colle Remmon ad Auſtrum Ieruſalem: & exaltabitur, & habitabit in loco ſuo, à porta Benjamin, &c. & habitabunt in ea, & anathema non erit ampliùs. ſed ſedebit Ieruſalem ſecura.* Anathema Hebraicè חרם *cherem*, occiſionẽ, & vaſtitatem ſignificat. Hieronymus ſic exponit: *Nullus metus hoſtilis impetus.* Chaldæus: *Nec occiſio erit ampliùs.* De Eccleſia autem vterque Propheta prædicit allegorico ſenſu nunquam futurum, vt Eccleſia, quæ ſuos in omnem partem laxauit ſinus, quantumuis oppugnata, deficiat. Hæc de capite trigeſimoprimo.

127. (marg.) Zach.14.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXXII.

CAPVT hoc non tam propheticum eſt, quàm hiſtoricum, quia maior illius pars factum prodit præteritum, in quo tamen tanquam in ſymbolo aliquid prædicitur futurum. Et quia neque res adeò eſt implexa, & filum adeò impeditum, vt non facilè à mediocriter attento teneri poſſit, non putaui adhibendam eſſe Paraphraſim, cuius vſus præcipuus eſt, vt interrupta, atque diſſoluta contexat: cùm iis, quæ obſcura ſunt, ſatis in Commentariis videatur eſſe conſultum. Anno Sedeciæ decimo ſic à Chaldæis anguſtè premebatur Hieroſolyma, vt iam pridem impendêre cenſeretur illius exitium: iubet tamen Ieremiæ Dominus, cùm à Sedecia clauſus eſſet in carcere, vt à cognato agrum ſibi emat in terra Benjamin, ex quo nullum ſibi omnino fructum habiturus eſſet. Emit tamen, ſcripturáque legitima, ac publica obſignatam fidem in vaſe condit fictili. Quod teſtimonium eſſe Dominus voluit regionis aliquando ad priſtinos dominos rediture. Oſtendit tandem Propheta Dei potentiam, & æquitatem ſummam, qui neque ſibi iniuriam faciat, cùm emere iubeat agrum, ex quo neque ad ipſum, neque ad poſteros, vlla ſit peruentura commoditas, neque denique ad populum, cui tot à Chaldæis imminent incommoda, quem eò diſcriminis nõ tam Diuinus furor, quàm ſua ipſorum peccata deduxerunt. Cui Deus definitum ſibi eſſe dicit, vt populus ille propter peccata plurima, quæ ibi connumerat, exilium ſubeat, & ſeruitutem apud Babylonios. Conſolatur tamen Ieremiæ mœrentem animum, ſpe reditus in patriam, & poſſeſſionis antiquæ rurſus adeundæ; cuius ſymbolum fuerat ſcriptura coemptionis in fictili vaſculo concluſa. Felicitatem autem populi in patrios fines poſt exilij incommoda reuocati, talem eſſe dicit, licèt oratione multò magis contracta, qualem toto præcedenti capite deſcripſerat.

IEREM. CAP. XXXII.

1. VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, in anno decimo Sedeciæ Regis Iuda: ipſe eſt annus decimuſoctauus Nabuchodonoſor. A

2. Tunc exercitus Regis Babylonis obſidebat Ieruſalem: & Ieremias Propheta erat clauſus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iuda.

3. Clauſeras enim cum Sedecias Rex Iuda, dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo ciuitatem iſtam in manus Regis Babylonis, & capiet eam?

4. Et Sedecias Rex Iuda non effugiet de manu Chaldæorum: ſed tradetur in manus Regis Babylonis: & loquetur os eius cum ore illius, & oculi eius oculos illius videbunt.

5. Et in Babylonem ducet Sedeciam: & ibi erit donec viſitem eum, ait Dominus: ſi autem

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A *dimicaueritis aduersùm Chaldæos, nihil proſperum habebitis.*

6. Et dixit Ieremias: Factum eſt verbum Domini ad me, dicens:

7. Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meũ, qui eſt in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate vt emas.

8. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei ſecundùm verbum Domini ad veſtibulum carceris, & ait ad me: Poſſide agrum meum, qui eſt in Anathoth in terra Benjamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es vt poſſideas: intellexi autem quòd verbum Domini eſſet.

9. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui eſt in Anathoth: & appendi ei argen-

tum ſeptem ſtateres, & decem argenteos.

10. *Et ſcripſi in libro, & ſignaui, & adhibui teſtes: & appendi argentum in ſtatera.*

11. *Et accepi librum poſſeſſionis ſignatum: & ſtipulationes, & rata, & ſigna forinſecus.*

12. *Et dedi librum poſſeſſionis Baruch filio Neri filij Maaſiæ, in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis teſtium, qui ſcripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Iudæorum, qui ſedebant in atrio carceris.*

13. *Et præcepi Baruch coram eis, dicens:*

14. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Sume libros iſtos, librum emptionis hunc ſignatum, & librum hunc qui apertus eſt: & pone illos in vaſe fictili, vt permanere poſſint diebus multis.*

15. *Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Adhuc poßidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra iſta.*

16. *Et oraui ad Dominum, poſtquam tradidi librum poſſeſſionis Baruch filio Neri, dicens:*

17. *Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu feciſti cælum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum:*

18. *Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos: Fortiſſime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi.*

19. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu: cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique ſecundùm vias ſuas, & ſecundùm fructum adinuentionum eius.*

20. *Qui poſuiſti ſigna & portenta in terra Aegypti vſque ad diem hanc, & in Iſraël, & in hominibus, & feciſti tibi nomen ſicut eſt dies hæc.*

21. *Et eduxiſti populum tuum Iſraël de terra Aegypti, in ſignis, & in portentis, in manu robuſta, & in brachio extento, & in terrore magno.*

22. *Et dediſti eis terram hanc, quam iuraſti patribus eorum vt dares eis, terram fluentem lacte & melle.*

23. *Et ingreſſi ſunt, & poſſederunt eam: & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulauerunt: omnia quæ mandaſti eis vt facerent, non fecerunt: & euenerunt eis omnia mala hæc.*

24. *Ecce munitiones extructæ ſunt aduerſùm ciuitatem vt capiatur: & vrbs data eſt in manus Chaldæorum, qui præliantur aduerſus eam à facie gladij, & famis, & peſtilentiæ: & quæcunque locutus es, acciderunt, vt tu ipſe cernis.*

25. *Et tu dicis mihi Domine Deus: Eme agrum argento, & adhibe teſtes: cùm vrbs data ſit in manus Chaldæorum?*

A 26. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens:*

27. *Ecce ego Dominus Deus vniuerſæ carnis: nunquid mihi difficile erit omne verbum?*

28. *Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam ciuitatem iſtam in manus Chaldæorum, & in manus Regis Babylonis, & capient eam.*

29. *Et venient Chaldæi præliantes aduerſùm vrbem hanc, & ſuccendent eam igni, & comburent eam, & domos, in quarum domatibus ſacrificabant Baal, & libabant diis alienis* B *libamina ad irritandum me.*

30. *Erant enim filij Iſraël, & filij Iuda, iugiter facientes malum in oculis meis ab adoleſcentia ſua: filij Iſraël, qui vſque nunc exacerbant me in opere manuum ſuarum, dicit Dominus.*

31. *Quia in furore & in indignatione mea facta eſt mihi ciuitas hæc, à die qua ædificauerunt eam, vſque ad diem iſtam, qua auferetur de conſpectu meo.*

32. *Propter malitiam filiorum Iſraël, & filiorum Iuda, quam fecerunt ad iracundiam* C *me prouocantes, ipſi & Reges eorum, Principes eorum, & Sacerdotes eorum, & Prophetæ eorum, viri Iuda, & habitatores Ieruſalem.*

33. *Et verterunt ad me terga & non facies: cùm docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire vt acciperent diſciplinam.*

34. *Et poſuerunt idola ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt polluerent eam.*

35. *Et ædificauerunt excelſa Baal, quæ ſunt in valle filij Ennom, vt initiarent filios ſuos & filias ſuas Moloch: quod non mandaui eis, nec aſcendit in cor meum vt facerent abominationem hanc, & in peccatum deduce-* D *rent Iudam.*

36. *Et nunc propter iſta, hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad ciuitatem hanc, de qua vos dicitis quòd tradetur in manus Regis Babylonis in gladio, & in fame, & in peſte.*

37. *Ecce ego congregabo eos de vniuerſis terris, ad quas eieci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos ad locum iſtum, & habitare eos faciam confidenter.*

38. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis* E *in Deum.*

39. *Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuerſis diebus: & bene ſit eis, & filiis eorum poſt eos.*

40. *Et feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum vt non recedant à me.*

41. *Et lætabor ſuper eis, cùm bene eis fecero: & plantabo eos in terra iſta in veritate, in toto corde meo, & in tota anima mea.*

42. *Quia hæc dicit Dominus: Sicut adduxi*

xi

xi ſuper populum iſtum omne malum hoc grande: ſic adducam ſuper eos omne bonum, quod ego loquor ad eos.

43. *Et poſſidebuntur agri in terra iſta: de qua vos dicitis quòd deſerta ſit, eo quòd non remanſerit homo & iumentum, & data ſit in manus Chaldæorum.*

A

44. *Agri emẽtur pecunia, & ſcribentur in libro, & imprimetur ſignũ, & teſtis adhibebitur: in terra Benjamin, & in circuitu Ieruſalem, in ciuitatibus Iuda, & in ciuitatibus montanis, & in ciuitatibus campeſtribus, & in ciuitatibus, quæ ad Auſtrum ſunt: quia conuertam captiuitatem eorum, ait Dominus.*

IN CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *In anno decimo Sedeciæ Regis Iuda: ipſe eſt annus decimusoctauus Nabuchodonoſor.*]

1. QVæ hoc capite facta commemorantur, contigère poſtquam vno anno obſeſſa tenebatur à Chaldæis Ieruſalem; eóque res erat deducta, vt exigua iam appareret libertatis ſpes: vt enim Ieremias ipſe docet capite 39. & capite 52. anno Sedeciæ nono vallata eſt à Chaldæorum exercitu Hieroſolyma. A quarto autem anno Ioacim, qui fuit primus imperij Nabuchodonoſor, vt conſtat Ieremiæ capite 25. ad annum vſque decimum Sedeciæ, octodecim annos interceſſiſſe conſtat: ſumo enim ex regno Ioacim ſeptem, qui regnauit annos vndecim 4. Regum 24. ex Ioachim, qui & Iechonias, menſes tres, ex Sedecia annos decem, decimo quippe anno illius hæc contigerunt: ex his octodecim complentur anni, ſi imperfectum vnum pro integro numeres; quod in Scriptura ſacra non infrequens.

2. Verſ.2. *Et Ieremias Propheta erat clauſus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iuda.*] Rabbi Dauid inuerſum eſſe putat ordinem, & pro, *in atrio carceris*, legendum eſſe putat, *in carcere atrij*. Cuius ſententiam Vatablus amplectitur, nec improbat Maldonatus. Sed contrà Hieronymus cenſet, qui hîc aliquam Sedeciæ clementiam agnoſcit, à quo laxam, liberámque cuſtodiam Ieremias obtinuit. Fuiſſe autem Regem non nimis in Prophetam inclementem, ac de illius ſtudio, & moribus bene ſenſiſſe, argumento eſt, quòd illum de ſumma rerum hoc ipſo tempore conſuluit Ieremias capite 37. & vt pro populo Deum precaretur, poſtulauit, & ex carcere, in quem à ciuitatis Principibus coniectus fuerat, extrahi iuſſit. Quare veriſimile eſt, cùm ab eo ergaſtulo, quod erat in domo Ionatham ſcribæ ad carcerem, qui erat in domo Regis Iuda tranſlatus eſt, ideſt, in domo Regis non malè in Ieremiam animati, in atrio fuiſſe carceris, ideſt, in honeſto loco, ne poſſet effugere, minùs tamen arctè, quàm ſi in partem carceris interiorem, magíſque tenebricoſam eſſet incluſus; aliter, quomodo patruelis ad illum accedere, & de coëmendo agro fieri nomina, & obſignari tabellæ potuiſſent, qui ſtatim verſu 8. ad veſtibulum carceris veniſſe traditur? Adde, quod hoc ipſum idem docet Ieremias capite 39. verſu 20. nam, cùm Ieremias dixiſſet: *Ne me remittas in domum Ionatham ſcribæ, ne moriar ibi*; ſubditur: *Præcepit ergo Rex Sedecias, vt*

B *traderetur Ieremias in veſtibulo carceris*, vbi aliquandiu manſiſſe traditur. Neque eſt improbabile eo in loco eodem Spiritu egiſſe Ieremiam, ad populum, quo antequam in illud atrium regiæ cuſtodiæ coniectus eſſet, quando eam ob rem à populi Principibus extractus è libera cuſtodia, in lacum eſt demiſſus, capite 38. Quod quidem non faceret vllo modo Propheta, niſi foret in atrio, ad quod de more accederet hominum multitudo.

Verſ.3. *Quare vaticinaris.*] Cauſa oſtenditur, cur Ieremias iuſſus fuerit à Rege in cuſtodiæ veſtibulum includi, quia videlicet dura prophetica libertate populo denunciat.

Verſ.4. *Loquetur os eius cum ore illius, & oculi eius oculos illius videbunt.*] Vſitatus apud Hebræos loquendi modus, quo ſignificatur aliquid fieri coràm, non per internuncios, aut legatos. Quod C cùm plerunque fiat propter familiarem neceſſitudinẽ, quæ inter amicos nihil patitur eſſe diſcretum; hoc tamen loco aliquid ſignificat aduerſum, quódque maximè horrere poterat Rex ingratus, atque violatæ fidei reus Sedecias. Cùm enim exturbato è Regia ſede Iechonia, eius loco ſuffectus eſſet in regnum à Nabuchodonoſor, neque tamen pactum ſeruaſſet, aut vllam officij rationem habuiſſet, & metus ab offenſo Rege, & pudor à violata fide, efficere potuerunt, vt vultum indignati, & de ſe meriti Regis ſubire non auderet. Eſt autem, vt hîc notat Hieronymus, *grauior terror videre quem timeas, & antè increpationem verborum, quàm pœnarum ſuſtinere cruciatum.* Qui locus grauis eſt, pro iudicio, aut vniuerſali, aut particulari animatum, quando peccator, qui tot à Domino cumulatus eſt donis, minaces D Domini oculos aſpiciet. Quomodo oculos viderit Nabuchodonoſoris, & ab illo exceptus fuerit Sedecias, vide infrà capite 39. & 4. Regum capite 25. Porro hic loquendi modus, & alij huic affines, vſitati ſunt apud Hebræos; qui, vt dixi, coniunctionem, congreſſúmque ſignificant. Cùm verò congreſſus non inter amicos ſolùm, ſed etiam inter hoſtes fiant, quomodo hoſtes congredi dicuntur, & manus conſerere, fit, vt hic loquendi modus aliquid etiam hoſtile, atque aduerſum importet. His affinia ſunt, *os ad os loqui*, &c. *facie ad faciem videre*; & maximè ad propoſitum, *oculo ad oculum videre*, Iſaias capite 52.

Margin, beside Verſ.4: 3.

Oculos alicuius rei dare.

Iudicij extremi horror.

REGVLA. Ad, & in aliquando redundant.

Puto autem præpoſitionem, *ad*, ante *faciem*, &, *oculum*, in tranſlatione Latina redundare: quaſi dicas, *oculo videre oculum*, & *facie faciem*. Nam illud ב pro quo Vulgatus, *ad*, verbis adiungitur ſenſuum, & præcipuè viſus: quomodo dicimus; *Reſpice in me*, quod idem eſt, atque *reſpice me*: quare oculo ad oculum videre, idem eſt, atque *oculum oculò videre*.

4. Verſ. 5. *Et ibi erit, donec viſitem eum.*] Attemperatum à Ieremia ſermonem putat Hieronymus, ne videretur tantùm cruciatus, exilium, & cædem prophetare. Quare adhibuit ambiguum verbum *viſitare*, quod ex Hebraici ſermonis idiomate tam aduerſum aliquid, quàm ſecundum ſignificat. Quo verò ſenſu accipiendum ſit hoc loco, *viſito*, paulò obſcurius eſt. Certum eſt, Sedeciam ærumnoſam egiſſe vitam in vinculis ad mortem vſque, apud Babylonios: ſic enim de illo Ieremias capite 52. *Adduxit eum Rex Babylonis in Babylonem, & poſuit eum in domo carceris, vſque ad diem mortis eius.* Mortuus tamen Regio apparatu, & funere elatus eſt, vt prædixerat antè Ieremias capite 34. *Secundùm combuſtiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te: & va Domine, plangent te.* Ex his videtur, *viſitare*, in meliorem partem eſſe ſumendum: nam, ſi quandiu vixit, ignominioſam egit, & miſeram ætatem, ſanè cum illo actum eſſe videtur clementer, cùm viſitatus eſt à Deo, id eſt, vita functus. Quid enim Regi è ſua deturbato ſede, cæco, ignobili, captiuo, iucundum accidere poterat præter mortem? Sanè miſeri mortem optant, tanquam dolorum ſuorum leuamentum, & vita defungi in beneficiis numerant. Sic Elias 3. Regum capite 19. verſu 4. *Petiuit animæ ſuæ, vt moreretur: & ait, Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* & Iob capite 3. verſu 20. *Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cùm inuenerint ſepulcrum.* Idem optabant in dolore non diſſimili illi, de quibus Apocalypſis capite 9. verſu 6. *Quærent homines mortem, & non inuenient eam: deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Immo idipſum probari videtur, Eccleſi. capite 30. *Melior eſt mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perſeuerans.* Quòd ſi ignominioſæ vitæ glorioſa ſuccedat ſepultura, qualem contigiſſe Sedeciæ ex Ieremia ſuprà didicimus, ſanè viſitari Sedeciam mortis aduentu, illi in votis fuiſſe non eſt incredibile. Ex hoc hominum communi ſenſu ortum eſt, vt qui miſeri ſunt, fortunatos appellent, quibus mors illam dolendi cauſam eripuit. Eccleſi. capite 4. verſu 2. *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub Sole ſunt.* Idem de ſeipſo Ieremias cecinit, capite 20. à verſu 14. *Maledicta dies, in qua natus ſum*, &c. Vide quæ ibi diximus, vbi Gentilium etiam aliquot exempla produximus: quibus adde illud Troadum canticum lugubre, apud Senecam in Troade:

Sedecias vltimus ignobilis, in morte honoratus.

5. Mortem optant miſeri. 3. Reg. 19. Iob. 3. Apoc. 9. Eccli. 30. Eccli. 4.

——— *Felix Priamus,*
Dicite cuncti: liber manes
Vadit ad imos, nec feret vnquam
Victa Graium ceruice iugum.

6. Verſ. 6. *Et dixit Ieremias: Factum eſt verbum Domini*, &c.] Hæc verba eadem ſunt, quæ in principio capitis propoſita fuerant, quæ nunc poſt longum hyperbaton repetuntur, ſicut ab Oratoribus fieri nonnunquam ſolet, quoties propter interpoſita aliena verba, priora exiſtimari poſſunt à memoria cecidiſſe. Quod ſi ſolitum, & familiare Oratoribus, *inquam*, addidiſſet Propheta, oratio eſſet multò magis ſoluta, & aperta.

Verſ. 7. *Eme tibi agrum meum, qui eſt in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate, vt emas.*] Hîc aliquot occurrunt obſcura, & dubia, quæ lucem deſiderant Interpretis. Primùm, quid in mentem venerit patrueli Ieremiæ, vt agrum venderet, aut cur à Ieremia cognato poſtulet, vt iure propinquitatis illum redimat, cùm neque alienus emeret, cùm res Iudaica iam penè in Chaldæorum eſſet poteſtate; neque æquitas poſtularet, aut ratio, vt quis agrum redimeret ab externo poſſeſſore, ex quo nullum eſſet fructum percepturus. Adde, quòd Leuitis agros habere non licebat, Numerorum 18. verſu 20. *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars, & hereditas tua, in medio filiorum Iſrael.* Idem habes Deuteronomij capite 18. verſu 1. 7.

Quod attinet ad emptionem, ſeu redemptionem agri, ſatis videtur eſſe factum, ſi dicamus, illam Dominum dediſſe mentem Ieremiæ propinquo, vt illa emptione quaſi hieroglyphica futura Iudæorum tempora, euerſùſque portenderet, de quibus poſtea. Diuino autem afflatu hæc fuiſſe comparata, ipſe ſtatim Ieremias oſtendit verſu 8. *Intellexi* (inquit) *quòd verbum Domini eſſet.* Quod ad agrum attinet, placet, quod Hieronymus probat, licere Sacerdotibus habere ſuburbana, id eſt, olitorios hortos, & pecorum pabula, & ad laxandos animos opportuna diuerticula, in quibus credo habuiſſe domeſtica ſepulcra. Numerorum 35. verſu 2. *Præcipe filiis Iſraël, vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, vt ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus, & iumentis.* Quæ agri nomine optimè ſignificantur, licèt non nemo dubitet: Latinus námque agrū vocat compaſcuum, & ſqualidum, quæ in agrum arabilem, ſationique deſtinatum, non bene quadrant. Quemadmodum propinqui redimendæ cognatorum poſſeſſionis ius habeant, vide Leuit. cap. 25. verſu 21. *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus eius, poteſt redimere.* 8.

Leuitæ, quos agros habere poſſint. Numer. 35.

Verſ. 8. *Intellexi autem, quòd verbum Domini eſſet.*] Solere aliquandò Deum, non ſolùm verbis, ſed ſignis, & rebus exitus portendere futuros, didicerat Ieremias in Prophetis aliis Oſea, & Iſaia, & ipſe iam antea ſignis prophetarat aſſumpto lumbari, capite 13. & fracta laguncula, ad portam fictilem, capite 19. Quare, cùm intelligeret, velle Deum in agri illius nouo mancipio aliquid in poſterum eſſe conſignatum, vt ſuo, id eſt, prophetico muneri ſatisfaceret, & Diuino pareret imperio, iacturam fecit illius pecuniæ, quam in emendo agro iuſſus eſt expendere: certus enim erat, ex eo ſtatu, in quo res erant Iudaicæ, nulli ſibi vſui futurum eſſe patruelis agrum. Ex quo diſces, quàm fuerit Ieremias Diuinæ voluntatis & amator magnus, & fidelis miniſter. 9.

Signa prophetica.

Verſ. 9. *Et appendi ei argentum, ſeptem ſtateres, & decem argenteos.*] Septem & decem, pro ſeptemdecim. Eſt autem Hebræorum idioma, vt minorem numerum maiori præponant. Latinus diceret, decem & ſeptem. Argentei porrò ſtateres ſicli ſunt, vt docet planè textus Hebraicus, qui habet, vbi noſter 10.

Stater quid?

noſter *ſtateres*, שקלים *ſekalim*; eſſe autem ſiclos argenteos, idem quod ſtateres, qui quatuor pendent drachmas, docet Hieronymus ad caput 4. Ezechielis: *Siclus* (inquit) *id eſt, ſtater, habet drachmas quatuor.* De ſiclo, & ſtatere pluribus alij, à quibus ego in præſentia abſtineo, quia alieni arbitror eſſe negotij; illud tantùm admoneo, duplicẽ exiſtimari eſſe ſiclum, alterũ publicum, qui duas pendet drachmas, alterum duplo maiorem, qui quatuor cõtinet, & ſiclus dicitur Sanctuarij. Quod verò ſeptemdecim illi ſicli, quos in agrũ patruelis impendit Ieremias, tetradrachmi fuerint, docet nomen ſtateris, quod pro שקלים *ſekalim* Vulgatus ſuppoſuit. Quòd verò in ſtatere quatuor ſint drachmæ, apertè liquet ex Matthæi capite 17. Nam, cùm malè Iudæi de Chriſto ſecum obmurmurarẽt, quòd non ſolueret didrachmam, quam alij ſoliti eſſent dependere: *Vade* (inquit Chriſtus ad Petrum) *ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem; illum ſumens da illis pro me, & pro te.* pro vtroque nempe didrachmã, quare in ſtatere duæ continentur didrachmæ.

Siclus duplex.

Matth. 17.

11. Verſ. 10. *Et ſcripſi in libro, & ſignaui, & adhibui teſtes.*] Hæc omnia exigebat publica, atque legitima fides. Eſt autem liber hoc loco charta teſtato deſcripta, quæ fidem continet ſolennem, & publicam.

Et appendi argentum in ſtaterà.] Notum eſt, olim rudem fuiſſe pecuniam, neque tam numerari, quàm pendi ſolitam; vnde frequens in omni literatura tam ſacra, quàm profana, *appendere*, ſeu *penſitare* argentum, & in contractibus *æris*, & *libræ*, & *libripendis* vocabulum. Ita fortaſſe contigit in hoc Ieremiæ contractu. Neque credo ſiclos Ieremiæ tempore informes eſſe omnino, & nullo notatos charactere: nam ſicli ad noſtram vſque ætatem ſeruantur, quorum ego nonnullos vidi; in quorum altera parte vrna quædam, ſeu calix, in altera frondens virga conſpicitur; illa creditur eſſe vrna, in qua à Deo iuſſum eſt ſeruari manna: hæc verò virga Aaron, quæ repentè germinans illius cauſam contra peruicacem populum tutata eſt; nihilominus adhibita eſt à publico, vt arbitror, miniſtro ſtatera, quæ legitimum argenti pondus exploraret: nam fuiſſe eo tempore propter hominum fraudes, aliquid ex argento vel elimatum, poſtquam conflatum eſt, vel dum conflaretur iniquè detractum, ſicut noſtra etiam ætate fieri videmus, argumento eſt modus loquendi, quo vſus eſt Daniel capite 6. dum ſcripturam, quæ Balthaſari Regi in pariete apparuit, exponit: *Appenſus* (inquit) *es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Sumpta, vt credo, metaphora à pecunia, cui pondus abeſt à lege definitum.

Sicli character.

Daniel. 6.

12. Verſ. 11. *Et accepi librum poſſeſſionis ſignatum, & ſtipulationis, & rata, & ſigna forinſecùs.*] Hebræi, quo erant ingenio plus ſatis infantili, atque incredulo, & ſigna ipſi quærebãt, vt ratum aliquid haberent, & certum, & ſignis ipſi plurimis contractus, & pacta confirmabant. Ad libellum repudij, vt probaret, vxorem ã viro legitimè dimiſſam, conditiones exigebant non minùs decem; vt pluribus oſtendimus in noſtris Commẽtariis in Iſaiam, ad initium capitis 50. Inter alia ſtipulationum, pactorúmque firmamenta, vt ex hoc Ieremiæ facto videtur poſſe colligi, & docent Hebræòrum magiſtri, in quibus ſunt Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon, illud fuit, vt duo

Qualis publica ſtipulationum fides, & contractuum.

A conficerentur inſtrumenta, alterum clauſum, & ſigillo munitum publico, quo ſummi ſibi ius poſſeſſionis vindex in publico iudicio tueretur: alterum apertum eiuſdem exempli, quod omnibus eſſet ad legendum propoſitum; de primo agitur hoc loco, quod ſignatum eſſe dicitur, intus videlicet, tam notarij publici, quàm contrahentium manu, & ſigna habere impreſſa forinſecus; de altero ſtatim verſu 14.

Verſ. 12. *Et dedi librum poſſeſſionis Baruch.*] Quia 13.
exire è cuſtodia, in qua concluſus tenebatur, non poterat Ieremias, ac illa præſtare, quorum cauſa agrum illum emere iubebatur, aduocat Baruch, quem fidelem miniſtrum iam antea cognouerat, B edicítque illi, vt ſuo nomine reliqua perficiat; de quibus ſtatim.

Verſ. 14. *Sume libros iſtos, librũ emptionis hunc ſignatum, & librum hunc, qui apertus eſt: & pone illos in vaſe fictili, vt permanere poſſint diebus multis.*] Ecce duos libros, de quibus nuper. Cur liber vterq; in vaſe fictili condendus ſit, diuinandum nobis potiùs, quàm aliquid affirmatè definiendũ. Certum eſt, in libro, vaſéque fictili ſignificari rediturã ad Iudæos, id eſt, ad antiquos dominos hæreditatem, ex qua Chaldæorum armis exturbati priùs exciderant, cuius aptum eſt ſymbolum inſtrumentum, quod Ieremiæ fundum emptum à patruele C conſignat, in vaſe coctili, id eſt, quod neque à tempore, neque ab humore patitur. Id verò non obſcurè Dominus ipſe docet, dum dicit, velle ſe, vt liber ille perquandiu permaneat. & ſtatim: *Adhuc poſſidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra iſta.* Exiſtimo autem vas illud fictile cum inſtrumentis eodem infoſſum eſſe agro, cuius teſtimonium & vindiciæ ſunt: neque enim apparet, vbi commodiùs aſſeruari potuerit, in illa rerum perturbatione, vbi nihil tutum à Chaldæorum inſolente victória. Et ideo traditum eſſe Baruch, qui id Ieremiæ nomine præſtaret, quod Ieremias ipſe in carcere concluſus facere nõ poterat: alioqui meliùs Ieremias apud ſe retineret, aut ſi tantùm, cuſtodiæ gratia, datum eſſet Baruch, non D appareret in eo tantum eſſe momenti, vt ſacræ huic narrationi mandari debuerit: maximè, quia illud accepiſſe dicitur Baruch in oculis Hananeel, & in oculis teſtium, & Iudæorum omnium, qui ſedebant in atrio. Niſi fortè dicas, ideo Baruch, quem Ieremiæ ſeruum eſſe conſtabat, accepiſſe vas illud coctile, & per publica ciuitatis loca circuntuliſſe, vt omnes de rerum euentibus edocti meliori eſſent animo. Sed illud de vaſe ſub terra condito in agro recèns empto minùs diſplicet: nam ideo in vaſe fictili clauſa videntur emptionis inſtrumenta, ne ſitu, aut humore putreſcerent.

14.

Duo libelli in pactis.

Cur liber in vaſe clauſus fictili.

Hìc ego duo obſeruo; alterum, quod notauit 15.
hìc Hieronymus, quàm ſe facilem, & obſequentẽ Diuino imperio ſeſe præbuerit Ieremias; qui E cùm neque ipſe vnquam agrum eſſet poſſeſſurus, neque ad eius poſteros, cùm cœlibem ageret & virginalem vitam, vt in prœmio diximus, emit tamen hæreditatem, quam anno ſtatim proximo poſſedère Chaldæi, neque ad eius poſteros poſtliminio eſſet reditura. Huc, credo, reſpexit Ieremias, cùm Threnorum capite 5. dixit: *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos.* Alterum vſque adeò certum, de agrorum, in quos irruperat Chaldæorum vaſtitas, vindiciis fuiſſe Ieremiam, propter Domini verbum, vt neque dubitauerit, cunctatúſve ſit, quominus ſtatim numerarit ar-

Ieremiæ obedientia.

 gentum,

gentum, adhibueritque ea omnia, quæ legitima contrahentium ratio requirebat: quod non minùs prompto, atque alacri animo faceret, etiamſi agros illos victrices Chaldæorum copiæ tenuiſſent. Commendant, qui de Romanorum geſtis texuerunt hiſtoriam, magnanimitatem populi Romani, quòd illis ipſi, quibus obſidebatur diebus, ager, quem Hannibal caſtris inſederat, venalis Romæ fuerit, haſtæque ſubiectus emptorem inuenerit. ita Plutarchus in Hannibale, & Florus libro 1. capite 6. At hîc ego aliquid longè maius inuenio: nam quo tempore ager ille Romanus venalis fuit, neque tam erat Hannibal potens, aut ita Romanorum vires attritæ, vt de ſalute omnino foret deſperatum. Sed anno Sedeciæ decimo eò res erat deducta Iudaica, vt nemo prudens ſalutem ſibi, ac libertatem promitteret. Sanè, qui agrum emit, Ieremias certò norat, Deique nomine ſæpius clamauerat, excindendam eſſe ciuitatem, & ciuium fortunas prædæ futuras eſſe Chaldæis.

Obedientiæ vis. Hîc tu conſidera vim obedientiæ, quæ à viris ſpiritualibus appellatur cæca. Vt enim quidã rigaſſe traditur aridum truncum, ex quo nullus ſperari poterat fructus; ſic nunc emere iubetur, & re ipſa emit Ieremias agrum qui nulli ipſi futurus eſſet vſui: quia ſatis ſibi habuit paruiſſe Deo. Diſcant hîc à Ieremia, qui operam, aut pecunias ponunt, neque ex eis aliquid emolumenti capiunt, non ipſis aut deſperandum, aut dolendum eſſe, ſi modò in eo ſpectaſſe contingat Diuinam voluntatem, & gloriam.

16. Ex his definiri poſſe videtur grauis illa quæſtio, exagitata quidem à multis, adhuc tamen obſcura: quam expendere pij conatus eſt, faxit Deus, ne inutilis, aut fruſtra ſuſcepti. Nam, cùm

Matth.27. dixiſſet Matthæus capite 27. triginta argenteis emptum eſſe agrum figuli, addidit: *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Quæ verba in Zacharia potiùs, capite 11. quàm in Ieremia, cuius fidem appellat Matthæus, inueniuntur. Nunc expedire tentemus, quomodo hæc à Ieremia dicta, & verè eius nomine producta fuerint à Matthæo. Diſputauimus hæc eadem priùs in noſtris Commentariis ſuper Zachariam, labore quidem non exiguo, neſcio an cum vllo operæ, atque ſtudij pretio. Quæ autem eo loco diximus, quia non minùs hîc, quàm illic locum habent, tanquam in propriam ſedem tranſcribemus. Sic ergo nos illic.

17. Sunt, qui putant hoc teſtimonium Ieremiæ quidem eſſe, ſumptum tamen à Matthæo, non ex libris Ieremiæ qui nunc extant, ſed ex iis, qui temporum iniuria perierunt. Periiſſe autem aliquid à Ieremia ſcriptum, colligitur ex 2. Machabæorum capite 2. Suſpicantur alij, teſtimonium iſtud à Ieremiæ ſcriptis perfidioſè à Iudæis fuiſſe ſublatum. ita Euſebius libro 10. de Demonſtratione, capite 4. Origenes, Chryſoſtomus, Euthymius. Sunt, qui putent, Matthæum ex apocrypho libro teſtimonium ſumpſiſſe, idque etiam aliquando Apoſtolos facere ſolitos, quod tradit Origenes, & ſanè Hieronymus ſcribit, ab Hebræo quodam ſibi traditum eſſe eiuſmodi librum, in quo teſtimonium iſtud ad verbum legebatur: ſed hoc parum pium: ſicut quod alij dicunt, Apoſtolos, Apoſtolicóſque vi-

A ros, memoria lapſos, interdum aliter loquutos, quàm poſtularet ſacræ Scripturæ veritas, idque hoc loco contigiſſe Matthæo. Aliæ ſunt huius difficultatis ſiue ſolutiones, ſiue fugæ, quas vide apud Maldonatum in caput 27. Matthæi, Salmeronem tomo 10. tractatu 25. Suarez tomo 2. diſputatione 34. ſectione 1. Sed ex omnibus illa maximè placet Hieronymo, Baronio in appendice ad annum 34. Ianſenio capite 140. Concordiæ, & Maldonato, atque Suárez ſuprà, quæ dicit, Matthæum ſuo more tantùm poſuiſſe, *quod dictum eſt per Prophetam*, ab aliquo autem in margine poſitum *Ieremiam*, & inde tandem in textum irrepſiſſe. Quòd verò Matthæus ſæpe

B commune nomen Prophetæ ſcripſerit, non proprium alicuius, liquet ex capite 1. numero 12. capite 2. numero 5. 19. 25. & capite 13. numero 35. & capite 2. numero 4. & hoc ipſo capite 27. numero 35. Facit ad hæc, quòd in Syriaco Euangelio Ieremiæ nomen non inuenitur; & Auguſtinus libro 3. de Conſenſu, capite 7. ſcribit, ſuo tempore in quibuſdam Latinis codicibus non reperiri Ieremiæ nomen, tametſi hanc ſententiam minùs probet Auguſtinus; ſed potiùs dicat, parum referre Zacharias dicatur, vel Ieremias, cùm auctor Spiritus ſanctus, qui per Prophetas locutus eſt, idem in omnibus ſit, quod etiam dixit Beda Auguſtinum ſequutus.

Ribera in hunc locum Zachariæ non labo- 18.

C rat, vbi hoc teſtimonium adductum à Matthæo apud Ieremiam legatur: tantùm dicit, teſtimonium illud non eſſe Zachariæ, quia verba illius diuerſa ſunt ab iis, quæ citat Matthæus, & in Matthæo multa ſunt, quæ non reperiuntur in Zacharia.

Res ſanè difficilis eſt, & digna, in qua pio- 19.
rum hominum ingenia, atque ſtudia laborent. Ex prædictis antè ſententiis illa mihi magis probatur, quæ cenſet, nullius certi Prophetæ nomen poſitum à Matthæo, ſed Ieremiæ nomen primùm alicuius incuria inſertum, deinde exceptum ab aliis ſenſim omnes expleuiſſe codices; quæ cogitatio & minus habet incommodi, & magnorum virorum, vt nuper diximus, auctoritate munitur.

D Sed ſanè durum eſt admodum, & à quo neſcio quomodo pietas abhorret, tandiu in ſacris literis alienum inueteraſſe nomen, & in re puriſſima illam quaſi labem adhæſiſſe. Neque prætereà video, contra quod putat Ribera, quomodo negari poſſet, in hoc teſtimonio non eſſe aliquid ex Zacharia, cuius verba penè numerat Matthæus. Quare enitendum eſt, vt teſtimonium hoc eſſe Ieremiæ dicamus cum Matthæo, neque excludamus Zachariam, quod Patres omnes, & Interpretes communiter cenſent. Dicam igitur aliquid, non in quo acquieſcat animus, ſed quod aliquid habeat non omnino

E impeditum, quòd licet aliquid haberet aut ingenij, aut momenti, quod non reor, eo tamen ipſo, quòd patrono deſtituta ſit, non poteſt mihi non diſplicere ſententia.

Satis notum eſt, in Teſtamento nouo, tam ab 20.
Apoſtolis, & Euangeliſtis, quàm ab ipſo Domino ex duobus teſtimoniis diuerſorum etiam librorum vnum teſtimonium conflari. Exempla ſunt obuia. Actorum 1. ex diuerſis Pſalmis Petrus vnum facit teſtimonium; ex Pſalmo 68. ſumpſit illud: *Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit, qui inhabitet in ea.* & ex Pſalmo 108. *Et epiſcopatum eius accipiat alter.* & idem Petrus epiſtola 1. capite 2. cùm

REGVLA. Ex diuerſis teſtimoniis veteris Teſtamenti vnum conflatur à ſacris Scriptoribus.

2.cùm dixit: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali.* Altera pars ſumpta eſt ex Pſalmo 117. altera ex Iſaia capite 8. Et Paulus ad Romanos capite 3. ex multis Pſalmis vnum coagmentauit quaſi corpus: ſumpſit enim illud, *Omnes declinauerunt ſimul, inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum,* ex Pſalmo 13. aſt alios octo verſus, qui incipiunt, *Sepulcrum patens*, &c. ex variis Pſalmis: immo & Chriſtus ipſe ex Iſaia 56. & ex Ieremia capite 7. compoſuit teſtimonium illud Matthæi capite 21. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Et ſuper Zachariam oſtendimus capite 9. illud teſtimonium Matthæi capite 21. *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit*, &c. ex Iſaia capite 62. & ex Zacharia fuiſſe conflatum. vide quæ diximus in Zachariam, capite 9. numero 34.

21\. Illud etiam vſitatum, vt cùm verba, aut teſtimonia duorum ſint, altero omiſſo, alterius tantùm nomen exprimatur, aut totum teſtimonium, quaſi vnius tantùm eſſet, ſignificetur. Prioris partis exemplum eſt apud Marcum, capite 1. *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Prior pars Malachiæ eſt, poſterior Iſaiæ, & tamen omiſſo Malachia, vnus nominatur Iſaias. Poſterioris exemplum habes Matthæi capite 21. nam, cùm illud teſtimonium, *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam*, ſumptum ſit ex Zacharia capite 9. & Iſaia capite 62. in ſingulari tamen dicitur à Matthæo, *vt adimpleretur quod ſcriptum eſt per Prophetam dicentem*, &c.

REGVLA. *Cùm ex duobus auctoribus teſtimonium vnum cõponatur, interdum tamen alter tantũ citatur auctor.*

22\. Sic ergo teſtimonium hoc apud Matthæum capite 27. ex duobus ſine dubio coaluit, ex Ieremia capite 32. & Zacharia capite 11. & tamen vnus citatur Ieremias. Neque deeſt cauſa, cur à Matthæo Ieremias potiùs nominari debuerit: rationem enim voluit reddere Euangeliſta, vt legenti conſtabit, non tam pretij, quo Chriſtus emptus eſt a Principibus Synagogæ, quàm agri eo pretio empti. De agro verò nihil dicit Zacharias, quare eo loco nominandus non fuit. Dixit verò Ieremias capite 32. vbi ante captiuitatem, imminente iam vrbi Chaldæorum exercitu, iuſſus eſt à Deo agrum emere, in cuius emptione aliquid cælari myſterij ipſe cognouit; nunc reliquum eſt, vt oſtendamus, agrum à Ieremia emptum typum fuiſſe eius, qui triginta argenteis ex Chriſti venditione redactis à Principibus Synagogæ emptus, quíque ager figuli vocatus eſt; quod ſi aſſequimur, ſanè nihil erit, quod aliquis à nobis ampliùs requirat.

23\. Iuſſus eſt Ieremias agrum emere, eo tempore, quo ipſe captus erat, neque aliqua aut ſaltem pertenuis ſpes emergendi è carcere, & cùm ciuitas graui obſidione premeretur à Chaldæis. Quare nulli vſui videbatur futurus ager ille emptori ſuo, quia venturus ſtatim erat in hoſtium poteſtatem. Quod ſignificauit ipſe Dominus. Nam cùm dixiſſet Ieremias: *Ecce munitiones extructæ ſunt aduerſus ciuitatem, vt capiatur, & vrbs data eſt in manus Chaldæorum, & tu dicis mihi, Eme agrum argento*, &c. Reſpondit Deus: *Ecce ego tradam ciuitatem iſtam in manus Chaldæorum.* Ex hoc id habemus vnum, agrum iſtum non tam emptum eſſe domino, aut domeſticis, quàm externis, & peregrinis: neque enim illũ agrum poſſedit Ieremias,

A vt conſtat, neque ipſius poſteri; quia, vt notauit Hieronymus in caput 23. virgo fuit. Idem Ignatius epiſtola ad Philadelphienſes, Iſidorus libro de vita, & morte Prophetarum capite 38. & eò, credo, ſpectat, quod poſt captiuitatem idem cecinit Threnorum 5. cap. *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos.*

Ieremias virgo.

Quomodo verò ager iſte pro ſepultura ſumi 24.
potuerit, nonnulla nobis coniectura eſt; quòd ager erat in Anathoth, quæ aſſignata fuit Leuitis Ioſue capite 21. in Tribu Benjamin. In his autem ciuitatibus non habebant Leuitæ agros pro ferendis frugibus, ſed tantùm ſuburbana ad alenda iumenta, vt ibidem dicitur, & veriſimiliB ter hortum pro ſepultura Hebræorum more, qui in agris ſepeliebantur, vbi proprium erat, & domeſticum ſepulcrum, ſicut Ioſeph ab Arimathia hortum habuit ciuitati vicinum, & in eo ſepulcrum, in quo Chriſtus poſitus fuit.

Ager autem ille Ieremiæ dici potuit ager fi- 25.
guli, ſi vſpiam alius: nam eodem capite 32. poſtquam in oculis omnium Iudæorum, qui ſedebant in atrio carceris, emptus fuit ager, & facta nomina, dixit Baruch miniſtro ſuo Ieremias, *Sume libros iſtos emptionis, hunc ſignatum, & librum hunc, qui apertus eſt, & pone illos in vaſe fictili, vt permanere poſſit diebus multis.* Eſt autem valde probabile, in eo agro vas illud fictile cum inſtrumentis C infoſſum eſſe: nam ſi non eſſet tegendum terra, non erat, quòd clauderetur in vaſe fictili, vt ſeruaretur in longum ſpatium, quando ſimilia monumenta extra huiuſmodi vaſa in ſcriniis, & arculis in multa ſæcula integra ſeruantur. Dicitur ergo ager ille vas figuli, vel quia vas illud fictile cum inſtrumentis ibi ſepultum eſt, vel quia ſcriptura ipſa, quæ fundi loco ſufficitur, in figulino vaſe concluſa fuit. Neque hæc dicendi forma admodum inuſitata, aut peregrina eſt: nam ab aliquo effectu non ſolùm ager aliquis, ſed etiam ciuitas nomen ſolet accipere. Sicut Iudicum capite 15. Ramalechi, ſeu eleuatio maxillæ dicitur locus ille, vbi aſini mandibula Samſon Philiſtæos ſtrauit. Et Baal Pharaſim, vbi iidem à DaD uide profligati ſunt 2. Regum capite 5. &, vt multi è Patribus ſentiunt, ideo vbi Chriſtus crucifixus eſt, Caluariæ locus dicebatur, quia ibi ſepultum fuerat caput Adam. Neque rarum eſt, vt locus ab aliquo poſſeſſus, aut in quo eſt aliquid, quod ad aliquem aliquo modo pertineat, pro poſſeſſore, aut pro eo, cuius in eo aliquod extat monumentum, aut opus, vſurpetur: qua ratione à Latinis *Vealegon*, pro Vealegontis domo ponitur, *Pluto*, & *Manes*, pro inferno, & *ager fullonis*, in quo erat piſcina, vbi fullo dealbabat veſtes, ex aqua collectitia; & ager, quem figurabat, hic de quo nobis quæſtio, dictus eſt *Aceldema*, quia in eo erat aut opus, aut pretium ſanguinis. E Sic etiam ager Ieremiæ ager figuli dici potuit, quia in eo ſolenni cæremonia vas figuli defoſſum eſt. Eſt autem vſitatum in ſacra Scriptura, vt vas fictile, quod opus eſt figuli, vas figuli vocetur, Pſalmo 2. *Tanquam vas figuli confringes.* Eccleſiaſtici 27. *Vaſa figuli probat fornax.* Apocalypſis 2. *Lagena figuli.* Solere locum aliquem nomen ſumere ab 26.
eo, quod in eo moratur, aut conditum eſt, ſatis eſt notum: qua ratione domus Vealegontis Vealegon dicitur; & Miſenus, Palinurus, & Caieta nomen accepére ab illis, qui inibi ſepulti ſunt. Quod etiam in ſacris vſitatum eſt: Arbe enim, teſte Hieronymo, in traditionibus Hebraicis ſuper

Ager à Ieremia emptus cur dictus figuli.

REGVLA. *Multa loca nomen ſumunt ab aliquo euentu.*

 Geneſim,

Geneſim, illud nomen habuit à quatuor viris ibi tumulatis. Et Ephrata, ſeu Bethlehem dicta eſt Rachel Ieremiæ capite 31. vt plurimi ex Patribus volunt cum Hieronymo, quia ibi condita fuit Rachel. Hoc, vt dixi, facile eſt, illud verò durius, quomodo vas fictile, figulus vocari poſſit: nam iuxta hanc expoſitionem ager ille vocari potiùs debuit ager vaſis fictilis, quàm ager figuli, cùm non figulus in eo, ſed vas fictile defoſſum ſit. Sed neque hoc, credo, admodum alienum eſt ab vſu loquendi: videmus enim opus ſumere nonnunquam nomen ab auctore: ſic Platonem, Homerum, vocamus libros ab illis editos. & Lucæ capite 16. & 24. Moyſes, & Prophetæ pro eorum ſcriptis vſurpantur. Neque id ſolum in libris vſitatum, ſed in rebus aliis longè diuerſa arte, aut induſtria profectis. Thermæ à Nerone conſtructæ, *Nero* vocatæ ſunt à Martiale libro 10. Epigram. 48.

REGVLA. *Interdum rebus, & earum autoribus commune nomen.*

Temperat hæc Thermas, nimios prior hora calores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.

Et numus à Philippo percuſſus Philippus vocatur. Horatius libro 2. epiſtola 1.

Rettulit acceptos regale numiſma Philippos.

Et hoc ipſum nomen figuli exemplo nobis eſſe poteſt: nam figulus per metonymiam pro laterculo poſitus eſt à Iuuenali Satyra 10. qui cùm Babylonicos muros cocto laterculo munitos

27. eſſe ſignificaret, à figulis munitos eſſe dixit. Inter Hiſpanos ſanè, putóque etiam apud alias gentes, ſatis eſt frequens, artificum nomina artificiis imponi: nam pannorum nobilium certa genera ab inuentoribus dicuntur, *Limiſte, Lobo, Velarte*; & quia ex noſtra Societate Pater Alfonſus Salmeron Venetiis auctor fuit, vt fœminæ honeſto quodam amiculo vterentur, illa amicula vulgo Venetorum *Salmerones* vocantur. Cui etiam rei affine eſt, quòd linteorum quædam genera, aut pannorum à regionibus, in quibus elaborata ſunt, vocantur, *Londres, Damaſco, Ruan, Olanda, Calicut.* Cuius generis ſunt exempla obuia, ſicut in medicamentis, quemadmodum potionem ab Hippocrate inuentā, *Hippocras* vocamus, &c. Sic puto nunc, *figuli*, pro vaſe fictili ſumi. Et iuuat hanc coniecturam, quòd artificum nomina in vaſis olim, ſicut etiam nunc apud noſtros, notabantur, vt obſeruat Fulnius Vrſinus in appendice operis de Triclinio Ciaconij, vbi dicit, fuiſſe Aretij repertum vas fictile cum inſcriptione *Nimis*, nempe auctoris ſui. & ita explicat illud Martialis libro 14. diſt. 98.

Aretina Nimis ne ſpernas vaſa monemus.

Et Martialis eodem libro diſt. 110. cuius titulus eſt *Gemma potatoria*, nomen auctoris vaſi inſculptum indicat, licèt aliter exponi poſſit:

Hac licèt in gemma, quæ ſeruat nomina Coſmi
Luxurioſe bibas. ———

Quòd ſi vas fictile in agro Ieremiæ defoſſum nomen habuit figuli, à quo formatum eſt, ager figuli non durè vocari potuit.

28. Verſ. 17. *Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu feciſti cælum, & terram in fortitudine tua magna.*] Hæc, ſi ſingula ſeorſum conſideres, difficilia non ſunt: quæ omnia eò videntur ſpectare, vt Dei prædicetur potentia, & commendetur æquitas, & iuſtitia: ita vt nihil eius omnipotenti dexteræ ſubiectum non ſit, atque in eius iudiciis nihil occurrat non æquiſſimum. Hæc verò eo conſilio præmiſſa ſunt, quia ſtatim verſu 24. expoſtulare videtur cum Deo, quaſi minùs æquè, atque be-

A nignè ſecum egerit, dum agrum eo temporis articulo ſibi emere iuber, quando nullum ex eo fructum referre poteſt, cùm iam propè redactus ſit in hoſtium poteſtatem. Ait ergo, ſibi hoc inprimis certum, iuſtiſſimum eſſe, atque humaniſſimum Deum, quòd ſi aliter ſibi, aut aliis videatur, id ex ſua, aut aliorum inſcitia naſci potiùs, quàm quòd eiuſmodi aliquid aut cogitare quis debeat, aut in Diuino iudicio deprehendi poſſit. Eodem omnino ſpiritu, atque artificio planè oratorio, cùm familiariter expoſtulare cum Deo vellet, dixit capite 12. *Iuſtus quidem tu es, Domine, ſi diſputem tecum; verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Nunc quo-

B modo, quæ dixit Ieremias omnia, ad defendendam Dei in iudicando, puniendóque iuſtitiam referantur, exploremus.

Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu feciſti cælum.] 29.

His verbis indicat Propheta, nihil paſſos eſſe Iudæos, aut contra, aut præter merita. Poteſt enim aliquis iniuriam ab alio pati, quia vindex eſt nullus, qui illatam ab alio vim repellere audeat. Hoc remouet à vindice Deo Ieremias, in quo tantam agnoſcit potentiam, vt terram formauerit, & cælum, cuius potentiæ nihil obtendi poteſt non ſuperabile. Vbi noſter particulam, *heu*, repetit ter, Hebraicè vna tantùm eſt dictio אהה *aah*; cuius vim magnam eſſe arbitror, quan-

C do aliis etiam locis à Vulgato ter gemina repetitione redditur. Eadem quippe particula eſt ſuprà capite 1. pro quo noſter conuertit A, A, A, item capite 14. verſu 13.

Verſ. 18. *Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum.*] Miſericordem appellat Deum; quare in eo etiam dum plagam infert, clementiam agnoſcit. ita hîc Hieronymus: *Grandis* (inquit) *clementia Creatoris; miſericordiam ſuam in mille generationes extendere, & iuſtitiam ſtatim in altera generatione monſtrare, quæ tamen & ipſa eſt mixta miſericordia.* Videtur autem alluſum ad caput 34. Exodi, vbi hæc eadem, in cauſa non diſſimili, loquitur ad Dominum Moyſes. *Dominator, Domine, miſericors, & clemens, qui cu-*

30. *Dei miſericordia.*

D *ſtodis miſericordiam in millia, qui reddis iniquitatem filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam generationem.* Quomodo verò Deus iuſtus ſit, dum in filiis punit parentum peccata, diximus ſuprà capite 15. ad illud: *Propter Manaſſem filium Ezechiæ.* Vide Auguſtinum libro 6. Quæſtionum veteris Teſtamenti capite 8. & ſanctum Thomam 1. 2. quæſtione 87. articulo 8.

Verſ. 19. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.*] Hæc etiam ab omni errore vindicant 31.

Deum, quando illi altiſſimum dicitur eſſe conſilium: in quo ſi homines plus ſatis in iudicando præcipites aliquid deſiderant, ideo eſt, quia Diuinæ mentis arcanum, atque inſcrutabile conſi-

E lium non aſſequuntur, quod ſibi nunc accidiſſe videtur ſignificare Ieremias, dum Deum ab omni humana cogitatione incomprehenſibilem appellat.

Cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique ſecundùm vias ſuas.] 32.

Conſilium commendarat, cui ſi deliberatio, aut accurata meditatio non adſit in homine interdum otioſum eſſe ſolet. Quare hîc Propheta, nequa plus ſatis curioſo, ne dicam inuerecundo ingenio, ſpecies temeritatis, aut præcipitati conſilij occurreret, oculos Dei apertos eſſe dicit, intentóſ

intentóſque rationibus, atque operibus hominum, vt pro meritorum natura, iuſtum reddat, & exploratum pondus.

33. Verſ.20. *Qui poſuiſti ſigna, & portenta in terra Ægypti, vſque ad diem hanc.*] Iuſtum oſtendit ſupplicium illud, quantumuis graue, quod Deus per Chaldæos impoſuit Iudæorum genti: quia cùm populum illum iam olim à principio innumeris ornaſſet beneficiis (quæ ad verſum 25. perſequitur) ille tamen immemor, & ingratus, à fide, quã integram, & ſanctam præſtare debuit, longè receſſit: quæ eò ſpectant, vt nihil in hoc iudicio appareat non æquum, aut humanum. Illud verò, *vſque ad diem hanc*, ſignificare credo, extare adhuc Dei benignitatis, & antiquiſſimi ſæculi recentem memoriam. Quod duobus modis explicari poteſt; aut quia portentorum illorum adhuc conſpiciuntur certa veſtigia; aut quia beneficiorum illorum in ſacris quibuſdam, & cæremoniis Iudæorum conſeruatur memoria. De veſtigiis videtur non improbabile; quia, vt diximus ad illud Iſaiæ capite 41. *Glorificabit me beſtia agri*, fons, qui è percuſſo ſilice quondam erupit, ad hanc etiam ætatem perſeuerat; adeò vt propter abundantem illam aquam, Arabia facta ſit habitabilis, quæ priùs propter ſiccitatem habitari non poterat. Ita Abulenſis in caput 20. Numerorum, quæſtione 3. Simile portentum conſeruatum creditur ad tẽpus vſque Chriſti: in Iordanis námque alueo ſpectari adhuc exiſtimantur duodecim illi lapides, qui ibi repoſiti fuerunt in teſtimonium ſiccati fluminis, quos fuiſſe à Ioanne digito demonſtratos, cùm dixit Matthæi capite 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, putant ſanctus Anſelmus, ſanctus Remigius, Albertus, & Lyra in Matthæum, & Hiſtoria Scholaſtica, in hiſtoria Euangelica capite 30. Quam ſententiam Abulenſis in Matthæum putat eſſe communem; alij dubitant; neque, meo iudicio, ſine cauſa. Quod ſi verum eſt, quod ex Hebræorum credo diſciplina tradit Oroſius libro 1. capite 10. tractus curruum, rotarúmque orbitas non ſolùm in littore, ſed etiam in profundo maris rubri nunc etiam apparere: & ſi fortè ad tempus vel caſu, vel curioſitate turbentur, continuò diuinitus in priſtinam faciem ventis, fluctibúſque reparari, plus habet roboris iſta ſententia, quæ durari ad hanc vſque diem cenſet antiqua portenta.

Beneficiorũ Dei adhuc ſeruata monumenta.

Curruum Pharaonis adhuc in mari rubro veſtigia.

34. Nihilominus aliter explicandum eſſe arbitror præſentem hunc locum, dicendúmque, ad hunc diem durare antiqua illa portenta, quia ſimilia Deus quotidie facit, ad Hebraici populi ſalutem; qualia per Eliam, & Eliſæum plurima: & non adeò longè, ſub Ezechia deleto Aſſyriorum exercitu, & Sole ad decem in horologio lineas retrò recedente. Quod Hieronymus, ſanctus Thomas, & Hugo putant. Aut certè, quia ſigna ſunt certa, & monumenta quædam apud Hebræos, quæ prodigiorum veterum recentem conſeruabant memoriam. Ita putat Maldonatus. Quales fuerunt azymi panes, Paſchalis agnus, tabernacula in ſcenopegiis fixa, manna honeſtiſſimo loco in aureo vaſculo ſeruatum. Quare Iudæi, qui tunc durè Chaldæorum armis vexabantur, neque negare poterant accepta parentum memoria beneficia, neque iuſtè quererentur, quòd propter illorum ingratam obliuionem ab vltore Deo tam grauia paterentur.

35. Verſ.25. *Et tu dicis mihi, Domine Deus, eme a-*
A *grum argento.*] Huc, credo, ſpectabat longa illa, neque inelegans oratio, vt in hac emptione, quæ neque opportuna videbatur, neque à prudenti profecta conſilio, nihil eſſe crederetur, quod hominum temeritas atque audacia reprehenderet.

Verſ.27. *Ecce ego Dominus Deus vniuerſæ carnis: nunquid mihi difficile erit omne verbũ?*] Probat Deus, quod ſuprà dixerat Ieremias, ſibi nihil omnino fore difficile. Quare, vt populum illum lautum, & nobilem, Chaldæorum voluit eſſe prædæ; ſic etiam eundem è Chaldæorum ereptum poteſtate, in patrias poſtea ſedes, & in antiquum ordinem, & dignitatem reſtituet. Hæc ſumma eſt totius capitis.

36. B Verſ.29. *Et domos, in quarum domatibus ſacrificabant Baal.*] Domata, vt Hieronymus tradit epiſtola ad Suniam, & Fretellam, de correctione Pſalmorum, ſunt tecta quædam non faſtigiata, ſed plana, atque aperta, quæ ipſe *meniana, domata*, ſeu *ſolaria* vocat, quæ Hiſpanus, *terrados*, appellat: quæ in vſu eſſe in tota Palæſtina, viciniſque locis ibidem oſtendit. In illis verò locis, ab Hebræis, Gentilico ritu, excitabantur aræ, quia locus excelſus, & honeſtus, & cælo patens. Quàm verò ſub hoc tempus totam ſe in Gentilicos mores, & impia ſacra proiecerit Iudæorum natio, clamant ſæpe, queruntúrque Prophetæ, & Ieremias non ſemel; vt capite 7. verſu 30. & ca-
C pite 11. verſu 15. & capite 23. verſu 11. in quibus locis nos de hac impietate nonnihil.

Tecta in Palæſtina plana.

37. Verſ.31. *Quia in furore, & in indignatione mea, facta eſt mihi ciuitas hæc, à die qua ædificauerunt eam.*] Pro *in furore*, Hebraicè, עלאפי *alapi*, quod reddi etiã poteſt *in furorem, & in indignationem.* Quaſi dicat: Scopus mihi fuit, in quem indignationis meæ fulmina vibrarem, quia in ea nunquam defuit, quod ſeuero aliquo ſupplicio mulctari non debuerit. Et quidem, ſi omnia tempora à ciuitatis fundatione, de qua ſtatim, accuratè conſideres, nullum inuenies tempus, quod in regia illa ciuitate, & in præcipuum Dei cultum ex omnibus electa, expiari aliqua ratione non potuerit. Lo-
D quitur verò, vt putat Lyra, Maldonatus, & Caſtrus, de tempore Salomonis, quo ædificata videri potuit Solymitana ciuitas: nam & ipſe templum conſtruxit, quod inſtar ciuitatis erat, & reliqua ciuitate multò operoſius, & illuſtrius. Ædificauit præterea domos alias, quæ magno ciuitati fuerunt ornamento, atque vſui. Ex vſu verò Scripturæ, ille feciſſe aliquid exiſtimatur, qui quod ab aliis factum eſt, amplificauit, & auxit. Quomodo Nabuchodonoſor ædificaſſe dicitur Babylonem, Danielis capite 4. *Nonne hæc eſt* (inquit Nabuchodonoſor) *Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni?* Et Rameſes ædificata dicitur à filiis Iſraël, Exodi capite 1.
E cùm tamen eius mentio fiat Geneſis capite 47. Quod etiam apud profanos vſitatum. Nam, cùm Euandrus Romam condidiſſet, de quo eſt illud Virgilij libro 8. Æneidos:

Tunc Rex Euandrus Romanæ conditor arcis,

quia tamen illam exiguam priùs, & rudem amplificauit, & muniuit Romulus, ille Romam condidiſſe cenſetur. Sic ergo nunc Salomon ædificaſſe dici poteſt Ieruſalem, quia illam maximum in modum amplificauit.

REGVLA. *Id feciſſe dicitur aliquis quod inſtaurauit, aut ædificauit.*

38. Verſ.35. *Et ædificauerunt excelſa Baal, quæ ſunt in valle filij Ennom, vt initiarent filios ſuos, & filias ſuas Moloch.*] De valle filij Ennom, ſeu Gehennon,

non, ſeu Topheth, quæ omnia eundem omnino locum ſignificant, alio in loco à nobis dictum eſt. *Baal*, licèt certum aliquod idolum ſignificet, de quo in ſacra Scriptura ſæpe, maximè 3. Regum capite 18. tamen hîc latiori ſignificatione vſurpari puto pro quocunque idolo, per ſynecdochen, quæ ſpeciem adhibet pro genere, quæ plerunque nobiliſſima eſt. Aut certè, quod magis reor, Baal commune nomen eſt, & idem valet, quod dæmon: nam Baal dominum ſignificat, quam vocem Gentes idolis omnibus attribuunt. Sanè de idolis generatim loquutus videtur Oſeas capite 2. verſu 17. *Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.* Et ibidem verſu 13. *Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum.* Ex horum autem Baalim numero fuit Moloch, cuius altare fuit in valle filij Ennom, ſeu Topheth, vt alio loco diximus, cui Iudæorum filij per ignem traducti conſecrabantur. Quod feciſſe impius Manaſſes dicitur 4. Regum capite 26. Fuit autem Moloch Ammonitarum Deus. Initiari propriè eſt, ſolenni aliqua, ac ſacra imbui cæremonia, qua quis alicui ſacro miniſterio, aut religioni conſecratur; qualia apud profanos dicebantur Cereris myſteria, quæ etiam vocabantur *initia*, & alio quodam ſigno initiabantur Corybantæ, ſeu Sacerdotes Ideæ matris, & qui erant ex Abrahæ familia circunciſione, & Chriſtiani ſacro Baptiſmate, & Reges olim Hebræi, & Sacerdotes certo quodam vnctionis genere. Sic ergo per ignem traducti Iudæorum filij, quaſi inaugurati, & conſecrati impiis idolorum initiis, illorum religioni deuoti ſigna quædam in vſtulato corpore geſtabant.

Baal quid.

39. *Initiari quid?*

Nec aſcendit in cor meum.] Hebraiſmus eſt, qui ſignificat nunquam alicui aliquid in mentem veniſſe, qui frequens eſt ſuprà cap. 3. verſu 16. & cap. 19. verſu 5.

40. Verſ. 36. & 37. *Et nunc propter iſta, &c. Ego congregabo eos de vniuerſis terris.*] Vbi Vulgatus *propter iſta*, Hebraicè לכן *laken*, quod alij fermè omnes transferunt, *nunc itaque*, iuxta quam tranſlationem non eſt difficilis ſententia, quæ tantùm euentus futuri narrationem pertexit. Si verò, quod neceſſe eſt, *propter iſta*, cum Vulgato legas, finalémque cauſam hîc aſſignari putes, triplex adhiberi poteſt, eáque non inepta ſolutio. Prima Dionyſij, qui exiſtimat, reſpondere Deum Ieremiæ ſiue interrogationi, ſiue querelæ: nam, cùm ſignificaret durum, aut inuſitatum videri, iuberi quenquam agrum emere, ex quo nullum ſit vſum habiturus, cùm iam eſſet in hoſtium poteſtate, reſpondet Deus non ita futurum: nam, cùm aliquando reuerſus ſit ab exilio populus, illas iterum poſſeſſiones adibit, ex quibus expulſus fuerat à Chaldæis.

41. Aliter reſpondet Hieronymus, cui ſubſcribunt ſanctus Thomas, Rabbanus, Maldonatus, & Caſtrus: ita vt Deus confirmare videatur deſperantes Iudæorum animos: qui cùm ex proximè dictis omni ſe ſupplicio dignos indicarent, deſperare de venia poterant, reditúque in patriam, & poſſeſſiones antiquas. *Propter iſta* (inquit Dominus) *ego congregabo*: ac ſi dicat, ne conſiderata peccatorum multitudo, & grauitas, animos veſtros veniæ deſperatione debilitet, & frangat, congregabo vos ex omnibus locis, in quæ diſperſi eſtis.

42. Poſterior hæc explicatio mihi magis proba-

A tur: nam illa prior Dionyſij aliquid habet, quod non bellè cum toto capitis filo conſentiat. Ego tertiam addo, quam expendet lector, & de illa, vt volet, ſtatuat. Solet ſæpe Dominus, cùm res videri poterat omnino deſperata, aut cùm nihil ſtat ab hominum meritis; quod Diuinum animum ad miſericordiam inflectat, maiora præſtare, aut ampliora polliceri, nequis ſuis ſibi meritis beneficium attribuat; quando vrgente conſcientia, aut externa aliqua increpatione, didicit, nihil ſibi præter ignominiam, & pœnam in eo rerum articulo deberi. Atque ita quidquid veniæ, aut officiorum eſt, à Diuina liberalitate profectum agnoſcat. Exemplis abundat Scriptura

Regula. Cùm minus homo propter peccata ſperare poterat, magna illi Dominus promittit.

Peccatorum ſpes excitatur.

B ſacra, pauca nunc accipe. Apud Ieremiam cap. 3. cùm ſponſæ adulteræ, quæque à ſponſi complexu ad alienos, atque impuros thalamos aufugerat, vitam exprobraſſet, omni contaminatam ſcelere, dignam repulſa, dignam fulmine, ſtatim tamen addit: *Reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.* & paulò pòſt: *Amodò voca me, Pater meus.* & Iſaiæ capite 7. cùm præceſſiſſet Regis Achaz impietas, & domus Dauid eiuſmodi conſilium, quod inflammare poſſet Diuinum pectus, ſubiecit tamen Dominus: *Propterea dabit Dominus ipſe vobis ſignum, Ecce virgo concipiet,* &c. Oſeæ capite 2. cùm dixiſſet Dominus: *Ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur.* ſubdit: *Propter hoc ego lactabo eam, & ducam eam ad ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Iſaias capite 28. poſt verba populi impudentis, cuiuſ-

C dam inſolentiæ, atque vecordiæ plena, poſt cæleſtes minas, quas magno ſuo merito ſubire poterat, addidit benigniſſimus Deus: *Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum.* Ad hunc, credo, modum, cùm Dominus oſtendiſſet, quàm indignus eſſet populus ille libertate, & venia, & ipſe ſuorum meritorum conſcius fateri debuiſſet, addit: *Et nunc propter iſta ego congregabo vos,* &c.

Verſ. 39. *Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me.*] Spectare hæc ad tempus Euangelij ſentiunt cum Hieronymo complures alij; 43.

D quod ego non poſſum non probare; quia re vera hæc magna ſunt: quæque à Iudæorum reditu, renouatóque ſtatu, à quo priùs exciderant, impleri non poſſunt. Cor autem vnum, & vna via, Euangelicæ charitatis, & perfectionis propria ſunt: in quo omnes ſentiunt, & ſapiunt: idem certè vt ſentiant, & ſapiant frequenter admonentur. Ita Paulus ad Romanos capite 12. verſu 16. capite 15. verſu 5. & 2. Corinthiorum 13. verſu 11. Quod fuiſſe in Eccleſiæ primordiis religioſè ſeruatum, docent Apoſtolorum Acta capite 4. verſu 32. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Qui idolorum ſe nugis addixêre, & Gentilicis fraudibus abducuntur, neque cor habent vnum, cùm in varias ſuperſtitiones

Vnitas animorum in Eccleſia.

E diſſecti, variè de rebus ſentiant, varia viciſſim, immo & contraria diligant: neque viæ inſiſtunt vni, cùm variis ſtudiis, atque contrariis vacent. At in aureo Euangelij ſæculo, vnus erit Deus, quem omnes colent, vnus amor, & timor; vna omnium mens, atque ſententia, vna denique ſine errore, ac ſine vllo etiam diuerticulo via, quæ Deum aſpiciat, atque eius in omnibus voluntatem exploret.

Timere hîc obſeruantiam valet, religioſúmque cultum, vnde *timens Deum, & timoratus*, pro religioſo, ac iuſto vſurpari ſolet: immo & Deus *timor* 44.

Timor religionē ſignificat, & Deū.

voca

vocatur, quia timeri,atque obſeruari debet. Geneſis 31. verſu 42. ſic Iacob ad Laban : *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet.* Ideſt, Deus, quem timebat Iſaac. & ibidem verſu 53. *Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac.*& quidem multis placet, Deum à voce Græca δέος eſſe deductum, quæ timorem ſignificat. Porro timorem, aut horrorem etiam apud profanos pro religione ſumi, docuit Seruius ad illud Virgilij 1. Æneidos:

—Horrentique atro manus imminet vmbra.

ideſt, religioſa. Eodem modo Lucanus libro 2. cùm de Cybeles ſacro loqueretur, ait:

Arboribus ſuus horror ineſt. ideſt,religio.

45. Quanuis hæc in Eccleſia optimè,atque præcipuè quadrent,tamen,vt in ſimili ſæpe obſeruauimus, exiſtimo de Iudæorum reditu, inſtauratáque fortuna, tanquam in vmbra prædicari poſſe. Et ſanè hiſtoricè hæc de Iudæorum ſtatu Theodoretus accipit, cui Lyra ſubſcribit. Neque video in toto capite, quid tanquam in figuram, & typum in Iudæorum tempora non conueniat. Nam,cùm ante captiuitatem, vt in hoc Propheta ſæpe obſeruauimus, omnium Gentium idola in ſuos fines,immo in ciuitatem, & templum inuexiſſent, poſt reditum tamen vnum coluerunt Deum; neque ſi quid reliquum fuit paternæ leuitatis, atque perfidiæ, eiuſmodi fuit, vt iuxta Scripturæ conſuetudinem, aliquo in loco,ac numero cenſeri debuerit. Vt enim in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam ad illud capitis 2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres*, obſeruauimus, illud negatur factum, aut futurum, quod rarò fit aut minùs quam antea ſtudioſè, atque frequenter. Syri 4. Regum capite 6. dicuntur non vltrà veniſſe in fines Iſraël; & tamen,vt conſtat, poſt illud tempus aliquando venerunt. & Geneſis 35. dixit Dominus Iacob: *Non vocaberis vltrà Iacob,ſed Iſraël erit nomen tuum.* & tamen poſt illud tempus vocatus eſt Iacob. Sed verè Syri dicti ſunt non veniſſe,& Iacob non vltrà vocandus antiquo nomine,quia illud minùs ſæpe aut fiebat,aut audiebatur,quàm antea. Sic ergo vnum futurum dicitur cor,& vna via, quia licèt nonnulli è Iudæorum genere in aliam atque aliam religionem abierint, erat tamen hoc neque adeò frequens, neque adeò fiebat inuerecundè quàm antea.

REGVLA. *Illud negatur factum, aut futurū, quod minùs quàm antea fit ſtudioſè, atque frequenter.*

4.Reg.6.
Genel.35.

46. Verſ.40. *Et feriam eis pactum ſempiternum,& non deſinam eis benefacere.*] Hæc quàm bene in Eccleſiam, & aureum Euangelij tempus conueniant, nemo non videt. Sed neque hæc à Iudæorum temporibus aliena eſſe,ipſa Scripturæ ſacræ conſuetudo probat. *Sempiternum* etenim, *æternum, non ampliùs,nō vltrà,*& ſimilia,vt ſępius obſeruauimus, ſpatium deſignant longum, ac diuturnum; non illud,quod nulli omnino termini definiant. Quare cùm diu reſtitutis Iudæis bene Dominus fecerit,licèt aliquando à Græcis,& duriùs à Romanis vexati fuerint,& à patriis ſedibus excluſi, ſempiternum tamen pactum vocari poteſt, quia diu, incolumi Iudæorum Republica,durauit.

Et timorem meum dabo in corde eorum.] Timorem hoc loco ſicut nuper pro obſeruantia ſumo,cultúque religioſo, quem Deus inditurum ſe affirmat ſuorum animis, ſiue hoc typicè de Iudæis poſt reditum, ſiue magis propriè de Chriſtianis accipias.

Verſ.41. *Et lætabor ſuper eis,cùm bene eis fecero.*] 47.
Interdum verba, iuxta Hebræorum idioma, pro aduerbiis adhibentur, atque ideo per aduerbia interdum explicanda ſunt; vt docuimus ſuper Iſaiam capite 6. numero 45. vbi exemplorum ſatis:& de verbo *lætandi,* atque ſimilibus peculiaris eſt vſus, & ratio in Scriptura ſacra. Pſalmo 59. verſu 8. *Lætabor,& partibor Sichimam.* ideſt,lętanter, & cum voluptate partibor. Deuteronomij 12. verſu 18. *Lætaberis,& reficieris.* ideſt,iucundè reficieris. Iſaiæ 64. verſu 5. *Occurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam.* ideſt, ei, qui alacriter iuſtitiam operatur; ſic nunc alacriter eis benefaciam.

REGVLA. *Verba nonnunquam pro aduerbiis.*

Pſal.59.
Deut.12.
Iſai.64.

Et plantabo eos in terra iſta, in veritate, in toto corde 48.
meo, & in tota anima mea. Multa hîc ſunt, quæ Diuinæ beneuolentiæ largitatem oſtendunt. Primùm illud, *plantabo,* quod proprium aliquid, ac diuturnum importat: quæ enim plantata ſunt,radices agunt, terrámque amplexa illam ſuo ſibi dominio vendicant. Illud porro, *in veritate,* firmitatem, & nihil in promiſſis, aut factis fucatum indicat,aut ſimulatum. Quod porro ſubditur, *in toto corde meo, & in tota anima mea*, beneuolentiæ pondus importat multò maius. Hic enim dicendi modus ſtudium ſummum, & conatum innuit, ita vt nihil aut in animo ſtudij,aut in corpore facultatis,& virium reliquum oſtendat: quaſi quis in illud ſtudium vnum intentos habeat totos corporis,atque animi neruos.

Verſ.43. *Et poſſidebuntur agri in terra iſta, de qua* 49.
vos dicitis, quòd deſerta ſit.] Hîc iam Hieronymus nobiſcum ſentit, putátque de Iudæorum ſtatu ſermonem eſſe; & planè textus ipſe conuincit. Reſpondet autem Deus illorum ſiue dolori, ſiue querelis, qui Solymitanos agros querebantur hoſtibus futuros eſſe prædæ: dicítque futurum, vt aliquando in veterum poſſeſſorum poteſtatem redeant: explicátque hieroglyphicū ſignum de libro emptionis legitimè ſignato, incluſóq; in ſigulino vaſculo, de quo ſtatim in principio capitis.

Verſ.44. *Agri ementur pecunia,& ſcribentur in libro,& imprimetur ſignum.*] Hæc omnia interceſsére ſuprà,cùm ager à Ieremia comparatus argento; reliqua ad finem aperta ſunt. Hæc de capite trigeſimoſecundo.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXXIII.

CV M adhuc clauſus eſſet Ieremias in carcere, vaticinium accepit à Domino, mirificæ plenum conſolationis, quo omnia, quæ optare poterat captiuus populus, abundè promittit; talia nimirum, qualia ante fortunæ mutationem habuerat, quæ latè, atque eleganter enumerat. Et quia hæc typicè Euangelici temporis felicitatem adumbrant, ad aureum illud tempus vaticinium traducitur, in quo neque Regium, aut Sacerdotale miniſterium, & nomen, neque victimæ vnquam defuturæ dicuntur.

IEREM. CAP. XXXIII.

1. *ET factum eſt verbum Domini ad Ieremiam ſecundò, cùm adhuc clauſus eſſet in atrio carceris, dicens:*

2. *Hæc dicit Dominus qui facturus eſt, & formaturus illud, & paraturus, Dominus nomen eius.*

3. *Clama ad me, & exaudiam te: & annunciabo tibi grandia, & firma quæ neſcis.*

4. *Quia hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad domos vrbis huius, & ad domos Regis Iuda, quæ deſtructæ ſunt, & ad munitiones, & ad gladium*

5. *Venientium vt dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaueribus hominum, quos percuſſi in furore meo, & in indignatione mea, abſcondens faciem meam à ciuitate hac propter omnem malitiam eorum.*

6. *Ecce ego obducam eis cicatricem & ſanitatem, & curabo eos: & reuelabo illis deprecationem pacis & veritatis.*

7. *Et conuertam conuerſionem Iuda, & conuerſionem Ieruſalem: & ædificabo eos ſicut à principio.*

8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua, in qua peccauerunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & ſpreuerunt me.*

9. Et

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. RVrſus, cùm adhuc eſſet in veſtibulo carceris Ieremias, hunc à Domino ſermonem accepit:

2. Hæc dicit Dominus, qui quod promiſit antea, & nunc etiam promittet, re ipſa complebit, formabítque ſuo arbitratu, faciétque, vt firmum ſit, & ſtabile.

3. Clama ad me, ô Ieremia, & tuis me facilem precibus præbebo. Reuelabo tibi admiranda, quæ neſcis, & quibus pondus inerit, & certus euentus.

4. 5. Hæc Dominus Deus Iſraël ad te, de domibus vrbis huius, & de domibus, quas in ſuos ſibi vſus Reges excitarunt Solymitani, quæ iam exciſæ ſunt; &
B de munitionibus, & armis illorum, qui cum Chaldæis ſocietatem, & arma coniunxerunt. Qui eò incumbunt auidè, vt munitiones, & foſſas Iudæorum cadaueribus impleant, quos non tam ſuis ipſi viribus, quàm ego iratus, atque offenſus occidi, dum populum illum quaſi alienum aſpicio, & propter illius iniquitatem inimicorum gladio, furoríque permitto.

6. Sed veníet aliquando tempus, cùm graue hoc vulnus obducta cicatrice ſanetur, & oſtendam, quàm vera ſit, & firma de pace ſæpius optata, atque promiſſa fides: & tunc apparebit, quod & orarunt
C antea alij, & tu nunc à me orare, atque clamare iuberis, non vanè à me fuiſſe promiſſum.

7. Reducam quippe populum ex Hieroſolyma, totáque Iudæa apud alienos exulantem, vt eodem prorſus modo in antiqua ſede, vnde ceciderat, reponã, quem ſuperioribus antè ſæculis habuerunt.

8. Quidquid verò ſordium ex longo, atque ignominioſo ſupplicio contraxerunt; id totum expiabo: & licèt in me ſæpe, grauitérque peccauerint, quem, dum ſacrilegis inuigilant ſacris, contempſerũt;

præſtabo

9. Et erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus ſum eis: & pauebunt, & turbabuntur in vniuerſis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis.

10. Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco iſto (quem vos dicitis eſſe deſertum, eo quòd non ſit homo nec iumentum in ciuitatibus Iuda, & foris Ieruſalem, quæ deſolatæ ſunt abſque homine, & abſque habitatore, & abſque pecore)

11. Vox gaudij, & vox lætitiæ, vox ſponſi, & vox ſponſæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum miſericordia eius: & portantium vota in domum Domini: reducam enim conuerſionem terræ ſicut à principio, dicit Dominus.

12. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco iſto deſerto abſque homine, & abſque iumento, & in cunctis ciuitatibus eius, habitaculum paſtorum accubantium gregum.

13. In ciuitatibus montuoſis, & in ciuitatibus campeſtribus, & in ciuitatibus, quæ ad Auſtrum ſunt: & in terra Benjamin, & in circuitu Ieruſalem, & in ciuitatibus Iuda, adhuc tranſibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.

14. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo verbum bonum, quod locutus ſum ad domum Iſraël, & ad domum Iuda.

15. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ: & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.

A præſtabo tamen illis me placatum, & mitem.

9. Tunc verò nomen meum illuſtrius erit apud gentes: laudabunt enim potentiam meam, & fidem, quòd præſtare potuerim euentus illos admirabiles; gaudebúntque quòd Deus ſit aliquis longè ſupra inanium deorum naturam, & mores, qui propter bonitatem velit, & propter ſingularem potentiam poſſit tam grandia, támque inexpectata præſtare. Efficiet autem nomen hoc inclytum, propter bona,
B quæ ego vſque adeò cumulatè populo præſtabo apud gentes, vt earum aliæ ſpe felicitatis tantæ ad veram religionem accedant, aliæ verò conturbentur, cùm de Iudaici nominis hoſtibus tam facilè, ac durè actum eſſe videant.

10. In hoc ipſo loco, dicit Dominus, quem vos in ſolitudinem redactum eſſe dicitis, cùm neque in Ieruſalem, neque foris in toto Iudaico tractu relictus ſit homo, vel iumentum: ſunt námque ciuitates à pecore, atque cultoribus vacuæ.

C 11. Audietur, inquam, in Ieruſalem genialis plauſus, & feſtiuum carmen, quale à ſponſo, & ſponſa in nuptialibus ſacris cantari ſolet. Audietur ſolenne illud, & familiare canticum exultantis populi: *Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Audietur vox ſoluentium vota, quæ pro felici rerum euentu nuncuparunt. Reducam enim captiuos in locum iſtum, rémque tam publicam, quàm ſacram in eum ſtatum referam, quem habuerũt à principio.

12. Tunc verò in loco ab homine, at-
D que pecore deſerto, & in cunctis locis, quę in eius tractu, atque ditione ſunt, tabernacula paſſim occurrent paſtorum, & pecorum frequens ſtabulatio, ad quam greges à paſtore cogantur.

13. In omnibus ciuitatibus, ait Dominus, tam montoſis, & arduis, quàm planis, & campeſtribus, tam quæ ad Auſtrum ſpectant, quàm quæ in Benjamin funiculo numerantur, aut quæ in circuitu Hieroſolymæ ſunt, & in toto Iudaicæ hæreditatis ſpatio, paſcentur ſecuri greges, & paſtoritia diſciplina condocefacti, vltrò venient
E ad manum numerantis.

14. Aderit tempus, dicit Dominus, cùm ſuſcitem, impleámque promiſſa, verbíque conſolatorij, ac dulcis appareat fides, quod ſæpe ad Solymitanos ciues, atque eos, qui in Iudæorum finibus conſedêre, loquutus ſum.

15. Ex his ego maiora, atque ſacrata magis intueor, tãquam ex vmbra: vt enim ex regio ſanguine Dauidis ab exilio re-

A dibit paſtor, qui gregem moderetur Iudaicum: ſic etiam ex eodem ſemine excitabo Dauidi filium ſapientem, & iuſtum, qui & ſedulò curet ſubditorum ſalutem, & illos in officio, ac pietate contineat.

16. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Ieruſalem habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.

16. In diebus autem illis, in quibus verus paſtor Chriſtus gregem moderabitur, vera tunc erit Iudæorum ſalus, & non tantùm adumbrata, & typica. Tunc ſine vllo periculorum metu habitabit Iſraël: erit námque ille verè Dominus iuſtus, & verè noſter, qui noſtris commodis inuigilabit, B non iniquus, & quaſi alienus, ſicut Reges alij, qui ex ſubditorum præda ſua ſibi commoda venantur.

17. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël.

17. Quia Chriſtus de genere naſcetur Dauidico, cuius regnum ſempiternum erit, ideo de ipſius ſtirpe Rex nunquam deficiet, qui in ipſius throno ſedeat in æternum.

18. Et de Sacerdotibus, & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocauſtomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.

18. Defecerunt in Iudæorum ſtatu aliquando Sacerdotes, & Reges, at in meliori, magíſque ſacrato Chriſti regno, neque Rex deerit, neque Sacerdotes, aut Leuitæ, C in conſpectu meo, qui holocauſta immolent, & victimas, ac ſacrificia diebus omnibus cædant, & incendant.

19. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens:

19. Et iterum factum eſt ad Ieremiam verbum Domini in hunc modum:

20. Hæc dicit Dominus: Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo:

20. Si fieri poteſt, vt pactum meum, quod cum die ac nocte pepigi, ſoluatur, ita vt neque diei nox, neque nocti dies definito tempore ſuccedat,

21. Et pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes miniſtri mei.

21. Fieri etiam poterit, vt pactum meũ inane ſit, & futile, quod cum Dauide pepigi, vt ſcilicet, neque filius deſit ex eius ſemine, qui in eius ſolio ſedeat, neque Sacer- D dotes, & Leuitæ, qui ſacrum mihi miniſterium obeant.

22. Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cæli, & metiri arena maris: ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.

22. Sicut neque ſtellæ cæli numero, neque arena maris comprehendi poteſt vlla menſura, ſic neque numero concludi poterit Dauidica poſteritas, aut Sacerdotes, & Leuitæ, quos ego ad ſacrum miniſterium augebo.

23. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens:

23. Deinde Dominus ad Ieremiam loquutus eſt in hæc verba:

24. Nunquid non vidiſti, quid populus hic locutus ſit, dicens: Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abiectæ ſunt: & populum meum deſpexerunt, eo quòd non ſit vltrà gens coram eis?

24. Nunquid non obſeruaſti, ô Ieremia, quemadmodum populus frequens habeat in ore: Duæ cognationes tam Re- E gia, quàm Leuitica, abiectæ ſunt, eóque relegatæ, vnde nullus in patriam ſperatur reditus; ſic populus, qui adhuc eſt reliquus, deſpectus eſt à gentibus, quia in illarum conſpectu nullus apparet, qui ex vtraque familia dignitatis aliquid, aut ſplendoris habeat?

25. Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cælo & terræ non poſui:

25. Quàm certum eſt, dicit Dominus, ex fœdere, quod cum rerum natura pactus ſum, dierum, ac noctium futuras eſ-

26. Equi ſe

26. Equidē & ſemen Iacob,& Dauid ſerui mei proiiciam, vt non aſſumam de ſemine eius Principes ſeminis Abraham, Iſaac,& Iacob: reducam enim conuerſionem eorum, & miſerebor eis.

A ſe viciſſitudines, & iuxta datam à principio legem, cælum, in terram ſuas obitura partes,& officia.

26. Tam certum eſt Dauidicum ſemen, & genus Iſraëliticum non eſſe proiiciendum, & ex illis ſumendos eſſe Principes,qui rem inſtaurent, moderentúrque Iudaicam: miſerebor enim illorum, & in antiquam ſedem è captiuitate reſtituam.

IN CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam ſecundò,cùm adhuc eſſet in atrio carceris.*]

1\. HVcvsqve Hieronymus commentarios produxit; magno deinceps doctore, magna luce carebimus. Adſit vtinam Spiritus ſanctus, ſuggerátque, quid in eo, quod reliquum vaticinij eſt, ſine errore ſequamur: quando in dubiis iam ampliùs doctorem eximium conſulere non licet. Adhuc erat Propheta in atrio carceris, quando, vrgente Chaldæo, res Solymitana in magnum erat adducta diſcrimen; ibi ſecundò verbum accepit à Domino,ſiue quia ſecundum hoc vaticinium fuit, ex quo datus eſt in vincula; ſiue, quod magis reor, quia de eodem argumento, de libertate nempe Iudæorum, ſecundum accepit oraculum: quod putant ſanctus Thomas, Rabbanus, Hugo, Dionyſius, neque diſplicet Maldonato. Quare hi ſentire etiam debent (quando idem eſt huius, & præcedentis capitis argumentum) vaticinium, de quo proximè,ad Iudæorum ſtatum pertinere, quod nos ſaltē in vmbra verum eſſe putabamus.

2\. Verſ.2. *Hæc dicit Dominus,qui facturus eſt,& formaturus illud,*&c.] Fidem conciliat oraculo, dum ab eo ſe verbum accepiſſe dicit; qui, quod promittitur,re ipſa completurus eſt. Hebraicè pronomen eſt generis fœminei:quare ſic ad verbum conuerti poteſt:*Hæc dicit Dominus faciens eam, Dominus formans eam,ad ſtabiliendam eam.*in quo pronomine quidam Hieroſolymam intelligunt, de cuius inſtauratione,ac gloria, ſermo hîc inducitur propheticus:in quibus ſunt Rabbi Dauid, & Pagninus, qui conuertit:*Qui magnificat Ieruſalem, Dominus,qui format illam.* & Vatablus. Sed plerique alij in genere fœmineo neutrā ſignificationem agnoſcunt: quod Hebræis familiare eſt, quia neutra carēt terminatione.Quod aliquando noſter quoque ſequutus eſt Interpres, vt Pſal.26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* pro *vnum.* & Pſalmo 118.verſu 50. *Hæc me conſolata eſt.* pro *hoc.* & ita planè habes in tranſlatione vulgata. Quare communis eſt ſententia, & meo iudicio expedita, & certa; quæ in illo pronomine illa intelligit omnia,quæ præcedenti capite promittit, & in præſenti rurſus iterat, atque confirmat Dominus.Eodem modo locutus eſt apud Iſaiam capite 46.verſu 11. *Loquutus ſum, & adducam illud, creaui,& faciam illud.*

Regvla. *Genus fœmineum pro neutro.*

B Verſ.3. *Clama ad me, & exaudiam te, & annunciabo tibi gaudia,& firma,quæ neſcis.*] Pronus eſt ad audiendum, benéque de nobis promerendum Dominus; orari tamen vult, & quod vltrò concederet,noſtris tamen precibus largiri deſiderat. Atque ideo quod Ieremiæ commendat, & præcipit,id etiam facit in Scriptura ſæpius. Pſalmo 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Huc ſpectat, quòd tam ſæpe Deus nobis orationem commendat, promittitque exoraturos nos, quidquid orando petierimus. Eſt autem præclarum illud Gregorij teſtimonium libro 1. Dialogorũ capite 8.quo docet,concedi precibus,quod Deus ad hominum ſalutem, atque vſum facere decreuerat.Statuerat Deus dimittere Abimelech quod contra Abrahæ dignitatem vxore ſublata C commiſiſſet, id tamen Abrahæ precibus condonare vult,Geneſis cap.20.verſ.7.dixit enim Deus ad Abimelech: *Redde viro ſuo vxorem,& orabit pro te,quia Propheta eſt, & viues.* Obſeruat autem hîc optimè ſanctus Thomas, non iuberi Prophetam clamare, oraréque pro populi ſalute, depellendáque, quæ à Chaldæis impendebat, ciuitatis clade: id enim iam antè ſeuerè prohibuerat Dominus capite 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*; ſed iuberi, vt clamet, quo diſcat, quàm liberaliter poſtea agendum ſit eum populo, quando longo exilio defunctus in patrios fines cum gloria reducatur. 3.

Orari ſe Deus vult etiã ad eas quæ vltrò conceſſurus eſt.

Communis eſt, vt dixi, ſententia hæc de Babylonico, ſeu mauis de Iudaico tempore, atque ſtatu, ſermonem eſſe. Sunt tamen, qui contrà D ſentiant; idque putant probari poſſe rationibus penè neceſſariis. Primùm, quia clamare iubetur Propheta, auditurúſque dicitur grandia, & firma, qualia nunquam, aut quæ ad illum vſquedum nunquam audierat. At de reditu,gloriáque Iudæorum poſt exilium, multa & ſæpe Ieremias acceperat: neque illa eiuſmodi fuerunt,vt grandia dici,aut firma, ſeu munita potuerint; & ad quæ,ſiue audienda, ſiue impetranda,ad clamandum excitari debuerit. Sed ſanè neque minùs ſæpe,neque minùs glorioſè & grauiter, audierat de Eccleſia, Chriſtíque in terris œconomia, vt ex his,quæ hunc rerum articulum anteceſſerunt, abundè conſtat. Neque,quæ nunc offeruntur in- 4.

audita, & noua eiuſmodi ſunt, vt ad ſuperiora aliquod addant eximium, aut donorum, aut dignitatis incrementum. Quod, credo, ſibi perſuadebit non difficilè, qui, quæ hoc loco de Eccleſia dicta ſunt, cùm his, quæ iam antè Ieremias audierat, accuratè componat. De reditu Iudæorum, inſtauratáque cum templo, atque vrbe dignitate, ac gloria, neque adeò latè, neque ita luculenter ad hoc vſque tempus egerat Deus, vt ſuis deinde locis obſeruabimus. Accedit, quòd ideo Propheta ad orationem videtur excitari, quia prohibitus antè fuerat orare pro populo, capite 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, &c. quia non exaudiam te.* Quare fracto erat, atque languenti animo Propheta, neque audebat (vt eſt veri plus quàm ſimile) precari Dominum pro gente ſua. Quare permittit iam, hortatúrque Deus Ieremiam, vt clamet, ſéque illius votis, ac precibus facilem promittit, vt clamet (inquam) non vt de ſupplicij ſeueritate quicquam remittat in præſentia, ſed vt de futura poſtea felicitate doceatur. Neque video, cur hæc ſententia videri poſſit minùs pia, cùm hæc eadem, ſicut & ſuperiora, nobilem Eccleſiæ typum eſſe fateamur, in qua multò quam in re Solymitana hæc implentur illuſtriùs.

5. Verſ.4. *Quia hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad domos vrbis huius, & ad domos Regis Iuda, quæ deſtructa ſunt.*] Satis hæc oſtendunt, de re Iudaica, ſtrageque ciuitatis, ac ciuium eſſe vaticinium. Explicat autem, quæ ſint illa grandia, quæ auditurus eſt Propheta de meliori ſuæ gentis, atque ciuitatis fortuna. Hìc duo nobis obſeruanda ſunt; alterum eſt, ex vſu Scripturæ ſacræ id factum dici, quod propè eſt, vt fiat, aut quod certiſſimè futurum eſt: iuxta quod Hebræorum idioma dixit Christus Matthæi capite 9. de filia Archiſynagogi, quæ verè iam erat mortua, *Non eſt mortua puella, ſed dormit,* quia proximè erat è mortuis excitanda. Sic ergo nunc deſtructę dicuntur domus vrbis, & regiæ, quia iam iam inſtabat illorum excidium.

REGVLA. *Id factum dicitur, quod proximum eſt vt fiat.*

6. Alterum eſt, *ad*, hoc loco ſumptum eſſe pro, *de*: quare *ad domos, ad munitiones, ad gladium,* idem eſt, quod *de domibus, de munitionibus, de gladio*: neque id in Scriptura inuſitatum, aut rarum. Lucæ capite 19. de Zachæo, *Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt*, ideſt, *de eo*: neque enim ad Zachæum, ſed ad adſtantes alios dirigebatur oratio. Ad Hebræos capite 1. *Et ad Angelos quidem dicit.* ideſt, de Angelis. & capite 4. *Ad quem nobis ſermo.* ideſt, de quo. & idem dicendum eſt de præpoſitione, *in*, Actorum 2. *Dauid enim dicit in eum.* ideſt, de eo. Vide, quæ nos in eum locum pluribus.

REGVLA. *Ad, ſumitur aliquando pro de.*

7. Verſ.5. *Et impleant eas cadaueribus hominum.*] Minatur quoque Deus non ſolùm Chaldæis, ſed aliis quoque gentibus exitium, qui cum illis in Chaldæorum cædem conſpirarunt, eo ardore, atque ſtudio fundendi ſanguinis, vt ſtratis Iudæorum cadaueribus munitiones, & foſſas implere voluerint, quas contra obſeſſæ ciuitatis munimentum obduxerant.

8. *Abſcondens faciem meam à ciuitate hac.*] Sicut qui præſens adeſt, auxilium afferre exiſtimatur: vnde adeſſe tam apud ſacros, quàm apud profanos pro, *fauere*, ſumitur: ſic *abeſſe*, ſeu, quod idem propè eſt, *abſcondere faciem*, idem valet, quod non curare quòd alij patiantur, aut illorum calamitate non commoueri. Eodem modo Deuteronomij capite 32. verſu 29. *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum.* Significat ergo Deus, ſe populum illum tanquam alienum non curaſſe, ſed quaſi jam gladio, peſtíque deuotum Chaldæorum furori permiſiſſe.

Abſcondere faciem, eſt, auxilium negare.

Verſ.6. *Ego obducam eis cicatricem.*] Hinc iam incipit explicare Dominus, quæ à ſua liberalitate expectare poſſet beneficia populus ab hoſte iactatus. Quid verò ſit, cicatricem obduci, diximus ſuprà ad eadem propè verba capite 30. 9.

Et reuelabo illis deprecationem pacis, & veritatis.] Promiſerat Deus, vt obſeruauimus in hoc Propheta, & in Iſaia quàm ſæpiſſimè, pacem, ideſt, libertatem, & optabilia quæque, quæ pacis explicantur nomine, Iudæorum populo, vel re iam ad captiuitatem, & cædem inclinata per Ieremiam, aut poſtquam in ſeruitutem datus eſt. Dolebat populus pacem illam toties oblatam longiùs produci, & de promiſſa fide, ac veritate dubitabat. Eo verò tempore, quando obducenda dicitur populi cicatrix, reuelabuntur, ideſt, apparebunt promiſſa: deprecatio nempe pacis, ideſt, pax ſæpius orata; & inclinata veritas, ideſt, fidei conſtantia, quàm deſiderare videtur populus, vrgentibus malis nimis afflictus, & plus ſatis incredulus.

Verſ.7. *Et conuertam conuerſionem Iuda.*] De hoc loquendi genere, & de re tota diximus capite 30. ad eadem propè verba verſu 3. inde pete huius loci ſententiam.

Et ædificabo eos ſicut à principio.] Ambiguus eſt 10.
ſenſus. Neque enim conſtat, quódnam ſit illud principium, de quo nunc; an tempus illud primum, in quo in terram promiſſionis ingreſſus eſt Iſraël; in quo ædificati dici potuerunt, ideſt, firmo aliquo domicilio locati, cùm tamen priùs inſtabiles fuerint, & vagi; an cùm à Dauide, & Salomone ædificata fuit, & amplificata Hieroſolyma, quod illius ciuitatis quondam exiguæ, neque adeò luculentæ principium vocari potuit. Nam, vt capite 32. diximus, ædificata ciuitas tunc dici potuit, cùm incrementum cepit aut dignitatis, aut molis. ſeu certè illud, *à principio*, tempus indicat totum, quod captiuitatis, & templi ſtragem anteceſſit: ita vt *à principio* idem ſit, quod *antea*. Quaſi dicat Deus, talem futuram Iudæorum Rempublicam poſt exilium, qualis quondam fuerat ante Chaldæorum appulſum. In poſtremam hanc explicationem magis inclinat animus, quæ placuit Hugoni, & amplectitur Caſtrus. Porro *ædificare aliquem*, idem eſſe, quod in ædificio collocare, docet Ieremias ipſe non vno in loco, cap. 12. verſu 16. *Ædificabuntur in medio populi mei.* ideſt, habitabunt. ca. 24. verſu 6. *Ædificabo eos, & non deſtruam.*

Verſ.8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua,* 11.
in qua peccauerunt mihi.] Iniquitas non ſolùm valet id, quod communiter ſonat, ideſt, peccatum, & culpam; ſed etiam quod iniquitatem conſequitur, ſcilicet, ſupplicium, & ſordes. Vtrunque præſtitit Dominus reſtituto populo: emundabit enim ab iniquitate, ideſt (vt ego arbitror, ab eo, quod populum egit in exilium, ab idololatria præcipuè, quam ſæpe Deus exprobrat peccatrici Genti, & aliis ſceleribus, quæ ſibi aliquando præbuiſſe dolorem queſtus eſt Deus) & ab his ſordibus, quas ab iniquitate, & à longa ſeruitute contraxit. Quod quaſi in ſymbolo ſignificauit Dominus Zachariæ capite 3. cùm Ieſu Sacerdoti

filiō

filio Ioſedech detraxit ſordida veſtimenta, & munda, atque ſplendentia tradidit. De quo ibi
Zachar. 3. Deus: *Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & dixit ad eum: Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Abſtulit hîc, vt vides, & ſordes, quas ab exilio, & ſeruiture collegerat, & iniquitatem. Quo tamen loco, vt in illud Zachariæ caput oſtendimus, iniquitas ſupplicium ſignificat, quod propter iniquitatem imponitur. Non aliud hîc ſibi velle arbitrarer Ieremiam, quàm illic Zacharias, nempe, mutatam eſſe Iudæorum fortunam, & ab ærumnoſo ſtatu, & ſordido, ad iucundum, & lautum fuiſſe traductam, niſi obſtaret quod ſtatim ſubditur: *in qua peccauerunt mihi.* Qui loquendi modus culpam eſſe docet, non peccati pœnam. A peccato verò mundauit vexatione longa, qua non ſecus atque in fornace ſcoria omnis, ac rubigo excoquitur, vt dixit de eodem tempore, atque in eodem argumento Iſaias capite 1. verſu 25. *Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, &c. poſt hac vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.*

12. Verſ. 9. *Et erit mihi in nomen.*] Duo habebit, eáque præclara bona, reſtituta captiuitas, & quod ſublato ſquallore miris ornabitur, atque ſplendebit modis: quod Dei fidelitatem, atque potentiam extollet: & quod iniquitate depoſita à populo coletur religioſo, ac pio, quod veri Dei ſanctitatem, & munditiam commendat. Vtraque apud Gentes magnam Domino conciliabunt laudem, & eius nomen ſanctum eſſe, atque excelſum prædicabunt: vtpote qui præſtare poſſit ingentia, & vitæ ſanctitatem amet, & probet. Vide quid faciat vitæ puritas in populo, qui ſe Diuino cultui conſecrauit; quando Deus glorioſum ſibi nomen inde parari ait: ſicut contrà contemni nomen ſuum queritur, & haberi vile à Sacerdotibus, qui præſeferunt, Diuino ſe vacare cultui; cùm minus datas ſibi partes religiosè atque accuratè obeunt. Malachiæ capite 1. & capite 2. vbi hac de rè multa, & grauiter.

Deo honori conciliat vita Sanctorum.

13. *Et in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierunt omnia bona, quæ ego facturus ſum eis.*] Explicat, quomodo ex populi ſui munditia, ornatu, ac ſanctitate, illuſtre ſit habiturus nomen apud Gentes Deus: laudabunt enim potentiam, & fidem, qui & præſtare potuit euentus illos admirabiles, & fideliter voluit adimplere promiſſa; gaudebúntque, quòd Deus ſit aliquis longè ſupra inanium Deorum naturam, & mores, qui & propter bonitatem velit, & propter ſingularem potentiam poſſit tam grandia, tam inaudita, atque inexpectata præſtare.

14. *Et pauebunt, & turbabuntur in vniuerſis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis.*] Licet, *pauere*, & *timere*, vt capite 32. diximus, religioſam ſignificet obſeruantiam, & in hunc ſenſum nonnulli hunc locum interpretentur, quaſi ex tot bonorum conſideratione, Gentes antè deluſæ religionem veram amplexuræ ſint, quod ego non improbo; probo tamen magis Theodoreti ſententiam, cui noſter ſubſcribit Maldonatus, qui putat locum explicandum de eo, qui propriè dicitur *pauor:* quod ſuadet illud, *turbabuntur*, quod ſtatim adiungitur. Quare nomen illud inclytum, quod apud Gentes conſequutus eſt Deus, id effecit, vt illorum aliquas, ſpe tantæ felicitatis, ad veram religionem adduceret. Alias verò conturbaret vehementer, cùm ſuos inimicos, putà

A Iudæos, tam luculenter ornatos, atque amplificatos viderent: neque de ſuis rebus meliùs ſperarent, quàm de Iudaici nominis hoſtibus actum eſſe videbant. Cæterùm illud, *in*, quod toties in hac clauſula repetitur, idem valet hoc loco, quod *propter.* Quod in Scriptura ſacra frequens eſſe, pluribus oſtendimus ad illud Actuum 7. capite, *Obdormiuit in Domino.* Sic Geneſis 3. *Maledicta terra in opere tuo.* Ideſt, propter opus tuum. & Threnorum 3. *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.* ideſt, propter contritionem. In hunc ſenſum accipio illud Pauli toties iteratum, *Vinctus in Domino.* ideſt, propter Dominum. Quare ſenſus eſt: Pauebunt B Gentes propter bona collata Iudæis. Hæc de Iudæorum ſtatu accipiunt Theodoretus, ſanctus Thomas, Rabbanus, Hugo, & Maldonatus; de Eccleſia verò Lyra, Dionyſius, & Vatablus. Ego vtrunque verum eſſe arbitror, de Iudæorum quidem temporibus hiſtoricè; typicè verò de Eccleſia, atque Euangelio.

Regula. In, idem quod propter. Act. 7. Geneſ. 3. Thren. 3.

Verſ. 10. *Adhuc audietur in loco iſto, quem vos dicitis eſſe deſertum, &c. vox gaudij, &c.*] Hæc à nobis explicata ſunt capite 25. verſu 10. & capite 7. verſu 34. vbi eadem propè verba.

Verſ. 11. *Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum miſericordia eius.*] Hæc verba cantari puto ſolita in templo 15.
C frequenter, maximè in gratiarum actionibus, cùm poſt ærumnoſum tempus, & rerum diſcrimina ſucceſſit libertas, aut optata tranquillitas. Vtrunque ſuadet Pſalmus 117. in quo amæbæo ordine ex interuallis verſus iſte frequenter recurrit: quem numeroſa quadam Paraphraſi (vulgus Poëtarum gloſſam appellat) Regius Pſaltes amplificat. Quem ante Dauidis tempora credo in vſu fuiſſe ſacris cantoribus, acceptúmque ab aliis, illuſtratum à Dauide. Id porro completum eſſe conſtat ex libro 1. Eſdræ, capite 3. vbi primùm ædificari templum certum eſt. *Fundato* (inquit) *à cæmentariis templo Domini, ſteterunt Sacerdotes in ornatu ſuo cum tubis, &c. & concinebant in hymnis, & confeſſione Domino, quoniam bonus, quoniam* D *in æternum miſericordia eius.* Quòd verò verſus iſte poſt vexationum incommoda, fluctuúmque iactationem vſurpari ſit ſolitus, illuſtratio ipſa, ſeu amplificatio Dauidis oſtendit: qui eo Pſalmo duo aut Eccleſiæ, aut Synagogæ tempora conſtituit; alterum, quo iactatus, alterum, quo recreatus fuit ſtatus vterius.

Pſalmus 117. in gratiarum actionibus cantari ſolitus.

Portantium vota in domum Domini.] Hîc ſine dubio de ſacrificiis, votiſque pacificis ſermo eſt; 16.
de quibus Leuitici capite 3. quæ pro felici rerum euentu offerri ſolent: qualia obtuliſſe dicuntur aſſequuti iam libertatem Iudæi, poſtquam in patrias ſedes, locúmque ſacrificiis opportunum, atque legitimum redierunt. Dicuntur E autem hæc ſacrificia, ac dona, tam apud ſacros, quàm apud profanos communiter vota, quia hæc priùs voueri, ſeu promitti ſolent. Eſt autem frequens, vt actio pro termino (vt Logici dicunt) ſeu obiecto actionis adhibeatur: quomodo *ſpes*, prò re ſperata, *laus*, pro re laudabili, *preces*, pro rebus, quas precamur, & innumera alia, de quibus nos alio loco plura. Sic ergo *votum*, vel *promiſſio*, pro rebus voto, ſiue promiſſioni ſubiectis vſurpantur. Quòd pro re bene geſta, declinatóque periculo, dona quædam, ſeu monumenta, ad æternam memoriam, in templo locíſque frequentibus ſuſpendi conſueuerint, diximus in caput

Regula. Actus pro eius obiecto.

put 38.Iſaiæ, cùm de Ezechiæ à morbo liberati ſcriptura egimus.

17. Verſ.12. *Adhuc erit in loco iſto deſerto, abſque homine, & abſque iumento, & in cunctis ciuitatibus eius habitaculum paſtorum accubantium gregem.*] Dictum eſt à noſtro Propheta non ſemel, omnium rerum in regionem, à qua depulſi ſunt Iudæi, inducendam eſſe ſolitudinem, non ſolùm hominum, ſed iumentorum, & gregum: id nunc docet, cùm rediuiua Iudæorum fortuna eodem reſtitutum iri, ne deſint reuocato populo & vitæ ſubſidia, & doloris ſolatia. Illud, *accubantium*, exponendum eſt actiuè, vt planè indicat vox Hebræa מרבצים *marbitſim*; in hunc ſenſum, *accubare facientium gregem.*

18. Verſ.13. *Adhuc tranſibunt greges ad manum numerantis.*] Sumptum id eſt è doctrina, ac conſuetudine paſtoritia: ſolent enim paſtores manè, cùm è caulis educunt ad paſcua, & veſpere, cùm ad ſepta è pabulo reducunt, greges numerare, ne qua pecus à grege diſtracta, aut lupis ſit eſcæ, aut latronibus prædæ. Id certè facere ſolitum ab attento, & prouido patrefamilias docuit Virgilius Ecloga 3.

Grex à paſtoribus numerari ſolitus.

Eſt mihi námque domi pater, eſt iniuſta nouerca,
Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Et Theocritus Idyl. 8. ex quo iſta expreſſit Virgilius:

——— *pater meus moleſtus eſt,*
Et mater, numerant autem ad veſperum ſemper oues.

Et Oppianus libro 4. Hal.

Vt autem paſtor aliquis ex paſcuis minans
Lanigeros greges reducit iterum, inque oſtiis
Stat ſtabuli, numerat ouium multitudinem.

Quod etiam Homerus libro 4. Odyſ. dixit de Proteo, quem Phocarum paſtorem inducit. Ex quibus apparet, id eſſe quaſi legitimum prouido, atque ſui muneris ſtudioſo paſtori. & fortaſſe hoc dicendi modo nihil ſignificatur aliud, quàm in locis antea à grege, paſtoréque deſertis, futuros eſſe greges, & paſtores, qui illorum pabulo, atque cuſtodiæ præſint. Eſt enim vſitatum in omni fermè lingua, vt legitimum alicuius inſtituti, & proprium opus pro aliquo ſtudio, atque inſtituto ſumatur: vt in hac ipſa materia, de ſolitudine nempe Babylonis, dicitur Iſaiæ capite 13. *Nec ponet ibi tentoria Arabs.* ideſt, non paſcet gregem.

19. Ego aliquid aliud hìc videre videor, quod non ſolùm regionis abundantiam, ſed etiam pacem, & quietem ſignificat. Notum eſt ſatis, experientia ipſa, & hoc præſertim tempore, in his regionibus, quas vltra Oceanum, ſecundis planè auſpiciis, aperuerunt Hiſpani, domeſticas beſtias, ac cicures relictas à paſtore, & domino, vt ſuo ſe nutu in ſyluis, locíſque deſertis agant, efferari adeò, vt non modò tractari ſe manu non patiantur, ſed etiam hominibus terrorem incutiant, vt equi, aſini, capræ, canes, qui relicti ab Hiſpanis ſobolem propagarunt vſque adeò efferam, vt illius venatio neque facilis ſit, neque ſine periculo. Sic puto contigiſſe armentis, quæ ex ſuis relegati ſedibus in patrio ſolo reliquerunt Iudæi. Neque verò hìc de ouium tantùm gregibus ſermo eſt, ſed de aliorum etiam animalium, quorum in regione illa Chanaanitide copioſos eſſe greges ex Scriptura conſtat. Iacob ſanè habuiſſe dicitur greges caprarum, ouium, taurorum, camelorum, Geneſis 32.verſu 15.& re-

Animalia domeſtica derelicta efferantur.

A giones, quæ ſe Holoferni tradiderunt, illius voluntati, atque vſui ſubiecere, Iudith capite 3. *armenta boum, gregéſque ouium, & caprarum, equorúmque, & camelorum.* Habuiſſe autem dicitur Iob, ante acceptam diuinitus plagam, Iob.capite 1. *ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum.* & iterum reſtituta cum valetudine familia, capite 42. aluiſſe traditur *quatuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille aſinas.* Hæc verò armenta vbi liberè vagari in ſyluis aſſueta ſunt, non facilè ad manum hominum, neque ab illis numerari ſe ſinunt. Ait ergo, vt puto, paſtores fore in regionibus antè deſertis, qui ad antiquam diſciplinam armenta paſcent, condocefacta, & man-

B ſueta, quæ ad manum veniant, & ſe tonderi, atque mulgeri ſinant, vltróque offerant, quæ ex ipſis volet Dominus emolumenta capere.

Verſ.14. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo.*] Hæc puto ad Eccleſiæ tempus pertinere, 20.
ad quod ex eius vmbra vaticinium traducit Propheta, cui promiſſum eſt verbum, quod omni ex parte vocari poteſt bonum.

Suſcitabo verbum bonum, quod loquutus ſum.] Verbum bonum, vt diximus ad illud Zachariæ capite 1. *verba bona, verba conſolatoria*, eſt, quod felicitatem alicui promittit, aut precatur. Verba autem Dei bona non poſſunt non eſſe conſolatoria, quia bona promittit, quæ quia ſucceſſu ca-

C rere non poſſunt, mœrentem animam ſolantur, & languentem recreant. Dicunt quidem homines bona verba, ideſt, bene aliis precantur, & cupiunt: ſed ſunt tantùm verba, quæ ventus plerunque difflat, neque quicquam habent interdum præter ſonum. A quibus ſæpe audimus in nuptiis, magiſtratuúmque renunciatione, ac titulis, *feliciter, bene vertat, bene ſit, viuat Rex*, & ſimilia: quæ verba gentes *bona* dicunt, & ad illa dicenda mutuò ſe cohortantur. Tibullus libro 2. Eleg.1.

Verba bona, quæ conſolantur, aut bene precantur.

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.

Et Ouidius libro 1. Faſt.

Proſpera lux oritur, linguis, animíſque fauete:
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

D Sed quia Deus neminem precari poteſt, quia Deo nemo ſuperior eſt, à quo obtinere aliquid precando poſſit, cùm bonum loquitur verbum, bonum promittit: ſeu, quod idem penè hoc loco eſt, benedicit, aut promptum ſe futurum oſtendit. Quòd *bonus* propitium aliquem, & benignum oſtendat, ſatis in Scriptura ſacra frequens, in qua Deus bonus eſſe dicitur his, qui rectò ſunt corde: ſed neque minùs frequens apud profanos, qui adeſſe ſibi Deum orant *bonum*, ideſt, propitium, & fauentem. Virgilius Ecloga 5. 21.

Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille, Menalca,
Sis bonus ò, felixque tuis. ———

& libro 12. Æneid.

E ——— *Vos ò mihi manes*
Eſte boni, quoniam ſuperis auerſa voluntas.

Vt autem bona verba aliquid ſignificant, promittúntve fauſtum, & optabile; ſic etiam *mala verba* aliquid execrabile, atque infauſtum portendunt: vt enim illa precationes fauſtæ, aut benedictiones ſunt; ſic iſta execrationes, & maledicta. Proper.libro 4.Eleg.5.

Verba mala execratoria.

Quiſquis amas, ſcabris hoc buſtum cædito ſaxis,
Mixtáque cum ſaxis adiice verba mala.

& Ouiduis in Ibin:

Lydia ſe ſcopulis vt virgo miſit ab altis,

Dixerat

Dixerat multo quæ mala verba Deo.
Aliquid præterea, *bonum verbum*, importare diximus ad illud Iſaiæ 39. *Bonum verbum Domini, quod loquutus eſt.* Quod, vt credo, ad hunc locum non multùm facit.

22. Promiſerat Deus populo ſuo, in tempus tamen aliud (nam in præſens potiùs cladem, ſordes, & exilium minatus fuerat) fertilitatem, pacem, & quicquid ab ipſo optari poterat boni; nunc verò tempus illud indicat, in quo ſuam liberabit fidem; & quod locutus fuerat *verbum bonum*, apparere faciat: illud enim valet, *ſuſcitare verbum.* Sed agit hîc de Chriſto præcipuè, & de Eccleſiæ deliciis; quæ, vt ſæpe diximus, in Iudæorum felici reditu adumbrantur: quo tempore verbum bonum toties promiſſum, de Chriſto, nempe, Seruatore excitatum eſt.

23. Verſ. 15. *In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtum.*] Hæc à nobis explicata ſunt capite 23. verſu 5. vbi ſimilia verba de Chriſto eſſe intelligenda docuimus: quod etiam nunc exiſtimamus; quia, quæ temporibus illis promittuntur, eiuſmodi ſunt, vt impleri non poſſint omnino ab iis, quæ poſt reditum acceperunt Iudæi. Germen autem hoc Dauidis Chriſtus eſt, quia ſecundùm carnem ex regia Dauidis ſtirpe natus: qui etiam aliis in locis, etiam ſecundùm humanitatem, radix dicitur Dauidis, cuius cauſam reddidimus ad illud Iſaiæ cap. 11. *In die illa radix Ieſſe,* vbi oſtendimus, filios *ſtirpem,* ſeu *radicem* vocari.

Sunt, qui putant, de illis etiam accipi poſſe vaticinium iſtud, qui poſt reditum à Babylone Iudæorum præfuerunt Reipublicæ: in quibus, tanquam in vmbra, lux vera Chriſtus, & Dauidis germen iuſtum emicuit, in quibus eſt Theodoretus: quales fuerunt Zorobabel, & Ieſus filius Ioſedech, à quibus ſecundò templum ædificatum eſt, quique Chriſti fuerant illuſtris vmbra, vt in capite 4. & 6. Zachariæ pluribus oſtendimus. Porro Dauid in caſu datiuo eſt: quare ſenſus eſt; excitaturum Deum Dauidi tales filios, quales ipſi forent nō indecoros, iuſtos, videlicet, pios, in quibus eſſe poſſit Chriſti ſimilitudo. Sed quominus hæc probem, facit, quia germen illud ex ſtirpe Dauid nomen habiturum eſſe dicitur, quod homini nullo modo conuenire poteſt. *Hoc eſt* (inquit) *nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Vbi Vulgatus *Dominus,* Hebraicè, יהוה *Iehouah*, ſicut etiam capite 23. verſu 6. quod nomen proprium eſt Dei: neque vnquam datum homini mortali.

24. Verſ. 16. *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Ieruſalem habitabit confidenter.*] Hæc etiam ampliora ſunt, quàm vt capere poſſint Iudaicæ felicitatis anguſtię. Quare de Eccleſia hęc cū aliis fermè omnibus accipio, cuius gloriam glorioſus Iuda, ac Ieruſalem ſtatus adumbrat. Quod mihi maximè perſuadet, quòd quæ anteceſsêre, quæque ſubſequuntur, vt conſtat, ad Eccleſiæ tempus referuntur: neque hæc videntur ab illorum ordine, atque ſententia ſeparari oportere. Habitare autem confidenter ſtatum indicat feliciſſimum, in quo & nihil timeas, & rebus omnibus abundes. Pro *confidenter*, Hebraicè לבטח *labetah*, ideſt, *in ſpem*: quia talem experietur felix ille cœtus Dominum, vt ab illo omnia ſperet, quæ ex vſu ſibi futura cognouerit.

25. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.*] Sicut *nomen* alicuius pro *aliquo* in Scri-
A ptura frequenter vſurpatur, qua ratione Dei *nomen* pro *Deo* ſæpe legitur, ſic etiam *vocari*, quod nominis eſt proprium, pro *eſſe* non minùs frequenter adhibetur, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* Sic Ezechielis capite 48. de Eccleſia, ſeu Ieruſalem dicitur: *Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Et de eadem Baruch capite 5. *Nominabitur pax iuſtitiæ, & honor pietatis.* Et Deo multa tribuuntur nomina, quibus appellatus eſt nūquam: quia illa fecit, quæ voces illæ deſignant, & promittunt; & quibus pro ſuis meritis iure plus quàm optimo vocari poterat. Sic ergo nunc ab Eccleſia, *Deus iuſtus noſter,* appellatur; quia iuſtus fuit, atque fidelis in promiſſo præſtando: quan-
B do verbum ſuſcitauit bonum, quod ſæpe ante illud tempus à Prophetis audierant, de mittendo Meſſia, cum quo omnia bonā in hominum genus pariter aduenerunt. Quòd ſi hæc cum Theodoreto de typo, ideſt, de captiuis in patriam reſtitutis intelligas, hi quoque *Deum iuſtum noſtrum* vocabunt: quia cùm ſuperiorem vitam accuratiùs expenderint, illum ſuorum ſcelerum iuſtiſſimum vindicem agnoſcent; & poſtea captiuitate ſoluta, ſeruatóque promiſſo, fideliſſimum in ſeruanda fide iudicabunt.

Vocor, idem quod ſum.

Ezechi. 48. Baruch 5.

26. Verſ. 17. *Non interibit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël.*] Hæc licèt de ſtatu Iudæorum affirmari poſſint, déque eorum Repu-
C blica, cui qui ad tempus vſque Chriſti præfuerit, non defuit, iuxta illud Iacob vaticinium de Iuda Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* De cuius vaticinij fide multi multa dicunt, probaréque contendunt alij aliter, nunquam aut Regem, aut Ducem è Dauidico genere defuiſſe. Ego ab hac quæſtione conſultò abſtineo, quia licèt aliena omnino non ſit, magis tamen eſt propria illius loci Geneſis, de quo proximè; vbi ab aliis variè verſata, atque exagitata eſt. Cùm ergo de Iudæorum Republica affirmare poſſe videar, cui Deus Sacerdotes, & Principes ad tempus vſque Seruatoris promittit, tamen de Eccleſia, & Chri-
D ſto libentiùs accipio, in quibus hæc multò clariùs complentur, & illuſtriùs. Chriſti autem thronus æternus eſſe dicitur Pſalmo 88. verſu 30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.* Et de eodem Gabriel ad Mariam Lucæ capite 1. *Et regni eius non erit finis.* Illud, *non interibit de Dauid vir*, idem eſt, atque *non deficiet*; ſicut in ſimili probauimus ſuprà capite 18. ad illud: *Non enim peribit lex à Sacerdote*; vbi multa produximus exempla.

Chriſti regnum æternum.

27. Verſ. 18. *Et de Sacerdotibus, & Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocauſta.*] Defeciſſe videbantur Reges, & Duces, è regio Dauidis ſemine; quia licèt ex eius poſteris reliqui eſſent
E non pauci, erant tamen captiui, támque longè, vt populo imperarent, vt ipſi potiùs alienæ parerent voluntati. Defecerunt quoque Sacerdotes, & victimæ, cùm ſuo munere, niſi in Solymitano templo, fungi non poſſent Sacerdotes; & aliis in locis offerre victimas non liceret. Quare de vtriſque prædixerat Oſeas capite 3. verſu 4. *Dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim.* Nunc igitur Deus meliora promittit, futurúmque dicit, vt aut in Iudæorum ſtatu, tanquam in vmbra, neque Dux poſtea deſit, neque Sacerdos, ad ſæculum nempe Eccle-

Sacerdotes, in lege veteri defecerunt, ſecus in noua.

ſiæ; aut ſanè veriùs in Eccleſia ipſa, in qua ad finem vſque ſæculorum, neque Sacerdos aberit, neque ſacrificium.

28. Sunt qui hæc non de propriis Sacerdotibus, ac ſacrificiis capiant, ſed de metaphoricis. Quemadmodum omnes fideles à Petro vocantur epiſtola 1. capite 2. verſu 5. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias.* Et iterum verſu 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* De quo etiam loquutus eſt Ioannes Apocalypſis capite 1. & capite 5. *Fecit nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri.* Sacerdotes autem vocari poſſe fideles, hoc figurato dicendi modo, nemo dubitat, cùm ſic appellentur à Petro: quibus hoc nomen aptè conuenit, aut propter dignitatem, aut propter metaphoricum ſacrificandi munus. Propter dignitatem, quia, qui magna ſunt in veneratione, ac loco, quanuis altaris, ac templi miniſterio non addicti, Sacerdotes dicuntur, vt diximus ad illud Iſaiæ capite 61. *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini.* & eam ob rem fortaſſe, *regium, & ſacerdotium,* ſeu *regale ſacerdotium,* vocantur. ibi in eam ſententiam multa produximus, quæ tu vide: & adde illud Iob. capite 12. *Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat.* Quia ergo Eccleſiæ filios magni Dominus faciet, &, vt magni ab aliis fiant, efficiet, ideo fideles Sacerdotes appellat. Quòd verò hi quoque victimas metaphoricas offerant, ſpirituales nempe, quod ad Sacerdotale nomen requiritur, docet Paulus ad Romanos 12. *Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Eſt autem hoſtia mortificatio, quæ carnem macerat, & efferueſcentes affectus animi, & carnis motus cohibet, & Diuinæ ſubiicit voluntati. Gregorius quidem homilia 22. in Ezechielem, vbi hunc Pauli locũ explicat, ſic ait: *Hoſtia occiditur, vt offeratur, ſed hoſtia viuens eſt corpus Domino afflictum, quod & hoſtia dicitur, & viuens, quia viuit in virtutibus, & eſt à vitiis occiſa.* Multa in hanc ſententiam omnes Pauli Interpretes, quorum verba, quæ grauiſſima ſunt, referre non eſt animus, quia cuilibet apud ſuos Auctores videre promptum eſt. In hunc ſenſum accipiunt hunc Ieremiæ locum ſanctus Thomas, Rabbanus, Dionyſius, & Hugo: neque mihi diſplicet; verumtamen cum aliis eò magis inclino, vt putem de proprio Sacerdotio, ac ſacrificio vaticinium eſſe, quod in Iudæorum populo ad tempus vſque Chriſti, & multò magis in Eccleſia completum eſt, cui ad conſummationem ſæculi, neque Sacerdos deerit, neque victima.

Sacerdotes magni habiti.

Iob. 12.

Quomodo fideles ſacrificia offerũt.

29. Verſ. 20. *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit,* &c.] Comparatione earum rerum, quæ diſſolui, aut ceſſare non poſſunt, aut eo loco exiſtimantur ab hominibus, quorum opinioni ſeſe in loquendo Diuinus Spiritus accommodat, vt perire non poſſint, oſtendit Deus quàm futura ſit illorum, quæ promittuntur, certa, & inconcuſſa fides. Simili comparatione vſus eſt cap. 31. verſu 36. quo loco nos multa diximus, quæ omnia commodè in hunc locum tranſcribi poſſunt. Lege ab illis verbis, *Si defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus.*

30. Verſ. 22. *Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cœli.*] Hæc etiam nobis expoſita ſunt eo loco, de quo proximè; neque eſt, quid ad illa nouum addendum videatur: nam ſi de Eccleſiæ filiis ſermo ſit, quod potiùs reor, res difficilis non eſt; cùm filiorum Eccleſiæ multitudo ea ſit, vt cum cœli ſtellis, arenáque maris comparari poſſit. Si verò typicè ad Iudæorum filios, poſt exilij incommoda hæc referas, ſatis eo loco oſtendimus, quomodo optima ſit, & vera comparatio, in qua tamen hyperbole quædam eſt, à qua Scriptura ſacra non abhorret.

Verſ. 23. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens.*] 31.
Ex his colligere poſſe videor, quæ proximè anteceſſerunt, vt diximus, ſpectare aureum Euangelij ſæculum: nam modus iſte dicendi aliquid aggredi videtur à priori diuerſum; ex quo nonnulla coniectura ſubit, hæc de Iudæorum populo, priora de Eccleſia fuiſſe propoſita.

Verſ. 24. *Numquid non vidiſti, quid populus iſte* 32.
loquutus ſit? duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abiectæ ſunt; & populum meum deſpexerunt, eò quòd non ſit vltrà gens coram eis.] De populo, cui iſta à Deo verba tribuuntur, mihi dubium non eſt, quin ſit ille, quem duæ Tribus, Benjamin, & Iuda, compoſuerunt. De duabus cognationibus, quæ abiectæ dicuntur, minùs certum. Quidam putant, in duabus cognationibus totum genus Iſraëliticum intelligi, ideſt, duodecim Tribus, quæ in duas cognationes, & quaſi familias diſſectæ ſunt. Altera cognatio fuit decem Tribuum, quæ ſe à Dauidico genere, templíque religione diſtraxerunt, & ad Ieroboam, aureóſque vitulos diffluxerunt. Altera, quæ in auita religione ſtetit, quæ duas Tribus complexa eſt, Iuda, videlicet, & Benjamin. Hanc ſententiam non improbant ſanctus Thomas, Rabbanus, & Hugo; & mihi valde probatur. Tunc verò puto, duabus Tribubus multùm in ore fuiſſe, actum iam eſſe prorſus de toto genere Iſraëlis: nam de altera cognatione, quæ abducta iam olim fuerat ab Aſſyriis, ſpes nulla ſupererat, cùm iam diu inueteraret in exilio, nec vllum in patriam effugium appareret. Vnde non temere coniectabant, eandem ſibi impendere fortunam; cùm neque minùs ipſæ dignæ forent exilio, neque minùs crudeles eſſent Babylonij, quàm priùs in alias Tribus extitiſſent Aſſyrij. Tunc verò ſic ordino, & explico textum, *Vt duæ cognationes* (nam Hebræi ſæpe notam ſimilitudinis, & particulam conditionalem ſubaudiunt) *abiectæ ſunt, eóque relegatæ, vnde nullus in patriam ſperatur reditus: ſic populus meus deſpectus eſt, vt coram iam ex illo nullus appareat,* ſiue, *vt ad vnum omnibus pereundum ſit.* Quare verba ſunt deſperationis plena, ab animo grauiter affecto, quem Dominus ſtatim benigna quadam oratione conſolatur.

Alij in duabus familiis Aaronicam intelli- 33.
gunt, & Dauidicam, ex quibus duo ordines, Sacerdotalis, & Regius, electi ſunt: quæ periiſſe exiſtimantur, quia iam de templo, ſacróque miniſterio, déque Iudæorum dominatu, actum credebatur. Eò inclinant iidem, qui ſuprà; & cum illis Maldonatus, & Caſtrus: ex Hebræis etiam Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon. Quæ etiam ſententia mihi valde probatur; in vtram verò è duabus magis propendeam, nihil habeo deliberati, ac certi; quia ad vtramque pronus, & expeditus eſt textus: quare nihil definio, licèt magis animus feratur in priorem.

Verſ. 25. *Si pactum meum inter diem, & noctem, &* 34.
leges cœli, & terræ non poſui, equidem & ſemen Iacob, &

Dauid

Dauid ſerui mei proiiciam.] Idem eſt ſenſus, & eadem, quæ ſuprà, comparatio, nempe tam futuram eſſe certam captiui populi in patrios fines remigrationem, ſumendóſque iterum Principes ex Dauidis, Iacobíque genere, qui populo, ac templo, id eſt, ſacris, atque profanis curis præſint, quàm certum eſt, noctem futuram eſſe, & diem, & iuxta datas à principio leges cælum eſſe voluendum, & terram, ſuáſque ex Dei præſcripto obitura eſſe functiones. Quæ quia nunquam non erunt, ex hominum ſaltem opinione, ſic etiam populus patriæ reſtituetur, & ex ſuo genere Principes habebit, quorum imperio regatur, non alieno. Vtitur autem hîc forma dicendi negatiua, in hunc modum: Si cum nocte, ac die pactus non ſum, vt perpetuò ſuas obeant, & alternent vices; non ſum cum populo tuo, ô Ieremia, pactus, vt ab exilio redeat, & Principes, vt olim, habeat ex ſuo genere: atqui pactus ſum, & pactum ſeruatur, æternúmque ſeruabitur; paciſcar igitur, pactúmque ratum, & ſtabile præſtabo; ne genus Iſraëliticum proiiciam, aut alienos inducam, & peregrinos Principes, quorum imperio ſubſint. Hæc de capite trigeſimotertio.

ARGVMENTVM CAPITIS XXXIV.

DVO caput hoc continet vaticinia, alterum ad Sedeciam, quod licèt durum ſit, quia captiuitatem minatur, & mortem; habet tamen aliquid conſolationis admixtum, quia non in acie gladio interimendus dicitur, ſed in pace: & quia ſicut parentes olim integra Republica, ſic ipſe regium conſequetur, & publicũ funus. Alterum ad eos, qui cùm religioſo, atque legitimo fœdere ſtatuiſſent, liberos à ſe dimittere, qui apud ipſos ex Hebræorũ genere ſeruilibus eſſent aſtricti miniſteriis; réque ipſa, cogitata, atque iurata præſtitiſſent; ducti tamẽ poſtea pœnitentia, dimiſſos antea ſeruos ad idem rurſus iugum retraxerunt, quibus ideo ignominiam, & cædem minatur, & ſepulturæ honorem, & funeris ſolatium negat.

IEREM. CAP. XXXIV.

1. *VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, quando Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & omnis exercitus eius, vniuerſáque regna terræ, quæ erant ſub poteſtate manus eius, & omnes populi bellabant contra Ieruſalem, & contra omnes vrbes eius, dicens:*

2. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Vade, & loquere ad Sedeciam Regem Iuda: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam ciuitatem hanc in manus Regis Babylonis, & ſuccendet eam igni.*

3. *Et tu non effugies de manu eius: ſed comprehenſione capieris, & in manu eius tradèris: & oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis.*

4. *Attamen audi verbum Domini Sedecia Rex Iuda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio,*

5. *Sed in pace morieris, & ſecundùm combuſtiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te: & væ Domine,*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. HOc eſt verbum, quod à Domino Ieremias accepit, quo tempore Nabuchodonoſor Rex Babylonis exercitum ſuum, & regnorum omnium, quæ ſub ipſius erant poteſtate, vires aſſumpſit, armauítque contra Ieruſalem, quando omnes fœderati, atque euocati populi, contra Hieroſolymam, & ciuitates eius dimicabant.

2. Loquere, ait Dominus, ad Sedeciam Regem Iuda, & dices illi meo nomine: Ciuitatem hanc ego Regis Babylonij poteſtati tradam, qui illam penitus incendio vaſtabit.

3. Neque, ô Sedecia, illius furorem, aut manum declinabis, & quod tibi inſtar erit mortis, oculos illius ſubibis, corã te ipſum præſens ille loquetur: ingredieris denique Babylonem.

4. Audi tamen, ô Sedecia, id, quod per me tibi Dominus denunciari iubet: Gladius tibi vitam non eripiet.

5. Neque in bello cades; ſed poſtquam bellicus ardor, & ſtrepitus conſederit, & funebrem conſequeris honorem, qualem

ne, plangent te: quia verbum ego locutus ſum, dicit Dominus. A

6. Et locutus eſt Ieremias Propheta ad Sedeciam Regem Iuda vniuerſa verba hæc in Ieruſalem.

7. Et exercitus Regis Babylonis pugnabat contra Ieruſalem, & contra omnes ciuitates Iuda, quæ reliquæ erant, contra Lachis, & contra Azecha: hæ enim ſupererant de ciuitatibus Iuda, vrbes munitæ. B

8. Verbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, poſtquam percuſſit Rex Sedecias fœdus cum omni populo in Ieruſalem, prædicans:

9. Vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam, Hebræum & Hebræam, liberos: & nequaquam dominarentur eis, id eſt, in Iudæo & fratre ſuo:

10. Audierunt ergo omnes Principes, & vniuerſus populus, qui inierant pactum vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam, liberos, & vltrà non dominarentur eis: audierunt igitur, & dimiſerunt, C

11. Et conuerſi ſunt deinceps: & retraxerunt ſeruos & ancillas ſuas, quos dimiſerant liberos, & ſubiugauerunt in famulos & famulas. D

12. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam à Domino, dicens:

13. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego percuſſi fœdus cum patribus veſtris in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, dicens:

14. Cùm completi fuerint ſeptem anni, dimittat vnuſquiſque fratrem ſuum Hebræum, qui venditus eſt ei, & ſeruiet tibi ſex annis: & dimittes eum à te liberum: & non audierunt patres veſtri me, nec inclinauerunt aurem ſuam. E

15. Et conuerſi eſtis vos hodie, & feciſtis quod rectum eſt in oculis meis, vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque ad amicum ſuum: & iniſtis pactum in conſpectu meo, in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum ſuper eam.

16. Et

parentes quondam tui, florente Republica. In tuo quippe funere accendentur aromata, & lamentatrices de more ſolenne illud, & tritum concrepabunt: *Væ Domine, væ inclyte.* de euentu ne dubita, quia verba mea hæc ſunt, dicit Dominus.

6. Hæc autem omnia Ieremias loquutus eſt ad Sedeciam Regem, cùm eſſet in Ieruſalem.

7. Pugnabat autem, vt principiò diximus, Rex Babylonis contra Ieruſalem, & contra ciuitates alias terræ Iuda, quas nōdum ſuo ſibi ſubiugarat imperio, nempe contra Lachis, & Azecha, quæ è ciuitatibus munitis ſolæ ſupererant.

8. Hoc Ieremias à Domino vaticinium accepit, poſtquam Sedecias cum toto populo, fœdere religiosè concepto, conſtituit,

9. Vt quiſque, quos haberet ex Hebræo genere ſeruos, & ancillas liberos dimitteret: vt nequaquam in fratres ſuos vlteriùs, contrà quàm lex permitteret Diuina, exerceret imperium.

10. Audierunt igitur Principes, & alij de populo, quorum ſeruituti adſtricta fuerat Hebræorum libertas, quíque de dimittendis ſeruis, interpoſito fœdere, cum Rege conuenerant, & regiæ voluntati, & patriis legibus obſequuti, ita dimiſerunt ſeruos Hebræos, vt non illos ad ſeruile iugum vltrà retraherent.

11. Mutato deinde, damnatóque conſilio, quos à ſe liberos antè dimiſerant, eoſdem contra fidem datam, & fœderis legitimè concepti religionem ad ſeruitutem retrahunt, faciúntque, vt ſicut antea ſoliti, ſeruile adhuc obeant miniſterium.

12. Tunc verò hoc à Domino verbum Ieremias accepit:

13. Ego, ait Dominus Deus Iſraël, hoc fœdus cum patribus veſtris quondam inij, quando illos extraxi de Ægyptiorum terra, duróque dominatu, & de domo ſeruitutis exemi:

14. Cùm ab inita ſeruitute ſextus fuerit exactus annus, ineunte iam ſeptimo, dimittat vnuſquiſque fratrem ſuum Hebræum, cuius ſeruilem operam, ſeu veriùs libertatem pretio coëmit. Sex annis ſeruiet tibi, poſt verò liberum abire permittes. Hæc ego ad patres veſtros, ipſi tamen neque audierunt, neque vt audirent, aures adhibuêre.

15. Vos autem his diebus, contra quàm veſtri fecêre maiores, feciſtis id, quod mihi gratum eſſe ſignificaueram, probauerámque. Prædicaſtis enim libertatem, & publicè, atque legitimè profeſſi eſtis, nolle iam ampliùs vobis vltra ſexennium ab

Hebræo

A Hebræo puero ſeruilem operam impendi. Quod pactum, quò magis eſſet religioſum, ac firmum, in loco ſacro, in domo nempe mea, atque coram me ſancitum eſt.

16. Et reuerſi eſtis, & commaculaſtis nomen meum: & reduxiſtis vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam, quos dimiſeratis vt eſſent liberi, & ſuæ poteſtatis: & ſubiugaſtis eos, vt ſint vobis ſerui & ancillæ.

16. Mutaſtis tamen confeſtim animum, damnatóque conſilio priori, nomen meum, quod ad faciendum fœdus adhibueratis, polluiſtis. Quos enim paulò antè à ſeruitutis exſoluiſtis iugo, & ſuo arbitratu vt viuerent, edixiſtis, eoſdem ab ea libertate, quam nondum aſpexiſſe videbantur, reuocatos, in eandem ſeruilem conditionem rurſus compegiſtis.

B

17. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audiſtis me, vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque fratri ſuo, & vnuſquiſque amico ſuo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad peſtem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.

17. Propterea hæc Dominus ad vos: Sicut vos parere mihi noluiſtis, cùm præcepi, vt vnuſquiſque fratrem ſuum, & amicum, libertate ſibi à lege conceſſa, frui pateretur; ſic ego, quod in ſupplicio omnium maximo numerare poteſtis, vos à meo dominatu liberos dimittam, ne videlicet vobis Dominus, ac Pater ſim. Dimittam autem vos, tradámque gladio, fami, ac peſti, qui dominentur vobis. Et qui dominos hoſce crudeles effugerit, non recuſabit, quominus exul à patria incertis vagetur

C ſedibus, neque in vllo terrarum angulo ſecurus quieſcat.

18. Et dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obſeruauerunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diuiſiones eius:

18. Efficiam, vt viri illi, qui percuſſum fœdus violarunt, neque obſeruarunt fidem, quam in conſpectu meo ratam fore profeſſi ſunt, ſimiles ſint vitulo, qui in percutiendo fœdere conciſus fuit, atque diſcerptus, inter cuius diſſecta membra legitimo ritu tranſierunt.

19. Principes Iuda, & Principes Ieruſalem, eunuchi & Sacerdotes, & omnis populus terræ, qui tranſierunt inter diuiſiones vituli.

19. Neque ab hoc eximentur numero, qui primo loco ſunt in Ieruſalem, & in toto Iudæorum tractu, non eunuchi, non

D Sacerdotes, non denique vnus è populo, qui inter diſcerpta vituli membra tranſierunt.

20. Et dabo eos in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animam eorum: & erit morticinum eorum in eſcam volatilibus cæli, & beſtiis terræ.

20. Quos ego tradam inimicorum ſuorum poteſtati; eorum, inquam, qui ad illorum cædem vehementer anhelant. Quorum inhumata cadauera tam beſtiis terræ, quàm cæli volucribus, alimenta præbebunt.

21. Et Sedeciam Regem Iuda, & Principes eius dabo in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum Regis Babylonis, qui receſſerunt à vobis.

21. Sed & Sedeciam Regem Iuda, quique illi aſſident regni Principes, inimicorum poteſtati permittam, qui illorum ſanguinem auidiſſimè ſitiunt. Incident enim in Chaldæorum manus, qui à nobis aliò acies, & vires Babylonicas traduxerunt.

22. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & præliabuntur aduersùs eam, & capient eam, & incendent igni: & ciuitates Iuda dabo in ſolitudinem, eò quòd non ſit habitator.

22. Ecce ego Chaldæos, qui iam hinc aliò digreſſi fuerant, in vrbem reuocabo, quam oppugnabunt, & capient, & ad extremum igne ſuccendent, & ciuitates alias Iuda ſic euertam, vt deſertæ relinquantur, & à cultore, & habitatore nudæ.

IN

IN CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM IEREMIÆ.

1. QVo anno verbum iſtud Ieremias acceperit, non conſtat: tantùm enim habemus è textu, hæc contigiſſe, quo tempore Chaldæorum exercitus bello vrgebat Hieroſolymam; at bellum illud triennale fuit: vt enim ex capite 52. Ieremiæ liquet, cœptum eſt anno Sedeciæ nono, vndecimo finitum. Quare definitè, quoto ex illis tribus annis vaticinium iſtud acciderit, cognoſci non poteſt. Initium capitis, quod quaſi proœmium prophetiæ eſt, tantùm oſtendit, quo in ſtatu eſſet res Solymitana, quando verbum iſtud ad Sedeciam delatum eſt, vt omnia regna Nabuchodonoſoris imperio ſubiecta, eodem quo Imperator ipſe ardore in Iudæorum exitium conſpirarint. Reliqua obſcura non ſunt, in quibus apertè & Regis calamitas, & vrbis ruina, atque incendium proponitur.

2. Verſ.3. *Oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuò loquetur.*] De hôc loquendi genere diximus capite 32. verſu 4. ad eadem propè verba, & in Iſaiam capite 52. numero 34.

Et Babylonem introibis.] Huic aduerſari videtur aliud vaticinium Ezechielis capite 12. verſu 13. quod Sedeciæ videndam eſſe negat Babylonem: ſed facilè ſe veritas veritati conciliat. Non ait Ezechiel, Sedeciam non eſſe abducendum in Babylonem, immo id quàm apertiſſimè prædicit, negat tamen illi videndam eſſe Babylonem, quia cæcus in illam erat ingreſſurus: vt enim ex Ieremia capite 52. liquet, effoſſis priùs oculis traductus eſt in Babylonem. *Adducam* (inquit) *eum in Babylonem, in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit, & ibi morietur.*

3. Verſ.4. *Non morieris in gladio, ſed in pace morieris.*] Dura Propheta Sedeciæ nunciauerat, eadem nunc magis benigno in ſpeciem euentu nonnihil emollit. Dicit enim illum hoſtili ferro non iri ſublatum, ſed moriturum in pace, id eſt, confecto bello, & omni iam armorum ſtrepitu ſilente. Porrò illud, *in pace*, maius aliquid ſonat, & honeſtius. Pax enim in quacunque materia id ex Hebræorum vſu ſecum importat, quod optabile eſt, magníque haberi ab hominibus ſolet; qualia in vita ſunt honores, diuitiæ, Principum gratia, firma valetudo, & eiuſdem generis alia: in morte honeſtum funus, pretioſus tumulus, faces, & lacrymæ. Hæc omnia abundè Sedeciæ promittit Ieremias, quæ ingenuis animis ærumnoſæ vitæ, & neceſſariæ mortis ſolent eſſe ſolatio. Qualis verò futurus ſit ſepulcralis honor, ſtatim declarat.

4. Verſ.5. *Secundùm combuſtiones patrum ſuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te.*] Hoc videtur ſummum, quod ingenuo, aut regio cadaueri, in funere præſtari ſolet; quid tamen illud ſit, explorato opus eſt. Quæritur ergo primùm, an Sedecias illatus fuerit ſepulcro, aut humo tectus, vel impoſitus rogo, & ſolutus in cineres. Combuſtum negare videtur Hebraicæ gentis iam inde à populi primordiis perpetua conſuetudo. Repete antiquiſſima tempora ab

A Abrahamo, & Sara, ad tempus vſque Ioſiæ, qui Sedeciæ pater fuit, inuenies omnes vno ordine Hebraici generis progenitores, & Principes ſepulcro conditos, non igne combuſtos. Adde quod Cornelius Tacitus lib.21. prodit, condi magis quàm cremari Ægyptio more Iudæos conſueuiſſe. At dices, in Babylone deceſſiſſe Sedeciam, atque ideo non Iudaico, ſed Babylonico more illius funus eſſe curatum. Notum eſt autem non tam ſuorum cadauera terra condere, quàm igne comburere ſolitos eſſe Gentiles. Exemplorum ſatis nobis ſuppeditant Poëtæ: & Homerus non ſemel. Vnum accipe ex Virgilio, qui libro 6. Æneid. in funere Miſeni Romanum *Gentiles cadauera cõburunt.*
B morem, quem in ſuorum cadaueribus tenuerunt, latè, elegantérque proponit. Sic ergo Virgilius:

Principiò pinguem tædis, & robore ſecto
Ingentem ſtruxêre pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt.———

Quem etiam morem ſeruaſſe Babylonios veriſimile eſt; atque ideo Sedecias ex illorum ritu videri poterat eſſe combuſtus. Sed contra hæc duo occurrunt, quæ cogitationem iſtam valde conturbant: alterum eſt, quòd Principes apud Babylonios non tam incendio abſumebantur, quàm iacebant in tumulis, vt ſatis conſtat ex Iſaia capite 14. vbi de Principum ſepultura, & de inhu- 5.
C mato Balthaſaris cadauere ſatis multa: alterum, quòd Sedecias, non Gentilico, ſed Iudaico ritu comburendus dicitur: *Secundùm combuſtiones patrum ſuorum Regum.* Quæ verba dubitare nos cogunt, an Iudæorum cadauera ſolita fuerint in funere cremari.

Egit hac de re Abulenſis optimè in illud 1. Regum capite vltimo: *Tulerunt cadauer Saül, & cadauera filiorum eius, &c. & combuſſerunt ea igne: & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt.* Et putat, ex ſententia Rabbi Dauid, carnes Principum virorum (nam de vulgaribus cadaueribus alia ratio eſt) comburi ſolitas, ne putreſcerent, & grauem ex ſe fœtorem emitterent; oſſa verò, quæ à tabe, & vermibus libera ſunt, inferri ſepulcris. Quod probari poſſe putat ex cadauere Saül, & filiorum, quæ igne ita dicuntur fuiſſe cremata, vt tamen 6. *1.Reg.c.vlt.* *Iudæi cadauera non cremabant.*
D oſſa fuerint ſepulta, quæ deinde ex Iabes Galaad ad paternum ſepulcrum in terram Benjamin tranſtulit Dauid 2.Regum capite 21.verſu 12.

Hæc Abulenſis cogitatio non omnino ſoluta eſt, quæ maximè nititur Saülis exemplo, quem ſepultum eſſe conſtat, atque combuſtum. Quod ego neque negare poſſum, neque video, quomodo inficiari quiſquam poſſit, contrà nitente, atque clamante litera. Sed eſt in Saülis, filiorúmque cadaueribus noua ratio; ex qua nullo modo coniectare licet, ſolenne fuiſſe, atque legitimum, comburi carnes, & oſſa ſepeliri. Nam, cùm aliquot dies, vt neceſſarium videtur ex hiſtoria, cadauera illa pependiſſent in muro, aſpirabant iam grauem aliquem, & intolerabilem halitum, quem nec ipſi, qui ex muro ſuſtulerant, ferre poſſent, neque alij ad carnes illas Regij cadaueris fœtentes, 7.

tentes,& putridas, exequiales honores obite ſuſtinerent. Quare commodum viſum eſt, immo & neceſſarium nudare carnibus oſſa, quibus in patria regio more parentarent; & carnes incendio conſumere, nequid ſecum tetrum, & fœtidum adducerent, quod Regi futurum eſſet ignominiæ.

8. Alia exempla, quæ in ſuam ſententiam adducit Abulenſis, minus habent negotij: nam, vt ipſe de illorum nonnullis arbitratur, alios habent explicatus non difficiles. Quæ antequam explicare, atque infirmare aggredior, obſeruo, vſitatum eſſe, ac penè legitimum, vt in funere maximè nobilium, ad opprimendum moleſtum halitum, quem ex ſe caro exanimata reddit, vngi ſolere liquore nobili, ac pretioſo cadauer, & cum illo pretioſa quoque aromata cremari. De vtroque exempla occurrunt penè innumera, tam in ſacra, quàm in profana literatura. De profana eſt illud Virgilij de Miſeno libro 6.

In funere odores cremati.

—— Congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.

Apuleius libro 4. Florid. *Iam miſeri illius membra omnia aromatis perſperſa: iam os ipſius vnguine odore delibutum.* Statius 3. Sylu.

—— Quis carmine longo
Exequias, & dona mala feralia pompæ
Perlegat? omne illic ſtipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicúmque fluit, floréſque Sabæi,
Indorúmque arſura ſeges, præreptáque templis
Thura. ——

Iuxta hunc morem Perſius Satyrà 6. de hærede offenſo ait:

—— Sed cœnam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaueris: vrnæ
Oſſa inodora dabit. ——

9. De ſacris eſt inprimis illud Ioannis capite 19. verſu 39. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloës quaſi libras centum:* quod eſſe quaſi legitimum Iudæis, docet ſtatim, dum addit, *Sicut mos eſt Iudæis ſepelire.* & de Aſa 2. Paralip. 16. verſu 14. *Et ſepelierunt eum in ſepulcro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid; poſuerúntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* Ex his explicari poſſe videtur illud Paralip. 2. capite 21. verſu 19. de Ioram: *Mortuus eſt in infirmitate peſſima, & non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat maioribus eius.* Vſitatam eſſe dicit combuſtionem, & quaſi nouum aliquid, ac rarum indicatur, quòd non in regiis exequiis combuſtionis modus ſeruatus ſit, cùm tamen Reges fermè omnes conſtet non fuiſſe combuſtos, ſed terræ mandatos. Hinc, credo, non difficile conſtat, quid ſibi Ieremias velit, cùm denunciat hoc loco Sedeciæ: *Secundùm combuſtiones patrum ſuorum, &c. ſic comburent te.* ideſt, comburentur in tuo funere regio more, ac magnificentia aromata varia, & cadauer tuum delibutum vnguentis inferetur ſepulcro.

Iudæi funeri aromata adhibent. Ioan. 19.

2. Paral. 16.

2. Paral. 21.

10. Neque illud, *comburent te*, admodum vrget: quia Hebraicè, vbi Vulgatus reddidit, *te*, eſt לך *lach* in datiuo: quaſi dicat; comburent tibi captiui Iudæi, aut iam magis pacati, atque benigni Babylonij aromata varia, ſicut aliis Regibus, integra Republica Iudæi cremare conſueuerunt. Quare non cremantur Iudæorum cadauera, ſed in eorum exequiis, & funere thura cremantur, & ſuffimenta alia. Deinde, quia non rarò alicui

A tribuuntur illa, quæ magis in illud, quod eius cauſa, aut in eius honorem, & gratiam fiunt, conueniunt. Quomodo dicimus bibere aliquem, in cuius honorem tot hauriuntur cyathi, quot ſyllabis eius conſtat nomen. Accipe ex multis vnum, aut alterum exemplum. Martialis libro 1. Epigrammatum 39.

REGVLA. Alicui tribuuntur, quæ in id magis conueniunt quod in eius gratiam fit.

Næuia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Idem eſſe credo de ferali cœna, quæ in mortuorum exequiis porrigebatur iis, qui officij, atque honoris gratia funus obibant. Sanè ita olim loquebantur Hiſpani: qui *comedi mortuum* tunc dicebant, cùm feralibus, de more, epulis accumbebant: ſic ergo nunc comburi dici poſſunt B mortuorum cadauera, cùm in illorum inferiis aromata cremantur.

Væ, Domine, plangent te.] Hæc eſt altera pars regij funeris, in quo non tantùm varia cremabantur ſuffimenta, ſed etiam voces concrepabant lamentatorum, atque lamentatricum. Qua lamentatione caruit Ioacim, ſicut etiam ſepulturæ honore. Vide quæ ad verba non diſſimilia diximus capite 22. ad illud: *Non plangent eum væ frater, & væ Domine, &c.* Hîc tamen obſeruandum, valde videri veriſimile, quod putat Rabbi Salomon, aliter à præficis, ſeu ab his, qui piè, veréque iuſta cadaueri perſoluerent, clamari ſolitum in Re- C gum, Principúmque funeribus, aliter dum aliquis è vulgo ſepulturæ mandatur. Cùm enim vulgares efferuntur, clamatur etiam à vulgari turba, *Væ ſoror, & væ frater*, quia eo ſe nomine apud Hebræos, qui eiuſdem ſunt conditionis, atque ordinis, compellant. At cùm Régium, aut aliquo alio titulo eximium, ac nobile cadauer effertur, non auditur à turba vox, quæ conditionem eandem, atque fortunam ſonant: id enim non multùm faceret ad funeris honorem, ſed quod in eo præcipuum fuit, & ſupra reliquorum nomen, & ſtatum illuſtre: atque ideo conclamatur à lugenti populo: *Væ Domine, væ inclyte.* Niſi fortè contingat intereſſe funeri aliquem, qui re- D gio, aut nobili defuncto, aut cognatione, aut titulo proximus ſit. Nam Reges fratres ſe compellant, & ſalutant, vt habetur 3. Regum capite 9. vbi Hiram Salomonem Regem fratrem appellat. & capite 2. Benhadad Rex Syriæ frater appellatur Regis Iſraël. & Dauid 2. Regum capite 1. quia iam ipſe Rex exiſtimabatur, Regium filium Ionatham in funere fratrem compellat. Regis ergo Sedeciæ Babylone ſepulti hac voce videtur populus proſecutus funus, vt indicat Propheta: *Væ Domine.* 11.

Funebre carmen aliud in Principem, aliud in vulgarem hominem.

Reges mutuo ſe fratres ſalutant. 3. Reg. 9.

Verſ. 7. *Et exercitus Regis Babylonis pugnabat contra Ieruſalem, & contra omnes ciuitates Iuda, quæ reliquæ erant.*] Triennalis fuit hæc poſtrema ciuitatis obſidio, vt principio huius capitis oſten- E dimus. Interim verò moram illam longam non habuit otioſam Babylonius: nam ciuitates alias in quibus minus erat ad reſiſtendum virium, expugnauit, eodem, vt apparet, conſilio, quo ante hoc tempus Sennacherib, qui cùm ciuitates alias muratas ſubiugaſſet, ad extremum caſtra conuertit ad Lachis, ſicut nunc Nabuchodonoſor, vt habes 4. Regum capite 28. 12.

Verſ. 8. *Verbũ, quod factum eſt, &c. Poſtquam percuſſit Rex Sedecias fœdus cum omni populo in Ieruſalem prædicans, vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum.*] Statuerat, credo, Nabuchodonoſor, fame potiùs, & mora Hieroſolymam, quàm ferro confi- 13.

çere:neque re vera aliter in ipſius poteſtatem venit, vt conſtat 4. Regum capite 25. & Ieremiæ capite 52. Interim ſtructis hinc inde munitionibus, ne qua ſpes foret libertatis obſeſſis, bonam caſtrorum partem ad ciuitates alias, quæ Iudæorum ſuberant imperio, capiendas traduxit; cóque rem deduxit anguſtè, vt quo tempore hæc à Ieremia dicta ſunt, ex omnibus ciuitatibus munitis duæ tantum eſſent reliquæ, Lachis, & Azecha, quarum tunc oppugnationem non ſegniter vrgebat. Antequam magnam copiarum partem ab Hieroſolymis abduceret, ad expugnandas, vt apparet, ciuitates alias, cùm extremum ab hoſte in eam curam vehementer intento inſtare videretur exitium; ſuadente, vt eſt veriſimile, Ieremia, edixit Sedecias, quò Diuinus aut auerteretur, aut miteſceret furor, vt omnes ſeruos, & ancillas, quos diutius apud ſe retinuerant, quàm lex patiebatur Diuina (de quo ſtatim) quamprimùm ſolenni forma, & iuriſiurandi interpoſito ſacramento, liberos dimitterent. Quod fecerunt, non tam, credo, libenter religionis ſtudio, quàm coacti ſeruitutis, aut exitij metu: quæ vt declinarent, ſeruire ſibi non ampliùs voluerunt, quos religio à ſeruitute vendicabat. At vbi abductis aliò copiis à Chaldæo, frigere videbatur ciuitatis obſidio, reſpirare ciues à metu cœperunt, & ſperare meliùs de ſua, ciuitatíſque fortuna. Atque ideo, quod antè ad placandum Deum, declinandúmque malum, vtile putabant eſſe conſilium, idem illud improbant, damnántque, & quos antea liberos à ſe dimiſerant, eoſdem contra datam fidem, iuriſiurandíque religionem ad ſeruitutem retrahunt. Sic videtur ex his, quæ habemus è Ieremia, informari poſſe præſens hiſtoria: neque enim, quod ego ſciam, de hac ſeruorum, ancillarúmque libertate, aliquid habemus alio Scripturæ ſacræ loco, vnde lucis aliquid aſſumat commentatio.

14. Videtur hoc ſanè non difficile, ſed videtur magis expeditum, & facile, ſi dicamus, reuocatos eſſe ſeruos, quo tempore Chaldæus caſtra à Hieroſolyma tranſtulit contra Ægyptium, qui Ieremiæ capite 37. verſu 4. dicitur auxilio veniſſe Sedeciæ, cùm premeretur à Chaldæis. Eo ſanè tempore, ſummoto hoſte, videri potuerunt Solymitani, damnato priori conſilio, in ſeruitutem rurſus ancillas, & ſeruos reuocaſſe: quod putat Hugo, Dionyſius, & Lyra; immo & ipſe videtur ſignificare Ieremias, qui in hoc ipſo capite ad finem rediturum eſſe dicit, qui iam anteceſſerat, Chaldæorum exercitum.

15. At dices, hæc, quæ de Ægyptiorum aduentu tradit Ieremias, nulla poſſe ratione componi cum eo, quod traditur 4. Regum capite 24. vbi à tempore Ioachin Rex Ægypti dicitur non ampliùs egreſſus de terra ſua: *Et vltrà* (inquit) *non addidit Rex Ægypti, vt egrederetur de terra ſua. Tulerat enim Rex Babylonis à riuo Ægypti, vſque ad flumium Euphratem, omnia quæ fuerant Regis Ægypti.* Sanè difficilis eſt nodus; eſt tamen, quod reſponderi poſſit non ineptè. Primùm, ſi dicas non eo conſilio, atque animo egreſſurum Ægypti Regem in Iudæam, quo antea ſolitus, nempe, vt terræ dominum, vt exigeret tributa à Regibus Iuda, quæ antè impoſuerat capite 43. cùm iam Babylonius id ſibi iuris vindicaſſet, ſuperato Hieroſolymæ Rege, & magna regni parte ſpoliato Pharaone: ſed vt auxilio eſſet populo ſibi iam antea fœderato. Aut certè, quia non ita frequenter, neque eo rerum ſucceſſu rediit in Iudæam, quo ante tempus illud aliquando ſæpe. Eſt autem vſitatum in Scriptura, vt quæ raro facienda, aut minùs quam antea frequenter, aut modo certè diuerſo, illa non ampliùs, aut non vltra futura exiſtimentur; quia id fert hominum in loquendo conſuetudo, cui ſe Scriptura ſacra nonnunquam accommodat. Qua de re egimus ſuprà capite 32. numero 45. vbi exemplorum ſatis.

REGVLA. *Quæ rarò futura, aut non eodem ſtudio, atque ſucceſſu, illa non ampliùs facienda eſſe dicuntur.*

16. Verſ. 9. *Vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum.*] Præceperat Dominus, qua eſt animi lenitate, atq; clementia, ne Hebræorum eſſet apud ſuos perpetua, immo neque diuturna ſeruitus: quæ mortis inſtar cenſeri ſolet. Et re vera erepta quoquomodo libertas, ciuilis quædam mors exiſtimatur, & dicitur Exodi 21. verſu 1. *Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.* & Deuteronomij 15. verſu 12. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patiaris. Memento, quòd & ipſe ſeruieris in terra Ægypti, & liberabit te Dominus.*

Ad ſeptimũ annum Hebræorum ſeruitus. Exodi 21. Deut. 15.

17. Hoc præceptum, vt erant eo tempore Iudæi auari, atque crudeles, quo nomine ſuprà grauiter exagitantur à Propheta capite 6. v. 13. iam omnino contempſerant; quia perire ſibi nolebant, quæ à ſeruili miniſterio capi poſſe ſperabant emolumenta: neque humanitatis ratio, quam iam omnino prodiderant, illos ad miſericordiam inflectebat. Quare niſi eandem ipſi ſeruitutem, atque iniuriam, à Domino magis inclemente metuerent, nunquam de dimittendo ſeruo cogitationem illam ſuſcepiſſent. Quod ex eo promptum eſt colligere, quia vbi ſummotus eſt hoſtis, Réſquepublica ab omni metu putabatur ſoluta, ea libertate priuati ſunt infelices ſerui, quam vixdum agnoſcere, atque intueri cœperant. Hæc verò non tunc primùm à Iudæis admiſſa queritur Propheta, ſed à parentibus etiam inducta, ſeruatáque ad illud vſque tempus oſtendit: à quibus poſteri, neque magis pij, neque minùs auari, abſtinendum ſibi non putabant. Quid porro pactum ſit, de quo verſu 10. dicemus ſtatim.

18. Verſ. 14. *Cùm completi fuerint ſeptem anni, dimittat vnuſquiſque fratrem ſuum Hebræum, qui venditus eſt.*] Quomodo pater filium ſuum, & ſe ipſum quiſque poſſit vendere, pluribus oſtendimus in illud Iſaiæ capite 50. *Cui vendidi vos.* nu. 10. & nu. 28. Illam tamen ſeruitutem adeò perpetuam eſſe noluit Dominus, vt integrum parentibus, immo & cognatis eſſe voluerit, vt venditum filium, ſeu cognatum in libertatem oblato pretio aſſerere potuerint, Leuitici capite 25. nu. 47. Sed illud ſingularis beneuolentiæ argumentum eſt, quòd vltra ſexennium Hebræi generis ſeruitutem produci vetuit: edixítque dominis, vt abeuntem ſeruum nullo modo vacuum ad propria dimitteret. Illud videtur obſeruatione dignum, in quo hærere attentus lector non immeritò poſſit; quomodo, cùm ſex annis ſeruiturus dicatur ſeruus Hebræus, laxari tamen, atque dimitti iubetur à domino ſuo, cùm completi fuerint ab inita ſeruitute ſeptem anni: ex quo effici videtur non difficile, totum ſeptennium ab Hebræo puero ponendum eſſe apud herum Hebræum in ſeruitute.

Hebraicè, vbi Vulgatus, *cùm completi fuerint ſeptem*

ptem anni, eſt מקץ *mikez*, quod *à fine*, ſiue *ab extremo* ſignificat. Putant autem Hebræorum magiſtri, in quibus ſunt Rabbi Dauid, & Abenezra, in caput 15. Deuteronomij, & eorum ſententiam ſequutus Vatablus, קץ *kez* extremum ſignificare, non ſolùm quod finit, ſed etiàm quod inchoat quantitatem, aut motum, ſicut punctum, aut pars, quæ lineam inchoat, & quæ lineam definit, & terminat, finis illius appellatur. Cùm ergo tam dicatur finis, ſeu extremum anni ſeptimi primus quàm extremus anni ſeptimi dies; dum dimittendus eſſe dicitur ſeruus in fine anni ſeptimi, dimitti vtique iubetur ineunte ſeptimo anno, cùm primùm ſextus completus fuerit. Sic illi Ieremiam hìc, cum Moyſe componunt Exodi 21. & Deuteronomij 15. vbi ſeruiturus dicitur ſex annis puer Hebræus, & anno ſeptimo libertate donandus, ineunte videlicet.

19\. REGVLA. *Aliquando quod inchoatum eſt, impletum eſſe dicitur.*

Neque ſi iuxta vocem Hebraicam locum interpretere, difficilis videtur hic dicendi modus: nam *terminus*, qui idem exiſtimatur, quod *finis*, tam dicitur id, quod incipit, quàm quod diffinit, & abſoluit aliquid. Vnde tritum illud Philoſophorum, *terminus à quo*, ideſt, qui inchoat, & *terminus ad quem*, ideſt, qui complet, & terminat aliquem motum; ſed non ſatis hoc modo videtur eſſe factum tranſlationi Vulgati, qui non tam principium anni ſeptimi, quàm eius extremum videtur ſignificaſſe, dum ait: *Cùm completi fuerint ſeptem anni.* Quocirca aliter nobis huic difficultati occurrendum eſt, obſeruandúmque, ex Scripturæ conſuetudine, inchoatum tempus, aut imperfectum opus, pro pleno, atque perfecto vſurpari ſolitum. Quomodo Ieremiæ capite 27. cùm deletum fuerit Chaldæorum imperium, futurus eſſe dicitur Iudæorum in patriam reditus, cùm tamen eorum plerique non exiguo pòſt tempore in Babylone conſederint. & Danielis capite 9. anno Darij primo completi eſſe dicuntur ſeptuaginta anni deſolationis Ieruſalem, cùm ſeptuageſimo illinc anno deſolari ſit cœpta, Oſeæ capite 6. *Dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, &c. & poſt hæc reuertentur.* ideſt, incipient reuerti, quia non ſimul, atque Reges, & Principes habuêre, omnes reuerſi ſunt. Et in hoc ipſo nomine, aut certè non diſſimili, exempla nobis occurrunt non obſcura.

Act.2. Actorum capite 2. *Antequam implerentur dies Pentecoſtes, deſcendit Spiritus ſanctus in Diſcipulos*, vt conſtat ex eo, quòd hora tertia iam publicè prædicauerant Apoſtoli, & admirata turba, illos muſto plenos eſſe clamabat: quam ſuſpicionem vt à ſe, ſociiſque depelleret Petrus, horam eſſe tertiã oſtendit, quæ non ſatis eſt ad ebrietatem opportuna. Eſt autem veriſimile, ſummo mane, aut non longè ab orto Sole Spiritum ſanctum deſcendiſſe: cùm hora tertia loquuti fuerint iam Apoſtoli variis linguis, & illis obiecta crapulæ ſuſpicio. Eſt tamen credibile, non eo ipſo temporis veſtigio, quo Diuino Spiritu afflati ſunt Apoſtoli, in publicos hominum conuentus erupiſſe: ſed aliquantulum poſuiſſe moræ in agendis gratiis, ſéque ipſis ad præclarum Apoſtolorum munus excitandis. Hic verò ad noſtrum inſtitutum maximè obſeruandum eſt, non totum quinquaginta dierum ſpatium dici completum; ſed extremum diem, qui quinquaginta dierum numerum abſoluit. Eſt enim *dies* in ſingulari numero Græcè, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέραν, ideſt, *cùm compleretur dies*: & ita habent quidam è Lati-

A nis codicibus, non *complerentur*, ſed *cõpleretur*. quod perinde eſt, atque ſi diceret: *Cùm adueniret dies quinquageſimus, in quo celebrari antea ſolita Hebræorum Pentecoſte.* Huc etiam adde illud Lucæ capite 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer.* Quod nihil videtur eſſe aliud, quàm cùm dies adueniret octauus. Neque enim credendum eſt de perfectiſſima Chriſti, & Beatæ Virginis obedientia, ad finem diei octaui diſtuliſſe præceptum, quod ineunte die octauo ſtatim implere potuerunt. Sic ergo, cùm Ieremias inquit, *Cùm completi fuerint ſeptem anni*, idem, credo, eſt, ac ſi dicat: *Cùm ſeptimus adueniat annus.* aut, *quando compleri cœperit*: nam, quòd ſex tantùm annis, & ſeruo Hebræo, & ancillæ item Hebrææ, ſeruiendum ſit, ipſe ſtatim indicat Ieremias, *Seruiet tibi ſex annis.* Porro tam Exodi 21. quàm Deuteronomij 15. dimittendus eſſe dicitur ſeruus, non ſtatim in ipſo fine exeuntis anni ſexti, ſed in anno ſeptimo, vbi aliquid temporis vltra ſexennium videtur à lege concedi dominis, vt ſeruos apud ſe retineant: ſic enim Deuteronomij 15. *In ſeptimo anno dimittes eum.* An verò quidquid ex anno ſeptimo ſpatij ſumptum eſt, ſupplere debeat id, quod à ſeruo peccatum eſt, aut quod propter affectam valetudinem miniſterium obire non potuit; aut certè quia beneuolentiæ gratia, id officij ſeruulo propediem exceſſuro præſtare Dominus voluit, vt domi apud ſe molliter, atque amicè tractaret, cui durum ante miniſterium iniunxerat, incertum eſt. Luc.2.

Et non audierunt patres veſtri.] Antiquum docet eſſe peccatum, ab impiis parentibus ad ſeram vſque poſteritatem deriuatum: quod (vt diximus) ab auaritia, & inclementia natum eſt. 20.

Verſ. 15. *Et conuerſi eſtis vos hodie.*] *Hodie*, pro tempore, quod non ita dudum anteceſſit, ſiue quod ſtatim futurum eſt, quódque moraliter præſens exiſtimatur, frequenter ſumi docuimus ad illud Zachariæ 9. *Hodie quoque annuncians duplicia reddam*: nam quòd de eo præcisè dic, quod propriè valet, *hodie*, hæc intelligenda non ſint, certum eſt, quia eo die iam dimiſſi ſerui, in priorem ſtatum, & conditionem reuocati fuerant, vt vides.

Vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque ad proximum ſuum.] Hæc fuit Iudæorum conuerſio, nẽpe à parentum moribus, & ab eo, quem ipſi ad parentum exemplar inſtituerant vitæ modum. Prædicarunt etenim libertatem, ideſt, publicè, atque legitimè profeſſi ſunt, nolle iam ampliùs ſibi extra ſexennium ab Hebræo puero ſeruilem operam impendi. Illud autem, *ad proximum ſuum*, referri poteſt vel ad ſeruos, quibus à Domino prædicatur, atque promittitur libertas, vel ad alios heros, qui tunc erant in eodem ſcelere conſortes, quaſi ſe mutuò cohortentur, vt laſſam miſerorum ceruicem exſoluant à ſeruili iugo. Ad vtrunque ſenſum patere videtur textus; ſed magis in priorem inclinat: quia Hebraicè ante *proximum* lamed eſt, quod aptiùs cum eo coniungitur, cui libertas promittitur: & ita ſentiunt Theodoretus, & Dionyſius; fauétque plurimùm Pagnini, atque Tigurina tranſlatio: neque fauet parum, quod infrà verſu 17. dicitur, eodem, vt apparet, ſenſu: *Vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque fratri ſuo.* 21.

Et iniſtis pactum in conſpectu meo, in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum.] Amplificatur à loco 22.

Votum in religioſo loco conceptũ

ſceleris magnitudo, quia non in tenebris ac ſeceſſu, aut in profano loco conceptum eſt votum, ac iuſiurandum, ſed in ſacro, publica, atque ſolenni forma; in domo nempe Dei, & ea adhibita cæremonia, qua nulla in fœdere ſanciendo, concipiendóque voto, grauior videtur adhiberi potuiſſe, de qua ſtatim. Vnde non ſolùm ſceleratum, ſed etiam inuerecundum fuiſſe neceſſe eſt, quem neque loci, ſacramentíque religio, neque publica ſolenníſque profeſſio, in data Deo, hominibúſque fide, continere potuerunt: vſque adeò profligata, cum ſanctitate, Deíque timore, verecundia, vt quid velit, minetúrque Deus, quid homines loquantur, aut iudicent, nihil curet. Quæ reprehenſio in virum religioſum grauiſſima, cùm minùs ſecurè inſtitutum colit, quod ſanctè, publicè, & cum ſolenni forma eſt profeſſus. Tunc enim is vulgo etiam hominum exiſtimatur, neque timere Deum, neque hominum oculos, atque iudicia reuereri.

Religioſi mali inuerecundia.

23. Verſ.16. *Commaculaſtis nomen meum.*] *Commaculare, contaminare, polluere,* & ſimilia, ex Hebraici ſermonis proprietate, ſignificant, iniuriam inferre, contemnere, aut habere vile id, quod pollui, aut maculari dicitur. Quare, ſi quempiam, quod interpoſita Diuini nominis maieſtate confirmauit, violare contigerit, is polluere dicitur, ſeu contaminare Diuinum nomen. Vnde ſæpe, qui falsò iurat, Dei nomen polluiſſe dicitur. Leuitici 19. verſu 12. *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen meum.* & alibi millies. & Ezechielis capite 20. verſu 40. is Diuinum dicitur polluere, ac fœdare nomen, qui idolorum nomen & auxilium implorat, quia ore impio, & idolorum nominis compellatione conſpurcato, Dei nomen aſſumit.

Periurus, aut violator voti nomen Dei polluit.

Leuit.19.

24. Verſ.17. *Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad peſtem, & ad famem.*] Prædicare libertatem ad gladium, vt communiter arbitrantur Interpretes, aut eſt, populum à Domino repelli, atque ab ipſius quadam protectione deſtitui, ex quo ſequitur, vt hoſtili ferro, fami, ac peſti tradatur, aut, quod idem fermè eſt, hoſtibus permittere, vt in populum à Domino dimiſſum, libere, vt volent, & crudeliter ſæuiant. Qualia ſuperbi, atque inclementes heri ſeruis præſtitêre, quos ad idem iugum, & ad eadem lora reuocarunt, à quibus ideo ſoluti videri poterant, vt ex oblata, atque ſperata libertate, acerbior eſſet antiqua conditio. Talia Deus minatur, ſub amara (vt ego interpretor) ironia. Ferebant Iudæi grauate iampridem, & cum aſſiduo murmure iugum, quod ipſorum ceruicibus Deus illigarat; & paſſim, quaſi non illud ampliùs perferre poſſent, aliena ſectabantur ſacra, & qua erant mentis diritate, ferreum inanium deorum iugum non grauatè ſubibant. Deus verò, ne populus ille ſtolidus ab ſe abalienatus ſtultè periret, à veſana illa mente continenti penè exhortatione reuocabat, oſtendens quàm grauis, quàm ſtulta, & inanis eſſet illa religio, & quid ab ipſius humanitate, potentiáque acceperint olim Iſraëlitici generis parentes: & quid ipſi, ſi fideli ſunt animo, ſperare poſſint. Qua de re extant apud Iſaiam à capite 41. hortationes plurimæ, longæ, & graues. Ad illud vſque tempus Deus videbatur apud ſe retinuiſſe durum illum & ingratum Iudæorum genus, quando toties à data fide fugitiuum, in domum, & officium reuocare voluit. Nunc libertatem populo non tam promittit, quàm minatur, qua libertate nulla omnino ſeruitus horribilior eſt, vt poſt ſuas concupiſcentias abeat, ſeruiatque non tam Deo, cuius horret, & auerſatur iugum, quam aut ſuo ſibi genio, aut illorum libidini, à quibus præter ignominiam, & mortem ſperari nihil poteſt. Id verò graui, & non vulgari dicendi modo ſignificat Deus: nam, dum à ſe vendicat veſanum illũ populum, illum quaſi futurum iam inde liberum addicit gladio, fami, ac peſti, quæ in illius caput, & vitam tantum ſibi iuris aſſumant, quantum volent. Vt autem Domini voluptarij, & duri, quíque ſuis affectibus imperare neſciunt, in ſeruos ſuos impotenter ſæuiunt, ſiquid ab illis, quantumuis leuiter peccatum eſt: quare illos vrunt, lacerant, & pro ſua libidine quiduis audent, quia ſibi in illos quiduis licere putant: ſic, qui à Domino libertatem, vt ipſi interpretantur, nacti ſunt, illorum alligantur libidini, à quibus omnem tanquam vile mancipium ignominiam ſubeant, & tanquam ferro, crucíque deuoti crudeliter pereant. Hæc Deus gladij, famis, & peſtis nomine ſignificat, aut quia re vera poſtquam illorum ſingularem curam abiecerit Deus, illos non multò pòſt aut Chaldæorum interimet gladius, aut in obſidione, longa fame, ac peſte tabeſcent, quod magis puto, aut quia illi ſuccedent domini, cùm à Deo receſſerint, qui nihilo mitiores erunt fame, peſte, ac ferro, quibus nihil in rebus exiſtimari ſolet horribilius.

Eſt autem perquàm bella ſimilitudo: nam 25.
quemadmodum qui libertatem nacti ſunt ab aliena domo, ad propriam remigrant, vbi ſua ſe voluntate regunt, non aliena; actúmque ſecum feliciter iudicant, cùm ſibi, ac in ſuo domicilio viuunt: ſic Deus illorum domum, qui è domo Dei expulſi diſcedent, vbi perpetuò habitent, gladium eſſe dicit, peſtem, & famem; quia nullum habebunt tempus à cæde, tabe, atque iis incommodis vacuum, qualia à gladio, & peſte prouenire ſolent. Hæc mihi videtur huius loci ſententia, quæ ſanè grauis eſt, explicátque mirificè ſtatum illorum infelicem, qui ſeruire Deo durum eſſe putant, amántque libertatem carnis, quæ nihil eſt aliud, quàm miſerarum mentium crudelis laniena.

Et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.] 26.
Ecce aliud malum, quod conſequitur illorum inſaniam, qui libertatem eſſe putant, à Deo recedere, ſuíſque ſiue rationibus, ſiue ſtudiis ſeruire: eorum enim, quos Deus à ſe dimiſerit, & in eo, quod præſtare debuerunt, officio, continere deſierit, alij gladio cadent, alios fames, peſtíſque conficiet: alij verò, quibus vis, aut lethalis alia calamitas pepercerit, non ſaltem effugient, quominus exules à patria, inopes, & odioſi incertis vagentur ſedibus, neque in vllo terrarum angulo ſecuri quieſcant. Quod ita planè contigit: quotus enim quiſque fuit ex tanta multitudine, cui ſi liberari contigit à gladio, & fame, exilium declinare potuerit? *Commotionem* interpretor cum Theodoreto, Lyra, Hugone, Maldonato, vagum inter gentes, & inſtabile domicilium, in quo neque longam habeant, neque ſecuram requiem, qui à Domini ſeruitute receſſerunt. Illud idem, credo, ſignificauit Oſeas capite 9. in fine, cùm de eodem populo dixit: *Abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum; & erunt vagi in nationibus.* Neque aliter fortaſſe actum eſt cum fugitiuo hoc populo, quàm olim cum Cain, cùm à Domi

Domini facie reiectus eſt:ambulauit enim vagus, & profugus, nunquam à metu, nunquam à periculo ſolutus. Geneſis capite 4. *Ecce eiicies me hodie à facie terræ; & à facie tua abſcondar: & ero vagus,& profugus in terra: omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Et quidem, quod timebat, de commotione ſaltem, & perpetua fuga paſſus eſt: ſtatim enim de ipſo traditur: *Egreſſúſque Cain, à facie Domini habitauit profugus.* Duo paſſus eſt diſcedens à Domino Cain, & commotionem animi, à ſollicitudine, & metu: & commotionem corporis à domicilio vago,ſeu à perpetua fuga. eadẽ expertus eſt populus cæde reliquus:nam & animus incuſſo à vana interdum cogitatione metu, & corpus ab inſtabili,& incerta ſede commouebatur.

Geneſ.4.

A

B

27. Verſ.18. *Et dabo viros, qui preuaricantur fœdus meum, &c. vitulum, quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diuiſiones eius.*] Quare fœdus dicatur feriri, aut percuti, & quæ fuerit feriendi fœderis ſolennis quædam, & legitima forma, diximus ad illud capitis 32. *Et feriam domui Iſraël, & domui Iacob fœdus nouum.* Neque aliquid eſt, quod magni interſit ad hunc locum adiicere. Illud tamen non omittam, videri in feriendo fœdere ad iuramentum, execrationem quoque ſolitam adiungi: nam alibi ad iuſiurandum maledictionem adhiberi, obſeruauimus ad illud Iſaiç 62. *Iurauit Dominus in dextera ſua.* Quòd enim apud profanos hoc eſſet vſitatum, ſatis multa confirmant. Romani cæſo porco fœdera ſancta eſſe, ac firma ſignificabant, cuius conſuetudinis meminit Cicero 2. de Inuentione, & Virgilius, cùm ageret de fœdere inter Tatium Albanum, & Romulum inito, ait libro 8. Æneidos:

In fœdere feriendo ad iuſiurandum execratio adhibita.

C

> *Armati Iouis ante aram, paterásque tenentes*
> *Stabant,& cæſa iungebant fœdera porca.*

Liuius de hoc ipſo Romanorum, atque Albanorum fœdere cùm ageret libro 1. verbis in iureiurando conceptis execrationem adiunxit. *Populus,* inquit fæcialis, *Romanus prior non deficiet. Si prior defecit publico conſilio dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantóque magis ferito, quantò magis potes, polléſque. Id vbi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.* Notum eſt aliud fœderis ſanciendi genus, ad quod Iuppiter lapis aduocabatur: notum Phocenſium iuſiurandum, de quo Horatius in Epodo,& Herodotus in Clio.

D

Ad hunc ergo modum arbitror,in confirmando fœdere, maximè cùm victimarum intercederet ſanguis, adhiberi ſolitam à Iudæis execrationem, in hunc modum: Sic ego, ſi ſciens fallo,aut niſi promiſſis ſtetero,conficiar, ac lacerer; ſicut conficitur, laceratúrque victima, quæ pactum ſancit,atque confirmat.

28. Ex his apparet, vt reor, huius loci non difficilis ſenſus, quem priuſquam propono,obſeruo ſimilitudinem ex Hebræorum conſuetudine, per verbum, *do*, in hunc fermè modum ſolitam explicari. Dedi te ſagittam, ideſt, feci, vt eſſes inſtar ſagittæ. Iſaiæ 27. *Quis dabit me ſpinam?* ideſt, faciat, vt inſtar ſpinæ pungam, & lacerem. & apud hunc Prophetam ſæpe capite 1. *Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream,& in murum æreum.* ideſt, vt ſis ciuitati munitæ quàm ſimillimus. Et capite 6. *Probatorem dedi te in populo meo.* ideſt,vt ſis tanquam conflator, & probator argenti. Multa occurrent tum apud hunc Prophetam,tum apud alios his ſimilia.

Verbum do, ſimilitudinem aliquando explicat.

E

Hæc, quæ à me propoſita ſunt, facilem mihi reddunt hanc ſententiam. Quemadmodũ cùm in pangendo fœdere id tuo imprecabaris capiti, vt ſi quando factum, quod tunc iuramento confirmabas, mutares, accideret tibi, quod occiſo vitulo, variéque diſſecto, nempe, vt malè, & ſine vllius commiſeratione perires; id accidet proculdubio tibi, violato fœdere, quod ſanctè pepigiſti, reuocatis nempe ſeruis ad illud iugum, à quo ex pacto eximi in æternum debuerant. Quare dabo te vitulum, quem concidiſti, ideſt, faciam te apparere ea ſpecie, qua vitulus conciſus, atque diſcerptus. Subiicieris hoſtili cultro, & latè per varia regnorum ſpatia diſpergeris.Quod paulò antè ſignificarat Deus,cùm dixit, permittendum eſſe fœdifragum hunc populum peſti, & gladio, & omnibus terræ regnis dandum in commotionem. 29.

Verſ.19. *Principes Iuda, & Principes Ieruſalem, eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus terræ, qui tranſierunt inter diuiſiones vituli.*] Vt nemo ex his, qui ſolenni illa cæremonia libertatem Hebræis ſeruis pollicitus eſt, ab illius pacti obſeruatione eximitur, ſic etiam eorum nullus ſupplicium illud euitabit, quod iniunxit Dominus violato fœderi. Cùm à Chaldæis obſideretur Hieroſolyma, in qua plus videbatur eſſe ad reſiſtendum virium,& ad alias etiam ciuitates munitas,Chaldæorum ſe copiæ, & ſpiritus effunderent, non ſolùm erant in Ieruſalem illius ciuitatis Principes,ſed etiam ex omnibus vrbibus Iuda,qui communi conſilio ſtatuerunt, & perſanctè iurarunt, quod ſuprà de Hebræorum libertate produximus. Eunuchi in Principibus quoque numerari poſſunt, quia illis viri Principes vti ſolent perquàm familiariter, quóſque ad grauia quæque negotia adminiſtros habent: vt ſatis ex ſacra Scriptura liquet. *Populus terræ,* vulgaris eſt multitudo, & turba promiſcua, quæ à Principibus, & magni nominis hominibus ſecernitur. Quod ex eo non obſcurè colligitur, quia in Scriptura ſæpe poſt Principes, & Magiſtratus, maioráque nomina ſeparatim ponitur. Exempla ſunt obuia, duo ex hoc Propheta manifeſta, capite 44. *Reges veſtri, & Principes veſtri, & populus terræ.* & capite 52. *Et ſeptem viros de his, qui videbant faciem Regis.* &c. *& ſexaginta viros de populo terræ.* 30.

Populus terræ quid?

Verſ.20. *Et dabo eos in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animas eorum: & erit morticinum eorum in eſcam volatilibus cæli.*] En ſimilitudo vituli occiſi, diſſecti, atque diſperſi. Videtur hæc eſſe explicatio verborum eorum, quæ proximè audiuimus, *Dabo viros,*&c. *vitulum,quem conciderunt.* Quærere alicuius animam, nihil eſt aliud, quàm aliquem ad mortem,& exitium expetere: quæ dicendi forma in ſacra Scriptura frequens. *Animam* alicuius idem eſſe, quod ille cuius eſt anima, ſæpius à nobis obſeruatum eſt. 31.

Verſ.21. *Et Sedeciam Regem Iuda.*] Quanuis in generali voce comprehendi videatur aliquis,ſi tamen in eo aliquid eſt eximium, ſeorsũ ab aliis numerari ſolet. Exempla occurrent attento lectori. accipe hæc pauca. In hoſtibus Dauid continebatur Saül,vt patet,at in titulo Pſalmi 17.ſeparatim ab aliis ponitur Saül, quia is inimicorum omnium potentiſſimus fuit, & quamdiutiſſimè, & pertinaciſſimè illum eſt inſectatus. *Locutus eſt Domino verba cantici huius, in die,qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius,&* 32.

REGVLA. *Quamuis in generali voce aliquis comprehendatur, ſi in eo ſit aliquid eximium, ſeorſim ab aliis numerari ſolet.*

de manu Saül. Et Paulus 1. Corinthiorum 9. cùm A reliquos nominaſſet Apoſtolos, ſeorſum adhibuit fratres Domini, & Cepham, quia in illis aliquid ſpectabat eximiu. *Nunquid non habemus poteſtatem, mulierem, ſororem, circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Eam nos diximus eſſe cauſam, cur Act. cap. 1. Mariam matrem Ieſu Lucas ſeorſum ab aliis mulieribus nominaret. Cùm ergo Sedecias comprehenſus videretur in aliis Ieruſalem, Iudáque Principibus, ſeorſum tamẽ hoc loco nominatur, quia primus erat omnium, & in eo maxima ad repugnandum vis.

Qui receſſerunt à vobis.] Percuſſerunt fœdus de ſeruorum libertate Iudæi, quando toto belli pondere Chaldæus in Hieroſolymæ oppugnationem incumbebat; cùm verò aut copiarum partem ad alias Iudææ ciuitates ſubiugandas traduxit; aut, quod verius putabamus, quando occurrit obuiam Ægyptio, qui auxiliares pro Solymitanis copias inſtruxerat, quaſi nihil iam foret ab hoſte metuendum, ac Deo placato non indigerent, mutauerunt factum, & donatos antè libertatè Hebræos ad idem iterum piſtrinum compegerunt. Ait itaque Dominus, vt ſerui ad iugum reuocati ſunt à periuris, fœdifragiſque Iudæis, ſic ad obſidendam, delendámque Hieroſolymam, Chaldæos à ſe, qui iam aliò digreſſi fuerant, fore reuocandos. Reliqua aperta ſunt.

ARGVMENTVM CAPITIS XXXV.

TOTVM hoc caput apertum eſt, neque eget vlla Paraphraſi, quia hiſtorica fermè narratione conſtat, neque occultum eſt, aut interruptum filum. Tantùm enim exemplum proponit filiorum Rechab, qui cùm à parente iam olim accepiſſent, ne vinum biberent, aut vineta plantarent, aut agros ſererent, aut domos conſtruerent, locúmve haberent deſtinatum, & ſtabilem, vbi morarentur, cùm durum eſſet, obſeruatúque difficile parentis imperium, ipſi tamen per longa ſæcula accuratè ſeruarunt. At domus Iuda cùm multò leuiora accepiſſet à Domino mandata, non tamen ſeruauit: propter quod Iudæis, vtpote rebellibus, dura minatur; Rechabitis autem, qui paternis obſequuti ſunt monitis, ſecunda promittit.

IEREM. CAP. XXXV. IN IDEM

1. *VErbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino in diebus Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda, dicens:*

2. *Vade ad domum Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam exedram theſaurorum, & dabis eis bibere vinum.*

3. *Et aſſumpſi Iezoniam filium Ieremiæ filij Habſaniæ, & fratres eius, & omnes filios eius, & vniuerſam domum Rechabitarum:*

4. *Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filij Iegedeliæ hominis Dei, quod erat iuxta gazophylacium Principum, ſuper theſaurum Maaſiæ filij Sellum, qui erat cuſtos veſtibuli.*

5. *Et poſui coram filiis domus Rechabitarum ſcyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos: Bibite vinum.*

6. *Qui reſponderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab, pater noſter, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri, vſque in ſempiternum:*

7. *Et domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec* B *habebitis: ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini.*

8. *Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, patris noſtri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinum cunctis diebus noſtris nos, & mulieres noſtræ, filij, & filiæ noſtræ:*

9. *Et non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam, & agrum, & ſementem non habuimus:*

10. *Sed habitauimus in tabernaculis, & obedientes fuimus iuxta omnia, quæ præcepit* C *nobis Ionadab pater noſter.*

11. *Cùm autem aſcendiſſet Nabuchodonoſor Rex Babylonis ad terram noſtram, diximus: Venite, & ingrediamur Ieruſalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ: & manſimus in Ieruſalem.*

12. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens:*

13. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ieruſalem: Numquid non recipietis diſciplinam*

nam vt obediatis verbis meis, dicit Dominus?

14. *Præualuerunt ſermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filiis ſuis vt non biberent vinum: & non biberunt vſque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris ſui: ego autem locutus ſum ad vos, de mane conſurgens & loquens, & non obediſtis mihi.*

15. *Miſique ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, conſurgens diluculo, mittenſque, & dicens: Conuertimini vnuſquiſque à via ſua peſſima, & bona facite ſtudia veſtra, & nolite ſequi deos alienos, neque colatis eos: & habitabitis in terra, quam dedi vobis, & patribus veſtris: & non inclinaſtis aurem veſtram, neque audiſtis me.*

16. *Firmauerunt igitur filij Ionadab filij* A *Rechab præceptum patris ſui, quod præceperat eis: populus autem iſte non obediuit mihi.*

17. *Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Ecce ego adducam ſuper Iuda, & ſuper omnes habitatores Ieruſalem vniuerſam afflictionem, quam locutus ſum aduersùm illos, eo quòd locutus ſum ad illos, & non audierunt: vocaui illos, & non reſponderunt mihi.*

18. *Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Pro eo quòd obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa, quæ præcepit vobis,*

19. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.*

IN CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM IEREMIÆ.

1. *Exempli magna vis.* MAGNOS habet aculeos reprehenſio, cùm exemplum adducitur vehemens, & graue eorum, à quibus aut propter beneficia minora, aut mentis ſtuporem ſperari non poterant, aut requiri, quæ in illis, quorum inertiam, aut ſcelus arguimus, deſiderantur. Ex eo capite ad arguendum Iudæorum ſtuporem, & amentiam Iſaiæ capite 1. exemplum adducit Deus bouis, & aſini, qui memores præſepis, & fœni, qua ratione poſſunt, gratias Domino referunt, collúmque iugo docile ſubmittunt. Et hominum ignauiam, & otium, formicæ, quæ nullum in æſtate à labore tempus intermittit, exemplo compungit, & exagitat Prouerb. 6. verſ. 6. ſic Ieremiæ cap. 2. verſ. 10. vt exprobret Iudæis leuitatem, & inconſtantiam, in quibus ſicut locorum, ſic etiam religionum mutationes quotidie fiunt; ac nihilo magis vbi leuiſſimum acceſſit momentum, in accepta religione conſtant, quàm fluctus, aut ſtipulæ, vbi perflauit ventus, exemplum adducit Cethæorum, ac Cedarenorum, qui quos ſemel amplexi ſunt deos, nunquam mutauêre. Eodem nunc conſilio, vt duram populi ceruicem, & animum ad obſequendum indocilem coarguat, exemplum adducit Rechabitarum, qui cùm durum, & varium iampridem præceptum accepiſſent à patre, nunquam tamen illud poſt tot annorum curricula violarunt. De præcepto primùm, pòſt de Rechabitarum genere dicemus.

2. *Rechabitarũ inſtitutũ.* Præcepit Ionadab, filius Rechab, à quo poſteri Rechabitarum nomen accepêre, ne filij è latere, ac ſaxo, ſeu ex aliqua alia materia firmiori domicilia conſtruerent; ſed in tabernaculis habitarent, vitámque ducerent inſtabilem, ac vagam; tranſlatis, vt vſus ferret, & temporum commoditas, hinc inde tabernaculis, ad Scytharum, credo, morem: quorum, vt inquit ille, *vagas plauſtra ferunt domos, nec cultura placet longior annua.* Quò verò hæc poſſent obire commodiùs, neque quid eſſet, quod huic præcepto impedimenti B aliquid afferret, aut moræ, edixit, ne vllo in loco ſementem facerent, plantaréntve vineas, ne ſtabilis aliqua poſſeſſio peregrinantium officeret inſtituto: nam illos peregrinari voluit, ac degere tanquam in regione nunquam ſua. Quia verò ab hoc inſtituto remorari poterat vini deſiderium, aut vſus, cuius copia non ſemper occurrit, abſtinere à vino poſteros ſuos voluit, ídque, vt perpetuò facerent, edixit: nam aqua nuſquam non occurrit, quam fons, aut riuus offert; aut certè, ſi hæc abſint, aut hauriri è puteis, qui non magnis fodiuntur impendiis, aut in ciſternas ex imbre colligi non difficilè poſſunt. Hæc verò his, qui permanentes non habent ſedes, ſed nouas ſemper, & futuras inquirunt, commodiſſima, ac penè neceſſaria ſunt.

C Hîc tu conſidera, quàm durum ſit præceptum, 3. quod nullo iubet in loco quemquam conſiſtere, abſtineréque ab eo, quod ægrum cor exhilarat; neque à frumenti ſatu victum parare neceſſarium. At hoc ab ætate Ionadab, ideſt, à tempore Iehu, per annos circiter trecentos: ſic poſteri religiosè ſeruarunt, vt neque in ciuitatibus commorati fuerint, niſi quando periculi ratio aliter exigeret; neque vinum guſtauerint, vitámve egerint, niſi in tabernaculis ſylueſtrem, & vagam. Hæc de præcepto.

De Rechabitarum genere obſcurius eſt. De 4. *Rechabitarum genus.*
Ionadab filio Rechab, de illo, credo, qui hîc pater dicitur Rechabitarum, ſermo eſt 4. Regum D capite 10. nam in agris inuentus eſſe dicitur, iuxta locum, qui vulgò *Camera paſtorum*, dicebatur. *Cúmque abiiſſet inde* (ex camera, videlicet, paſtorum Iehu) *inuenit Ionadab filium Rechab in occurſum ſibi.* Hic porrò ex genere Iethro ſocero *Ionadab quis?* Moyſis prognatus eſſe creditur: graue illius cogitationis fundamentum nullum video: tantùm inuenio 1. Paralip. cap. 2. ad finem: *Hi ſunt Cinæi, Cinæi qui? qui venerunt de Calore patris domus Rechab.* qui etiam ibidem commorari dicuntur in tabernaculis. Hi verò Cinæi cognati dicuntur eſſe Moyſis, in libro Iudicum capite 1. verſu 16. *Filij autem* Iudic 1.

Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum. Cinæum autem iſtum fuiſſe Iethro ſocerum Moyſis, oſtendunt Septuaginta, qui locum iſtum ita conuertunt: οἱ υἱοὶ Ἰοθὸρ τοῦ κιναίου τοῦ πενθεροῦ τοῦ Μωσῆ, *filij Iethro Cinæi ſoceri Moyſis.* Cinæos autem iſtos habitaſſe ſimul cum filiis Iſraël, colligitur ex Numer. cap. 10. verſ. 29. vbi Hobab Raguelis ſoceri Moyſis filius adhæſiſſe dicitur Iſraëli. Quòd verò Cinæi in Iſraëlitarum ſortem contributi fuerint, & in terra promiſſionis commorati, docet mors Siſaræ à Iaël illata vxore
Iudic. 4. Haber Cinæi, Iudicum 4. Haber autem iſte receſſiſſe dicitur à reliquis fratribus, & cum Iabim Chananæo habuiſſe pacem. Ex quo conſtat, Cinæos alios, eos puto, qui ab Hobab Moyſis cognato propagati ſunt, vixiſſe inter Iſraëlitas, & in idem cum ipſis genus aliquo modo coaluiſſe. Quare, vt diximus 1. Paralip. cap. 2. Cinæi, qui venerunt de Calore patris (id eſt, de Hemath patre domus Rechab) inter Iſraëlitas numerantur.

5. Adde his, quòd Rechabitæ habitare iubentur in tabernaculis, quod de Madianitis, quorum Princeps erat Iethro, ſæpe Scriptura clamat.
Habac. 3. Certè Habacuc capite 3. Madianitarum habitacula, *pelles* nominantur, ſiue tentoria. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Hos autem Æthiopes, quorum nominantur tentoria, Madianitas eſſe nemo ferè negat. Haber præterea Cinæum tabernaculum habuiſſe, ex Iudicum capite 4. liquet, & vitam agere ſylueſtrem, & ruſticam, certè operam rei dare paſtoritiæ, indicat vter lacte plenus, quem Iahel ſitienti Siſaræ porrexit: immo & Haber Cinæum parentis obſecutum imperio abſtinuiſſe à vino, quando in toto tabernaculo vinum non erat, aut certè non videtur fuiſſe, quod laſſo, atque exanimato Principi præberetur. Iſtæ mihi videntur eſſe coniecturæ, quæ Rechabitici, ſeu Cinæi generis Iethro ſocerum Moyſis parentem fuiſſe perſuadent.

6. Sed eſt adhuc obſcurum, quo tempore Rechabitæ præceptum habuerint à parente, ne ſementem facerent, biberéntque vinum, & extra ſepta ciuitatum in tabernaculis perpetuò viuerent. Hìc nobis omnino diuinandum eſt, faxit
Madianitæ rei paſtoritiæ vacant. Deus, ne temerè. Primùm arbitror Madianitas vixiſſe in tabernaculis, reíque paſtoritiæ aſſiduam, atque præcipuam operam nauaſſe: quod ſanè durum exiſtimabit nemo, qui ingenuas puellas Raguelis filias, quæ (vt tradit Ioſephus libro 2. Antiquitatum capite 11.) magno apud omnes habebantur in pretio, paſcendis gregibus à parente nobili addictas eſſe legerit. Puto etiam, Madianitas, neque ſeminandis agris, plantandíſque vineis, vnquam vacaſſe, quia res pecuaria totum illorum ſtudium auferebat, cùm magno putaretur eſſe quæſtui, atque ideo abſtinuiſſe à vino, quod regio illa Madianitica non ferebat: neque ſi vini foret abundans, ſuppetere paſtoribus aſſolet, qui in ſyluis agunt, quorum ſitim aqua ſedat è fonte, aut pluuialis è ciſterna, ſeu lac, quod in illis regionibus non eſculentum ſolùm, ſed etiam poculentum eſt.

7. Eſt etiam veriſimile, illum Hobab, de quo
Quis Rechabitici generis auctor? Num. 10. qui Moyſis hortatu regionem reliquit Madianitidem, & generi adhæſit Iſraëlitico, id etiam curaſſe, ne poſteri paternum mutarent inſtitutum, & aliter viuerent, quàm à Madianitis parentibus didiciſſent. Quare neque ipſe bibit

A vinum, aut vixit niſi in tabernaculis, neque aliter ex ſua familia quenquam viuere permiſit. Huius rei aliquod habemus argumentum in Haber Cinæo, de quo nuper, qui in tabernaculo degebat, & in potum vtrem lacte plenum ſibi paraſſe videbatur. Hic Hobab videtur fuiſſe Rechab ille, qui Rechabitarum generi nomen dedit, quia pater fuit, & auctor eius familiæ, quæ ex Madianitico ſanguine in Iſraëlis nomen, & cœtum aſcripta eſt. Quòd ſi iſte fuit Rechab, à quo Rechabitarum nomen, & genus, non potuit illius eſſe filius Ionadab ille, de quo libro 4. Regum capite 10. quia inter Moyſem, cùm fuit Rechab ille coætaneus, & inter Iehu, cuius ætate vixit Ionadab, plures interceſſerunt anni, quàm
B vt decem hominum ætates implere potuerint. Fortaſſe alius fuit Ionadab, de quo nihil habemus in Scriptura: nihilominus ille nominari poteſt filius Rechab, quia ex illius genere nominatus; ſicut omnes poſteri Abraham, quantuncunque ab eius ſæculo remoti, filij dicuntur Abraham. Et ſanè illum Ionadab Principem fuiſſe virum, à quo poſteri legem aliquam accipere potuerint, ex eo fit veriſimile, quoniam Iehu cùm primùm deſignatus eſt Rex Iſraël, amicum illũ, & ſocium aduocauit 4. Regum capite 10. verſu 15. Quocunque modo accipias: nam afferri (vt dixi) certum nihil poteſt, diu ſeruarunt Rechabitæ ſeuerum illud præceptum à parente latum. 8.

C Ad extremũ addo, fuiſſe vſque adeò Rechabitis ſeuerum viuendi genus, inſtitutum non tam è ſua, quàm è parentum voluntate, vt eos Hieronymus numerandos eſſe cenſuerit inter Antonios, Macharios, Hilariones, Elias, Eliſæos, vbi etiam dicit abactos eſſe captiuos Babylonem, & ab eo Ionadab Rechabitas præceptum accepiſſe, de quo 4. Regum capite 10. Audi nunc Hieronymum in epiſtola 13. quæ eſt ad Paulinum de inſtitutione monachi, qui poſtquam nominauit magni nominis Heremitas, addidit: *De his ſunt & illi filij Rechab, qui vinum, & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Ieremiam voce laudantur; & promittitur eis, quod non deficiet de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino: hoc reor & ſe-*
D *ptuageſimi Pſalmi titulum ſignificare: filiorum Ionadab, & eorum, qui primi in captiuitatem ducti ſunt. Iſte eſt Ionadab filius Rechab, qui in Regnorum libro ſcribitur currum aſcendiſſe cum Iehu: & huius filij ſunt, qui in tabernaculis ſemper habitantes, ad extremum propter irruptionem Chaldaici exercitus Hieroſolymam intrare compulſi, hanc primi captiuitatem ſuſtinuiſſe dicuntur, quòd poſt ſolitudinis libertatem, vrbe, quaſi carcere, ſunt recluſi.* Hæc Hieronymus, cuius verba ad alia nonnihil nobis afferent lucis. Quod verò Hieronymus dicit, ab hoc Ionadab Rechabitas habuiſſe præceptum, ſentit etiam Abulenſis in 4. Regum capite 10. quæſtione 23. & complures alij. Iam ergo ad textum veniamus.

Rechabitarum ſeuerũ vitæ genus.

E Verſ. 1. *In diebus Ioacim filij Ioſiæ.*] Sub hoc 9.
tempus adduxit primũ Nabuchodonoſor Chaldæorum copias contra Ieruſalem; quare, qui hoc Chaldæorum appulſu abducti ſunt in Babylonem, primi omnium dicuntur ſeruitutem ſubiiſſe; quorum è numero fuerunt hi Rechabitæ, vt Hieronymus dicit loco nuper adducto: & videtur non obſcurè ſumi ex titulo Pſalmi ſeptuageſimi, qui ſic habet: *Pſalmus Dauid filiorum Ionadab priorum captiuorum.* Cur autem capti fuerint, Pſal. 70.
qui vſque adeò obſequentes fuerãt parentis imperio,

Obedientia violata pœna.

perio, docet ſuprà Hieronymus; quia cùm in ſolitudine, atque in tabernaculis ex Ionadab præcepto degere debuiſſent, ipſi tamen Chaldæorum metu, relicta ſolitudine, in qua bellorum incommoda multò faciliùs effugere potuiſſent, ad ciuitatem confugerunt, quæ ab hoſte victore occupata, abducti ſunt exules cum illis, quorum ſe conſiliis implicuerunt. Feciſſent quidem multò conſultiùs, ſi ab Hieroſolymitana ciuitate receſſerent, ne quid mali traherent à vicino malo: ſicut fecerunt olim ipſorum parentes, qui maturè receſſerunt ab Amalec, in quem videbant intentam Iſraëlis aciem, 1. Regum capite 15. *Dixitque Saül Cinæo: Abite, recedite, atque diſcedite ab Amalec, ne fortè inuoluam te cum eo,* &c. *& receſſit Cinæus de medio Amalec.* Cur autem Pſalmus ille aſcriptus fuerit filiis Ionadab, ea fortaſſe ratio eſt, quia illi magno erant apud omnes in pretio: quare illorum in præclaro illo Pſalmo mentionem eſſe factam oportuit. Hanc aliqui rationem eſſe putant, nos aliam poſtea ad verſum 19. adducemus.

10. Verſ.2. *Vade ad domum Rechabitarum.*] Non habebant Rechabitæ Hieroſolymæ domum, ſed diuerſorium, quia neque in ciuitatibus habitabant, neque extra, ſed in tabernaculis commorati ſunt. Tunc verò, quia nihil in ſolitudine à prædatore hoſte tutum arbitrabantur, ad vrbem ſe præſidij gratia receperunt, vbi aut priuatam aliquam conduxêre domum, aut certè commune adierunt hoſpitium.

Exedra quid?

11. *In vnam exedram theſaurorum.*] Exedra locus eſt, vbi ſubſellia ſunt, in quibus ſedere multi aut poſſunt, aut ſolent; quæ in locis publicis, atque frequentibus plerunque ſunt; qualia multa fuerunt in Salomonis templo, prope gazophylacia, ideſt, prope cubicula, vbi theſauri templi, aut ſacra donaria ſeruabantur, vbi conſidere ſolent illorum cuſtodes, aut qui de bonorum illorum diſpenſatione, atque vſu deliberabant. Exedræ appellari optimè poſſunt ſcholę, vbi diſcipuli, aut quæ vulgò dicuntur capitula, in quibus Canonici, aut Monachi de more conſident. Iubet ergo Dominus Prophetæ, vt Rechabitas aduocet in exedrarum aliquam theſauri, ſeu gazophylacij, in qua erat, aut ſperabatur futurus hominum conceſſus.

Verſ.4. *Iuxta gazophylacium Principum.*] In quo videlicet Principum ſeruabantur donaria in vſus collata ſacros, aut in quo Principum aſſeruabantur, vtpote in loco magis munito, cui nulla vis à latrone, aut hoſte afferri poſſe videbatur.

12. Verſ.5. *Et poſui coram filiis domus Rechabitarum ſcyphos.*] Hæc ad verſum vſque duodecimum ſatis à nobis ſuprà explicata ſunt; neque quid præterea ſubit, quod addatur: tantùm obſeruo, præceptum eſſe à Ionadab, vt filij, non tanquam indigenæ, aut ciues, ſed tanquam peregrini, atque aduenæ, vitam agerent; quia non in ſua, ſed in aliena regione morabantur; in illa videlicet, quam Deus Iſraëlitico generi conceſſerat. In alieno autem ſolo ſtabile figere domicilium, nulla ratio, aut conſuetudo permittit. Illud prætereà obſeruandum, diuturnitatem vitæ promitti à Ionadab filiis, ſi paternis præceptis obſequi voluerint: quod credo ideo dictum ab homine barbaro, certè non Iſraëlita; quia hic erat omnibus à natura inſitus ſenſus, diuturnam fore vitam illi, qui parentem coleret, illiúſque manda-

Diuturna vita his, qui parentibus obediunt.

A ta non inuitus impleret. Quod poſtea Deus ipſe clariùs expreſſit, id forſan interpretatus, quod hominum animis altius impreſſerat Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Ac ſi diceret, vt in reipſo verum experiare, quod à natura inditum eſt hominibus, longæuos nempe fore, quibus paterni honoris & obſeruantiæ cura fuerit. Huius verò à natura inſitæ cogitationis teſtimonia quædam ſunt apud Gentiles non pauca; qui ideo aliquos ante ſuum tempus periiſſe putarunt, quia minùs fuerunt in parentes pij: alios verò longam, atque felicem duxiſſe vitam, quia gratos ſe parentibus, atque morigeros præbuerunt. De priori eſt illud

Exod. 20.

B Homeri Iliad.P, de Hippothoo:

——οὐδ' τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δὲ
οἱ αἰών.

Ideſt, *nec nutricationis vicem reddidit parentibus, & ideo breuis illi contigit vita.* De poſteriori eſt illud Platonis, qui cùm in libris de legibus, parentum obſeruantiam commendaſſet, ait: *Quod ſi ita exactè ſeruauerimus, digna à diis præmia referemus, plurimùm bona cum ſpe viuentes.*

Hæc ego magis ad textum puto, atque ani- 13.
mum Prophetæ; ſed nec abs re putarem, ſi quiſpiam in vita ſuauitatem, pacem, & abundantiam ſignificari crederet, in hunc ſenſum: Si neque C ſementem feceritis, plantaueritiſque vineam, domúmque habueritis ſtabilem, vitam agetis pacificam, & iucundam, & (vt vno verbo dicam) verè vitalem: vſu etenim euenire ſolet, vt peregrini, atque aduenæ, ſi in aliena regione nihil habeant, ſed precariò, & quaſi mendicatò viuant, grati ſint aliis, & cum his amicè, atque iucundè agant; ſi tamen ibi aliquid ſibi vendicent, odioſi ſint, vitámque trahant non ſolùm aliis, ſed ſibi etiam moleſtam, & grauem. Malè autem, atque iniucundè viuere, mors eſt dicenda potiùs quàm vita. Sic Seneca:

Mortis habet vices lentè cum trahitur
Vita gemitibus.——

Et alius: *Non eſt viuere, ſed valere vita.* Sed clariùs D Auctores ſacri Pſalmo 37. *Dolor in conſpectu meo ſemper, inimici autem mei viuunt.* ideſt, proſperè, atque iucundè agunt. Et Pſalmo 71. *Viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ.* Erit ergo ſenſus, Viuetis in aliena regione diu, atque iucundè ſine vlla ciuium offenſione.

Verſ.12. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam.*] Quæ ex hoc loco ad verſum vſque 18. 14.
patent, explicatione non egent. Tantùm enim Deus Rechabitarum exemplo Iudæorum ceruicem duram, & obfirmatos ad excutiendum iugum animos grauiter exagitat, edieítque illis, ea propter omnia fore incommoda ſubeunda, quæ à Prophetis antea ſæpe, & nunc recèns à Ieremia iterum audierant.

E Verſ.14. *Præualuerunt ſermones Ionadab.*] Plus habuerunt auctoritatis, & ponderis verba Ionadab apud filios, cùm tamen durum eſſet, & multiplex imperium, quàm apud vos mea tam ſæpe repetita, tantopere commendata.

Manè conſurgens.] Quid ſit manè conſurgere, quantíque ſtudij momentum importet, diximus ad eadem verba ſuprà cap.7.

Verſ.16. *Firmauerunt igitur filij Ionadab, filij Rechab præceptum patris ſui.*] *Firmare,* aliquid ſignifi- 15.
cat ſtabile, & firmum; quare, dum firmatum eſſe dicitur præceptum Ionadab, oſtenditur, ſic altè inſe

inſediſſe filiorum animis, vt conuelli inde nulla temporum diuturnitate, nullo rerum diſcrimine potuerit. Illud verò, *filij Rechab,* aliquid habet in hac comparatione momenti: nam vt Ionadab illuſtris fuerit, quod ex 4. Regum capite 10. non obſcurè colligitur, cùm à Principe Iehu ſublatus eſſe dicatur in currum; at Rechab ipſius pater, aut certè Rechabiticæ familiæ auctor, barbarus fuiſſe videtur, & qui vitam egerit ſylueſtrem, & incultam, qualem olim Madianitæ, ac Cedareni inſtituerunt. Ac ſi dicat Deus: Barbari, ac ſylueſtres homines ſic amplexi ſunt auidè præceptum datum ab eo, qui barbaro, atque agreſti patre natus eſt, vt è vita diſcedendum potiùs, quàm ab eius obſeruatione ſtatuerint: vos autem, diſciplinis, & legibus exculti, præceptum non datum à Rechabita, ſed Deo, ſic accipitis, vt, quaſi in eo nihil eſſet momenti, conculcetis audacter, neque illius vllã habendam eſſe rationem arbitremini.

16. Verſ. 19. *Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.*] Stare in alicuius conſpectu, ſiue, quod idem eſt, ſtare coram aliquo, aut ante faciem alicuius, ex vſu Scripturæ miniſterium indicat, & obſequium. Deuter. capite 1. verſu 38. vbi Vulgatus dicit de Ioſue, *miniſter tuus,* Hebraicè eſt, *qui ſtat coram te,* ſeu *in conſpectu tuo.* & 3. Regum capite 1. de Abiſag Sunamitide: *Quæramus domino noſtro Regi adoleſcentulam virginem, quæ ſtet coram Rege,* quæ tamen poſtea verſu 4. dicitur eidem miniſtraſſe: & de Leuitis in Scriptura dicitur millies, quòd ſtabunt in conſpectu Domini: vbi ſine dubio ſermo eſt de miniſterio, quod Domino exhibebunt in templo. Cùm verò *ſtare coram Domino,* aut *in conſpectu Domini,* miniſterium ſignificet ſacrum, quale in templo Domino à Sacerdotibus, ſeu Leuitis impenditur, difficile iudicatu eſt; quomodo Rechabitæ, cùm alienigenæ fuerint, alieni certè à genere Leuitico, in templo potuerint ſacrum obire miniſterium. Quidam hanc promiſſionem ad illos pertinere putant, non qui genus ducerent à Rechab, ſed qui Rechabitarum in obediendo ſequerentur fidem. ita fermè Theodoretus, & Hugo. Alij his, qui propriè dicuntur Rechabitæ, promiſſionem eſſe cenſent, illiſque ad ſacrum miniſterium nunquam in templo defuturum eſſe locum. ita Chaldæus, Vatablus, & Caſtrus. Quo verò modo id fieri poſſet, nunc explorandum. Quidam putant, ideo patere Rechabitis aditum ad Leuiticum, ſeu Sacerdotale miniſterium, quia cum fœminis ex Leuitico ge-

Stare in cõſpectu, idem quod miniſtrare.

3.Reg.1.

Rechabitæ quomodo in templo miniſtrauerint.

A

nere contraxêre connubia; quorum poſteri ex iteratis longo ſæculorum ordine coniugiis, iam omnino cenſeri potuerunt Leuitæ. Quod valde facit probabile, quòd ex eorum genere Moyſes, qui natus erat ex Tribu Leui, Sephoram duxit vxorem filiam Iethro, ex quo (vt principiò diximus) orti ſunt Rechabitæ. Quare cùm iamdudum Leuitica familia cum Rechabitica ſe commiſcuiſſet, non eſt improbabile, poſtea quoque frequenter inter duas illas familias iniri ſolita matrimonia. Huc facit, quod, vt ex Egeſippo refert Euſebius libro 2. hiſtoriæ capite 22. quo tempore Iacobus Chriſti frater interfectus eſt, ex Rechabitarũ familia Sacerdos quidam erat in templo:

B

Cùm lapidibus (inquit) *illum obterere pergerent, vnus è Sacerdotibus de filiis Rechab filij Rechabim, qui ſunt Ieremiæ teſtimonio commendati, voce emiſſa contentiùs dixit: Quid agitis? Iuſtus pro vobis Deum precatur.*

Hoc mihi improbabile non eſt, ſed & aliter Rechabitas in templo miniſtrare, neque religio, neque conſuetudo vetuit. Nam Samuel de Tribu Ephraim, vt conſtat 1. Regum capite 1. miniſter erat in conſpectu Domini ante faciem Heli 1. Regum capite 2. & Anna de Tribu Aſſer, vt habes Lucæ cap. 2. *Non diſcedebat de templo, ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.* Immo & alienigenis ad aliquod opus aſſiduum, & ad ſacrificia neceſſarium, datum eſſe locum accepimus: vt

C

enim habes Ioſue capite 9: Gabaonitæ ad cædenda ligna, aquámque ad altaris miniſterium comportandam deſtinati ſunt. Quod miniſterium obierint hi filij Rechab in conſpectu Domini, id eſt, in templo, incertum eſt: aliquod tamen obiiſſe, ex hoc Ieremiæ loco non eſt improbabile; ſi tamen in re vſque adeò implexa diuinare licet, crediderim, Rechabitas hoſce in templo munus exercuiſſe cantorum, quod ſumo ex 1. Paralip. cap. 2. verſu 55. *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes, atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi ſunt Cinei, qui venerunt de calore patris domus Rechab.* His adde titulum Pſalmi ſeptuageſimi: *Filiorũ Ionadab, & priorum captiuorũ.* qui ideo nominati videri poſsũt in hoc Pſalmo, quia cantores erant: ſicut in aliorum Pſalmorum titulis cantorum inſcribuntur nomina: & ita exiſtimaſſe Theodoretum, & Didymum, tradit Agellius, quod tamen ego non inuenio. Hanc aliquis cauſam exiſtimare poſſet, cur in hoc Pſalmo, qui de Babylonicis captiuis videtur eſſe compoſitus, filiorum Ionadab præcipuè nomina legantur. Hæc de capite trigeſimoquinto.

17.

Aliqui extra Leuiticum genus in templo miniſtrarũt.

Lucæ 2.

Rechabitæ videntur fuiſſe cantores.

1.Paralip.2.

Pſal.70.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XXXVI.

HOC etiam caput, quia hiſtoricum eſt, paraphraſtica explicatione non indiget. Ad hoc vſque tempus, id eſt, ad annum quartum Ioacim, cùm plurima accepiſſet Ieremias à Domino vatic inianullum tamen videtur ſcripturæ mandaſſe. Iubetur ergo nunc Ieremias, in volumen redigere, quæ ad illud vſque tempus habuiſſet oracula, vt audire ſæpius illa, atque reuerſare populus poſſet. Quod fecit ſtatim Propheta, aduocato Baruch, quem habuit ſibi familiarem, & amanuenſem, qui, quæ ipſe dictaret, in ſcripta referret. Anno deinde exacto, id eſt, anno quinto regni Ioacim, in templo, ac loco maximè frequenti, legit Baruch, quæ excipere iuſſus fuerat à Ieremia; quod cùm ſecundò feciſſet cum audientium ſtupore, liber ad Regem adducitur, qui auditis minacibus oraculis, vſque adeò non eſt permotus, aut inflexus, vt potiùs librum ſcalpello conſciderit, combuſſeritque, & tam Ieremiam, quàm eius amanuenſem, interfici iuſſerit: qui tamen quorundam prouidentia, ac ſtudio, regio furori ſubducti ſunt. Loco verò libri, quem flammis Rex impius perdiderat, alius iubente Domino ſcriptus eſt, qui plura tam in Iudæorum Rempublicam, quàm in Regem ipſum inſanum contineret.

IEREM. CAP. XXXVI.

1. ET factum eſt in anno quarto Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda: factum eſt verbum hoc ad Ieremiam à Domino, dicens: A

2. Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba, quæ locutus ſum tibi aduersùm Iſraël & Iudam, & aduersùm omnes gentes: à die qua locutus ſum ad te ex diebus Ioſiæ vſque ad diem hanc:

3. Si fortè audiente domo Iuda vniuerſa mala, quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſſima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum.

4. Vocauit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ: & ſcripſit Baruch ex ore Ieremiæ, omnes ſermones Domini, quos locutus eſt ad eum, in volumine libri: B

5. Et præcepit Ieremias Baruch, dicens: Ego clauſus ſum, nec valeo ingredi domum Domini.

6. Ingredere ergo tu, & lege de volumine, in quo ſcripſiſti ex ore meo verba Domini audiente populo in domo Domini in die ieiunij: inſuper & audiente vniuerſo Iuda, qui veniunt de ciuitatibus ſuis, leges eis:

7. Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini, & reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſſima: quoniam magnus furor & indignatio eſt, quam locutus eſt Dominus aduersùs populum hunc.

8. Et fecit Baruch filius Neriæ iuxta omnia quæ præceperat ei Ieremias Propheta, legens ex volumine ſermones Domini in domo Domini.

9. Factum eſt autem in anno quinto Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda, in menſe nono: prædicauerunt ieiunium in conſpectu Domini omni populo in Ieruſalem, & vniuerſæ multitudini, quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ieruſalem.

10. Legítque Baruch ex volumine ſermones Ieremiæ in domo Domini in gazophylacio Gamariæ filij Saphan ſcribæ, in veſtibulo ſuperiori, in introitu portæ nouæ domus Domini audiente omni populo.

11. Cúmque audiſſet Michæas filius Gamariæ filij Saphan omnes ſermones Domini ex libro:

12. Deſcendit in domum Regis ad gazophylacium ſcribæ: & ecce ibi omnes Principes ſedebant: Eliſama ſcriba, & Dalaias filius Semeiæ, & Elnathan filius Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Sedecias filius Hananiæ, & vniuerſi Principes.

13. Et nunciauit eis Michæas omnia verba, quæ audiuit legente Baruch ex volumine in auribus populi.

14. Miſerunt itaque omnes Principes ad Baruch, Iudi filium Nathaniæ filij Selemiæ, filij

Chuſi,

Chuſi, dicentes: Volumen, ex quo legiſti audiente populo, ſume in manu tua, & veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu ſua, & venit ad eos.

15. *Et dixerunt ad eum: Sede, & lege hæc in auribus noſtris. Et legit Baruch in auribus eorum.*

16. *Igitur cùm audiſſent omnia verba, obſtupuerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, & dixerunt ad Baruch: Nunciare debemus regi omnes ſermones iſtos.*

17. *Et interrogauerunt eum, dicentes: Indica nobis quomodo ſcripſiſti omnes ſermones iſtos ex ore eius.*

18. *Dixit autem eis Baruch: Ex ore ſuo loquebatur quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos: & ego ſcribebam in volumine atramento.*

19. *Et dixerunt Principes ad Baruch: Vade, & abſcondere tu & Ieremias, & nemo ſciat vbi ſitis.*

20. *Et ingreſſi ſunt ad Regem in atrium: porro volumen commendauerunt in gazophylacio Eliſamæ ſcribæ: & nunciauerunt audiente Rege omnes ſermones.*

21. *Miſitque rex Iudi vt ſumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Eliſamæ ſcribæ, legit audiente rege, & vniuerſis Principibus qui ſtabant circa regem.*

22. *Rex autem ſedebat in domo hyemali in menſe nono: & poſita erat arula coram eo plena prunis.*

23. *Cúmque legiſſet Iudi tres pagellas, vel quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcribæ, & proiecit in ignem, qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur omne volumen igni, qui erat in arula.*

24. *Et non timuerunt, neque ſciderunt veſtimenta ſua, rex & omnes ſerui eius, qui audierunt vniuerſos ſermones iſtos.*

25. *Verumtamen Elnathan, & Dalaias, & Gamarias contradixerunt Regi ne combureret librum: & non audiuit eos.*

26. *Et præcepit Rex Ieremiel filio Amelech, & Saraiæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, vt comprehenderent Baruch ſcribam, & Ieremiam Prophetam: abſcondit autem eos Dominus.*

27. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam, poſtquam combuſſerat Rex volumen, & ſermones quos ſcripſerat Baruch ex ore Ieremiæ, dicens:*

28. *Rurſum tolle volumen aliud: & ſcribe in eo omnes ſermones priores, qui erant in primo volumine, quod combuſſit Ioakim Rex Iuda.*

29. *Et ad Ioakim Regem Iuda dices: Hæc dicit Dominus: Tu combuſſiſti volumen illud, dicens: Quare ſcripſiſti in eo annuncians: Feſtinus veniet Rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc, & ceſſare faciet ex illa hominem, & iumentum?*

30. *Propterea hæc dicit Dominus contra Ioakim Regem Iuda: Non erit ex eo qui ſedeat ſuper ſolium Dauid: & cadauer eius proiicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem.*

31. *Et viſitabo contra eum, & contra ſemen eius, & contra ſeruos eius, iniquitates ſuas: & adducam ſuper eos, & ſuper habitatores Ieruſalem, & ſuper viros Iuda omne malum, quod locutus ſum ad eos, & non audierunt.*

32. *Ieremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ ſcribæ: qui ſcripſit in eo ex ore Ieremiæ omnes ſermones libri, quem combuſſerat Ioakim Rex Iuda igni: & inſuper auditi ſunt ſermones multò plures, quàm antea fuerant.*

IN

IN CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Et factum eſt in anno quarto Ioacim.*]

Ad anni 4. Ioacim nullam prophetiam ſcriptis mandarat Ieremias.

1\. SATIS videtur notum tum ex hoc loco, tum ex ordine, quo Ieremiæ vaticinia digeſta ſunt, non eo tempore ſcriptas eſſe prophetias, quo à Domino oblatæ, aut à Propheta propoſitæ (nam multæ, vt vides, ſcriptæ ſunt poſt illas, quæ multò prædictæ fuerant antea: aliæ verò priùs, vt mediocriter attento conſtabit) & ad hoc vſque tempus nihil eorum, quæ à Domino audierat, dixerátque Propheta, Scripturæ mandaſſe; ideſt, ab anno vndecimo Ioſiæ, ad annum quartum Ioacim, per annos decem & nouem: nam annos triginta vnum regnauit Ioſias, ex quibus ſi detrahas decem, decem & nouem ſuperſunt, quibus ſi quatuor addas, ex regno Ioacim, annos deprehendes vigintitres. Cùm ergo ad hoc vſque tempus nihil literis mandaſſet Ieremias, nunc iubetur omnia in vnum cogere volumen.

2\. Scripſit autem iſta Ieremias eodem anno quo primùm in Iudæam venit Nabuchodonoſor, antè tamen quàm in eam eſſet ingreſſus, vt ex textu fit omnino veriſimile. Quod verò hoc anno primùm in Iudæorum fines irruperit Nabuchodonoſor, ex eo liquet, quòd, vt capite 25. dixit Ieremias ſtatim in principio, annus primus Nabuchodonoſor in quartum incidit regni Ioacim, at quarto anno Ioacim veniſſe dicitur Nabuchodonoſor, & obſediſſe Ieruſalem, ideſt, cùm primùm regnare cœpit. Quomodo verò conciliari poſſit Ieremias cum Daniele, qui capite 1. dixit anno tertio Ioacim veniſſe in Iudæam Nabuchodonoſor, diximus in illud 25. caput Ieremiæ. inde pete.

3\. Verſ.2. *Tolle volumen libri.*] Liber ille dici videtur, qui literas excipit, & ſcripta continet, quamcunque figuram habeat, ſiue in plures diſſecetur pagellas, ſicut nobis nunc in vſu, ſiue longa conuoluatur charta, & cogatur in volumen, ſicut olim apud antiquos frequens. Hìc igitur iubetur Propheta librum accipere, ea tamen forma, vt cogi poſſit in volumen: quem ſanè grandem eſſe oportuit, cùm prophetias omnes deberet complecti, quæ longo vigeſimo tertio annorum ſpatio oblatæ fuerant Ieremiæ; in quibus illæ quoque fuiſſe videntur, quæ ſunt à capite 44. ad caput 51. nam id quoque in mandatis accipit Ieremias, vt in illo libro ſcribat, quæ aduersùs omnes gentes denunciata ſunt. Pro, *volumen libri*, Hebraicè eſt מגלה ספר *meghilah ſepher*; quæ duæ voces coniunctæ reperiuntur Pſalmo 39. verſu 12. quæ Septuaginta ſic reddunt: *In capite libri.* Hieronymus verò eodem modo quo hic, *In volumine libri.* Ego vtriuſque verſionis eandem eſſe puto ſententiam, nempe ſummam eſſe libri, ideſt, eò totum librum ſpectare, vt Chriſtus Dei mandata compleret, neque diſcederet vnquam ab eius voluntate. Quod verò Hieronymus, *in volumine libri*, ideſt, in libro conuoluto, ſeu in toto libro, ſignificauit, id expreſsère Septuaginta per *libri caput*, ideſt, per ea, quæ toto continebantur libro, quorum erat complexio, & ſumma Diuina voluntas, à Chriſto completa. Quod etiam explicuiſſe videntur Septuaginta, qui hoc Ieremiæ loco, vbi Hieronymus *volumen libri*, ipſi *libri chartam* reddidère; ideſt, chartam, ſeu membranam ita longam, aut ita vnam è multis conglutinatam, vt cogi poſſit in volumen, ſeu, quod idem eſt, vt librum aſſumeret, & ſcriberet talem, vt conuolui poſſet, & in iuſtum volumen complicari: nam liber charta etiam exigua eſt, vt habet frequens Latinorum vſus, ſaltem in eius diminutiuo nomine *libellus*. Certè Hebraica vox ספר *ſepher*, epiſtolas ſignificat, vt norunt in ea lingua mediocriter verſati.

Liber quid, ſeu, volumen? Pſal. 39.

4\. Verſ.3. *Si fortè audiente domo Iuda vniuerſa mala, quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſſima, & propitius ero.*] Audierat iam antè populus illa eadem, quæ in volumine exarari iubentur, ſed aut eorum immemor, aut quia illis ineſſe pondus non putabat, nihilo plus erat melior, quàm ſi illa audiiſſet nunquam. Quare præcipit Deus, proponi iterum, conſignarique literis, vt legi poſſint, atque audiri iterum, & ſæpius, idque eo conſilio, vt ſi ad meliorem viuendi formam mores ſuos inſtituiſſet populus, ipſe quoque iam lenior, ſeuerum de mulctando populo conſilium abiiceret. Ex quo diſcet Diuini verbi fidelis præco, vbi populi adhuc perſeuerat languor, & æſtuat vis intacti, aut malè curati morbi, iterandam eſſe ſubinde eandem ægrotantis animi medicinam. Quæ ſi à Domino eſt, qualia fuerunt, quæ nunc ſcriptis mandare iubetur Ieremias, non poteſt non eſſe potentiſſima; niſi (quod noſtro ſæculo accidit heu nimiùm ſæpe) ex humanæ, ideſt, ineptæ huius ſæculi ſapientiæ admixtione langueſcat. Vide Chryſoſtomum homilia 5. ad populum, vbi eandem orationem ſibi iterandam ſæpius eſſe dicit, donec morbum, cui illam toties adhibet, omnino videat eſſe depulſum.

Iteranda ſæpe eadem doctrina, ſi neceſſitas poſtulet.

5\. Verſ.4. *Et ſcripſit Baruch ex ore Ieremiæ.*] In ſcribendo adminiſtrum Ieremiæ fuiſſe Baruch, ſæpius audimus: quod credo Prophetam non eo feciſſe conſilio, quo noſtra ætate viri copioſi, & nobiles, qui dedecori ſibi fore putant, propria manu exarare, quæ interdum occultiſſima eſſe oporteret. Eam verò Ieremias ob cauſam, vt reor, exceptorem habuit Baruch, ob quam Paulus vſus eſt interdum aliena manu, quia, vt ipſe ad Galatas capite 6. fatetur, malè formabat characteres, quæ res auidum etiam lectorem interdum laſſat, & moratur, facitque, vt res vtiliſſima, & expectata diu, non tamen accedat ſine faſtidio. Sic autem ibi de ſe Paulus verſu 11. *Videte, qualibus literis ſcripſi vobis manu mea.* In hunc ſenſum accipit hunc locum Pauli Chryſoſtomus, Theodoretus, & complures alij. Eam, credo, ob cauſam Ieremias aliena manu vſus eſt, niſi fortaſſe dicas, impediri illum à ſpiritu prophetico, qui tunc antiqua ad mentem reuocabat, quominus eodem tempore & illorum recordaretur omnium, & eadem proderet monu

Paulus malè formabat literas. Ad Galat. 6.

monumentis; quod vt credam, adduci non poſſum. Longè videtur probabilius, quia publicè ſeruanda erant illa monumenta, vt etiam ſæpe publicè legerentur, voluiſſe Prophetam, vt illis notarentur literis, quæ facilè lectorem inuitarent. Ex ore autem Ieremiæ ſcribere, nihil eſt aliud, quàm excipere quod Propheta dictabat.

6. Verſ.5. *Ego clauſus ſum, nec valeo ingredi domum Domini.*] Quidam clauſum eſſe opinantur Ieremiam in carcere ab impio Rege Ioacim, ne minacibus verbis populi corda concuteret, & frangeret, quod facturus videbatur, ſi in templum, aut in frequentes hominum conuentus accedere liceret. ita Theodoretus, Dionyſius, Rabbanus, ſanctus Thomas, & Lyra. De carcere meritò negat Maldonatus: tum quia huius nemo carceris vnquam meminit, in quem ſi coniectus eſſet Ieremias, non videbatur prætereundum eſſe ſilentio; tum etiam, quia Principes, ad quos primum illud volumen attulerat Baruch, nunquam dixiſſent, ſi vinctus eſſet Ieremias, verſu 19. *Vade, & abſcondere tu, & Ieremias, & nemo ſciat, vbi ſitis.* Quomodo enim, ſi vinctus eſſet, mutare locum poſſet, & abſcondi? Mihi veriſimilius eſt, aut quod Maldonatus putat, non audere præ metu Regis, in publicum prodire Ieremiam; quia Regis ingenium nouerat, ad quodlibet audendum temerarium, & præceps, & offenſum animum, propter prophetici ſpiritus libertatem: ſeu, quod magis videtur veriſimile, edictum eſſe à Rege Ieremiæ, vt domi ſe, aut aliquo alio priuato loco, vbi ipſe mallet, contineret; neque ſe in publicum locum, aut populi frequentiam daret. Quod cùm viros illos Principes non lateret, hortantur Baruch, vt tam ipſe, quàm Ieremias, in eas ſe latebras coniiciant, vbi ab exploratoribus, ſeu Regiis canibus deprehendi non poſſint. Cui verò Regis imperio, aut metu publicam intueri lucem non permittitur, is clauſus meritò vocari poteſt: neque enim minùs clauditur, aut tenetur, quem imperium, aut minæ, quàm is, quem carcer, aut vincula coërcent. Caſtrus clauſum putat appellari Prophetam, quia à Diuino Spiritu prohibebatur, in templum adire, neque mihi diſplicet: ſed credo, non id tacuiſſet Ieremias, quod tam haberet excuſationem honeſtam.

7. Verſ.6. *Ingredere ergo tu, & lege de volumine.*] Vinctus Paulus, & ſub militis cuſtodia erat Romæ, ſed quia Spiritus Dei alligatus non eſt, per literas loquebatur è vinculis, & abſentes ad Euangelij normam informabat: ſic Ieremias, quia incluſus, templum, locúmque frequentem adire non poterat, pro ſe literas, & miniſtrum ſufficit, qui ſuis verbis, ac nomine alloquatur populum, & à peſſima viuendi conſuetudine deterreat. Illud, *de volumine,* oſtendit, non omnia prorſus iuberi legi, quæ ſcripta ſunt in eo volumine; ſed id, quod in rem præſentem futurum ex vſu videbatur. Multa enim ſcripta fuerant ſub Ioſia, multa eo viginti trium annorum ſpatio, quorum eo rerum veſtigio publica cauſa non indigebat: ab illis igitur omnibus abſtinendum fuit.

8. *In die ieiunij.*] Ieiunium, antonomaſticè, pro eo ſumitur, quod celebratur ab Hebræis ad diem decimum menſis Tiſri, qui apud Latinos September eſt, quod ieiunium vocatur expiationis; de quo Leuitici capite 23. verſu 27. Dixi per antonomaſiam hoc ieiunium appellari, quia omnium antiquiſſimum, quia indictum à Deo in expiationem adorati vituli, quia in eo nihil ſeruile fieri poterat, neque parari cibi, quod aliis feſtis præter ſabbata conceſſum non eſt. Deinde, quia ſeueriſſime iniunctum, *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac* (id eſt, qui non ieiunauerit) *peribit de populis ſuis, & quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo ſuo.* Non tamen, credo, de hoc expiationis ieiunio ſermo eſt, ſed de illo, quod in menſem nonum incidit. de quo poſtea verſu 9.

Ieiunium, antonomaſticè, pro ieiunio expiationis.

9. *Et audiente vniuerſo Iuda, qui veniunt de ciuitatibus ſuis.*] Hinc ego coniectabam, quo tempore mandatum hoc accepit Ieremias, nondum obſeſſam eſſe Hieroſolymam à Chaldæo: neque enim auderent, circunſtante hoſte, aut poſſent ciuitates aliæ ingredi ciuitatem: cùm rumor eſſet adornari exercitum in Babylonia contra Iudam, veriſimile eſt, ciuitates alias minùs munitas confugiſſe in illam, ſalutis gratia, in qua videbant tum à natura, tum ab induſtria hominum plus eſſe præſidij; ſicut etiam, vt vidimus, fecerunt Rechabitæ, de quibus proximo capite.

10. Verſ.7. *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini.*] id eſt, ſi fortè ipſi, propoſita periculi magnitudine, deterriti procumbent ante Dominum, ſuorum delictorum veniam precantes. Huic affinis eſt alius Hebræorum dicendi modus, qui preces ante alicuius conſpectum cadere ſignificat, nempe, *preces proſternere,* quo vſus eſt Ieremias capite 38. verſu 26. *Proſtraui ego preces meas coram Rege.* & Danielis capite 9. verſu 18. & 20. Sanctus Thomas, & Dionyſius, neque diſplicet Maldonato, ſecuti Chaldæum, *cadere preces ante Deum,* idem eſſe putant, quod precibus à Deo aliquid obtineri, ſiue Deum exorari. Quod probari videtur poſſe, quia capite ſequenti, verſu 19. vbi Vulgatus, *valeat deprecatio mea,* Hebraicè תפל *tipal,* quod idem reperitur hoc loco, vbi noſter Interpres, *cadat oratio;* ſed ſuperior explicatio magis videtur ad verbi vim, temporiſque veſtigium idonea. Agebat enim Propheta cum duro, ac peruicace populo, quem ad pœnitentiam emollire ſtudebat; cui ſuccedit ſupplex, atque humilis oratio, quæ tunc cadit, quando hominem abiicit, atque proſternit ante Deum. De Dei autem humanitate non dubitabat Propheta, qui ſe omnibus hoc loco exorabilem vſque adeò præbet, vt eo conſilio ſcribi librum, & recitari velit, vt cadat oratio, id eſt, vt populus ſupplex in preces incumbat. Illud autem, *valeat deprecatio,* non obſtat, opinor, huic cogitationi: idē enim eſſe videtur, ac ſi Propheta diceret, *Sine te orari;* ſed quia id agit oratio, vt quod orat, exoret, ideo eo loco accommodato ſenſu Vulgatus reddidit, *valeat deprecatio.* Adde, quod capite 38. verſu 26. & alibi ſæpe, vbi noſter, *proſtraui preces* (quod nihil eſt aliud, quàm orare ſimpliciter) verbum eſt idem, ſed in Hiphil, & ſignificat: *feci vt preces caderent.*

Cadere preces, ſeu proſterni, quid.

11. *Quia magnus furor, & indignatio eſt, quam locutus eſt Dominus.*] Malorum acerbitas, quæ à Domini furore impendebat veſano Iudæorum populo, ſperare iubebat Prophetam, concutiendos animos eſſe, & à via peſſima recedendum: quæ ratio magis docet, ſi verborum naturam ſpectes, homines ad orationem eſſe vocandos, quàm exorandum Deum.

12. Verſ.9. *Factum eſt autem in anno quinto Ioacim filij Ioſiæ Regis Iuda, in menſe nono prædicauerunt ieiunium.*]

nium.] Incertum eſt, an indictum fuerit hoc ieiunium, cùm adhuc eſſet obſeſſa ciuitas à Chaldæis, an ſoluta iam obſidione, quia non conſtat, quandiu bellum illud, vel obſidio durarit; quod primùm ſub Ioacim Chaldæi Solymitanis intulerunt. Conſtat enim anno quarto regni Ioacim, qui in primum incidit Nabuchodonoſoris, tentatam eſſe bello Hieroſolymam; an verò anno quinto, menſe nono, quo indictum eſt ieiunium, & lectum in templo Ieremiæ volumen, hoſtes receſſerint, admodum incertum; & multò magis, an Ioacim, qui captiuus fuerat ab hoſtibus abductus, libertati, ac regno reſtitutus ſit.

13. *Ioacim captus, & reſtitutus regno.* Mihi veriſimile valde eſt, hoc tempore ſolutam eſſe obſidionem Hieroſolymæ, & reſtitutum eſſe regno Ioacim, poſtquam ſemel à Nabuchodonoſor ſuperatus eſt, vt diximus ſuprà cap. 22. num. 24. Nam cùm anno quarto, vt ex Ieremiæ capite 25. ſeu anno tertio, vt habes ex Daniele capite 1. quo ſenſu à nobis explicatum eſt ſuprà, obſediſſet Hieroſolymam Chaldæorum exercitus, credibile eſt, vno anno captam eſſe ciuitatem ab hoſte potentiſſimo, & Regem Ioacim, qui prima illa impreſſione captiuus ductus eſt Babylonem, vt conſtat ex libro 2. Paralip. capite 36. regno fuiſſe reſtitutum. Accedit, quòd hoc ipſo capite, numero 30. id minatur Propheta Regi Ioacim, quod accidit, non primo, ſed ſecundo Chaldæorum appulſu. *Cadauer eius proiicietur ad æſtum, per diem, & ad gelu, per noctem.* quod paſſus eſt Ioacim non anno quarto, ſed vndecimo, ideſt, poſtremo regni ſui. Hoc idem ſignificauit Ieremias capite 22. cùm dixit, hunc Regem non habiturum aliam, quàm aſini ſepulturam.

14. His ego rationibus adductus exiſtimo, recitatum volumen, cum abeſſet hoſtis, & liberata ciuitas à metu. Sed cur, dices, ieiunium tunc indictum, quod non niſi in graui, atque afflicta fortuna fieri ſolitum? Reſpondeo, ieiuniorum vota non ſolùm à Iudæis concipi ſolita ad arcendum, quod imminere creditur, infortunium; ſed etiam ad lugendum, quod acceptum eſt, malum. *Ieiunia cur ab Hebræis instituta.* Ieiunium quarti menſis inſtitutum eſt, quia tunc diſrupti muri Ieruſalem; ieiunium quinti, quia templum exciſſum; ieiunium ſeptimi, propter cædem Godoliæ; vide Hebræorum Kalendarium: immo & menſe nono, vt ex eodem conſtat Kalendario, indictum eſt ieiunium, propter volumen, de quo in hoc capite à Rege Ioacim diſciſſum, & combuſtum. Cùm ergo primo Chaldæorum aduentu grauiter eſſet afflicta, atque ſpoliata ciuitas, ablatis vaſis templi, & multis, iiſdémque ex prima nobilitate Babyloniam abductis, res videri potuit non indigna, propter quam indici debuerit, ſi non perpetuum, at certè definito tempore, ieiunium.

15. Verſ. 10. *In gazophylacio Gamariæ.*] Quid ſit gazophylacium, & exedræ, vbi conſidere homines ſoliti, diximus capite 35. Bis legit Baruch ſcriptum ex ore Ieremiæ volumen, ſemel in gazophylacio Gamariæ, vt apparet, ad paucos, qui eo loco conſederant: iterum in gazophylacio ſcribæ, vbi viri principes ſedebant. Ex hoc loco ad verſum 18. omnia ſunt eiuſmodi, vt explicatione non egeant.

16. Verſ. 18. *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos.*] Graui perculſi metu Principes illi, fulminante Propheta, rogant ab eius

A amanuenſi Baruch, vnde, aut quomodo minaces illas voces in volumen retuliſſet. Is verò ita de Ieremia loquitur, vt ſimul oſtendat, ſpiritu illum afflatum eſſe Diuino: dum enim ait, ita dictaſſe Ieremiam prompte, atque expeditè, perinde atque ſi præſentem haberet librum, ex quo dictata depromeret; planè indicat, non eſſe verba à Ieremia compoſita, atque conficta, ſed à ſuperiori aliqua mente inſpirata.

Et ego ſcribebam in volumine atramento.] Credo, 17. ideo Baruch addidiſſe, *atramento*, quia aliis etiam modis, aut aliis etiam coloribus ſcribebant antiqui; ſtylo nempe; in tabula, aut charta cerata; aut colore puniceo: alioqui fruſtra videretur B appoſitum, atramenti nomen, niſi aliquo alio pigmento, ſeu colore ſolitus eſſet notari liber.

Verſ. 19. *Vade, & abſcondere tu, & Ieremias.*] 18. Non dubia ſuæ in Ieremiam offenſionis ſigna dederat antea Rex impius Ioacim, & quàm eſſet laturus ægrè, ſi quid contra ipſius exiſtimationem, & votum quiſpiam obiiceret; quando tam ſedulò id agunt viri Principes, ſe vt Prophetæ abſcondant, furentiſque Regis impetum declinent.

Verſ. 22. *Rex autem ſedebat in domo hyemali in* 19. *menſe nono.*] Menſis notatur nonus, qui & Nouember, vt intelligatur, cur in domo hyemali Rex tunc moraretur, haberétque in arula prunarium: hæc enim hyemali frigori opportuna C ſunt. Habuiſſe Reges pro varia temporum ratione æſtiuum, atque hyemale diuerticulum, docet Amos capite 3. verſu 15. *Percutiam domum hyemalem, cum domo æſtiua & peribunt domus eburneæ.* Quàm verò ſuperbè domum ædificauerit Ioacim, habes ſuprà, capite 22. vbi multa, & grauia contra Ioacim, quæ valde cum iſto capite conueniunt. Porro hyemalis domus illa eſt, in qua focus inſtruitur, qualem habuiſſe videtur domus hæc Ioacim; Græcè vocatur χειμερινὸς, à quo Hiſpaniſumpſiſſe videntur nomen *chimenea*: hic enim ipſi vocant hyemale cubiculum.

Verſ. 23. *Cúmque legiſſet Iudi tres pagellas, vel* 20. D *quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcriba, & proiecit in ignem.*] Cùm primùm Rex crudelis, & impius contineri in eo volumine nihil vidit ſuis conſiliis, & votis opportunum, non potuit furori ſuo imperare, quominus illud & gladio diſſecaret, & in flammam iniiceret. Hiſtoria non difficilis, ſed in ea aliquid obſeruandum. Primùm, quomodo dubitanter ſignificat, & indeterminatè, quod non potuit eſſe non determinatum, aut cognitum Prophetæ: neque enim ex hoc dicendi genere 21. colligere certò licet, tres fuiſſe, quatuórve pagellas, quas Iudi legerat, antequam liber diſceptus eſſet, & abolitus flammis. Qua de re diſputauimus alibi; nunc dicendum breuiter, id ortum eſſe ex Hebræorum conſuetudine, qui in numerando rationem habent præcipuam aut E perfecti numeri, aut quantitatis in aliquo genere, atque ordine magis vſitatæ, ac cognitæ, à qua ſi quid recedat, vel quia ſuperat, vel quia illam non attingit, indefinitè, & nihil certum ſignificantibus verbis explicare ſolent, dum addunt, *fermè, quaſi; circiter*, & ſimilia. Exemplorum abundè eſt, pauca accipe. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, Lucæ capite 3. quia, nempe, aliquid habebat plus, minúſve. Ioannis 6. *Diſcubuerunt ergo viri, quaſi quinque millia.* Actorum 1. *Erat autem turba hominum ſimul ferè*

Regula. Hebræi in numerando rationē habēt aut perfecti numeri, aut quantitatis magis notæ.

REGVLA. *Cùm res ſit certa, Scriptura aliquando ponit fermè, quaſi, circiter, & ſimilia.*
Lucæ 3.
Ioan.6.
Actor.1.

centum viginti. Cùm ergo, vt apparet veriſimile, aliquid ex quarta voluminis pagella lectum eſſet (pagellam autem in libris, ſeu voluminibus pars eſt maximè nota) cùm dixit Propheta, *lectam eſſe pagellam tertiam, vel quartam*, perinde fuit, atque ſi diceret, ventum eſſe ad quartam circiter pagellam: in quo etiam dicendi modo Hebræis (vt vides) familiari, nihil oſtenditur definitum, & certum. Adde, quòd numerus imperfectus, aut imperfecta pars, aut omitti ſolent, aut numerari pro integris; cuius rei exemplo nobis eſſe poteſt, in quo nunc explicando verſamur, Ieremias. Quem enim Daniel capite 1. annum appellat tertium huius Ioacim, de quo nobis ſermo, eundem Ieremias capite 25. quartum appellat annum: ille enim tertio, hic quarto anno Ioacim
B
veniſſe in Iudæam tradit Nabuchodonoſor, quia videlicet, quarto anno nondum completo venit: & capite 52. verſu 28. anno ſeptimo Nabuchodonoſor tranſlatos eſſe dicit aliquos de populo Babylonem: cùm tamen libro 4. Regum capite 24. verſu 12. tranſlati dicantur anno octauo eiuſdem; quia nempe octauus annus impletus non erat. Ad hunc ergo modum, quia pagella quarta non tam erat lecta, quàm legi cœpta, numerari potuit, & omitti, prout magis lectori, aut ſcriptori placeret. Ideo Propheta liberum lectori permiſit, vocare ſuo arbitratu tertiam, ſeu quartam, cùm vtrunque admitteret Hebræorum vſus; quare dixit: *Cùm legiſſet tres pagellas, vel quatuor.*

Volumen ſeu antiquus liber quomodo paginas habeat.

22. Illud difficilius, cùm volumen, in quo ſcriptæ dicuntur prophetiæ, non ſit, ſicut libri noſtri, in paginas diſſectum, ſed vna tantùm pagina oblonga, circa paxillum aliquem inuoluta, vnde Hebraicè מגלה *meghilah*, Latinè dicitur *volumen*, quomodo dici poteſt habuiſſe pagellas tres, vel quatuor, quas ſcriba percurreret legendo? Huic difficultati plurimum attulit lucis Porphyrius, qui volumen pluribus paginis compactum eſſe dicit. Sunt autem paginæ chartæ illæ, ſeu membranæ, ſeparatæ quidem priùs, deinde verò adglutinatæ, & in vnum coactæ corpus, ſeu volumen: niſi mauis, paginas in volumine illo longo dici partes illius ſingulas, quæ ſuis quaſi regionibus diſtinguuntur, qualia eſſe ſolent capita, vel paragraphi, in quibus videntur contineri, atque ſecerni ab aliis ſingulæ prophetiæ: nam paginæ in agris dicuntur regiones à ſe ipſis viciſſim diſcretæ. Tunc verò ſenſus erit, cùm peruenisſet ſcriba ad quartam pagellam, ideſt, ad quartam prophetiam, ſeu ad quartam chartam ex illis, quæ grande illud volumen componebant, Rex conſcidit ſcalpello, & in ignem coniecit. Neque mihi improbabile eſt, librum illum aliam habuiſſe formam, quàm volumen olim communiter habebat, nempe quadratam, ita vt in ea diſtinctæ apparerent pagellæ. Nam non longè ab his temporibus quadrari ſolitos libros, & inſtrumenta publica, non obſcurè indicat Ioſephus lib. 12. Ant. c. 5. vbi datas eſſe dicit à Lacedæmonibus literas ad Oniam Pontificem, in quibus hæc ad extremum legimus: *Demoteles eſt, qui has vobis reddidit literas in pagina quadrangula ſcriptas, & obſignatas aquila ſigillo draconem tenentis in vnguibus.*

Veſtimenta in dolore diſciſſa.

23. Verſ. 24. *Et non timuerunt, neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex, & omnes ſerui eius, qui audierunt ſermones iſtos.*] Scindi in dolore veſtimenta notius eſt, quàm vt probare debeamus: in dolore (in-
A
quam) ſiue ille pro peccatis ſuſceptus ſit, ſiue propter graue aliquod infortunium; quomodo fecerunt Iob audita filiorum morte capite 1. & Iacob Geneſis 37. Dauid 2. Regum 1. hic de Saulis, ille de Benjamin accepto nuncio. Et Achab, cùm audiiſſet à Propheta, quàm grauiter in Deũ peccaſſet, vt auerteret à ſe Diuinam indignationem 3. Regum 21. *Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua.* Quod eſſe inter Hebræos vſitatum, docet ſatis Ioel capite 2. qui in pœnitentia non tam exigit veſtimenta ſciſſa, quàm cor: *Scindite*, ait, *corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Quod ſanè proximè à parente ſuo Ioſia diſcere potuit Ioacim, ſi quemadmodum regni, ſic etiam paternæ pietatis hæres eſſe voluiſſet. De illo enim ſcribitur 4. Regum capite 22. *Cùm audiiſſet Rex verba libri legis Domini, ſcidit veſtimenta ſua.* Sed ſic ille cum pietate mentem quoque abiecerat, vt librum lacerauerit, combuſſeritque; & omnino tam Ieremiam, quàm eius amanuenſem Baruch, tollendos curauerit; vſque adeò viles, aut vani viſi ſunt ſermones in Prophetæ volumine propoſiti. Multò ſanè plus habuerunt ponderis apud illos, de quibus ſuprà verſu 16. qui cùm eoſdem ſermones audiiſſent, obſtupuiſſe dicuntur. Et apud poſteros, qui propter volumen illud ab impio Rege laceratum, & combuſtum, ieiunium inſtituerunt ad ſeptimum diem menſis Kaſleu, qui & Nouember dicitur, vt habes in Hebræorum Kalendario.
C

Verſ. 26. *Abſcondit autem eos Dominus.*] Non 24.
puto, à Deo in alium locum eſſe tranſlatos, in quem non eſſent Regij ſatellites ingreſſi, ſed non permiſiſſe Deum, vt exploratores illi in Prophetas incurrerent. Sicut de Chriſto Ioannis capite 8. & capite 12. dicitur, quòd abſcondit ſe: quod, vt dicit Euthymius, & Theophylactus, in caput 8. Ioannis, non fecit in aliquem alium locum ſecedendo. Sic autem Theophylactus: *Non in angulum templi ſe coniecit, neque in domunculam quandam fugit, neque poſt parietem, vel columnam ſe incuruauit, ſed ſua magna poteſtate inuiſibilem ſe fecit inſidiatoribus, quamuis per medium illorum exiuit.* Idem exiſtimant ſanctus Thomas, Dionyſius, Lyra, & Maldonatus. Et licèt ſatis videatur factum
D
eſſe literæ, ſi dicamus, illos in alium locum aufugiſſe; tamen magis eſt ad textum ſuperior expoſitio, quæ id totum videtur aſcribere Diuinæ prouidentiæ, & ab humana remouere ſolertia.

Verſ. 29. *Quare ſcripſiſti in eo annuncians: Feſtinus veniet Rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc,* 25.
& ceſſare faciet ex illa hominem, & iumentum.] Sæpe, vt vidimus, minatus fuerat Propheta, vaſtatum iri Ieruſalem, eóque redigendam, vt ab hominibus, atque iumentis deſeratur. Illud in oblato volumine legerat Ioacim, ad quem locum vbi ventũ eſt, idest, ad tertiam, ſeu quartam pagellam, vbi
E
id videtur fuiſſe contentum, inflammatus furore, ac ſcelere, diſcidit ſcalpello, & in arulam, ignémque coniecit. Id ex omnibus obiecit Rex impius Ieremiæ abſenti, vt eſt veriſimile (neque enim tunc præſens eſſe poterat, quod faciunt ſæpe homines in furore, qui non ſolùm cum abſentibus, ſed etiam cum brutis, feris, ſaxíſque loquuntur) quia nihil legerat acerbius, aut quod horreret magis, nondum fortaſſe ad illam grauem ignominiam peruenerat legendo, de qua in ca. 22. vbi Ioacim iſte eo mortis genere periturus eſſe dicitur, vt honore careat ſepulturæ, & nõ ſolùm

lùm regia, ſed etiam communi, atque vulgari lamentatione priuetur; ac tandem non aliam, quàm aſini ſepulturam inueniat. Aut fortaſſe hæc non erant tunc ſcripta, ſed nunc primùm à Domino oblata Ieremiæ, quæ ipſe poſtea in caput 22. contulit. Neque enim, ſi longè ante hunc articulum ſcripta ſunt, efficitur, ante hunc articulum eſſe reuelata: nam, vt ſæpe in hoc Propheta obſeruare licet, non eo ordine digeſta ſunt, quo inſpirantur à Deo, aut à Ieremia proponuntur oracula.

26. Verſ.30. *Non erit ex eo, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid.*] Hoc de ſe hactenus non audierat Ioacim; audit tamen magno ſuo merito, quia Diuinis verbis inſignem irrogauit iniuriam. Sed quæret hîc aliquis, nec ſanè ſine cauſa, cur ex genere Ioacim nullus fore dicatur in ſolio Dauid, ideſt, regnaturus in Ieruſalem, cùm ſimul atque è Regio ſolio eccidit Ioacim, ſtatim eius loco ſucceſſerit Iechonias illius filius, qui & Ioachin, & poſt exilium Babylonicum ex eius ſtirpe in vrbem cum imperio redierit Dux Zorobabel. De Ioachin, ſeu Iechonia prompta eſt ratio: nam quemadmodum, cùm in principio diceret Ieremias, quorum Regum temporibus prophetauerit, non meminit Ioachin, quia cùm tribus tantùm regnauerit menſibus, exiguum illud ſpatium perinde habitum eſt, atque ſi nullum eſſet: ſic etiam hîc nec regnaſſe dicitur idem, ſeu ſucceſſiſſe in ſolio Dauid, quia tres menſes, iidémque à metu, ac perturbatione non vacui, non videntur regium alicui nomen dare potuiſſe. De Zorobabele, & poſteris dici etiam poteſt, nunquam tenuiſſe Dauidis ſolium, quia neque poſt exciſam ciuitatem ex Iudæorum gente regium nomen auditum eſt; neque qui ſub alio nomine in ea gente dominati ſunt, ex ſtirpe fuerunt Ioacim, quia illi non ſolùm Duces, ſed etiam Sacerdotes fuerunt, vt pluribus oſtendimus ad caput 6. Zachariæ numero 32. & 35. Sanè Mathathias libro 1. Machabæorum capite 2. de ſtirpe fuit Leui, ideſt, ex familia Ioarib, quæ inter vigintiquatuor familias poſterorum Aaronis prima exiit, 1. Paralip. cap. 24.

Regula. Exiguum tempus, pro nullo cenſetur.

27. *Et cadauer eius proiicietur ad æſtum per diem, & ad* A *gelu per noctem.*] Hoc idem prædixerat Propheta capite 22. cùm nullam aliam aſſignauit Regi, quàm aſini ſepulturam. Sed hic aliquid adiungit nouum, nempe, cadauer regium diu futurum inſepultum: id enim ſignificant *æſtus diei, & noctis gelu*: nam per diem, & noctem longum tempus ab Hebræis explicari ſolet: quando id acciderit, Scriptura non docet; eſt tamen veriſimile, & mihi penè certum, occiſum fuiſſe Ioacim in Ieruſalem, & inſtar aſini computruiſſe inſepultum, ſecundo Chaldæorum aduentu, quando rebellantis Regis vlti perfidiam ipſius filium Ioachim regno præfecerunt. ita Ioſephus, & cum eo plures alij.

B Verſ.32. *Et inſuper additi ſunt ſermones multò plures.*] Qui fuerint ſermones iſti, non conſtat, quia priùs aliud volumē impia Regis audacia periit: quare quid hoc poſterius ſupra illud habuerit, cognoſci non poteſt: eſt tamen veriſimile, quicquid illud eſt, nihil habuiſſe Regis votis, atque vſibus opportunum. Rabbi Salomon, vt refert Sixtus Senenſis libro 1. verſu, *Ieremias*, exiſtimat, librum à Rege diſcerptum, atque combuſtum fuiſſe illum, in quo Threni, ideſt, Lamentationes conſcriptæ ſunt: additque, cùm Dei iuſſu iterum ſcriptus eſt liber, additum eſſe caput quartum cum alphabeto triplici, cùm tamen tria capita ſuperiora vno tantùm conſtarent alphabeto. 28.
C Sed diuinat Rabbi Salomon, opinor: neque enim in Threnis aliquid reperitur eorum, quæ in illo libro ſcripta eſſe conſtabat: qualia ſunt, quæ habes eodem cap. à verſu 30. vbi de inhumato cadauere Regis ſermo eſt; & de regia ſede à Dauidico ſemine non ampliùs obtinenda; quæ ſcripta fuiſſe veriſimile eſt. Item, quia in eo libro ſcripta fuerunt vaticinia omnia, quæ à Domino accepit Ieremias, ex quo illum ſpiritus afflauit propheticus: ſed in Threnis nil eſt illorum, quæ tempus anteceſsêre, in quo liber ſcriptus. Immo in Threnis hiſtoricè res geſtæ narrantur, potiùs quàm futuræ prædicuntur propheticè. Adde, quòd multò plura addita dicuntur libro ſecundo, quàm ſcripta fuerant in priori, verſu 32. at D longè eſt, vt quartum alphabetum reliqua Threnorum capita æquet, adeò non excidit.

ARGVMENTVM CAPITIS XXXVII.

CAPVT hoc hiſtoriam continet potiùs, quàm prophetiam, atque ideo à Paraphraſi abſtineo. Mittit Sedecias Rex ad Ieremiam, qui tunc nondum erat incluſus in carcerem, legatos, qui ſuo nomine petant, vt Deum pro communi re oret, déque rerum ſucceſſu, atque adminiſtratione conſulat. Qui mandata præſtat diligenter, edicitque reuerſurum Chaldæum in Ieruſalem, eámque omnino in ſuam poteſtatem redacturum. Cùm autem in terram Benjamin abire ex Hieroſolyma tentaret, ad ipſam portam à cuſtodibus deprehenſus eſt, & quaſi ad Chaldæorum caſtra transfugeret, ab vrbis Principibus in lacum coniectus eſt. Cui poſtea Regis imperio commodior cuſtodiæ locus datus eſt, & de quotidiano victu pro rerum anguſtiis accuratè prouiſum.

IEREM. CAP. XXXVII.

1. *ET regnauit rex Sedecias filius Ioſiæ pro Iechonia filio Ioakim: quem conſtituit Regem Nabuchodonoſor Rex Babylonis in terra Iuda:*

2. *Et non obediuit ipſe, & ſerui eius, & populus terræ verbis Domini, quæ locutus eſt in manu Ieremiæ Prophetæ.*

3. *Et miſit Rex Sedecias Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium Maaſiæ Sacerdotem ad Ieremiam Prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum Deum noſtrum.*

4. *Ieremias autem liberè ambulabat in medio populi: non enim miſerant eum in cuſtodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egreſſus eſt de Aegypto: & audientes Chaldæi, qui obſidebant Ieruſalem, huiuſcemodi nuncium, receſſerunt ab Ieruſalem.*

5. *Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam, dicens:*

6. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Sic dicetis Regi Iuda, qui miſit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egreſſus eſt vobis in auxilium, reuertetur in terram ſuam in Aegyptum:*

7. *Et redient Chaldæi, & bellabunt contra ciuitatem hanc: & capient eam, & ſuccendent eam igni.*

8. *Hæc dicit Dominus: Nolite decipere animas veſtras, dicentes: Euntes abibunt, & recedent à nobis Chaldæi, quia non abibunt.*

9. *Sed & ſi percuſſeritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur aduersùm vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: ſinguli de tentorio ſuo conſurgent, & incendent ciuitatem hanc igni.*

10. *Ergo cùm receſſiſſet exercitus Chaldæorum ab Ieruſalem propter exercitū Pharaonis,*

11. *Egreſſus eſt Ieremias de Ieruſalem vt iret in terram Benjamin, & diuideret ibi poſſeſſionem in conſpectu ciuium.*

A

12. *Cúmque perueniſſet ad portam Benjamin, erat ibi cuſtos portæ per vices, nomine Ierias, filius Selemiæ filij Hananiæ, & apprehendit Ieremiam Prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis.*

13. *Et reſpondit Ieremias: Falſum eſt, non fugio ad Chaldæos. Et non audiuit eum: ſed comprehendit Ierias Ieremiam, & adduxit eum ad Principes.*

14. *Quamobrem irati Principes contra Ieremiam, cæſum eum miſerunt in carcerem, qui erat in domo Ionathan ſcribæ: ipſe enim præpoſitus erat ſuper carcerem.*

B

15. *Itaque ingreſſus eſt Ieremias in domum laci & in ergaſtulum: & ſedit ibi Ieremias diebus multis.*

16. *Mittens autem Sedecias rex tulit eum: & interrogauit eum in domo ſua abſconditè, & dixit: Putáſne eſt ſermo à Domino? Et dixit Ieremias: Eſt. Et ait: In manus regis Babylonis tradêris.*

17. *Et dixit Ieremias ad regem Sedeciam: Quid peccaui tibi, & ſeruis tuis, & populo tuo, quia miſiſti me in domum carceris?*

C

18. *Vbi ſunt Prophetæ veſtri, qui prophetabant vobis, & dicebant: Non veniet Rex Babylonis ſuper vos, & ſuper terram hanc?*

19. *Nunc ergo audi obſecro domine mi rex: Valeat deprecatio mea in conſpectu tuo: & ne me remittas in domum Ionathan ſcribæ, ne moriar ibi.*

20. *Præcepit ergo Rex Sedecias vt traderetur Ieremias in veſtibulo carceris: & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec conſumerentur omnes panes de ciuitate: & manſit Ieremias in veſtibulo carceris.*

IN

IN CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Et regnauit Rex Sedecias filius Ioſiæ pro Iechonia filio Ioacim.*]

1. MVLTVM temporis interiectum eſt inter hanc, & quam proximè explicuimus, prophetiam: & prophetiæ item omiſſæ non paucæ, quæ medio hoc ſpatio, à Ieremia propoſitæ, tam ſub Ioacim, quàm ſub eius filio Iechonia, immo & ſub Sedecia, de quo præſens hoc caput. Quo verò tempore, quæ hoc continentur capite, contigerint, non eſt coniectare difficile: conſtat enim obſidionem ſoluiſſe Chaldæos, vt occurrerent Ægyptiorum Regi Pharaoni, qui vt auxilio foret obſeſſis, Ægyptias vires, & arma collegerat. Eo igitur tempore, quo paulùm cœperunt à metu reſpirare Iudæi, conſultus fuit à Rege Ieremias, & illa perfecta, de quibus in hoc capite, quæ vſque adeò traduntur claro, ideſt, hiſtorico ſtylo, vt eorum pleraque Interpretis operam non deſiderent.

2. Verſ.2. *Et non obediuit ipſe, & ſerui eius, & populus terræ verbis Domini.*] Magna ſignificatur ciuitatis peruerſitas, & multò quàm ſub aliis Regibus corruptela maior: quando ſic per omnes ordines graſſata dicitur improbitas, vt nemo in tota ciuitate fuerit non corruptus, non Rex, non Principes, cum aulicis viris, non denique ignobilis vulgi multitudo. Quare mirandum non eſt, ſi tam graui, ac miſerabili caſu corruerit tanta, tam antiqua, támque in tot ſæculis celebrata moles, ſi tot hominum ſcelera in eius interitum conſpirarunt.

3. Verſ.3. *Ora pro nobis Dominum Deum noſtrum.*] In oratione hac, quam à Propheta poſtulat Sedecias, aliquid aliud præter orationem video: id enim videtur Sedecias exigere, vt à Deo Ieremias de rerum publicarum euentu poſcat oraculum: quod non difficile colligere mihi videor ex reſponſione, quam Sedeciæ nunciis reddidit Ieremias ſtatim verſu 6. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: ſic dicetis Regi Iuda, qui miſit vos ad me interrogandum.* Hæc videtur eſſe legatio, de qua ſuprà capite 21. vbi legatus eſſe dicitur Sophonias, filius Maaſiæ, de quo etiam hîc. Rogatúrque Ieremias à Rege, non vt oret, ſed vt interroget Deum, de futuro bellorum euentu. Vide, quæ nos ibi.

4. Verſ.4. *Ieremias autem liberè ambulabat in medio populi.*] Significatur tempus, quo miſſa eſt ad Ieremiam iſta legatio: dum enim ab vrbe ad arcendos Ægyptios abfuerunt Chaldæi, variè acceptus fuit à ſuis ciuibus, atque domeſticis Propheta; principiò quidem liber fuit, & quocunque vellet abire permiſſus, deinde verò in vincula coniectus, & demiſſus in lacum, donec in Chaldæorum poteſtatem ciuitas venit. Cùm verò hoc à Rege mandatum accepit Ieremias, liber, & ſine vlla ciuium offenſione, aut ſuo metu, in medio agebat populo, ideſt, ſecurè viuebar, ſicut reliqui; neque à quoquam cauendum ſibi

A eſſe exiſtimabat. Vbi Vulgatus, *liberè ambulabat*, Hebraicè eſt, *ingrediebatur, & egrediebatur.* Quo dicendi modo Scriptura ſignificat libertatem alicuius in agendo impeditam à nemine.

Verſ.9. *Si percuſſeritis omnem exercitum Chaldæorum, &c. & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati, ſinguli de tentorio ſuo conſurgent, & incendent ciuitatem.*] 5.
Iratum eſſe Dominum ſignificat, & quidquid mali ciuitati imminet, ab vltrice Domini manu prouenire: cui non eſt difficile, vel in multis, vel in paucis cogitata perficere. Quare hortatur, ne ſibi nimis ſtolidè blandiantur, ſi quicquam ex votis videatur accidere, atque etiam ſi ingenti Chaldæos plaga conciderint, ſiue ſua, ſiue Ægyptiorum manu, quos auxilij gratia iam iam adfore, ſeu certè iam adfuiſſe cognouerunt. Si enim
B ex illa plaga vnus ſupereſſet, iſque oppidò ſaucius, per illum Deus & Iudæorum ſterneret acies, & ciuitatem traderet incendio, vſque adeò durum eſt habere offenſum Deum, & noſtris conſiliis inimicum.

Durum eſt, habere Deũ inimicum.

Verſ.11. *Egreſſus eſt Ieremias de Ieruſalem, vt iret in terram Benjamin, vt diuideret ibi poſſeſſionem in conſpectu ciuium.*] 6.
Hic locus obſcurus, neque in eo explicando, præter coniecturas, quidquam eſt, quod ſequaris. Verbum חלק *chalak*, pro quo noſter *diuideret*, etiam valet idem quod *lenio*, ſeu *mollio*: quare quidam ſic vertunt, *vt ſecederet*, nempe, molliter, & cautè: ideſt, vt ſe cum reliqua turba, quæ ſoluta metu iam liberè prodibat, extra mœnia ſummoto Chaldæo, clanculùm ſubduceret.
C Vatablus vertit, *lubrificaret ſe*: ideſt, inſtar anguis, & anguillæ ſenſim eriperet: cui explicationi nonnihil fauet, quòd in Hebraico textu non eſt vlla vox, quæ poſſeſſioni reſpondeat. Alij, *vt ſe è populo diuideret*, ſeu, *ſegregaret*: vtranque explicationem iuuat, quod vbi Vulgatus habet *ibi*, Hebraicè eſt משם *miſam*, ideſt, *inde*, nempe, è populo. Septuaginta ſic vertunt: *Vt emeret inde è medio populi.* Quæ ſic exponit Theodoretus, vt eo conſilio egreſſus videretur, vt panes emeret inter familiares, quos ex ciuitate iam rebus omnibus exhauſta non poſſet. Sed quia Vulgatus *poſſeſſionem* habet, aliter nobis expoſitio tentanda eſt.

D Quidam ad illam poſſeſſionem referunt, 7.
quam à conſanguineo emiſſe traditur ſuprà, capite 32. ita vt illam emptam à ſe poſſeſſionem diuideret. ideſt, vt certo limite, aut terminali lapide ab aliis ſecerneret, aut ab aliquo, qui illam abſtulerat, aſſumeret, ſibique vendicaret. ita ſanctus Thomas, Dionyſius, & Lyra; neque Maldonatus improbat. Sed contrà vehementer facit, quia, vt notauit Hugo, & Caſtrus, eo tempore nondum ager ille, de quo capite 32. emptus erat à Ieremia: vt enim eo loco traditur, tunc clauſus erat Ieremias in atrio carceris, quod accidit aliquo poſt hunc Ieremiæ exitum, anno nempe

decimo Sedeciæ, vt è textu conſtat, poſtquam A Ægyptio ſubiugato, Chaldæus rurſus Hieroſolymam obſederat, vt res ipſa docet.

8. Doctores Hebræi eo conſilio egreſſum arbitrantur Ieremiam, vt quas habebat in Anathoth poſſeſſiones, inter filios diuideret. Quam Hebræorum cogitationem nemo, credo, probabit, qui norit è Tribu Leuitica, generéque Sacerdotali fuiſſe Ieremiam, vt ipſe ſtatim in principio confeſſus eſt. At Leuiticæ familiæ viris poſſeſſiones habere in terra promiſſionis non licebat, niſi ſuburbana prædia, & olitorium agrum, & commoda ad laxandos animos diuerticula, vt Hieronymus docet ſuprà in caput 32. Vide, quæ nos ibi pluribus. Quare nihil habere magnum potuit Ieremias, quod inter filios diſtribueret, niſi B fortè in poſſeſſione domum, domeſticámque ſupellectilem intelligas. Item, quia optimè norat Ieremias, non Hieroſolymam ſolùm, ſed etiam omnem latè regionem, quæ ad Hieroſolymam pertinebat, in Chaldæorum poteſtatem eſſe venturam: quare non admodum laborare debuit, ad quoſnam deuolueretur illa poſſeſſio. Sed, quod magis hanc oppugnat ſententiam, eſt, quia (vt communis eſt Patrum opinio, & nos Prolegomeno 5. pluribus oſtendimus) virginitatem coluit Ieremias; quare filios non habuit, inter quos eo rerum articulo poſſeſſionem diuideret. Minùs quidem difficile eſt, voluiſſe inter domeſticos ac C familiares poſſeſſionem diuidere, quod indicat Chaldæus, eo conſilio, vt abdicatis bonis, ſine metu, ac ſollicitudine viueret: quod placet ſancto Thomæ; ſed neque hoc videtur ab omni difficultate ſolutum. Satis enim liber ab agri, aut alterius poſſeſſionis cura, prophetico muneri vacare potuit, cùm iam videret poſſeſſionem ſuam Chaldæorum eſſe prædam, neque tam in ſua, quàm in aliena poteſtate cenſeret. Deinde, qua in re cenſendus eſſet Ieremias commodaſſe domeſticis, cùm id illorum vſui concedebat, ex quo nullum ipſi vſum habituri videbantur?

9. Ego in hac rerum implexa varietate, ita cenſeo dicendum. Primùm voluiſſe Ieremiam ab D vrbe ſecedere: tum quia illam ſciebat Chaldæis futuram eſſe prædæ; tum quia à Rege, Principibúſque ciuitatis, quiduis timere poterat, in quos tam multa, & grauia ſæpius detonuiſſet. Quod re vera ita accidit: nam illius vitæ inſidias moliti ſunt, & ipſe in lacu, ac vinculis ad exitium vſque ciuitatis incluſus. ita putat Vatablus, & indicat Pagnini, ac Tigurina tranſlatio.

10. Deinde arbitror, poſſeſſionem hoc loco non ſignificare agrum, ſed quidquid in noſtra poteſtate eſt, aut ad vſum noſtrum vtcunque pertinet. Quare domicilium conductum, licèt ad exigui habitationem temporis, poſſeſſio eſt. Ex his ego ſententiam hanc informo: Egreſſus eſt Ieremias E de Ieruſalem, vt domum, & habitationem à Solymitano populo diuideret, ideſt, vt ſe à populo iamiam vaſtando, ac perituro ſubtraheret; *diuidere* autem *in conſpectu ciuium*, nihil videtur eſſe aliud, quàm ſpectantibus ciuibus fugam illam, ſeu diſceſſum moliri.

11. Verſ. 14. *Irati Principes contra Ieremiam caſum eum miſerunt in carcerem.*] Putabant Principes illi, quibus demandata videtur ciuitatis cuſtodia, corripere ſe voluiſſe Ieremiam ad Chaldæorum caſtra, & conſilium proditionis moliri; quare non ſolùm in carcerem includunt, quod à prouidentia naſci poſſe videbatur, ſed etiam concidunt aut pugnis, aut flagellis; quod ſuadebat aut recens offenſio, aut iam antea conceptus, atque compreſſus furor, qui non ſemper aduertit, aut conſiderat, quid perſonam deceat aut agere, aut pati.

12. Verſ. 15. *Itaque ingreſſus eſt Ieremias in domum laci, & in ergaſtulum.*] Hìc nobis explorandum neceſſariò eſt, cur carcer, in quem demiſſus eſſe traditur Ieremias, dicatur lacus. Mihi certum eſt, in carceribus certum eſſe locum, in quem magnorum ſcelerum rei coniicerentur, non ad cuſtodiam ſolùm, quia ab illis multum patebat effugium, ſed ad cruciatum, & ignominiam. Hi verò in altam erant profunditatem demiſſi, & ideo foueæ nominantur, & laci, tum cœnoſi, fœtidi, & ſqualidi, non tam ad ducendam vitam, quàm ad trahendam longam, & miſeram mortem. Quales nunc ſunt in Anglia, in quos, qui pro fide, & religione certant, ab hæreticis concluduntur. Talis ille, in quem coniectus eſt, Geneſis capite 39. Ioſeph, quia reus arguebatur perfidiæ in dominam: quem Vulgatus foueam appellat Sap. 10. verſu 13. & Græcus λάκκος ibidem.

Carcer cur dictus lacus.

Carcer Ieremiæ non tam ad cuſtodiam, quã ad cruciatũ.

Sap. 10.

Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.] Huius credo loci meminit Ieremias Threnorum 3. verſu 53. cùm dixit: *Lapſa eſt in lacum vita mea, poſuiſti lapidem ſuper me.* vbi obſerua, ſaxo os laci obſtrui ſolere, vt inſtar haberet ſepulcri potiùs, quàm cuſtodiæ. Sic Daniel capite 6. in lacum miſſus eſt: *Allatúſque eſt lapis vnus, & poſitus ſuper os laci.* Ad hanc, puto, carceris, ſeu barathri formam alluſum eſt Pſalmo 68. verſu 16. *Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* de alio lacu, de quo ſtatim capite 38. agit, vt arbitror, Ieremias, eodem Threnorum capite 3. verſu 15. de illo nos ſuo loco. Porro lacus iſte appellatur ergaſtulum, non quia ibi in opere faciendo exercerentur clauſi (nam ex *opere*, Græcè ἔργον, ergaſtulum vocatum eſſe conſtat) ſed quia ex hac vinctorum conſuetudine quicunque carcer ergaſtulum appellari cœpit.

Dani. 6.
Pſal. 68.

13. *Et ſedit ibi Ieremias diebus multis.*] Quandiu in eo lacu Ieremias ſederit, non conſtat, ſediſſe tamen diu vſque ad Chaldæorum reditum, ex eo fit probabile, quia cùm è lacu eductus eſſet à Sedecia, dixit: *Vbi ſunt Prophetæ veſtri, quia prophetabant vobis, & dicebant, Non veniet Rex Babylonis ſuper vos?* nam, vt conſtat ex hoc ipſo capite verſu 8. ſibi ipſis Iudæi perſuaſerant, inducti, credo, Prophetarum fallacibus verbis, non iterum, poſtquam obſidionem ſoluiſſet, eòdem reuocaturum eſſe caſtra Nabuchodonoſor, quos iam euentu ipſo falſitatis conuictos eſſe affirmat.

14. Verſ. 19. *Valeat deprecatio mea in conſpectu tuo.*] Hebraicè, *cadat deprecatio*, ac ſi dicat, ſine te orari, aut permitte, vt orem te. Sed quia eò ſpectat oratio, vt quod petit obtineat, ideo optimè tranſtulit Vulgatus, *valeat*, ac ſi dicat Propheta, *ſine te exorem.*

15. *Ne me remittas in domum Ionathan ſcribæ, ne moriar ibi.*] Hinc coniectare licet, qualis eſſet lacus, in quem coniectus eſſe dicitur Ieremias, quando in eo mors propè iam adfutura timebatur: cùm enim profundus eſſet, &, quod conſequens eſt, humore, atque pædore grauis, non poterat non tentari grauiter valetudo.

16. Verſ. 20. *Præcepit ergo Rex Sedecias, vt traderetur Ieremias in veſtibulo carceris.*] Hìc aliquid inuerſum putat

putat Rabbi Dauid, ita vt legendum ſit, non *in*
veſtibulo carceris, ſed *in carcere, qui eſt in atrio,ſeu ve-*
ſtibulo. Mihi nihil videtur eſſe mutandum. Cùm
enim Rex, vt Principum ſatisfaceret votis, ita
concluderet Ieremiam, ne poſſet ad Chaldæos
effugere; cauerétque,ne ex tetro,atque ſquallen-
ti carcere, in vitæ periculum ageretur Propheta,
elegit carceris veſtibulum, quod ita vinctos co-
hibet, vt abire non ſinat: ita continet laxè, vt
nullum inde periculum timeri poſſit, aut grauis
moleſtia. An verò carcer, in cuius veſtibulo
claudebatur Propheta,in domo Regis fuerit, ân
in domo Ionathan ſcribæ, incertum eſt. Maldo-
natus regiæ domus, aut regij carceris, putat eſſe
veſtibulum. Illud certum, tam hoc veſtibulum,
ſeu atrium, quàm illud, de quo ſtatim capite 38.
liberam eſſe cuſtodiam, ita vt loqui cum Iere-
mia poſſent, quicunque vellent. Neque enim ali-
ter de emendo agro cum cognato paciſci potuiſ-
ſet Propheta; neque eò conuenire notarius, &
teſtes, qui ad publicam, legitimámque fidem
erant neceſſarij.

17. *Torta panis.*] Hebraicè ככר *kikar*, tortam va-
let, ſeu tractam ex quacunque materia: quare ta-
lentum à figura, ſiue plumbeum ſit, ſiue argen-
teum, aut aureum, kikar dicitur. Tortam igi-

A tur panis quotidianum demenſum Prophetæ aſ-
ſignat Sedecias. Quidam anguſtum panem vi-
dentur exponere,dum explicant *buccellam*,ſeu *fru-*
ſtum panis,in quibus ſunt Chaldæus, & Vatablus:
ſed nimis hi contrahunt, ac eleuant pondus ki-
kar,quod Scriptura oſtendit leuem non eſſe.

Excepto pulmento.] Voces Hebraicæ הא ופים 18.
מחוץ *michuz ha ophim*; multiplici patent expoſi-
tioni. Quidam vertunt, *de foris*, ſeu *de platea piſto-*
rum. & ita communiter Hebræi; tunc verò ſen-
ſus eſſe poſſet, talem, tantámque aſſignari à Re-
ge Ieremiæ tortam panis, ſeu panem vnum,qua-
lis,quantóque in pondere à piſtoribus in foro ve-
nalis eſt. Sed noſter interpres illud מחוץ *præter*,
ſeu, *excepto*, ſignificare putat. Quod item exiſti-
B marunt alij. אופים verò paſſiuè ſumpſit,pro *cocto*
condimento,ſeu,*pulmento*. Sed eſt adhuc obſcurum,
ân illud,*excepto pulmento*,valeat,ſolum panem dan-
dum eſſe Prophetæ, ita vt ad illud nihil adhibe-
retur obſonij; an verò definiri illi panis demen-
ſum, non verò id, quod adhiberi poſſet ad pa-
nem, cuius nullam voluit eſſe menſuram; hoc
poſtremum magis eſt ad regiam liberalitatem,
& ad verba Vulgati. Quod autem à Rege decre-
tum fuit,quàndiu panis in ciuitate fuit, Ieremiæ
non defuit.

ARGVMENTVM CAPITIS XXXVIII.

*RVRSVS in lacum mittitur Ieremias, annuente Rege Princi-
pum votis, qui non ſolùm illum ad cuſtodiam, & vincula, ſed
etiam ad mortem depoſcebant. Miſſus autem videtur nudus in lacum
& profunditate horridum, & propter cœnum,grauémque halitum, into-
lerabilem. Sed vir quidam Æthiops tanti viri miſeratus à Rege impe-
trat, vt extrahatur inde; quod vt cum minori cruciatu,ac periculo fiat,
pannos putres nudo Prophetæ corpori ſupponit. Dehinc à Rege Ieremias
de regni ſtatu familiariter rogatus, cùm ſuæ ſaluti potiùs regia fide ca-
uiſſet,ait ex vſu publico fore ciuitatem dedere hoſti Babylonico. Ad ex-
tremum, cùm curioſos Principum animos eluſiſſet, qui ſcire ſtudebant,
quòd clandeſtino colloquio cum Rege tractauiſſet,in atrium carceris ma-
nibus,pedibúſque ligatus ad ciuitatis vſque ſtragem coniicitur.*

IEREM. CAP. XXXVIII.

1. *AVdiuit autem Saphatias filius Ma-
than, & Godolias filius Phaſſur, &
Iuchal filius Selemiæ, & Phaſſur fi-
lius Melchiæ, ſermones,quos Ieremias loqueba-
tur ad omnem populum,dicens:*

*2. Hæc dicit Dominus: Quicumque man-
ſerit in ciuitate hac, morietur gladio, & fame,
& peſte: qui autem profugerit ad Chaldæos, vi-
uet,& erit anima eius ſoſpes & viuens.*

*3. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur
ciuitas hæc in manu exercitus Regis Babylonis,
& capiet eam.*

4. Et dixerunt Principes Regi: Rogamus

C *vt occidatur homo iſte: de induſtria enim diſ-
ſoluit manus virorum bellantium, qui reman-
ſerunt in ciuitate hac,& manus vniuerſi popu-
li, loquens ad eos iuxta verba hæc: ſiquidem
homo iſte non quærit pacem populo huic, ſed
malum.*

*5. Et dixit Rex Sedecias: Ecce ipſe in ma-
nibus veſtris eſt: nec enim fas eſt,Regem vobis
quidquam negare.*

*6. Tulerunt ergo Ieremiam, & proiecerunt
eum in lacum Melchiæ filij Amalech, qui erat
in veſtibulo carceris: & ſubmiſerunt Iere-
miam funibus in lacum, in quo non erat aqua,
ſed*

ſed lutum: deſcendit itaque Ieremias in cœnum.

7. Audiuit autem Abdemelech Aethiops vir eunuchus, qui erat in domo Regis, quòd miſiſſent Ieremiam in lacum: porro rex ſedebat in porta Benjamin.

8. Et egreſſus eſt Abdemelech de domo Regis, & locutus eſt ad Regem, dicens:

9. Domine mi Rex, malefecerunt viri iſti omnia quæcumque perpetrarunt contra Ieremiam Prophetam, mittentes eum in lacum vt moriatur ibi fame: non ſunt enim panes vltrà in ciuitate.

10. Præcepit itaque Rex Abdemelech Aethiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, & leua Ieremiam Prophetam de lacu antequam moriatur.

11. Aſſumptis ergo Abdemelech ſecum viris, ingreſſus eſt domum Regis, quæ erat ſub cellario: & tulit inde veteres pannos, & antiqua quæ computruerant, & ſubmiſit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos.

12. Dixítque Abdemelech Aethiops ad Ieremiam: Pone veteres pannos, & hæc ſciſſa & putrida, ſub cubitu manuum tuarum, & ſuper funes: fecit ergo Ieremias ſic.

13. Et extraxerunt Ieremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu: manſit autem Ieremias in veſtibulo carceris.

14. Et miſit Rex Sedecias, & tulit ad ſe Ieremiam Prophetam ad oſtium tertium, quod erat in domo Domini: & dixit ad Ieremiam: Interrogo ego te ſermonem, ne abſcondas à me aliquid.

15. Dixit autem Ieremias ad Sedeciam: Si annunciauero tibi, numquid non interficies me? & ſi conſilium dedero tibi, non me audies?

16. Iurauit ergo rex Sedecias Ieremiæ clã, dicens: Viuit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, ſi occidero te, & ſi tradidero te in manus virorum iſtorum, qui quærunt animam tuam.

17. Et dixit Ieremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igni: & ſaluus eris tu, & domus tua.

A

18. Si autem non exieris ad Principes Regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igni: & tu non effugies de manu eorum.

19. Et dixit Rex Sedecias ad Ieremiam: Solicitus ſum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos: ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi.

20. Reſpondit autem Ieremias: Non te tradent, audi quæſo vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & viuet anima tua.

B

21. Quòd ſi nolueris egredi: iſte eſt ſermo, quem oſtendit mihi Dominus:

22. Ecce omnes mulieres, quæ remanſerunt in domo Regis Iuda, educentur ad Principes Regis Babylonis: & ipſæ dicent: Seduxerunt te, & præualuerunt aduersùm te viri pacifici tui, demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te.

23. Et omnes vxores tuæ, & filij tui educentur ad Chaldæos: & non effugies manus eorum, ſed in manu Regis Babylonis capieris, & ciuitatem hanc comburet igni.

C

24. Dixit ergo Sedecias ad Ieremiam: Nullus ſciat verba hæc, & non morieris.

25. Si autem audierint Principes quia locutus ſum tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi: Indica nobis quid locutus ſis cum Rege: ne celes nos, & non te interficiemus: & quid locutus eſt tecum Rex.

26. Dices ad eos: Proſtraui ego preces meas coram Rege, ne me reduci iuberet in domum Ionathan, & ibi morerer.

D

27. Venerunt ergo omnes Principes ad Ieremiam, & interrogauerunt eum: & locutus eſt eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei Rex, & ceſſauerunt ab eo: nihil enim fuerat auditum.

28. Manſit verò Ieremias in veſtibulo carceris vſque ad diem, quo capta eſt Ieruſalem: & factum eſt vt caperetur Ieruſalem.

E

IN

IN CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Audiuit autem Saphatias, &c. ſermones, quos Ieremias loquebatur ad omnem populum.*]

1\. HINC collige, quàm laxam, liberámque cuſtodiam, in veſtibulo carceris Ieremias habuerit; quando inde ad populum vniuerſum magnis de rebus potuerit ſermonem habere. Vnde ſeſe prodit ſingularis tanti viri conſtantia: cum enim eandem ob cauſam percuſſus eſſet, & coniectus in neruum à Phaſſur, ſuprà capite 20. & vix dum extractus eſſet è lacu, in quo grauis, præſénſque mortis proponebatur cauſa, non tamen veretur, quod à Deo accepiſſet oraculum, ad populum expromere, & vitæ iam toties ad mortem quæſitæ ſubire diſcrimen; cætera ad verſum 6. aperta ſunt. Illud verò non omittendum, hoc tempore iam ab Ægyptio bello rediiſſe Chaldæos: vt enim habes capite 32. cùm eſſet in atrio carceris Ieremias, annus erat Sedeciæ decimus, & ciuitas à Chaldæis obſeſſa, quod etiam tradit Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 10.

2\. Verſ.6. *Tulerunt ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in lacum Melchiæ, filij Amalech, qui erat in veſtibulo carceris: & ſummiſerunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum.*] De hoc arbitror lacu, ſeu puteo dixiſſe Ieremiam Threnorum 3. verſu 55. *Inuocaui nomen tuum, Domine, de lacu noniſſimo.* Hebraicè, תחתיות *iachtiioth*: ideſt, profunditatum; Septuaginta, *de lacu infimo*, cum reſpectu, arbitror, ad lacum alium, de quo proximè. Quàm verò lacus ille depreſſus eſſet altè, indicant funes, quibus eò demiſſus eſt Propheta: quàm incommodus, docet cœnum, quod in eius fundo fuiſſe traditur. Quare non tam agebant Principes illi, vt Ieremiam cohiberent in vinculis, quàm vt illum quàm ocyſſimè, & quàm miſerrimè tollerent; quod paulò antè poſtularant à Rege. Qualis lacus ille fuerit, docet Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 10. *In quendam (inquit) cœnoſum puteum per funem demiſerunt, vt ibi præfocatus moreretur: ille verò vſque collum merſus ibi manebat.*

3\. Circa hunc lacum aliqua nobis obſeruanda; primum, valde videri veriſimile, lacum hunc, ſiue puteum ciſternam aliquando fuiſſe ad pluuialem aquam olim colligendam comparatam à Melchia filio Amalech; quæ poſtea, quia prope carcerem, & ad illius atrium eſſe contigit, traducta eſt ad cuſtodiam; ſeu, vt ego verius eſſe puto, ad ſupplicium illorum, qui digni cenſerentur capitali pœna. Hinc alios puteos, ſiue lacus ſub cælo fuiſſe expoſitos imbribus, & ideo cœnoſos, & immundos putat Abulenſis in caput 25. Matthæi, quæſtione 558. eóſque in Palæſtina ad fontium cuſtodiam. Non diſſimilis videtur illa fuiſſe ciſterna, in quam à fratribus, in ipſius cædem hoſtiliter intentis, coniectus eſt Ioſeph, Geneſis capite 37. eo enim conſilio in ciſternam illam veterem videtur eſſe demiſſus, vt ibi periret: nam & inde extractus eſt, Iſmaëlitíſque mercatoribus venditus, vt ſeruiret, & pretio mortem redimeret: ne in ciſterna veteri, quæ non habebat aquam, ſed, vt eſt veriſimile, cœnum, & ſordes, frater interiret. *Ciſternæ veteres.*

4\. Hunc locum, ſeu puteum non temere fortaſſe aliquis eam cuſtodiam eſſe putaret, qui in Euangelio non ſemel tenebræ dicuntur exteriores (de quibus nos pluribus Actorum capite 12. numero 29. vbi de tenebris exterioribus aliter ſentiebamus) tenebræ quidem, quia hoc proprium carceris epithetum eſt: & huius præſertim, quia & altè defoſſus eſt, & lapidem habet impoſitum ori; quare accipere nihil poteſt ſplendoris è cælo. Exteriores verò, quia ſunt non in intimo carcere, ſed in eius atrio, ſiue veſtibulo, quod aliarum comparatione partium, vocari poteſt carcer exterior. Et facit huc, quòd quia locus ille mortis eſt, atque ſepulcri inſtar, & in quo proxima moriendi neceſſitas, in eo futurus eſſe dicitur fletus; & quia non poteſt non eſſe frigidus, quia altè depreſſus, & cœnoſus, ideo ſtridor dentium in eo fore dicitur, qui à frigore eſt. *Mittite* (inquit Dominus) *in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Et quemadmodum apud Athenienſes *barathrum*, apud Hebræos *topheth*, vel *gehenna*, pro inferno ponitur, quia ibi aut immenſa profunditas, aut dolor acerbus, ſic puteus hic profundus, & ſine aqua, teter, immundus, & horribilis a cœno pro inferno ponitur, ſiue ille veterum Patrum ſinus ſit, ſiue æternus damnatorum carcer. Sanè ad hunc lacum crebræ ſunt alluſiones, Pſalmo 87. verſu 5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum.* & ſtatim verſu 7. *Poſuerunt me in lacu inferiori: in tenebroſis, & in vmbra mortis.* Pſalmo 39. *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Zacharias capite 9. *Emiſiſti vinctos tuos de lacu, vbi non erat aqua.* Quæ omnia miſeram ſortem, & extremam calamitatem ſignificant. *Tenebræ exteriores.* Matth.8. Pſal.87. Pſal.39. Zach.9.

5\. Verſ.7. *Audiuit autem Abdemelec Æthiops vir eunuchus.*] Eunuchus in Scriptura aliquando, idque non rarò, ſignificat virum Principem, Regibúſque familiarem: &, quod Græca vox ſonat, lecti cuſtodem; qualis ſine dubio fuit hic Abdemelec, cuius opera extractus eſt de lacu Ieremias. Rabbi Salomon, teſte Lyra, putat, *Abdemelec*, non tam proprium eſſe nomen, quàm commune, quod iuxta ſui nominis rationem ſeruum Regis ſignificat; vbi verò Vulgatus habet, *Æthiops*, Hebraicè eſt הכושי *hacuſi* in genitiuo; quare ad Sedeciam potiùs pertinere putat nomen illud, quàm ad Abdemelec. Vocari autem Sedecias poterat Æthiops, propter nigrorem, ideſt, improbitatem morum, ſicut propter eandem cauſam *Cuſi*, ideſt, Æthiops appellatus Saül, in titulo Pſalmi 70. qui inſcribitur: *Pro verbis Chuſi filij Iemini.* Quare ex Rabbi Salomonis ſententia *Niger ſiue Æthiops de improbis.* Pſal.70.

ſententia ſenſus eſt: *Audiuit ſeruus Regis Sedeciæ Æthiopis, ideſt, improbi, qui Regi eunuchus, ideſt, domeſticus erat.* Et quidem *nigrum*, ſeu, *Æthiopem*, pro ſcelerato ſumi, non ſolùm ſacri, ſed etiam profani auctores docent. Amos capite 9. verſu 7. *Nunquid non vt filiis Æthiopes vos eſtis mihi filij Iſraël?* & Ieremias ſuprà capite 13. hominem, qui in vitiis iampridem inueterauit, Æthiopem vocat, aut ſimilem eſſe dicit Æthiopi: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè.* Sanè apud profanos, *niger* pro ſcelerato, ac veteratore ponitur. Horatius libro 1. Satyra 4.

Amos 9.

Ierem. 13.

——*Hic niger eſt, hunc tu, Romane caueto.*

& prouerbiali figura improbitas, ac nequitia, ſuccus appellatur loliginis, quòd atramentum eſt, quo ſepia ſe turbatis aquis à piſcatorum arte, atque induſtria defendit.

6. Sed licèt iſta Rabbi Salomonis cogitatio ab Hebraico textu non videatur aliena, ne vim vllam afferre videatur hiſtoriæ, tamen ſeruiendum nobis eſt tranſlationi vulgatæ, quæ Hebraicarum vocum vim totam expreſſit; neque quidquam habet à textu diſtortum. Immo ſi Abdemelec nomen dicamus eſſe commune, otioſum videretur omnino, vt obſeruauit Caſtrus, quod ſtatim additur, *de domo Regis*; quia iam in illo communi nomine ſatis eſſet expreſſum: eſſet enim perinde, atque ſi quis diceret: *Seruus Regis de domo Regis.*

7. Verſ. 9. *Mittentes eum in lacum, vt moriatur ibi fame: non ſunt enim panes vltrà in ciuitate.*] Duo hîc proponuntur incommoda, quæ feſtinam adducerent, ac duram Ieremiæ mortem; ſqualor, ac fœtor profundi, atque cœnoſi lacus, & fames, quæ breui hominem conficit, vbicunque ſit. An verò fames illa ſit ex communi ciuitatis inopia, quia panes iam eſſent omnino conſumpti, aut potiùs propter illorum improbitatem, qui omnino Prophetam extinctum eſſe voluerunt, incertum eſt. Quidam ideo putant moriturum eſſe Ieremiam, quia panes deficiunt, & fames vehementer vrget ciuitatem; & hanc eſſe putant ſententiam: Non eſt, cur in lacum mittatur Ieremias, cùm ipſe nihilominus periturus ſit fame, qua tota iam ciuitas laborat. ita Chaldæus, & cum ipſo ſanctus Thomas, & Hugo. Alij, quòd fame periturus ſit Propheta, iniquitati Principum aſcribunt, qui cùm ciuitati adhuc alimenta ſuppeterent, & Regis imperio torta panis Prophetæ præberetur quotidie, illi tamen & hærere in cœno, & extingui fame Ieremiam curarunt. ita putat Theodoretus, qui ſic hunc locum accipit. *Perperam egiſti: nam quaſi non ſint ampliùs in vrbe panes, virum Dei fame enecari feciſti.* Quam ſententiam indicat vulgata tranſlatio, dum ait: *Mittentes eum in lacum, vt moriatur fame.* quaſi aliter non foret fame moriturus: eodem modo transferunt Septuaginta. Hanc ego ſententiam multò magis probo; tunc verò clauſulam cum interrogatione proferendam puto; ac ſi dicat: *Nunquid non ſunt in ciuitate panes, quare tantum virum perire fame patiemur?* Ad quam coniecturam nonnihil facit, quia tunc ex vrbe profugit Sedecias, & vrbs direptioni patuit, cùm fames præualuit; quod contigit anno vndecimo regni Sedeciæ, & menſe quarto, Ieremias capite 52. verſu 6. Hæc verò longè ante tempus illud contigiſſe videntur; neque ad illud vſque tempus ſuum demenſum, ideſt, torta panis, ex decreto Regio

A Ieremiæ defuit; quod planè defuiſſet, ſi licuiſſet Principibus cogitata perficere, & odium in Ieremiam conceptum exaturare. Statuerat autem Rex ſuprà capite 38. *vt daretur Ieremiæ torta panis quotidie, excepto pulmento*, donec conſumerentur omnes panes de ciuitate.

Verſ. 10. *Tolle tecum hinc triginta viros, & leua Ieremiam Prophetam de lacu, antequam moriatur.*] 8.
Abeſſe non longè videbatur à morte Ieremias, quando à Rege tantopere vrgetur Abdemelec, vt illum quamprimùm extrahat è lacu. Triginta autem viri non eo conſilio dati videntur, vt ſocij eſſent Abdemelec Æthiopi ad extrahendum ex eo lacu Prophetam: tres enim, aut quatuor
B pium illud officium præſtare potuiſſent; ſed vt arcere poſſet ex militari cohorte vim omnem hoſtilem, quæ timeri poterat à ſcelerato Principum concilio. Hic porro Abdemelec illius cohortis videtur fuiſſe præfectus, idque non obſcurè textus ipſe docet Hebraicus: vbi enim Vulgatus habet verſu 10. *tecum*, Hebraicè eſt בידיך *biiadecha*, ideſt, *in manu tua.* vbi ex Hebraico idiomate intelligitur nomen relatiuum, *qui ſunt*: & verſu 11. vbi Vulgatus, *ſecum*, Hebraicè בידו *biiado*, ideſt, *in manu ſua.* Quaſi dicas: Accepit triginta viros, qui erant in ſua poteſtate, aut quibus ipſe præerat.

C Verſ. 11. *Ingreſſus eſt domum Regis, quæ erat ſub cellario, & tulit inde veteres pannos, & antiqua, quæ computruerant, & ſubmiſit ea ad Ieremiam.*] 9.
Commendatur hoc loco Abdemelec humanitas, qui non ſatis habuit, è lacu, ideſt, ex impendente mortis neceſſitate Ieremiam extrahere; ſed etiam id addidit ſollicitudinis, & ſtudij, vt illud efficeret perquàm ſuauiter, & commodè. Ingreſſus eſt enim in eam Regiæ domus partem, quæ cellario, ſeu cellæ penuariæ ſubeſt, ideſt, in ſpecus, aut ſubterranea cubicula, in quæ neglecta, ac putria veſtimenta coniici ſolita à ſeruili turba, vnde laceros quoſdam, & nulli iam futuros vſui pannos aſſumpſit; demiſitque ad Ieremiam, vt illos axillis, brachiiſque ſupponeret, aut certè funes, quibus eſſet alligandus, obduceret, ne
D diſtringeretur, laceraretúrque Prophetæ caro funium aſperitate. Ex quo non temerè coniectare videor, aut ab inclemente illo Principum concilio demiſſum eſſe nudum Prophetam, vt citiùs à frigore deficeret, aut certè ſic veſtitum malè, vt pro nudo iudicari potuerit: neque enim, ſi vel mediocriter veſtitus eſſet, neceſſarium fuiſſet, pãnos illos veteres, ac putres conquiri ab Æthiope, aut à Ieremia adhiberi, cùm ab omni incommodo tueri ſatis poſſent indumenta propria, ſi ſatis foret à veſtibus inſtructus.

Ieremias in lacum videtur nudus demiſſus.

Hîc pro re morali attentiùs explorandum, 10.
quo in ſtatu eſſet Ieremias nudus in lacu, infixus cœno, & propè iam mortuus, aut certè iam à
E morte proximus: quóve modo è ſordido non tam carcere, quàm ſepulcro ſolutus emerſit. Et primùm obſeruo, ſicut peccator in actione non bona rei etiam ſanctiſſimæ typus eſſe ſolet, ſic etiam Sanctus in re etiam ſancta operis alicuius nequiſſimi typum eſſe poſſe. Vtrunque docuerunt Eccleſiæ Doctores Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius Papa, & cum iis cõplures alij. Hieronymus quidem negarat priùs, in caput 45. Iſaiæ, & in caput 10. Oſeæ, & in caput 12. Ezechielis, poſtea tamen epiſtola 131. ad Ruffinum mutauit ſententiam, vbi id optimis confirmat exemplis. Idem Auguſtinus libro 22. contra Fau

REGVLA. *Sicut peccator in re, aut actione non bona typus eſt rei ſanctæ, ſic Sanctus in actione, etiã ſancta, typus eſſe poteſt rei malæ.*

Fauſtum Manichæum. Idem Gregorius libro 3. Moralium capite 21. Exempla nos adduximus ad illud Zachariæ capite 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Vide Salmeronem prolegomeno 9. canone 10.& 11.vbi hac de re ſatis accuratè.

Peccatoris ſtatus miſerrimus

11. His poſitis in Ieremia ſancto, dum ſanctè pro religione, atque obedientia patitur adumbrari in ſuo miſerrimo, ac penè deſperato ſtatu peccatorem, non eſt à Scripturæ ſacræ conſuetudine alienum: & ita communiter aut docent, aut ſupponunt Interpretes. Sanè miſerum ſpectaculum eſt, videre nudum hominem immerſum cœno, atque eò deiectum, vnde exire nullo modo poſſit, niſi aliena accedat vis, & induſtria: quem vrgent Principes, oſtentántque minas iis, qui auxiliatricem manum porrigere voluerint. Qui clamare poterit ad ſtatum illum accommodato fletu: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* & Threnorum 3. verſu 53. *Lapſa eſt in lacum vita mea, poſuiſti lapidem ſuper me*, & ſimilia.

Pœnitentia peccatori neceſſaria.

Hunc extrahere de lacu,& cœno, & carneam illam molem ſurſum attollere,non leuis eſt negotij,aut laboris exigui:neceſſe eſt,laceretur,cruentetúrque funium aſperitate caro, ipſáque profunditas vertiginem afferat laboranti capiti, & in profunditatem altè deſpicienti. Sed his omnibus occurrit Abdemelec vox, quæ bono eſſe animo iubet iacentem in tenebris, & in vmbra mortis Ieremiam, & panni vetuſtate, ſitúque conſumpti, ac putres; quibus mollitur funium aſperitas, & graue corporis pondus ſine moleſtia ſubleuatur. Sunt autem putres illi centones, vt eſt communis Interpretum ſenſus, Sanctorum exempla, quæ non ſolùm fieri poſſe perſuadent,

Sanctorum exempla iuuant.

12. quod ſupra vires peccatori fore videbatur, ſed etiam placidum, & molle promittunt. Neque fruſtra centones iſti putres ſunt, & abiecti: eorum etenim exempla magis ad bene ſperandum peccatorem excitant;qui dum ipſi non ſimile inſtituerunt viuendi genus, facti videbantur tanquam vas perditum, & veſtis à ſitu putris, aut à tinea corroſa,& in eandem coniecti foueam,vnde ad lucem, & libertatem euocetur. Vide Gregorium libro 25. Moralium capite 8. vbi peccatorem vinciendum eſſe præceptis, quaſi funibus; quæ præcepta ne frangant, deterreántque peccatorem hominem, Sanctorum exemplis obuoluenda ſunt. Sic autem Gregorius: *Vt leuetur Ieremias ex puteo, funes ad eum, & panni veteres deponuntur. Quid enim funibus niſi præcepta Dominica figurantur? quæ quia nos in mala operatione poſitos & conuincunt, & eripiunt, quaſi ligant, & trahunt, coarctant, & leuant; ſed ne ligatus his funibus, dum trahitur, incidatur, ſimul etiam panni veteres deponuntur; quia ne Diuina præcepta nos deterreant, antiquorum Patrum nos exempla conſortant; & ex eorum comparatione facere nos poſſe præſumamus, quod ex noſtra imbecillitate formidamus.* Lege totum caput Gregorij.

13. Hic etiam obſerua, quàm fuerint humani in Ieremiam alieni, quàm acerbi domeſtici, quos multis ſibi officiis,ac meritis demereri potuerat. Ecce priùs à Sacerdote Phaſſur, dum cauſam agit religioſam,& publicam,pugno percuſſus in neruum agitur;& paulò antè à cuſtodibus, nunc à Principibus in lacum dimittitur, fœtore,fame, & frigore moriturus; ſed idem liberatur nunc ab Æthiope,qui nihil fecit reliqui laboris,ac curæ,vt morti eximeret,quem contribules ad illud

A crudele mortis genus adegerant.Liberauit poſtea Nabuzardan,vt habes ſtatim capite 39.& omnia ex Regis Nabuchodonoſoris voluntate, ac iuſſu pollicitus eſt. Vbi etiam obſerua, quàm ſit Deus fidelis in promiſſis, quàm illis adſit liberalis, & promptus, qui ſua cauſa,& ſub eius auſpiciis, & imperio laborant. Quis crederet ereptum iri Prophetam ex illis anguſtiis, ex quibus nullum ſperabatur effugium? At liberauit is, à quo Propheta iam olim audierat capite 1. *Bellabunt aduerſùm te, & non præualebunt; quia ego tecum ſum.* Quis putaret ab Æthiope, aut à Babylonio, eo tempore, quo magis in Iudaici generis exitium anhelabant, habiturum eſſe pacis, & libertatis

Dei fidelitas,& humanitas.

B commoda Ieremiam? Sed Deo difficile non eſt, hominum animos ita moderari, & flectere, vt in eos benigno ſint, ac fraterno animo, in quos proximè non animos ſolùm, ſed manus armauerant. Quid verò ex hac humanitate commodi nactus fuerit Abdemelec, habes in fine ſequentis capitis: vt enim Raab meretrix, propter humanitatem,qua exploratores excepit, & texit,ex communi patriæ ciuitatis incendio liberata eſt; ſic etiam Abdemelec, cùm nihil eſſet tutum ab incendio,aut ab furente,ac prædatore Chaldæo, ex communi illo, & quaſi fatali interitu ſoſpes erupit.

Ad extremum adde, adfuiſſe Dominum Iere- 14.
C miæ,dum eſſet in lacu, cúmque bono, atque ſecuro animo eſſe iuſſiſſe. Quod ipſe fatetur Ieremias Thren.c.3. verſ.57.Cùm enim de lacu ageret, in quem coniectus fuerat ab inimicis, dicit ad Deum: *Appropinquaſti in die, quando inuocaui te* (nempe in lacu) *dixiſti, Ne timeas.*

Verſ. 13. *Manſit autem Ieremias in veſtibulo* 15.
carceris.] In veſtibulo, ſeu atrio carceris, qui erat in regia domo,puteus erat ille,ſiue lacus,vbi aliquandiu latuit Ieremias: quare licèt extractus eſſet inde, non tamen liber erat à cuſtodia, aut omnino libertati redditus;ſed & in eo veſtibulo vinctum fuiſſe catenis, colligitur non difficilè ex capite 40. vbi vinctus eſſe dicitur verſu 1.neque tantùm pedibus,quod magis in cuſtodiis, &

Ieremias in carcere vinctus pedibus, ac manibus.

D clauſtris vſitatum,ſed etiam manibus, quod ſtatim indicatur verſu 4. Sic enim ibi ad Ieremiam Nabuzardan: *Ecce ſolui te hodie de catenis, quæ ſunt in manibus tuis.* Etenim credibile non eſt, à Nabuzardan militiæ Principe ligatum eſſe Prophetam, cui tam ſtudioſè, ac ſeuerè Nabuchodonoſor imperauerat,ne quid à quoquam graue pateretur Ieremias, & vt illi de rebus omnibus commodaret.

Ad oſtium tertium, quod erat in domo Domini.] Hic diuinant Interpretes: neque oſtium habent aliud, quod tertium iſtud oſtium oſtendat, aut aperiat. Quare ego ab hoc labore, quem habiturus videor inutilem, abſtineo. Fortaſſe, *Tertium*, nomen eſt proprium illius oſtij, quod ſen-
E ſiſſe videntur Septuaginta, qui,vt ſolent, ἀσαλισὶλ Hebraicum nomen reliquerunt, & pro, *oſtium*,tranſtulerunt οἰκίαν, quæ non tam oſtium, quàm domum ſignificat.

Si annunciauero tibi,nunquid non interficies me? & 16.
ſi conſilium dedero tibi,non me audies?] Duo videbatur poſtulare à Ieremia Rex, aut conſilium de ſe, réque Iudæorum publica; aut Diuinum aliquod oraculum de futuro bellorum euentu. Vtrumque negat Ieremias; illud, quia Rex non videbatur admiſſurus eſſe conſilium, quod audiret; hoc, quia capitale fore exiſtimabat; quia

Regi nullo modo futurum erat ex voto.

17. *Iurauit ergo Rex Sedecias Ieremiæ clam dicens: Viuit Dominus, qui fecit nobis animam hanc.*] Clàm,& ſuppreſſa, vt apparet, voce loquitur ad Ieremiam, & iuramentū concipit Rex, quia timebat, ne quã deliberatio illa, ſeu conſultatio cum Propheta ad Principum aures permanaret; qui, quidquid dixiſſet, cogitaſſétque Propheta, quia ipſis ad voluptatem non erat, ſomnium, & nugas eſſe clamabant: vſque adeò Rex ſe ipſum, & maieſtatem ipſam regiam, aliorum voluntati vendiderat. Quanto ſtudio Rex curauerit, ne Principes quicquam ſerium, ac publicum cum Ieremia communicatum intelligerent, habes ad finem capitis. Eripit igitur primùm à Ieremia metum, & iuriſiurandi religione interpoſita affirmat, nunquam ſe admiſſurum, vt eam ob cauſam à ſe, vel à Principibus, agente ſe, aliquid capitale patiatur. In illo autem, *Qui fecit nobis animam hanc,* rationem oſtendit, cur Prophetam occidere neque debeat, neque poſſit: quia animam habemus à Domino; quibus, nempe, Deus ſpiraculum inſufflauit vitæ: quo non lubente, quemquam vi opprimi, grande piaculum eſt.

18. Verſ.16. *Si occidero te, & ſi tradidero te in manus virorum iſtorum, qui quærunt animam tuam.*] Illud, *ſi,* Hebræis forma eſt iuramenti, in qua tamen execratorium aliquid eſt. Ac ſi dicat Rex: Si occidero te, peream ego malè, aut quid ſimile. *Quærere alicuius animam,* Hebraiſmus eſt, pro, alicuius vitæ inſidias moliri, aut aliquem ad mortem expetere.

19. Verſ.17. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, viuet anima tua.*] Subſtiterat Nabuchodonoſor in Reblatha, vt ex capite ſequenti liquet, rémque bellicam per Principes, ac Duces ſuos adminiſtrabat: & idcirco non tam Regem, quàm Principes Propheta nominat, vitámque promittit Sedeciæ, ſi in illorum ſe manum, & poteſtatem tradat.

20. Verſ.19. *Sollicitus ſum propter Iudæos, qui tranſfugerunt ad Chaldæos, ne fortè tradar in manibus eorum, & illudant mihi.*] Sicut nuper Principum de ſe iudicia, & eorum offenſionem Sedecias timebat, & ideo cum Ieremia clandeſtinum inſtituit colloquium; ſic modò Iudæorum timet aſpectum, qui ad caſtra Chaldæorum transfugerant, ne ab illis id patiatur ignominiæ, quod inferre ſolent offenſi priùs, & pòſt victores, & inſultantes inimici. Ex quo quiuis non obſcurè cognoſcet, quàm ſit miſera Principum fortuna, qui dum aliorum cogitationi ſeruiunt, aut graue putant, quod perquàm leue foret aliorum conditioni, multa non audent, quæ ſuis ſiue vſibus, ſiue votis, forent opportuna: multa ſuſcipiunt renitente animo, ac vehementer detrectante, quæ in ſuum caput, & vitam futura non dubitant. Graue putabat Sedecias à ſuis illudi, quod non iudicarent alij adeò metuendum, vt propter illud ſtatuerent, ſubeundam eſſe cuiquam vitæ iacturam: quamobrem, cùm maximè cuperet vitam retinere, non tamen audet illorum oculos ſubire, à quibus ſannas timebat, & conuitia.

Principum miſera conditio.

21. Quínam fuerint Iudæi iſti transfugæ, aut quo tempore ad Chaldæorum caſtra commigrauerint, incertum eſt. Migraſſe puto alios alio tempore: ex quo à Ieremia prædictum, venturam ciuitatem in Chaldæorum manus, & eos, qui in vrbe forent deprehenſi, extrema omnia ſubituros fore. Puto etiam, eoſdem probaſſe Ie-

A remiæ conſilium, ſuaſiſſéque Regi, vt Chaldæo ſe traderet, neque pateretur ciuitatem omnium pulcherrimam prorſus excindi. Et quia hæc grauia putabat, & regiis auribus indigna Sedecias, illos ab eo malè fuiſſe repulſos, & oneratos conuitiis, ad hoſtes, quos magis ſibi ſperabant humanos, transfugiſſe. Cùm ergo animos haberent exulceratos recenti conuitio, etſi Chaldæo tandem iuxta illorum conſilium ſe tradidiſſet, coniectarat Rex pauido, atque ſollicito animo, ne illi aut duriùs inſultarent, quòd conſilium abieciſſet maximè ſalutare, obſequutus veſanæ quorundam cogitationi, aut infenſa, atque armata manu, iniurias ſuas vlciſcerentur, non modò
B non repugnante, ſed annuente, atque hortante Chaldæo. In hanc me cogitationem induxit, quòd ſtatim hæc eadem paſſurus eſſe traditur Rex à mulieribus, quæ nimirum ne pateretur à Iudæis, tantopere timebat.

Verſ.22. *Ecce omnes mulieres, quæ remanſerunt in domo Regis Iuda, educentur ad Principes Regis Babylonis, & ipſæ dicent: Seduxerunt te, & præualuerunt aduerſùm te viri pacifici tui.*] Ecce quomodo, quod timebat Sedecias à viris, id à fœminis paſſurus eſſe dicitur: quod grauioris ignominiæ genus eſt. Id enim ſi à fœminis euenire contingat, quod à viris ignominioſum non eſt, magnum exiſtimatur eſſe ludibrium. Sanè Abimelec Iudicum capite 9. morte putabat durius à fœmina occidi; atque 22.
C ideo moribundus ad armigerum ait: *Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus ſim.* Notum eſt illud Tarchontis dictum de Camilla:

Graue eſt, à fœminis aut vinci, aut illudi.

Quis metus, ô nunquam dolituri: ô ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?

De qua iterum alius apud eundem Poëtam:

Da pater hoc noſtris aboleri dedecus armis.

Ignominiam hanc obtendit Sedeciæ Propheta, vt eò deducat regium animum, quod ex publico vſu futurum eſſe norat.

Hæ porro mulieres, quæ illuſuræ dicuntur Regi, illæ, credo, ſunt, quæ in aula Ioachin vixerunt antea: neque cum aliis, cùm ſe Chaldæis tradi- 23.
D dit Ioachin, abductæ ſunt Babylonem: vt enim 4. Regum 24. traditur: *Tranſtulit* (Nabuchodonoſor) *Ioachin in Babylonem, & matrem Regis, & vxores eius, & eunuchos eius.* Eſt autem veriſimile, abduxiſſe quoque fœminas aliquas nobiles, quæ erant in regio Gynecæo, & reliquiſſe complures alias, quia fœminæ impeditum opus ſunt, moræque plurimum, & faſtidij afferunt properantibus. Id verò indicat illud, *quæ remanſerunt,* nempe ex earum numero, quæ cum matre, vxoribúſque Regis tranſlatæ ſunt. Hæ ergo fœminæ, cùm bene ceſſiſſe viderent Ioachin, ſeu Iechoniæ, ſpontaneam illam deditionem; idémque, vt faceret Sedecias, forſan eſſent hortatæ, viderentque, propter contemptum illud ſalutare conſilium, vrbem eſſe direptam, atque incendio traditam;
E inſultaturæ dicuntur, atque in maledictis obiecturæ, quòd nimiùm fuiſſet credulus illorum verbis, quos ſecum domi aluit, quibúſque arcana regni conſilia impartitus eſt; à quibus deceptus eſt, & in illum rerum articulum deductus.

Viri porrò pacifici illi dicuntur, qui domeſtici ſunt, menſæ, conſiliorúmque participes, quibus noſtra, nóſque ſine vlla fraudis, atque perfidiæ ſuſpicione credimus. Qui etiam viri dicuntur pacis, ſeu homines pacis: qualis erat Iudas, de 24.

Pacifici dicuntur familiares, & domeſtici, ſeu viri pacis.

quo

Pſal. 40.

quo Chriſtus Ioannis capite 13. expoſuit illud Pſalmi 40. *Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Hi verò Principes, à quibus ſeductus dicitur Sedecias, & eorum opera, optimè ab Abdia videntur eſſe deſcripta verſu 7. *Omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi; inualuerunt aduersùm te viri pacis tuæ. Qui comedunt tecum, ponent inſidias ſuper te.* Hæc omnia auditurus eſſe dicitur à fœminis Sedecias, quæ non poterant Regi non eſſe pudori magno, & quia grauia, & quia non immeritò, aut falsò à fœminis obiecta.

25. *Demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te.*] Hæc eò ſpectant, vt Principum virorum, falſorúmque Prophetarum ſuſpecta dehinc incipiat habere conſilia; à quibus in ſummo diſcrimine, & in acie (vt aiunt) nouaculæ deſerendus eſt. Hanc porro ſententiam prouerbium eſſe puto apud Hebræos, aut ſaltem ſpeciem habere prouerbialem: qua ſignificamus illorum perfidiam, qui in periculo derelinquunt, quos ſuo conſilio, vel amentia in illud antea deduxerant. Metaphora ex iis videtur eſſe tracta, qui cæcorum duces, & quaſi oculi ſunt, qui à via plana, ſecuráque cæcorum abducunt veſtigia; vbi autem in lubrico, præcipitique loco ſunt, & ruinæ proximo, aut in ipſum certè periculum delapſi, perfidioſè deſerunt. Cæcus planè videbatur Rex in tenebris perturbatæ mentis, & in ipſo æſtu, aut imminentis, aut ſæuientis belli duces ſe cæco præbuerunt Principes illi, de quibus nuper, aut Prophetæ falſi, qui & ipſi cæci ſunt, dum falſa vident, & annunciant: qui tamen, vt ex hoc fœminarum conuitio patet, in ipſo bellorum ardore, atque diſcrimine Regem deſeruêre. In hoc itaque dicendi genere prouerbiali aliquid eſt diſcriminis inter *cœnũ*, & *lubricum*; in cœno relinquitur, qui lapſus iam eſt; in lubrico verò, qui eò deductus, vnde expediri non poteſt, in loco videlicet ſcopuloſo, & prono ad lapſum, & ruinæ proximo.

26. Verſ.23. *Et omnes vxores tuæ, & filij tui educentur ad Chaldæos.*] De fœminis, quæ fuerant à Babyloniis relictæ de domo Iechoniæ ſuperiora accepimus. Hæc iam de vxoribus, familiáque Sedeciæ Regis; quibus niſi maturè ſibi, regnoque prouideat, omnia minatur aduerſa. reliqua obſcura non ſunt.

27. Verſ.2.. *Et ibi morerer.*] Vſitatum eſt apud Hebræos, vt negatio, quæ in priori membro poſita eſt, in poſteriori repetatur. Qua de re nos pluribus ad illud Iſaiæ 53. *Non erat aſpectus, & deſiderauimus eum.* Exemplorum ibi ſatis: vnum accipe è multis. Prouerbiorum 30. *Non didici ſapientiam, & ſcientiam Sanctorum noui*, ideſt, *neque noui.* quod vſque adeo certum, & frequens eſt inter Hebræos, vt Grammatici doceant, *vau*, ideſt, coniunctionem, quæ valet *&*, poſt negationem, aut negantem particulam, non affirmare, ſed negare, quia repeti tunc debet, quæ præceſſit negatio. Plura exempla reperies apud Pagninum, in inſtitutionibus libro 4. capite 14. ſic ergo, cùm dicitur: *Ne me reduci iuberet in domum Ionathham, & ibi morerer.* ſenſus eſt, ne me reduci iuberet, ne ibi morerer.

Regula. *Negatio, quæ in priori membro poſita eſt, in poſteriori repetenda.*

Prou. 30.

28. Verſ.27. *Et loquutus eſt eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei Rex.*] Cùm nihil audiiſſent viri Principes eorum, quæ ſecretò inter Ieremiam, & Regem tractata fuerant, Prophetam adeunt, & de colloquio rogant. Ille verò, quod à Rege præſcriptum fuerat, reſpondet; egiſſe nempe ſe cum Rege, ne in lacum rurſus mitteret, à quo, ſi paulò diutius ibi moraretur, nõ videbatur extrahi poſſe niſi mortuus. Hîc verò non nemo mendacij arguit Ieremiam, cùm de lacu non repetendo ſermonem factum eſſe dixerit, cùm tamen de lacu in eo colloquio nullus ſermo. Mihi veriſimile eſt, quod etiam Maldonato viſum, ſicut capite præcedenti Ieremias dixit Regi: *Ne me remittas in domum Ionathham ſcribæ, ne moriar ibi*; ſic quoque rogaſſe, ne rurſus in lacum retruderetur, quod erat in carceris veſtibulo: neque enim neceſſe eſt, vt quæcunque tractantur, illa à ſcriptore ſacro ſcriptis mandentur, maximè ſi ad maiora, quæque grauiùs vrgent, animum, atque ſtylum intentos habeat.

ARGVMENTVM CAPITIS XXXIX.

IN capite hoc nihil eſt propheticum, ſed in eo tantùm eſt ciuitatis ſtrages, & crudele Sedeciæ ſupplicium: cùm enim vndecimo anno regni ſui, menſe quarto, videret Sedecias, in ciuitatem irrupiſſe Chaldæos, fuga ſibi, ac ſuis, ſalutem eſſe quærendam exiſtimauit: ſed in medio curſu ad Ierichuntem comprehenſus eſt, & orbatus oculis, quos, vt videret filiorum necem, Rex Babylonis aliquando ſeruauerat. Qui tamen Præfecto militiæ maiorem in modum commendauit Prophetam, edixitque, ne permitteret, vt à quoquam aliquid pateretur incommodi; quod ipſe præſtitit accuratè, & ſedulò. Qui etiam Æthiopi, à quo ſeruatus fuerat antè Ieremias, vitam conſeruauit. Reliquos abduxit ſecum Babylonem, relictis pauperibus, quibus agros, & vineas, quos potentioribus ademerat, excolendos tradidit.

IEREM. CAP. XXXIX.

1. *ANno nono Sedeciæ Regis Iuda, menſe decimo, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & omnis exercitus eius ad Ieruſalem, & obſidebant eam.* A

2. *Vndecimo autem anno Sedeciæ, menſe quarto, quinta menſis aperta eſt ciuitas.*

3. *Et ingreſſi ſunt omnes Principes Regis Babylonis, & ſederunt in porta media: Neregel, Sereſer, Semegarnabu, Sarſachim, Rabſares, Neregel, Sereſer, Rebmag, & omnes reliqui Principes Regis Babylonis.*

4. *Cúmque vidiſſet eos Sedecias Rex Iuda, & omnes viri bellatores, fugerunt: & egreſſi ſunt nocte de ciuitate per viam horti Regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egreſſi ſunt ad viam deſerti.* B

5. *Perſecutus eſt autem eos exercitus Chaldæorum: & comprehenderũt Sedeciam in campo ſolitudinis Ierichontinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis in Reblatha, quæ eſt in terra Emath, & locutus eſt ad eum iudicia.*

6. *Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis eius: & omnes nobiles Iuda occidit Rex Babylonis.* C

7. *Oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus vt duceretur in Babylonem.*

8. *Domum quoque Regis, & domum vulgi ſuccenderunt Chaldæi igni, & murum Ieruſalem ſubuerterunt.*

9. *Et reliquias populi, qui remanſerant in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & ſuperfluos vulgi, qui remanſerant, tranſtulit Nabuzardan magiſter militum in Babylonem.*

10. *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimiſit Nabuzardan magiſter militum in terra Iuda: & dedit eis vineas, & ciſternas in die illa.*

11. *Præceperat autem Nabuchodonoſor Rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magiſtro militum, dicens:*

12. *Tolle illum, & pone ſuper eum oculos tuos, nihílque ei mali facias: ſed vt voluerit, ſic facias ei.*

13. *Miſit ergo Nabuzardan Princeps militiæ, & Nabuſezban, & Rabſares, & Neregel, & Sereſer, & Rebmag, & omnes optimates regis Babylonis,*

14. *Miſerunt, & tulerunt Ieremiam de veſtibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filij Saphan vt intraret in domum, & habitaret in populo.*

15. *Ad Ieremiam autem factus fuerat ſermo Domini cùm clauſus eſſet in veſtibulo carceris, dicens:*

16. *Vade, & dic Abdemelech Aethiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam ſermones meos ſuper ciuitatem hanc in malum, & non in bonum: & erunt in conſpectu tuo in die illa.*

17. *Et liberabo te in die illa, ait Dominus: & non tradêris in manus virorum, quos tu formidas.*

18. *Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus.*

IN

IN CAPVT TRIGESIMVMNONVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Anno nono Sedeciæ Regis Iuda.*]

1. HÆc non tam eſt prima, ſeu noua ciuitatis obſidio, quàm prioris inſtauratio: cùm enim, vt Ægyptiis occurreret, obſidionem ſoluiſſet Chaldæorum exercitus, vt vidimus ſuprà capite 37. verſu 4. rurſus obſedit ciuitatem, & tandem ferro, incendióque vaſtauit, menſe decimooctauo poſtquam obſideri, atque expugnari cœpit, à menſe videlicet decimo anni noni Sedeciæ, ad quartum vndecimi, in quo capta eſt. Quod verò 4. Regum capite 25. dicitur, menſe quinto, die ſeptima, incendio conflagraſſe ciuitas, non eſt propoſitæ narrationi contrarium: neque enim eodem tempore capta eſt, atque incenſa Hieroſolyma, vt ex eodem capite 25. perſpicuum eſt.

2. Verſ.3. *Et ſederunt in porta media.*] Quæ ſit porta hæc media, incertum eſt, neque admodum refert id explorari. Quidam mediam eſſe putant, quia eſt in ſecundo muro ciuitatis: nam ciuitatem duplici fuiſſe muro circundatam, cùm capta eſt à Chaldæis, tradit Ioſephus libro 6. de bello, capite 6. & Hieronymus, ac Theodoretus in illud Sophoniæ capite 1. *Et vlulatus à ſecunda.* Immo id apertè dicitur ſtatim verſu 4. dum egreſſus dicitur Rex per portam, quæ eſt inter duos muros. Illud mihi maximè videtur eſſe veriſimile, de eadem porta locutum eſſe Sophoniam priùs, & nunc Ieremiam: alterum, cùm futuram prædiceret; alterum, cùm impletam deſcriberet ſtragem ciuitatis.

3. Verſ.5. *Et comprehenderunt Sedeciam in campo ſolitudinis.*] Hîc Rabbini ſuo more egregiè delirant, qui tunc illuſtrem putant narrationem, cùm aliquid habet fabuloſi commenti; neque, qua ſunt ad fingendum ſiue impudentia, ſiue audacia, nugari verecundantur in re ſacra. Tradunt enim à regia domo ad ſolitudinem vſque Ierichuntinam ſpeluncam eſſe ſubterraneam, per quam cùm, cadente iam patria, ſe vellet Sedecias à morte ſubducere, fugam molitus eſt, euaſurus omnino, niſi iam foret exilio, ferróque deuotus. Nam, quantum ſpatij per cæcum illum, occultúmque meatum carpebat Rex, tantum ſupra illum directò conficiebat cerua, quam dum Chaldæi venatores inſequuntur, ad alterum ſpeluncæ oſtium venatores deducit, eodem prorſus tempore, quo per oſtium illud Sedecias erumpebat è latebris: atque ita captus eſt, & illa paſſus, de quibus nos ſtatim. Has Rabbinorum nugas multa conuellunt, quæ ſacra commemorat hiſtoria: illud maximè, quòd fugientem Regem dicitur inſequutus Chaldæorum exercitus. Vide rationes alias apud Abulenſem, quæſtione 6. in librum 4. Regum capite 25. Fugam verò, comprehenſionémque Regis, eiúſque ſupplicium ita narrat Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 11. *Vrbe* (inquit) *capta, circa mediam noctem, & Ducibus, ac reliquis hoſtibus in templum ingreſſis, Sedecias Rex, vbi hoc ſenſit, aſſumptis vxoribus, liberis, ducibus, & amicis, fugam arripuit per fauces quaſdam anguſtas in deſertum. Quod cùm Babylonij cognouiſſent, perfugarum indicio, ſub auroram aggreſſi ſunt eos perſequi, & aſſecuti eos, non procul à Ierichunte circumuenerunt. Amici verò, & Duces fugæ comites, viſis à propinquo hoſtibus, relicto Sedecia diſſipati ſunt, quà quemque tulit ſpes effugij.* Hæc Ioſephus. Ex quo liquet, quàm verè in maledictis fœminæ obiicere potuerint Sedeciæ id, de quo capite præcedenti: *Seduxerunt te, & præualuerunt aduerſum te, viri pacifici tui; demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te.*

Rabbinorũ fabula de Sedecia.

4. Porro hæc ciuitatis fœda ſtrages, & vaſtitas prædicta fuerat priùs à Prophetis. Quod attinet ad ſecundam portam, quam occupauêre, & in qua conſedêre Babylonij, dixit priùs Ieremias ipſe, cùm Prophetam ageret: nam nunc hiſtoricus eſt, & completum oſtendit, quod antè prædictum. Prædixit (inquam) capite 1. verſu 15. *Ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus, & venient, & ponent vnuſquiſque ſolium ſuum in introitu portarum Ieruſalem.* Et Iſaias capite 22. verſu 7. *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum: & equites ponent ſedes ſuas in porta.* De fuga Regis multa Ezechiel capite 12.

5. *In Reblatha, quæ eſt in terra Emath.*] Commiſſa aliis rei bellicæ adminiſtratione ſubſtiterat Nabuchodonoſor in Emath; quæ, Hieronymo teſte, eadem eſt, quæ Antiochia Syriæ, & quæ ab Antiocho Epiphane vocata eſt etiam Epiphania, quæ eſt in ingreſſu terræ promiſſionis. Ibi verò conſedit, vel quia non putabat è tanti Regis fore dignitate, ſi præſens ipſe oppugnandæ vrbi, & debellandis hoſtibus intereſſet. Aut quia propiùs ſic aberat à regno ſuo, vt ſiquid ibi, abſente Rege, turbarum fieret, faciliùs ipſe, & commodiùs occurreret. Aut, vt inde de ſupplemento militũm, aut commeatu maturiùs exercitui ſuo prouideret. Eò deductus eſt captus Sedecias, oblatúſque Regi, & talia paſſus, qualia priùs à Prophetis audierat.

6. *Et loquutus eſt ad eum iudicia.*] Loqui iudicia, nihil aliud eſſe puto, quàm diſceptari regiam cauſam, & quid illorum quilibet commeruerit, expendi. Quid acceperit Sedecias à Chaldæorum Rege, quid ipſe contrà rependere, etiam ſi nullum interceſſiſſet fœdus, aut iuſiurandum, debuerit: neque enim puto, indicta cauſa, quam tueri non poterat, damnatum eſſe Sedeciam, & durum illud ſupplicium ſubiiſſe. ita putat Abulenſis in librum 4. Regum, capite 25. quæſtione 1. Multa obiici poterant fœdifrago Regi, quæ illum arguerent violatæ religionis, & fidei, & capitis reum eſſe conuincerent: ſed illud, credo, non tuliſſe tacitum, quod aſſumpto *Sedeciæ* nomine Dei in iuramenti fidem teſtis, & arbitri extare voluit familiare documentum. Cùm enim Mathanias diceretur, vt conſtat libro 4. Regum capite 24. cum regno à Nabuchodonoſor nouum nomen accepit: ex eo námque tempore

Sedecias ſuo ſe nomine condemnat.

pore appellari cœpit Sedecias. Cuius nominis ea ratio fuit, vt cum Hebræis opinatur Lyra, quia cùm in fœdere pangendo iuramentum interpoſuiſſet Mathanias, qui poſtea Sedecias, vt iuſtitiam, quam, teſte,ac vindice Deo, ſanctam, & integram tueretur, *Sedecia* illi nomen impoſuit, quod Dei iuſtitiam ſecum importat: quaſi futurus eſſet iniurius non Regi ſolùm, ſed etiam Deo,cuius nomen contempſiſſe videri poterat.

7. Verſ.6. *Et occidit Rex Babylonis filios Sedecia in Reblatha in oculis eius.*] Felices exiſtimantur illi,qui ne ſuorum infortunium aſpirarent, morte ſublati ſunt; quæ licèt immatura fuerit, non tamen exiſtimata eſt intempeſtiua. Qua de re nos ſuprà capite 20. ad illud: *Maledicta dies, in qua natus ſum.* Statuerat Nabuchodonoſor,eruendos eſſe oculos Sedeciæ, non tamen illos priùs effodit, quàm liberi forent ante paternos oculos occiſi, vt non tam ex luce, cælique conſpectu voluptatem, quàm ex crudeli filiorum nece dolorem haurirent. Vbi verò patris oculos acerbo filiorum ſpectaculo pupugit, ſtatim non magis crudeliter,& ſtylo, aut alio quouis ad opus illud idoneo inſtrumento oculos exculpſit. Dignum ſanè ſupplicium, vt qui cæcis ſemper abduceretur conſiliis, & ad cæcorum ſimilitudinem, illorum ſe ductui regendum permiſerit, à quibus in cœno demerſus, aut in lubrico, atque præcipiti loco relictus eſt. Hæc itaque ſiue iniuria,ſiue plaga, quæ Regio corpori inflicta eſt, tanto poſteris dolori, atque ignominiæ fuit, vt indicto quotannis publico ieiunio cenſuerint, communi fletu deformatam Regis faciem eſſe deplorandam: vt enim ex Hebræorum Kalendario conſtat, in menſe Marheſuan, qui nobis eſt October, ad diem ſextum ieiunium indicitur,ob excæcatum Sedeciam.

Ieiunium à Iudæis inſtitutum pro excæcatione Sedeciæ.

8. Verſ.7. *Vt duceretur in Babylonem.*] Hoc loco Prophetæ duo ſibi videntur fuiſſe contrarij; Ieremias hîc, adductum fuiſſe dicit Sedeciam in Babylonem, ſicut antea futurum eſſe prædixerat,capite 32.verſu 5.& 34. verſu 3. Ezechiel autem, capite 12. verſu 13.affirmat,non videndam à Sedecia Babylonem; quare Rex (vt tradit Ioſephus libro 10. Antiquitatum,capite 11.) quia hæc duo conciliare non poterat, vanum putabat vtrunque vaticinium; ſed re vera compleuit Deus,quod vterque prædixerat Prophêta: nam in Babylonem deductus eſt Sedecias, Regémque vidit in Reblatha, quod à Ieremia priùs audierat; neque tamen vidit Babylonem, quod affirmarat Ezechiel, quia eò ingreſſus non eſt, niſi captus oculis.

9. Verſ.8. *Domum quoque Regis, & domum vulgi ſuccenderunt Chaldæi igne: & murum Ieruſalem ſubuerterunt.*] Hæc menſe vnò videntur eſſe facta, poſtquam capta ciuitas eſt, vt ſuprà obſeruauimus. Nam, vt habes ex hoc capite verſu 2.capta ciuitas eſt menſe quarto: vt verò conſtat ex 4. Regum capite 25. verſu 8.menſe quinto, incendio data eſt. Neque credendum eſt, conflagraſſe priùs ciuitatem igne, quàm eſſet à Chaldæis expilata. In perſcrutanda autem ciuitate multum eſſe temporis poſitum, nemo dubitabit:quia copioſa erat ciuitas, & locuples,& ſpeluncæ, atque cauernæ plurimæ; in quibus occultari ciuium opes, immo & ciues ipſi facilè poſſent: & ideo exiſtimo dixiſſe Sophoniam, cùm de hoc ipſo ageret Chaldæorum tempore,capite 1. *Et erit in* tempore illo,ſcrutabor Ieruſalem in lucernis: & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. Accenſa, lucerna ſcrutamur latebras, & in fæcibus dicuntur defixi,qui loca immunda, & humida ſubierunt, vt vitam illis tenebris, ac ſquallore redimerent. Certè Ioſephus libro 7.de bello, capite 16.20.& 26.de cloacis, ſpeluncis, & ſepulcris extractos eſſe dicit Principes, Sacerdotes,& Potentes, qui eò ſe vitæ ſeruandæ cauſa coniecerant. Quid ergo mirum, ſi in conquirendis tota vrbe diuitiis, in ſcrutandis ſpeluncis, & latebris, menſem vnum poſitum eſſe dicamus?

Sophon.c.1.

Iudæi in ſpeluncis abſconditi.

Quæ ſit *domus vulgi*, quæ cum regia domo conflagraſſe dicitur,incertũ eſt. Quidam ſingularem numerum exiſtimant poſitum pro plurali, ita vt hic ſenſus ſit; graſſatam eſſe flammam per totam vrbem; neque quidquam fuiſſe reliquum ab incendio, non regias,atque magnificas ædes,non exiguas,atque humiles vulgarium hominum domos; omnia denique fuiſſe ab incendio conſumpta, ſiue alio quouis artificio proſtrata. Non ſanè cogitatio hæc diſplicet. Verùm hîc ego aliquid aliud latêre exiſtimabam, in Commentariis ſuper Cantica, vbi obſeruaui, nuptias extra vrbem in hortis celebrari ſolitas, & inde noctu cum facibus, genialique pompa, nouos coniuges ad vrbem traduci. Putabam autem ibi, ſicut à Regibus Iſraël prouiſum eſſet his,qui nuptias eſſent inituri, de nuptiali inſtructu, de veſte nempe pro rei ipſius natura elaborata,& quaſi hieroglyphica;& de ferculo,in quo regio veherentur inceſſu,qui capite 3. Canticorum ferculum dicitur Salomonis;ſic etiam à Regibus conſtructam eſſe domum lautam, & ſplendidam, vbi ab hominibus vulgo, & coniugale contraheretur fœdus, & dies geniales, atque feſtiui ponerentur. Hanc autem domum illam eſſe arbitrabar, quæ nunc à Ieremia domus dicitur vulgi,quia patebat omnibus, & in qua, vt apparet, variis ſtudiis laxabantur animi, exercitationibus palæſtræ, & xyſti, & verſando,ſeu eleuando eo lapide, qui Zachariæ capite 12.lapis vocatur oneris.Illuſtrem autem domum illam fuiſſe,ex eo videtur ſuaderi poſſe, quia ad publicos vſus conſtructa fuit: quare Sponſa Canticorum 1. in eius artificium, & materiam intenta dixit, cùm adhuc in agris morari fingeretur: *Lectulus noſter floridus: tigna domorum noſtrarum cedrina: laquearia noſtra cypreſſina.* Neque ſine cauſa hoc loco domus vulgi cum domo coniungitur regia; quia illa proximè accedebat ad regiæ domus ſplendorem, & amplitudinem. Non hinc longè abit Hadrichomius, qui in verbo *Ieruſalem,* numero 45. ait: *Domus vulgi, vbi iaculationibus ſe exercebant, & publica conuiuia celebrabant, ac epulis, luſibus,& ambulationibus animum reficiebant.* 10.

Domus vulgi quæ?

Cant.1.

Verſ.9. *Et reliquias populi, quæ remanſerant in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & ſuperfluos vulgi, &c.*] Hîc aliquid implexum eſt, & obſcurum:neque enim apparet, quænam fuerint hæ reliquiæ, quæ tranſlatæ dicuntur, cùm ibidem nulli dicantur relicti. Neque præterea videtur, quid diſcriminis ſit inter eos, qui remanſiſſe dicuntur in ciuitate,atque eos, qui ſuperflui vulgi poſtea vocabantur. Ego hîc tria hominum genera reperio: quidam enim, aut belli tempore, aut cùm primùm belli incommoda, & ſuperior Chaldæorum fortuna timeri cœperunt, transfugerunt ad Chaldæorum caſtra, qui vitam ita conſeruauerunt ſuam, vt tamen ſeruitutem, 11.

tutem,& exilium non effugerint. Alij manſerunt quidem in vrbe exacto iam bello,quibus ferrum pepercit,& fames. Exceſſerant alij ex vrbe belli tempore, aut quia illos vrbs, vndique aſcito milite,plena non capiebat, aut quia belli moleſtiam ſuſtinere non poterant, & hi videntur vocari ſuperflui vulgi. Tam ergo qui in vrbe deprehenſi,quàm qui extra in Chaldæorum manus inciderunt, abducti ſunt Babylonem; ſic videntur hæc ad literam conſentaneè poſſe componi. Maldonatus priores ad tempora Iechoniæ refert; poſteriores ad tempus hoc poſtremum ciuitatis: ſed non video, quomodo illi magis in ciuitate remanſiſſe dici poſſint, quàm iſti,quia Iechoniæ tempore vtrique in ciuitate relicti ſunt, & illorum nemo tunc temporis arma cepit contra Chaldæos, quia vltrò ſe Nabuchodonoſori tradidit Iechonias.

12. Verſ.10. *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimiſit Nabuzardan magiſter militum in terra Iuda,& dedit eis vineas, & ciſternas.*] Hi, credo, neque belli conſilia, neque manus, & arma, cum aliis ciuibus coniunxerant:quod non videtur ignoraſſe Nabuzardan. Quare cùm alieni iudicarentur à culpa,viſi quoque ſunt digni, qui expertes fierent à communi malo. Inter hos dimiſſos fuiſſe Rechabitas, de quibus ſuprà capite 35.docet Hiſtoria Scholaſtica 4. Regum capite 45.& Abulenſis in 4. Regum capite 25. quæſtione 19. vbi eiuſdem rei teſtem citat Ioſephum. Illis ergo attribuit militum magiſter, quæ à potentioribus abſtulerat, vineas nempe,& agros, quæ ciſternarum nomine ſignificantur, ea figura,qua id,quod continet,per ea,quæ continentur,explicatur. In agris enim Solymitanis, in quibus aquarum copia non eſt,ciſternæ effodiuntur,quę pluuiales aquas colligant ad potum, & ad vſus alios,quos exigit res hortenſis, & ruſtica. Vox autem Hebraica יגבים *ieguabim*, pro qua Vulgatus *ciſternas* tranſtulit, agros etiam ſignificat;ſicut alij Interpretes conuerterunt cum Septuaginta,& noſter Interpres vocem יגב *ioguéb*, à qua vox altera deducitur, non ſemel conuertit A *agros*, & apud hunc Prophetam capite 52.verſu 16.vbi cùm de hac eadem re ſermo eſſet, pauperes à Nabuzardan conſtituti dicuntur,vinitores, & agricolæ: id eſt,agros,& vineas accepiſſe. Hi verò pauperes eo conſilio relicti ſunt; vt haberent Chaldæi, vnde ex ea prouincia referre poſſent vectigalia, cùm illud emolumentum periturum eſſet omnino, ſi regio foret à cultoribus vacua. Vide Abulenſem in librum 4. Regum capite 25. quæſtione 19. & Hiſtoriam Scholaſticam in 4.Regum capite 45.

Verſ.12. *Pone ſuper eos oculos tuos.*] Phraſis eſt 13.
Hebraica, quæ ſingularem curam de aliquo, atque ſtudium ſignificat; ſicut ſuprà capite 24. B verſu 6. dicitur: *Ponam oculos meos ſuper eos ad placandum.* & Pſalmo 33. *Oculi Domini ſuper iuſtum.* Iubet ergo Rex militum Præfecto, videat diligenter, nequid Ieremiæ accidat mali; &, vt de ſe,vt volet,ſtatuat, integram illi poteſtatem permittat.

Verſ.14. *Miſerunt, & tulerunt Ieremiam de ve-* 14.
ſtibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ.] Adhuc erat in carcere Ieremias, non incluſus ſolùm, ſed etiam vinctus, vt ex principio capitis 40. abundè conſtat. Inde extractus eſt, & Godoliæ relictorum Principi commendatus; de quo ſtatim multus erit ſermo. Cur verò tam diligenter de Ieremiæ ſalute laborarit Chaldæorum Rex, ea videtur eſſe cauſa, quia à transfugis, ſicut alia plura,ſic etiam de Ieremia cognouerat:quantum C laboris aſſumpſerit, quàm multa ſubierit incommoda, dum arma à Iudæorum manibus extorquere contendit, ſuadétque, vt pactum, quod cum Chaldæis inierant,conſtanter ſeruent:quod officium dum remetiri ſtudet, libertatem concedit,& illi de rebus omnibus commodari iubet.

Verſ.15. *Ad Ieremiam autem factus fuerat ſer-* 15.
mo.] Quo tempore in veſtibulo tenebatur Propheta, de libertate Abdemelec, in communi ciuium clade, oraculum acceperat. Cui Deus cumulatè reddidit officium,quod morituro in cœnoſo lacu Ieremiæ præſtiterat. Reliqua obſcura non ſunt.

ARGVMENTVM CAPITIS XL.

PERFECIT Nabuzardan Princeps militiæ, quod in mandatis acceperat à Rege Babylonis. Quare permiſit Ieremiæ voluntati, vt quamcunque vellet regionem habitandam eligeret, ſiue manere mallet in Iudæa, ſiue ſecum Babylonem proficiſci. Elegit ille potiùs paternum, licèt ſpoliatum, & euerſum, quàm alienum inhabitare ſolum. Quare adhæſit Godoliæ, quem Iudæorum reliquiis Babylonius præfecerat, & ad quem vndecunque locorum frequens quotidie fiebat exulum concurſus. Cúmque viri quidam Principes odorati eſſent Ammonitarum Regem per Iſmaëlem Nathaniæ filium Godoliæ vitæ inſidias moliri, admonent, ſibi vt caueat, & illius conſilia maturè præuertat. Quorum ipſe contempſit monita, quia tale facinus ab Iſmaële conceptum non putabat.

IEREM. CAP. XL.

1. SErmo, qui factus eſt ad Ieremiam à Domino, poſtquam dimiſſus eſt à Nabuzardan magiſtro militiæ de Rama, quãdo tulit eum vinctum catenis in medio omniũ, qui migrabant de Ieruſalem, & Iuda, & ducebantur in Babylonem.

2. Tollens ergo Princeps militiæ Ieremiam, dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum,

3. Et adduxit, & fecit Dominus ſicut locutus eſt: quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius, & factus eſt vobis ſermo hic.

4. Nunc ergo ecce ſolui te hodie de catenis, quæ ſunt in manibus tuis: ſi placet tibi vt venias mecum in Babylonẽ, veni: & ponam oculos meos ſuper te: ſi autem diſplicet tibi venire mecum in Babylonem, reſide: ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt: quò elegeris, & quò placuerit tibi vt vadas, illuc perge.

5. Et mecum noli venire: ſed habita apud Godoliam filium Ahicam filij Saphan, quem præpoſuit Rex Babylonis ciuitatibus Iuda. Habita ergo cum eo in medio populi: vel quocunque placuerit tibi vt vadas, vade. Dedit quoque ei magiſter militiæ cibaria, & munuſcula, & dimiſit eum.

6. Venit autem Ieremias ad Godoliam filium Ahicam in Maſphath, & habitauit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra.

7. Cúmque audiſſent omnes Principes exercitus, qui diſperſi fuerant per regiones, ipſi & ſocij eorum, quòd præfeciſſet Rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, & quòd commendaſſet ei viros, & mulieres, & paruulos, & de pauperibus terræ, qui non fuerant tranſlati in Babylonem:

8. Venerunt ad Godoliam in Maſphath: & Iſmahel filius Nathaniæ, & Iohanan, & Io-

A *nathan filij Caree, & Sareas filius Thanehumeth, & filij Ophi, qui erant de Netophathi, & Iezonias filius Maachati, ipſi & viri eorum.*

9. Et iurauit eis Godolias filius Ahicam filij Saphan, & comitibus eorum, dicens: Nolite timere ſeruire Chaldæis, habitate in terra, & ſeruite Regi Babylonis, & bene erit vobis.

10. Ecce ego habito in Maſphath, vt reſpõdeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos: vos autem colligite vindemiam, & meſſem, & oleum, & condite in vaſis veſtris, & manete in vrbibus veſtris, quas tenetis.

B *11. Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in vniuerſis regionibus, audito quòd dediſſet Rex Babylonis reliquias in Iudæa, & quòd præpoſuiſſet ſuper eos Godoliam filium Ahicam filij Saphan:*

12. Reuerſi ſunt, inquam, omnes Iudæi de vniuerſis locis, ad quæ profugerant, & venerũt in terram Iuda ad Godoliam in Maſphath: & collegerunt vinum, & meſſem multam nimis.

13. Iohanan autem filius Caree, & omnes Principes exercitus, qui diſperſi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Maſphath.

14. Et dixerunt ei: Scito quòd Baalis Rex
C *filiorum Ammon miſit Iſmahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam.*

15. Iohanan autem filius Caree dixit ad Godoliam ſeorſum in Maſphath, loquens: Ibo, & percutiam Iſmahel filium Nathaniæ nullo ſciente, ne interficiat animam tuam, & diſſipentur omnes Iudæi, qui congregati ſunt ad te, & peribunt reliquiæ Iuda.

16. Et ait Godolias filius Ahicam ad Iohanan filium Caree: Noli facere verbum hoc: falſum enim tu loqueris de Iſmahel.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Sermo, qui factus eſt ad Ieremiam à Domino, poſtquam dimiſſus eſt à Nabuzardan magiſtro militiæ de Ramah.*]

1. QVÆRVNT hîc Interpretes, quomodo verbum dicatur à Domino factum Ieremiæ, cùm neque in hoc, neque in ſequenti capite, verbum vllum à Domino oblatum videatur eſſe Prophetæ. Variè huic difficultati à variis occurritur. Plerique eò incumbunt, vt putent, poſt longam duorum capitum parentheſim, vaticinium illud poni, quod nunc oblatum eſſe traditur Ieremiæ, nempe capite 42. verſu 11. *Si quieſcentes manſeritis*, &c. & iteratum eſſe eodem capite verſu 9. Quod hîc in
2. principio legitur, dum dicitur: *Factum eſt verbum Domini ad Ieremiam*, putant, hunc eſſe titulum libri, in quo continentur omnia, quæ poſt exciſam vrbem, captiuúmque populum Ieremias vaticinatus eſt: ſed antequam vaticinium vllum propoſuiſſet, præmiſiſſe exiſtimatur hiſtoriam, quæ futura fuerit omnium oraculorum ſiue materia, ſiue fundamentum. Ego hîc potiùs ſignificari arbitror, hoc tempore, & loco impletam eſſe promiſſionem, quam de ſua libertate ſæpius audierat Ieremias: ita vt ſermo non tam ſit nouum aliquod oraculum, quàm veteris iam omnino compleri ſignificatio, de libertate nempe Ieremiæ, cuius aſſignatur tempus, & locus. Quaſi dicat Propheta, tunc impletum eſſe Dei ſermonem, quando dimiſſus eſt Ieremias à Magiſtro militiæ de Ramah; deinde verò modus, quo libertatem conſequutus eſt, & ordo deſcribitur. Quare non eſt factus ſermo Domini, poſtquam dimiſſus eſt Propheta de Ramah, ſed tunc impletur, quando inde dimiſſus: cùm enim inde ſolutus eſt, poſt longum tempus, pedem in libertatis poſſeſſione poſuit.

3. Non longè ab hac cogitatione abit ſanctus Thomas, cùm ait: *Priùs hoc ſermone reuelatum, quod poſtea opere narratur expletum.* Putat autem non eſſe ſermonem de aliqua certa promiſſione Ieremiæ facta, qualis eſt illa capitis 1. *Bellabunt aduersùm te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te*; ſed de communi, qua Dominus ſibi curæ eſſe dicit vinctorum, & pauperum ſalutem. Et adducit illud Pſalmi 68. *Exaudiuit pauperes, & vinctos ſuos non deſpexit.* Eodem etiam ſpectat illorum ſententia, qui *in ſermone* non oraculum aliquod, ſed opus, aut negotium conſiderant, liberationem nempe Ieremiæ. ſic putat Rabbanus, & Hugo, & Tigurina tranſlatio, quæ pro *ſermone*, *actionem* reddit: quod in Scriptura ſacra valde frequens.

4. At dices, non poſtquam dimiſſus eſt Ieremias è Ramah, conſecutum eſſe libertatem, ſed in Ramah. Quæ verò hîc traduntur, egreſſo iam Propheta de Ramah facta cōmemorantur. Huic ego cogitationi reſpondeo, ſpatium illud, quod commoratus eſt Ieremias in Ramah, fuiſſe perquàm breue, illúdque à perturbatione non vacuum; cùm eò conſtrictus vinculis deductus ſit Propheta: quare licèt eo loco à militum Magiſtro pronunciatus ſit liber, fructum tamen libertatis percepit dimiſſus à Ramah.

Quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant.] Ducebatur vinctus inter captiuos alios Ieremias, vinctus nempe manibus, ne conſtrictis pedibus tardior eſſet inceſſus. Hîc fortaſſe cum Ieremia pauperes illi dimiſſi, quibus capite 39. vineas, & ciſternas attribuiſſe dicitur Nabuzardan. Cùm autem dimiſſis aliis, & in vrbem remigrare permiſſis, reliqui, quorum erat ingens multitudo, actum de ſua libertate, & capite exiſtimarent, cùm viderent ſibi omnino deſerendam patriam, & in Babylonem fore commigrandum, excitato ab omni ætate, ac ſexu, lugubri eiulatu, angorem animi, & publicam, atque priuatam calamitatem teſtati ſunt. Eò ſpectare ſuſpicor illud, de quo ſuprà capite 31. verſu 15. *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus*; quæ Matthæus capite 2. verſu 18. iuxta Septuaginta verſionem, ita legit: *Vox in Ramah audita eſt, ploratus, & vlulatus multus.* 5.

Verſ.2. *Tollens ergo Princeps militiæ Ieremiam,* &c.] Quæ ſequuntur, obſcura non ſunt. Illud obſeruandum, intellexiſſe Chaldæos, quid de ciuium exilio, ac clade, de ciuitatis excidio, à Domino conſtitutum, ac prædictum fuiſſet; ídque propter populi contigiſſe peccata, qui ad Diuinam prorſus vocem obſurduit. Id verò tam militiæ Princeps, quàm reliqui de vulgo à transfugis diſcere potuerunt, qui ſæpe in templo, locíſque frequentibus, hoc ipſum Ieremiam dolentem, & clamantem audierant. Hæc Chaldæos perferre mitiùs quotidianas belli moleſtias faciebat, quia certi de victoria, opima ſibi proponebant ſpolia, de Iudæorum gaza. Hæc libertatem attulerunt Ieremiæ, vltrò ab hoſtibus oblatam, qui quid dixerit, ſtuduerítque Propheta, non ignorabant. 6.

Verſ.4. *Omnis terra in conſpectu tuo eſt.*] Vt bene hîc Maldonatus obſeruat, Hebræorum modus iſte loquendi liberam alicui facultatem concedit, vt res propoſitas ſuo arbitratu verſet, aut illis, vt libuerit, vtatur. Quomodo Geneſis 13. verſu 9. audiuit Loth ab Abraham: *Ecce vniuerſa terra coram te eſt,* &c. *ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo.* Et capite 20. verſu 15. dixit Abimelec ad Abraham: *Terra coram vobis eſt, vbicunque tibi placuerit, habita.* Dum ergo Nabuzardan in Ieremiæ conſpectu terram eſſe dicit, illi proculdubio optionem dat, vt quamcunque velit in partem, ſecurus abeat. 7.

In conſpectu eſſe, aut corā aliquo, poteſtatem indicat.

Verſ.5. *Et mecum noli venire.*] Hîc aliquid occurrit, quod nō valde alicui videri poſſet eum eo cohærere, quod proximè dixerat: *Si placet tibi, vt venias mecum in Babylonem, veni.* Videtur nunc negare, quod antea conceſſerat. In textu, quem nunc Hebraicè habemus, paulò aliter lego: 8.

go: ועודנו לא ישוב *ve odenu lo iaſub*, quod Latine variè à variis redditur. Pagninus: *Et adhuc eò quoquam non reuertente, reuertere ait ad Godoliah.* Tigurina: *Quocunque tibi commodum videbitur ire, illuc eas (nondum enim erat reuerſus) & reuertere ad Godoliam.* Ad verbum ſic Hebraicè alij: *Et adhuc ille non eſt reuerſus.* Quæ ſic exponunt quidam ex Hebræis, vt dicit Lyra, in quibus eſt, vt putat Maldonatus, Rabbi Salomon, vt primùm reuerti noluerit Ieremias, donec illi à Domino reuelatum eſt, vt in Ieruſalem rediret. Rabbi Dauid (vt idem Maldonatus refert) putat, nullam dediſſe Prophetam animi ſui ſignificationem, ſed hæſiſſe aliquantulùm cogitabundum: tunc verò ſuſpicatum eſſe Nabuzardan ex cunctatione, & ſilentio malle ipſum in patria manere, quàm mutare ſolum, & inter Iudaici nominis hoſtes habitare; quare ad eius vota magis, quàm ad verba reſpondens ait: Ne ſecum veniat, ſed potiùs maneat apud Godoliam.

9. Ego cum Maldonato ſuſpicor paulò aliter noſtrum Interpretem legiſſe, ועודנו לא שוב *ve odeni lo ſub*, ideſt, adhuc mecum non reuertere, vel mecum ne venias. Eſt autem mihi valde probabile, quod ex ſententia Rabbi Dauid tradit Maldonatus, ſuſpicatum eſſe Nabuzardan, eò propendere Prophetæ animum, vt in vrbem rediret, verecundatum tamen ſui animi ſententiam aperire, reſponſionem ſuſpendere. Quare ingenuè, ac comiter, tacito ipſius deſiderio annuens, ne ſecum abeat, iubet; ſed vt patriæ potiùs ruinas colat, & inter ſuos conſeneſcat. Cur autem nihil dixerit Ieremias de repetenda patria, iis videtur rationibus adduci potuiſſe: tum quia parum videbatur officio reſpondiſſe oblatæ libertatis, ſi non illius auctorem Regem, & militiæ magiſtrum ſequeretur: tum quia non ſatis putabat eſſe tutum, euerſæ ciuitatis ruinas habitare, vbi plures in ſe grauiter exulcerarat, illos præſertim Principes, à quibus coniectus in lacum antè fuerat; qui, Sedecia inter hoſtium manus perfidè relicto, ſuæ ſibi ſaluti conſuluerunt turpi fuga. E quorum numero non pauci in patriam redierunt, vt habes infrà verſu 7. A priori cura ſoluit Propheta Nabuzardan, dum vltrò monet, ſolum ne vertat patrium; à metu liberat, dum ait, loco ſui conſtitutum eſſe Godoliam Principem eorum, qui ex patriis ſedibus exturbati non ſunt: cuius fidei, atque tutelæ creditus, ſatis erit tutus à qualibet hominum iniuria.

10. *Godolias cur eum poteſtate relictus.* Godolias, vt docet Lyra, ex Hebræorum ſententia, ex vrbe ad Chaldæorum caſtra, hortante Ieremia, transfugerat, cuius opera videtur inutilis non fuiſſe Chaldæis, cùm rerum, locorúmque peritus, adiumento magno peregrinis hoſtibus eſſe potuerit. Quæ res ita demeruit Nabuchodonoſoris, & militiæ Principis animum, vt meritorum ergò Principem conſtituerent, & quaſi parentem illorum, qui ab ipſis in patriis ſedibus eſſent relicti, & qui ex variis locis, ad quæ durante bello dilapſi fuerant, in vrbem, recedente hoſte, remigraturi credebantur: quæ res, vt ſtatim dicemus, intempeſtiuæ mortis cauſa fuit.

11. *Maſpha vbi ſita.* Verſ.6. *Venit autem Ieremias ad Godoliam filium Ahicam in Maſpha.*] Hæc ciuitas variè vocatur in Scriptura: modò enim Maſpha dicitur, modò Maſepha, & Maſphath, interdum Maſphe. Hanc vrbem nobilem, & copioſam eſſe oportuit, dum in ea ſtetit diu Arca Teſtamenti, & fuit ibi Samuelis tempore orationis, atque iudicij locus. Hæc non longè aberat à Ieruſalem, & in eadem linea cum ipſa ſita, in confinio nempe duarum Tribuum Iuda, & Benjamin. Nam ſicut Ieruſalem modò in Tribu Benjamin, Ioſue capite 18. modò in Tribu dicitur eſſe Iuda, Ioſue capite 15. *Ioſue c. 15.* ſic iiſdem capitibus Maſpha ad Benjamin pertinere dicitur capite 18. verſu 26. ad Iudam verò, capite 15. verſu 38. Eam ergo ciuitatem elegit ſibi Godolias, ad quam aduocaret, & contineret profugos, quia exciſa Hieroſolyma ad publicum illud gubernandi munus nulla cenſebatur eſſe commodior.

Verſ.7. *Cùmque audiiſſent omnes Principes exercitus, qui diſperſi fuerant per regiones.*] Ex horum numero aliquot eſſe arbitror, ex his, qui cædem Ieremiæ priùs moliti fuerant, quíque Regem fugientem in extremo cum hoſtibus conflictu deſeruerunt. de quibus ſuprà capite 38. & capite 39. 12.

Verſ.8. *Et Iſmael.*] Obſeruatum eſt à nobis ſæpe, *&*, expoſitiuam eſſe particulam aliquando, idémque valere quod *id eſt*, vel *nempe*. Id planè nunc valet. Cùm enim de Principibus egiſſet, ſubdidit: *Venerunt ad Godoliam in Maſphath, & Iſmaël filius Nathaniæ, & Iohanan.* Ac ſi diceret, ideſt, Iſmaël, &c. 13.

Verſ.9. *Et iurauit eis Godolias, &c. Nolite timere ſeruire Chaldæis.*] Si verum eſt, quod ex Hebræorum ſententia dicebamus, in Chaldæorum caſtris fuiſſe Godoliam, veriſimile eſt apud nonnullos è Principibus, & olim in odium, & nunc in ſuſpicionem veniſſe, maximè cùm illum auctum à Chaldæis ea dignitate conſpicerent: quare dum illos aduocat, parere que iubet Chaldæorum imperio, neceſſe habuit interpoſito iuramento de ſua fide aliorum timori ſatisfacere. Abulenſis in librum 4. Reg. cap. 25. quæſtione 20. nonnullas rationes adducit, cur cauere ſibi Principes illi interpoſito iuramento Godoliæ debuerint. illum vide. 14.

Verſ.10. *Ecce ego habito in Maſphath, vt reſpondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos, vos autem colligite vindemiam, &c.*]. A metu alios, & ſollicitudine liberat, & in ſe quidquid laboris eſſe poterat, aut moleſtiæ deriuat. Quare iubet, omnes in ſuam quemque ciuitatem reuerti, atque ibi rei tam ruſticæ, quàm domeſticæ vacare ſecuros. In vindemia, & meſſe, & olearia cura omne ruſticum opus intelligitur, quia his præcipuè rebus opera datur ab agricolis in Palæſtina: ſed puto etiam iiſdem rebus ſecuritatem, & pacem indicari, quia hæc omnia ceſſant, vbi bellorum increpuit aut motus, aut rumor. Quomodo Hebræorum prouerbiali ſpecie ad hunc fermè modum ſecuritas, & otium explicari ſolent, *Sedit ſub vite, & ficu.* 15.

Reſpondere verbum eſt forenſe, & ſignificat, accuſatori occurrere, & obiecta clientibus crimina depelli. Ex quo etiam fit per ſynecdochen, vt quoquo modo defendere ſignificet. Sic Ezechias apud Iſaiam capite 38. violentiæ reſponſionem, ideſt, patrocinium opponit: *Domine, vim patior, reſponde pro me.* Sicut *ſilentium ſilere*, ſeu *tacere*, ceſſationem, & otium indicant, & pro illis ſæpius vſurpantur: ſic *reſpondere*, cauſam in ſe, ac negotium ſuſcipere ſignificat. Dum ergo ſe reſponſurum dicit Godolias, reliquos quietos eſſe iubet, & ſtudium ſuum, & patrocinium pollicetur. 16. *Reſpondeo, verbũ forenſe.*

Verſ.13.

17. Verſ. 13. *Iohanam autem filius Caree, & omnes Principes exercitus, qui diſperſi fuerant, venerunt ad Godoliam.*] Suprà verſu 8. veniſſe dicitur hic Iohanam ad Godoliam, ſed poſtea iuxta Godoliæ præceptum, in patriam diſceſſerat, vt meſſem, atque vindemiam curaret: interim verò, cùm audiret, quid Ammonitarum Rex, & Iſmaël in Godoliæ caput molirentur, iterum rediit in Maſphath, vbi conſilia inimicorum detexit, & ſuum ad vim illam depellẽdam ſtudium pollicitus eſt.

18. Cur Rex Ammonitarum extingui in Godolia voluerit Iudæorum non imperium ſolùm, ſed etiam nomen, non obſcura ratio eſt, quia inter Ammonitas, Moabitas, & Iudæos, perpetuum fuit, & quaſi naturale diſſidium. Cur Iſmaël Nathaniæ filius aut aſſumptus fuerit illius ſceleris adminiſter, aut vltrò ſe in ſceleratam illam curam obtulerit, ea videtur eſſe cauſa, quia & ipſe erat infenſo in Godoliam animo, quia ad Chaldæos obſidionis tempore transfugerat; & quia dolebat ſe, cùm è regio foret ſemine, vt capite ſequenti in principio traditur, ab eo excidiſſet loco, quem tenuit Godolias, quémque ſibi, vtpote Sedeciæ cognato, deberi putabat. Ita putant Hebræi, & probat ex noſtris ſanctus Thomas, & Abulenſis in librum 4. Regum capite 25. quæſtione 24. vbi ea de re latè, & Lyra cum aliis, neque improbant Maldonatus, & Caſtrus.

Verſ. 15. *Ne interficiat animam tuam.*] Hominem per animam circunſcribi, Hebraico idiomate, res eſt ſatis explorata, & certa. Vnde *anima mea*, idem eſt, quod *ego*; animæ iumentorum, idem eſt, quod iumenta. Quare percutere, ſeu interficere alicuius animam, nihil eſt aliud, quàm hominem percutere, ſeu occidere. Deuteronomij capite 19. *Percutiat animam eius, qui non eſt reus mortis.* Ioſue capite 20. *Vt confugiat ad eas, quicunque animam percuſſerit neſcius.* 19.

ARGVMENTVM CAPITIS XLI.

PERFECIT Iſmaël quod animo conceperat facinus, tam ex ſuo, quàm ex Regis Ammonitarum voto: occidit námque Godoliam, & qui ad illum conuenerant in Maſphath, tam ex Iudæis, quàm ex Babyloniis, qui rei conſtituendæ gratia ibidem reſtiterant. Neque minùs ſe crudeliter, atque perfidioſe geſſit, cum octoginta aliis, qui religionis ergò ad templi ruinas cum habitu lugubri munera deferebant; quos occidit, proiecitque in veterem ciſternam, ſiue lacum, præter decem, quibus ſpe alicuius emolumenti pepercerat. Cùm autem inde victor diſcederet, abducerétque ſecum plurimos è populo, & in his filias Sedeciæ, ſubſtitiſſétque prope Gabaon, inſiliit in ſecurum agmen prædatores Iohanam filius Caree ex inopinato, & plurimis illorum occiſis, prædam abſtulit, & in fugam ignobilem coniecit Iſmaëlem cum octo tantum viris, qui repentinam illam cædem effugerunt.

IEREM. CAP. XLI.

1. *ET factum eſt in menſe ſeptimo, venit Iſmahel filius Nathaniæ, filij Eliſama de ſemine regali, & optimates regis, & decem viri cum eo, ad Godoliam filium Abicam in Maſphath: & comederunt ibi panes ſimul in Maſphath.*

2. *Surrexit autem Iſmahel filius Nathaniæ, & decem viri qui cum eo erant, & percuſſerunt Godoliam filium Abicam filij Saphan gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat Rex Babylonis terræ.*

3. *Omnes quoque Iudæos, qui erant cum Godolia in Maſphath, & Chaldæos, qui reperti ſunt ibi, & viros bellatores percuſſit Iſmahel.*

4. *Secundo autem die poſtquam occiderat Godoliam, nullo adhuc ſciente,*

5. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri, raſi barba, & ſciſſis veſtibus, & ſquallentes: & munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.*

6. *Egreſſus ergo Iſmahel filius Nathaniæ in occurſum eorum de Maſphath, incedens & plorans ibat: cùm autem occurriſſet eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Abicam.*

7. *Qui cùm veniſſent ad medium ciuitatis, interfecit eos Iſmahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipſe & viri qui erant cum eo.*

8. *Decem autem viri reperti ſunt inter eos, qui dixerunt ad Iſmahel: Noli occidere nos: quia habemus theſauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et ceſſauit: & non interfecit eos cum fratribus ſuis.*

9. *Lacus*

9. *Lacus autem, in quem proiecerat Iſmahel omnia cadauera virorum, quos percuſſit propter Godoliam, ipſe eſt, quem fecit rex Aſa propter Baaſa regem Iſraël: ipſum repleuit Iſmahel filius Nathaniæ occiſis.* A

10. *Et captiuas duxit Iſmahel omnes reliquias populi, qui erant in Maſphath: filias Regis, & vniuerſum populum, qui remanſerat in Maſphath: quos commendauerat Nabuzardan Princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Iſmahel filius Nathaniæ, & abiit vt tranſiret ad filios Ammon.*

11. *Audiuit autem Iohanan filius Caree, & omnes Principes bellatorum, qui erant cum* B *eo, omne malum, quod fecerat Iſmahel filius Nathaniæ.*

12. *Et aſſumptis vniuerſis viris, profecti ſunt vt bellarent aduersùm Iſmahel filium Nathaniæ, & inuenerunt eum ad aquas multas, quæ ſunt in Gabaon.*

13. *Cúmque vidiſſet omnis populus, qui erat cum Iſmahel, Iohanan filium Caree, & vniuerſos Principes bellatorum, qui erant cum eo, lætati ſunt.*

14. *Et reuerſus eſt omnis populus, quem ceperat Iſmahel, in Maſphath: reuerſúſque abiit ad Iohanan filium Caree.*

15. *Iſmahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris à facie Iohanan, & abiit ad filios Ammon.*

16. *Tulit ergo Iohanan filius Caree, & omnes Principes bellatorum, qui erant cum eo, vniuerſas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Iſmahel filio Nathaniæ de Maſphath, poſtquam percuſſit Godoliam filium Ahicam: fortes viros ad prælium, & mulieres, & pueros, & eunuchos, quos reduxerat de Gabaon.*

17. *Et abierunt, & ſederunt peregrinantes in Chamaam, quæ eſt iuxta Bethlehem, vt pergerent, & introirent Aegyptum*

18. *A facie Chaldæorum: timebant enim eos, quia percuſſerat Iſmahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præpoſuerat Rex Babylonis in terra Iuda.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-PRIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Venit Iſmaël filius Nathaniæ filij Eliſama de ſemine regali.*]

1. NON ex Regio ſemine Ammonitarum, ſed ex Dauidico: nam capite præcedenti verſu 8. veniſſe dicitur ad Godoliam in Maſphath cum aliis, quos belli turbo variè diſperſerat, quod ſanè non feciſſet, niſi foret ex Iudæorum genere. Item quia eius pater, & auus hoc loco nominantur, quod Hebræi rarò faciunt in alieno genere. C

2. *Et decem viri cum eo.*] Illud, *&*, vt putat Maldonatus, non tam coniungit, quàm exponit quod anteceſſerat proximè. Sicut etiam diximus ad illud capitis 40. verſu 8. *Et Iſmaël filius Nathaniæ.* Et latiùs ad illud Iſaiæ capite 57. *& lugentibus eius.* Veniſſe itaque dicit cùm Iſmaële Optimates, ideſt, decem viros: tot enim erant Optimates illi: ſed credo, præter Optimates, D immo & præter illorum famulos, decem veniſſe alios audaces, & robuſtos, qui ad illud immane conſilium magis videbantur idonei, quia tanta cædes, quanta ſtatim ſcribitur, à tam paucis non videtur edi potuiſſe.

3. *Et comederunt ibi panes ſimul.*] Excepit viros illos fraudulentos, & impios officioſo, ac liberali hoſpitio Godolias: ipſi verò tempus captarunt opportunum inſidiis, quale conuiuij eſt, in quo de armis, ac vi rara cogitatio, rara ſuſpicio. Quod etiam fecit Machabæorum tempore Ptolomæus, qui Simonem cum duobus filiis in conuiuio peremit 1. Machabæorum capite 16. Porro, panem in Scriptura pro quocunque cibo vſurpari, ſatis eſt notum: ſiue quia per antonomaſiam pani ciborum omnium communiſſimo nomen generis datum eſt, ſiue quia re vera לחם *lechem*, pro quo communiter *panem* vertunt Interpretes, cibum ſignificat.

Verſ. 3. *Omnes quoque Iudæos, qui erant cum Godolia in Maſphath, & Chaldæos, qui reperti ſunt ibi, & viros bellatores percuſſit Iſmaël.*] Duo hîc admirari quis poſſet, & tot viros à paucis, ideſt, ab vndecim, ſi Optimates ſunt viri illi decem, de quibus nuper, interfectos fuiſſe: & quòd ita ſecretò fuerit peracta, vt eius fama tandiu ad proxima ciuitati loca non permanauerit. Quod ad priorem partem ſpectat, primùm arbitror, plures in illud conſilium conſpiraſſe, quàm putat Maldonatus, ſanctus Thomas, Dionyſius; & decem viros, de quibus ſuprà verſu 1. ab Optimatibus fuiſſe diuerſos. An verò tam illi decem, quàm alij, quos in eorum comitatu veniſſe, non eſt incredibile, ad conuiuium inuitati fuerint, nihil eſt certum, conueniſſe tamen facto coniurationis ſigno ſub ipſum conuiuij tempus, quis dubitet? Cùm autem, licèt non magno numero, armati venerint, tempúſque captauerint opportunum, in quo alij tametſi plures, ſecuri forent, & inermes, non mirum ſi à paucioribus ſtrages illa grandis edita fuerit. Adde, quòd repentino, atque miſerando caſu perturbantur animi, neque in ſubita conſternatione conſilium aliquod opportunum occurrit. Cùm autem alij & inſtructi ad bellum, & meditatò rem eſſent aggreſſi, nihil mirum, 4.

mitum, ſi quod tentarunt facinus, ex voto ſucceſſerit. Nam & nos quotidie à paucis capi, ac diripi ciuitates videmus; quia pauci vigilantes, armatique ciuitatem inuadunt, plures alij imparati, ac perturbati reſiſtunt. Multò ſanè difficilius erat, à duobus filiis Iacob Simeon, & Leui, viros omnes in vna ciuitate perimi, & à reliquis filiis Iacob quidquid erat paruulorum, & fœminarum in prædam agi; at id factum eſſe conſtat Geneſis capite 34. verſu 27. & 29. ſed fuiſſe plures quàm decem cum Iſmaële, docet Lyra, & Abulenſis in librum 4. Regum capite 25. quæſtione 16.

5. Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 11. quo pacto mors illata fuerit Godoliæ refert, & ex eo Abulenſis ſuprà, quæſtione 25. *Venit* (inquit) *in Maſphath Iſmael comitatus amicis decem, vbi inter hoſpitales epulas, dum ſe comiter poculis inuitant, hoſpitem mero grauem, & ſomnolentum aduertens, cum decem illis ſociis adortus, nec difficile fuit, cæteros conuiuas ſimiliter affectos confodere. Quibus necatis, adiuuante nocturno tempore, per totum oppidum graſſati ſunt promiſcuis cædibus tam in Iudæos, quàm in Babylonios milites ſecuros, & paſſim dormientes.*

Quod ad poſterius pertinet, ſi altero die à Godoliæ cæde octuaginta viri venerunt in Maſphath, non eſt difficile creditu, etiam ſi tanta fuiſſet cædes, vno die occultari potuiſſe: immo neque dies interceſſit integer, cùm multo iam die, immo nocturno tempore, vt Ioſephus tradit, patrata fuerit communis illa cædes. Multò ſanè difficilius erat Palæſtinæ proximas vaſtari ciuitates plurimas à Dauid, neque id ad aures Palæſtinæ Regis perueniſſe, 1. Regum capite 27. Porro tanto dolori fuit Iudæis optimi Ducis Godoliæ cædes, vt propterea indictum fuerit commune ieiunium, vt liquet ex Hebræorum Kalendario in menſe Tiſri, qui nobis eſt September, ad diem tertium.

6. Verſ. 4. *Nullo adhuc ſciente.*] Nempe ex his, qui extra ciuitatem erant, quod ad Iſmaëlis conſilia plurimùm intererat: nam rem eſſe in ciuitate incognitam, credibile non eſt.

7. Verſ. 5. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri raſi barba, & ſciſſis veſtibus, & ſqualentes.*] Hi non tam, credo, præſidij, & patrocinij gratia ad Godoliam veniebant, quàm vt communem illam plagam lugerent, ſpectarentque ruinam, & buſtum ciuitatis: ideo enim cum ſqualente, lugubri, atque diſciſſa veſte veniebant, vt quaſi parentare communi patriæ viderentur. Sanè aliò videbantur curſum flectere, cùm ab Iſmaële reuocati ſunt fraudulenter, in Maſphath ad Godoliam. Habitus verò, qui à Propheta deſcribitur, lugentium eſt, non apud Hebræos ſolùm, ſed etiam apud peregrinas alias nationes. De Hebræis eſt illud Leuitici capite 21. vbi iubentur Sacerdotes, ne aliorum more in ſuorum funere ſe gerant: *Nec radent* (inquit) *caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.* De ſciſſis veſtibus diximus ſuprà capite 36. ad illud, *Neque ſciderunt veſtimenta ſua.* De externis res eſt nota, de quibus nos plura ſuper Acta capite 14. ad illud, *ſciſſis tunicis.* Nunc ſatis nobis ſit, quod de Chaldæis aut lugentibus, aut luctum ſimulantibus ſcribit Baruch capite 6. verſu 30. *In domibus eorum Sacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt. Rugiunt autem clamantes,* &c. De Palæſtinis docet Ieremias capite 47. verſu 5. *Venit caluitium ſuper Gazam, conticuit Aſcalon, & reliquiæ vallis earum: vſquequo conciderìs?* ideſt, cultris te incides, & vnguibus lacerabis: quod etiam fecerunt octoginta hi viri, vt ſtatim dicam. De Moab docet idem Propheta capite 48. verſu 37. *Omne enim caput caluitium, & omnis barba raſa, erit in cunctis manibus colligatio.* hoc poſtremum Hebræi, ac Septuaginta, *inciſiones, ac lacerationes,* vertunt.

Habitus lugentium.

Barba in luctu raditur, & corpus inciditur.

Leuit. 21.

Baruch 6.

Ierem. 47.

A

Vbi Vulgatus *ſqualentes,* Hebraicè eſt מתגדדים *mithgodedim,* quod *laniare* valet, ſeu *incidere.* Sicut etiam noſter Interpres eo loco tranſtulit, quem ex capite 45. Ieremiæ modò produximus. Erat enim apud Hebræos etiam in vſu, vt in luctu ſe cultris, aut vnguibus cruentarent, quod quidem B è Gentilium, credo, moribus acceperant. Quod ne Gentilico ritu, quod antè ſoliti, in poſterum facerent, ſeuerè cauit Deus, Leuitici capite 19. verſu 28. *Super mortuo non incidetis carnem veſtram: neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis.* idem penè Deuteronomij capite 14. verſu 1. Ita tamen tempore, de quo nunc Ieremias, mores Iudæorum Gentilium ritibus erant contaminati, vt in luctu ſe ad eorum imitationem inciderent. Oſtendit hoc Ieremias ſuprà capite 16. verſu 6. qui cùm de inhumatis, ac de indefletis Iudæorum cadaueribus ageret, ait: *Et morientur grandes, & parui in terra iſta; non ſepelientur, neque plangentur;* C *& non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis.* Gentiles quàm barbarè, dum ſuorum funera proſequuntur, in capillos, & genas, in pectus, & lacertos, atque oculos ſæuierint, vide Alexandrum Neapolitanum libro 5. Genialium capite 7. Ego tantùm adducam, quid Baal Sacerdotes fecerint in clamore, &, vt eſt veriſimile, in luctu, 3. Regum 18. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe, iuxta ritum ſuum, cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Ad hunc igitur modum octoginta hi viri non ſolùm caluitio, ac lacerata veſte, ſed etiam effuſo ſanguine, & lacerò corpore animi ſui mœrorem oſtendebant. Noſter Interpres optimè *ſqualentes* reddidit, quia qui ſanguine eſſent reſperſi, maximè ſi puluis D acceſſiſſet ex via, non poterant non eſſe ſqualentes, & fœdi. 8.

Gentiles in luctu corpus ſauciabant.

Leuiti. c. 19.

Et munera, & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.] Hîc quærunt communiter Interpretes, quomodo octoginta hi viri ad domum Dei munera detulerint, cùm eo tempore funditus eſſet exciſa? Quidam ex Hebræorum magiſtris, in quibus eſt Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid, vt docet Lyra, putant, cùm profecti eſſent à patria, ignoraſſe hos viros, combuſtum eſſe templum, & euerſam vrbem, ſed tantùm captam à Chaldæis: nam, vt iam à nobis dictum eſt, incenſa fuit, atque vaſtata vno fermè menſe, ex quo in Chaldæorum poteſtatem venit; ſed bene omnes hanc Hebræorum cogitationem oppugnant. E Neque enim eſt credibile, ſecundo menſe, poſtquam eſſet euerſa ciuitas, & templum (nam excidium contigit quinto menſe, hi verò ſeptimo iter illud ſuſcepère) ad ciuitates non adeò diſſitas non perueniſſe tantæ cladis rumorem, aut nuncium; præſertim cùm multi ex ea clade in varia loca dilapſi fuerint, à quibus res tota breui diſſeminari poterat. Longiùs ſanè aberant Iudæi alij, qui erant in regionibus Moab, & Ammon, capite 4. verſu 11. & tamen hi veniſſe dicuntur ad Godoliam, cùm audierunt, illum eſſe Præfectum Iudæorum reliquiis, cùm 9.

tamen poſt templi ruinam Godoliæ præfectura aliquandiu contigerit. Adde, quòd ſi captam audiſſent vrbem a Chaldæis, non erat, quòd ad illam ſe conferre vellent, niſi communem cum aliis fortunam ſubire ſtatuiſſent; neque prudentis eſſet conſilij, in illum ſe locum, atque periculum dediſſe, ex quo quenquam potuiſſe euadere, beneficij magni loco ponebatur.

10\. Fuit, qui putent, hos viros non veniſſe in Ieruſalem, ſed in Maſphath, quia eò conueniſſe audierant Iudæorum reliquias, ad Godoliam, vbi excitatum arbitrabantur altare, ſicut olim 1. Regum capite 7. verſu 6. vbi thus offerrent, & alia munera, quæ ſecum attulerant: ita putat Lyra, & probat Maldonatus. Sed eſt longè veriſimilius, iter illud eſſe ſuſceptum in Ieruſalem, quia profecti dicuntur in domum Domini. At eo nomine nulla notabatur aut domus, aut templum, niſi quod excitatum fuerat à Salomone Hieroſolymis. Adde, quòd hi viri non videbantur ingreſſuri Maſphath, niſi illos artificiosè, & callidè eò deflexiſſet Iſmaël: nam, vt habes hic verſu 6. *Egreſſus Iſmaël filius Nathaniæ, in occurſum eorum, de Maſphath, incedens, & plorans ibat: cùm autem occurriſſet eis, dixit ad eos, Venite ad Godoliam*, &c. Studebat Iſmaël, viros illos inducere in Maſphath, tanquam in rete, vt illos eo modo conficeret, quo interfecerat alios. At ſi illi in eam ciuitatem ingreſſuri viderentur, non erat, cur in eam fraude pelliceret, cùm eos iam ingreſſos ex inſidiis adoriri poſſet multò commodiùs.

11\. Illud nonnihil affert incommodi, quòd cùm in templo ſolo ſacrificium liceret offerri, & aliud quodcunque munus, non videtur, cur exciſo templo Hieroſolymam eſſent profecturi. Huic obiectioni nihilo magis reſpondere poſſent, qui viros illos abiiſſe putant in Maſphath; ſed, vt illi dicunt, excitari ibi altare potuiſſe (ſicut 1. Regũ capite 7. olim Samuelis tempore, in quo oblatum eſt holocauſtum verſu 10.) vbi ſua conſecrarent munera peregrini illi, ſic etiam in antiqui tẽpli ruinis è rediuiuo lapide extrui poſſe aram, aut extructam eſſe arbitrabantur, in qua ſanctè Deo munus illud offerrent. Neque enim Deus in templo offerri ſibi ſacrificia iuſſit, id eſt, in æde amplè, atque operosè conſtructa, quale plerunque templum eſt, ſed in loco, quem ſibi Dominus elegiſſet, vt audis millies in Deuteronomio; ſed Dominus eum elegit locum, vbi à Salomone poſtea conſtructum eſt templum. In eo verò antequam domus eſſet vlla conſecrata, ſed tantùm eſſet area terendis frugibus opportuna, excitato raptim altari, obtulit holocauſtum Dauid, & pacificas victimas, monente Domino, & locum ſibi ad religioſum illud opus definiente 2. Regum capite 24. In eodem verò loco conſtructum eſſe templum, habes libro 2. Paralip. capite 3. verſu 1. Vt autem Dauid ante templi fabricam, excitata ibidem ara victimas obtulit, ſic multa poſt ſæcula, ante reædificatum templum, in templi ruinis erecto altari ſacrificium oblatum eſt. Eſdræ libro 1. capite 3. verſu 2. *Ædificauerunt altare Dei Iſraël, vt offerrent in eo holocauſtomata.* Hi ergo viri, aut quia non omnino euerſum eſſe templum arbitrabantur, aut quia ab aliis credebant excitatam aram, aut quia à ſe facilè excitatum iri ſperabant, ad Dei domum, id eſt, ad templum Solymitanum profecti ſunt.

Exciſſo templo, in eius ſitu ſacrificari poterat.

2.Reg.c.24.

Eſdræ lib.1. cap.3.

12\. Accedit, quòd ciuitatis omnium longè pulcherrimæ ſtudium, & amor, & templi, licet iam in ſua mole, & quaſi buſto iacentis antiqua religio, atque ſubitæ cladis admiratio vocabat. Fieri enim ſolet, vt non minus collapſa moles ante ſuperba, & ampla admirationi, atque ſpectationi ſit, quàm dum ſtaret in ſua gloria, & Principum immanis ſumptus oſtentaret. Veniebant, vt auctor eſt Hieronymus, poſt cladem vrbi templóque à Romanis illatam quotannis Iudæi, vt deflerent triſte illud ciuitatis illuſtriſſimæ buſtum, tali habitu, ac ſpecie, qualis erat in his octoginta viris, qui non alio fortaſſe ſenſu, ac ſpiritu ſpectare voluerunt, atque lugere calidos adhuc ab incendio cineres. Audi nunc Hieronymum ad illud Sophoniæ capite 1. *Vox diei Domini. Videas in die, quo capta eſt à Romanis, & diruta Ieruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis, annìſque obſitos, in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes. Congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante, ac radiante ἀναστάσει eius, de Oliueti quoque monte crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi ſui populum miſerum, & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus ingenis, & liuida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, vt illis flere plus liceat.* Hæc Hieronymus.

Iudæi tẽpli ruinas viſitare ſoliti.

Iudæorum miſera conditio.

Verſ. 7. *Circa medium laci.*] De hoc lacu ſtatim. 13.
Locus iſte difficilis non eſt, ſi ſtatuamus, vt profectò ex vſu Scripturæ fieri debet, *medium* in Scriptura, maximè cùm anteceſſit præpoſitio, nihil interdum ſignificare ſupra præpoſitionem; quare *in medio populi*, idem eſt, quod *in populo*; *de medio gregis*, idem quod *de grege*; *ad medium ciuitatis*, idem quod *ad ciuitatem*; *circa medium laci*, idem quod *circa lacum*. Quare cùm dicitur: *Qui cùm veniſſent ad medium ciuitatis, interfecit eos Iſmaël, filius Nathaniæ, circa medium laci*; nullus eſt alius ſenſus, quàm viros illos, cùm in ciuitatem eſſent ingreſſi, prope lacum ab Iſmaële fuiſſe interfectos. Commodè autem locum illum ad cædem deſtinauit Iſmaël, vt cum minori moleſtia occiſorum cadauera in lacum illum, ſiue puteum proiiceret.

Medium interdum nihil addit.

Verſ. 9. *Lacus autem, in quem proiecerat Iſmaël* 14.
omnia cadauera virorum, quos percuſſit propter Godoliam, ipſe eſt, quem fecit Rex Aſa.] Cùm ageremus ſuprà capite 38. de lacu, in quem Ieremias demiſſus eſt, oſtendimus ex Abulenſi, eiuſmodi lacus, ſeu cuſtodias fuiſſe in Palæſtina frequentes. Quare cùm id ex vſu ciuitatis fore cognoſceret Aſa, curauit, ne ille ſceleratorum carcer, ſeu ſupplicium in illa ciuitate deeſſet: aut certè aliis de cauſis, de quibus mox. Quo verò tempore id fecerit Aſa, non conſtat, quia de hoc lacu nullus alibi ſermo. Tantùm habemus 3. Regum capite 15. Maſphath ab Aſa fuiſſe munitam, propter Baaſam Regem Iſraël, quocum inimicitiæ penè perpetuæ. Eſt autem veriſimile, tunc extructum eſſe lacum, ſeu ciſternam, quæ pluuiales colligeret aquas, quæ obſidionis tempore magnos afferunt vſus. Fieri autem potuit, vt qui prius ad aquarum vſum effoſſus erat lacus, idem poſtea claudendis, cruciandíſque ſontibus deſeruiret, ídque in ea molitione ſpectaſſe Regem. Sanè Septuaginta hunc lacum puteum appellant, ſicut etiam Ioſephus ſuprà capite 11.

Verſ. 10. *Et captiuas duxit Iſmaël omnes reliquias* 15.
populi, qui erant in Maſphath, filias Regis, &c.] Hæ filiæ videntur eſſe Sedeciæ, quibus pepercerunt Chaldæi, quia ab imbelli ſexu nihil putabant eſſe

ſe metuendum: & animi quantumuis inflammati, atque exultantes victoria, flecti tamen ad miſericordiam ſolent in eos, in quibus & minor eſt culpa, & minùs ad reſiſtendum virium. Trucidati ſunt in conſpectu Sedeciæ filij, vt habes capite præcedenti, qui & cæci parentis, & exuſtæ patriæ vltores eſſe poterant: filiabus tamen parcitum eſt, quas tamen cognatus earum Iſmaël captiuas abduxit, propter Godoliam: neque enim ſatis habuit, illum occidiſſe, niſi ſuſtuliſſet etiam eos, qui in eius ſe fidem, & cuſtodiam dediſſent.

16. Verſ.11. *Audiuit autem Iohanam filius Caree, & omnes Principes bellatorum.*] Non procul à Maſphath conſediſſe videntur hi viri bellatores, quando noſſe potuerunt cædem ab Iſmaële patratam, & ſic ſe ad pugnandum accingere, vt non longè conſequi diſcedentem potuerint, & prædam recipere, quam ex vrbe ſuſtulerat.

17. Verſ.12. *Ad aquas multas, quæ ſunt in Gabaon.*] An aquæ hæ multæ aquæ ſint ſtagnantes, aut loca paluſtria prope Gabaon, ſeu certè nomen ſit proprium alicuius oppidi, quod ſitum eſſet prope montoſam illam ciuitatem, incertum eſt, vtrunque veriſimile: neque nouum eſt, vt ab aquis ſiue iugibus, ſiue ſtagnantibus, ſiue ab aliqua aquarum proprietate nomen aſſumant ciuitates. Sic quædam Calidæ Aquæ; alia Aquæ ſalſæ; alia Aquæ Sextiæ: ſic ad hunc modum, aliæ, atque aliæ ciuitates aliis, atque aliis nominibus appellantur. Sed eſt mihi veriſimilius, locum eſſe paluſtrem prope Gabaon, vbi prædatores illi ſceleſti Iſmaële Duce conſederunt. Neque enim aptus

A erat locus, ſeptus, & habitatus fugientibus, & regio abundans aquis, iter agentibus ad quietẽ opportuna. Et hoc putat Chaldæus, qui hunc Ieremiæ locũ ſic exponit: *Et inuenerunt eum iuxta piſcinam aquarum multarum, quæ eſt in Gabaon.* Porro piſcinam, aut ſtagnum fuiſſe prope Gabaon, habes 2. Regum capite 2. verſu 13. *Porro Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egreſſi ſunt, & occurrerunt eis, iuxta piſcinam Gabaon: & cùm in vnum conueniſſent, è regione ſederunt: hi ex vna parte piſcinæ, illi ex altera.* Ex quo coniectura non leuis, latam eſſe piſcinam, & ſpatium grande ſtagnans, & paluſtre, quando duos exercitus dirimere potuit.

Verſ.16. *De Maſphath.*] Non reduxit Iohanam captiuos de Maſphath, ſed de aquis multis, quæ

B erant prope Gabaon, ſed reduxit eas, quas de Maſphath abduxerat Iſmaël.

Verſ.18. *Quia percuſſerat Iſmaël filius Nathaniæ* 18.
Godoliam.] Non auſi ſunt, qui reliqui fuerunt è gladio Chaldæorum, & Iſmaëlis dolo in Maſphath, aut in loca Hieroſolymis vicina, ſed habitauerunt in Chamaam, quæ non longè diſtat à Bethlehem, vt ſi quid à Chaldæis videretur impendere periculi, faciliùs inde, declinandi gratia, in Ægyptum abirent. Timebant enim, ne cùm Godolias, quem Iudæorum reliquiis præfecerant Chaldæi, occiſus eſſet ab homine Iudæo, communi id Iudæorum conſilio factum eſſe, interpretati Chaldæi amici mortem, & ſuam iniuriam vlciſcerentur: quare de aliorum animo, & de ſuo periculo ſolliciti de loco ad fugam illam Ægyptiam expedito cogitarunt.

ARGVMENTVM CAPITIS XLII.

EXPERTI fuerant in hoc capite Iudæorum principes Ieremiam verum eſſe Prophetam, & Dei oracula, non ſomnia, aut commenta vana eſſe, quæ Dei nomine ſæpe populo nunciarat. Quare in deliberatione dubia, & vehementer implexa, in qua communis ſalus, & res tota Iudaica cernebatur, Prophetam adeunt, orántque, ſciſcitetur à Domino, quid in eo rerum ſtatu magis futurum ſit è re communi. Diuinam obteſtati fidem, nihil ſe facturos aliud, quàm quod à Deo per Prophetam ipſis eſſet oblatum. Annuit Propheta poſtulatis, & poſt decimum diem, quid haberet à Domino reſponſi, refert. Cuius caput eſt, vt in ſuis ſe finibus contineant, nec quicquam à Babyloniis futurum eſſe periculi. Quòd ſi ſtatuant ad Ægyptios confugere, non minùs ignominioſè, ac durè illis eſſe pereundum, quàm his, quos paulò antè gladius, fames, peſtíſque confecit. Iubétque, vt meminerint, quid cum Diuini nominis obteſtatione imprecati ſibi fuerint; ſi aut fallaces in promittendo fuerint, aut infideles in præſtando promiſſo.

IEREM. CAP. XLII.

1. *ET acceſſerunt omnes Principes bellatorum, & Iohanan filius Caree, & Iezonias filius Oſaiæ, & reliquum vulgus à paruo vſque ad magnum:*

C 2. *Dixerúntque ad Ieremiam Prophetam: Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo: & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro vniuerſis reliquiis iſtis, quia derelicti ſumus pauci de pluri*

pluribus, ſicut oculi tui nos intuentur: A

3. *Et annunciet nobis Dominus Deus tuus viam, per quam pergamus, & verbum, quod faciamus.*

4. *Dixit autem ad eos Ieremias Propheta: Audiui: ecce ego oro ad Dominum Deum veſtrum ſecundùm verba veſtra: omne verbum, quodcumque reſponderit mihi, indicabo vobis; nec celabo vos quidquam.*

5. *Et illi dixerunt ad Ieremiam: Sit Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, ſi non iuxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus.*

6. *Siue bonum eſt, ſiue malum, voci Domini Dei noſtri, ad quem mittimus te, obediemus: vt bene ſit nobis cùm audierimus vocem Domini Dei noſtri.* B

7. *Cùm autem completi eſſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam.*

8. *Vocauítque Iohanan filium Caree, & omnes Principes bellatorum, qui erant cum eo, & vniuerſum populum à minimo vſque ad magnum.*

9. *Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ad quem miſiſtis me, vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius:*

10. *Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam, plantabo, & non euellam: iam enim placatus ſum ſuper malo quod feci vobis.* C

11. *Nolite timere à facie Regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiſcum ſum ego, vt ſaluos vos faciam, & eruam de manu eius.*

12. *Et dabo vobis miſericordias, & miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in terra veſtra.*

13. *Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra iſta, nec audiemus vocem Domini Dei noſtri,*

14. *Dicentes: Nequaquam, ſed ad terram Aegypti pergemus: vbi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non ſuſtinebimus: & ibi habitabimus.*

15. *Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Iuda: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Si poſueritis faciem veſtram vt ingrediamini Aegyptum, & intraueritis vt ibi habitetis:*

16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Aegypti: & fames, pro qua eſtis ſoliciti, adhærebit vobis in Aegypto, & ibi moriemini.*

17. *Omnéſque viri, qui poſuerunt faciem ſuam, vt ingrediantur Aegyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peſte: nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali, quod ego afferam ſuper eos.*

18. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Sicut conflatus eſt furor meus, & indignatio mea ſuper habitatores Ieruſalem: ſic conflabitur indignatio mea ſuper vos, cùm ingreſſi fueritis Aegyptum, & eritis in iuſiurandum, & in ſtuporem, & in maledictum, & in opprobrium: & nequaquam vltrà videbitis locum iſtum.*

19. *Verbum Domini ſuper vos reliquiæ Iuda: Nolite intrare Aegyptum: ſcientes ſcietis quia obteſtatus ſum vos hodie,*

20. *Quia decepiſtis animas veſtras: vos enim miſiſtis me ad Dominũ Deum noſtrum, dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum noſtrum, & iuxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noſter, ſic annũcia nobis, & faciemus.*

21. *Et annunciaui vobis hodie, & non audiſtis vocem Domini Dei veſtri ſuper vniuerſis, pro quibus miſit me ad vos.*

22. *Nunc ergo ſcientes ſcietis quia gladio, & fame, & peſte moriemini in loco, ad quem voluiſtis intrare vt habitaretis ibi.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-SECVNDVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Et acceſſerunt omnes Principes bellatorum*, &c.]

1\. EXPERTI iam fuerant Iudæi in ſuo capite, verè vaticinatum eſſe Ieremiam de re Solymitana, ac publica: quare cùm in re vehementer implexa, ac dubia, in qua de Iudæorum ſtatu, ac nomine agi videbatur, errare nollent, Ieremiam adeunt, orántque, ſciſcitetur à Deo, quid in eo rerum diſcrimine magis futurum ſit ex vſu: quod non tantùm bellatorum Principes, ſed reliquum etiam vulgus ad vnum contendit.

2\. Verſ. 2. *Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo.*] Phraſis eſt Hebraica, & huic Prophetæ fami- D liaris: quæ, vt ſuprà capite 36. diximus, ad illud, *Si fortè cadat oratio*, nihil eſt aliud, quàm *orare:* quare ſenſus eſt: Oramus te, vt Deum ores, illúmque de rebus communibus conſulas. Cur autem noſter Interpres aliquando verterit, *valeat oratio noſtra*, diximus ſuprà capite 36. neque alio conſilio oramus, quàm vt oratio valeat, & quod orat, exoret.

Verſ.4. *Audiui: Ecce ego oro ad Dominum Deum* 3.
veſtrum ſecundùm verba veſtra.] Non difficilem ſe Propheta præbet precanti populo; audire, id eſt, obedire ſe dicit illius precibus, neque ſe facturum

rum aliter, quàm ab ipſo præſcriptum eſt.

3. Verſ. 5. *Sit Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei, ſi non iuxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus ad nos, ſic faciemus.*] Graui ſe iuramento alligat populus, aduocato Deo in promiſſi fidem, & teſtimonium, cum graui imprecatione, ſi in promiſſo fallat. Illud, *teſtis veritatis, & fidei*, duo ſignificare poteſt: aut enim fides, & veritas illorum eſt, qui violati voti, ac iuramenti rei videri volunt, ſi aut fallaces in promittendo fuerint; aut infideles in præſtando voto. Aut certè veritas, & fides ad Deum pertinet, in hunc ſenſum: Sit Dominus inter nos teſtis; qui verax & fidelis eſt, quem nemo fallere, nemo à fideli, ac vero teſtimonio poteſt abducere. Notum eſt autem, iuxta Hebræorum idioma, Deum teſtem veritatis, ac fidelitatis dici, quia verus eſt, & fidelis. Ex his duabus expoſitionibus magis mihi probatur poſterior.

Iuramenti forma.

4. *Si non iuxta omne verbum.*] Cum iuramento adiungi plerunque ſolet execratio, vt probant exempla paſſim obuia: ſed illud meo iudicio perſpicuè, quòd cùm Geneſis 25. adiuratus dicatur ſeruus Abrahami, tamen verſu 4. maledictionem, & execrationem dicit in ea adiuratione interceſſiſſe: cùm enim dixiſſet paulò antè ſeruus: *Adiurauit me dominus meus*; poſtea verba repetẽs Abrahami dixit: *Innocens erit à maledictione mea, cùm veneris*, &c. Atque ideo ſæpe poſt iuramentum ponitur *ſi*, quemadmodum hoc loco, quæ particula aliquid ſubaudit dirum, & graue. vt Pſalmo 88. *Semel iuraui in Sancto meo, ſi Dauid mentiar.* & Pſalmo 94. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.*

Iuramento additur execratio. Gen. 25.

5. Verſ. 9. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ad quem miſiſtis me, vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius.*] Ad hunc locum ex capite 40. quidam cenſent, productam eſſe parentheſim, quorum nos cogitationem eo capite ad numerum 2. reiecimus. Illud, *proſternerem preces*, ſatis oſtendit, quid ſit orationem cadere in alicuius conſpectu, nempe ſimpliciter orare, aut quid quiſque impetrari velit, alteri proponere. *Proſternere* enim à radice illa deducitur, quæ ſuprà *cadere* ſignificat: & in coniugatione hiphil valet cadere, aliquid facere, ſeu proſternere. Eſt ergo ſenſus: Feci cadere preces veſtras in conſpectu Domini, ſeu veſtro nomine, ac verbis Deum oraui.

6. Verſ. 10. *Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam, plantabo, & non euellam.*] Hoc à Deo Propheta accepit vaticinium humanitatis plenum, ac beneuolentiæ; quod omnia pollicetur ſecunda copioſo quondam populo, & iam ad pauciſſimos redacto; ſi tamen in promiſſa olim parentibus regione hærere velit. Vtitur autem metaphora præſenti rerum ſtatui accommodata valde. Pauci erant ex infinito propè numero Iudæi: quare hoſtibus, à quibus erant vndique circunfuſi, pares eſſe non poterant: atque ideo è ſuis iterum ſedibus pellendi videbantur. Duo igitur contra hæc incommoda Dominus ſubſidia promittit, quæ in plantatione, ac ædificatione ſignificantur, propagationem, ſcilicet, & firmitatem: firmitas in arbore intelligitur, quæ altas agit radices, & in domo, quæ non ſicut paſtorum tabernacula, breui diſſoluitur, ſed maiori mole, atque arte conſtruitur, non ad exigui commorationem temporis. Propagatio in ipſa ædificandi voce continetur: notum eſt enim, in Scriptura ædificare domum idem inter-

A dum eſſe, quod prolem ſuſcipere, aut magis ſignificanter, ſoboleſcere. In plantatione multò magis: quod enim plantatum eſt, ramos fundit, & fructus, & ex vna ſtirpe denſam aliquando germinat ſyluam: quare ſobolem copioſam promittit Deus, quæ rurſus vacuam habitatoribus regionem compleat.

Eſt autem in affirmatione cum negatione 7.
contrarij epitaſis Hebræis familiaris, quæ rei firmitatem, ac certitudinem oſtendit, qualis eſt illa Iſaiæ capite 38. *Morieris tu, & non viues.* & Ioannis capite 1. de Baptiſta, *Confeſſus eſt, & non negauit.* vide quæ diximus ad locum Iſaiæ ſuprà. Sic modò dum Propheta dicit, *Ædificabo, & non*
B *deſtruam, plantabo, & non euellam*, firmitatem ſignificat promiſſionis. Porro hoc eſt, quod in mandatis datum eſſe diximus Ieremiæ capite 1. cùm audiuit à Domino: *Ecce, conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* id eſt, vt annuncies, quoſdam eſſe euellendos, & deſtruendos, alios ædificandos, & plantandos, quod in præſentia facit.

Regula. Epitaſis in affirmatione cum negatione contrarij.

Verſ. 12. *Miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in terra veſtra.*] Placatum ſe ſuprà dixerat Deus, 8.
id eſt, pœnarum ſatis ſumptum de infideli Iudæorum gente, niſi recentibus ſe velint onerare flagitiis: nunc miſericordiam promittit, & quietem in antiquis ſedibus. Septuaginta paulò ali-
C ter legunt, ſed eodem ſenſu: *Reducam vos in terram veſtram.* nempe, tanquam in propriam hæreditatem. Chaldæus largiturum indicat hanc miſerationem Dominum per Chaldæorum Regem; cuius ſic flectet animum, vt quamprimùm exules in patriam redire permittat: in quam cogitationem adduci potuit ab Hebraico textu, qui ſic habet: *Et dabo vobis miſericordias: & miſerebitur veſtri, & reducet vos in terram veſtram.* Vbi, vt vides, tertia perſona ponitur, vbi prima eſt apud Vulgatum; nempe, *miſerebitur, & reducet.* Sed non eſt inuſitatum in Scriptura, vt perſona prima, & tertia de ſe ipſa loquatur, vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis in Iſaiam, ad illud capitis 22. *Et expellam te de ſtatione tua.* Quare noſter Interpres non tam in verba, quàm in ſen-
D tentiam intentus, primam adhibuit perſonam, vbi Hebraicus textus tertiam habet. Neque eſt veriſimile, captiuos omnes redituros in patriam, ſi pauci hi Diuino parerent oraculo; cùm iam illis à Deo prædictum eſſet, per eundem Prophetam, ad ſeptuageſimum vſque annum exilium eſſe producendum.

Verſ. 15. *Si poſueritis faciem veſtram, vt ingrediamini Ægyptum.*] Hebraiſmus eſt, quo ſignifica- 9.
tur animus in aliquam curam, & conſilium intentus: à qua phraſi non abhorret Hiſpanus, qui cùm adieciſſe quenquam animum ad aliquod
E opus, tanquam ad ſcopum, ſignificare vult, hoc fermè explicat modo: *Puſo en eſto la mira.* Eſt autem hic dicendi modus in Scriptura frequens, qui obfirmatum animum, ſeu conſilium indicat: quod etiam per alia verba explicari ſolet, qualia ſunt, *obfirmare faciem*, ſeu *dirigere*: fieri etenim plerunque aſſolet, vt qui alicui operi vehementer ſtudent, in illud omnino ferantur, & oculis, animíſque defixis, illud ſpectent vnum, & quaſi ad reliqua cæci nihil prætereà vident.

Ponere faciem, quid?

Verſ. 17. *Nec effugiet à facie mali.*] id eſt, à malo: neque enim in eiuſmodi loquutionibus, *facies*, quidquam addit præpoſitioni, cui adiungitur, in

tranſlatione Latina. Quare *à facie gladij, à facie famis,*&c. nihil eſt aliud, quam a *gladio,* ſeu *à fame.*

10. Verſ. 18. *Sicut conflatus eſt furor meus.*] Hebraicè נתך *nitak,* quod etiam effundere ſignificat: eſt autem metaphora ab hac radice vſitata, & grauis: nam, quoad metallum ſpectat (de quo propriè dicitur *conflo,* quod tunc conflare putatur, cùm in fornace liquatur, & ſoluitur) conflari tunc dicitur furor, cùm diu collectus, & quaſi concretus liqueſcit, & feruet in ardenti pectore, & inflammatus, tanquam torrens igneus, aut ſpiritus procellarum erumpit. Conſentaneè ad hanc metaphoram Septuaginta verterunt: *Sicut ſtillauit furor meus;* ſumpta metaphora à nube, quæ è vaporibus concreta terreſtribus, colliquefacta à Sole, in imbres diſſoluitur. Stillauit priùs grauiter, & diu Diuinus furor in Ieruſalem, ita vt verè dicere potuerit: *Intrauit aqua vſque ad animam meam: infixus ſum in limo profundi.* Illud idem minatur Dominus Hieroſolymæ reliquiis, ſi vt illa priùs ſalutis ſuæ fiduciam locauit in Ægyptiis, ſic ipſi modò apud eoſdem habituros ſe perfugium exiſtimauerint.

Furor Dei conflatus aut ſtillans, pulchra metaphora.

11. *Et eritis in iuſiurandum, & in ſtuporem, & in maledictum, & in opprobrium.*] Hæc de ſe non ſemel audierunt Iudæi, tum à Ieremia, tum ab aliis Prophetis, qui illum anteceſſerunt, ac ſubſequuti ſunt. Quæ verò in opprobrium, maledictúmque commune ſumuntur, vulgaria non ſunt, ſed in ſuo genere eximia; quæque ab omnibus obſeruari, ac notari debuerint: qualia ſunt apud externos, *Herculis labores, Inûs dolores, Ilias malorum;* & ſimilia. Talia ergo nunc futura dicuntur Iudæorum infortunia, vt ſtupori aliis futura ſint, cùm audierint; ſicut qui dirutam conſpexêre Hieroſolymam, cum admiratione dixerunt. *Haccine eſt illa vrbs perfecti decoris?* & qui paulò antè in regio habitu, atque ſplendore viderant Iezabel, illius ſtatim caluariam, & ſummas manus, ac pedes à canibus ſemeſas contemplati cum ſtupore dixerunt: *Haccine eſt illa Iezabel?* Hęc prætereà in iuſiurandum, & maledictionem futura dicuntur, quia (vt nuper diximus) apud Hebræos plerunque cum iuramento maledictio coniungitur. Quomodo ſi quis dicat: *Si ſciens fallo,* aut, *niſi promiſſa præſtitero, contingat mihi, quod Iudæis, qui ſe Ægyptiorum fidei crediderunt.* Plura de his ſuprà capite 24. ad illud, *in parabolam, & prouerbium.* & ſuper Iſaiam capite 65. ad illud, *Dimittetis nomen veſtrum in iuramentum.*

Verſ. 19. *Obteſtatus ſum vos hodie.*] Teſtem Deũ inter ſe, & Ieremiam aduocarant Iudæi, promiſerántque, Diuina interpoſita fide, facturos ſe quidquid per Ieremiam ipſis ſignificatum eſſet à Deo. Hæc verba, & fidem obligatam iuramento nunc obteſtatur Propheta; edicítque, fidem ſibi, Deóque datam, ſi violari contingat, non fore impunitam. Eſt autem *obteſtari,* teſtes adducere, aut verba, aut alia quæcunque ſigna, quæ datæ fidei documento eſſe poterant, in teſtimonium adducere, ſeu aliquem ſuò teſtimonio compungere, aut coarguere mendacij. 12.

Verſ. 20. *Decepiſtis animas veſtras.*] Qui ſciens 13.
fallit, maximè ſi Diuina aduocetur fides, ſe ipſum decipit potiùs, quam illum, quem fraude lactat, & Diuini nominis religione ſeducit: qui ſuo ſibi capiti potiùs, quàm alieno, infortunium parat. Etenim ſibi neceſſitatem imponit, cui ſi minùs ſatiſfecerit, periurus eſt, & religionis violatæ reus, cui à Deo ſupplicium, neque breue, neque exiguum decernitur.

Vos enim miſiſtis me.] Verba repetit, quæ audiuit 14.
à Iudæis, cùm publicis precibus ſollicitatus fuit, vt à Deo diſceret, quid facto opus eſſet. Quę verba in ipſorum caput obteſtatur, niſi obligatam Deo fidem religioſè liberent, Diuinúmque ſequantur oraculum, quamcunque in partem vocet per Prophetam.

Verſ. 21. *Et annunciaui vobis hodie, & non audi-* 15.
ſtis.] Ex quo adierũt Ieremiam Iudæi, orauerúntque, vt à Deo peteret oraculum, ad hunc temporis articulum decem dies tranſierant, vt habes ſuprà verſu 7. quo tempore, vt eſt hominum ingenium inconſtans, & volubile, & (vt aiunt) pluma, atque aura leuius, iam ſtatuerant, vt apparet, in Ægyptum reuerti, non curantes, aut quod per Ieremiam Deus conſilium probaret, aut quam ipſi Ieremiæ, ac Deo fidem obligarant. Quare, cũ Propheta certis coniecturis intellexiſſet, qua fronte, atque animo accepturi eſſent Diuinum oraculum; quid denique, vbi illud audierint, reſponſuri, ad illorum nunc mentes, & cogitata reſpondet; quaſi iam audiiſſet, quæ capite ſequenti non minùs impiè, quàm ſtolidè dixerunt, & grauiſſima mala, propter Ægyptiam illam profectionem, denunciat.

ARGVMENTVM CAPITIS XLIII.

D*ISTVLERAT ad decimum vſque diem Ieremias reſponſum, quia (vt arbitror) nullum per id temporis acceperat oraculum. Eo autem tempore populus ille, quo erat ingenio, in omnem auram planè volubili, ſtatuerat ſibi in Ægyptum eſſe proficiſcendum, nil habens penſi, quod Deus per Ieremiam conſilium probaret, quod perſanctè Ieremiæ, ac Deo fidem obligauiſſet. Quare reſpondent omnes mendacem eſſe Prophetam, inſtigaríque magis verbis Baruch, cuius ipſis fides & animus eſſent ſuſpecta, quàm Spiritu afflatum eſſe Diuino. Idcirco nihil cunctati, qui in Iudæorum reliquiis Principes erant, totum populum ſecum ad Ægyptios abducunt. Vbi autem ventum eſt Taphnim, ad re-*

giam

giam nimirum ciuitatem, & regni caput, iubetur Ieremias, ſigno quodam hieroglyphico ſignificare tam Iudæos, quàm Ægyptios, quorum ſe fidei, ac tutelæ crediderant, in Chaldæorum poteſtatem eſſe venturos: neque parcendum eſſe delubris, ac diis, quibus Ægyptÿ ſupplicant: illa enim comburentur igne, hi aut comminuentur, aut cum Ægyptiis abducentur captiui.

IEREM. CAP. XLIII.

1. *Factum eſt autem, cùm compleſſet Ieremias loquens ad populum vniuerſos ſermones Domini Dei eorum, pro quibus miſerat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc:*

2. *Dixit Azarias filius Oſaiæ, & Iohanan filius Caree, & omnes viri ſuperbi, dicentes ad Ieremiam: Mendacium tu loqueris: non miſit te Dominus Deus noſter, dicens: Ne ingrediamini Aegyptum, vt habitetis illic.*

3. *Sed Baruch filius Neriæ incitat te aduerſùm nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem.*

4. *Et non audiuit Iohanan filius Caree, & omnes Principes bellatorum, & vniuerſus populus vocem Domini, vt manerent in terra Iuda.*

5. *Sed tollens Iohanan filius Caree: & vniuerſi Principes bellatorum, vniuerſos reliquiarum Iuda, qui reuerſi fuerant de cunctis Gentibus, ad quas fuerant antè diſperſi, vt habitarent in terra Iuda:*

6. *Viros, & mulieres, & paruulos, & filias Regis, & omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan Princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam, filÿ Saphan, & Ieremiam Prophetam, & Baruch filium Neriæ.*

A

7. *Et ingreſſi ſunt terram Aegypti, quia non obedierunt voci Domini: & venerunt vſque ad Taphnis.*

8. *Et factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam in Taphnis, dicens:*

9. *Sume lapides grandes in manu tua, & abſcondes eos in crypta, quæ eſt ſub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Iudæis:*

10. *Et dices ad eos: Hæc Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum: & ponam thronum eius ſuper lapides*

B

iſtos, quos abſcondi, & ſtatuet ſolium ſuum ſuper eos.

11. *Veniénſque percutiet terram Aegypti: quos in mortem, in mortem, & quos in captiuitatem, in captiuitatem, & quos in gladium, in gladium.*

12. *Et ſuccendet ignem in delubris deorum Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos: & amicietur terra Aegypti, ſicut amicitur paſtor pallio ſuo: & egredietur inde in pace.*

13. *Et conteret ſtatuas domus Solis, quæ ſunt in terra Aegypti: & delubra deorum Aegypti comburet igni.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-TERTIVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Vniuerſos ſermones Domini.*]

1. SERMONES hi ſunt, de quibus proximè capite 42. Satis autem apparet veriſimile, eo tempore, quo dilatum eſt petitum per Ieremiam oraculum à Domino, & mutaſſe populum ſententiam, & meditatum, quid ad Domini vocem, ſeu Ieremiæ verba reſponderet.

2. Verſ. 2. *Et omnes viri ſuperbi.*] Hebraicè הזדים *hazedim*, qui non ſolùm ſuperbi ſunt, ſed etiam audaces, & temerarij. Et re vera non poſſunt non eſſe temerarij, qui ſuo potiùs aguntur nutu, quàm Diuino, neque ab eo ,dinelli patiuntur, quod ſemel ipſorum animo collibuit, etiamſi in contrarium trahat, non humanum ſolùm, ſed Diuinum imperium. Inobedientia, etſi

C

ab aliis cauſis interdum naſcatur, à ſuperbia plerunque naſci, quæ alieno conſilio non facilè cedit, certum eſt. Audi Hugonem de 12. abuſion. *Inobedientia morbus ex tumore ſuperbiæ procedit, ſicut ſanies ex vlcere.* *Inobedientia ex ſuperbia.*

Verſ. 3. *Sed Baruch filius Neriæ incitat te aduerſùm nos.*] Vnde hæc extiterit Iudæorum ſuſpicio de Baruch, omnino diuinandum, partim mihi ex aliqua coniectura, partim ex maleuolentia nata videtur. Ex maleuolentia quidem, & offenſione, quia ille adminiſtet, & antea dudum, & nunc etiam erat Ieremiæ, per quem aliquoties dura, & ingrata populo denunciauerat. Quare, vt capite 36. vidimus, non mitiùs in Baruch, quàm in Ieremiam afficiebantur. Hinc, 3.

 credo,

Baruch cur in odio apud Iudæos. credo, prima maleuolentiæ labes, hæc odij prima fax. Coniectura eſſe potuit apud maleuolum animum non infirma, quia Baruch ad exules Babylonios non ſemel ſcripſerat, vt ex eius prophetia perſpicuum eſt, immo & ad Babylonios ſit profectus, vt ex capite 1. ipſius prophetiæ conſtat. Quare hinc coniectabant viri amentia, & ſcelere præcipites, Baruch eſſe cum Chaldæis commune votum, & conſilium: præſertim cùm vidiſſent, ex reliqua captiuorum turba ſimul cum Ieremia fuiſſe dimiſſum; ideo perfidus exiſtimatur eſſe Baruch, & eiuſdem ſceleris ſocius Ieremias arguitur. Vſque adeò mens in aliquod flagitium intenta dolos machinatur, ac fingit, vt honeſtum nomen impiæ cogitationi prætexat.

4. Verſ. 5. *Vniuerſos reliquiarum Iuda, qui reuerſi fuerant de cunctis gentibus.*] Plurimos fuiſſe oportet eos, qui malè ſano Principum conſilio ad Ægyptios abducti ſunt. Cùm enim plurimi tum ex variis caſibus ex Ieruſalem, tum ex Iudæa ad alias, atque alias regiones Iudaici etiam nominis inimicas profugiſſent; vbi audierunt, exceſſiſſe Chaldæos, bellique reliquiis præfectum eſſe Godoliam; omnes, & ſtudio patriæ, & vt poſſeſſiones iterum adirent, è quibus vel ab hoſtili gladio, vel ab hoſtili metu depulſi ſunt, in patriam remigrarunt. Illud verò mirum, quomodo à paucis numeroſus ille populus abduci potuerit à patria, & in exilium iterum compingi, cuius ærumnas nuper expertus fuerat: maximè cùm contraſtaret Ieremiæ vaticinium, quod antea ſæpe plus quàm vellet, verum eſſe cognouerat. Sed imbellis multitudo, maximè in rebus, in quibus periculoſa videtur eſſe cunctatio, facilè illorum ſiue votis, ſiue conſiliis acquieſcit, in quibus aliquid ſuſpicatur eſſe prudentiæ. Quod vſque adeò verum res ipſa declarauit, vt non Principes ſolùm, ſed promiſcua etiam, & imbellis turba obſtinata pertinacia dixerint capite 44. in Ægypto ſibi omnino commorandum eſſe, & Ægyptiorum ſacra prorſus obeunda.

5. Verſ. 9. *Sume lapides grandes in manu tua, & abſcondes eos in crypta, quæ eſt ſub muro lateritio.*] Vbi ventum eſt Taphnim, nobiliſſimam Ægypti ciuitatem, vbi ſedes erat regia, iuſſit Deus Prophetæ, vt quando verbis à veſano conſilio deterriti non ſunt, quia ad illa aut animum non attenderunt, aut certè non ſatis intellexerunt Iudæi, rebus, & ſignis, quæ & percipi magis, ac diutius ab omnibus, & altiùs infigi mentibus ſolent, irati pectoris minas denunciet; vt ergo oſtendat, nihilo tutiùs in Ægypto futuros à Chaldæorum armis, quàm fuiſſent in Hieroſolymæ reliquiis, mandat, vt lapides aſſumat grandes, quales in magnorum operum fundamentis iaci à cæmentariis ſolent, eóſque abſcondat in loco maximè illuſtri, atque frequenti prope regiam domum, qui futuri ſint fundamentum, & ſedes eius throni, quem ſibi Chaldæus iam Ægyptiorum dominus ſibi excitaturus eſt: vt inde diſcant increduli Iudæi, quàm ſibi parum ſit vſui futura inauſpicata illa, & à Deo damnata commigratio. Hoc planè eſt euertere Ægyptiorum, ac Iudæorum domos, & Chaldæorum extruere. Quod ſæpe Propheta dixerat: *Vt ædifices, & deſtruas.*

6. *Et abſcondes eos.*] Verbum *abſcondo*, occultare ſignificat, ideſt, ab hominum oculis ſubmouere. Quod quia multis modis poteſt contingere, efficitur, vt multis etiam modis hic locus explicari poſſit. Abſconduntur lapides, qui in fundamentis poſiti molem ſuſtentant, quia hi nunquam oculis hominum apparent: & ita mihi videbatur exponendus hic locus, ita vt ex ea lapidum occultatione infoſſa, quæ regiæ ſedis futura eſſet fundamentum, cognoſcerent Iudæi, quàm certum, ac ſtabile futurum eſſet in Ægypto Chaldæorum imperium. Aliter abſcondi poſſunt item lapides cœno, luto, aut, quod in re cæmentaria quotidie fit, intrito ex calce, arenáque commixto: quod quidem eôdem ſpectat: nam ſiue lapides pro fundaméto in foſſam demittas, & abſcondas, ſeu calce tegas, vtrunque fabricæ initium, & argumentum eſt: qua in re diſcriminis nihil inuenio, tantùm eſt in dicendi forma nonnihil differentiæ.

In crypta.] Hebraicè מלט *melet*, quod ex ſententia Rabbi Dauid lutum, ſeu argillam valet, ex quo formantur lateres. Septuaginta *veſtibulum* tranſtulére, nempe regiæ domus, vbi futurus erat Chaldæorum thronus. Vulgatus *cryptam* reddidit, quia aut foſſa eſt, quam fundamentales lapides inſtruunt, & complent, aut vnde effoſſa argilla, ex qua formati lateres: niſi mauis ſubterraneam aliquam ſpeluncam, ſeu fornicem fingere, quæ lateritio muro regiæ domus ſubeſſet: de quo niſi diuinando affirmari nihil poteſt. 7.

Quæ eſt ſub muro lateritio.] Hebraicè במלבן *bemalben*, quam vocem alij fermè omnes à Vulgato *fornacem*, vbi excoquuntur, aut officinam, vbi finguntur lateres, exponunt. Ego vocem iſtam ſignificare puto, quod ad laterum opus quoquo modo pertinet, ſiue ad fingendum lateres, ſiue ad diſponendos arte tectonica, ac cæmentaria, ſiue ad opus ex laterculo fabrefactum: & iuxta hæc facilè videntur Interpretes alij cum Vulgato, & omnes cum Hebraico textu poſſe componi. 8.

Ex his ego diuinando, quod, credo, alij etiam Interpretes faciunt, aut obſcurè admodum coniectando, puto, quo tempore ad Ægyptum exules appulére, in regia domo aliquam eſſe molitionem è laterculo, & prope foſſam eſſe, ex quo pro fingendo latere argilla effoderetur, Ægyptio ſolo familiaris. In quam cryptam, ſeu foſſam Regiæ proximam mitti iubentur lapides, quaſi ibi fundamentum futurum eſſet domus, quam Deus in Ægypto Chaldæorum Regi præparabat. Quæ crypta ab aliis lutum appellatur, per metonymiam, quæ rem contentam pro continenti ponit: quia ex crypta lutum effoſſum erat, ex quo pro lateritio muro argilla ſumebatur. Quod verò alij pro *lateritio muro, fornacem* poſuerunt, aut *laterum officinam*, longè mihi videtur à rei ipſius natura, & dignitate. Quis enim credat (vt demus ad regiam domum aliquam è laterculo acceſſionem fieri) in loco maximè frequenti, ac publico fingi lateres, & ibi fornacem eſſe, fumúmque, qui non poterat non eſſe moleſtus genti eleganti, ac lautæ, quæ regiam aulam obire, ac frequentare ſolet? 9.

Quare ego diuinando aliam ſententiam informabam: & putabam, re vera aliquod lateritium opus Ægyptios moliri, aut quod adiunctum eſſet Pharaonis baſilicæ, aut certè proximum. Ibi autem coniectabam cryptam eſſe aliquam, ſeu foſſam pro fundamento, in quam à Ieremia grandes illi lapides demiſſi ſunt. Illam autem foſſam *lutum* dici, ſeu certè foueam, quæ ex effoſſa argilla pro fingendo laterculo plerunque 10.

que relinquitur, non exiſtimabam eſſe nouum, atque difficile, propter ſimilitudinem illam, quã inter aperta alicuius fabricæ fundamenta, & foueam illam argillarem, maximam aſpicimus. Quare hunc ego ſenſum eſſe coniectabam, in cryptam, ſeu foueam, quæ pars eſt fundamenti lateritij muri, mittendos eſſe lapides, ſupra quos regia ſedes Principis Chaldæi erigeretur; quæ verba non obſcurè mihi ſignificabant, regiam illam domum non tam Pharaoni, quàm Nabuchodonoſori à Domino præparari.

11. *Prophetia per ſigna.* *Cernentibus viris Iudæis.*] Quia ad Iudæos vaticinium ſpectat, ideo illos oraculo illi hieroglyphico adeſſe iubet. Eo porro vaticinandi genere vſus eſt Deus per alios Prophetas perſæpe, tum B per Ieremiam aliquando. Sic iuiſſus eſt capite 3. aſtringere ſibi lumbare lineum, illúdque ad Euphratis ripas in petræ foramine recondere; & capite 27. catenas ligneas geſtare publicè de collo ſuſpenſas; capite 19. lagenam fictilem ante Iudæorum oculos confringere; capite 32. cùm proximè eſſet, vt à Chaldæis caperetur Hieroſolyma, emere ſibi agrum in Anathoth; ſic modò, vt haberent aliquod & ſuæ, & Ægyptiæ ſeruitutis monumentum Iudæi, lapides illos Chaldaici dominatus quaſi principium publicè ſubſterni iubet.

12. *Regvla. Verba quædam nomen aliquod ſubaudiunt.* Verſ. 10. *Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor.*] Sicut *moueo*, & *ſoluo*, & *appello*, & nonnulla alia Latina verba accuſatiuum ſubaudiunt ipſis familiarem; *moueo* quidem *caſtra*; duo verò alia *nauem*; ſic apud Hebræos verbum *mitto*, aliquid ſibi cognatum, & familiare ſubaudit: quale eſt, *exercitus*, *nuncius*, *epiſtola*, & ſimilia. exempla paſſim obuia. Hic *nuncium* intelligo, aut quod Deo pro nunciis eſſe ſolet, inſpirationem putà, aut cogitationem, quibus Deus non ſolùm monere, ſed etiam vrgere cunctantes ſolet.

13. *Seruus dicitur Dei, qui eius conſilio ſeruit, licèt iniuſtus.* *Seruum meum.*] Seruus dicitur Dei, qui Dei voluntatem vtcunque complet, ſiue ſciens, ſiue ignorans, ſiue vltrò, ſiue inuitus; ſiue id agat, vt Diuino conſilio, atque imperio ſeruiat, aut ſuam ſibi commoditatem, & voluptatem captet. Quo ſenſu Cyrus ſeruus dici potuit Dei, tametſi illum non tam amor raperet Dei, quàm diuitiarum cupiditas, & ambitionis æſtus. Sic item Nabuchodonoſor ſeruus appellatur capite 25. verſu 9. & capite 27. verſu 6. cuius tamen conſilia aliò ſpectabant, quàm vt Deo placerent.

14. *Et ponam thronum eius ſuper lapides iſtos.*] Explicat Deus, quò ſpectet hieroglyphicum illud vaticinium; lapides nimirum aut obliti cæmentario luto, aut in cryptam, & foueam altè defoſſi. Dicit enim Deus ſuper lapides illos excitatum iri à ſe Chaldæorum ſolium, quod ſic, agente Deo, dilatabunt, vt inde Ægypto toti latè, & pro ſua potentia, vt volent, imperitent.

15. Verſ. 11. *Quos in mortem, in mortem, quos in gladium, &c.*] Hebraica phraſis eſt, qua ſignificatur tam Ægyptios, quàm Iudæos ab hoſte Chaldæo variè fore mulctandos. De hoc dicendi genere plura nos ad eadem propè verba capite 15. verſu 2. Illa conſule.

16. Verſ. 12. *Et captiuos ducet illos.*] Sicut ab aliis regionibus priùs ablata ſunt à Babyloniis ſimulacra, & ſimul cum eorum adoratoribus in captiuitatem abducta: ſic nunc idem minatur Deus Ægyptiorum idolis, quibus etiam Iudæi, Gentilico ritu, Diuinos impenderunt honores, vt habes capite ſequenti: nam & ipſa eandem cum

A Ægyptiis ignominiam, & captiuitatem ſubierunt: ſicut Chamos ante Moabitarum idolum, de quo infrà capite 48. verſu 7. *Ibit Chamos in tranſmigrationem, Sacerdotes eius, & Principes eius ſimul.* & Melchon Ammonitarum Deus, de quo infrà, capite 49. verſu 3. vbi eadem prorſus, quæ de Chamos. Quod item de Chaldæorum idolis confractis, & ablatis à victore Perſa dixit Iſaias capite 46. vbi nos ea de re pluribus.

Verſ. 13. *Et amicietur terra Aegypti, ſicut amicitur paſtor pallio ſuo.*] Variant hic Interpretes tum 17. *Prove.*
in explicanda metaphora, tum etiam ſignificatione metaphoræ. Chaldæus ita vertit: *Amiciet terram Aegypti* (Nabuchodonoſor) *ſicut amicitur paſtor veſtimento ſuo.* ideſt, non aliter ſuis copiis cinget, & obteget Ægyptum totam, quàm totum ſe paſtor tegit, atque obuoluit pallio. Chaldæo ſubſcribunt Dionyſius, & Lyra; Hugo amiciendam eſſe dicit terram Ægypti, ſed alio ſenſu: nempe, profuturum eſſe nihil Ægypto, etiam ſi ſe munitionibus, atque armis operiat, ſicut paſtor in pluuia vehementi, & graui frigore, tueri ſe non poteſt, quantumuis ſuo ſe tegumento obuoluat, & muniat: ſed cum hac expoſitione non ſatis, quæ ſequuntur, conueniunt.

Mihi multò probatur magis illa ſententia, 18.
quam à Rabbi Dauid alij fermè omnes acceperunt: qui hac dicendi forma totam Ægyptum C futuram eſſe prædæ exiſtimant hoſti Chaldæo: vt enim paſtor, cùm ex vno loco in alium gregem traducit, nil omnino relinquit in eo loco, ex quo proximè diſceſſit; quia, quod ad ſe pertinet, nihil habet aliud, quod ſumat, & deponat, præter pallium; qui vbi primùm ſe migraturus obuoluerit, fert ſecum quod de Scythis dictum eſt à Marone, *tectúmque larémque.* Vt ergo paſtor facilè totam domum, ac ſupellectilem transfert, neque prioris domicilij tenue aliquod veſtigium relinquit; ſic Chaldæus totam reuerſurus in patriam auehet Ægyptum, ea facilitate, qua paſtor ſuum, quocunque voluerit, circumfert tegumentum. Verba autem Hebræa ſic reddo: Induet, aut aptabit ſibi Nabuchodonoſor terram D Ægypti ad eum modum, quo paſtor induit, aut aptat ſibi veſtimentum ſuum.

Septuaginta eundem exprimunt ſenſum: nem- 19.
pe, futurum nihil in terra Ægypti, quod in Chaldæorum poteſtatem non veniat; ſed exprimunt figura longè diſſimili, prouerbiali tamen ſicut *Prov.* Vulgatus: *Sicut pediculis purgat paſtor veſtimentum ſuum.* Hoc ergo prouerbio duo ſignificari putat Theodoretus: & per ſummum otium, & quietem ſcrutaturos eſſe Chaldæos Ægyptiorum exuuias, quod faciunt paſtores in perpurgando à pediculis tegumento, qui ſanè tunc opus illud aggrediuntur, cùm otioſi ſunt, & nihil timent: tum etiam nihil bonorum eſſe relinquendum, E neque ſanè quod minimum eſt, & maximè occultum: ſicut paſtor occultiſſimas quaſque ſcrutatur latebras, ne ipſius diligentiam vel tenuiſſimus pediculus effugiat. Et quidem Hiſpanus, cùm omnia diligenter inueſtiganda, atque excutienda ſignificare vult, verbum adhibet, quod huic Latino reſpondet, *Eſpulgar.* Alia metaphora vſus eſt in eandem ſententiam Sophonias capite 1. verſu 12. cùm ageret de Ieruſalem, ex qua opimæ relatæ ſunt exuuiæ, *Scrutabor Ieruſalem in lucernis.*

Et conteret ſtatuas domus Solis.] Apparet, tem- 20.
plum aliquod conſecratum eſſe Soli, maximéque

fuiſſe

Heliopolis ſuperſtitioſa.

fuiſſe religioſum apud Ægyptios. Sed credo, non tam delubrum eſſe aliquod, quàm ciuitatem Deo conſecratam: quam à Sole Græci dixerunt Heliopolin, ideſt, ciuitatem Solis, cuius crebra in Scriptura mentio: de qua nos plura apud Iſaiam capite 19. verſu 18. vbi oſtendimus, ciuitatem illam omnium maximè idolorum impiæ religioni deditam. Certè Strabo libro 17. Heliopolim A Sacerdotalem ciuitatem eſſe dicit, & ibi amplas eſſe Sacerdotum domos. Hinc puto Hebræos, qua erant animi leuitate, & in omnem ſuperſtitionem proni, ſicut ad Ægyptiorum imitationem vitulos conflauerunt aureos, ſic etiam ædificaſſe ciuitatem, quam ad illorum normam vocauerunt Bethſames, ideſt, Heliopolim, ideſt, domum Solis.

ARGVMENTVM CAPITIS XLIV.

CONSEDERANT Iudæi in Ægypto, neque iam putabant aliquid ſibi ampliùs timendum à Chaldæis: illorum tamen pacem, atque otium impendentis calamitatis metu exagitat, & turbat. Iubet eos memoria repetere parentum, Regúmque ſuorum ſtudia, propter quæ exciſa eſt Hieroſolyma, & illi ad illum vſque diem extrema paſſi. Cúmque ipſi eadem impura ſacrificia obeant, neque minoribus ſe flagitiis adſtringant, idem quoque affirmat ſubituros eſſe ſupplicium. Nihilo tamen ſegniùs Iudæi, qui in Aegyptium ſolum migrarant, ſacrificandum ſibi Reginæ cæli, implendúmque votum, quod in illius obſeruantiam religioſè conceperant. Propter quod Deus grauiſſimo interpoſito iuramento, tam ipſos, quàm Pharaonem, in cuius ſe fidem, atque tutelam dederant, Chaldæorum, quorum vim, & arma formidabant, poteſtati, ac ferro tradendos eſſe dicit.

IEREM. CAP. XLIV.

1. *VErbum, quod factum eſt per Ieremiam ad omnes Iudæos, qui habitabant in terra Aegypti, habitantes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in terra Phatures, dicens:*

2. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Vos vidiſtis omne malum iſtud, quod adduxi ſuper Ieruſalem, & ſuper omnes vrbes Iuda: & ecce deſertæ ſunt hodie, & non eſt in eis habitator:*

3. *Propter malitiam, quam fecerunt vt me ad iracundiam prouocarent, & irent vt ſacrificarent, & colerent deos alienos, quos neſciebant & illi, & vos, & patres veſtri.*

4. *Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, de nocte conſurgens, mittenſque & dicens: Nolite facere verbum abominationis huiuſcemodi, quam odiui.*

5. *Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam, vt conuerterentur à malis ſuis, & non ſacrificarent diis alienis.*

6. Et

IN IDEM CAP. PARAPHR.

B 1. HOc eſt verbum, quod accepit Ieremias à Domino, vt omnibus deinde Iudæis annunciaret, qui in Ægypto conſederant, quíque habitabant Taphni, Magali, Memphi, & in regione Phatures.

2. Vos, inquit Dominus, vidiſtis, quot ego incommodis affecerim Ieruſalem, & ciuitates omnes, quæ ſunt in toto Iudæorum tractu; & cernitis, quomodo derelictæ ſunt omnes, & ab habitatore deſertæ.

3. Hæc paſſi ſunt ciues, & contribules veſtri, propter peccata, quibus meum in ſe C furorem inflammarunt. Diſceſſerunt etenim à me, ſacrificiiſque, atque alio religioſo cultu deos illos venerati ſunt, quos & ipſi, & eorum parentes ignorabant: quod etiam vos nunc facere tentatis.

4. Miſi autem ad vos ſatis maturè, ac ſedulò Prophetas meos, qui vos ab his abominationibus abducerent, quas ego vehementer horreo.

5. Illi verò tam longè fuerunt, vt audirent, vt neque ad audiendum aures inclinauerint, quo & peccata deſererent, quibus ſe turpiter implicuerant, & ſacrificia

illa

6. *Et conſlata eſt indignatio mea & furor meus, & ſuccenſa eſt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem: & verſæ ſunt in ſolitudinem & vaſtitatem ſecundùm diem hanc.*

7. *Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Quare vos facitis malum grande hoc contra animas veſtras, vt intereat ex vobis vir & mulier, paruulus & lactens de medio Iudæ, nec relinquatur vobis quidquam reſiduum:*

8. *Prouocantes me in operibus manuum veſtrarum, ſacrificando diis alienis in terra Aegypti, in quam ingreſſi eſtis vt habitetis ibi: & diſpereatis, & ſitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus terræ?*

9. *Numquid obliti eſtis mala patrum veſtrorum, & mala Regum Iuda, & mala vxorum eius, & mala veſtra, & mala vxorum veſtrarum, quæ fecerunt in terra Iuda, & in regionibus Ieruſalem?*

10. *Non ſunt mundati vſque ad diem hanc: & non timuerunt, & non ambulauerunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis, & coram patribus veſtris.*

11. *Ideo hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: & diſperdam omnem Iudam.*

12. *Et aſſumam reliquias Iudæ, qui poſuerunt facies ſuas vt ingrederentur terram Aegypti, & habitarent ibi: & conſumentur omnes in terra Aegypti: cadent in gladio & in fame: & conſumentur à minimo vſque ad maximum in gladio, & in fame morientur: & erunt in iuſiurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium.*

13. *Et viſitabo ſuper habitatores terræ Aegypti, ſicut viſitaui ſuper Ieruſalem, in gladio, & fame, & peſte.*

14. Et

A illa deteſtarentur, quæ in deorum cultum iam antè moliebantur.

6. Hinc conceptus furor, & indignatio conflata, quæ inſtar flammæ in ciuitatibus Iudæ, ipsiſque plateis Hieroſolymæ ſic eſt graſſata vehementer, vt omnia ſint ad ſolitudinem vſque vaſtata, vt nunc ſpectare cuilibet promptum eſt.

7. Nunc autem ſic ad vos Dominus exercituum: Quare in vos, genúſque veſtrum tam grauiter peccaſtis? Id enim agitis, dum prodita patria religione ad impiā
B ſuperſtitionē aſpiratis, vt extinctis ex omni ætate, ac ſexu contribulibus, Iudæorū genus, & nomen prorſus extinguatur.

8. Furorem námque meum ad vindictam acuitis, dum operibus, quæ manus veſtræ finxerunt, dolarúntve, Diuinos impenditis honores, & ſtata decernitis ſacrificia in terra Ægypti, ad quam nunc eo conſilio commigraſtis, vt ibi vobis domicilium paretis. Ex quo orietur vobis certa pernicies, eáque tam grauis, ac nota, vt omnes gētes è ruina veſtra maledictionis,
C & opprobrij nomen, & materiam arripiant.

9. An excidit vobis è memoria, quæ mala patres veſtri, quæ Reges Iuda, & vxores cuiuſlibet eorum, quæ vos, & vxores veſtræ in Iudæa patrauerint, & in toto tractu Solymitano?

10. Cùm vexati diu fuerint, & expiatoriam vim quandam vehementem experti, adhuc tamen in antiquis ſordibus obſtinatò hærent. Neque enim timuerunt me, aut iuxta datam à me legem vitam inſtituerunt, quaſi aliena reputarent præcepta, quæ patribus veſtris, ac vobis
D ego præſcripſi.

11. Quia ergo antiquum ingenium, & ſenſum retinetis, ait Dominus, ego eò meum conferam ſtudium, vt affligam vos, & quod reliquum eſt è Iudæorum genere diſperdam.

12. Aſſumam igitur tanquam ſcopum, meo propoſitum furori, reliquias Iuda, quæ eò obfirmarunt animum, vt ad Ægyptios commigrarent, ibíque ſtabilem ſibi ſedem conſtruerent. Omnes igitur ſic accipientur durè, vt in Ægypto pereant, alij ferro, alij fame: omnes, inquam, ad vnum
E interibunt, aut fame conſumpti, aut confoſſi gladio: ídque adeò crudeliter, & miſerè, vt qui norint, ſtupeant, ſumántque inde nomen, atque materiam ad iuſiurandum, execrationem, & conuitium.

13. Et eos, qui habitare voluerunt apud Ægyptios, ſic accipiam, ſicut accepti ſunt, & vexati, qui paulò antè habitarunt Hieroſolymam, gladio nimirum, peſti, famíque tradam.

14. Neque

14. *Et non erit qui effugiat, & ſit reſiduus de reliquiis Iudæorum, qui vadunt vt peregrinentur in terra Ægypti: & reuertantur in terram Iuda, ad quam ipſi eleuant animas ſuas vt reuertantur, & habitent ibi: non reuertentur niſi qui fugerint.*

15. *Reſponderunt autem Ieremiæ omnes viri ſcientes quòd ſacrificarent vxores eorum diis alienis: & vniuerſæ mulieres, quarum ſtabat multitudo grandis, & omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes:*

16. *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te:*

17. *Sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, Reges noſtri, & Principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem: & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malúmque non vidimus.*

18. *Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.*

19. *Quòd ſi nos ſacrificamus reginæ cæli, & libamus ei libamina: nunquid ſine viris noſtris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libandum ei libamina?*

20. *Et dixit Ieremias ad omnem populum, aduerſùm viros, & aduerſùm mulieres, & aduerſùm vniuerſam plebem, qui reſponderant ei verbum, dicens:*

21. *Numquid non ſacrificium, quod ſacrificaſtis in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, vos & patres veſtri, Reges veſtri, & Principes veſtri, & populus terræ, horum recordatus eſt Dominus, & aſcendit ſuper cor eius?*

22. *Et non poterat Dominus vltrà portare propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominationes, quas feciſtis: & facta eſt terra veſtra in deſolationem, & in ſtuporem, & in maledictum, eo quòd non ſit habitator, ſicut eſt dies hæc.*

23. *Pro*

A 14. Neque erit vllus, qui gladium effugiat, ac peſtem ex his, qui peregrinari volunt in Ægypto, quíque eo ſunt profecti conſilio, vt aliquando ſubſiſtant ibi, & in patriam deinde reuertantur: eò enim aſpirat animus illorum, ſed non illi vnquam reuertentur, niſi fortè ſi qui gladium effugerint, qui futuri ſunt admodum pauci.

15. Ad has Ieremiæ minas reſponderunt tam viri, qui norant, vxores ſuas impia obire ſacrificia, quàm fœminæ ipſæ, quæ diis ſacrificabant alienis, quarum ingens erat multitudo, omnis denique po-
B pulus, qui in Phatures Ægyptia ciuitate conſederat.

16. Ne pergas moleſtus eſſe nobis, ô Ieremia: neque enim nos ad ea, quæ Dei nomine proponis, obſequentes habebis.

17. Nuncupauimus Reginæ cæli ſacrificia, & vota, illa nos ſedulò, atque diligenter impleamus, neceſſe eſt. Sicut eadem religionis conſtantia fecimus olim nos, & patres, & Reges noſtri in vrbibus Iuda, & in omnium oculis, in ipſis plateis Ieruſalē. Quo tempore neque fame labo-
C rauimus, neque quidquam mali ſumus experti, ſed omnia nobis acciderunt è votis.

18. Ex quo verò religioſum illud officium interrupimus, & Lunæ, ſeu Reginæ cæli libare, ac ſacrificare deſiimus, neque ad victum nobis ſufficit panis, & fame, ferróque cecidimus.

19. Quòd ſi Reginæ cœli curamus, offerimúſque libamina, nunquid non in eam curam ſuam quoque conferunt operam viri noſtri? Nunquid ad fingendas placentas, aliáque libamina, non ipſi quoque
D nobiſcum incumbunt?

20. Tunc ſic Ieremias ad omnem populum, tam ad viros, quàm ad eorum vxores, reliquámque multitudinem, quæ adeò ſtultè, & inuerecundè reſponderat:

21. Nunquid cùm ſimilia ſacrificia in ciuitatibus Iuda, & in Hieroſolymæ plateis obiretis, vos, & parentes, ac Reges veſtri, & terræ denique populus, violatæ religionis crimen impunè tuliſtis? Nónne Deus, qui vobis aut non videre, aut non curare putabatur peccata veſtra, quia abi-
E re ſinebat impunita, recordatus eſt, & inflicto ſupplicio declarauit, neque ſibi occulta, neque probata aliquando fuiſſe?

22. Quare Deus cùm iam veſtram in peccando proteruiam ſuſtinere nō poſſet, quia iniqua eſſe videbat ſtudia veſtra, & opera prorſus execranda, regionem veſtram ſic euertit, vt in ſolitudinem redacta ſit; ita vt omnes aut obſtupeſcant, aut maledicant, & inſultent, cùm illam videant ab habitatore deſertam, ſicut illam
hodie

23. Propterea quòd ſacrificaueritis idolis, & peccaueritis Domino: & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in præceptis, & in teſtimoniis eius non ambulaueritis: idcirco euenerunt vobis mala hæc, ſicut eſt dies hæc.

A hodie vacuam, & abiectam eſſe videmus.

23. Neque alia fuerunt veſtra, parentúmque peccata, quàm quæ vos hodie animo deſignaſtis: ideo enim illa tanta pertuliſtis incommoda, quia diis ſacrificaſtis alienis, quia peccaſtis in Dominum, & ad eius vocem aures obſtruxiſtis; neque ad eius præceptorum normam animos veſtros informaſtis. Idcirco āduenerunt vobis mala, quæ in præſenti ſuſtinetis.

24. Dixit autem Ieremias ad omnem populum, & ad vniuerſas mulieres: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui eſtis in terra Aegypti:

24. Dixit præterea Ieremias ad omnem populum, & ad illas præcipuè fœminas, B quæ priùs ſtultè, atque inuerecundè reſponderant: Audite verbum Domini, ô gens Iudæa; audite omnes, quotquot Ægyptiam regionem habitatis.

25. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Iſraël, dicens: Vos, & vxores veſtræ, locuti eſtis ore veſtro, & manibus veſtris impleſtis, dicentes: Faciamus vota noſtra, quæ vouimus, vt ſacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina: impleſtis vota veſtra, & opere perpetraſtis ea.

25. Vos, & vxores veſtræ, dicit Dominus, quod ore protuliſtis votum, iam anteà mente in deorum fallacium obſeruantiam conceptum manibus veſtris, atque opere compleſtis. Vos etenim mutuò cohortabamini, vt quæ nuncupaſtis vota conſtanti, ac religioſa fide ſolueretis; vt ſacrificia, ac libamenta ad Reginæ cæli fanum, aut C aram portaretis; impleſtis vota, & fidem veſtram opere ipſo liberaſtis.

26. Ideo audite verbum Domini omnis Iuda, qui habitatis in terra Aegypti: Ecce ego iuraui in nomine meo magno, ait Dominus: quia nequaquam vltrà vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi, dicentis: Viuit Dominus Deus in omni terra Aegypti.

26. Audite igitur verbũ Domini, quotquot Ægyptias ciuitates colitis. Iuraſtis vos, & iurata cõpleſtis adductis ad impias aras ſacrificiis. Et ego per memetipſum iuro, dicit Dominus, quod magnum iuramentum eſt, quia ego quoque magnus ſum, & multò quàm vos fideliùs, atque potentiùs præſtabo, quia nõ iam ampliùs qui ſunt in terra Ægypti, pòſt in patriam reuerſi per Deũ viuum, & verum iuramentum concipient, neque illius nomẽ, vel ad teſtandã fidem, D ſeu ad implorandum auxilium vſurpabũt.

27. Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum, & non in bonum: & conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Aegypti, gladio & fame, donec penitus conſumantur.

27. Non, inquam, in patriam reuerſi iurabunt, *Viuit Dominus*, quia ego animo ero vigilanti, atque attẽto, non vt patriæ ipſos, libertatíque reſtituam, ſed vt vexẽ, & perdam. Quare omnes viri Iudæi, qui ſunt in terra Ægypti, moriẽtur. Morientur, inquã, omnes omnino gladio, faméq; conſumpti.

28. Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Aegypti in terram Iuda viri pauci: & ſcient omnes reliquiæ Iuda ingredientium terram Aegypti, vt habitent ibi, cuius ſermo compleatur, meus, an illorum.

28. Reuertentur tamen aliqui, qui gladium effugerint in terram Iuda, qui tamen erunt admodum pauci. Et tunc, qui reliqui E fuerint è communi Iudæorum exitio, qui domicilium ſibi apud Ægyptios poſuerũt, intelligent, quod ſanctius ſit, firmiúſque iuſiurandum. An ipſorum ſermo, qui pacem in Ægypto, & ſecurum in patriam reditum promittit, compleatur; aut meus, qui vtrunque futurum eſſe negat.

29. Et hoc vobis ſignum, ait Dominus, quod viſitem ego ſuper vos in loco iſto: vt ſciatis quia verè complebuntur ſermones mei contra vos in malum.

29. Ne verò exiſtimetis, fidem, atque ſucceſſum ſermonem meum non habiturum, cum vobis certo ſigno confirmo, vt intelligatis, quæ vobis in Aegypto prædicta ſunt mala, certò fore complenda.

30. *Hæc* 30. Ecce

30. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Aegypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius: ſicut tradidi Sedeciam Regem Iuda in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis inimici ſui, & quærentis animam eius.*

30. Ecce ego, dicit Dominus, Pharaonem Ephre, in cuius fide ſpem ſalutis veſtræ, ac libertatis collocaſtis, in hoſtium ſuorum poteſtatem, & in manum eorum, qui ad eius interitum anhelant, deducam; ſicut paulò antè Sedeciam in Chaldæorum manus, qui ipſius exſorbere ſanguinem ſtudebant, victum, conſtrictúmque conieci. Hoc vobis extremæ fortunæ ſignum eſſe volo.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-QVARTVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Verbum, quod factum eſt per Ieremiam ad omnes Iudæos, qui habitabant in terra Ægypti.*]

1. LIBEROS ſe fortaſſe putabant Iudæi, in Ægyptum vſque commigrantes, à propheticis minis; quia regionem illam alienam videbant ab auita religione; neque curare Deum, quid ibi fieret, atque adeò, neque quid factum vellet, per nuncios, ſeu Prophetas denunciare. Vrget tamen Deus, neque mitiora minatur in Ægypto, quàm olim eiſdem, & ipſorum parentibus in Ieruſalem, cùm minùs ſe ſtrenuè ad Diuinæ voluntatis obſeruantiam accingerent. Puto autem in quatuor his ciuitatibus totidem prouincias ſignificari, quæ harum præfecturæ, ſeu diœceſi ſuberant; quia commune eſt in omni fermè natione, vt ciuitas, quæ caput eſt, & prouinciæ metropolis, pro tota prouincia ſupponatur. Quomodo apud Hiſpanos, *Toletum*, *Hiſpalis*, *Valentia*, pro ſubiectis ſibi prouinciis vſurpantur. Hæ porro ciuitates illæ ſunt, opinor, de quibus Iſaias capite 19. verſu 18. quibus addidiſſe videtur Heliopolin, de qua nuper: *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti*, &c. *Ciuitas Solis vocabitur vna.* De Memphi, & Taphni, nihil hîc dicendum, quia in Scriptura frequenter occurrunt. De Magdalo obſeruandum, eſſe ciuitatem, in quam primùm incurrunt, qui è Palæſtina, ſiue Syria, Ægyptum ingrediuntur. Nam filij Iſraël egreſſi de Ægypto, in manſione tertia caſtrametati dicuntur ante Magdalum Numerorum capite 33. verſu 7. & Herodotus libro 2. ab Ægypti Rege Nechao profligatum eſſe tradit Syrorum exercitum ad vrbem Magdalū. Phathures ciuitas, quæ Hebraicè dicitur Patros, vt putat Hieronymus ad illud Ezechielis cap. 29. verſ. 14. *In terra Phathures.*

Caput prouincia, pro tota prouincia.

2. Verſ.2. *Ecce deſertæ ſunt hodie, & non eſt in eis habitator.*] Hinc apparet, quàm fuerit Iudææ regio tota deſerta, cùm nullus in eis habitator dicatur eſſe reliquus. Neque tamen hinc efficitur, nullum omnino in Iudææ finibus eſſe relictum: nam ex Scripturæ conſuetudine tunc nullus aut eſſe, aut feciſſe aliquid exiſtimatur, cùm è magno numero pauci aliquid fecerunt, aut relicti ſunt. Qua de re nos plura ad illud Iſaiæ capite 10. *Conſummatio abbreuiata*, numero 27. ſicut nudus dicitur, qui malè, aut indecorè veſtitus eſt, & ieiunus, qui parcè comedit. Vide Commentarios noſtros in caput 20. Iſaiæ numero 7. & 8. Sic ergo ſine habitatore dicuntur eſſe ciuitates, quia licèt in eis aliquot relicti fuerint, pro ciuitatum tamen amplitudine, antiquáque frequentia exiguus, qui reliquus fuit numerus, pro nullo exiſtimari potuit.

REGVLA. Cùm è magno numero pauci reliqui ſunt, omnes dicuntur periiſſe.

3. Verſ.3. *Vt me ad iracundiam prouocarent.*] Illud, *vt*, non ſemper indicat finalem cauſam, vt diximus ſuper caput 66. Iſaiæ numero 33. ſed conſequutionem. Neque enim ideo peccauerunt Iudæi, vt in ſe ipſos Diuinum furorem inflammarent, ſed adeò ſe in omnem peccandi licentiam proiecerunt, vt Dei in ſe prouocauerint iracundiam.

Vt, non ſemper indicat cauſam finalem.

4. Verſ.4. *De nocte conſurgens.*] Hic dicendi modus ſtudium ardens ſignificat, & curam vigilantem; qualem habere ſolet prouidus paterfamilias, qui nullum tempus otioſum abire patitur à domeſticis. Quare à ſomno dormientes excitat, vt matutinum tempus rebus adminiſtrandis impendant. Eſt autem modus iſte valde huic Prophetæ familiaris. vide plura de hac Hebræorum phraſi, & Dei vigilantia in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam capite 50. numero 23. & 24.

Deus noſtris commodis inuigilat.

Verſ.6. *Et conflata eſt indignatio mea.*] De hac metaphora, eiúſque ſignificatione, atque vſu diximus ſuprà capite 42. verſu 18.

Verſæ ſunt in ſolitudinem, & vaſtitatem ſecundùm diem hanc.] Eo ſenſu ſolitudinem, & vaſtitatem accipio, quo ſuprà illud, *& non eſt habitator. Secundùm diem hanc*, ideſt, vt nunc ſe res habet, vt cuique ſpectare, ac iudicare promptum eſt.

5. Verſ.7. *Vt intereat ex vobis vir, & mulier, paruulus, & lactens de medio Iuda.*] Pauci illi, qui reliqui fuerunt à ferro, ſiue ab exilio Chaldæorum, quaſi quoddam ſemen reſiduum fuit, ex quo Iudæorum propagaretur genus: ne funditus interiiſſe videretur gens illa, quæ propè æquaſſe videbatur ſtellas cæli, & arenam, quæ eſt in littore maris. Quòd ſi ipſi tales eſſe pergant, quales ipſorum parentes extitêre, quos deleuit Dominus, quia ad Prophetarum voces obduruerunt; efficient profectò, ne qua ſit ſpes inſtaurandi, conſeruandíque generis, nominíſque Iudaici.

In alieno periculo diſcendum.

Cadent

Cadent enim non viti ſolùm iam grandiores, & pueri tenelli, ſed è fœminco etiam ſexu illæ, quæ adhuc lactantur, ideſt, cum ramis, & truncis, nobiliſſimæ illius, & latiſſimæ plantæ, ipſæ quoque fibræ exiles euellentur. *De medio Iuda*, idem eſt, quod *de Iuda*: vt enim ſæpe à nobis obſeruatum eſt, *medium* nihil ad ſignificationem addit, ſed tantùm ad ornatum, ídque apud Hebræos, cùm anteceſſiſſet aliqua præpoſitio. Qua de re nos pluribus capite 41. ad illud, *circa medium laci*.

Verſ.8. *Et ſitis in maledictionem.*] De his, vide quæ diximus nuper capite 42. ad eadem propè verba.

6. Verſ.9. *Nunquid obliti eſtis mala patrum veſtrorum?*] Iubet Propheta, vt profugi Iudæi parentum ſuorum flagitia repetant; quídque de illorum ſupplicio Dominus ſtatuerit; vt in illorum capite diſcant, quis ipſorum obſtinatam perfidiam exitus, quæ fortuna maneat. Porro *mala* hoc loco non dicuntur infortunia, quæ & obſeſſi patres, & nunc apud Babylonios captiui patiuntur: ſed peccata, propter quæ, & antea in patria, & nunc in peregrino ſolo malè mulctantur. In illo *vxorum eius*, Hebraiſmus eſt, qui pronomen, aut verbum ſubiicit ſingulare, cum plurale præceſſiſſet nomen. vbi commoda aliqua ſubauditur diſtributio. vt hîc, vxorum cuiuſlibet eorum. Illud, *in regionibus Ieruſalem*, de plateis ciuitatis exponendum eſt. Vocem etenim חצות *chuzoth*, pro qua hîc Vulgatus *regionibus*, in eodem hoc capite, verſu 6. verſu 7. verſu 21. *plateas* reddit. vtrunque aptè, neque diſſimili ſententia; regiones quippe, etiam dicuntur præcipuæ partes ciuitatis. Quomodo quatuor cæli partes totidem cæli regiones appellantur. Et à Cicerone libro 1. de Diuinatione, Romulus lituo ciuitatis regiones metatus dicitur, ideſt, præcipuas quaſque partes ciuitatis. In omnibus itaque plateis ciuitatis peccatum eſſe dicit à parentibus, ideſt, frequenter, & publicè: quod magnum profligati pudoris, ac fidei documentum eſt.

Regio idem eſt quod pars.

7. Verſ.10. *Non ſunt mundati vſque ad diem hanc: & non timuerunt.*] Communiter Interpretes obſtinationem hîc intelligunt populi Iudaici, quem cùm Dominus tot exercuerit, atque afflixerit modis, adhuc tamen ingenium retinet antiquũ, & ſuis, vt antea, ſordibus delectatur. Ad quam explicationem multa tum ab hoc, tum ab aliis Prophetis dicuntur conſentanea. Ieremiæ capite 2. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.* & capite 5. *Attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* De eodem populo Ezechiel capite 24. *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit ex ea nimia rubigo.* Cui ego ſententiæ ita ſubſcribo, vt alia, quam iam propono, mihi non diſpliceat; quæ, niſi fallor, cum conſequentibus magis aptè cohæret. Priùs verò obſeruo, *&*, non copulare ſemper extrema, ſed interdum reddere rationem, vt diximus ſæpe.

Obſtinatio.

8. Tunc verò ſenſum eſſe puto, adhibuiſſe Dominum expiatoriam vim, ad expurgandas ſordes, quæ Iudaico populo, & fœdæ, & plurimæ inoleuerunt; cùm tribulationis fornax incaluerit vehementer, penéque liqueſecerit, diſſolueritque populum, quem aut morti tradidit, aut exilio, quod non longè abeſt à ſepulcro: adhuc tamen accenditur fornax, & intenta eſt manus, vt pœnarum plus ſumat. Hæc verò tam longa; ac ſeuera purgatio adhibita eſt: quia neque Deum timuit gens illa rebellis, neque in Dei legibus ambulauit. Quare iuxta hanc explicationem, non tam dicuntur Iudæi poſt ignes, & incudem non eſſe mundati, quàm Deus ab illorum ſupplicio, quod purgationis genus quoddam eſt, non remouiſſe manus vltrices; neque alium futurum ſe in illos, qui ſe ad illorum mores attemperare voluerint. Cui explicationi bellè aſſonat, quod mox ſubiicitur: *Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum.* Ac ſi dicat: Sic ero in ſumendo de vobis ſupplicio conſtans, ſicut in parentum veſtrorum ſupplicio, quos poſt famem, & gladium, longámque iactationem, adhuc tamen vruntur in Babylonica fornace.

Supplicium peccatoris.

9. Verſ.11. *Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum.*] Quid ſit, faciem ponere, ſeu obfirmare in aliquem locum, tanquam in ſcopum, diximus paulò antè capite 42. verſu 15. Vt autem populus ille poſuit faciem ſuam ſic obſtinatè in Ægypti viam, vt inde propheticis, ideſt, Diuinis hortationibus, ac minis deduci non potuerint: ſic Dominus contrà affirmat, poſiturum ſe faciem in eos, non vt tueatur, amplexetúrque molliter, vt antea, ſed vt mactet, & perdat, ita vt ad vnum omnes miſerabiliter intereant. Porro faciem ponere in aliquem in malum, vſitata eſt Scripturæ phraſis, vt ſuprà capite 21. *Poſui faciem meam in ciuitatem hanc in malum, & non in bonum.* Amos 9. *Et ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.* Ex quo collige, poni Diuinos oculos ſolere ſuper aliquem in bonum, nempe, vt faueat; quo ſenſu dicitur Pſalmo 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos.*

Faciem ponere.

Verſ.12. *Erunt in iuſiurandum, & in miraculum.*] Hic locus iam eſt à nobis ſæpius explicatus, & proximè capite 42. ad eadem verba; vbi quod hîc Propheta vocat *miraculum*, ibi dicit ſtuporem.

10. Verſ.14. *Et reuertentur in terram Iuda, ad quam ipſi eleuant animas ſuas.*] Non eo conſilio in Ægyptum profecti videntur Iudæi, vt ibi ſtabile conſtituant domicilium, ſed vt occaſione captata, ſub Ægyptiorum vmbra, in patriam aliquando remigrarent. A qua cogitatione, atque fiducia deducunt peregrinos illos propheticæ minæ, dum illorum neminem rediturum affirmant; ſed omnes ad vnum fore perituros. Illud hîc obſeruandum, in quo fortaſſe nonnemo Scripturæ ſacræ non admodum peritus hærere poſſit. Nam, cùm dixiſſet proximè, ídque verbis maximè ſignificantibus, nullum è tanto numero fore reuerſurum in Iudæam, nunc oſtendat, reuerſuros eſſe nonnullos, dum ait: *Non reuertentur, niſi qui fugerint.* Et clariùs infrà verſu 27. cùm dixiſſet, *Conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus conſumantur.* & ſtatim addit: *Et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti, in terram Iuda viri pauci.* Hæc à me pluribus explicata ſunt capite 9. numero 19. & 20. inde pete. Porro leuare animam ſuam, idem eſt, quod excitare ſpe concepta reditus. Eadem verba adhibuit ſuprà capite 22. verſu 27.

Eleuare animas.

Regvla. Pauci perinde cenſendi, ac ſi nullus eſſet.

11. Verſ.15: *Reſponderunt autem Ieremiæ omnes viri ſcientes, quòd ſacrificarent vxores eorum diis alienis, & vniuerſæ mulieres.*] Quis crederet, eos, quos tandiu propter ſua parentúmque flagitia, gladius, peſtis, & exilium vexabat, quóſque exilij cauſam ignoraſſe, veriſimile non eſt, maximè cùm id proximè accepiſſent à Propheta, cuius oraculi

Qui ſemel peccat, magnum parat aditum ad peccata maiora.

pondus, & fidem habuiſſe in ſuo, parentúmque capite iam antea didicerant, prodituros eſſe patriam religionem, & obſcœna Ægyptiorum ſacra fore complexuros? Res quidem planè mirabilis, quemquam ſic eſſe veſanum, vt iſta probet, amétque iam antè damnata; & vſque adeò audacem, vt exitium, quod propterea ſubierunt antiqui, non perhorreſcat. Sed, vt dixit ille, nauiter illum impudentem eſſe oportere, qui ſemel tranſgreſſus fuerit verecundiæ fines: ſic nos dicamus, illum, qui datam ſemel fidem fregit, in poſterum fore nauiter infidelem: ſicut etiam, qui è loco plano, & firmo, in lubricum, & pronum lapſus eſt, eodem ſtatim impetu in alia, atque alia incommoda præceps ruit: neque cùm prius illud audimus, poſterius admiramur. Prodidit populus fidem, quam cum iuramento Ieremiæ, & Deo obligarat: inde abiecta ſemel religione, & fronte perfricata, in alia omnia impudens, & temerarius abiit.

12\. Verſ. 16. *Non audiemus ex te.*] Hebraicè, *ad te;* ſeu *in gratiam tui;* vel, *vt tibi placeamus.* Ad hæc námque omnia patet Hebraica vox אלך *elecha,* ſeu, *in re, quam nobis in nomine Domini annuncias, non obediemus tibi.* Sed magis accommodatè ad Vulgatum: *Non audiemus verbum, quod Dominus nobis ex te, ideſt, per te loquitur.*

13\. Verſ. 17. *Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro.*] Duo hìc vota occurrunt Iudæorum genti; alterum, quo promiſerunt Deo vero, capite 42. præſtituros ſe omnino quidquid per Ieremiam ſignificaret Dominus ſibi placere. *Sit* (inquiunt) *Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei, ſi non iuxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus.* Alterum, quo ſe aut cùm de Ægyptia profectione cogitarent, aut cùm in Ægyptum ingreſſi ſunt, obſtrinxerunt, de ſacrificando Reginæ cæli: de priori dicunt ſibi nihil eſſe curæ; poſterius nullo modo prætermittendum fore. Sic autem interpretor illud: *Omne verbum, quod egredietur de ore noſtro.* Quaſi fidem ſuam commendent, quam ſibi conſtantem integram ſeruandam eſſe iactant. Quòd autem Reginæ cæli ſacrificia vouerint, & libamina, liquet ex verſu 25. *Faciamus vota noſtra, quæ vouimus, & ſacrificemus Reginæ cæli.* Sed qui dedecori ſibi eſſe ducunt, non implere vota dæmoni facta, iidem in violata fide, quam Domino dedère, nihil eſſe putant ignominiæ; quod noſtro etiam ſeculo, prò pudor! contingit non infrequenter: nam qui fidem homini dedit, in re etiam turpiſſima, etiamſi datam millies Domino fidem, millies conculcet; dummodo præſtitiſſe ſe aliis probet priorem fidem, tametſi illiberaliter, & turpiter eſſe liberatam, non putat ſe vllam traxiſſe contumeliam.

Peccator magis curat humana, quàm diuina.

Vt ſacrificemus Reginæ cæli.] Quæ ſit Regina cæli, diximus pluribus capite 7. numero 26. inde pete.

14\. *Et ſaturati ſumus panibus.*] Impiæ religioni tribuebant Iudæi, quòd rebus omnibus abundarent, cùm tam ipſi, quàm illorum parentes non iam in ſeceſſu, ac latebris, ſed publicè in compitis, ac plateis, atque adeò in ipſis ſacri templi adytis gentium idolis ſacrificarent. Cùm tamen interea mille ſubierint incommoda, tum à Pharaone Nechao, cui graue cœpit expendere tributum, tum iterum, & tertiò à Nabuchodonoſor, qui rem Iudaicam ſic afflixit, vt penè deleuerit. Dij, quos coluerunt, qui & ipſi pertulerunt non diſſimilia, ad Babylonem quoſdam, alios ad Ægyptum perpulere, vbi inter hoſtes agerent, & ſeruilem vitam inſtituerent. At dum patrium, ideſt, verum Deum coluerunt, habuerunt manna de cælo, aquamè ſilice ſcaturientem, & illa omnia, quæ ſæpe repetuntur in Pſalmis, quæque populus ille ſæpe cantauerat, aut audierat cantari quotidie; ſed peruerſa peccatorum mens facilè in noxiam, atque ſtultam cogitationem tranſuertitur, neque ſalutis, aut vbertatis, ſi qua eſt, auctorem agnoſcit.

Ingratitudo ſtulta.

Verſ. 18. *Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus.*] 15.
Suſtinuerat ſe Deus à vindicta, ferebàtque patienter populi peccata, qui per Prophetas, portenta, & ſigna, peccatricem illam gentem ad ſanitatem, & officium reuocare ſtudebat. Interim verò non ſufficienter modò, ſed etiam abundanter neceſſaria ad vſum, atque delicias largiebatur. Cùm tamen obſtinato conſilio menſuram impleuit peccatorum, immiſit gladium, famem, & peſtem, quam expertus non fuerat antè populus ille; quia adhuc Deus illum ad veniam, & ſanitatem vocabat. Vexatione poſtea nonnihil reſipuit; non ita tamen, vt ad Deum verè conuerſus fuerit, & ex animo, & non etiam ſecum Deos finxerit, & coluerit alienos; & ideo ſtulto errore exiſtimabat, tum laborare ſe fame, & peſte, quando Deum colebat, quia de vero ac ſolido cultu ſibi blandiebatur, cùm tamen ab illo abeſſet quàm longiſſimè; quia externa ſanctitatis ſpecie contentus, internam abiecerat ſanctitatem.

Verſ. 19. *Sine viris noſtris.*] Verba ſunt mulie- 16.
rum, quæ, ſiquid agnoſcunt eſſe culpæ, illud aut eleuant, aut depellunt, dum virorum ſtudiis obſequi ſe dicunt, quorum hortatu, atque imperio impium illud obeunt ſacrificandi genus. Quod quidem non ignorabat Ieremias, quando capite 7. verſu 18. dixit: *Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cæli.* Ex quo intelligitur, non aliter Iudæos in Ieruſalem ſacrificaſſe tunc, quàm modò exules in Ægypto.

Vxorũ culpa ſæpe in viris.

Ad colendum eam.] Vox Hebraica להעציבה *le-* 17.
haazibah, ad varias patet expoſitiones: ſignificat enim turbare, commouere, ſeu afficere triſtitia. Quare quidam ſic exponunt, *ad commouendam,* ſeu *contriſtandam Reginam cæli,* vt noſtræ miſerta calamitatis manum porrigat auxiliarem. Alij per antiphraſim explicãt *ad lætificandam,* ſeu *hilarandam.* Significat præterea laborare, aut fingere aliquid arte ac manu: quomodo ſi quis vas cudat, aut imaginem formet; quo verbo vſus eſt Iob capite 10. *Manus tuæ fecerunt me, & formauerunt me.* Vnde idolum, quia opus eſt manuum hominum, עצב *ozeb* dicitur, quod Latinus optimè expreſſit, cùm vocat ſimulacrum. Hinc nonnulli è maſſa farinacea fingi deorum ſimulacra putant, quæ honoris gratia offerebant in loca ſacra; quibúſque aut cremabantur odoramenta, aut aliquod offerebatur libamenti genus. Ita indicat Tigurina cùm conuertit, *Fecimus ei placentas ad effingendum eam.* Et Lyra putat in rotunda placentarum forma deſcribi, ac figurari imaginem Lunæ. Quod quidem mihi difficile non eſt: nam Gentibus, quarum tunc mores imitabantur Iudæi, familiare fuit, ex ſiligine, alióve farinæ genere deos fingere, illíſque veſci, vt illis eſſent quàm ſimillimi, & in eos maximum illud ederent amoris, & obſeruantiæ ſignum (quod meliori mente,

Panis in deorum ſimilitudinẽ formatus.

Dij gentiles comedere ſoliti.

&

Eucharistiæ vſus. & conſilio planè ſalubetrimo faciunt in Euchariſtia Chriſtiani) ſic Helleſpontiacum Deum ex ſiligine fingebant, edebántque Romani, teſte Martiale libro 14. Epigr.*69.* cuius titulus, *Priapus ſiligineus.* Sic noſtro tempore in regno Mexicano, vt docet Ioſephus de Acoſta in hiſtoria naturali, ac morali Indorum, gens illa barbara idoli cuiuſdam, quod vocabant *Vzli puzli*, imaginem formabat ex farinacea maſſa, illámque illuſo populo epulandam porrigebat. Sic modò non eſt incredibile, ſtultum illum populum imbutum aliena religione in Lunæ ſimilitudinem formaſſe liba, ſeu placentas, illáſque, religionis gratia, vel comediſſe, vel adoraſſe. Neque ab hac ſignificatione receſſit Vulgatus, qui nomen adhibuit generale, nempe, *Ad colendum eam.* Sanè *In cibis varia rerum imagines expreſſa.* vſitatum eſſe olim inter gentes, vt in cibis, maximè quos piſtores arte dulciaria conficerent, putà ex ſaccaro, mellitáque ſiligine, aut placentis varias exprimerent formas; ita Apuleius libro 10. vbi in cibis varias enumerat effigies. *Hic*, inquit, *panes, cruſtula, inuncuulos, hamos, lacertos, plura ſcitamenta mellitula.* Sed optimè Martialis libro 14. Epigrammat. 222. cuius titulus, *Piſtor dulciarius:*

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Extruit, huic vni parca laborat apis.

18. Verſ.21. *Nunquid non ſacrificium, quod ſacrificaſtis in ciuitatibus Iuda*, &c. *horum recordatus eſt Dominus?*] Auertere contendit Propheta ſtolidum illum, & ingratum populum ab impiis ſacrificiis, & impura idolorum ſuperſtitione, propoſito ſupplicio, quod propter eandem inſaniam parentes ſubierunt. Nam & illi in plateis, locíſque maximè frequentibus ſacrificabant, non ſecus atque ſi in media ſtarent Babylone, aut ab Ægyptiis orti natalibus, non alia, quàm Ægyptiorum religione viderentur imbuti. Sed Deus, qui non curare illa ſtulto Iudæorum errore cenſebatur, quia abire ſinebat impunè, recordatus eſt aliquando, id eſt, oſtendit ſe illorum neque eſſe immemorem, neque ſibi vnquam fuiſſe probata. Propterea enim miſſi ſunt Chaldæi, graſſata peſtis, bacchatus gladius, deletúmque propè Iudæorum nomen: neque oportere, vt mitiora ſperent à Deo, cùm minùs iniqua non aggrediantur.

19. *Recordor, pro memoria effectu.* De *recordor*, diximus plura in Iſaiæ caput 43. numero 40. & apud hunc Prophetam capite 2. numero 5. Significat autem non ſemper rem aliquam in memoria tenere, ſed oſtendi aliquo effectu rei alicuius non excidiſſe memoriam. Quod fieri duobus modis plerunque aſſolet, aut cùm beneficiis bene alicuius facta compenſantur, aut cùm ſuppliciis ſcelera plectuntur. Quare ſæpe Deus oblitus eſſe dicitur in ſacra Scriptura, non quòd ille immemor eſſe poſſit, ſed quia non defendit iuſtos, quos opprimi videt, aut non caſtigat impios, qui Sanctorum ceruicibus inſident, aut illorum ærumnis, & lacrymis inſultant. Vulgò etenim homines ita de aliis hominibus ſentiunt, tunc rerum obliuiſci, cùm de illarum memoria documenta non præbent: Scriptura autem ſacra & hominum ſeruat in loquendo modum, & humanos ſenſus Deo, atque affectus accommodat.

20. *Et aſcendit ſuper cor eius.*] Aſcendere ſuper cor, idem penè eſt, quod *recordor*, aut *curo*. Explicatur verò iterum eadem ſententia, dum dicitur Deus recordatus ſcelerum Iudæorum, quo ſenſu nu-

A per explicuimus: & in eius cor aſcendiſſe peccatum, aut peccati memoria, quam procul exiſtimabat abiectam malè ſanus populus à Diuino pectore.

Verſ.22. *Et non poterat Dominus vltrà portare.*] 21. Explicat Dominus, quod paulò antè diximus, *Dei patientia.* numero 15. ſuſtinuiſſe Dominum vltricem manum, donec impleta fuit peccatorum menſura. Accommodat autem Propheta orationis modum ad hominum ſenſus, qui tunc exiſtimantur furorem effundere, cùm iam ampliùs retinere, aut concoquere non poſſunt acerbitatis virus. Sic Iſaias capite 43. *Prabuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* & cap. 1. de eodem argumento: *Laboraui ſuſtinens.*

B Verſ.25. *Vos, & vxores veſtræ loquuti eſtis ore veſtro, & manibus veſtris impleſtis.*] Grauis eſt hic 22. locus, & vehemens contra peccatorem, qui voto, *Graues minæ contra obſtinatum animum.* & iuramento ſancto, ſuum contra impium iuſiurandum opponit, quod non erit minùs firmum, neque minùs ad rem præſtandam efficax, quàm illotum fuit, qui ne voti Reginæ cæli nuncupati viderentur rei, datam iuratámque Domino fidem prodiderunt.

Verſ.26. *Ecce ego iuraui in nomine meo magno, ait Dominus, quia nequaquam vltrà vocabitur nomen tuum ex ore omnis viri Iudæi.*] Hoc eſt Domini iu- 23. ramentum, quod inconcuſſæ fidei pondus habet, quo nihil iis, qui rectè de rebus iudicant, & C ſentiunt, accidere poteſt horribilius. Quòd ſcilicet non iam ampliùs per Deum verum iuramenta concipient, neque illius nomen vel ad teſtandam fidem, ſeu ad implorandum auxilium vſurpabunt, quia vt ſub idolorum vmbra viuere, & illorum ſacra colere voluerunt, ſic in illorum tenebris, & obſtinata perfidia morientur.

Sed eſt adhuc aliquid nobis expediendum: 24. neque enim facile eſt, ſtatuere, quò ſpectent hæ Diuino iuramento minæ firmatæ. Quidam exiſtimant, edici Iudæis, quandiu in Ægypto fuerint, id eſt, toto vitæ tempore colendos eſſe barbaros, & peregrinos deos; neque vnquam veram religionem eſſe repetendam. Quod videntur illa verba indicare, quæ ſtatim ſuccedunt: *In omni terra Ægypti*, quaſi iuraturi non ſint, *viuit Dominus*, quæ religioſi cultus vox eſt, in ea re- D gione, in qua, oraculo Diuino reclamante, conceſſerat. Ita communiter Interpretes. Ego paulò aliter accipio, iuxta ea, quæ dixi ſuprà, numero 10. Non putabant, neque cupiebant Iudæi, apud Ægyptios trahere longam moram, neque diu in alieno ſolo inueteraſcere, ſed id agebant, vt quando meliorem ſtatum habere videretur res Iudaica, in patriam redirent, vbi ſicut parentes olim, ſic ipſi verum colerent Deum, & per eius nomen ſanctè, atque legitimè iurarent. Id ergo negat Deus, edicítque fore, vt neque in patriam E aliquando redeant, neque religionem vnquam repetant, quam impiè prodiderunt. Literam verò: *Nequaquam vltrà vocabitur nomen meum, ex ore omnis viri Iudæi dicentis, Viuit Dominus Deus in omni terra Ægypti*, ſic ordino: Nequaquam nomen meum vocabit, iurabítque per me vir Iudæus, qui eſt in tota terra Ægypti. Cuius rationem ſtatim reddidit, quia omnes in Ægypto gladius conſumet, & fames, præter admodum paucos, qui in patriam reuertentur. Quæ ratio in aliam ſententiam non bene cadit, quia etiam in Ægypto, quanuis ibidem eſſent breui morituri, implorare poſſent Diui-

nium auxilium, & Dei nomen ad iuſiurandum adhibere.

25. Verſ.27. *Et conſumemur omnes viri Iuda, &c. donec penitus conſumantur.*] Quomodo dici verè potuerit, conſumendos eſſe Iudæos omnes in Ægypto, ex illiſque liberatum iri paucos, qui in patriam reuertantur, diximus ſuprà, ad verſum 14. num. 10. vbi hunc etiam verſum explicuimus.

26. Verſ.28. *Et ſcient omnes reliquiæ Iuda ingredientium in terram Ægypti, vt habitent ibi, cuius ſermo compleatur, meus, an illorum?*] Incolumitatem ſibi pollicebantur in Ægypto, breuémque, atque expeditum reditum in patriam: vtrunque negat Dominus; inſultátque vanæ Iudæorum cogitationi, quæ de vtroque ſibi ſtultè blandiebatur, ſucceſſúmque expectare iubet, ex quo quamprimùm diſcent, vter implendus ſit, ſermóne, qui à Deo minarum, & acerbitatis plenus inſonat, an illorum, qui mollis, temerarius, & audax inſipientes lactat.

Verſ.29. *Et hoc vobis ſignum.*] Ne verba Iudæi vacua exiſtimarent, ab euentu, & fide, ſibíque adhuc ſperarent, vel ſalutem in Ægypto, vel reditum in Iudæam, ad iuramenti fidem, quam proximè interpoſuit, ſignum adhibet certum.

27. Verſ.30. *Ecce ego tradam Pharaonem Ephre Regem Ægypti.*] In hoc Pharaone ſpem ſuæ libertatis, & ſalutis locauerant Iudæi: huius igitur captiuitas, & debilitata potentia argumentum eſt, & ſignum extremæ fortunæ, quæ manet Iudæorum reliquias. Argumentum quidem, quia ſi Rex tantus cauere ſibi non potuit à Chaldæorum armis, neque recuſare, quominus in illorum poteſtatem veniret, multò certè minùs ſperare poterunt homines exhauſti, egeni, quíque in ſe iampridem infenſos habuerunt Babylonios; ſigillum verò, vt cùm captum eſſe videant Pharaonem, quod credo accidit in primo conflictu, actum eſſe de ſe putarent. Porro obſcurum eſt, quis ſit iſte Ephre. Quidam nomen eſſe proprium exiſtimant: nam Pharao commune nomen eſt omnibus Regibus Ægypti, ſicut alius Pharao, cuius ſæpe mentio ſub hoc tempus, appellatur Nechao: & ita putant quidam Hebræorum, in quibus eſt Rabbi Dauid. Alij paronomaſiam eſſe putant in Pharaone, & Ephre, quæ magis ſe prodit in Hebraicis, quàm in Latinis vocibus. פרע *para* enim, vnde deducitur פרעה *Pharao*, nudare ſignificat, Ephre Hebraicè eſt הפרע *cophra.* Putant ergo ח *cheth* poſitum eſſe pro ה *he*, & eſſe in benoni coniugationis hophal, quod ſignificat nudatum, debile, claudum. Hunc itaque putant eſſe ſenſum: Faciam, vt Pharao, iuxta ſui nominis etymon, ſit Ephre, ideſt, nudatum, claudum, deficientem. Quomodo ſiquis diceret, *Faciam, vt Claudius ſit claudus, vt Cæſar ſit cæſus, vt in Sedecia appareat Dei iuſtitia*, &c. Hæc fortaſſe vera; ſed in his peruestigandis non magnum eſt operæpretium: maius erit, ſi quomodo victus fuit hic Pharao, & Iudæi, qui in fidem ſe dederunt Ægyptiorum, malè mulctati, explicemus, quod in ſacra Scriptura non habemus; docet tamen Ioſephus, cuius hæc ſunt verba libro 10. Antiquitatum capite 11. *Quinto poſt excidium Hieroſolymitanum anno, qui fuit regni ipſius Nabuchodonoſoris vigeſimuſtertius, cum magnis copiis inuaſit Cœleſiriam, qua ſubacta bellum geſſit contra Ammonitas, & Moabitas; & his quoque perdomitis, Ægyptum hoſtiliter eſt ingreſſus, occiſóque, qui tunc regnabat, & alio Rege conſtituto, repertos ibi Iudæos rurſus captiuos Babylonem abduxit.*

Ægypti, & Iudæorum vaſtitas.

Pharao Ephre.

Nabuchodonoſor varias ſubiicit nationes.

Hæc eſt poſtrema prophetia, quam à Ieremia nunc habemus: nam quæ poſtea ſequuntur, vt 28.
ex earum titulis apparet, longè ante hoc tempus propoſitæ fuerunt: Lamentationes verò, & caput 52. res præteritas aut narrant, aut deplorant; quare in illis Hiſtoricum agit Ieremias potiùs, quàm Prophetam.

ARGVMENTVM CAPITIS XLV.

EFFVGERAT Baruch impij Regis Ioacim ſacrilegas manus, qui tam in ipſum, quàm in Ieremiam durius aliquid, & hoſtile moliebatur. Cùm autem ſecundò librum iuſſus eſſet excipere, ac legere, timebat, neque fruſtrà, ne Rex accenſus furore in ipſius caput ſeueriùs conſuleret. Quare dolet, & queritur, nullum eſſe ſibi tempus à periculo vacuum; quem tamen conſolatur Dominus, cùm illum è communi cæde futurum eſſe liberum promittit.

IEREM. CAP. XLV.

1. *VErbum, quod locutus eſt Ieremias Propheta ad Baruch filium Neriæ, cùm ſcripſiſſet verba hæc in libro ex ore Ieremiæ, anno quarto Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda, dicens:*

2. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad te Baruch:*

3. *Dixiſti: Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboraui in gemitu*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. HÆc Ieremias dixit ad Baruch, filium Neriæ, cùm exciperet verba, de quibus ſuprà, Ieremia dictante, anno videlicet quarto Ioacim, filij Ioſiæ Regis Iuda.

2. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad Baruch:

3. Dixiſti, ô Baruch, apud te: Heu mihi, cui nec momento temporis ſecurum licet

gemitu meo,& requiem non inueni.

A licet eſſe, aut ſine dolore. En quomodo dolori ſuccedit dolor. Laboraui nuper, & ingemui, & cùm videbar nonnihil reſpiraſſe, requiem non inuenio, ſed in eadem rurſus pericula compingor.

4. *Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce quos ædificaui, ego deſtruo: & quos plantaui, ego euello, & vniuerſam terram hanc.*

4. Nimis es delicatus, & mollis, ô Baruch, plus tibi concedi ſtudes, quàm modeſtum decet. Ecce ego, quos plantaui, ab imis radicibus extirpo; quos ædificaui, à fundamentis demolior; neque in vniuerſa terra quidquam inconcuſſum, aut immune relinqui patior.

5. *Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam malum ſuper omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in ſalutem in omnibus locis, ad quæcunque perrexeris.*

B 5. Et interea tu mollia, inaudita, & rara tibi deſideras? non æqua poſtulas, ô Baruch. Nihilominus aliquid habebis eximium à liberalitate mea. Cùm enim grande malum in omnem carnem, genúſque Iudaicum graſſaturum ſit, à communi te cæde incolumem præſtabo, & quamcunque in partem profectus fueris, ne qua vitæ tuæ vis afferatur, efficiam.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-QVINTVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Verbum, quod loquutus eſt Ieremias Propheta ad Baruch.*]

1. QVO anno verbum iſtud audierit à Ieremia Baruch, ſtatim oſtenditur, dum annus quartus nominatur regni Ioacim filij Ioſiæ, quando ſcripſit librum Ieremia dictante, de quo ſuprà capite 36. propter quem ab offenſo Rege comprehendi iuſſus eſt, à quo extrema omnia ſubiturus videbatur, niſi Deus contra Regis inſaniam vtriuſque Prophetæ incolumitati maturè caniſſet. Contigit autem illa Regis infenſi veſania, & Prophetarum liberatio, anno fermè decimooctauo ante Hieroſolymæ cladem.

2. Verſ.2. *Dixiſti, Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo. Laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni.*] Cur doleat hoc loco tantopere Baruch, variæ à variis afferuntur cauſæ. Rabbini cauſam ſomniarunt, ſed vt ægroti ſolent, quorum ſomnia vana ſunt, & mera deliria, dicunt lugere, queríque Baruch, quòd cùm tot annis Ieremiæ foret amanuenſis, eiúſque cauſa plurima ſubiiſſet incommoda, non tamen donum conſecutus eſſet prophetiæ, ſicut conſecuti ſunt olim Ioſue miniſter Moyſis, & Eliſæus diſcipulus Eliæ. Sed quàm iſti nugentur, quis non videt? cùm parum pia ſit iſta de tanto viro cogitatio, neque bellè reſponſio Domini cum iſta cogitatione conſentiat.

3. *Baruch querimonia.* Alij communiter, & meliùs putant, dolere Baruch, quòd tam grauia patiatur quotidie ciuitas, & plura deinceps paſſura videatur; quódque ad ipſum ex communi clade non peruenerit; peruenturáque exiſtimetur exigua pars; ſeu certè, quòd communes caſus totius ciuitatis nomine deploret. Modus autem ille dicendi, *ad-*

C *didit dolorem dolori meo*, ſuccedentes ſibi viciſſim dolores, & infortunia oſtendunt: quomodo Græcus dicit, *πόνος ἐπίπονος*, labór labori additus, vel labores continentes: aut, quod dixit apud Senecam Hercules:

— Nulla lux vnquam mihi
Seuera fulſit: finis alterius mali
Gradus eſt futuri. —

Quæ prouerbialem ſpeciem habent in ſacra Scriptura. Pſalmo 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et rurſus: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum.* id eſt, magis, ac magis puni, neque vllam temporis partem patiaris à dolore vacuam.

Ego hæc ita probo, vt tamen magis mihi videatur probabile, eo tempore conqueſtum fuiſ- 4.
ſe Baruch, quando iterum à Ieremia ſcribere D iuſſus eſt librum, quem gladio diſciderat, & in ignem coniecerat Ioacim: cùm enim Rex ille efferus priùs audiiſſet, quæ in priori volumine Ieremias digeſſerat, ferre non potuerit minarum pondus, ſed tam qui dictauit, quàm qui ſcribendo verba excepit dictantis, in carcerem compingi præceperit: iure timere potuit Baruch, ne rurſus irritata impij Regis potentia, cùm grauiora ſecundum volumen contineret, inflammaretur magis, & affligeret vehementiùs, & ideo puto notatum eſſe tempus, quo queſtus eſt Baruch, & ab eo labore ſiue leuatus, ſiue reprehenſus. Aptè verò dicit labori laborem additum, quia priori ſcriptioni, & periculo ſemel adito, iterum ſcriptio, iterum periculum addebatur. Ratio verò Ieremiæ, quæ mœrentem animum conſolatur, & erigit, optimè cum hoc rerum ar-

ticulo conſentit. Vide caput 36.verſu 32.vbi ſecundum volumen datum eſſe traditur Baruch. A

5. Verſ.3. *Et requiem non inueni.*] Requieuiſſe videri poterat Baruch, cùm Regis ſatellites, qui ad comprehendendum vtrunque Prophetam miſſi fuerant, effugit; ſed non inuenit requiem in loco tuto, quò penetrare non potuit ſatellitum ſolertia, quia iterum iubetur ſaxa repetere, ad quæ videri potuit ſubiiſſe naufragia; vel certè ex illis enataſſe haberi pro miraculo debuit.

6. Verſ.4. *Ecce quos ædificaui, ego deſtruo: & quos plantaui, ego euello.*] Iniuſtas dicit Dominus eſſe Prophetæ lacrymas,& queſtus, cùm nihil durius paſſurus ſit, quàm quilibet è populo. Eſt autem ingenij delicati, ac mollis, laborem illum velle declinare, quem videt aliis eſſe communem. Ego,inquit Dominus, quæ ædificaram, deſtruo, & quæ plantaueram,euello: qua clade,ſeu ruina quid ſpectari poteſt horribilius? & tu iniuriam tibi inferri putas, cùm te publici mali pars exigua contingit? Vtitur autem metaphora plantationis, quia populum ſuum Deus vineam appellat à ſe plantatam; vt millies audis in ſacra Scriptura.

Requies importuna.

Verſ.5. *Et tu quæris tibi grandia?*] Grandia hæc Doctores Hebræorum donum interpretantur prophetiæ: quaſi reprehendatur Baruch, quòd tunc exaltari velit, & ornari, quando contribules humiliantur, extirpantur, & pereunt. Sed grandia hoc loco pacem interpretor, & libertatem à communi malo, ita vt non aliter Baruch quietus eſſe velit,quàm ſi in ea ciuitate viueret, vbi nullus eſſet neque metus ab hoſte,neque periculum à fame. Qui hæc petit, planè grandia deſiderat,& rara. Quòd verò nihil aliud deſiderare videatur, docet Domini reſponſio, quæ mortis timorem eximit, & libertatem in numeroſo captiuorum agmine promittit. 7.

B *Ecce ego adducam malum ſuper omnem carnem, ait Dominus, & dabo tibi animam tuam in ſalutem.*] 8.
Non obtinuit Baruch illa grandia, quæ ſibi videbatur à Deo popoſciſſe, videlicet ne cogeretur eò, vnde manifeſtum à Rege proponebatur capitis periculum:at conſecutus eſt, vt cum reliquis fermè aliis aut moriendum eſſet,aut in exilium abeundum: ipſe tamen neque tunc, cùm ſecundò Ieremiæ volumen conſcripſit, neque vllo poſtea rerum articulo vllum periculum eſſet ſubiturus.

ARGVMENTVM CAPITIS XLVI.

DVAS hoc caput prophetias continet, vtramque contra Ægyptios: alteram, cùm exercitum inſtruxit Pharao contra Chaldæos, quando ad Euphratem aut conciſus eſt exercitus, aut ignominioſa fuga reuerſus eſt in patriam, cuius cædem, & plagam inſanabilem eleganter deſcribit: alteram item contra Ægyptum,ad quam Babylonicis inſtructus copiis venturus dicitur Nabuchodonoſor, qui ſaltum omnino populabitur, in quo gens Ægyptia, quaſi laſciuiens vitula ſeuerè vagabatur. Conſolatur ad extremum Ægyptios,quòd tandem poſtquam aliquandiu extorres à patria dominis ſeruierint alienis, ſuas tamen ſedes rurſus habitabunt. Et idem promittit Iſraëlitis peregrinis item, atque captiuis,neque præſens illis à ſua benignitate defuturum auxilium.

IEREM. CAP. XLVI.

1. *QVod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra Gentes* C

2. *Ad Aegyptum aduersùm exercitum Pharaonis Nechao Regis Aegypti,qui erat iuxta flunium Euphraten in Charcamis, quem percuſſit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, in quarto anno Ioakim filij Ioſiæ Regis Iuda.*

3. *Præparate ſcutum, & clypeum, & procedite ad bellum.*

4. *Iun*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1 HInc iam incipiunt vaticinia, quæ contra Gentes Ieremias accepit, alióſque populos externos, & alienos à Iudaico.

2. Primum eſt in Ægyptum aduersùs Pharaonis Nechao, Regis Aegypti caſtra, quæ tunc erant in Charcamis ad Euphratem, quæ grauiter accepit, afflixítque Nabuchodonoſor Rex Babylonis,anno quarto ab inito regno Ioacim Ioſiæ filij Regis Iuda.

3. Agite,ô Aegyptij, præparate, atque expedite arma, expromite ſcutum, arripite clypeum, & armato hoſti obuiam occurrite.

4. Ad

4. *Iungite equos, & aſcendite equites: ſtate in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.*

A 4. Ad curule iugum equos adiungite, qui currus trahant milite, atque omni bellico apparatu conſtratos; galeati procedite, ac loricati; curate vt haſtæ acutæ ſint, & ad ſplendorem elegantes, & terſæ.

5. *Quid igitur? vidi ipſos pauidos, & terga vertentes, fortes eorum cæſos: fugerunt conciti, nec reſpexerunt: terror vndique, ait Dominus.*

5. Quantumcunque vobis armorum, quantumcunque virium comparetis, non tamen declinabitis quod vobis à Domino paratum eſt mali: videre etenim videor Ægyptias acies palantes, ac timidas, & fortes, qui ſtare in acie voluerunt, fœdè vulneratos, & occiſos. Fugerunt autem quàm
B potuerunt accelerato curſu, ita vt neque ad profligatas acies, neque ad inſtantem hoſtem oculos retorſerint. Terror vndique occurret, & imago mortis, dicit Dominus.

6. *Non fugiat velox, nec ſaluari ſe putet fortis: Ad Aquilonem iuxta flumen Euphraten victi ſunt, & ruerunt.*

6. Neque qui fugerit, quantacunque fuerit pedum pernicitate, effugere; neque fortis, qui ſtare voluerit in acie, ſaluari ſe poſſe confidat. Ceciderunt námque in Aquilonari plaga, & oram illam fluuialem, ſtrata Principum, ac robuſtorum cadauera conſtrauerunt.

7. *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit: & veluti fluuiorum, intumeſcunt gurgites eius?*

7. Quis eſt iſte, qui aſcendere videtur,
C & mouere caſtra, ſic ſuperbus, & tumens, vt flumini appareat quàm ſimillimus, quod latè, ac vaſtè extra ripas exundans, omnibus ſtragem, ac ruinam minetur?

8. *Aegyptus, fluminis inſtar aſcendit, & velut flumina mouebuntur fluctus eius, & dicet: Aſcendens operiam terram, perdam ciuitatem, & habitatores eius.*

8. Ægyptus è ſua regione, quaſi ex alueo fluuius elatus egreditur; cuius fluctus ſic inflati videntur, & pleni, vt eorum quilibet inſtar obtineat fluminis. Et ſecum ipſe hoc ſibi modo ſtolidè blanditur: vbi ex meis finibus primùm emerſero, expandam acies, opplebo terram, diſſipabo, ac perdam ciuitates, & earum habitatores ex-
D tinguam.

9. *Aſcendite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes, Aethiopia & Libyes tenentes ſcutum, & Lydij arripientes, & iacientes ſagittas.*

9. Aſcendite igitur equos, & inuecti curribus, iuueniles, atque inſolentes ſpiritus aſſumite: procedant ad bellum Æthiopum, ac Lybium maximè ſtrenui; qui clypeo, & gladio cominùs congreſſi pugnant, & Lydij, qui ſagittas eiaculantur eminùs, & quidquid virium habent, aut artis, ad bellandum expromant.

10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt ſumat vindictam de inimicis ſuis: deuorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis iuxta flumen Euphraten.*

10. Dies autem ille, dies erit Domini, in quo Deus vltor pœnas ſumet de inimicis ſuis. Tunc gladius Domini ſeuerus, & acer vorabit inſtar truculentæ belluæ præferoces homines, & eorum exſaturabitur
E ſanguine. Cædentur námque ad fluuium Euphratem, qui terram Aquilonarem interluit, quemadmodum ad aram adduci ſolent, & mactari victimæ.

11. *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Aegypti: fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi.*

11. Si aſcenderis, ô Ægypte, in Galaad, qui reſinis abundat, & medicamentis ad lenienda, ſanandáque vulnera præſtantiſſimis, fruſtra tibi laborem illum, & ſtudium aſſumes: neque enim quantuſcunque

12. *Au*

12. Audierunt gentes ignominiam tuam, & vlulatus tuus repleuit terram: quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.

13. Verbum quod locutus eſt Dominus ad Ieremiam Prophetam, ſuper eo quòd venturus eſt Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & percuſſurus terram Aegypti.

14. Annunciate Aegypto, & auditum facite in Magdalo, & reſonet in Memphis, & in Taphnis, dicite: Sta, & præpara te: quia deuorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum ſunt.

15. Quare computruit fortis tuus? non ſtetit, quoniam Dominus ſubuertit eum.

16. Multiplicauit ruentes, ceciditque vir ad proximum ſuum: & dicent: Surge, & reuertamur ad populum noſtrum, & ad terram natiuitatis noſtræ, à facie gladij columbæ.

17. Vocate nomen Pharaonis Regis Aegypti, tumultum adduxit tempus.

18. Viuo ego (inquit Rex, Dominus exercituum nomen eius) quoniam ſicut Thabor in montibus, & ſicut Carmelus in mari, veniet.

19. Vaſa transmigrationis fac tibi, habitatrix filia Aegypti: quia Memphis in ſolitudinem erit, & deſeretur, & inhabitabilis erit.

20. Vitula elegans atque formoſa Aegyptus: ſtimu

A cunque eſt Galaad pro vulneris magnitudine, ſanitatem tibi, aut leuamentum afferet.

12. Audierunt Gentes, ô virgo filia Aegypti, quam ignominiam ab inſolente, ac petulante victore ſubieris: eos enim in tuo dolore, atque ludibrio vlulatus edes, vt vbicunque terrarum audiantur. Sanè ſic erit turpis Aegyptiorum fuga, vt turbatis ordinibus, qui fortes ſunt, in alios etiam fortes incurrant, ſibíque ipſis, dum ſe premunt, anguſtè mutuo ſint exitio.

B 13. Hactenus vaticinium prius ad Aegyptios de clade, quam acceperunt à Chaldæis, ad Euphratem, anno quarto Ioacim: nunc aliud aggreditur vaticinium de alia plaga non minore, quàm profectus Nabuchodonoſor in Aegyptum, Aegyptias vires vehementer attriuit, plagámque prouinciæ intulit ingentem.

14. Audiat Ægyptus, audiat Magdalum, & in Memphi, ac Taphni, quaſi à clangente tuba vox iſta circumſonet horribilis, & minax: Excitare, ô Ægypte, & ſta
C in excubiis, atque armis; & ad bellum, & plagam animum præpara: quia externus aderit gladius, qui omnia, quæ circùm te ſunt, latè conficiat.

15. Extabuerunt fortes tui, & diſſolutis neruis ceciderunt, neque ſtare potuerant contra hoſtes in acie. Si cauſam exquiras, hanc vnam puta, quia Dominus illis vires, & conſilium ademit.

16. Strati ſunt Aegyptij magno numero, cúmque alij in alios confuſis ordinibus incurrerent, mutuò ſe ad fugam his verbis
D hortabantur: Agite, quando hîc oculis noſtris imago mortis præſens occurſat, reuertamur ad populum noſtrum, ſolúmque natale; & fugiamus à Chaldæorum gladio, qui inſtar columbæ eſt, quia ea velocitate cuncta peruadit, populatúrque, qua pernici, conſtantíque volatu columba immenſa tranat ſpatia.

17. Date Pharaoni nomen ſuæ accommodatum fortunæ, vocate eum perturbationem, & tumultum: quia tempus aduenict, quod illi tumultum, & perturbatio-
E nem adducat.

18. Viuo ego, dicit Dominus, quia tam firmum erit hoc de Aegypti ruina vaticinium, quàm firmus eſt Thabor inter montes, & Carmelus in tractu maritimo.

19. Quare, ô filia Aegypti, quæ nunc otioſa ſedes, para tibi inſtrumenta, quæ migraturis, & peregrinis neceſſaria ſunt; quia Memphis, irruente Chaldæo, prorſus erit ab habitatoribus vacua.

20. Eſt quidem Aegyptus formoſæ, ac laſci

ſtimulator ab Aquilone veniet ei.

21. Mercenarij quoque eius, qui verſabantur in medio eius, quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, & fugerunt ſimul, nec ſtare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit ſuper eos, tempus viſitationis eorum.

22. Vox eius quaſi æris ſonabit: quoniam cum exercitu properabunt, & cum ſecuribus venient ei, quaſi cædentes ligna.

23. Succiderunt ſaltum eius, ait Dominus, qui ſupputari non poteſt: multiplicati ſunt ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus.

24. Confuſa eſt filia Aegypti, & tradita in manus populi Aquilonis.

25. Dixit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego viſitabo ſuper tumultum Alexandriæ, & ſuper Pharaonem, & ſuper Aegyptum, & ſuper deos eius, & ſuper Reges eius, & ſuper Pharaonem, & ſuper eos, qui confidunt in eo.

26. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & in manus ſeruorum eius: & poſt hæc habitabitur ſicut diebus priſtinis, ait Dominus.

27. Et tu ne timeas ſerue meus Iacob, & ne paueas Iſraël: quia ecce ego ſaluum te faciam de longinquo, & ſemen tuum de terra captiuitatis tuæ: & reuertetur Iacob, & requieſcet, & proſperabitur: & non erit qui exterreat eum.

28. *Et*

A laſciuienti vitulæ non diſſimilis; aderit tamen tempus, cùm ab Aquilone ſtimulator adueniat, qui aculeata virga ſic pungat, ac exagitet moleſtè, vt nullo in loco conſiſtere patiatur.

21. Mercenarij quoque, qui aliquantò erant Aegyptiis fortiores, & ſub Aegyptio cælo, deliciis, luxúque ſoluti, quaſi ſaginati vituli laſciuiunt, ipſi quoque fugient à pugna deterriti, neque conſiſtere poterunt in acie, quia extremum diem, & tempus vltionis à vindice Deo ſibi impen-
B dere vident.

22. Vox Aegypti in ea rerum anguſtia ſic erit lugubris, vt ſonum illum referat, quem feralis tuba in efferendis cadaueribus edit; neque deerit lamentandi cauſa. Aderit námque quantò ocyùs exercitus, qui lignatoris in modum ſaltum, in quo ſoluto collo indomita illa vitula laſciuiens vagabatur, ſecuribus ſuccidat.

23. Aegyptius ſaltus ſic abundabat ligno, ac frutice, vt certus illorum numerus iniri non poſſet: in illum tamen immiſit
C Deus illam lignatorum multitudinem, quæ eſſet item innumerabilis, ita vt non ſolùm æquet, ſed etiam vincat locuſtarum agmina, quæ ligna ſuccidit, & ſyluam illam denſam populata eſt.

24. Amiſſo ſplendore, ac luxu inſignem ſubiit ignominiam Aegyptus, & Aquilonaris populi poteſtati ſuccubuit.

25. Ego, inquit Dominus, vltrice dextera viſitabo Alexandriam Aegypti, Pharaonem Regem, & Aegyptum totam, &
D deos inſuper, quos Aegyptij colunt, & Reges, quos deorum loco numerãt, & ipſum etiam Pharaonem, qui nunc in viuis agit, & adhuc etiam eos, qui in Pharaonis fide, ac tutela confidunt.

26. Quos ego tradam in illorum manus, qui ipſorum ſanguinem exſorbere ſtudent; & in poteſtatem Nabuchodonoſoris, corúmque hominum, quibus in eam curam vtitur adminiſtris. Aderit tamen aliquando tempus, quando deſerta Aegyptus habitetur iterum, ſicut prioribus antea ſæculis.

E 27. Tu autem, ô Iſraël, qui præcipua quadam ratione ſeruus mihi es, timere noli, quaſi deterior tibi ſit futura conditio, quàm Aegyptiis, quibus nunc in patriam reditum promitto. Licèt enim longè relegatus abieris, inde tamen te ſaluum in patriam referam, ſemẽ nempe tuum, quem captiuum apud ſe tenebit Babylonius; vbi autem reuerſus fuerit Iſraël, quietam aget vitam, & à metu liberam: aget enim proſperè, atque feliciter, neque erit vllus poſtea, qui terrori, aut perturbationi ſit.

28. Noli

28. *Et tu noli timere, ſerue meus Iacob, ait Dominus: quia tecum ego ſum, quia ego conſumam cunctas gentes, ad quas eieci te: te verò non conſumam, ſed caſtigabo te in iudicio, nec quaſi innocenti parcam tibi.* A

28. Noli iterum timere, Iſraël, ait Dominus, quia tibi patronus adero, & vindex. Ego delebo gentes, apud quas eiectus ſeruilem conditionem ſuſtines: in te verò puniendo ſic paternam manum, atque furorem attemperabo, vt corrigam, non vt perdam te; ne ſi manum omnino à cæde contineam, de innocentia tibi, atque iuſtitia blandiaris.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-SEXTVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra Gentes.*]

1. PLERAQVE eorum, quæ ad finem vſque prophetiæ diffuſa ſunt, ad Gentes pertinent, & populos alienos, quæ etiam referri iuſſit Dominus in volumen. Hæc, quæ contra Pharaonem nunc à Ieremia producuntur, non conſtat, quando prædicta fuerint: illud certius, tunc fuiſſe in volumen relata, quando Pharao victus eſt à Babyloniis: vtrunque enim accidit anno quarto Ioacim, filij Ioſiæ: de volumine tunc ſcripto habes ſuprà capite 36. verſu 1. de Pharaone ſuperato habes in hoc capite verſu 2. Eſt autem hic Pharao, qui Ioſiam occidit, quo tempore caſtra mouebat in Babylonios, ad eam Euphratis partem, vbi ſita Charcamis, vt conſtat ex libro 2. Paralip. capite 35. ver. 20. & libro 3. Eſdræ capite 1. verſu 23. Cùm autem ſublato impedimento, quod illi expeditioni Ioſias oppoſuerat, & Ioachaz in Ægyptum tranſlato, quem extincto patre populus ſuffecerat, eiúſque loco Ioacim altero Ioſiæ filio conſtituto, quod breui admodum ſpatio videtur eſſe perfectum, quod moliebatur opus in Babylonios, perſequutus eſt: cúmque quatuor fermè annos in expeditione vario rerum ſucceſſu conſumpſiſſet, tandem anno Ioacim quarto victus eſt à Chaldæo, & regni non exigua parte mulctatus. Contra hunc ergo Pharaonem vibratur hoc fulmen, multò antequam à Chaldæo vinceretur; quia alioqui non tam eſſet prophetia, quàm hiſtoria, licèt non priùs ſcripta fuerit, quàm aduerſo Marte pugnauiſſet Pharao: & ideo in prophetiæ titulo poſitum eſt, *Quem percuſſit Nabuchodonoſor Rex Babylonis.* Videtur autem ex modo, quo vaticinium exorſus eſt Propheta, ſatis veriſimile, tunc hæc à Ieremia fuiſſe prædicta, quando ad bellum neceſſaria præſidia parabantur, aut ante Ioſiam extinctum, aut paulò poſt, cùm intermiſſum paulisper bellum, integratum, ac repetitum eſt.

Bellū Pharaonis contra Chaldæos.

2. Verſ. 3. *Præparate ſcutum, & clypeum, & procedite ad bellum.*] Modus hic dicendi propheticus eſt, qui per imperatiuum rem futuram valde ſignificanter exponunt. Exempla ſunt obuia. Iſaiæ capite 21. *Pone menſam, contemplare in ſpecula; ſurgite Principes, arripite clypeos.* & Iſaiæ capite 13. *Leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum.* In quo loquendi genere aliquid videtur admixtum irriſio- B nis; quaſi dicat Propheta: Quantumcunque armorum comparetis, animóſque afferatis ad pugnandum ſtrenuos, & audaces; non tamen declinabitis quod à Domino vobis paratum eſt malum. Quid ſit diſcriminis inter ſcutum, & clypeum, docent externi; neque ſanè leuis differentia eſt, ſiue figuram ſpectes, ſiue vſus. Quid verò ſit præparare, non omnino certum, an aptare, concinnaréve, aut fabricare de nouo ad bellicos vſus, an vngere aruina pingui, quod nonnulli volunt ad illud Iſaiæ 21. *Arripite clypeos:* vbi quidam iuxta textum Hebraicum legunt, *Vngite clypeos.* qua de re nos ibi pluribus. Aut certè polire, ac tergere, vt ad vſus bellicos ſint opportuni, & ad nitorem, & elegantiam illuſtres: C fortaſſe hæc omnia ſpectat illa clypeorum præparatio: quia gens Ægyptiorum vaniſſima, non ſolùm ſtrenua, & fortis, ſed etiam lauta, atque elegans videri volebat.

Armorum ſplendor.

Verſ. 4. *Iungite equos, & aſcendite equites.*] Vſos 3. eſſe in re bellica curribus Ægyptios, docet illud Exodi capite 15. vbi ſubmerſus dicitur Pharao cum curribus ſuis. Illud planè indicat, *iungite equos;* nempe, vt iugum curule ſubeant, & currus trahant milite, atque omni bellico apparatu conſtructos.

State in galeis, polite lanceas.] Stare in galeis, nihil eſt aliud, quàm ſtare galeatos; neque dicendi 4. modus abeſt à Latinorum vſu, qui cùm veſtitum, aut armatum quemquam eſſe ſignificant, in veſte eſſe, aut ſtare dicunt, vt in veſte regia, pontificia, ſordida; de armis dicunt idem probati auctores. Duo adducam teſtimonia Latini Poëtæ, vbi, *in armis eſſe,* pro, armatum eſſe quenquam, poſuit Æneid. libro 9. D

Sto, quid?

Stabat in egregiis Aruntis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.

& libro 12. ad finem:

——ſtetit acer in armis
Æneas.——

Ex his non dubium, quid ſit ſtare in galeis, nempe, galeatum eſſe, aut galeis munitum: ſicut ſtare in armis, armatum eſſe.

Polite lanceas.] Ad ornamentum hæc credo 5. pertinere maximè. Eſſe autem curam præcipuam, vt arma polita ſint, ac ſplendeant, docet non profana ſolùm, ſed ſacra etiam literatura. De profana

Armorum elegantia, & ſumptus.

profana docet idem, qui nuper, libro 7. Æneidos:

Pars leues clypeos,& ſpicula lucida tergent
Aruina pingui.———

Id verò negotij datum eſſe Centurionibus,atque Decurionibus, tradit Vegetius libro 2.capite 14. De Centurionibus ait illis inuigilandum eſſe, *vt arma omnia defricentur, & ſplendeant.* de Decurionibus, vt cogant milites, *loricas, vel cataphractas,contos,& caſſides,frequenter tergere, & curare.Plurimum enim terroris hoſtibus armorum ſplendor importat. Quis credat militem bellicoſum,cuius diſſimulatione ſitu, ac rubigine arma fœdantur.*Quantū operæ,ſumptúſque ponatur in illuminandis, ac ornandis armis, diximus ad illud Zachariæ capite 14. *Quod ſuper frenum equi eſt*; vbi diximus, quidquid olim eſſet in pretio, id ad equorum phaleras, & armorum ornamenta conferri. Quod dixit quàm veriſimile Iuuenalis Satyra 11.

Argenti quod erat ſolis fulgebat in armis.

Quod ad ſacram eruditionem ſpectat, ſufficit nobis Ezechiel capite 21.verſu 9. *Gladius gladius exacutus eſt,vt ſplendeat limatus eſt.*& verſu 28. *Mucro,mucro euaginate ad occidendum:limate,vt interficias, & fulgeas.*

6. Verſ.5. *Quid igitur vidi ipſos pauidos, & terga vertentes.*] Deſcripſerat priùs Ægyptias acies ſplendentes armis, adeóque ad omne pugnandi genus luculenter inſtructas, vt omnibus admirationi futuræ viderentur, atque terrori. Sed nunc inſperatam proponit fugam, minimèque cum illo rerum apparatu conuenientem: videt enim acies illas, quibus nihil videbatur opponi poſſe ſimile, aut par, pallentes,ac timidas,& regionem illam fluuialem Principum, ac robuſtorum ſtratam cadaueribus; nihilque ex Ægyptio illo apparatu fuiſſe reliquum, præter æternæ infamiæ documentum ignobile. Simile eſt illud quod 3. Regum capite 22.verſu 17.dixit Michæas ad Reges inſtructos egregiè militariter: *Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem.*

7. Verſ.6. *Non fugiat velox, nec ſaluari ſe putet fortis.*] Hæc videtur forma prouerbialis, quæ vniuerſalem cladem,& exitium omnibus commune denunciat. Ea vſus eſt Amos capite 2. verſu 14. *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam.* Quaſi dicat, neque qui fugerit, quantacunque fuerit pernicitate, effugiet aut ſeruitutem, aut mortem:neque fortis, qui ſtare voluerit in acie, fortitérque pugnare,recuſare poterit, quin ſuccumbat. Hac denique ratione proponitur ineluctabilis aut moriendi, aut ſeruiendi neceſſitas.

PROV.

Amos 2.

8. *Ad Aquilonem iuxta flumen Euphratē dicti ſunt.*] Charcamis, pro qua repetenda agmen egit contra Babylonium Ægyptius, prope Euphratem erat; ibi verò victus fuit,fugatúſque Pharao; & Syria, quæ tunc ad Ægyptios pertinebat, immo & grandi illo tractu, qui inter Euphratem eſt, & riuum Ægypti mulctatus eſt, vt habes 4.Regum capite 24. verſu 7. *Vltrà non addidit Rex Ægypti, vt egrederetur de terra ſua: tulerat enim Rex Babylonis à riuo Ægypti vſque ad fluuium Euphratem omnia,quæ fuerant Regis Ægypti.*Porro Charcamis,& Babylonia Aquilonares ſunt comparatæ cum Ægypto, quæ ad Auſtrum ſpectat, plagámque Meridionalem.

Pharao victus à Chaldæis.

9. Verſ.7. *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit?*]

A Satis eſt notum, hoſtilem exercitum, aut vim aliam quamcunque populatricem cum flumine, ſeu torrente conferri, qui omnia late populatur, & vaſtat: quomodo Aſſyriorum exercitus cum flumine confertur, Iſaiæ capite 8. *Propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortis,&c. & ibit per Iudæam inundas.* & capite 30. *Spiritus eius velut torrens inundans.* Sic nunc copioſas, atque minaces Ægyptiorum acies cum aquis fluuialibus, ſeu torrentibus comparat:quæ eo exundant impetu, vt ab earum alluuione nihil exiſtimetur futurum eſſe tutum. Quarum tamen impetum frangendum eſſe dicit, ita vt præter inanes ſonitus, aut terrores nihil habuiſſe quiuis intelligat. B

10. Verſ.8. *Aſcendens operiam terram.*] Sæpe Deus Ægyptiorum ſuperbiam inſectatur, quæ iam inde ab antiquiſſimis ſæculis ſibi arrogat potentiam ſummam, ſapientiam ſibi naturalem, & propriam, & quidquid apud homines in pretio, atque in honore eſt. Sic apud Iſaiam capite 18. eius auxilia, in quibus plurimum cantabat eſſe momenti, clamores vocat inanes, & voces cymbalatas, *Væ terræ cymbalo alarum.* vide, quæ nos ibi. & ibidem numero 15. vbi oſtenditur inflata Ægyptiorum ſapientia. Quomodo verò Ægyptia potentia fluuij ſignificata nomine perierit, habes ibidem numero 9.ad illud, *Fluuius deſolabitur,atque ſiccabitur.* C

11. *Aſcendite equos, & exultate in curribus.*] Ironica permiſſio eſt, quæ indicat ſpiritus inſolentes, & vanos Ægyptiorum, qui exultant nimiùm ſibi de ſua potentia blandientes, & nationibus aliis, quaſi longè inferioribus inſultant. Quod tunc feciſſe maximè, facturíque videntur, cùm ſublimes vehuntur ſiue in equis, ſiue in curribus, quaſi nullus ipſis obuius futurus eſſet impunè. Sed his animis ambitioſè exultantibus ignominiam, & exitium indicit ironica hæc, & amara permiſſio.

12. Verſ.9. *Fortes Æthiopiæ, & Lybies tenentes ſcutum,& Lydij arripientes,& iacientes ſagittas.*] Hos ſecum auxiliares attulerunt Ægyptij, tum quia vi-

D cini, tum quia à regione illa vbere, atque copioſa plurimas habebant commoditates.Lydij,& Lybies, ſuam quoque operam nauauerunt Tyro, vt conſtat Ezechielis capite 27. Vnde ſuſpicor venalem eſſe illorum populorum operam, cóque ſe accommodare libentiùs, vnde ſe & quæſtus vberior, & commoditatis ſpes maior oſtenderet. Quo verò bellandi genere quilibet nationum harum miles præſtaret, indicat: Æthiopes enim & Lybies fortes erant manu, cominúſque pugnabāt; atque ideo illis traditur ſcutum,cui gladius comes eſt: at Lydij arcu vtebantur, pugnabántque eminus intorto iaculo. Hic Ægyptiorum apparatus, hic ſpiritus, qui ſic incitabatur inſolenter vana ſpe deluſus, vt repeteret, credo,

E quod multis antè ſæculis deblaterabat ſecum, quando gentem Iſraëlitidem inſequens dicebat: *Perſequar,& comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea:euaginabo gladium meum, & interficiet eos manus mea.* Sed Deus, cui cum ſuperbo iampridem implacabile eſt, & penè naturale bellum, ſic iactauit tunc Ægyptium inſolentem ad ripas Euphratis, ſicut olim ad mare rubrum, & ſicut non longè antè Sennacherib, cuius animos eadem cogitatio, & ſpiritus non diſſimilis inflabat.

13. Verſ.10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum,*

Dies alicuius, in quo quis ſuis potitur votis.

dies vltionis.] Ex vſu ſacræ Scripturæ dies ille dicitur alicuius, in quo ipſe aut voto potitur, aut hominum iudicio, cui Scriptura in loquendo ſe interdum accommodat, ſuo ſatisfacit deſiderio, nó ſeruit alieno. Sic Chriſtus Iudæis, qui in ipſius comprehenſione, & vicina morte triumphabant, dixit Lucæ capite 22. *Hæc eſt hora veſtra.* & idem de ſe, Ioannis capite 2. *Nondum venit hora mea.* & iterum Ioannis capite 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Et dies ille poſtremus, in quo iam Deus peccatorem hominem non ſpectabit ad veniam, ſed ſuo ſibi furori ſatisfacit, dies dicitur Domini 1. Corinthiorum 3. Denique dies omnis, in quo Dominus aliquod iudicium exercet illuſtre, in quo homines, qui ſuis diebus peccaſſe, atque exultaſſe videbantur impunè, aut extinguit, aut afficit ſeueriùs, dies dicitur Domini Iſaiæ 2. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum,* &c. & capite 13. *Vlulate, quia propè eſt dies Domini: quaſi vaſtitas à Domino veniet.* Quia ergo Deus Ægyptiorum ſuperbiam diu tolerauerat, causámque videbatur Ægyptiorum egiſſe potiùs quàm ſuam, cùm illos à Chaldæorum exercitu deleri, atque fugari ſinit, diem agit ſuum, nempe, genialem, & feſtum, dum euomit in inimicum populum veneni pondus, quod ex illius intemperantia, atque ambitione iam pridem concepiſſe videbatur.

14. *Deuorabit gladius, & ſaturabitur: & inebriabitur ſanguine eorum.*] Hebraiſmi ſunt iſti: neque enim, quod ego viderim, modus iſte loquendi alio idiomati, quàm Hebræo notus eſt: eſſet autem metaphora paulò durior, niſi ratio eſſet apud Hebræos peculiaris; quæ, quod in eo loquendi genere aſperum videbatur, emolliret. Metaphora à bellua ſumitur fera, atque cruenta, quæ lacerat, deuorat, & explet ſe ſanguine eius, quem occidit. Sed quominus hæc metaphora difficilis ſit apud Hebræos, facit nomen *oris*, quod tam gladio, quàm animali commune. *Os* etenim Hebraicè פה *peh*, & rictum ſignificat animalis, & aciem gladij, vnde in Scriptura frequens: *Percuti in ore gladij.* & Iudicum 3. verſu 16. vbi de Aod dicitur, *fecit ſibi gladium ancipitem*, Hebraicè eſt, fecit ſibi gladium habenté duo ora. Si ergo os habet gladius apud Hebræos, quid mirum; aut durum, ſi gladio tribuamus, quod proprium eſt oris, nempe, *vorare, ſaturari, inebriari?* Hæc duo poſtrema, citra hanc metaphoram, abundantiam important.

Gladius cur vorare, & ſaturari dicatur?

15. *Victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.*] Alia metaphora minùs quidem in Scriptura frequens, non tamen minùs quàm altera ſignificans, de qua proximè. Eadem vſus eſt eodé prorſus ſenſu Iſaias capite 34. cùm præceſſiſſent verba non admodum diſſimilia: nempe, *Gladius Domini repletus eſt ſanguine.* ſubditur ſtatim: *Victima enim Domini de Boſra: & interfectio magna de terra Edom.* poſterius autem hemiſtichium prioris explicatio eſt. Quare victima Domini in terra Aquilonis, nihil eſt aliud, quàm cædes ingens Ægyptij populi ad Euphratem. ſic enim lacerabitur, ſicut ad altare conciditur deuota cultro victima. Eandem eſſe ſententiam diximus, immo & eandem metaphoram, cùm Iſaiæ capite 29. dicitur de Ieruſalem: *Et erit mihi quaſi Ariel,* ideſt, quaſi altare, quod circunſtant laceratæ victimæ, & totum circumfluit, & quaſi natat victimarum ſanguine. Vide, quæ ibi nos diximus.

Victima, pro cæde.

Verſ. 11. *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti: fruſtra multiplicas medicamina.*] Amplificat plagæ magnitudinem, quam accipient Ægyptij ad ripas Euphratis, quam inſanabilem fore ſignificat, dum docet, nulla medicorum arte, nullo medicinæ fomento poſſe ſanari. Eſt autem hic ironicus agendi modus, ſicut in hoc capite non ſemel. In Galaad eſſe multiplex, ac nobile medicamentum, quo ſtillant aromatiferæ plantæ, docet Ieremias ſuprà capite 8. vbi nos ea de re pluribus. Credo autem in Galaad prouerbiali ſpecie intelligi pharmacopolæum, ſeu quamlibet medicamentorum officinam, quia inde in omnem partem varia aromatum ac reſinarum genera conuehuntur: ſicut hybla, aut hymettus pro melle, ſeplaſia pro vnguentariis officinis capiuntur, quia ibi illarum rerum nobiles prouentus, & copioſa vis. 16.

Galaad reſinarum ferax.

Pro morali ſenſu obſerua, Galaad, vt in noſtris Commentariis in caput 4. Canticorum diximus, ſymbolum eſſe Chriſti, qui & aceruus eſt teſtimonij, & totus ſtillat reſina, & balſamo, ad ſanádum omne morborum genus potentiſſimis. Galaad item vocari poteſt Eccleſia, quia ipſa per ſacramenta, quaſi per idoneas fiſtulas ex Chriſti ſanguine medicamenta haurit, eruátque in ęgrotorum vſum. Suo quoque modo Religioſorum clauſtra mons ſunt Galaad, quia ibi fragrant virtutum omnium odoramenta, & quibus vitiorum vlcera curentur, paratæ ſunt, & promptæ à magnis doctoribus medicinæ. Sed notádum maximè, hæc tot, tam pretioſa, & ad omnem languorem opportuna medicamenta fruſtra parari à filio Ægypti, ideſt, ab eo, qui Ægyptij ſanguinis filius lac ſugit Ægyptium; Ægyptiis ſe moribus imbuit, & informat: quare neceſſe eſt, Ægyptum deſerat, & in Galaad Galaaditidem reſinarum vim, & vſum exquirat. Nam, qui Ægyptios cum Chriſtianis, ac religioſis moribus ſociare voluerit, ille fruſtra ſibi pretioſa alioqui multiplicabit medicamina. Hæc tradunt Patres, iterántque ſępe, vt ſæculares deponat ſenſus, qui vſui ſibi religioſam diſciplinam, & inſtitutum eſſe vult: nam quandiu filius eſſe perget Ægypti, religioſæ familiæ filius eſſe non poterit; neque ſi mores ſtudet Ægyptios retinere, quibus cum Euangelio commune nihil eſt, fruſtra ſibi aut ab Eccleſia, ſeu, quod eodem ferè loco pono, à Chriſti ſanguine medicamentum quærit. 17.

Galaad, pro religioſis clauſtris.

Abnegatio Religioſo neceſſaria.

Virgo filia Ægypti.] Filia Ægypti ex Hebræorum vſu idem eſt, quod Ægyptus; quomodo filia Babylonis, filia Tyri, filia Edom, filia Sion, pro Babylone, Tyro, Idumæa, & Hieroſolyma ponuntur. Virgo verò dicitur, non, vt multi putant, ſaltem de Sion, quæ virgo vocatur Iſaiæ 37. quia idola nó coluit, nec metaphoricæ libidini ſuccubuit: quia ſaltem de aliis, quibus etiam nomen illud virginis datum eſt, affirmari non poteſt. Dicitur ergo Ægyptus virgo, quia delicata, & mollis, quia ſic ſe molliter, atque indulgenter tractat, ſicut à matre virgo foueri aſſolet: aut quia nunquam ſubiugata fuerat ab aliis, & inire compulſa thalamum externum. Erit igitur ſenſus: O Ægypte, quæ ad hoc vſque tempus, tanquam virgo fuiſti tenera, & mollis, à nemine ſubacta, ac domita, adeſt iam tempus, cùm ſic ſterneris vilis, & ſaucia, vt nullo fomento leuari dolor, nullo medicamento ſanari vulnus poſſit. 18.

Verſ. 12. *Audierunt gentes ignominiam tuam: &* 19.

vlulatus tuus repleuit terram.] Accommodatè ad
virginis nomen, ignominiam attribuit Ægypto
ſubactæ, qualem ſubire ſolent virgines ab hoſte
petulante, qua nihil ipſis accidere poteſt turpius,
ac moleſtius: aut à ſuperbo domino, cui in hu-
milem ancillam nihil exiſtimat ſibi non licere.
Videbunt itaque, audiéntve populi omnes, quàm
te Chaldæus, aut hoſtiś, aut dominus ignomi-
niosè ſubegerit. Vlulare verò in dolore graui
fœminarum eſt, quæ quo tempore viri armis
congrediuntur, & lacertis cum hoſte, ipſæ nihil
habent, quod impendant patriæ præter eiulatus,
& lacrymas, quare fœmineum ingenium, &
puellarem mollitiem aſcribere videtur Ægy-
ptiis.
20. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter concide-*
Prov. *runt.*] Quidam hos fortes, qui ex aduerſo con-
greſſi mutuo ſe vulnere confecère, Chaldæum
eſſe putant, & Ægyptium, qui iſte ſe in longo, ac
difficili certamine geſſerunt, vt alter victus ex-
ceſſerit, alteri non fuerit incruenta victoria: qua-
lis illa, quæ in fabulis dicitur Cadmæa, & quales
quotidie experiuntur, qui non tam manu in acie,
quàm lege, & iure in iudicio conſerti, tam victi,
quàm victores in illa congreſſione pereunt, quia
conſumptis opibus, nihil habent præterea reli-
quum, quod poſt victoriam auferant. Sed eſt
exemplum valde accommodatum in Scriptura,
vbi fortes cum fortibus congreſſi, omnes ad
2.Reg.2. vnum interierunt, 2. Regum capite 2. *Tranſie-*
runt numero duodecim de Benjamin ex parte Isboſeth
filij Saül, & duodecim de pueris Dauid. Apprehenſó-
que vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in
latus contrarij, & ceciderunt ſimul. Vocatúmque eſt no-
men loci illius, ager robuſtorum. Tales videri pote-
rant Ægyptij, atque Chaldæi, qui ad illud vſ-
que tempus ſtrenui, & fortes; tunc graui vul-
nere accepto, illatóque viciſſim conciderunt.
Ita cum Theodoreto ſentiunt alij nonnulli.
21. Hæc explicatio ideo mihi non placet, quia
hoc loco Propheta nihil molle, nihil inauſpica-
tum memorat de Chaldæis, immo ab eis dicit
percuſſum eſſe Pharaonem: neque ſanè fieri
poſſe videbatur, vt grauiter ex ea pugna debili-
tatus, & fractus Nabuchodonoſor ab Aegyptiis
abſtulerit, quidquid ſpatij eſt ab Euphrate ad ri-
uum vſque Ægypti, ideſt, ad Rhinocoruram.
Quare magis placet, quod ex ſententia Rabbi
Dauid docent Lyra, Dionyſius, Maldonatus, &
Caſtrus, fortes illos, qui ex mutua concurſione
cecidiſſe traduntur, fuiſſe Ægyptios, qui cùm
grauiter premerentur ab hoſtibus, ſic fugiebant
turbatis, ac confuſis ordinibus, vt ſibi viciſſim
eſſent impedimento, non ſolùm ad pugnandum,
ſed etiam ad fugam. Legimus autem in fortuna
non diſſimili ſæpe contigiſſe, vt premantur an-
guſtè milites, ſéque ipſos conculcent, & in vnum
quaſi aceruum congeſti, obruant, ac ſuffocent.
An verò Aegyptij illi, qui in fuga mutuo ſe col-
lident, & periment, fortes fuerint, an ironicè à
Ieremia fortes appellentur, dubium mihi eſt: hoc
poſterius ſatis eſt veriſimile, quaſi Propheta in-
ſultet illis, qui ſibi in fortitudine, reíque bellicæ
gloria immoderatè placent, cùm ita fugituri ſint
indecorè, ac timidè, vt contribules ſuos, & ami-
cos obterant, atque enecent. Sed videtur magis
cenſeri poſſe probabile, ſi de his, qui in Aegyptio-
rum acie magis erant ſtrenui, ſermo fiat: hi nám-
que licèt fortes in eo inauſpicato bello ita iacta-
buntur anguſtè, vt per amicos, & fortes alios in-

A decorè calcatos, aditum ſibi ad fugam, & ſalutem
aperiant.
Verſ. 13. *Verbum, quod loquutus eſt Dominus ad* 22.
Ieremiam.] Hactenus vaticinium de infelici
Aegyptiorum pugna in Charcamis ad Euphratis
ripas: nunc aliud adiungitur de Chaldæorum
aduentu in eandem regionem; & quò vaſtitatis
regio illa quondam opulenta, & felix redigenda
ſit. Cùm autem nõ ſemel Chaldæus inuaſerit, ac
prædatus fuerit Aegyptũ, nõ explicatu eſt facile:
de quo Chaldæorum in prouinciam appulſu in-
ſtitutum fuerit illud vaticinium. Profectum eſ-
ſe Chaldæum cum copiis ad Aegyptios, quo
tempore ſub Sedecia vrbs Solymitana premeba-
tur anguſtè, conſtat ex Ieremia capite 34. ad fi-
B nem, & clariùs capite 37. verſu 10. Nam cùm
Pharao venturus nunciaretur, vt Chaldæum ab
obſidione illa ſummoueret, occurrit illi Chal-
dæus, ſoluta tantiſper obſidione. Cúmque pri-
mo congreſſu ſuperatum tota expuliſſet Syria, vt
teſtis eſt Ioſephus libro 10. Antiquitatum capi-
te 10. obſidionem integrauit: neque intermiſit
opus, niſi voti, ciuitatiſque compos. Iterum
deinde inuaſit Aegyptum, cùm eò ſe Iudæorum
reliquiæ contuliſſent, vbi perfecit omnia, quæ
capite 44. de Aegyptiorum ruina prædicta
ſunt.
Mihi dubium non eſt, ſermonem hîc fieri præ- 23.
C cipuè de poſtremo Chaldæorum aduentu, de quo
etiam multa capite 44. à Ieremia tradita; quia
plurima inuenio, quæ in priori expeditione non
contigerunt, vt quòd capta ſit Aegyptus, & in
Babylonem abducta: quòd rurſus habitanda, eo
nempe tempore, quo etiam exules Iudæi è Baby-
lone reuertentur. Quod etiam indicat non ob-
ſcurè prophetiæ titulus: *Super eo, quòd venturus*
eſſet Nabuchodonoſor, & percuſſurus terram Ægypti.
Qui primum, præcipuúmque conſilium illius
expeditionis futurum indicat, de euertenda Ae-
gypto; at cumprimùm caſtra mouit in Aegy-
ptum, non eo conſilio è Babylone profectus eſt
Chaldæus, ſed vt fœdifragos Iudæos caſtigaret,
rebellémque populum in æternum extingueret.
D Caſu verò acies contra Aegyptios conuertit,
quia illi obſeſſis ſubſidio venire nunciabantur.
Nihilominus aliqua neceſſariò de priori Chal-
dæorum aduentu intelligenda ſunt. De quibus
ſuo loco.
Verſ. 14. *Annunciate Ægypto, &c. & dicite:* 24.
Sta, & præpara te, quia deuorabit gladius ea, quæ
per circuitum tuum ſunt.] Hæc ego de priori Chal-
dæorum irruptione capio, quæ è tota Syria, vt
modò dicebamus è Ioſepho, Aegyptios deiecit.
Et ideo quia, quæ in circuitu ſunt, quæque ſub-
ſidio eſſe poterant, ac munimento prouinciæ, in
hoſtilem poteſtatem venient, admonentur Aegy-
ptij, vt ſe eidem fortunæ, ſeu infortunio præpa-
rent.
E Septuaginta aliter hæc exponunt: nam vbi 25.
noſter, *Deuorauit gladius ea, quæ in circuitu ſunt,* ipſi Prov.
reddũt *τὴν σμίλακα*, ideſt, vt Theodoretus putat,
hederam. Senſus videtur non admodùm diuerſus,
metaphora non eadem: nam, vt hedera varias
habet proprietates, ſic etiam ad varias tranſla-
tiones, atque ſententias adhiberi poteſt. Primùm,
ſi cui adhæreſcat muro, ſeu arido ſtipiti, illum
conueſtit, atque ornat, perinde ac ſi naturalis
eſſet viror ille, atque effuſa luxuries. Ex hoc vſu
admoneri poſſet Aegyptus, quæ propter tyran-
nicam potentiam, alienas diripiebat opes, qui-

bus ſuperbos alebat, & ambitioſos faſtus, hederam illam, ideſt, viriditatem alienam, quam ſibi tanquam propriam aptauerat, aruiſſe, & ab hoſtili ferro fuiſſe ſuccisam.

26. Secundò, cùm hedera infirma ſit, neque ſurſum ſe poſſit attollere, niſi firmum aliquid amplexa fuerit, quo infirmam ſuam naturam ſuſtentet, atque eleuet; ſic etiam infirmi, qui ſe ipſos per ſe tueri non poſſunt, potentiorum ſubſidium quærunt. Quales videri poterant vicini populi, quibus Aegyptus aliquando ſaluti fuit, aut certè ſaluti ſe fuiſſe prædicabat; vt cymbalati ſonitus, de quibus Iſaias capite 18. ſtatim in principio, clamant. Ex hac proprietate hanc ego ſententiam elicio: Præpara te, ô Aegypte, & ex illorum ruina, qui tanquam hedera tuis ſe ſuſtentabant, atque erigebant ramis, diſce, quàm parum poſſis, cùm hoſtilem ſecurim ab illis arcere non potueris.

27. Si nota eſſet Aegyptiis, & prouerbialis (qualem Hebræis eſſe puto) hiſtoria Ionæ, cuius hedera à vermiculo corroſa eſt, & ipſe non multò pòſt, aſcendente Sole, grauiter æſtuauit, ad hanc hiſtoriam alluſum eſſe crederem. Nam, cùm vicini populi deleti ſunt, quæ Aegyptiis pro vmbraculo cenſeri poterant, qualis erat hedera Ionæ capiti, tunc quaſi areſieri cœpit viror, & vmbraculum Aegypti: cùm verò ſol vehementiùs incubuit, & ventus ingruit calidus, & vrens, ideſt, cùm propiùs in Aegypti ſinus, & viſcera irruperunt Chaldæi, tunc æſtuauit Aegyptus, & clamare multò magis potuit, quàm Ionas hedera iam arenti, *Melius eſt mihi mori, quàm viuere.*

28. Verſ. 15. *Quare computruit fortis tuus?*] Hebraicè pro, *computruit*, נסחף *niſchaph*, quæ vox hoc tantùm loco reperitur, & Prouerbiorum capite 28. verſu 3. cuius vim propriam eſſe torrentis, aut imbris, putat Rabbi Dauid, qui voluunt, trahúntque ſecum ſtipulas omnes, leuémque aliam quamcunque materiam, quam habet obuiam. ita videtur ſumi poſſe ex capite 28. Prouerbiorum, vbi pauper, & tenuis, ſi pauperes alios calumnietur, ſimilis eſſe dicitur imbri vehementi, qui diſſipans, atque proſternens ſegetes, famem inducit. Ad hunc omnino modum rapiendi videntur Aegyptij à vehementi Chaldæorum impetu; qui, vt ſuprà hoc ipſo capite notauimus, cum flumine, aut rapido torrente comparantur. Seu certè, quemadmodum in madido aliquo, ac lubrico loco, quod ab imbre plerunque euenire ſolet, facilè titubant, labuntúrque veſtigia, neque quid occurrit ſolidum, in quo conſiſtas: ſic fortes, & bellatores Aegyptij nihil habebunt in labente fortuna tam priuata, quàm publica firmamenti. Quod de Iudæis in eo propè rerum articulo cecinit Ieremias Threnorum capite 4. *Lubricauerunt veſtigia noſtra, in itinere platearum noſtrarum.*

29. Ego hanc explicationem non improbo, quia à Vulgati ſententia non longè abeſt, licèt ſub alia metaphora. Sed aliam magis probo, quia magis cum Vulgati tranſlatione conſentit. *Computreſcere*, hoc loco idem eſſe arbitror, quod aliis ſacræ Scripturæ locis per verbum, *tabeſcere*, declarari aſſolet. Illud autem eſt, aut animum alicui, & conſtantiam ad opus, aut conſilium ad deliberandum deficere. Quomodo Pſalmo 106. de his, qui fluctibus iactantur vehementibus dicitur: *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque*

Conſilium perturbatio adimit.

A *ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat.* Quid ſit autem, animum tabeſcere, ſtatim explicat: *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Idem, credo, de hoc ipſo Aegyptiorum tempore dixerat Iſaias capite 19. *Et cor Ægypti tabeſcet in medio eius.* ideſt, vt nos ibi pluribus, conſternatis Chaldæorum irruptione Aegyptiis, animus, viréſque deficient; immo & conſilium, quod in ea rerum perturbatione omnino periit. Fortes itaque tunc computreſcent, quando nihil præſtabunt ſtrenuum, ac prudens, cùm eorum robur, atque prudentiam arripiat tempeſtas ſubita hoſtilis impreſſionis, ſicut torrens è monte præceps ſtipulas rapit, voluítque.

Tabeſco quid.

B Hîc pro re morali obſerua, ſtultè illum de ſua ſalute cogitare, qui ſapientiam, conſiliúmque ad illum rerum articulum reſeruat, in quo propter incurſiones ſubitas, tempeſtatéſque vehementes, conſilio, atque prudentiæ plerunque locus eſſe non ſolet: ad mortem dico, quæ torrens quædam inundans eſt, tempeſtáſque horribilis, & turbida, & multarum aquarum ingens diluuium; quo tempore qui adeò inſipiens eſt, vt maturè ad Deum non approximauerit, conſtringendus dicitur camo, & fræno, ſicut equus, & mulus. De huiuſmodi autem ſtatim ſubditur Pſalmo 33. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum* (quod planè mors eſt) *ad Deum non approximabunt.*

Præparatio ad mortem morte iam inſtante ſuſpecta.

C *Non ſtetit, quoniam Dominus ſubuertit eum.*] Stare, vox eſt militaris, quæ indicat alicuius in propugnando conſtantiam; quem mouere loco, aut de data ab imperatore ſtatione, nulla vis potuit inimica deiicere. Fortis itaque Aegyptius ab animo pariter, atque ſtatione excidit: cuius ſtatim ratio ſubiicitur, quia Domino aduerſante, Chaldæorúmque mouente, atque ducante copias, pugnatum eſt. Quod de hoc ipſo tempore dixit Ezechiel capite 30. verſu 24. & multò antè Iſaias capite 19. *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* vbi nubem leuem Chaldæorum exercitum eſſe diximus: quem agebat Dominus perinde, atque ſi ſpirante aura nubem impelleret, grandine, fulmine, atque terrore grauidam. Qui locus non leuiter fauet illi explicationi, quæ in *computruit*, aliquid agnoſcebat cum pluuia, tempeſtatéque coniunctum. Scio, illum locum de Chriſti ingreſſu in Aegyptum à pleriſque ſumi, cùm infans in nube leui, ideſt, in virgineis vlnis, atque cõplexu, illuc inuectus eſt: neque ego nego, modò myſticè: nam hiſtoricè omnino non tam de beneficio Agyptiis impenſo, quàm de illius regni vaſtitate ſermo eſt. vide, quæ nos ibi pluribus. 30.

Contra Deũ omnis vis infirma.

Iſaias c. 19.

D

E Pro *fortis*, Hebraicè אביר *abir*, quæ vox taurum, ſeu vitulum ſignificat. Sed quia taurus in ſacra Scriptura ſæpe pro *forti* ponitur, bene noſter tranſtulit, *fortis*, Sed in tauro, aut vitulo aliquid eſt, quod Aegyptiæ regionis moribus, ac religioni conueniat. Aegyptus infrà verſu 20. vitula vocatur propter laſciuiam; & Pſalmo 67. *congregatio taurorum in vaccis populorum.* Accommodatè igitur ad nomen illud, qui fortes erant, inter Aegyptios tauri dicebantur. 31.

Taurus, pro forti.

Ægyptus tauris aſſimilatur.

Deinde inter alios deos bos Apis præcipua quadam obſeruantia, ac religione colebatur ab Aegyptiis. Quare, ſi de hoc tauro, ac vitulo ſermo eſt, & per ſynecdochẽ de diis omnibus, aut deorum monſtris, quæ veneratur Aegyptus, ſententia erit ſatis cum rei natura, & hiſtorica veritate conſen- 32.

Bos Ægypto pro deo.

conſentiens. Ægyptios deos vſque adeò ſuis cultoribus non futuros auxilio, vt ipſi etiam tabeſcant, captiuique cum promiſcua, atque ignobili turba Babylonem ducantur; quod etiam citato proximè loco dixit Iſaias: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur omnia ſimulacra Aegypti.* de Api videntur accepiſſe Septuaginta, qui ita conuertunt, vt indicat editio Complutenſis, & apertè Theodoretus, qui bouem Apim nominat. Quòd autem Ægyptiorum ſimulacra exilium quoque ignobile ſubierint, aut confracta, in miniſterium ſordidum conuerſa ſint, dixit Ieremias capite 43. verſu 12. *Succendet ignem in delubris deorum Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos*, &c. & ſtatim: *Et conteret ſtatuas domus Solis, quæ ſunt in terra Aegypti.*

33. Verſ. 16. *Ceciditque vir ad proximum ſuum, & dicent: Surge, & reuertamur ad populum noſtrum, & ad terram natiuitatis noſtræ.*] Cadent in eo conflictu complures, alij ſuper alios cateruatim, vt fieri ſolet in magna ſtrage. Tunc verò ſuo iam edocti infortunio, meliori quàm antea conſilio, de omittendo bello, repetendáque patria deliberabunt. Hæc verba adduxerunt me, vt exiſtimarem de aliquo bello accipiendum hoc etiam vaticinium, quod geſtum eſſet extra fines Ægyptios. Cur enim de populo ſuo, terráque natali repetenda deliberarent, ſi in tali ſolo commiſſum eſſet bellum? Credo igitur hoc fuiſſe bellum illud, quod ſuſcipere voluerunt Aegyptij contra Chaldæos, vt fœderatum ſibi Iudæorum populum ab obſidione liberarent. De quo ſuprà.

34. *A facie gladij columbæ.*] Hic locus difficilis eſt, & variè tentatus, & expoſitus ab Auctoribus. Quidam in Chaldæorum vexillis expreſſam eſſe dicunt effigiem columbæ: neque cauſam abeſſe credunt, cur pro ſigno columba præferri debeat à Babyloniis; quia Semiramis, à qua condita exiſtimatur, aut aucta, atque munita Babylon, à columbis enutrita eſt, aut in columbam conuerſa, vt auctor eſt Ouidius libro 4. Metamorphoſeon, vbi ſic de matre Semiramidis:

Columba, Babyloniis inſigne.

An magis vt ſumptis illius filia pennis
Extremos altis in turribus egerit annos.

Quare auctoris imperij ſui memores Babylonij columbam in militari ſigno præferri voluerunt. Quæ explicatio mihi difficilis non eſt; quia ratio, licèt fabuloſa, apud credulam illam, & barbaram gentem ſatis eſt grauis, vt certam præberet notam, & quaſi auſpicium Babyloniis: & militaria ſigna pro toto exercitu, immo & pro Gente vſurpari nouum non eſt.

Alij in *columba* celeritatem agnoſcunt, quia re vera velociſſimum habet, conſtantiſſimúmque volatum; at cùm ſedatiſſimè ferri videatur, magna tamen tranat ætheris ſpatia. De qua Virgilius libro 4. Æneid.

Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.

Porro velociſſimum eſſe Chaldæorum exercitum, ſæpe Scriptura ſacra docuit, aptis ad illam velocitatem exprimendam ſimilitudinibus. Threnorum 4. verſu 19. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri* (nempe Chaldæi) *aquilis cæli.* Et Ieremiæ capite 4. verſu 13. *Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi eius.* & capite 48. verſu 40. *Ecce quaſi aquila volabit.* neque aliud indicat illud Iſaiæ capite 19. *Ecce*

A *Dominus aſcendet ſuper nubem leuem.* id eſt, velocem. vbi ſermo de Chaldæis eſt. Quare ſenſus erit, cauendum eſſe ab eius gentis gladio, quæ inſtar columbæ velox eſt.

Quidam ex Hebræis, vt refert Lyra, vocem Hebraicam *ionah*, pro qua noſter *columbam* reddidit, à *iaim* deducunt, quod vinum ſignificat; vertúntque gladium inebriantem ſe ſanguine, aut gladium ebrietatis; quomodo paulò antè dixerat verſu 10. *Deuorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum.* 35.

Aliam ego explicationem adduxi capite 25. ad finem, ad eadem propè verba, quam tu vide. Quid autem ego de huius loci ſententia iudicem, paucis expediã. Primùm, ſi noſter Interpres *inebriantem* reddidiſſet, placeret Hebræorum cogitatio, quia & ipſa facilis, & aptè cum Hebræorum textu conſentiens: ſed quia à Vulgato recedendum non eſt, qui *columbam* tranſtulit, de columba nunc dicendum, quid magis videatur eſſe probabile. 36.

B

Et primùm, illud de vexillo columbæ effigie conſignato propter Semiramidem, non omnino probatur: tum quia fundamentum non habet vllum, quod ego viderim, niſi quod è Ieremiæ prophetia ſumitur; in qua ter ponitur *ira*, ſiue *gladius* columbæ: tum quia *gladius columbæ* non ſemper dicitur de Chaldæis, quod ſanè non contingeret, ſi columba proprium eſſet Chaldæorum inſigne. Ieremias capite 50. verſu 16. cùm ſermo eſſet de Perſis, qui Babylonicum extinxerunt imperium, gladium dicuntur habuiſſe columbæ, cùm tamen conſtet, illos auream aquilam habuiſſe pro ſigno. *Diſperdite ſatorem de Babylone*, &c. *à facie gladij columbæ, vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur.* At quis credat Babyloniis, ac Perſis effigiem columbæ commune fuiſſe militare ſignum? 37.

Columba, non propriũ Chaldæorũ inſigne.

C

Neque quidquam efficit, ſi dicas, cum imperio tranſlatum quoque ad Perſas militare ſignum: nam vt imperij ſignum fuerit columba, quod non puto, tunc tamen Perſæ gladium dicuntur habuiſſe columbæ, cùm imperij nondum eſſent potiti: quia de illorum tempore loquebatur Propheta, in quo nondum erat ſubiugata Babylon, & fracta Chaldæorum potentia. Adde, quòd poſt tranſlatum imperium, aliud erat Perſarum ſuæ gentis inſigne, neque enim illud vnũ, aut ſimplex: vt enim Xenophon refert libro 7. Cyropædiæ, & iterum libro 1. expeditionis Cyri, inſigne Perſarum fuit aurea aquila in oblonga haſta, patentibus alis; item imago Solis, vt tradit Quintus Curtius libro 3. & Tertullianus Apologetici capite 16. erit ergo columba aliquid non Chaldæorum proprium, ſed commune cum aliis: quod ſanè viderunt alij omnes Interpretes, qui tranſtulêre alij aliter: omnes tamen aliquid magis commune quàm columbam; nempe, *à facie gladij magni, gladij vaſtantis, gladij opprimentis.* Ego hîc in columba, vt antè dixeram, velocitatem intelligo cum Maldonato; ſensúmque puto ſic formari poſſe: Fugiamus à Chaldæorum gladio quàm longiſſimè, quia ille ea velocitate omnia peruadit, populatúrque, qua pernici ſuo, conſtantíque volatu, columba longa permeat ſpatia; ſuppletur autem nota ſimilitudinis hoc modo, Fugiamus à gladio, qui inſtar columbæ eſt. 38.

D

E

Verſ. 17. *Vocate nomen Pharaonis, tumultum adduxit tempus.*] Hîc mirè variant Interpretes, tum in 39.

in vertendo, tum in exponendo Pharaonis nomine. Septuaginta nomina reliquerunt Hebraica Σαὼν Βοσβὴθ Μωήδ, quaſi ex tribus vnum componeretur Pharaonis nomen. Hebræi, in quibus ſunt Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon, putant, hæc verba genus eſſe conuitij, quo populus Pharaonem exagitabat vt timidum, quia cùm tempus adueniſſet pugnandi, tumultuaretur tantùm, & turbaretur animo; neque tamen auderet conferre ſigna cum hoſte Chaldæo. Maldonatus longè aliter accipit, quaſi populus adulatus Pharaoni dicat, fore, vt eludat Ieremiæ conſilia, efficiátque, vt vanum prorſus appareat de ſtrage Aegyptiorum vaticinium.

40. *REGVLA. In nominibus futuri euentus portenduntur.* Ego, quid ſentiam, paucis oſtendo; ſi priùs obſeruauero, ſolitum eſſe Deum, in nomine perſonis impoſito, aliqua nota, ſeu ratione, mobilibus futuros rerum euentus conſignare: ídque eo conſilio, vt nomen illud frequentiùs auditum, ſpem oblatam, aut timorem iniectum ſæpius renouaret. Sic filiis Iſaiæ nomina imponi Dominus præcepit, quæ ſpem excitarent langüenti, ac penè deſperanti populo: alteri *Seher Iaſub*, ſeu *relictus Iaſub*, de quo Iſaias capite 7. alteri *accelera, feſtina prædari*, de quo capite 8. Sic filios Oſeæ, in dato ſibi nomine variorum euentuum præcones eſſe voluit. His poſitis, ſatis eſt veriſimile, datum eſſe Pharaoni nomen illud, quod futuram regni conuerſionem, & communem ciuium cladem portenderet.

41. *Vocor, idem quod ſum.* Sed credo nihilominus, ex alia Scripturæ regula iudicandum hunc locum. Sicut enim *nomen* pro perſona ponitur, quia talis aliquis eſſe cenſetur, quale nomen accepit; ſic etiam *vocari* idem etiam exiſtimatur quod *eſſe*. Qua de re ego pluribus ad illud Iſaiæ capite 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* vbi plurima adducta ſunt exempla. Et ſicut hoc Iſaiæ teſtimonio nihil ſignificatur aliud, quàm in Ieruſalem myſtica, ſeu Eccleſia, faciendam eſſe Domini voluntatem, ſic in hoc nomine, quo videtur vocatus eſſe Pharao, nihil aliud oſtenditur, quàm venturum eſſe tempus, quod perturbationem, & tumultum afferat Pharaoni: ſeu, quod idem eſt, magíſque cum Vulgati tranſlatione conſentaneum, ſi ita diſpungas: *Vocate nomen Pharaonis tumultum: adduxit tempus.* ideſt, date Pharaoni tumultus, ac perturbationis nomen. ideſt, perturbationem illi, & tumultum annunciate; quia tempus illi tumultum adducet. vbi, *adduxit*, prophetico more, pro futuro ponitur. Planè hoc ipſum docent exempla plurima, quæ loco Iſaiæ citato produxi: à quibus repetendis abſtineo; tu illa, ſi lubet, conſule.

42. *PROV.* Verſ. 18. *Sicut Thabor in montibus, & ſicut Carmelus in mari, veniet.*] Vſitatus eſt in ſacra Scriptura hic loquendi modus, quo promiſſi certitudo, ac fides, facta cum rebus natura firmiſſimis comparatione confirmatur. Plura in hanc ſententiam diximus ad illud capitis 31. *Si defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus.* vbi exemplorum ſatis. Erit ergo ſenſus, tam erit certum, venturum eſſe Chaldæum in Ægyptios fines, adducturúmque Pharaoni perturbationem, & tumultum; quàm verum eſt, Thabor eſſe vnum è montibus, & Carmelum vnum è promontoriis, quæ procurrunt in mare: ſeu tam futurum firmum vaticinium hoc de Ægypti ruina, quàm firmus eſt Thabor in montibus, & Carmelus in mari, in *Carmelus duplex.* tractu videlicet maritimo. Eſt autem, vt Hieronymus docuit in caput 1. Amos, Carmelus duplex; vnus in ſorte Ephraim ad Auſtralem plagam Iudææ, ſterilis valde, in quo Nabal greges alebat: alter in Tribu Aſſer, iuxta Ptolomaidem, mari imminens, in quo Elias ab æreo cælo pluuiam precibus expreſſit.

Verſ. 19. *Vaſa tranſmigrationis fac tibi, habitatrix filia Aegypti.*] Vaſa ex vſu idiomatis Hebraici quodlibet inſtrumentum ſignificant, in materia qualibet, & in quolibet vſu. Quare vaſa tranſmigrationis illa ſunt, quæ in aliquam regionem migraturis vſui eſſe ſolent, putà, ſaccus, pera, baculus, & penula, & ſi qua alia ad leuandam itineris moleſtiam à peregrinis comparari mos eſt. Vaſa autem tranſmigrationis ſymbola ſunt peregrinationis, fugæ, aut exilij, quia hæc commodè aliò, atque aliò moueri, atque transferri poſſunt. Quocirca cùm Dominus denunciare vellet Solymitanis peregrinationem, & exilium, præcepit Ezechieli capite 12. vt faceret ſibi vaſa tranſmigrationis, quæ coràm ipſe portaret, tanquam in regionem aliam migraturus. Illud verò, *habitatrix*, ideo poſitum videtur, vt quieti, & otio, quibus habitatores in vrbibus fruuntur, perturbatio opponatur, & motus, à quibus liberari nequeunt peregrini, & qui in alienis vagantur regionibus. 43.

Verſ. 20. *Vitula elegans, atque formoſa Aegyptus, ſtimulator ab Aquilone veniet ei.*] Hoc nomen de ſe non ſemel audiunt, qui mollem, & delicatam vitam agunt, ſed præcipuè Ægyptij, vt diximus ad illud Pſalmi 67. *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Vocatur autem Ægyptus vitula propter laſciuiam, ſicut Iſaiæ capite 15. Segor ciuitatem luxui, voluptatíque deditam vitulam appellat conternantem, ſeu triennem, quia illa ætate neque iugo premitur, & maximè laſciuit. De Iſraël idem propè Oſeas capite 4. quod nunc de Ægypto Ieremias, *Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael.* Appellari puto vitulam Ægyptum elegantem & pulchram accommodatè ad regionis naturam: ad ripas quippe Nili, quæ carecto abundant, & iunco, quæ boum ſunt grata, & opportuna pabula, vaccarum aluntur numeroſi greges: neque ſine cauſa ad Nili ripam in paſcuis vberrimis oblatæ dicuntur Pharaoni dormienti ſeptem vaccæ pingues, & totidem extrema confectæ macie; quia ſomnia talia plerunque ſolent hominibus accidere, qualia vident, aut experiuntur vigilantes. In eleganti igitur, & formoſa vitula tria ſpectare licet; primùm, quòd indomitam adhuc à iugo ceruicem habeat, neque aſſueta ſit aratro, aut plauſtro, atque ideo neque ſtimulis ab aratore compuncta; deinde, quia à iugo, loróque ſoluta, liberè vagatur, & immoderatè luxuriat: cúmque paſcuis abundet, atque deliciis, pinguis eſt, & nitida. His autem contraria experietur, cùm eò Chaldæus exercitum appulerit: imponet enim ceruici quondam liberæ aſperum iugum ſeruitutis duræ; è ſeruili opera, & rerum, quibus olim abundabat, inopia maciem trahet, & ſordes; denique ſtimulis agitabitur duris, neque otio deſidere, aut à labore vacare permittetur vnquam. Quare prioris vitæ, atque luxuriæ neque veſtigium apparebit vllum, neque vmbram intuebitur obſcuram. 44. *Vitulus, ſiue vacca, pro laſciuiente.* *Iſaiæ c. 15.*

Stimulatorem eſſe Nabuchodonoſor, nemo ferè dubitat, & communiter exiſtimatur ab aratore ſumpta metaphora: quia ille actos ſub iugum boues ſtimulis pungit, & cunctantes acuit. Addo ego, non videri durum, aut improbabile, 45.

ſi in

ſi in elegantis vitulę ſtimulatore œſtrum intelligamus, ſeu aſilum, vulgo *tabanum*, qui ſic vexat, agitátque boues, vt nullo in loco quieſcere permittat. Sic ſanè in loco non admodum diſſimili Septuaginta œſtro percuſſas eſſe dicunt laſciuientes vaccas. Nam vbi Vulgatus Oſeæ capite 4. habet: *Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël*, Septuaginta œſtri furorem, & ſtimulos intelligunt. Audi Hieronymum: *Pro laſciuiente vacca Septuaginta tranſtulerunt, quæ œſtro, aſilóque percuſſa ſit, quem vulgò tabanum vocant, de quo & Virgilius in 3. Georgicon libro refert:*

Oeſtrum quid?

———Cui nomen aſilo
Romanum eſt, œſtrum Graij vertêre vocantes.
Aſper acerba ſonans, quo tota exterrita ſyluis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther.

Sanè aſilus acer ſtimulator eſt, & vox Hebraica tam aſilo, quàm aratorio ſtimulo communis eſt.

46. Verſ.21. *Mercenarij quoque eius, qui verſabantur in medio eius, quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, & fugerunt ſimul.*] Qui ſint hi mercenarij, non admodum certum. Lyra mercenarios putat eos, qui ex aliis regionibus in Ægyptum negotiandi cauſa confluebant. Cùm enim multis rebus ad hominum vſus abundaret Ægyptus, inde à multis petebantur aut ornamenta pacis, aut belli, vitæque ſubſidia. Quare cùm ceſſaturum eſſe dicitur Tyri vetus emporium, non iam ampliùs in illud comportandæ dicuntur Ægyptiæ, ſeu Nili merces. Iſaiæ cap.23. verſu 3. *Semen Nili, meſſis fluminis fruges eius.*

47. Alij milites eſſe putant mercede conductos, qui mercenarij vocantur, quos Ægyptius apud ſe ad varios regni caſus retinebat; ita Theodoretus, Hugo, Maldonatus. Hi verò ſi è prouinciis illis euocati erant, in quibus vitam inſtituebant parcam, & duram, aſſuetique laboribus, bellorum incommoda minùs moleſtè laturi videbantur, fracti tamen poſtea Ægyptio luxu, & molliori ſaginati, atque effœminati victu, ipſi quoque fugient, aut frangentur ad hoſtium aſpectum, aut tubarum clangorem, facti iam vituli ſaginati, ac deſides ex commercio vitulæ elegantis, & mollis. In hanc ego ſententiam libenter deſcendo, tum propter *mercenarij* nomen, quod non bene cum negotiatoribus conuenit, tum quia dum ſecundo numerantur loco, niſi violatam eſſe putes gradationis legem, pluſculum in eis eſſe conſtantiæ, ac roboris oportuit. Addo tamen in his quoque comprehenſos videri Iudæos, qui non longè ante illud tempus in Ægyptum conceſſerant, quíque in eo rerum conflictu operam nauaſſe exiſtimari poſſunt Ægyptiis contra communem hoſtem. Qui licèt aſſueti eſſent labori longo, & bellorum incommodis, ex Ægyptio tamen cælo, & terræ deliciis, id conſequuti ſunt, vt animorum fregerint duritiem, & tanquam ſaginati vituli moleſtiam omnem, & pondus detrectarint. Quibus nempe accidit, quod non multò poſteà ſub Hannibale Pœnorum exercitui, qui cùm ſubſiſteret ad Capuam, breui tempore ſtrenuus elanguit animus, & eneruata eſt tentata ſæpe, neque antè concuſſa Punica conſtantia, Campanis deliciis.

Luxu molleſcunt animi.

48. Verſ.22. *Vox eius quaſi æris ſonabit.*] Hîc primùm examinandum illud, *eius*, quò referendum ſit, ad Ægyptúmne, an ad Babylonem, ita vt vox ſit Ægypti ſuam vicem deplorantis, aut exultantis, aut intentantis minas Babyloniæ. Hugo, Lyra,

A Dionyſius, Chaldæorum putant eſſe clamorem, in quorum ſententiam videtur inclinare Caſtrus: ita vt vox illa ſit, aut tubarum clangor, qui vox æris appellari poteſt, quia ſonus ille ab ære eſt, ideſt, ab æreo lituo: aut certè armorum ſtrepitus, qui fit ex clypeorum, armorúmque colliſione, quæ ſolet eſſe quoddam quaſi pugnæ proœmiũ, atque præludium, quod Ammianus libro 15. docuit: *Militares omnes* (inquit) *horrendo fragore ſcuta genibus illidentes, quod eſt proſperitatis indicium plenum: nam contrà cùm haſtis clypei feriuntur, iræ documentum eſt, & doloris*, &c. Et idem ſtatim libro 16. Et facit ad hanc coniecturam; quòd, vt docet Diodorus Siculus libro 2. hoc ſignum fami-
B liare eſt Ægyptiis, & ab illis ad Gentes deriuatum creditur: ad quorum conſuetudinem accommodatè ponitur à Propheta vox æris.

Alij Ægypti vocem eſſe putant, & in his 49. Theodoretus, Rabbanus, Vatablus, Iſidorus, & Maldonatus: quorum ratio leuis non eſt ſumpta ex pronomine, *eius*, tum quia in ſingulari numero eſt, neque eſt, quid referre poſſit, præter Ægyptum, aut vitulam ab Aquilonio ſtimulatore agitatam, cui in eo dolore proprium eſt, mugitu triſti ventos, ſyluáſque complere, vt modò dicebamus ex Virgilio: tum quia, *eius*, generis eſt fœminei; neque eſt aliud, quocum aptè conuenire poſſit. Adde, quòd illud, *ei*, quod ſtatim ſucce-
C dit, non poteſt ab Ægypto ſeparari; at vtrunque pronomen rem ſpectare prorſus eandem, nemo, credo, negauerit. In hanc poſteriorem ſententiam pronior eſt animus; tunc verò in ære inſtrumentũ aliquod intellige funereum, & lugubre, quali efferri mortui ſolent, & quo in ferali miniſterio vtuntur, qui dicuntur ſiticines: de quo nos pluribus ad illud Iſaiæ capite 16. *Venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit.* de quo poſtea iterum capite 48. vbi meminit Propheta inſtrumenti ærei, cuius ſonitum imitantur lugentium planctus. *Cor meum, inquit, ad Moab, quaſi tibia æris reſonabit.*

Tuba, pro funere. Iſai.cap.16.

Alij omnes, vbi Vulgatus, *vox æris*, transferunt, 50.
D *vox ſerpentis*; huius diuerſitatis cauſa fuit radicis Hebraicæ communitas: à radice námque נחש *nachas*, voces deriuantur, quæ metallum ſignificant, & ſerpentem. Quod ad ſenſum attinet, aut nihil eſt, aut certè nonniſi parum diſcriminis: vt enim vox æris lugubris eſt, vt vidimus, & elata cadauera proſequitur; ſic etiam ſerpentis vox vſque adeò feralis eſt, & triſtis, vt ab ea ſummi doloris vis, & luctus ingentis horrificus ſonus exprimatur. Sic Michæas capite 1. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* vbi tradit Hieronymus, *Dracones iuxta hiſtorias eorum, qui de phyſicis ſcripſerunt, cùm ab elephantis vincuntur terribili ſibilo, perſonare.* Theodoretus hunc
E ſerpentium luctum ex fabulis, ſeu vulgi errore ſumi putat. *Quod verò ait* (nempe Michæas) *Faciet planctum quaſi draconum, ſumpſit ex his, quæ circumferuntur in fabulis, ignorantiæ magnitudinem oſtendere volens. Quia verò ſolitæ ſunt cum cantu quodam præficæ lugere, & more ſerpentium ex æſtuante corde emittere anhelitum, & violentia quadam hunc edere, poſuit antè dictas ſimilitudines, cùm acerbitatis plena omnibus Iſraël Tribubus prænunciauit.* Hæc Theodoretus. Neque laboro, an verus ſit iſte ſerpentum luctus: ſatis eſt enim ad inſtitutum, ſi talis exiſtimetur: ſolet námque ſacra Scriptura hominum ſe cogitationibus accommodare: ſed re vera vſu compertum eſt, ſerpentes, cùm grauiter

Serpentis luctus.

aut vrgentur, aut ſauciantur ab hoſte, horrendum aliquid, & acutum ſibilare.

51. *Serpentis odium.* Adde, quòd ſerpentis planctu nemo commouetur, propter odium in illam belluam naturale, qui maximus ad miſeriam cumulus eſt, debitúſque Ægyptiorum ambitioni, & inclemenriæ. Ita Rupertus in locum, quem modò produximus ex Michæa, *Quando dracones* (inquit) *ſiue ab elephantis, ſiue ab hominibus vincuntur, & ob hoc ingenti ſibilo perſonant nullus hominum accurrit ad hoc, vt de nece illorum doleat: habent enim dracones, & homines naturales inter ſe inimicitias.*

52. *Cum exercitu properabunt, & cum ſecuribus venient ei.*] Accommodatè ad metaphoram elegantis vitulæ, ſuccidendum eſſe dicit ſaltum, vbi ipſa vagabatur laſciuiens, ac ſoluto collo. In quo regnum ipſum Ægyptium intelligitur, quod propter illarum rerum affluentiam, quæ ad luxum faciunt, & alias delicias intemperantes, ſaltus vocari potuit, aut vitularum paſcua. Secures verò dicuntur allaturi Chaldæi, duri lignatores, qui denſam illam ſyluam populentur, neque vmbram vllam, aut luſtra relinquant, vbi vitulæ illæ metaphoricæ ſuas poſſint exercere libidines.

53. Verſ. 23. *Succiderunt ſaltum eius, qui ſupputari non poteſt.*] In eadem perſtat metaphora, & addit frutices illos, qui ſunt in Ægyptio ſaltu, eius eſſe multitudinis, vt ad certum numerum reuocari nequeant: ſed ad innumeros frutices, ſyluestréſque dumos, innumeros etiam Dominus lignatores inuexit, qui ſyluam ſternerent totam, déque re tota quantò ocyùs igne, ferróque decernerent. Illa verò Chaldæorum multitudo, prouerbiali ſpecie, cum locuſtis confertur, quæ ea interdum multitudine conuolant, vt denſam in aëre nubem videre te putes; ſic, vbi conſedêre, terram ſternunt, & complent, vt nihil eſſe credas, præter locuſtas: quæ momento temporis, quidquid in frugibus, quidquid in herbis viride, ac pulchrum eſt, populantur, & perdunt. Eadem comparatio repetitur Iudicum capite 6. verſu 5. cùm ſermo eſſet de vicinis populis, qui rem Iſraëliticam prædabantur. *Inſtar locuſtarum vniuerſa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant deuaſtantes.* & cap. 7. ver. 12. *Orientales populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo.*

PROV. Locuſta, multitudinis ſignum.

54. *REGVLA. Ex nominibus compoſitis, altera tantùm pars interdum conuerſa.* Verſ. 25. *Super tumultum Alexandriæ.*] Hîc auctores varij: ego quid ſentiam, paucis expediam: & primùm obſeruo, vſitatum eſſe apud noſtrum Interpretem, vt in dictionibus compoſitis alteram interdum partem Latinè conuertat, alteram relinquat in ſua prorſus originali lingua. Filius Iſaiæ, vt communis eſt Doctorum ſententia, dicebatur *ſear Iaſub*, at Iſaiæ 7. vocatur *derelictus Iaſub*; vbi prior pars Latinè redditur, nempe *ſear*, quæ *derelictum* valet. Similiter, qui Benjaminita dici debuit, vtpote natus ex Tribu Benjamin, ille ſæpius dicitur *filius Iemini*; in quo pars illa prior, *Ben*, conuerſa fuit. Sic etiam à noſtro Propheta, in Hebraica voce אמון נוא *Amon nò*, prioris partis *Amon* ſignificatio poſita eſt, nempe *tumultus*, quæ aliquid importat commune; pro poſteriori nomen ciuitatis, quæ proprium aliquid ſonat.

55. *REGVLA. Nomina cõpoſite nõ eodem ab omnibus modo conuertuntur.* Obſeruo ſecundò, vnum nomen eſſe ciuitatis *Amon nò*. quod non obſcurè indicant aliqua loca, in quibus hæc duo coniuncta reperiuntur, vt Nahum 3. & Ezechielis 30. verſu 15. ſed quia in duorum nominum coniunctione varij occur-

A runt modi: nunc enim *Amon* præcedit, nunc, *nò*: interdum poſteriori voci præpoſitio additur, vt hoc Ieremiæ loco, *Amon de nò*; nonnunquam, *nò*, ſolum reperitur, vt Ezechielis 30. verſu 14. & verſu 16. Suſpicor, *Amon* nomen eſſe cum aliis ciuitatibus commune, determinari tamen à poſteriori parte *nò*. Quemadmodum in omni fermè natione multæ ſunt ciuitates, quibus commune nomen eſt, internoſci tamen ab aliis ſolent, à loco, in quo ſitæ, à conditore, aut ab aliqua certa, & peculiari nota. Quomodo dicitur Gabaa Benjamin, vt diſtinguatur ab alia eiuſdem nominis ciuitate. Et apud Latinos paſſim, vt Auguſta Emerita, Auguſta Actia, Thebæ Macedoniæ, Thebæ Ægypti; & in hoc ipſo vocabulo

B eſt accommodatum exemplum: eſt enim Alexandria duplex, altera dictur Alexandria Syriæ, altera Ægypti. Quia verò, *nò*, aliquid eſt ſpeciale magis, ideo vox illa ſola aliquando ponitur, quia commune nihil, aut confuſum importat; aut certè cum præpoſitione, quæ aut locum indicat, aut conditorem, aut aliquid aliud proprium, de quo nihil mihi conſtat: neque ab aliis aliquid afferri præter coniecturas, eáſque admodum obſcuras, & incertas. Hanc verò ciuitatem fuiſſe illam, quam Alexander poſtea ſeu amplificauit, ſeu reſtituit, quámque à ſuo nomine vocauit Alexandriam, tranſlatio noſtra Vulgata docet.

C Quid alij transferant, neque enim omnes alij cum Vulgato ſentiunt, in præſentia non laboro, quia res eſt longa, neque magnum eſſe video ſtudij, atque operæ pretium.

Et ſuper Pharaonem, & ſuper Aegyptum, & ſuper 56.
deos eius.] Quomodo cum Ægyptiis captiui quoque abducti fuerint illorum dij, & ſimulacra contuſa, diximus capite 43. numero 16.

Et poſt hæc habitabitur ſicut diebus priſtinis.] Quo- 57.
modo alij populi, qui à Nabuchodonoſor, prope hæc Iudæorum tempora, capti ſunt, in prouinciam ſuam quique redierint, diximus in caput 23. Iſaiæ, numero 3. Sed de hac reſtitutione Ægyptiorum egit Ezechiel capite 29. verſu 14. *Reducam captiuitatem Aegypti, & collocabo eos in terra*

D *Phathures*, &c.

Verſ. 27. *Et tu ne timeas, ſerue meus Iacob, & ne* 58.
paueas Iſraël, quia ecce ego ſaluum te faciam de longinquo.] Non conſtat, quando hæc audierint à Ieremia Ægyptij, aut Solymitani ciues; quia, vt ſæpe diximus, non eo ordine ſcripta ſunt, quo oblata à Deo, & à Propheta producta vaticinia. Illud mihi certum, quo tempore hæc de patriæ ruina, inſtaurandáque regni vaſtitate acceperunt Ægyptij. Iam antea ſæpius de ſua Ieruſalem, atque imperio delendo audiiſſe Iudæos. Cùm autem nunc captiuitatem Ægyptiam ſoluendam prædixerit Propheta, habitandámque rurſus, ſicut priùs Ægyptum, ne Iudæi aut Aegyptiæ inuiderent fortunæ, aut de ſua dolerent, & quereren-

E tur; addit, ipſorum quoque finiendum exilium, & repetendas ſedes, neque minori quàm antè ſplendore, ac frequentia ciuium habitandas.

Verſ. 28. *Quia ego conſumam cunctas gentes, ad* 59.
quas eieci te, te verò non conſumam.] Aliud leuamenti genus eſt, ſi iniuriæ nobis irrogatæ hoſtibus noſtris impunitæ non ſint; maximè his, qui infantili ingenio ſunt, nec norunt, magnam eſſe fortitudinis partem, & primam fortaſſe gloriam, in diſſimulandis, aut dimittendis iniuriis. Quare nunc populum illum, nondum ad Euangelij glorioſa documenta inſtitutum, conſolatur Deus,

Deus, & ipſis conceſſo, & hoſtibus negato in perpetuum reditu. A

Caſtigabo te in iudicio, nec quaſi innocenti parcam tibi.] Hic locus ſatis à nobis explicatus eſt capite 30. ad eadem propè verba: *Caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*

ARGVMENTVM CAPITIS XLVII.

VATICINIVM hôc eſt contra Palæſtinos, quod ſe à Deo accepiſſe dicit Propheta, priùs nempe, quàm Pharao Gazam ingenti vulnere concideret. Proponit primùm conſternationem, & metum, quo ſubita quadam paralyſi Palæſtinorum nerui diſſoluentur. Neque ſolùm Palæſtini concidendi traduntur à Chaldæis, ſed populi cum illis fœderati, Tyrij videlicet, & Sidonij, & alij, qui in regione illa maritima conſedêre.

IEREM. CAP. XLVII.

1. *QVod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra Palæſthinos, antequam percuteret Pharao Gazam:* B

2. *Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt quaſi torrens inundans, & operient terram, & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius: clamabunt homines, & vlulabunt omnes habitatores terræ,*

3. *A ſtrepitu pompæ armorum, & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius. Non reſpexerunt patres filios manibus diſſolutis* C

4. *Pro aduentu diei, in quo vaſtabuntur omnes Philiſthiim, & diſſipabitur Tyrus, & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis ſuis: depopulatus eſt enim Dominus Palæſthinos, reliquias inſulæ Cappadociæ.* D

5. *Venit caluitium ſuper Gazam: conticuit Aſcalon, & reliquiæ vallis earum, vſquequò concideris?*

6. O mu

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. ACcepit hoc verbum Ieremias à Domino contra Palæſtinos, antequam Pharao Gazam inuaderet.

2. Ecce inundantes aquæ, dicit Dominus, ab Aquilonari plaga impetu ſe præcipiti conuoluunt, ſicut collectis imbribus, intumeſcit torrens. Opplebunt terram, & quæ in ea ſunt, vrbes videlicet, & earum habitatores, clamabunt homines, & vlulatu flebili habitantes in terra cuncta complebunt.

3. Clamabunt, inquam, homines, dolebúntque, cùm ſtrepitum audiant gradientis exercitus, cùm denſa videant bellatorum examina, cùm currus aſpicient magno impetu ferri, cùm rotarum ſtridorem horribilem accipient. Hæc omnia ſic Palęſtinorum animos horrore concutient, vt parentum diſſoluantur manus, & animi cadant, nec filiorum ſuorum in tam graui periculo recordentur.

4. Diſſoluentur, inquam, ſubita paralyſi parentum manus, cùm dies ille aduenerit, quæ hoſtiles acies in Palæſtinorum fines frementes inducet. Tunc verò eodem, quo Palæſtini tempore, & eodem impetu Tyrij, atque Sidonij, & alij populi, cum Palæſtinis fœderati vaſtabuntur: & euertet Dominus Palæſtinos, qui reliqui ſunt è Cappadocia regione littorali.

5. Aſſumpſit Gaza lugentis habitum: totondit námque crines, & decaluauit caput. Conticuit Aſcalon ab hoſte ſubacta, & oppida reliqua, quæ in Palæſtina ſunt regione plana, atque campeſtri, quæ vallis non incommodè vocari poteſt. O Palæſtina, vſquequo, vt in dolore fieri aſſolet, cultris laceraberis? diu ſanè, quia diuturna te ſeruitus, & vexatio manet.

6. O mu

6. O mucro Domini vſquequò non quieſces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.

A 6. O mucro Domini, quando furori impones, atque vindictæ modum? Ecquis lacerandi, atque mactandi finis? Redi iam in vaginam, remitte de furore aliquid, atque ardore cædendi, & tandem ceſſa à plagarum inflictu.

7. Quomodo quieſcet, cùm Dominus præceperit ei aduersùs Aſcalonem, & aduersùs maritimas eius regiones, ibíque condixerit illi?

7. Quomodo à cæde ſe temperabit igneus ille mucro, cùm Dominus illum aduersùs Aſcalonem vibrauerit, regionéſque alias littorales, tempúſque cædi, plagæque condixerit? Quare non ceſſabit, donec tempus à Domino definitum impleuerit?

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-SEPTIMVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Antequam percuteret Pharao Gazam.*]

1. VATICINIVM hoc totum ſpectat Palæſtinorum ſtragem. Quod ſanè difficile non eſt; modò conſtet, & quo tempore prædictum à Ieremia, & quando re ipſa, atque opere completum. Quod ad priorem partem ſpectat, planè nobis diuinandum eſt; quia neque ex Scriptura ſacra, neque ex probato aliquo Auctore, quod ego viderim, aliquid inuenio ſolidi, cui innitar. Ter ex ſuis finibus exiiſſe memoratur Pharao, in eam plagam, quæ Palæſtinam continet, aut quæ Palæſtinæ proxima. Primùm, cùm occurrit illi Ioſias, quo extincto res Solymitanas conſtituit, ſuffecto Ioacim loco Ioachaz, quem ſecum victor in Aegyptum abduxit, ſed tunc non apparet, quomodo Gazam percutere potuerit, cùm ipſius imperio tunc ſubeſſet, ſicut & tota Syria: nam quarto pòſt anno, ſub anno nempe Ioacim quarto, magna Syriæ parte priuatus eſt, vt habes 4. Regum capite 24. verſu 7. veriſimilius eſt, tunc à Pharaone percuſſam eſſe Gazam, cùm ex Euphrate malè à Babyloniis mulctatus rediit, non quidem pulſus tota Syria, ſed magna illius parte. Nam, vt ſuprà diximus ex Ioſepho, tunc totam Syriam amiſit, quando auxilio venit Sedeciæ, cùm anguſtiſſimè obſidionem vrgeret Babylonius. Tunc verò non eſt incredibile, Gazæos ad hoſtes potentiores, nempe Chaldæos, defeciſſe. Tunc propter antiquum odium Iudæorum, quibus ſe iam infenſos oſtenderant Chaldæi; tunc quia Chaldæorum potentiæ, quæ iam grauiter attriuerat Aegyptias vires, obſiſtere ſe poſſe deſperarant: quare in reditu Pharao in Gazæos furorem euomuit, quem iam antè in Chaldæos, & nunc primùm ex graui exercitus, regníque iactura conceperat.

Pharao quoties egreſſus Syriam.

2. Tertiò egreſſus eſt Pharao, anno, vt eſt veriſimile, decimo Sedeciæ, ideſt, vno anno plus minus, antequam caperetur Hieroſolyma. Tunc Hebræorum magiſtri, in quibus ſunt Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon, & Hebræorum chronologia, quæ dicitur Sederolam, percuſſam eſſe dicunt à Pharaone Gazam; quibus ſubſcribunt è B noſtris aliqui, Lyra, Dionyſius, Caſtrus, neque improbat Maldonatus. Ego, vt dixi, nihil habeo certum, quod affirmem: tantùm dico, hoc mihi poſtremum videri difficile: neque enim puto, Aegyptios per Gazam fuiſſe peruenturos, vt ſubſidio eſſent Hieroſolymæ, aut certè non perueniſſe, cùm ante illum locum obuiam occurreret Chaldæorū exercitus: aut quomodo tunc diſiectus, & fractus Aegyptiorū exercitus percuteret Gazam ciuitatem munitam, & quæ iam ad Chaldæorum ditionem pertinebat, præſentibus Chaldæis certè, qui non adeò longè erant, vt ſubſidio venire non potuerint ciuitati, quam laborare, & premi ſua cauſa videbant. Hæc mea coniectura eſt, quæ non cogit, vt hæc affirmem, aut illa negem: fortaſſe aliquod aliud tempus fuit, C quo percuſſa Gaza: neque enim omnino Scriptura ſacra prodit quæ geſta ſunt, maximè cùm ad eos ſpectent, quorum niſi fortuitò hiſtoriam non texit: quales ſunt Aegyptij, atque Gazæi: & hoc poſtremum ego crederem propius eſſe vero.

3. Cur tempus deſignetur, in quo hæc à Ieremia acceperunt Gazæi, non laborant Interpretes. Hæc mihi occurrit in præſentia. Nam, cùm duplex Palæſtinis immineret calamitas; altera ab Aegyptiis, à Babyloniis altera; explicuit, de qua illarum accipiendum eſſet vaticinium: ne cùm Gaza plagam, credo ingentem, accepiſſet à Pharaone, liberam ſe putaret à metu, quem obiiciebat Ieremias, & ab vlteriore vulnere; ideo D certis, ſignatiſque verbis regionis meminit Aquilonaris, ideſt, Babylonicæ, cui omnino oppoſita eſt Aegyptia, quæ ad Auſtrum ſpectat; ne cùm vehementior ſpiritus ab Auſtro ceſſaſſet, quieuiſſe quoque exiſtimaretur ille, qui ab Aquilone perflat.

4. Age nunc, videamus, quo tempore Palæſtina plagam hanc à Chaldæis acceperit: quo primùm expedito, reliqua facilè, ac ſine moleſtia incumbent. Habemus hoc è Ioſepho libro 10. Antiquitatum capite 11. vbi tempus aſſignat, quo euerſæ à Chaldæis aliæ quoque gentes, de quibus ſubſequenti-

Nabuchodonoſor nationes multas ſubegit quinto anno poſt Hieroſolymam exciſam.

ſequentibus capitibus agit Propheta: de Moab, Ammon, Tyro, Idumæa, Ægypto. Quare hac de re non erit, cur iterum laboremus. Sic ergo Ioſephus: *Quinto poſt excidium Hieroſolymitanum anno, qui fuit regni ipſius Nabuchodonoſoris vigeſimuſtertius, cum magnis copiis inuaſit Caleſyriam* (ad hanc pertinet Palæſtina, & Tyrus) *qua ſubacta, bellum geſſit contra Ammonitas, & Moabitas: & his quoque perdomitis, Ægyptum hoſtiliter eſt ingreſſus.* Hæc Ioſephus, quæ nos ſuis locis, vbi de harum regionum ſtrage commentatio fiat, pluribus explicabimus. Idem Hieronymus in caput 23. Iſaiæ, in priori commentatione, in principio, vbi id probari poſſe dicit ex profanis hiſtoriis.

5. Verſ. 2. *Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt quaſi torrens inundans.*] In aquis copias ſignificari ingentes, & in torrente incitatum illarum, & vehementem impetum, ſæpius à nobis oſtenſum eſt. Eadem metaphora vſus eſt Iſaias capite 8. verſu 7. & capite 17. verſu 13. vide, quæ diximus ſuprà, capite 46. numero 9. Porro modus ipſe dicendi fremitus magnos, & ſtragem, quaſi iamiam ingruentem importat: vt longè antè exundantes illas aquas ab Euphrate, ſuam ſibi ruinam timere incipiant Palæſtini.

6. *Operient terram, & plenitudinem eius.*] Vſitata eſt hæc dicendi forma, & ſacræ Scripturæ familiaris, quæ nihil, credo, continet aliud, quàm epitaſim quandam, quæ indicat, in re, de qua ſermo, ſeu vaticinium inſtituitur, nihil futurum reliquum, aut vacuum, quod non comprehendat, aut compleat, quod promittimus, ſeu minamur.

Plenitudo terræ, & maris quid?

Quare, *terra, & plenitudo eius,* nihil eſt, aut ego fallor, aliud, quam *tota omnino terra.* Sic ſæpe audis, *mare, & plenitudo eius.* ideſt, quidquid in mari eſt; puta, inſulas, piſces: ſic omnis terra, ideſt, quidquid in ea eſt, montes, vrbes, & homines: neque enim quicquam erit à metu, vel periculo vacuum. Quod ſtatim explicat ſimili genere orationis, cùm addit: *vrbem, & habitatores eius.* Habitatores autem plenitudo ſunt ciuitatis, ſicut inſulæ maris; quia ciuitates, quæ hominum domicilia, & quaſi ſinus quidam, & cauitates ſunt, ab hominibus complentur.

7. Verſ. 3. *A ſtrepitu pompæ armorum, & bellatorum eius.*] Explicat, quænam ſint aquæ, & inundans torrens ab Aquilone, quæ terra operiebat: ſunt enim Chaldæorum acies magna, ac denſa bellatorum examina, quæ regio viris, armiſque potentiſſima in prouincias illas ferro iam, & ſeruituti deuotas effundet. Torrens verò erit quadrigarum commotio, rotarum multitudo, quæ non aliter concutient, ſternéntque, quicquid obuium inuaſerint, quàm torrens, de quo Virgil. 2. Æneid.

— Rapidus montano è flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boúmque labores,
Præcipitéſque trahit ſyluas. ———

Eadem vſus eſt ſimilitudine Iſaias capite 5. cùm de Chaldæorum loqueretur exercitu: *Rota eius, quaſi impetus tempeſtatis.* & Ezechiel capite 26. *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum, à ſonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui.*

8. *Non reſpexerunt patres filios manibus diſſolutis.*] Mira amplificatio ſubitæ conſternationis, ac motus: neque enim exiguum eſſe oportet, quod parentibus inſitum à natura ſtudium excutit, quo ſic afficiuntur in liberos, vt illorum cauſa nihil horreant, non gladium, non mortem. At ea

A erit perturbatio, illa inſperati mali ſubita impreſſio, vt de filio non cogitent parentes, aut ſi illorum tangat ingens dolor, & cura, non tamen audeant, quò ſibi ſuæ ſaluti caueant, ad illorum infelicem ſortem, & inſtantem fati neceſſitatem reſpectare. Diſſolutæ manus pro graui hìc ſtupore, ac formidine capiuntur, effectus, nēpe, pro cauſa. Metus quippe laxat neruos, diſſoluit manus, genua debilitat, redditque hominem, ad ſtrenuam aliquam functionem prorſus ineptum. Sic Deus Iſaiæ capite 35. ad timidos, & deſperantes ait: *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.* & Paulus ad Hebræos capite 12. huc reſpectans ait: *Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite.* Sed nemo ſæpius hoc genere ſermonis pa-

B uorem exprimit noſtro Propheta, cui modus iſte dicendi familiaris eſt. ſuprà capite 6. verſu 24. capite 38. verſu 4. capite 50. verſu 43. neque alienum id eſt à profanis ſcriptoribus, qui timorem, & æſtum animi, in ſubito, & inſperato caſu hoc fermè modo deſcribunt. Sic Virgilius libro Æneidos 12. de Turno:

Illi membra nouus ſoluit formidine torpor.

Verſ. 4. *Pro aduentu diei, in quo vaſtabuntur omnes Philiſtim, & diſſipabitur Tyrus.*] Dies per metonymiam pro illis ſumitur, quæ in die fiunt; ſicut tempus pro iis, quæ in tempore; & locus pro iis, quæ in loco continentur. Diſſoluentur itaque 9.

C ſubita paralyſi Palæſtinorum membra, cùm dies ille aduenerit, quæ hoſtiles copias in ſuos fines exundantes, frementéſque cōſpexerit. Quo tempore fœderati populi, Tyrij, videlicet, & Sidonij, eodem, quo Palæſtini tempore, & eodem propè impetu vaſtabuntur. Porro hos populos mutuas ſibi præſtitiſſe operas, & auxilium ſociale, non obſcurè docet hic locus, & ratio ipſa ſuadet; quia & vicini ſunt, & communes hoſtes habuerunt, & priùs Iſraëlitas, & poſtea Chaldæos: ſed quos priùs ſocietas, & fides, ſic poſtea calamitas, & ruina coniunxit.

Reliquias inſulæ Cappadociæ.] Pro Cappadocia 10.

Palæſtini è Cappadocū genere.

Hebraicè eſt Caphtorim. Qui populi fuerint, incertum mihi eſt: neque credo aliquid certum de-

D finiri poſſe: neque prætera in ea re exploranda magnum apparet operæ pretium. Eſt tamen, vtcunque alij aut vertant, aut cogitent, cum Vulgato dicendum, illos eſſe Cappadoces, de quorum genere fuiſſe Palæſtinos, colligitur ex Geneſis capite 10. verſu 14. quare mirandum non eſt, ſi pro fratribus, & cognatis pugnare voluerint contra Chaldæos, à quibus ſic conciſi ſunt, vt nullæ remanſerint Cappadocum reliquiæ.

Dicuntur verò Cappadoces inſulani, ſeu Cap- 11.

Inſula, quod abeſt longè.

padocia inſula, cùm tamen extra mare ſint, quod inſularum nomini, ac naturæ repugnat; vel quia longè à Hieroſolymis abeſt Cappadocia. Quod autem abeſt longè, id Hebræi inſulas appellant:

E quale eſt illud Iſaiæ capite 42. *Legem eius inſulæ ſpectabunt.* & capite 49. *Audite inſulæ, & attendite populi de longè,* vel quia regio maritima eſt, & quod non longè abeſt ab aliquo loco, in eo ſitum eſſe cenſetur. Quomodo Chriſtus Lucæ capite 24. ex Bethania dicitur in cælum aſcendiſſe, cùm tamen ex monte aſcenderit oliuarum. *Eduxit eos in Bethaniam, & ferebatur in cælum.* & Ioannis cap. 1. *Hæc in Bethania facta ſūt, vbi erat Ioannes baptizans.* Sed neque Chriſtus ex Bethania aſcendit, neque in Bethania baptizauit Ioannes: vtrunque verò dicitur factum in Bethania, quia non longè ab illa vterque locus aberat. Sic ergo inſula vocari poteſt

REGVLA. In loco illo aliquid eſſe dicitur, à quo non longè abeſt.

poteſt Cappadocia, quia regio littoralis eſt, neque longè abeſt, vt à mari poſſit circumfundi, & inſulæ nomen obtinere.

12. Verſ.5. *Venit caluitium ſuper Gazam.*] Commune fuit Gentibus, vt in luctu, atque mœrore ornamentum illud auferrent è capite, quod dedit natura ſpecioſum, & honeſtum: quare detonſo capillo, ſine quo turpe, atque deforme cenſetur eſſe caput, caluitium inducebant, quorum mores imitati ſunt Iudæi, etiamſi contrà ſtaret Diuinum præceptum Leuitici capite 2. Plura de his, ca.41.ad illud: *Raſi barba, & ſciſſis veſtibus.* inde pete.

13. *Conticuit Aſcalon.*] *Tacere, ſilere, taciturnitas, & ſilentium,* ſtuporem indicant, qui interdum loquendi facultatem eripit; interdum ſubiectionem, qua quis ſeruitutem ſubit, vſque adeò ærumnoſam, & miſeram, vt neque mutire audeat, neque in ſuo dolore, atque ignominia, ſuam deplorare, aut ſignificare fortunam. Quomodo terra Machabæorum capite 1. ſiluiſſe dicitur, in conſpectu Alexandri; interdum verò ſilere dicitur id, quod ex frequentia maxima ad ſolitudinem redactum eſt, aut ab eo deſertum, cuius gratia perſonare dicebatur: quomodo forum, bellorum tempore, ſilere dicitur à cauſis, & iudiciis, & agri hyemali tempore, cùm aues maximè vocales, aut diſcedunt, aut ſilent. Eſt enim vſitatum in omni literatura, vt, quæ in loco fiunt, de loco interdum affirmentur: quomodo reſonare dicuntur arbores, vbi reſonant cantillantes aues, aut ſtrepere beſtiolæ, vt de arbuſtis, & virgultis cecinit Maro, illud Eclogæ 1.

Tacere infœlicii eſt.

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Hoc verò libro 2. Georgicon:

Auia tum reſonant auibus virgulta canoris.

Aſcalon itaque quocunque horum modorum ſilere potuit, vel quia ſubito, atque inopinato Chaldæorum obſtupuit aduentu; aut quia hoſtis inſolens ſpiritum præcluſit, & linguam; aut quia regio illa frequens antea ciuibus, ſic eſt orbata à potentiori hoſte, vt vox poſtea humana nuſquam audiretur. De hoc ſilentij genere diximus Iſaiæ capite 6. numero 19. & capite 23. num.8.

14. *Et reliquiæ vallis earum.*] Vallem appellamus propriè depreſſum, atque profundum locum, quem colles in ſuo quaſi ſinu, atque complexu cohibent: nihilominus planicies omnis, maximè ſi non procul abſit à collibus, vallis appellatur, qualis eſſe videtur omnis Palæſtina, quæ cùm in plano loco plerunque ſit, vt auctor eſt Ioſephus, non tamen, vt in tota ea regione, quæ montoſa eſt, atque confragoſa, colles longè ſunt, propter quos prouincia illa tota vallis appellari potuerit. Ioſephum audi libro 5. Antiquitatum capite 2. *Expugnatis montanis oppidis, in campeſtria, & maritima deſcendentes prædictæ duæ Tribus Aſcalonem, & Azotum de Chananæis ceperunt. Euaſit autem eos Gaza, & Accaron, quòd in planicie ſitæ, & abundantes curribus, inuadentes ſe malè mulctatos facilè reiiciebant.* Quare reliquias vallis nihil eſſe aliud puto, quàm reliquam Palæſtinam, cuius duæ illæ ciuitates erant præcipuæ.

Palæſtina campeſtris.

15. *Vſquequò concidêres.*] Oſtendimus ſuprà capite 41. quomodo in luctu cultris ſe Gentiles ſolerent incidere: neque hîc aliquid occurrit, quod addamus. Concidebant ſe, vt credo, Palæſtini populi, ab hoſte in ſeruitutem dati: illam verò ſeruitutem, atque dolendi cauſam futuram eſſe diuturnam, eo dicendi genere denunciat. Interrogatio enim, per aduerbium *vſquequo*, id plerunque indicat. Et aſſonat valdè, quod mox ſubiicitur:

Verſ.6. *O mucro Domini, vſquequò non quieſces?*] 16. Spectabat propheticis oculis Ieremias ſæuientem Domini gladium, latéque in Palæſtinæ finibus, & durè graſſantem; & miſeratus eius populi caſum, admiránſque tantam in laceranda ea regione conſtantiam, exclamat: O mucro Domini, quouſque tandem inclementer graſſabere? quando furori impones, atque vindictæ modum? ecquis erit lacerandi, atque mactandi finis?

Refrigerare, & ſile.] Cùm gladius à furore, atque 17. offenſione vibratur, igneus dicitur ex ſacræ Scripturæ vſu; ſic Cherubim gladium dicitur habere flammeum Geneſis 3. & furor ipſe dicitur ardere: & qui furens graſſatur in inimicos, aut quoquo modo ſtrenuè ſe gerit in acie. Quare aptè dicitur, qui ab eo ſe furore temperat, aut cuius furor in prægnando deferueſcit, refrigerari, quia aliquid ab incendio illo metaphorico remittit. Sic etiam mucro refrigeratur, quia deponit aliquid ab ardore, & ſtudio cædendi. *Silere*, idem eſſe, quod ceſſare, ſatis eſt exploratum, & nos ea de re pluribus ad illud Iſaiæ capite 7. *Vide, vt ſileas, noli timere.* Sic Iob capite 3. *Nunc dormiens ſilerem.* id eſt, quieſcerem 2. Regum capite 19. *Vſquequo ſiletis, & non reducitis Regem?* id eſt, ceſſatis. Threnorum capite 3. *Ne taceat pupilla oculi tui.* id eſt, ne ceſſet à lacrymis.

Sileo, idem quod ceſſo.

Verſ.7. *Cùm Dominus præceperit ei aduersùs* 18. *Aſcalonem.*] Corrigit ſe Propheta, quaſi ſtultè ſæuienti, atque igneo mucroni dixerit, vt ſe rurſus in vaginam reconderet, & aliquid remitteret de ardore pugnandi. Cùm mucro ille, nempe, Nabuchodonoſor, qui non ſecus fuit gladius in manu Domini, quàm olim Aſſur in eiuſdem manu virga furoris, Iſaiæ capite 10. Quare fruſtra orat à Nabuchodonoſor vt in vaginam redeat, reuertatur, nempe, in patriam ſuam, ac ſæuire deſinat, cùm miſſus à Deo fuerit in Aſcalonem, ibique ſtragem, & cædem exercere iuſſus. Eſt autem, *præcipio*, verbum militare, quod idem fermè eſt, atque agmen conſcriptum, delectúſque militares aliquò mittere, aut quodcunque telorum genus eò vibrare, quod conciſſum, aut deletum eſſe volumus: & ideo in ſacra Scriptura frequens, *Præcipere gladio*, qui vulneret, *ſerpenti*, qui mordeat, *vento*, qui vrat; quia his Deus quaſi adminiſtris indignationis ſuæ ad ſupplicium vtitur impiorum.

Præcipio, verbum militare.

Ibique condixerit illi.] id eſt, definierit & locum, 19. & tempus: quare non ceſſabit acutus ille, atque cruentus mucro, donec tempus impleat cædi deſtinatum, & quam Dominus plagam deſignarat, infligat.

Aliud vaticinium contra Palæſtinam pauciſſimis verbis complexus eſt Iſaias capite 14. ibi tamen prouinciæ illius vaſtitas, & interitus non à Chaldæis, ſed à Solymitanis inferenda traduntur, vt pluribus in illum locum Iſaiæ diximus in noſtris Commentariis. Neque obſtat, quòd tunc ab Aquilone venturus dicitur fumus, ſeu incendium, quia Palæſtinis Hieroſolyma Aquilonaris eſt.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS XLVIII.

CAPVT hoc longum, quantumcunque eſt, tonat, ac fulminat contra Moab; quod ſanè varium eſt, & variæ etiam dicendi figuræ. Sunt quidem, quæ de ſe hîc audiunt Moabitæ, grauia, & dura, & omni regioni Moabitidi communia. Quorum eam dicit fuiſſe cauſam, & quòd in deliciis vixit in ſolo vberrimo, & quòd magnificè de ſe, ac ſuperbè ſentiebat. Cúmque minatus eſſet Deus captiuitatem, & exilium, ad extremum libertatem promittit, & reditum in patriam. Tractauit idem argumentum, & eiſdem interdum verbis Iſaias capite 15. & capite 16. quare nonnulla in hoc caput ex noſtris in Iſaiam Commentariis contulimus.

IEREM. CAP. XLVIII.

1\. *AD Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Væ ſuper Nabo, quoniam vaſtata eſt, & confuſa: capta eſt Cariathaim: confuſa eſt fortis, & tremuit.*

2\. *Non eſt vltrà exultatio in Moab contra Heſebon: cogitauerunt malum. Venite, & diſperdamus eam de gente: ergo ſilens conticeſces, ſequetúrque te gladius.*

3\. *Vox clamoris de Oronaim: vaſtitas, & contritio magna.*

4\. *Contrita eſt Moab: annunciate clamorem paruulis eius.*

5\. *Per aſcenſum enim Luith plorans aſcendet in fletu: quoniam in deſcenſu Oronaim hoſtes vlulatum contritionis audierunt:*

6\. *Fugite, ſaluate animas veſtras: & eritis quaſi myricæ in deſerto.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. HOc vaticinium ſpectat ad Moab, de qua ſic Dominus Deus Iſraël: Væ tibi Nabo, in qua fuit ante Moabitarum oraculum, quoniam confuſio te, & vaſtitas occupauit. Væ tibi Cariathaim, quia in hoſtium manus, & poteſtatem data es; quæ cùm fortis eſſes, atque munita, ad hoſtium tamen aduentum expauiſti.

2\. Non eſt cur deinceps Moab geniales ducat, atque feſtiuos dies: nam potentiores hoſtes conſilium inierunt contra Heſebon, dixerúntque ſe inuicem ad eius
B exitium cohortati: Agite dum deleamus illam, faciamúſque ne iam ampliùs in populis numeretur, & gentibus. Ergo ſpiritus deiicies inſolentes, ô Moab, & abiectus ſilebis, quia gladius tibi infenſus impendet.

3\. Vox audita eſt ab Oronaim, quæ ex tota regione Moabitide priùs ſpectat Babylonicos fines, quæ intuita Chaldæorum acies iam iam appropinquantes clamat, vaſtitatem iam, & contritionem impendêre.

4\. Actum iam putate de Moab: indicite infirmæ paruulorum ætati clamorem, & lacrymas, quando alio ſe modo tutari
C nequeunt.

5\. Aſcendit Moabiticus populus per aſcenſum arduum, vbi ſita eſt Luith, in latere montis, qui in fine eſt Moabitidis regionis, quæque ſpectat Moab, quem captiui relinquunt; cuius fletum exceperũt hoſtes ex Oronaim, qui in eiuſdem montis deſcenſu ſita eſt, quâ in Babylonicos fines deſpectus eſt.

6\. Si effugeritis Chaldæorum gladium, animáſque veſtras ſeruare contigerit; nihilominus, ô miſeri, vita vobis traducenda eſt morti quàm ſimillima: agetis enim vitam

A tam agreſtem, & vagam, eritiſque ſicut myrica ſterilis in deſerto.

7. Pro eo enim quòd habuiſti fiduciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris: & ibit Chamos in tranſmigrationem, Sacerdotes eius, & Principes eius ſimul.

7. Propterea quòd in tuis opibus, ac munitionibus ſatis præſidij ſitum eſſe putabas contra omnem vim, & apparatum hoſtilem, & eo inflata nomine nihil tibi non arrogabas, tu quoque cum aliis prouinciis capieris. Et tam aberit, vt Chamos, quem præcipua quadam religione obſeruas, & colis, auxilio tibi ſit, vt ipſe quoque cum Sacerdotibus, ac Principibus ſolum quoque Moabiticum mutaturus ſit.

8. Et veniet prædo ad omnem vrbem, & vrbs nulla ſaluabitur: & peribunt valles, & diſſipabuntur campeſtria: quoniam dixit Dominus:

8. Irruet prædator Chaldæus in om-
B nem vrbem, neque vlla erit, quę vim illius, & poteſtatem effugiat. Et quia ſic Dominus comminatus eſt, campeſtria omnia, & valles amœnitatis eximiæ vaſtabuntur.

9. Date florem Moab, quia florens egredietur: & ciuitates eius deſertæ erunt, & inhabitabiles.

9. Quantumcunque in amœno, atque irriguo loco ſit Moab, floreátque, ac niteat ab vbertate patria, florens tamen, & nitidus abripietur in alienum ſolum: & ciuitates priùs florentes, ac lautæ, ſic erunt ſquallentes, & vaſtæ, vt nullus illas prorſus inhabitet.

10. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.

10. Maledictus ſit Chaldæus, cui nego-
C tium hoc Moabitidis terræ vaſtandæ permitto, ſi hoc ſibi negotium negligenter aſſumat, & ab impio ſanguine armatam ferro manum abſtineat.

11. Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis: nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abiit: idcirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus.

11. Ex quo eſſe cœpit Moab, ab eo nēpe tempore, quo ad mare mortuum quinque ciuitates incendio cæleſti conſumptæ ſunt, perpetuam habuit, & quaſi vernaculam abundantiam. Quare aliquid traxit tetri, atque inſuauis odoris, ſicut vinum, quod de vno dolio in aliud non transfunditur. Et quia in fæcibus ſemper inſedit,
D aliquid impurum, ac graue traxit à fæculenta materia. Porro Moab nunquam in vas aliud transfuſus eſt, quia nunquam vicinam Sodomæ regionem reliquit, atque ideo neque inutauit guſtum, & Sodomæum ſibi odorem retinuit.

12. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam ei ordinatores, & ſtratores lagunculatum, & ſternent eum, & vaſa eius exhaurient, & lagunculas eorum collident.

12. Propterea, dicit Dominus, aliquando mittam vinarios magiſtros ſtrenuos, & induſtrios, qui efficient, nequid ſuperſit amplius ex illa Moabitica, ſeu Sodomitica vindemia: ordinabunt enim aliter, atque diſponent illa cellaria; lagunculas ſternēt,
E atque confringent, quia ſternent, conteréntque Moab; lagunculas exhaurient, & vaſa collident.

13. Et confundetur Moab à Chamos, ſicut confuſa eſt domus Iſraël à Bethel, in qua habebat fiduciam.

13. Tunc verò tam erit pudori Moabitis Chamos, à quo ſibi ipſis omnia promittebant, quàm olim Iſraëlitis aureus vitulus, cui aram conſtituerunt in Bethel.

14. Quomodo dicitis: Fortes ſumus, & viri robuſti ad præliandum?

14. Vnde vobis confidentia tanta? vnde militares ſpiritus? vnde vana illa, atque ſuperba cogitatio, qua vos robuſtos, & ad bellicum ſtudium ſtrenuos iactabatis?

15. Vaſtata 15. Actum

A

15. *Vaſtata eſt Moab, & ciuitates illius ſucciderunt: & electi iuuenes eius deſcenderunt in occiſionem: ait Rex, Dominus exercituum nomen eius.*

15. Actum putate de Moab, dicit Dominus, actum de illius ciuitatibus, quas hoſtes vaſtarunt Babylonici, actum de omnibus iuuenibus, ac robuſtis Moab, qui reliquis fore putabantur pro muro.

16. *Propè eſt interitus Moab vt veniat: & malum eius velociter accurret nimis.*

16. Iam extremum Moab imminet exitium, ocyſſimo illi gradu feſtinat immiſſa calamitas.

17. *Conſolamini eum omnes, qui eſtis in circuitu eius; & vniuerſi, qui ſcitis nomen eius, dicite: Quomodo confracta eſt virga fortis, baculus glorioſus?*

17. Quare, quia propè adeſt ſuprema dies regioni Moabitidi, omnes nationes, qui illam noſtis, & proximè circūfunditis, quaſi ſpoliatæ iam & viduæ debitum, ac

B

pium lugentibus officium præſtate. Conſolamini igitur, & dicite lugenti Moab: Quomodo virga Moab, quæ tam videbatur fortis, ac ſolida, quaſſata eſt, ac comminuta? Quomodo baculus, qui fore videbatur in gloriam, confractus eſt?

18. *Deſcende de gloria, & ſede in ſiti, habitatio filiæ Dibon: quoniam vaſtator Moab aſcendet ad te, diſſipabit munitiones tuas.*

18. Quæ glorioſa ſedebas, & perennibus abundabas fontibus, ô Dibon, de tua deiicieris gloria, & per aridam ſolitudinē, ac ſiticuloſum vagaberis. Nam idem, qui populatus eſt Moab, in tuam quoque vaſtitatem incūbet, diſſipabítque, quod in te munitū, & expugnatu difficile videbatur.

C

19. *In via ſta, & proſpice habitatio Aroer: interroga fugientem: & ei qui euaſit, dic: Quid accidit?*

19. Et tu Aroer in alieno periculo diſce, quid tuo capiti timere debeas. Sta ergo in via, & attentè proſpice Diuinum euētum. Interroga ab eo, qui cladem effugit, quid rerum fiat, quid mali proximis ciuitatibus acciderit.

20. *Confuſus eſt Moab, quoniam victus eſt: vlulate, & clamate, annunciate in Arnon, quoniam vaſtata eſt Moab.*

20. Attritus eſt, pudefactúſque Moab, quoniam ſubactus eſt: vlulate igitur vicini populi, & quantùm poteſtis gemitu, clamoréque contendite: & Arnon idipſum annunciate, vt ſuo ſibi capiti ſimile metuat infortunium.

D

21. *Et iudicium venit ad terram campeſtrem: ſuper Helon, & ſuper Iaſa, & ſuper Mephaath,*

22. *Et ſuper Dibon, & ſuper Nabo, & ſuper domum Deblathaim,*

23. *Et ſuper Cariathaim, & ſuper Bethgamul, & ſuper Bethmaon,*

24. *Et ſuper Carioth, & ſuper Boſra: & ſuper omnes ciuitates terræ Moab, quæ longè, & quæ propè ſunt.*

21. 22. 23. & 24. Ex montoſis, confragoſiſque locis, idem quoque iudicium, ſeuerum nempe, ac durum deſcendet in demiſſa, atque campeſtria loca: nempe ſuper Helon, Iaſa, Mephath, Nebo, Dibon, Deblataim, Carathaim, Bethgamul, Bethmaon, Carioth, Boſrach, &, ne multis morer, ſuper omnes ciuitates, quæ ſunt in tractu Moabitico, vbicunque locorum fuerint, ſiue proximæ ſint, ſiue ad vltimos fines longè receſſerint.

25. *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium eius contritum eſt, ait Dominus:*

25. Confractum eſt cornu Moab, ſublatæ vires, abſciſſum auxilium, dicit Dominus, & contrito brachio ſublata omnino

E

præliandi facultas.

26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus eſt: & allidet manum Moab in vomitu ſuo, & erit in deriſum etiam ipſe:*

26. Inebriabitur Moab, & non à vino, ſed ab angore animi, atque dolore, quo nō minùs conſilij inops perturbabitur, atque æſtuabit, quàm qui vinum ad crapulā immoderatè hauſit. Quia ſpiritus aſſumpſit inſolentes, & in Deum aliquid ſe poſſe cōfidebat. Quare, vt temulēti ſolent, manuū comploſione, quàm ſit mens commota, ac

A perturbata,ſignificabũt. Quod facient ma-
ximè,quando quæ immodicè biberãt, tur-
pi, atque indecoro vomitu refundent. Et
quomodo Iſraëli in fortuna ſimili quondã
inſultauit,ſic ipſe aliis ſe irridẽdũ prębebit.

27. Fuit enim in deriſum tibi Iſraël, quaſi inter fures reperiſſes eum: propter verba ergo tua, quæ aduerſùm illum locutus es, captiuus duceris.

27. Neque immeritò,ô Moab, aliis eris
ludibrio,quandoquidẽ non aliter ipſe con-
uitiis exagitaſti Iſraël,cùm ab eodem hoſte
paulò antè grauiſſimis vexaretur modis,
quem ſic accepiſtis inclementer,ſicut cùm
latro in ipſo furandi conatu deprehẽditur.
Propter verba ergo illa, quibus populum
B illum vel hoſti miſerabilem exagitaſti, tu
quoque ab eodẽ hoſte captiuus abducẽris.

28. Relinquite ciuitates, & habitate in petra habitatores Moab: & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis.

28. Relinquite ciuitates habitatores
Moab, & ad præruptos, inacceſſóſque ho-
minibus ſilices aſcendite:ibique non ſecus
ac columbæ timidæ in petræ foraminibus,
ſic vos in ſcopulorum cauernis latibula,
atque perfugia parate.

29. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſublimitatem eius, & arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis eius.

29. Audiuimus, quàm ſint inflati ſpiri-
tus Moab (planè ſupra modum inſolentes
ſunt)quàm altè,quàm ſuperbè,quàm arro-
C gãter de ſe ſentiat,ac loquatur,audiuimus.

30. Ego ſcio, ait Dominus, iactantiam eius:& quòd non ſit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata ſit facere.

30. Ego noui, ait Dominus, quantum
ſibi tribuat, quàm parum eius cogitationi
ambitioſa virtus, facultáſque reſpondeat;
& quemadmodum maiora audeat, quàm
præſtare poſſit.

31. Ideo ſuper Moab eiulabo, & ad Moab vniuerſam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes:

31. Ideo toti regioni Moabitidi plan-
ctum indico;vniuersè,inquam, Moab cla-
morem,& eiulatum denuncio, ipſos etiam
viros, qui ciuitatem habitant, quæ cocto
latere munita eſt, in qua præcipuum eſt
prouinciæ munimentum,lamentari iubeo.

32. De planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama: propagines tuæ tranſierunt mare, vſque ad mare Iazer peruenerunt: ſuper meſſem tuam,& vindemiam tuam prædo irruit.

32. Eandem tibi ſtragem denuncio, ô
D Sabama,quæ vitibus abũdas, & nobili vin-
demia,quam ſubiit iam antè Iazer. Propa-
gines tuæ,ô magna, ac generoſa vinea, ſic
ſe explicuerunt latè, vt mare etiam attige-
rint Iazer;ſed in meſſem tuã, atque vinde-
miam prædatores irruẽt,qui, quod tibi ipſi
plantaueras,curaueráſque,ſibi demetant.

33. Ablata eſt lætitia & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus ſuſtuli: nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit.

33. Non iã ampliùs in Moab,ſicut neq;
inCarmelo,audietur feſtiuus ille cãtus,qui
edi à ruſticis cõmuniter in vindemia ſolet.
Feci enim ne iã exprimatur in torcularibus
muſtum, neque qui calcare vuas conſue-
uerant,celeumate ſe familiari oblectent.

34. De clamore Heſebon vſque Eleale, & Iaſa, dederunt vocem ſuam: à Segor vſque ad Oronoaim vitula conternante, aquæ quoque Nemrim peſſimæ erunt.

E 34. Eo modo,ac planctu, quo clamauit
Heſebon,clamabunt quoque Moabitæ;ita
vt nulla pars ſit in prouincia tota; quæ lu-
gubri vlulatu nõ reſonet:à Segor vſque ad
Oronaim,id eſt,àprincipio ad finem vſque
regionis.Aquæ quoq; Nimrim,quæ vberes
erant, & agris rigandis opportunæ, quaſi
peſſimæ iam eſſent,& inutiles,deſerentur.

35. Et auferam de Moab,ait Dominus,offerentem in excelſis, & ſacrificantem diis eius.

35. Efficiam, ne vllus ſit reliquus in ſo-
lo Moabitico eorum, qui ad aras in lucis,
excelsiſque montibus exſtructas obtule-
runt

36. Pro

A runt munera, aut qui alio quouis in loco Gentium ſimulacris ſacrificarunt.

36. Propterea cor meum ad Moab quaſi tibiæ reſonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit ſonitum tibiarum: quia plus fecit quàm potuit, idcirco perierunt.

36. Propter hæc viſcera mea ægrè commota in funere Moab lugubri concrepabunt, & ferali planctu, ad citharæ, inſtrumẽti videlicet funerei ſimilitudinem, quæ flebiles modulatur numeros in mortuorũ exequiis. Quæ etiã ferali hoc tibiarũ ſonitu proſequẽtur viros, qui lateritios inhabitant muros. Qui cùm maiora viribus aggreſſi fuerint, ſuo magno merito perierunt.

37. Omne enim caput caluitium, & omnis barba raſa erit: in cunctis manibus colligatio, & ſuper omne dorſum cilicium.

B 37. Lacrymas, & vlulatum impendam Moabitarum dolori, ac funeri, quia ipſi quoque habitum aut aſſument, aut aſſumere poterunt lugentium: detonſis quippe crinibus, & eraſa barba, caput, & faciem naturali ſpoliabunt ornamento, conſtringent manus: & dorſum non tam veſtient, quàm vrent, atque onerabunt cilicio.

38. Super omnia tecta Moab, & in plateis eius omnis planctus: quoniam contriui Moab ſicut vas inutile, ait Dominus.

38. In tectis Moab domeſticis, & in plateis, lociſque frequentibus reſonabit planctus funereo non diſſimilis. Quoniam ſicut vas inutile, ac perditum, ſic à me confractus eſt Moab, dicit Dominus.

39. Quomodo victa eſt, & vlulauerunt? quomodo deiecit ceruicem Moab, & confuſus eſt? erítque Moab in deriſum, & in exemplum omnibus in circuitu ſuo.

C 39. Hoc planctu aut Moab ſe ipſum, aut alij Moabitarum caſum lamentabuntur. Quomodo cecidit Moab? Quomodo attritus eſt, & pudefactus? Quomodo præter eiulatum, & fletum, nihil in Moabiticis finibus auditur? Quomodo indomitã antea, atque erectam ceruicem ad iugum Babylonicum inflexit? Quomodo à ſuo faſtu, & ambitioſa gloria deturbatus Moab ludibrio erit, & exemplo omnibus in circuitu ciuitatibus, ne ſuperbè de ſe aut loquantur, aut ſentiant?

40. Hæc dicit Dominus: Ecce quaſi aquila volabit, & extendet alas ſuas ad Moab.

D 40. Ecce, ait Dominus, Nabuchodonoſor quamprimùm aderit propter velocitatem, aduncitatémque vnguium, aquilæ nõ diſſimilis, qui contra Moabitidem terram non aliter acies expandet Babylonicas, quàm alas ſuas explicat aquila.

41. Capta eſt Carioth, & munitiones comprehenſæ ſunt: & erit cor fortium Moab in die illa, ſicut cor mulieris parturientis.

41. Potitos exiſtimate iam hoſtes Carioth, & in ſuam ſibi poteſtatem munitiones omnes redegiſſe. Tũc verò cor etiam illorũ, qui inter Moabitas robore, atque virtute pręſtant, ſic afficietur ęgrè, ſicut parturientis cor, quæ in ipſo puerperij nixu magna patitur, & maiora metuit, neque in ipſa viſcerum conuulſione vlulatus abeſt.

42. Et ceſſabit Moab eſſe populus: quoniam contra Dominum gloriatus eſt.

E 42. Sic denique iactabitur, ac diſſoluetur Moab, vt non iam ampliùs in populis numerari poſſit. Dabit vtique iuſtiſſimas pœnas, pro ambitioſa cogitatione, ac gloria, qua contra Deum indomitam ceruicem erexit.

43. Pauor, & fouea, & laqueus ſuper te, ô habitator Moab, dicit Dominus.

43. Capieris, ô habitator Moab, quamcunque te in partem, aut conſilium vertas: eſt enim obiecta formidoloſa linea, quæ te in foueam, aut laqueũ incautum impellat.

A 44. *Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam: & qui conſcenderit de fouea, capietur laqueo: adducam enim ſuper Moab annum viſitationis eorum, ait Dominus.*

44. Si ex eo loco,vnde formido,& terror occurſat, euolare ſtudeat, occurret fouea; ſi inde ſe eximere contendat,inducet ſe in laqueum.Quod ideo fiet, quia ſtatui, iam ſeuero iudicio animaduertendum in Moab,dicit Dominus.

45. *In vmbra Heſebon ſteterunt de laqueo fugientes, quia ignis egreſſus eſt de Heſebon, & flamma de medio Seon, & deuorabit partem Moab,& verticem filiorum tumultus.*

45. Cùm è laqueo, præſidij gratia, ſeſe receperit Moab, ad vmbram Heſebon, & Sichon,in foueam incidet,id eſt,in periculum longè maius: inde enim exiliet ignis, cuius ad cruciandum vis acerbior,& à quo magis impedita fuga. Qui magnam Moabitidis regionis partem abſumet, etiam B eos, qui in ea perturbatione, atque æſtu Principes fuerint.

46. *Væ tibi Moab, periiſti popule Chamos: quia comprehenſi ſunt filij tui, & filiæ tuæ in captiuitatem.*

46. Væ tibi Moab, væ tibi popule, qui colis Chamos,& eius te cuſtodiæ credidiſti; quia & tu fœdè periiſti, & filij tui,ac filiæ,ab hoſte comprehenſi, & in captiuitatem abacti ſunt.

27. *Et conuertam captiuitatem Moab in nouiſſimis diebus, ait Dominus. Hucuſque iudicia Moab.*

47. Nihilominus efficiam, vt qui nunc ex Moabitide regione exturbati ſunt,& in exilium expulſi, aliquando in patrios reſtituantur fines. Expliciunt vaticinia de Moab.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-OCTAVVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Ad Moab.*]

1. MVLTA Ieremias accepit ab Iſaia capite 15. & 16. vbi de Moabitarum interitu non pauca. Hìc obſeruandum id, quod ſuprà notauimus, has omnes ciuitates ſeu prouincias ſubiugatas à Chaldæis fuiſſe poſt Hieroſolymam exciſam, vt docuit Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 11. & Hieronymus in caput 23.Iſaię in priori expoſitione ad principium, licèt de ordine, quo fuerint ſubactæ ſingulæ,aut de tempore, quod in ſubigendis illis poſitum eſt, nihil habeamus exploratum. Illud certum, Ægyptios, poſt domitam,atque euerſam Tyrum, fuiſſe deuictos à Chaldæis; quia id docet Ezechiel capite 29. verſu 18. vbi, vt compenſet Deus laborem longum, atque moleſtum, quem in expugnanda Tyro Chaldæus ſubiit, cùm nihil compendij retuliſſet, Ægyptum attribuit deprædandam. Idem ex Iſaia liquet capite 23.verſu 5. vbi docet,ex Tyri clade dolituram Aegyptum, quia nempe idem ſuo ſibi capiti timebat:de reliquis nobis neceſſariò coniecturis agendum eſt.

Ad Moab.] Hic titulus eſt prophetiæ,pro eo, quod Iſaias capite 15. dixit: *Onus Moab.* Quis ſit Moab, & quo loco ſita, quibus definita terminis,diximus in caput 15.Iſaiæ,ad verba nuper citata.

2. *Væ ſuper Nabò, quoniam vaſtata eſt, & confuſa.*]

C Non mihi valde laborandum de harum ciuitatum, quæ hîc commemorantur, aut ſitu, aut dignitate,quia res eſt obſcura, coniecturæ incertæ, neque rei exploratæ, aut operæ poſitæ, vllum apparet æquale pretium. Eadem fermè nomina habes apud Iſaiam capite 15. & 16. vbi nos de illis ſatis, immo fortaſſe plus ſatis; inde petes, quæ hîc conſultò prætetibo, niſi vbi aliqua ſeſe oſtendat vtilitas.

Væ ſuper Nabò.] Cur næniam hanc, ſeu lamentationem à Nabò ciuitate ſit exorſus Propheta, ea apparet non inepta ratio, ſumpta à nominis ipſius notatione, quia ibi videtur fuiſſe Moabitidis gentis oraculum, vnde quid facto opus eſſet edocerentur: aut quia ibi erant idolorum tem- D pla, aut diuini, atque augures; quales fuiſſe apud Moabitas, indicat illud Balaam, Numerorum 23. verſu 22. *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël:* qualia nempe ſunt in Moab. Nomen itaque ciuitatis augurij aliquid, & diuinationis ſonat: eſt enim Nabò à radice נבא *naba*, quæ prophetare valet, ſeu aliquid in poſterum præſagire. Certè Nabò prophetiam ſignificare docuit Hieronymus in illud Iſaiæ capite 46. *Contritus eſt Nabò.* An verò Nabò Babylonicus Deus nomen ciuitati dederit, nominis ipſius communitas nonnihil affert coniecturæ; ſed quidquid eſt,obſcurum eſt. Cur ergo Nabò præcipuè confundi, & primo loco debeat, ea ratio eſt, quia cùm

3. Nabò *vnde dicta.*

cùm ſecuritatem Moabitis, & quietem promitteret, ipſo inſpectato rerum euentu deprehenſa eſt fallax, & falſa, cùm videri vellet conſcia Diuinorum conſiliorum, & interpres.

4. Verſ. 2. *Non eſt vltrà exultatio in Moab: contra Heſebon cogitauerunt malum.*] Heſebon ciuitas eſt in regione Moabitide; quocirca neque quicquam moliri potuit, aut cogitare Moab contra Heſebon, aut in illius exultare lacrymis, aut triumphare ruinis: quare poſt, *Moab*, adhibendum eſt punctum, quaſi iam nihil iucundum, & dulce, promittere ſibi in æternum poſſit infelix illa regio. Deinde verò ſignificatur, quæ fuerit Chaldæorum in illam ciuitatem conſpiratio, vt ſe mutuò in eius exitium cohortentur, & acuant.

Silens conticeſces.] Quemadmodum ſilentium, dolorem, ſtuporem, & ſeruitutem ſonet, quia ex his plerunque naſcitur, diximus nuper capite 47. numero 17.

5. Verſ. 3. *Vox clamoris de Oronaim.*] Huius quoque meminit Iſaias: ex ipſa verò forma duali apparet duas eſſe eiuſdem nominis ciuitates, non valde diſſitas interſe: ſicut in omni fermè natione commune eſſe ſolet ciuitatibus vicinis nomen, quæ ſitu plerunque diſtingui, atque internoſci ſolent. Sicut Ioſue 16. & 18. duplex nominatur Bethoron; nempe ea, quæ inferior, & ea, quæ ſuperior eſt. De hac voce plura nos in Commentariis Iſaiæ capite 15. Illud hîc obſeruandum, quod etiam ibi diximus, Oronaim terminum eſſe Moabitici regni, aut certè non procul ab Orientali termino, qui ad Septentrionem declinat, ideſt, ad eam partem, quæ Babylonios ſpectat, & Aſſyrios, quia Segor terminus eſt Moab, ab Occidente; cui tanquam alter terminus opponi videtur Oronaim, Iſaiæ cap. 15. atque ideo neceſſe eſt, vt ab Oriente Moabitidem regionem definiat.

6. Verſ. 4. *Annunciate clamorem paruulis eius.*] Paruuli nihil habent, quo ſe ab hoſte tueantur, præter vlulatus, & lacrymas; ſicut & fœminæ: quare cùm neque lacertis, neque aliquo alio artificio valeant, ad ſubſidium naturale confugiunt, quod interdum magis eſt opportunum, & efficax, quam quod ſpiritus ferox, atque arma ſuppeditant. Vt ergo aliis in locis ſæpe iubentur viri, vt clypeos aſſumant, & gladios acuant, quia hæc illorum propria ad hoſtiles motus inſtrumenta ſunt: ſic pueri monentur, vt lacrymentur, & clament, ſiue quia malum imminet, quod ea ratione propulſabunt; ſeu, quia ſubacta patria, atque parentibus extinctis, ſiue in exilium abactis, vber erit illis lacrymandi materies.

7. Verſ. 5. *Per aſcenſum enim Luith, plorans aſcendet in fletu, quoniam in deſcenſu Oronaim, &c.*] Hæc duo in extrema parte Moab videntur eſſe ſita, quæ propiùs ſpectant Babylonicam plagam. Apparet, regionem Moabiticam ab ea ſaltem parte, quæ primùm occurrit Babyloniis, montibus eſſe definitam, & clauſam; in latere montis, quod interiora reſpicit Moab, videtur eſſe Luith: nam aſcendiſſe dicuntur exules Moabitæ per aſcenſum Luith; in altero autem latere, quod Babyloniam ſpectat, ideſt, in deſcenſu, per quem captiui prono deſcendebant cliuo, erat Oronaim: vbi victores Babylonij maiori vlulatu rugientes audierunt Moabitas, quia è veſtigio patria iam omnino relicta extorres eſſe cœperunt, & duram ſibi propoſitam videbant ſeruitutem.

A Verſ. 6. *Fugite, & ſaluate animas veſtras, & eritis ſicut myrica in deſerto.*] Variè hunc locum verſant Interpretes. Ego exiſtimo primùm, hîc imperatiuum poſitum eſſe pro futuro; deinde nonnihil admixtum ironiæ: tunc autem eſſe ſenſum, neminem in ea regione Moabitide fore, quem non dura maneat, & lugubris fortuna. Nam ij, qui meliùs vitæ, rationibúſque ſuis cauiſſe exiſtimari poſſunt, hi nempe, qui Chaldæorum effugerint gladium, vel imperium, nihilominus vitam agent duram, & agreſtem, deſertam non ſolùm ab antiquis deliciis, ſed etiam ab humano, ciuilique cõuictu; errantes, profugi, ſine tecto, ſine vllo commodo ad vitam, ſine quietem diuerticulo: 8.
B non aliter, quàm in deſerto vagantur onagri (ſic enim vertunt Septuaginta) aut ſteriles, triſteſque, & in ſpeciem mortuæ viſuntur in arida ſolitudine myricæ. De myrica, & ab ea ſumpta prouerbiali ſpecie, vide quæ diximus capite 17. ad ſimilia verba. Quaſi dicat: Quid vobis proderit fugiſſe, ſeruaſſéque à ſeruitute, vel interitu animas veſtras, quando vobis nihilominus trahenda vita eſt morti quàm ſimillima?

Verſ. 7. *Pro eo enim, quod habuiſti fiduciam in munitionibus tuis.*] Hebraicè pro *munitionibus* eſt, מעשׂה *maaſeh*, quæ vox opus ſignificat, negotium, aut quidquid ex opere, negotiationéve compendij capitur. Quare quidam vertunt, *in* 9.
C *diuitiis*, alij *in armentis*, alij *in cellariis*; quia de his curant, & in his plerunque negotiantur, qui paulò ſunt ad rem attentiores. Noſter *in munitionibus* tranſtulit, quia hæc etiam opera ſunt, quæ magnos habent vſus ad conſeruanda, tuendáque omnia, quæ labor acquiſiuit, & induſtria. Minatur igitur Deus Moabitis fugam, interitum, & exilium; quia, vt erant ſuperbo, atque arroganti ſpiritu, ſatis præſidij contra omnes fortunæ, aut inimicorum appulſus in ſuis opibus, ac munitionibus ſtatuebant.

Et ibit Chamos in tranſmigrationem: Sacerdotes eius, &c.] Sicut de Nabò in principio capitis diximus, nempe, captam fuiſſe, atque confuſam, in qua 10.
D fuiſſe Moabitarum oracula, veriſimile putabamus: ſic nunc captum iri dicit Chamos Deum, à quo nugatoria reſponſa ſæpe videntur accepiſſe Moabitæ, & Sacerdotes, qui Dei illius fallaces interpretes & nuncij, eorum aluerant ſtultam confidentiam, & in tranſmigrationem, à qua liberos ſe fore putabant, induxerant. Dixit hoc ipſum de Ægyptiorum diis capite 43. & ſtatim capite 49. de Melchon Ammonitarum idolo. In his verbis inſultat Propheta diis gentium futilibus, à quibus tam aberat facultas ſuos liberandi cultores, vt neque à ſe ipſis auertere potuerint communem fugam, & ignominiam. Diximus de Chaldæorum idolis, quæ neque mitiùs, neque
E honeſtiùs tractata ſunt à Perſis, poſtquam rerum Chaldaicarum potiti ſunt, in illud Iſaiæ cap. 46. in principio: *Confractus eſt Beel, contritus eſt Nabò.* Quidam Chamos Beelphegor eſſe putant, ſeu Priapum, aut quem Κῶμος appellant Græci, Deum videlicet, qui in comeſſationibus, compotationibúſque habenas laxabat ebrietati, & gulæ, & interdum turpiori etiam intemperantiæ; ſed hi diuinant: ego affirmare nihil audeo, neque negare, aut improbare volo.

Idola cum ſuis cultoribus captiua.

Verſ. 8. *Peribunt valles, & diſſipabuntur campeſtria.*] In his videntur fuiſſe omnes Moabiticæ deliciæ, quibus ſolitudinem, & ſtragem minatur Propheta. Ad has delicias credo ſpectare, 11.

quod de flore Moab illico ſubiicitur.

12. Verſ.9. *Date florem Moab, quia florens egredietur.*] Mirum eſt, quàm in hoc explicando loco Interpretum ſententiæ diſſideant; inter quas aliquid ſtatuere ſolidum, & certum magni negotij eſt: dicam quod aliorum ſit iudicium; deinde, quid mihi propenſum magis videatur ad veritatē. Chaldæus ſic exponit: *Auferte coronam à Moab, quia transmigrando transmigrabit.* ideſt, regni inſignia, & regnum ipſum auferte, quia ad alienam poteſtatem transferetur.

13. Septuaginta: *Date ſigna Moab, quia igne ſuccendetur, ſeu inflammatione inflammabitur.* Quæ ſic explicat Theodoretus, vt eò reducenda ſit vaſtitatis illa regio, vt neceſſe ſit, pro viatoribus certa conſtitui ſigna, quod in deſertis locis ideo fieri ſolet, quia cùm frequenti hominum veſtigio non terantur viæ, neceſſe eſt, titulis, aut ſignis notari ſemitas; quod in locis hominum habitatione frequentibus neceſſarium non eſt. Quod accidiſſe in caſu non diſſimili Hieroſolymæ luget Ieremias Threnorum capite 1. *Viæ Sion lugent.* ideſt, herbeſcunt, neque à locis aliis quondam clauſis, & inuiis diſtinguuntur.

14. Hebræorum magiſtri pro *flore*, *alam* reddiderunt; quos noui etiam Interpretes ſequuti, vt Pagninus, Tigurina, Vatablus, ita conuertunt: *Date alas Moab, quia volando volabit.* Quibus verbis ſignificatur, quàm ocyſſimè, & quàm longiſſimè futuram eſſe illius prouinciæ migrationem.

15. Vulgatus ſequutus Aquilam, & Symmachum reddit: *Date florem Moab,* &c. quæ planè tranſlatio nobis amplectenda: quæ quomodo magis ſit ad Hebraicum textum, licèt facilè probare poſſem, ne tamen immorer, facit breuitatis ſtudiū. Sed in hac tranſlatione non omnino Doctoribus, & Patribus eadem probantur. Quidam in flore, qui citò marceſcit, momentaneam ſignificari credunt Moabiticam gloriam, quam florentem hodie ſubitus Chaldæorum æſtus exuret, iuxta illud Iſaiæ capite 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* ita Rabbanus, Lyra, Dionyſius, & Hugo.

16. Eſt, qui putet, hanc fuiſſe conſuetudinem apud Moabitas, vt qui afficiendi eſſent capitali ſupplicio, coronati efferrentur tam floribus, quàm aliis genialibus deliciis, vt ſpecie illa pulchra aut lenirent dolorem ex mortis cogitatione conceptum, aut ab eo certè cogitationem auerterent. Quemadmodum quò leuiùs ferant, qui ſecandi ſunt, aut in quæſtionem adigendi, doloris acerbitatem, mandragoræ bibunt ſuccos, aut myrrhatum vinum, quæ ſenſus conſopiunt, obtundúntque, ne tam cruciet, & vrat, aut medicina moleſta, aut triſte ſupplicium. Hæc expoſitio ad concionatorios ſonitus, & populi plauſum ſatis eſt opportuna: quòd ſi aliquod haberet fundamentum, aliam ego non quærerem: ſed nullum oſtenditur, neque à quoquam, vt reor, vllum afferri poteſt: ſi cui tamen probetur, habet quod aptè ad ſenſum moralem poſſit adiicere. Nam, quemadmodum nullum eſt tempus Moabitæ infœlicius, quàm quò magis ſplendet auro, pretioſóque lapide, floribúſque ad elegantiam in corona contextis, quia tunc propior eſt morti, aut cruci vicinior; ſic etiam nullo tempore timenda eſt magis fortunæ conuerſio, & quicquid magis auerſatur natura, quàm cùm his rebus magis abundamus, quæ fortunæ exiſtimantur dona, & naturæ blanditiæ. *Sic* (inquit Seneca epiſtola 39.) *ſegetem nimia ſternit vbertas; ſic rami onere franguntur; ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit.* Notum eſt illud medicorum ſcitum, ab Hippocrate, opinor, vſque deductum, cùm corpus videtur eſſe conſtitutum, atque affectum optimè, ita vt ad illum valetudinis ſtatum nihil exiſtimetur addi poſſe; tunc inſtare grauem aliquam mutationem, quæ ſtatum illum corporis bene conſtituti diſſoluat.

Timenda maximè humana fœlicitas, quæ proxima eſt ruinæ.

Non longè ab his abſunt, qui ex alia Moabitarum conſuetudine ſententiam aliam informant, 17.
ſed eodem fundamento, ac fide, quo alij eam, de qua proximè: putāt enim in ſuorum funere ſolere Moabitas flores ſpargere, roſíſque coronatos producere, quos ad ſepulcrum efferunt. Dum ergo flores dandi dicuntur eſſe Moabítis, illud vtique dicitur, inſtare illis extremum diem, & caſum inelectabilem: *Date* (inquit) *florem, quia florens egredietur.* nempè, ad ſepulcrum: ſicut ſuperior ſententia flores etiam petebat, quia ornatus floribus egredietur, ſcilicet, ad ſupplicium, & mortem. Hæc expoſitio, vt dixi, eodem laborat modo, quo ſuperior; ſiquis tamen probat (probabunt, credo, è concionatoribus plurimi, qui id captant, proh dolor, & pudor! quod plauſum excitat ad populum illiteratum, & credulum, neque tamen de illorum fide, ac fundamento laborant) ſi quis tamen probat, addat eiuſmodi cogitationi, ſi non fundamentum, at aliquam ſaltem vmbram fundamenti. Nam ornari ſolita floribus, ac frondibus antiquorum ſepulcra, nimis eſt notum: & longum eſſet omnia repetere, quæ ſuggerunt veterum teſtimonia. Iuuenalis Satyra 7.

Sepulcra floribus ornari ſolita.

Dij maiorum vmbris tenuem, & ſine pondere terram,
Spirantéſque crocos, & in vrna perpetuum ver.

Clariùs Virgilius, qui ex more maiorum Anchiſen inducit hoc modo Marcelli manibus parentantem Æneid.6.

——— manibus date lilia plenis,
Purpureos ſpargam flores, animámque nepotis
His ſaltem accumulem donis. ———

Hieronymus epiſtola 26. ad Pammachium: *Cæteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floréſque purpureos, & dolores pectoris his officiis conſolantur. Pammachius noſter ſanctam fauillam, oſſáque veneranda eleemoſynis balſamis rigat.* immo & cadauera ipſa vngi, coronaríque floribus ex Luciano docemur: ſic enim de luctu: *Vngunt cadauer, & ſpecioſis floribus coronatum producunt.* Hæc pro hac ſententia, quæ ſi apud Moabitas in vſu fuiſſe conſtaret, ſatis in illum rerum articulum, & in propoſitam cogitationem conuenirent; ſed, vt dixi, certi nihil eſt.

Ex his explicationibus, me iudice, illa minus 18.
habet difficultatis, quæ in flore momentaneum, facilèque deciduum ſplendorem indicat Moabiticæ gloriæ, in hunc ſenſum: *Date florem Moab,* ideſt, exiſtimate gloriam, & ſplendorem Moab eſſe ſicut florem (nam ſimilitudinis notam ſubaudiri ſolitam, iam ſæpe diximus) quia florens egredietur, ideſt, quia licèt quantumcunque floreat, & potens ſit, egredietur tamen è ſuis finibus, vt exul abducatur in alienos.

Ad hæc ego quoque cogitationē meam addo, 19.
vtinam non abs re, eámque non vnam. Prior ſit, eſſe hîc irriſionem quandam ironicam, quaſi dam

damnet Moabiticas delicias, quæ intempeſtiuè ſumptæ, & languorem antè, & nunc ad extremum mortem attulerũt: qualis eſt illa ſubamara ironia ad adoleſcentem otio, luxúque perditum, Eccleſiaſtici 9. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Erit ergo ſenſus: Ornetur nunc Moab, ſuæque voluntati quàm volet immodicè, atque intemperanter indulgeat, quia ſtatim cùm pœnas dederit ſuæ libidini non indebitas, diſcet, quanto in errore, atque ſtupore fuerit. Huc facit illud Iſaiæ capite 18. de Ægypto: *Ante meſſem totus effloruit, & immatura perfectio germinauit.* Ex his diſce, quàm afferat amarum, & acerbum fructum voluptas, ante ſuum tempus percepta, ideſt, in hac mortali vita: neque enim niſi in cælo ſuam habere poteſt maturitatem.

Voluptas ante ſuum tempus.

20. Alia expoſitio eſt, quæ non longè abeſt ab his poſtremis, ſed cohæret multò magis cum toto textu. Proximè dixerat: *Peribunt valles, & diſſipabuntur campeſtria.* mox addit: *Date florem Moab, quia florens egredietur.* Quorum hæc eſt ſententia: Valles, & planities, vberes nimirum, & nitentes, quales ſunt irriguæ, quibus fruuntur Moabitæ, omnes ab hoſte conculcatæ, atque ſuccenſæ diſſipabuntur: quantum enim cunque floreat Moab, florens, nitenſque egredietur à ſe ipſo, ideſt, ſplendens, & vber eſſe deſinet: aut egredietur captiuus in regionem illam, ad quam patriæ fertilitatis deliciæ peruenire non poſſint: & ſtatim ad hæc conſentaneè ſubdit: *Et ciuitates eius deſertæ erunt.* Ac ſi dicat, neque vbertatis antiquæ pars erit vlla reliqua, neque vllum ſupererit tot ciuitatum veſtigium.

21. Verſ. 10. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.*] Cùm aliquid cuiquam ſeuerè præcipitur, adhiberi ſolet adiuratio, cui plerunque execrationes, & diræ coniunctæ ſunt. Quomodo Abraham, cùm in mandatis dedit ſeruo ſuo, vt vxorem quæreret Iſaac, Geneſis capite 24. adiurauit illum, verſu 2. & quòd tunc etiam maledictionem, ſeu execrationem adiecerit, conſtat ex eodem capite verſu 41. vbi cùm ſeruus adiurationem repeteret, addidit, adiunctam etiam eſſe maledictionem: *Accipies* (inquit) *vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei, innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad proximos meos, & non dederint tibi.* Sic fortaſſe iniunctum fuit præceptum Saüli, vt deleret Amalec cum adiuratione, maledictióneque, quando violato præcepto res Saülis deteriùs habuerunt, & ipſe à malo dæmone exagitatus eſt. Ad horum igitur ſimilitudinem, aut cum maledictione datum eſt Chaldæorum Regi id negotij antea, aut nunc per Ieremiam, vt Moabitidem regionem deleret, aut certè ſic de negotio dato contra Moabitas loquitur, quaſi iuſiurandum, diræque imprecationes intercederent, quod in faciendo fœdere, réque conſtituenda ſolitum eſſet fieri. Hæc itaque verba ad Chaldæos ſpectant, quibus Dominus id minatur mali, quod maledictionis nomine continetur, niſi fideliter imperata compleant, ideſt, niſi gladium imbuant, & inebrient Moabitico ſanguine.

Admirationi, ſeu iuramento adiunctæ maledictio.

22. Septuaginta pro, *fraudulenter,* conuertunt, *negligenter:* ſed idem eſt ſenſus. Nam cùm diligenter præſtare quiſque debeat, quidquid eſt mandatum à Domino negotij, qui aliquid curæ, atque ſtudij detrahit, defraudat Dominum ab eo, quod ipſius ius, atque religio requirebat. Verſant hunc locum ſæpe viri ſpirituales, variéque tractant ad animorum informationem. Theodoretus hîc affectuum, qui ſunt à carne, & ſanguine, mortificationem agnoſcit, & maledictioni Diuinæ ſubeſſe dicit, qui mortificationis gladium à carnis intemperantia, & luxu cohibuerit. Gregorius 3. parte Paſtoralis, admonitione 26. iactari hæc maledicta exiſtimat in Prædicatores, qui cùm gladium verbi Dei peccatorum ſanguine cruentare debeant, exercent ſe potiùs ludicris armis, quàm acutis decertant. de hac re plura Rabbanus in hunc locum. Neque abeſt longè, quod Leuitici capite 20. præcipitur iis, qui Diuinam quandam iniuriam vlciſci noluerint. *Si negligens populus terræ, & quaſi paruipendens imperium meum, dimiſerit hominem, qui dedit de ſemine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meam ſuper hominem illum, & cognationem eius, ſuccidámque ipſum, & omnes, qui conſenſerunt ei.* Et Exodi 34. *Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum, & amicum, & proximum ſuum.*

Carnis affectus mortificandi.

Concionator maledictus, qui ludicris vtitur.

Leuit. c. 20.

Exod. 34.

Porro fraudulenter, ſeu negligenter aliquid facere, nihil videtur eſſe aliud, quàm de eo ſtudio, contentionéque, quibus opus aliquod in Dei obſequium fieri debet, aliquid remittere, quia ab eo, quod deteritur, fraudatur Deus: aut certè cùm perfectum aliquid offerri Domino debeat, ſi mancum, debile, aut aliter quàm lex, aut ratio poſtulat, offeratur, fraus eſt, & non vulgaris in Dominum iniuria. Malachiæ cap. 1. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino.* 23.

Deo vota perfectè ſoluenda.

Verſ. 11. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua.*] 24.
Oſtendit Propheta, vndénam prouenerit Moabitici fundi tanta calamitas; quia nempe ſolum fœcundum nactus eſt Moab, & ideo florens nuper inductus eſt; & nunc ab adoleſcentia fertilis eſſe dicitur, ideſt, ex quo regionem illam habitare cœpit. Cœpit autem ſtatim atque incendio cæleſti quinque ciuitates ad mare mortuum tactæ, atque conſumptæ ſunt. Ex eo autem tempore fertilis fuit, quia nihil aduerſum tractus ille Moabiticus paſſus eſt, ſaltem è cælo, quod ego meminerim. Ea itaque continens rerum abundantia, & quaſi vernacula fertilitas, quæ omnium ferè malorum ſeminarium eſt, fregit Moabiticos ſpiritus, & in mores diſſolutos, & molles liquefecit, ita vt in eis Sodomæum aliquid odorari te putes. Quare optimè ſequitur,

Abundantia pernicioſa.

Et requieuit in fæcibus ſuis.] Allegoriam inducit 25.
ſatis accommodatam Moabiticis moribus, & ingeniis. Vt enim vinum, ſi diu in fæcibus ſtetit, aliquid olet, aut ſapit ingratum, & ideo rei vinariæ periti à fæcibus remouent, & ex vno vaſe in aliud ſubinde transfundunt. Secus accidiſſe videtur Moabitis, qui cùm in fæcibus requieuiſſent, ideſt, in ſordibus, à quibus neque expurgati ab amicis, neque ab inimicis exturbati ſunt; id habuerunt à fæcibus, quibus ſtatim à primis incunabulis inſederunt, vt turpe aliquid redolerent, quale nempe trahere potuerunt à fæculenta materia.

Vexatio vtilis.

Nunc ad allegoriam explicandam accedo. 26.
Fæces appello regionem illam, quam olim coluerunt, & habitarunt Sodomæi: tractus enim Moabiticus totus eſt ad ripas maris mortui. In ea

Quantum à malorum vicinitate periculum.

ea itaque regione ita conſedère Moabitæ, ſicut vinum in fæcibus. Vt autem fæces aliquid inhalant iniucundum, & graue vino, quod ſuſtentant; ſic regio illa infandis delibuta flagitiis, aliquid tetrum & Sodomiticum exhalabat in Moabiticorum mores: quare accommodatè ad hæc ſtatim ſubiicitur,

27. *Neque transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abiit.*] Stetit ſemper Moab in fæcibus; quia nunquam receſſit è loco, quem à primis incunabulis occupauit; in reliquiis videlicet Sodomæ, quæ adhuc ſpirant, eructántque libidinem. Sunt autem fæces, locus ipſe natalis, id eſt, patria, quæ mater appellatur, ſicut etiam Hiſpanorum vulgo fæces, quæ ſubſederunt in dolio, dicuntur *mater*: vnde apud illos vulgare eſt, ſi quando vinum ſaporis aliquid contraxit à fæcibus, dicere: *Eſte vino ſabe à la madre.* Illud porrò, quod ſequitur, *Et in tranſmigrationem non abiit,* explicatio eſt ſuperioris hemiſtichij. Tunc verò, vt reor, *&*, non tam coniungit extrema, quàm id, quod antecesſerat, exponit: valet enim idem, quod *id eſt*: nec enim aliud metaphoricè eſt, vinum non eſſe de vaſe transfuſum, nec reliquiſſe fæces, quàm populum nunquam è tractu Sodomæ vicino tranſmigraſſe. Ad hanc ſententiam attemperatè ſubiicitur,

28. *Idcirco permanſit guſtus eius in eo: & odor eius non eſt immutatus.*] Mutatur vini guſtus, & odor, mutato dolio; ſic etiam hominum mores, mutato cælo, etiamſi clamet contra illud tritum:

Cœlum, non animum, mutant, qui trans mare currunt,

quia ſi locus ſterilis & aridus vberi, & delicioſo ſuccedat, quia ſubtracta ſunt alimenta libidinis, melioris quoque frugis forma ſuccedit. At quia ſub eodem ſemper cælo vixère Moabitæ, ſub eo nempe, quod ſulphureum ignem in nefariæ libidinis luſtra iaculatum eſt; ideo nefariæ illius intemperantiæ guſtum nunquam depoſuit.

29. Porro hærere in fæcibus, eſſe, obſtinatò aliquem in peccatis deſidere, ſentiunt quidam in illud Sophoniæ capite 1. *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Chaldæus ibi in fæcibus diuitias intelligit, alij voluptates: quos ſi in deliciis diu volutari, & diuitiis perpetuò circunfluere contingat, illa ſors manet, quæ Moabitas quàm diutiſſimè florentes, luxúque perditos; quos tandem contriuit, hoſtibúſque crudelibus illudendos, & mactandos tradidit. Ex quo loco colligunt viri prudentes, quantùm expediat, ſecundos rerum ſucceſſus non eſſe perpetuos; præclaréque cum illis agi, quos vexat fortuna durior; quos eliquat, & purgat exilium, quos nullo modo patitur Deus, in fæcibus, id eſt, in deliciis, commodíſque natura ſua fugacibus requieſcere. Quales fuêre ij, de quibus Paulus ad Hebræos capite 11. qui ſic iactati ſunt, quemadmodum in alias, atque alias cauernas, & ſpeluncas, in aliud, atque aliud vas generoſa vina transfunduntur. *In ſolitudinibus* (inquit) *errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ.*

30. Verſ. 12. *Mittam ei ordinatores, & ſtratores lagunculárum.*] Non eſt ſolertis, ac prouidi patriſfamilias vinum in fæcibus diu retinere, quia neceſſe eſt aliquid ſapiat fæculentum, & craſſum. Quare Deus, qui in re tanta tantam incuriam perferre non poteſt, vinarios mittet artifices, ſtrenuos, & induſtrios, qui quod facto opus eſt,

A in illa re vinaria, ac doliari diligenter curent: efficient autem, ne quid ſuperſit amplius ex illa Moabitica, ſeu mauis, ex illa Sodomitica vindemia. Ordinabunt enim aliter, atque diſponent illa cellaria, lagunculas ſternent, atque confringent: aliter enim odorem illum perpetuò ſeruabunt, quo ſemel ſunt imbutæ: atque ideo ſola contritio inhærens illud vitium abolere poterit, vaſa exhaurient, & quicquid in eis ſanari poſſe videbatur, in alia transfundent vaſa, vt iam tandem à fæce, cui inſederant, abiſſe diſcant. Pro *ordinatores, & vinitores,* Hebraicè eſt צעים *zoim*, quod à radice יצע *iaſagh*, ſtratores ſignificat: & explicationis gratia addidit Vulgatus, *ordinatores*, vt
B munus, & artificium oſtenderet eorum, qui rem vinariam curant. Cùm autem vinum illud fæculentum corruptum eſſet, & vaſa à fæcibus, & vino deterrimo vitiata, à prouido vinitore fieri nihil potuit conſultius, quàm vt lagenas frangeret, in quas, quod infuſum eſſet vini, ſtatim aceſceret.

Alij illud צעים *zoim*, à verbo צעה *zaah* deriuarit, quod eſt, migrare: quaſi venturi ſint Chaldæi, qui Moabitas è ſuis ſedibus migrare faciant; quod perinde eſt, atque ſi vinum è fæcibus aliò transfundant: & ita vertunt è recentioribus plerique. Porrò in hac allegoria non difficile eſt, proprium ſenſum eruere; fæces námque peccata
C ſunt, ea præſertim, quæ (vt dicebamus) aliquid olent è Sodomitico ſolo: lagunculæ, ciuitates, quas gens incolebat Moabitica; gens præterea ipſa in vino deſignatur, quod fæcibus adhuc incubat: neque vnquam, quas primùm occupauit, lagenas dereliquit: ſic gens, quæ in ſolo illo Sodomitico inueterauit, à fæcibus illis in regiones alias, tanquam in alia vaſcula transfunditur. 31.

Vita mutatio.

Verſ. 13. *Et confundetur Moab à Chamos, ſicut confuſa eſt domus Iſraël à Bethel.*] *Confundo* ex vſu Hebræorum multa ſignificat, non tantùm, quæ ruborem inducunt, ſed etiam, quæ dolorem afferunt, aut quodcunque incommodum, atque iacturam inuehunt. Puto autem in confuſione ſignificari hoc loco ea omnia, quę proximè in vi-
D ni, laguncularúmque metaphora continebantur: ſed præcipuè ſignificari arbitror, pudori ea futura Moabitis, quæ & ipſi religiosè coluerant, & in quibus ſalutis ſuæ præſidia collocauerant. Pudet etenim prudentem, & honeſtum virum, ſi quando inductum ſeſe agnoſcat in fraudem, ac turpi errore aliquandiu vixiſſe. Spetabant Moabitæ ſalutem, & otium à Chamos, ſed ille id attulit ſuis cultoribus, vt & patriam amitterent, & grauem præterea ignominiam ſubirent, ſpoliatique libertate, atque aliis commodis, quæ abierant à ſplendido, atque exuberante ſolo, ludibrio eſſent, ac fabulæ hoſti victori: non aliter, atque decem Tribus Iſraël, quæ excitatis aureis vitulis, duce, atque auctore Ieroboam, à patria religione re-
E ceſſerunt: ex qua veſania id conſequutæ ſunt, vt extorres ab antiqua ſede duram apud Aſſyrios ſeruitutem ferant. Nota eſt hiſtoria ex 3. libro Regum capite 12. vbi Ieroboam conflaſſe traditur duos aureos vitulos, & alterum in Bethel, & in Dan conſtituiſſe alterum. 32.

Confundo, quid?

Sed dubitabis, cur cùm non minùs vitulus fuerit in Dan, quàm in Bethel, ſolius hoc loco Bethel meminerit Propheta. Hæc videtur non incommoda aſſignari poſſe ratio, quia Bethel propior erat Hieroſolymæ; atque ideo vitulus ille frequentiùs erat in ore Iudæorum. Ille verò alius 33.

Vitulus qui in Bethel, ſæpius nominatus, quàm qui in Dan.

alius vitulus in extremis erat finibus terræ promiſſionis, & vix cognitus iis, qui patriam in templo religionem obibant. Adde, quòd multa fecit impietatis illius auctor Ieroboam in Bethel, quæ facta non leguntur in Dan: nam, vt habes 3. libro Regum capite 12. *Altare fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat, conſtituitque in Bethel Sacerdotes.* Adde, quòd locus ille magno erat in pretio, atque in religione apud Hebræos, propterea quòd ibi Iacob in ſcala Dominus apparuerat, Geneſis capite 28. & quia in loco eodem altare conſtruxit, Geneſis 25. Quare, cùm priùs Iuza diceretur, vocatus eſt Bethel, ideſt, domus Dei. Tanti autem fecit Iſraëlitici generis pater Iacob locum illum, vt non permiſerit, cùm eò ventum eſt è Meſopotamia, aliquod à domeſticis idolum inferri. *Abiicite* (inquit) *deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, &c. Surgite, & aſcendamus in Bethel.* Nefas enim putabat vir ille tantus, ſi in domo Dei locus eſſet idolis. Quid ergo non ferrent grauiter viri pij in Bethel, ideſt, in domo Dei, aureo vitulo datum eſſe locum? Sanè poſtquam vituli effigies ſacrum illum locum occupauit, pro nobili illo, atque auguſto nomine aliud aſſumpſit fœdum, & ignobile, tractum ab idolis: dictus eſt námque Bethauen, ideſt, domus iniquitatis, ſeu domus idoli. Ex quo ad res morales aliquid hinc video ſumi poſſe præclarum. Graue eſt vbicunque locorum, aut perſonarum inſidere ſordes, maximè eas, quæ ſunt à peccatis: at ſi illas inuehi contingat in locum, perſonámve, quæ Deo conſecrata fuerit, illud eſt longè grauius. Quemadmodum ſi in templo profanum aliquid admittatur, ſi Sacerdos ſæcularibus ſe ſordibus immiſceat: illud enim Chriſtus ſpeluncam dicit fieri latronum, hi aliis nominibus nihilo honeſtioribus appellantur. Quare, vbi in his aliquid eſt ſordidum, & impurum, aliorum peccata non recordamur, ſicut vitulus aureus in Bethel fecit, vt ille alter, qui erectus fuerat in Dan, aut eſſet in obliuione, aut minor in eo videretur eſſe deformitas.

Religioſi peccatum grauius.

Peccatum in loco, ſeu perſona ſanctâ multò grauius.

34. Verſ. 14. *Quomodo dicitis fortes ſumus?*] Ex Chamos, quem ſibi futurum eſſe patrocinio putabant, & ex vrbium ſuarum munitione, ſpiritus ſuperbos, & confidentiam maximam ſumpſerant Moabitæ; quare hîc, & apud Iſaiam capite 16. verſu 6. ſuperbiæ accuſantur nomine. *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quàm fortitudo eius.* Eadem propè Ieremias hîc, verſu 29. quæ verba huc plurimùm faciunt. Dum enim dicitur ad Moab, *Quomodo dicitis fortes ſumus?* id dicitur planè apud Iſaiam, *Superbia eius plus quàm fortitudo eius.* Et ideo, credo, inſultat Propheta tam fiduciæ, quam conceperant à Chamos, quàm ciuitatum munitionibus, quibus tutos ſe putabant Moabitæ, dum priùs confundendos dicit à Chamos, & nunc euerſas videt, & prædicat ciuitates.

35. Verſ. 17. *Conſolamini eum omnes, qui eſtis in circuitu eius.*] Conſequens pro antecedente ponitur, conſolationem nempe pro graui luctu, atque ruina: neque enim aliis adhiberi conſolatio aſſolet, niſi quibus aliquid accidit aduerſum. Quare monet nationes, quæ afflictam illam, atque collapſam regionem circunfundunt, vt pium præſtent, & debitum lugentibus officium, & viduam, ſpoliatam, atque duræ affixam ſeruituti regionem conſolentur.

Et vniuerſi, qui ſcitis nomen eius, dicite.] Scire nomen eius idem eſt, atque ſcire, ſeu cognoſcere eam, nempe Moab. Per *nomen* Hebraico idiomate ille circunſcribitur, cuius eſt nomen; quare *nomen Domini*, pro *Domino* ſumitur; &, *nomen meum*, idem quod *ego*. 36.

Quomodo confracta eſt virga fortis?] Forma præſcribitur conſolationis, & luctus. Eſt autem vſitata apud Hebræos lugendi forma illa, quæ ſtuporem, ſeu admirationem præ ſe fert, quæ ex graui, atque inſperato caſu plerunque naſcuntur. Quocirca ſæpe lamentationes, & funebres næniæ, hoc ferè modo inchoantur, *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* Threnorum 1. & ſæpe in Threnis idem eſt lamentationum exordium. 2. Regum capite 1. ſic ſuam lamentationem in funere Saülis, & Ionathæ orſus eſt Dauid, *Quomodo ceciderunt fortes?* Sed puto, in hac, quæ videtur eſſe conſolatio, aliquid eſſe admixtum irriſionis, & ſannæ; cùm virgam appellat fortem, & baculum glorioſum; quaſi dicat vocari fruſtra baculum, & virgam fortem, quæ tam facili negotio confracta ſunt. 37.

Quomodo, familiaris vox in admiratione, & luctu.

Hîc obſeruandum, *virgam*, & *baculum*, quæ hoc loco idem ſunt, latè ſecundùm Scripturæ, & Hebræorum vſum patere: ſignificant enim quidquid ſuſtentat, tuetúrve aliquid, quicquid illud ſit: vnde in Scriptura baculus ſeu virga, panis dicitur, quia non aliter laborantem, ſeu deficientem naturam ſuſtentat panis, quàm baculus grauem, & ſenilem ætatem, longo iam tempore victam, & caducam. Sic Pſal. 104. vbi Vulgatus, *Omne firmamentum panis contriuit*, Hebraicè מטה *mateh*, ideſt, virga, ſeu baculus. Ezechielis c. 14. *Conteram virgam panis eius.* Dicitur etiam virga, ſeu panis aquæ. Iſaiæ capite 3. nam vbi Vulgatus habet, *omne robur panis, & omne robur aquæ*; Hebraicè eſt, משען *maſhen*, ideſt, baculus, ſeu ſuſtentaculum aquæ. Et quia lectulus fulcit, atque ſuſtentat hominem, virga, ſeu baculus appellatur. Eſt enim eadem vox, quæ ſuprà, Hebraicè מטה *mateh*. Quare, quod de Iacob dicitur Geneſis 47. *Conuerſus ad lectuli caput*, Paulus ad Hebræos capite 11. *faſtigium* appellauit *virgæ*. Eſt itaque idem, & *caput lectuli*, & *virgæ faſtigium*, ſiue *caput*. Hoc itaque loco in baculo, & virga intelligitur, quicquid munire, ac ſuſtentare poterat Moab; putà, mœnia, arma, auxiliares, & amici, & ſi qua ſunt alia, quæ ſpem alere, & confirmare poterant ignaui populi, & ſuis fæcibus incubantis. 38.

Virga, & baculus, pro quacunque ſuſtentatione.

Pſal. 104. Ezech. 14. Iſai. 3. Gen. 47. ad Hebr. 11.

Verſ. 18. *Sede in ſiti habitatio filiæ Dibon.*] Abundabat Dibon aquis, vt indicat Iſaias capite 15. verſu 9. *Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine.* Minatur igitur Dibon magnam prioris fortunæ mutationem: nam, quæ priùs perennibus abundabat fontibus, eadem poſtea aridam habitabit, & ſiticuloſam ſolitudinem: & quæ arbor fuerat grata, frondium viriditate luxurians, poſtea erit, vt paulò antè dixerat verſu 6. *ſicut myrica in deſerto.* Grauius aliquid vaticinatus Iſaias fuerat de Dibon capite 15. vbi aquas, quæ fœcundos reddebant agros Dibon, miſcendas eſſe dicit ſanguine, quia in agris illis magna fiet Dibonitarum cædes. 39.

Verſ. 25. *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium eius contritum eſt.*] In cornu robur, audaciam, diuitias, & regnum intelligimus: id enim totum prouerbiali forma ſermo complectitur Hebraicus. Hinc Amos capite 6. *Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Deuteronomij 40.

Cornu, pro fortitudine.

Amos 4.

mij 33. *Cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipſis ventilabis gentes.* Sumitur etiam pro auxilio Pſalmo
Pſal.17. 17. *Protector meus, & cornu ſalutis meæ.* quod etiam apud profanos vſitatum, qui tunc cornua dicuntur aſſumere, quando vires ſumunt, & audaces ſpiritus. De vino Horatius libro 3. Ode 21.

Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque, & addis cornua pauperi.

Metaphora ſumitur à quibuſdam animalibus, quibus in cornibus vis maxima, à tauro nempe, & Rhinocerote. Cùm ergo abſciſſum dicitur cornu Moab, ſublatæ dicuntur vires, ſpiritus, auxiliator, & audacia. De brachio res eſt minùs difficilis: cùm enim illud ſit præcipuum, & penè ſolum militum inſtrumentum, cùm brachium abſcinditur, ſublata quoque exiſtimatur præliandi facultas.

41. Verſ.26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus eſt.*] Ebrietas, & crapula in Scriptura ſacra, inter alia, ſummum etiam dolorem, & angorem animi, magnam item calamitatem ſignificat: quæ homines non aliter conturbat, erratéque facit, mentis, atque conſilij impotes, quàm ebrios vinum immoderatè hauſtum. Pſalmo 106. *Moti ſunt ſicut ebrius.* Iob capite 12. *Errare eos faciet, quaſi ebrios.* Iſaias capite 51. *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria, & non à vino.* Inebriatur igitur Moab, quia illis afficietur incommodis, quæ conſilium omne perturbant, & craſſas menti tenebras offundunt. Quia contra Deum erectus eſt, ideſt, quia ſpiritus aſſumpſit inſolentes. Hi enim, qui ſuperbo ſunt animo, in Deum videntur erexiſſe criſtas, & Diuinum ſibi aliquod arrogaſſe; quod tunc præcipuè facere exiſtimantur, cùm Dei mandata non ſolùm non audiunt, ſed etiam illis, tanquam ab omni pondere inanibus, inſultant.

Ebrietas dolorem, & perturbationem ſonat.
Pſal.106.
Iſai.cap.51.

42. *Et allidet manum Moab in vomitu ſuo, & erit in deriſum etiam ipſe.*] Allidere manus, ſignum eſt eius, cuius mota mens eſt, neque decori rationem habet vllam: ſolent enim amentes, & ebrij, manuum comploſione, aut alio indecoro corporis habitu, quid à vino patiantur, oſtendere. Rabbi Dauid, quem è recentioribus aliqui ſequuntur, allidere manum in vomitu, ſignificare putat, circumuoluere ſe, & rotare humi, quod temulenti faciunt, maximè cùm id, quod immoderatè hauſerant, indecorè vomunt. Porro vomitus ſæpe cum ebrietate coniungitur; quia, cùm vini pondus, & æſtum ſuſtinere non poſſit, natura ipſa laborans vomitione ſe leuat. Vide, quæ diximus ad illud Iſaiæ capite 28. *Menſæ repletæ ſunt vomitu.* Sed fortaſſe hoc loco nimia Moabitarum intemperantia oſtenditur; qui, vt plus haurire poſſent è dolio, ſtomachum vomitione exhauriunt: quod feciſſe olim non ſolùm barbaros, ſed ciuili diſciplina homines excultos, docuimus in proximum Iſaiæ locum.

43. Metaphora obſcura non eſt. In ebrietate rerum abundantia, & immoderatus illius vſus exprimitur: in vomitu deliciarum priuatio, quas euomere compulſi ſunt à victore Chaldæo, cùm à patriis deliciis exturbati ſunt. Eadem omnino metaphora, qua de impio etiam dicitur Iob. capite 20. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus, & erunt in deriſum.* Cur in opprobrium, atque deriſum dati ſint Moabitæ, ratio ſtatim oſtenditur; quia ipſi quoque Iſraëli quondam irriſerunt, cùm ab eodem hoſte non multò antè grauiſſimis premerentur, iacta-

Iuſtum ſupplicium auari.

A rentúrque modis. Tunc enim veriſimile eſt, illos inſultaſſe Iudæorum fortunæ, & Chaldæorum furorem in illorum caput acuiſſe, ſicut eodem tempore fecerunt Idumæi, qui ſane non erant Iudæis minùs infenſi: qui his verbis ad excindendam vrbem Chaldæos inflammabant. Pſalmo 136. *Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.*

Verſ.27. *Fuit enim in deriſum tibi Iſraël, quaſi in- 44.
ter fures repeiſſes eum.*] Quemadmodum, cùm lupus à paſtoribus in ligno captus eſt, aut leo armentorum prædator, exultant paſtores, & armentarij omnes, verbíſque inſultant, irriſorium aliquid, atque amarum ſonantibus: ſic in latro-
B nem homines in ipſo furandi conatu deprehenſum, maledicta iactant, & ipſius conſiliis, atque inſidiis inanibus irrident: non aliter Moabitæ ſeſe in Iudæorum calamitatem habuerunt, quos exagitauêre conuitiis, ſubſannarúntque, quo tempore dolori hoſtibus propter ſpeciem longè miſerabilem eſſe poterant. Quorum infortunium, & crudele inimicorum odium, in oryge illaqueato expreſſit Iſaias capite 51. verſu 20. Eadem etiam ſimilitudine vſus eſt Ieremias capite 2. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël.*

Verſ.28. *Relinquite ciuitates, & habitate in petra.*] 45.
Hæc verba ſubamara ſunt, & irriſoria, quæ
C ſuperbis hominibus edicunt, vt ciuitates deſerant, in quibus ſatis ſibi præſidij fore exiſtimabant, & ad prærupt os ſilices, & hominibus inacceſſos adrepant; ibíque non ſecus ac columbæ timidæ in petræ foramine; ſic ipſi in ſcopulorum cauernis domicilia parent. Erat regio Moabitica, quod ad montes attinet, præruptaque loca, terræ promiſſionis valde ſimilis, in qua latebræ erant, & ſpeluncæ, arduo aſcenſu; ad quas in ſummo periculo confugere ſolebant Hebræi, vt docuit Ioſephus libro 14. Antiquitatum, capite 16. & libro 1. de bello capite 12. & nos pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 2. *Ingredere in petra.* & iterum ibidem ad illud: *In-*
D *troibunt in ſpeluncas petrarum.* Ad ſimiles ſpeluncas, quia caſus erit non diſſimilis, iubet Dominus, aut prædicit, Moabitas habituros eſſe perfugium: in quibus tamen negare videtur, quicquam futurum eſſe tutum ab hoſtili ſolertia: id enim importat ironicus ſermo. Ac ſi dicat: Quere tibi, quæ abditiſſima videntur, ac munitiſſima perfugia, inde extrahet te maior vis, & indefeſſum Chaldæorum ſtudium. Simile aliquid dixit de Idumæis Propheta, capite ſequenti. *Apprehendere niteris altitudinem collis; cùm exaltaueris, quaſi aquila, nidum tuum, inde detraham te.* Simile eſt illud Æneæ ad Turnum, apud Maronem libro 12.

Verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid
E *Siue animis, ſiue arte vales: opta ardua pennis*
Aſtra ſequi, clauſúmque caua te condere terra.

Verſ.29. *Audiuimus ſuperbiam Moab.*] Hæc ea- 46.
dem dixerat priùs Iſaias capite 16. verſu 6. vbi item ſuperbos Moabitarum ſpiritus reprehendit; & indicat, illorum arrogantiam illius incendij aut primam, aut maximam facem extitiſſe. Vterque autem plura tentaſſe affirmat Moabitas, & maiora ſuis viribus arrogaſſe, quàm ipſi præſtare, aut ſuſtinere valeant. Iſaias quidem: *Et indignatio eius plusquam fortitudo eius.* Ieremias verò:

Ego

Ego ſcio iactantiam eius, & quòd non ſit iuxta eam virtus eius. A

47. Verſ. 31. *Ad viros muri fictilis.*] Hæc eadem Iſaias ſuprà verſu 7. *Ad muros cocti lateris.* vbi de his muris, ſeu potiùs de hac ciuitate plura nos adduximus: inde tu pete. In ſumma hæc ſunt, videri valde veriſimile, nomen eſſe ciuitatis cuiuſdam, quæ totius imperij Moabitici caput eſſet, & munimentum præcipuum. Rationes hæ videntur non infirmæ: prima, quia lateritium opus in Palæſtina, viciniſque prouinciis rarum, & penè inauditum; quia regio illa petroſa eſt: quare ſatis eſt ad manum materies, neque parum eſt firmitatis à ſaxo. Quare laterum nomen in ſacra Scriptura rarum, niſi cùm ſermo eſt de Ægypto, aut Babylone; quæ regiones ſunt campeſtres, & planæ. Quomodo porta, quæ fictilis dicitur, non fuerit è laterculo conſtructa, diximus ſuprà capite 19. numero 4. Secunda ratio, quia ciuitas fuit in tractu illo Moabitico, quæ *muri fictiles* dicebatur, quam fuiſſe nobilem, & egregiè munitam, non obſcurè colligitur ex libro 4. Regum capite 3. vbi, cùm omnes ciuitates dicerentur vel captæ, vel exciſſæ; additur *ita vt muri tantùm fictiles remanerent*, & circundata eſt ciuitas à fundibulariis. Quæ verba omnino ſignificant, eiuſmodi fuiſſe ciuitatem, vt ad illam Rex Moabitarum in extremo periculo confugere debuerit. Quare Septuaginta nomen ipſum Hebraicum retinuerunt, *chirchares*, oſtendentes proculdubio nomen eſſe proprium; neque noſtro Interpreti inſolens eſt, vt pro nomine proprio eius notationem, ſeu ſignificationem adhibeat.

Lateres in Palæſtina rari.

48. Verſ. 32. *De planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama.*] Iazer in extremis erat Moabiticæ prouinciæ finibus, vt docet Iſaias capite 16. vbi, cùm ſpatia regionis illius definiret, in extremo poſuit Iazer: ſic enim ibi ſub metaphora vineæ, *Flagella eius vſque ad Iazer peruenerunt.* vt hîc etiam Ieremias. Videntur autem Chaldæi ab ea parte populari cœpiſſe Moabitas, quando ciuitates aliæ id ſibi à Chaldæis timere iubentur, quod paſſa eſt antea Iazer. De Sabâma nunc, de planctu Iazer plorabo tibi, id eſt, plorandum tibi edico, ſicut plorauit Iazer. De Heſebon, & Eleale Iſaias capite 16. verſu 9. *Plorabo in fletu Iazer vineam Sabama: inebriabo te lacryma mea Heſebon, & Eleale.*

49. Sub vineæ autem metaphora elegantiſſimè Propheta deſcribit naturam, & vaſtitatem Moab, ſicut etiam Iſaias ſuprà: ex quo Propheta noſter videtur expreſſiſſe quamplurima. Neque id mirum, ſi ab eodem vterque Spiritu vaticinium extulerit. Cur verò vinea vocetur illa prouincia, ratio eſt non obſcura, quia aut vitibus abundabat, vnde vineæ, & eorum, quæ ad vineam ſpectant, ſæpius nomen auditur, cùm de Moab eſt ſermo, vt vides toto hoc capite: aut quia tota illa regio irrigua eſt, & amœnitatis eximiæ. Quæ verò eiuſmodi ſunt, vt deliciarum multum hominibus afferant, multiplicéſque voluptates inſtillent, ea vini, cellarij, aut torcularis nomine ſignificantur, vt diximus ad illud Canticorum 1. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Quare multa hîc occurrent, ſicut etiam apud Iſaiam, quæ ad vineæ nomen, & naturam alludunt. Quod verò ſuprà dixit, huius vineæ propagines ad mare vſque diffundi, id ſibi videtur velle, populum illum abundare hominibus, qui optimè propaginum exprimuntur appellatione; quia non aliter erumpunt, ac funduntur ab vrbibus, quàm à vite ſarmenta: vnde hoc nomen tam vitium luxuriem, quam hominum ſobolem ſignificat: vtrunque enim *propago* nominatur.

Vſque ad mare Iazer peruenerunt: ſuper meſſem tuam, & vindemiam tuam prædo irruit.] Amplitudinem illius prouinciæ, & vbertatem amplificat; nihil tamen ex tam ampla, atque vbere prouincia, ad ipſius vſum venturum eſſe denunciat, quia alieni in Moabitarum labores, & poſſeſſiones irrumpent. Neque quidquam ex tanta vindemia, ac meſſe reliquum facient, quod ſibi non auferant; aut, ne cui vſui eſſe poſſit, pedibus conculcent, aut ſecuri proſternant. Eadem verba habes apud Iſaiam ſuprà. 50.

B

Verſ. 33. *Ablata eſt lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab: & vinum de torcularibus ſuſtuli.*] Eadem dixit Iſaias ſuprà, paululùm tamen mutata: *Auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo.* Certum eſt, in terra Moab nullum eſſe montem, cui Carmeli nomen. Duplex eſt Carmelus; alter in Galilæa ad Auſtralem plagam, in quo erat Nabal, 1. Regum capite 25. alter in Tribu Aſſer, Ioſue 19. qui cùm eſſet vberrimus, prouerbiali ſpecie, pro quauis regione ſumebatur, quæ ſuauitatis eſſet, & vbertatis eximiæ, vt exempla paſſim in ſacra Scriptura demonſtrant. Quare, cùm tota illa Moabitica regio vber eſſet, & non ad vſus ſolùm humanæ vitæ, ſed etiam ad delicias opportuna, Carmelus vocatur ab Iſaia. Accedit, quòd cùm Carmelus vitibus, iuxta ſui nominis notationem, abundet, optimè Moab Carmelus appellari potuit, quæ non minùs, quàm Carmelus, felix eſt à vindemia. Sed in Ieremia, qui hîc aliquid addit, quod Iſaias omiſit, neſcio quid aliud odorari videor, eodem quidem ſenſu, non tamen eadem dicendi figura. Omittitur, opinor, hîc ſimilitudinis nota, in hanc ſententiam: Sicut euerſa Hieroſolyma, & tota regione Chanaanitide ab hoſte direpta, ceſſauit lætitia de Carmelo, id eſt, ſucciſis vineis, & amœno illo monte omnino ſylueſcente, ſublata vindemiæ ſpes eſt, quæ animum exhilarat, & à metu, atque ſollicitudine ſoluit; ſic etiam à Moab, quæ non minùs vindemia, ac vino, quàm Carmelus abundat, ſublata lætitia eſt, illa nimirum, quam vini, atque vindemiæ nobilitas affert. In eo verò, quod ſtatim ſequitur, *& vinum de torcularibus ſuſtulit*, puto, *&*, vim habere non coniungendi, ſed exponendi quod obſcurum priùs videbatur in metaphora: idem enim valet, quod, *id eſt, vinum abſtulit*, quod curas diſſoluit, & lætitiam inſpirat. 51.

Carmelus duplex.

C

D

Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit.] Quid ſit celeuma, diximus ſuprà capite 25. numero 64. Neque hîc aliquid occurrit noui, quod ad rem valde faciat. Tantùm dico in celeumate ingentem ſignificari clamorem, qui ex multarum vocum coniunctione reſonat, qualis eſt nautarum, cùm procul intuentur, illúmque ſalutant, & ſibi ipſis viciſſim gratulantur, quòd iam à nauſea, fluctuúmque iactatione liberentur. Hieronymus ad Heliodorum: *Lætantium more nautarum epilogi celeuma cantandum eſt.* 52.

E

Hebraicus textus ad verbum ſic habet, *celeuſma*, non *celeuma*: ſed aut ſenſus idem eſt, aut non admodum diuerſus. Celeuma clamorem ſonat, aut lætitiæ indicem, aut perturbationis plenum, qui ex periculi metu, & eius declinandi ſollicitudine 53.

dine naſcitur; qualis eſt victorum, qui exultant fugato hoſte, & direpta præda, aut cùm peracta meſſe feſtum aliquid abſona plerunque voce conclamant agricolæ. Ait ergo Dominus, celeuma Moabitarum non iam ampliùs futurum eſſe celeuma: ideſt, futurum eſſe celeuma, non quo ſibi, fortunæque ſuæ gratulentur Moabitæ, quaſi res contigiſſet ex voto, ſed quo ſe mutuò ad fugam exhortentur, ſiue ad ferenda bellorum incommoda. ita indicat Maldonatus. Et ſanè æquum eſt, vt qui priùs intemperantiùs indulſit canticis, & choræis, ideſt, læto, atque feſtiuo celeumati, ille ſeuerum audiat ab hoſtibus celeuma, quo ſe ad ſpoliandum, mactandúmque luxu perditum hominem cohortentur. Iſaias capite 16. hoc ipſum antè prædixit de Moab, *Vocem calcantium abſtuli*; vbi Hebraicè eadem vox eſt הידד *hedad*, pro qua alibi *celeuma* reddidit.

Celeuma quid.

54. Verſ. 34. *De clamore Heſebon, vſque Eleale, & Iaſa.*] Hi fines eſſe videntur, quibus tota clauditur Moabitica regio: quaſi nihil in toto illo tractu futurum ſit, quod triſti Moabitarum vlulatu non perſonet.

55. *A Segor vſque ad Oronaim vitula conternante.*] Sic habent emendati à Sixto codices. Olim in accuſatiuo legebamus, *Vitulam conternantem.* Quare iam dubitandum non eſt, hæc ad Segor pertinere potiùs, quàm ad Oronaim. Cur vitula conternans dicatur Segor, obſcurum eſt: qua de re egimus in illud Iſaiæ capite 15. *Vſque ad Segor vitulam conternantem.* Quæ verò nos illic, eadem hûc tranſcribere licebit, quia non minùs hîc, quàm ibi neceſſaria.

Segor cur vitula conternans.

Quidam exiſtimant, talem habuiſſe compellationem, quia ciuitas illa tertiò abſorpta eſt, aut terræ concuſſu deleta; quaſi tertia ſit ciuitas, aut tertiò inſtaurata. Neque parum fauet huic cogitationi vox Hebraica שלישיה *Seliſah*, quæ ternarium aliquid ſonat: & nomen *Bala*, quod habuit quondam, quod deſtructam, aut abſorptam fuiſſe demonſtrat, Geneſis 14. *Et Rex Bala hac eſt Segor.* Super quæ verba Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, ſuper caput 14. Geneſis, & hoc loco docet ex traditione Hebræorum, quam ipſe non reprobat, tertiò proſtratam fuiſſe terræmotu. Et in traditionibus Hebraicis, in caput 19. Geneſis, rationem reddit, cur cùm tanto ſtudio petierit, impetrarítque Loth à Domino, ſibi vt liceret diuertere ad Segor, maluerit contempta Segor ad montem vſque progredi. & reſpondet: *Veram eſſe illam Hebræorum coniecturam de Segor, quòd frequenter terræmotu ſubruta Bale primùm, & poſtea Saliſſa appellata ſit, timuerítque Loth dicens, ſi, cùm cæteræ adhuc vrbes extarent, ipſa ſæpe ſubuerſa eſt, quanto magis nunc communi ruina non poterit liberari?* Similia his Theodoretus, quæſtione 69. in Geneſim, in eo tamen deceptus eſt, quòd *Segor* dixit ſignificare *terræ hiatum*, cùm nomen illud priori nomini *Bala* conueniat: Segor enim *paruam* ſignificat, quod nomen habuit, ex quo illam Loth *paruam* appellauit Geneſis 19. *Idcirco vocatum eſt nomen vrbis illius Segor.*

56. Alij *conternantem vitulam* dici putant, quia vitula trima, ſiue triennalis robuſta eſt, & pulchra, & ſi vnquam, eo maximè tempore laſciuiens: atque ita accepit hîc apud Iſaiam Hieronymus, Cyrillus, & Baſilius, & communiter recentiores, quod mihi omnino placet. Appellatur autem Segor *vitula triennis*, præter cæteras vrbes Moab, quia illa pulcherrima erat, non valde diſſimilis alijs ciuitatibus, quæ vltricibus flammis conſumptæ ſunt: quemadmodum loca alia proxima Sodomis amœno ſunt, & vbere ſolo, vt probant horti Engadditani, qui non longè abſunt. Ex quorum ſpecie, atque vbertate colligunt aliqui, quanta fuerit quinque ciuitatum, quæ incendio conflagrarunt, amœnitas. *Vitula* verò apud Hebræos prouerbiali figura dicuntur, qui laſciui ſunt, maximè in trimatu, quando multum eſt roboris, neque dum ceruix à iugo compreſſa, quod ita docet optimè Cyrillus apud Iſaiam ſuprà: *Tertius annus animantibus ratione carentibus, ad ætatis florem, & ad maturitatem vires efficiendo ſufficit, itaque eo tempore domari debent. Quandiu ergo vitula eſt iugi inexperta, laſciuiens, & iuuencula exultat,* &c. Quod etiam docet Columella libro 6. capite 3. & de equis idem capite 29. & Varro capite 7. libro 2. Virgilius 3. Georgicon. Quare à *vitula* natura, quæ ea ætate laſciua eſt, neque iugum ſubiit, *vituli* nomen aſſumpſère homines laſciuientes, & immoderatè exultantes, vt hîc, & Ieremiæ 48. Moabitæ, & Ieremiæ 46. Ægyptij, *Vitula elegans, atque formoſa Ægyptus, ſtimulator ab Aquilone veniet ei.* Cúmque id nomen toti regioni Moabitidi optimè conueniat, quia florenti, & pingui, præcipuè tamen accommodatur *Segor*, & fortaſſe ita communiter appellabatur vulgò, quia & ipſa præter cæteras ciuitates deliciis affluebat, & earum ciuitatum, quarum tantùm ſupererant nefariæ libidinis monumenta, luxum, & mollem intemperantiam imitabatur.

57. *Aquæ quoque Nemrim peſſimæ erunt.*] Iſaias capite 15. verſu 6. *Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt, quia aruit herba.* De Nemrim diximus nonnihil, in hæc Iſaiæ verba, quæ nihilo faciunt minùs ad hunc Ieremiæ locum, quia eòdem ſpectat, & eundem omnino ſenſum habet, quare lubens ea huc iterum confero.

58. Nemrim vicina eſt Segor, vt inquit Hieronymus, ex cuius fortaſſe aquis regio illa vberiùs irrigata fructus fundebat copioſos. Dicit ergo nunc Propheta, deſertum iri agrum illum propter amœnitatem, & vſum priùs hominum cultu, atque frequentia conſpicuum. Ieremias paulò aliter capite 48. *Aquæ verò Nemrim peſſimæ erunt.* Sed ſi bene expendas, nó alio ſenſu quàm Iſaias, cuius loci hæc communiter exiſtimatur eſſe ſententia: Ager ille quondam irriguus aquis Nemrim, erit deſertus, & ſterilis: quia aquæ illæ peribunt, cùm nullus ſit futurus habitator, qui fœcundas illas, & copioſas aquas in hortos, & in ſata deriuet. Quare optimè ſubditur, *quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit,* quia nimirum ager ille rigari déſiit.

59. Verſ. 36. *Propterea cor meum ad Moab, quaſi tibia reſonabit.*] Hæc eadem Iſaias capite 16. *Super hoc venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit.* vbi ſine dubio *venter* idem eſt, quod *cor*, aut *præcordia*, vt facilè conſtat, ſi Iſaiam his locis cum Ieremia componas. Sonabunt ergo tam Iſaiæ, quàm Ieremiæ viſcera in caſu Moab dolore commota, non aliter, quàm ab inflatu tibia, aut à plectro cithara percuſſa. De hoc ventris, ſeu viſcerum rugitu diximus pro loci, vt opinor, explicatione ſatis, in illum Iſaiæ locum, & quia non alia huius loci expoſitio deſiderat, eadem huc transferemus.

60. Notum eſt, in funeribus inſtrumenta quædam muſica adhiberi ſolita in omni penè natione, quæ nimirum lugubre aliquid, ac funeſtum ſona

In funeribus adhibentur

tuba, & instrumenta musica.

ſonarent, idoneáque eſſent,& mouendis animis, & lacrymis ciendis;quare inter cætera Libythinæ vaſa, atque inſtrumenta, tuba numeratur à Perſio Satyra 3.

Hinc tuba, candelæ,tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto. ———

Virgilius libro 2. Æneid.in pompa funebri Pallantis tubas etiam adhibet:

It cælo clamórque virûm, clangórque tubarum.

Vbi Seruius addit, mortuos ad tubam efferri ſolitos, quod intelligo de his, quibus virilis ætatis acceſſiſſet robur: nam qui teneræ eſſent ætatis cum tibiis producebantur ad rogum, ſeu ad tumulum, vt idem Seruius docet ad id Virgilij libro 5.*laudúmque immenſa cupido.*vbi tradit,pueros ad tibias efferri, viros autem ad tubas. Ab his, inquit Ambroſius libro 8.in Lucam, hanc conſuetudinem ad Hebræos permanaſſe,vt mortuos ſuos adhibitis tibicinibus ſepelirent. Cuius rei documentum habemus Matthæi capite 9. verſu 23. vbi,cùm ſermo eſſet de puella iam ornata ad tumulum, dicitur: *Et cùm veniſſet Ieſus in domum Principis,& vidiſſet tibicines.* Ait ergo Propheta,ſonare ſibi viſcera aliquid funeſtum,& lugubre inſtar tubæ, aut citharæ funereæ, ita vt iam exequias exſoluere videatur tumulatæ regionis. Quod explicuit Ieremias magis apertè, dum ait: *Propterea cor meum ad Moab quaſi tibia reſonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit ſonitum tibiarum.*

Cùm in hunc locum inciderem, addubitare cœpi, an inſtrumentum hoc muſicum aliquid ſonaret flebile,ac triſte, quod humanum ſingultum referret, aut exprompta ex imo pectore ſuſpiria;qualia ætate noſtra inuenta ſunt plurima, quæ voces imitantur varias, & ad diuerſos animorum ſenſus,ac motus accommodantur.Certè accidiſſe hoc in muſicis numeris,quia vario concentu variè afficerent animos, docet Ariſtoteles libro 8. Phyſicorum, capite 5. vbi meminit diuerſorum concentuum, ſiue harmoniarum, quæ variè tangunt animos, qualia ſunt celeberrima illa genera nemini non nota,Phrygium,Lydium, Ionium, Doricum. Vt ergo concentus varij ſunt, ex variis hominum ſenſibus attemperati; ſic etiam varia credo inſtrumenta fuiſſe, quæ eiſdem quoque ſenſibus variè ſeruirent. Et hûc facit,quòd ex multorum ſententia,quidam Pſalmi ad certum inſtrumentum cantari iubentur in eorum titulis. Vt Pſalmus quartus ad *Nequinoth,* & Pſalmus quintus ad *Anchiloth,*& Pſalmus 8.ad *Githith,*& Pſalmi inſcribuntur *Pro octaua,* ideſt,vt multi volunt, pro inſtrumento, quod octo conſtaret chordis. Cùm autem in Pſalmis varij ſint affectus,quis dubitet,inſtrumenta muſica ad varios etiam affectus eſſe attemperata, putà ad luctum,lætitiam, &c.& ita mihi fit veriſimile, ſingultum ex animo Iſaiæ profectum eſſe, ſicut citharæ, aut tibiæ cantum, quæ lugubre ſonant,& cadauera ad ſepulcrum comitantur.Et verò proprium eſſe aliquod ſiticinum inſtrumentum, ideſt,eorum, qui ad ſitos, ideſt, mortuos canunt, docet Gellius libro 20. noctium Atticarum capite 1. Cuius formam tradit Galenus libro 3.de ſymptomatum cauſis:vbi quædam adducit, quæ valde faciunt ad hanc cogitationem. Ait enim viſcerum rugitum,cùm vacua ſunt, ſimilem eſſe tubæ, quæ mortuos in funere comitatur. *Porro* (inquit) *fiunt alij* (nempe viſcerum rugitus) *bombosi, bombis leuiſſimarum tibiarum non abſimiles:quales*

Muſica inſtrumenta varia pro variis animorū affectibus.

A *habere ſolent hi,qui cymbaula,ideſt,ſiticines nominantur.* Ecce quomodo viſcera ſonare poſſint funereum aliquid,& lugubre.

Qui plus fecit, quàm potuit.] Non eſt inuſitatum,vt quis feciſſe dicatur id,quod aggreſſus eſt, 61.
aut à ſe fieri poſſe exiſtimauit, maximè apud Deum, qui non ſecus cogitata,atque ſtudia, vbi animus non abeſt, ſed agendi facultas, quam opus ipſum re ipſa completum conſiderat. Id nunc ſignificare videtur Propheta, quod proximè verſu 30. *Neque iuxta quod poterat,conata ſit facere.* vbi ſuperbi Moabitarum ſpiritus reprehenduntur.

Verſ.37. *Omne enim caput caluitium, & omnis* 62.
B *barba raſa,*&c.]Quomodo hæc doloris ſigna fuerint, diximus ſuprà capite 41.à numero 7. Vbi noſter, *In cunctis manibus colligatio*, Septuaginta vertunt, καὶ πᾶσαι χεῖρες κόψονται, ideſt,*omnes manus incidentur.*Iuxta Vulgati verſionem facilis eſt ſenſus, & captiuo populo accommodatus. Nam qui captiui adducuntur, maximè ſi eius ætatis, aut roboris ſunt, vt effugere poſſe, aut aliquid aduerſum moliri exiſtimentur, ligatis abiguntur manibus. Si Septuaginta tranſlationem ſequare, ſenſus erit à lugubri Moabitarum fortuna non alienus: vt enim capite 41.diximus, in ſuorum luctu familiares, & amici lacerabant ſe cultris, & ſuo amicorum funeri ſanguine parentabant.Sed ſi ad captiuos ipſos referas,ipſi doloris
C impatientia morſu manus appetunt, lacerántque. Dolor etenim ille, qui maximè ex veſano conſilio, & ex melioris fortunæ deſperatione naſcitur,eò adigit miſeros, vt in ſeipſos crudeliter ſæuiant,repetántque pœnas ſceleratæ, ac deſipientis vitæ.Sic illi,de quibus Apocalypſis capite 16. *Commanducauerunt linguas ſuas præ dolore.* Et quidem exemplis abundamus in profana eruditione eorum, qui aut facti pœnitentia, aut propter efferatam rabiem, aut præciderunt ſibi manus, aut effoderunt oculos, aut aliis ſe corporis partibus mutilarunt. Hæc pro tranſlatione Septuaginta. Hæc eadem Iſaias capite 15. verſu
D 2.de Moab.

Verſ.38. *Super omnia tecta Moab.*] Sicut in tota Palæſtina domorum tecta faſtigiata non ſunt, 63.
ſed plana, in quibus ambulare, concurſaréque homines poſſunt,non ſecus atque in plateis,quæ Hiſpanorum vulgus *terrados* appellat: ſic etiam Moabitica regio, propter eandem cauſam, tecta habet ad deambulationem, aliáſque domeſticas opportunitates idonea. Quare ad tecta, lamentandi gratia,aſcenſurus dicitur Moab, quia non iam occultè, vt in leuioribus cauſis, ſed publicè, planctúque altè, latéque ſonante, communem calamitatem deplorabit.

Quia contriuit Moab ſicut vas inutile.] Hebræo- 64.
E rum hoc prouerbium eſt, quando ſignificatur, aliquid eò eſſe redactum,vt nullum iam ampliùs vſum ſit habiturum; quod alibi dicitur, *Vas perditum.* Vide ſuprà,capite 19.ad illud, *Sicut conteritur vas figuli, quod non poteſt inſtaurari.* Hæc videtur germana magis expoſitio; ſed fortaſſe non erit abs re, ſi dicas, non quidem confractum eſſe Moab, ita vt ab illo nulla deinceps ſperetur vtilitas;ſed ita eſſe tractatum, & iactatum ab hoſte, quaſi vas ad ignominiam formatum, & iam prorſus inutile;quod longè ab homine,& in ſordidum, nunquámque aſpectabilem locum abiicitur.

Verſ.39. *Quomodo deiecit ceruicem Moab.*]Com- 65.

parat ſuprà Segor, & in ea regione totam Moa- A
bitidem, cum vitula conternante, ideſt, indomi-
ta, atque in pinguiſſimis paſcuis laſciuienti; nunc
ſub eadem, vt opinor cum Maldonato, metapho-
ra, docet, illam liberam, & ſolutam ceruicem
luxuriantis vitulæ agendam eſſe ſub iugum, ne-
que futuram iam ampliùs erectam, ſed incur-
uam; & quæ in deliciis antè fuerat, adigendam
ſtimulis, vt plauſtrum trahat, & vomere agros
ſubigat Babylonios.

66. Verſ.40. *Ecce quaſi aquila volabit: & extendet alas ſuas ad Moab.*] De Nabuchodonoſor loquitur, & eius exercitu; illum *aquilam* vocat, propter velocitatem, & aduncos vngues; quia hæc rapto viuit, & ſanguinem lambit: hunc *alas*, B quia ſicut expanſis alis aquila magnum occupat ſpatium, ſic copiis vndecunque collectis, è fero, ac ſanguinario milite, latos Moabitarum fines complebit Nabuchodonoſor.

67. Verſ.41. *Sicut cor mulieris parturientis.*] In muliere, cùm in ipſo puerperio eſt, multa ſunt, quæ grauiter excruciant, & angunt; & dolor ipſe viſcerum, quæ in ipſo nixu conuelluntur, rumpuntúrque, & metus ipſe mortis, quæ non longè eſt à parturiente. Deinde in corpore languido, languor quoque muliebris, atque anguſtia animi, quæ etiam ea, quæ leuia ſunt, magna putat, & vbi nihil eſt periculi, putat multiplex eſſe periculum. Tale futurum eſſe dicitur cor Moab; C quod cùm multa ferat, plura metuat, neque à dolore, ſeu ſollicitudine vlulatûs aberit, quæ parturientis nixum comitatur.

68. Verſ.43. *Pauor, & fouea, & laqueus ſuper te, &c.*] Hæc eadem Iſaias capite 24. vbi nos illa pluribus expoſuimus: & cùm eadem omnino verba ſint; neque, quod magni referat, aliquid occurrat noui, illa in hunc locum omnino transſcribemus. Eſt autem ibi ſermo de illo angore, atque æſtu, quem in extremo Iudicij die ſcelerati ſubibunt. Sic autem nos ibi:

PROV.

69. His vocibus extrema calamitas exprimitur eius, quem vndique grauiſſima circunuallant, atque vrgent incommoda; ex quibus, quoquò ſe D vertant, nullum apparet effugium. Nam ſi ex eo loco, vnde terror obiicitur, euolare tentet, occurrit fouea; ſi inde ſe eximere contendat, obtēditur laqueus. Nihil ergo tutum à periculo, nihil non plenum Diuini furoris; quia Deus ſeuerus peccatorum vltor nihil non implet. Eodem penè ſermonis genere vſus eſt Amos capite 5. *Dies Domini iſta tenebræ, & non lux, quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.*

Amos 5.

Mihi in tribus nominibus, *formido, fouea, & laqueus*, aliquid occurrit nouum fortaſſe, non tamen alienum ab inſtituto. Notum eſt, non apud E Latinos, & Græcos ſolùm, ſed etiam, vt reor, apud Hebræos, genus eſſe venationis, quo magnæ etiam feræ eò adducuntur, vt ſi ab vno extricant periculo, in aliud incurrant. Proponebatur enim funis, ſeu linea, quæ vocabatur *formido*, ſeu *formidoloſa*, variis, & verſicoloribus intexta pennis, quæ terrebat ceruos pennarum agitatione, vel vt pauidi venabula exciperent, vel vt in alia retia parata, aut foueas, acti formidine laberentur. Decervis multi ſunt, qui hæc affirment. Virgilius 3. Georg.

Linea formidoloſa.

Puniceæve agitant pauidos formidine pennæ.

Ouidius libro 15. Metamorphoſeon:

Nec formidatis ceruos includite pennis.

His terreri non ſolum ceruos natura timidos, ſed etiam vrſos, & apros, docet Nemeſianus:

Namque vrſos, magnóſque ſues, ceruóſque fugaces
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.

Hæc verò linea *formido* dicitur. Ita Seneca libro 2. de ira, capite 12. *Cùm maximos ferarum greges linea pennis diſtincta conterreat, & in inſidias agat, ab ipſo effectu dicta formido.* Vide ibi Muretum, vbi varia adducit tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimonia; ſicut etiam Turnebus. Huc ſpectanit Auguſtinus libro 1. de nuptiis, & concupiſcentiis. *Et cùm verentur infamiam falſam, veram incurrunt: inſtar ferarum, quæ circundantur pennis, vt cogantur in retia.* Et Hieronymus contra Luciferianos: *Pauidorum more ceruorum, dum pennarum euitatis volatus, fortiſſimis retibus implicamini.* Hoc idem vſitatum eſſe apud Græcos docet Oppianus in Cynægetico.

Hoc idem in vſu fuiſſe apud Hebræos, mihi eſt valde veriſimile, tum ex hoc loco, vbi poſt formidinem, video à Propheta poni foueam, & laqueum, in quem incurrant, qui à formidine fugiunt. *Formidinem* verò in eo genere ponendum cum *fouea*, & *laqueo*, ideſt, inſtrumentum eſſe fraudis, aut artis venatoriæ, ipſe loquendi modus inſinuat. Facítque plurimùm ad coniecturam, quod ſtatim ſequitur:

Verſ.44. *Et erit, qui fugerit à facie pauoris, incidet in foueam: & qui conſcenderit de fouea, capietur laqueo.*] Eodem loquendi genere vſus eſt Iſaias capite 24. Ex quo mihi fit probabile, ſicut tria hæc in vtroque Propheta ſemel, atque iterum coniunguntur; ſic res illis nominibus ſignificatas à venatoribus ſolere coniungi. Immo & hic aliquid ſubodoror prouerbiale: nam & ſententia apta videtur prouerbiali figuræ, vt eſt illud Latinum: *Fumum fugiens in ignem incidi.* & ſimilia: & elegans paranomaſia in Hebræis dictionibus, in quibus eſt aliquid numeroſum, prouerbium eſſe arguit; ſic tam apud Iſaiam cap.24. quàm apud Ieremiam hoc capite. Pro *formidine, laqueo, & fouea,* עחד ופחת ופח *pachad, vepachath, vpach*: vbi numerum vides, & literarum miram conformationem. Hoc ergo venandi genere ſignificari credo, quàm omnibus modis vrgendi ſint Moabitę, contra quos in illa miſera, atque extrema venatione tot intenduntur retia, tot parantur fouæ. Non ſecus ac feræ omnì ſtudio, atque indagine obſidentur, & capiuntur. 70.

Verſ.45. *In vmbra Heſebon ſteterunt, de laqueo fugientes, quia ignis egreſſus eſt.*] Explicatio eſt ſuperioris clauſulæ: *Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam.* Fugiet enim populus, vrgente hoſte, à laqueo, ſeu pauore in Heſebon, & ibi in foueam cadet, ideſt, in longè maius, & crudelius exitium: in ignem putà, cuius ad cruciandum vis acerbior, & à quo effugium magis impeditum. Non fugerunt Moabitæ in Heſebon aut in Sehen: ſed ex nullo loco eorum, ad quæ ſalutis gratia confugerunt, oblatum eſt auxilium, ſed potiùs inde maior orta calamitas. Vt enim dicemus ſtatim num.72. prouerbiali hac forma einſmodi euentus explicari ſolent. Porro illud, *quia*, non eſt rationalis particula, ſed aduerſatiua potiùs, nempe, *Verumtamen*, aut, *at verò*. id enim aliquando valet vox hæc in ſacra Scriptura; vt nos docuimus ad illud Iſaiæ 66. *Quia parturiuit, & peperit Sion.* Ex multis exemplis pauca hæc accipe: 71. PROV.

pri

Pſal.36. REGVLA. Quia, aduerſatiua particula. Pſal.13. primum ſit, quod nunc dedimus ex Iſaia, & Pſalmo 36. verſu 20. cùm dixiſſet Dauid de iuſtis: *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.* de peccatoribus ſubdidit: *Quia peccatores peribunt.* ideſt, *veruntamen peccatores*, &c. & Pſalmo 13. verſu 6. cùm dixiſſet de peccatoribus, *Trepidauerunt timore*: de iuſtis ex aduerſo addit: *Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt.* ideſt, *At* Pſal.43. *verò Dominus in generatione iuſta.* Idem clariùs Pſalmo 43. verſu 9. Sic etiam nunc de Moabitis: ſub vmbra ſteterunt Heſebon, vbi ſecurum arbitrabantur fore perfugium, ex eo tamen loco erupit ignis, à quo conſumpti ſunt.

72. Alluſum eſt hìc ſine dubio ad caput 21. Numerorum verſu 27. vbi tam hæc, quàm quæ ſe- PROV. Numer.21. quuntur proximè verba, inueniuntur. Quæ vſum habere videntur prouerbialem: *Idcirco* (inquit) *dicitur in prouerbio: Venite in Heſebon, ædificetur, & conſtruatur ciuitas Sehon: Ignis egreſſus eſt de Heſebon: flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum.* Hiſtoriam, vnde ortum eſt hoc prouerbium, vide in Numeris, loco citato.

73. *Et verticem filiorum tumultus.*] Filij tumultus hi videntur eſſe, qui tumultuati ſunt: nempe, qui aut ſeditionem mouerunt contra Chaldæos; aut auctores fuerunt, ne illorum poteſtati ſe traderent, quaſi illorum potentiæ non forent impares; aut certè, qui conſilij, ac mentis impotes vario æſtu, hûc, atque illûc variè agitabantur. Horum Principes, & duces optimè vocantur tumultuantium vertex, quia primo inter illos loco cenſentur. Pro *tumultu*, Hebraicè eſt שאון *ſchon*, quod Septuaginta, vt erat in originali, reliquerunt; quia fortaſſe nomen proprium eſſe putabant ciuitatis. Neque id diſpliceret, vt in his etiam alluſum eſſe videretur ad caput Numerorum 21. niſi diuerſum eſſet nomen hic apud Ieremiam, vbi eſt, שאון & ibi eſt, כוהן in quo vides omnes penè literas diuerſas.

Verſ.46. *Væ tibi Moab, periſti popule Chamos.*] 74.
Hæc verba ſumpta ſunt ex capite Numerorum 21. quorum ſenſus difficilis non eſt: vocatur autem Moab populus Chamos, quia idolum illud, vt vidimus, proprium erat regionis Moabitidis, ſicut Ammonitidis Moloch.

Verſ.47. *Et conuertam captiuitatem Moab in nouiſſimis diebus.*] 75.
Quomodo nationes omnes, quæ hoc tempore expugnatæ ſunt à Chaldæis, remigraturæ ſint ab exilio, eodem prorſus tempore, quo ſoluta eſt Iudæorum captiuitas, docuit Ieremias capite 27. vbi de Idumæis, Ammonitis, Moabitis, Tyriis, & Sidoniis, dicitur: *Et ſeruient ei* (nempe Babylonio) *donec veniat tempus terræ eius*, ideſt, donec à Perſis extinguatur Chaldæorum Imperium. Et quidem Ammonitas, Moabitas, & Idumæos, & nationes alias, quas è ſuis exturbauit ſedibus Nabuchodonoſor, in ſuos ſibi fines remigraſſe conſtat ex libris Machabæorum, maximè ex libro 1. capite 5. vbi Machabæi cum illis pugnaſſe, aut illos debellaſſe traduntur.

Hucuſque iudicia Moab.] Quemadmodum in 76.
narratione longa ſummam ſolemus adhibere coronidem, & epilogum, ne audita aliorſum interpretemur, aut accipiamus, quàm ſcriptor ipſe vult: ſic prophetiam longiſſimam de Moab nomen illud claudit, quod illam inchoarat; vt quilibet intelligat, quicquid hìc dictum eſt, ſeu gratum, ſeu aduerſum, in Moabitarum caput intorqueri. Prima verba fuerunt *ad Moab*, poſtrema *de Moab*.

ARGVMENTVM CAPITIS XLIX.

IN hoc capite quinque continentur prophetiæ contra totidem populos, qui variis temporibus infenſi fuerunt Iudæorum nomini, quibus extremum Dominus minatur exitium à Chaldæis; fore tamen dicit quibuſdam illorum, vt aliquando poſt longum exilium in patrias ſedes reuertantur.

IEREM. CAP. XLIX.

1. *AD filios Ammon. Hæc dicit Dominus: Numquid non filij ſunt Iſraël? aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſſedit Melchom, Gad: & populus eius in vrbibus eius habitauit?*

2. *Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus: & auditum faciam ſuper Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij, & erit in tumulum diſſipata, filiæque eius igni ſuccendentur, & poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos, ait Dominus.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. HOc vaticinium primum eſt ad filios Ammon. Nunquid non eſt Iſraëli reliqua ſoboles, aut relictus hæres, qui in paternam hæreditatem ſuccedat? Cur ergo in regionem, vnde exturbatus eſt Gad, quaſi in poſſeſſionem ab hærede vacuam irruperunt Ammonitæ, vbi diu habitarunt, eámque Melchon, quem ipſi pro Deo colunt, ſubiecêre?

2. Ideo, dicit Dominus, aderit aliquando tempus, cùm acies inuicham frementes in Rabbath ciuitatem nobilem inter Ammonitidas, quam diſſipabunt, & euertent: & ciuitates Heſeboni ſubiectæ vaſtabuntur incendio; denique dominabitur Iſraël aliquan

3. *Vlula*

A aliquando populis, quibus ſua quondam hæreditas ſeruierat.

3. Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai: clamate filiæ Rabbath, accingite vos ciliciis: plangite, & circuite per ſepes, quoniam Melchon in tranſmigrationem ducetur, Sacerdotes eius, & Principes eius ſimul.

3. Vlula Heſebon, quoniam expugnata eſt, ac ſpoliata Hai: & ex ipſius exitio, quid tibi euenturum ſit infortunij, coniecta. Et vos populi, qui in Rabbath ditioně eſtis contributi, vlulate ſimiliter, ſaccum aſſumite cilicinum, & bacchãtium in morem per ſepes, & agros indecorè vagati, facite, vt planctu veſtro montes ipſi circumſonent: quia cum Melchon Ammonitarum Deo Sacerdotes quoque ac Princi-
B pes aliò tranſmigrabunt extorres.

4. Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in theſauris tuis, & dicebas: Quis veniet ad me?

4. Quid tibi in tuis vallibus, irriguíſque campis tantopere places? Vallis illa, quæ tibi varias ſuppeditabat delicias, iam tibi prorſus extabuit: & fluere deſierunt fontes, qui vallem illam vberem, atque ſpecioſam reddebant. Hæc tibi accident, ô filia delicata, & mollis, quæ tuis freta diuitiis arroganter dicebas: Ecquis erit, qui ad meos fines aſpirare audeat?

5. Ecce ego inducam ſuper te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui ſunt in circuitu tuo: & diſpergemini ſinguli à conſpectu veſtro, nec erit qui congreget fugientes.

5. Ecce ego, dicit Dominus, ex omnibus
C vicinis tibi regionibus excitabo hoſtes, & bella, quæ tibi terrori ſint, & exitio. Et ſinguli à proximis, cognatíſque diſtracti, alij aliò dilapſi diſpergentur, neque erit, qui diſſipatos in vnum cœtum, aut locum cõſre faciat.

6. Et poſt hæc reuerti faciam captiuos filiorum Ammon, ait Dominus.

6. Pòſt verò, vbi iactati fuerint, atque exturbati à ſuis finibus Ammonitæ, in notas ſibi, patriáſque ſedes reuocabo.

7. Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non vltrà eſt ſapientia in Theman? Periit conſilium à filiis, inutilis facta eſt ſapientia eorum.

7. Hæc de Ammonitis. Nunc iam ad Idumæos conuerto vaticinium. Nunquid, dicit Dominus, ad hoc vſque tempus datum eſt Themanitis, vt ſapientes ſint, dein-
D de verò, vt omnino deſipiant, quia neque conſilium in illis inuentum eſt, & ſapientia omnis extabuiſſe videtur?

8. Fugite, & terga vertite, deſcendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Eſau adduxi ſuper eum, tempus viſitationis eius.

8. Vos quoque Dedanitæ, qui genus quoque ducitis ab Eſau, fuga ſaluti veſtræ conſulite, cauernas quærite, & ſubterraneas latebras: quoniam regioni, cui nomen dedit Eſau, qui & Edom, impendet iam extrema calamitas, dicit Dominus.

9. Si vindemiatores veniſſent ſuper te, non reliquiſſent racemum: ſi fures in nocte, rapuiſſent quod ſufficeret ſibi.

9. Vindemiator quantumuis auarus, & attentus, relinquit tamen in vite aliquem racemum; ſi fur in alienas irrumpit fortunas, ſumit quæ ſibi neceſſaria ſunt, & plu-
E rima relinquit.

10. Ego verò diſcooperui Eſau, reuelaui abſcondita eius, & celari non poterit: vaſtatum eſt ſemen eius, & fratres eius, & vicini eius, & non erit.

10. Ego ſcrutabor latebras, vbi diuitias ſuas abſcondit Eſau, & quæ tanto Idumæi ſtudio celauerant, Chaldęorum oculis ego prodam, ita vt illis nihil reliquum faciant. Et vſque eò procedet Idumæorum clades, vt filij, fratres, & vicini illorum prorſus intereant; neque ſpes illis ſit in ea calamitate ſubſidij; neque ſe ipſos ſpe poſteritatis conſolentur, ita vt non iam ampliùs futurus videatur Eſau.

11. Relin

11. Cùm

11. Relinque pupillos tuos: ego faciam eos viuere: & viduæ tuæ in me ſperabunt.

A 11. Cùm abieris, ô Eſau, exul ad Babylonios, non eſt, cur aut vxorem viduam, aut orbatos parente filios mihi commendes, quaſi illorum ego vitam ſeruaturus ſim: neque enim ita me propitium habes, vt hæc faciam.

12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, ſed bibens bibes.

12. Si innocentes filij, quibus neque maturitas eſt, neque plenum ad peccandum iudicium, de calice à furore meo propinato bibent, exiſtimas tibi, quaſi nihil mali commeruiſſes, ex eo calice nihil eſſe hauriendum? Non ſanè, non ita fiet. Sine
B dubio enim de pleno bibes poculo, quod ego tuo generi largiter propino.

13. Quia per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quòd in ſolitudinem, & in opprobrium, & in deſertum, & in maledictionem erit Boſra: & omnes ciuitates eius erunt in ſolitudines ſempiternas.

13. Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, ita me præcipuam Idumæorum ciuitatem Boſran accepturum hoſtiliter, vt non iam ampliùs futura ſit hominum conuentus, ſed vaſta ſolitudo. Inſuper eò eſſe redigendam, vt inde communiter homines materiam aſſumant maledictionis, & opprobrij. Quod malum ipſi cum ciuitatibus aliis, quarum eſt caput, erit commune, pro quarum frequentia æterna ſuc-
C cedet ſolitudo.

14. Auditum audiui à Domino, & legatus ad Gentes miſſus eſt. Congregamini, & venite contra eam, & conſurgamus in prælium:

14. Audiui, inquit Ieremias, à Domino, quid euenturum eſſet Idumæo populo, deinde miſſum à Deo tanquam ab Imperatore legatum (ſpiritum putà, aut internum motum) qui populos in Idumæos cōmoueret; & delectus haberet militares: quíque his verbis bellicos ingeneraret ſpiritus. Agite, conuenite omnes contra Idumæam: arripite omnes arma, ad prælium vos, & cædem accingite.

15. Ecce enim paruulum dedi te in Gentibus, contemptibilem inter homines.

15. Ecce, ſedes tuas anguſtis definiui
D terminis, quare magnus, ô Eſau, eſſe non poteras: inſuper, cùm in cauernis habites petrarum, locíſque ſubterraneis, non potes eſſe non abiectus, & ſordidus inter omnes.

16. Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis: cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

16. Arrogantia tua, & inflatus ſpiritus ſeduxit te, & tot te calamitatibus implicuit: nam cùm belluarum more in cauernis habites, terræque voraginibus, ſic tu te inſolenter effers, vt ſumma appetas montium faſtigia, & locum deberi tibi principem putes. Si in altum aſcenderis, & ſicut aquila in rupibus nidum tibi conſtruxeris,
E inde te ad infima deiiciam.

17. Et erit Idumæa deſerta: omnis qui tranſibit per eam, ſtupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas eius.

17. Relinquetur Idumæa ab habitatoribus vacua; & is, cui per illam tranſire contigerit, aut ſtupebit, cùm tantam rerum mutationem aſpexerit, aut proſtratæ inſolentis populi fortunæ inſultabit.

18. Sicut ſubuerſa eſt Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.

18. Sicut Sodoma, vicinæque ciuitates ſic ſubuerſæ ſunt, vt nullus in ea habitator manſerit: ſic etiam nullus Idumæam incolet homo, nullus in ea filius hominis habitabit.

19. Ecce

19. Ecce

A *19. Ecce quaſi leo aſcendet de ſuperbia Iordanis ad pulchritudinem robuſtam: quia ſubitò currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis enim ſimilis mei? & quis ſuſtinebit me? & quis eſt iſte paſtor, qui reſiſtat vultui meo?*

19. Ecce aderit hoſtis Chaldæus, irruétque in Idumæam, cui incolæ nimium ſtolidi robuſtam dicũt eſſe pulchritudinem, eo impetu, atque ardore, quo de ſyluis, quæ ad Iordanis ripas ſuperbè luxuriant, ad prædam procurrit leo. Ego enim hoſti vires, & celeritatem addam, qua præceps aduolet in Idumæam. Contra hanc potentiam, quam ego armo, & tanquam Imperator in Idumæorum fines inueho, quem Idumæorum caſtris ducem præponam? Ecquis erit mei ſimilis, qui mecum
B congredi pari virtute poſſit? Quis erit iſte dux, qui pro Idumæis meis ſe conatibus opponat, aut meum audeat vultum ſubire?

20. Propterea audite conſilium Domini, quod iniit de Edom; & cogitationes eius, quas cogitauit de habitatoribus Theman: Si non deiecerint eos paruuli gregis, niſi diſſipauerint cum eis habitaculum eorum.

20. Audite ergo, quid Dominus inierit conſilij contra Idumæos, quam contra Themanitas cogitationem ſuſceperit, quæ omnia hac iuriſiurandi forma confirmat: niſi per paruulorum manus Idumæos è ſuis exturbauero ſedibus, & eorum ſubuertero domicilia, infirmus habear, & impotens cogitata perficere.

21. A voce ruinæ eorum commota eſt terra: clamor in mari rubro auditus eſt vocis eius.

21. A fragore ruentis Idumææ commota eſt terra, atque conterrita vehemen-
C ter: neque ſtrepitus ille vicinos tantùm populos concuſſit, & impleuit, ſed ad ſummotos etiam longè, & eos, qui ad mare etiam Rubrum habitant, peruenit.

22. Ecce quaſi aquila aſcendet, & auolabit: & expandet alas ſuas ſuper Boſran: & erit cor fortium Idumææ in die illa, quaſi cor mulieris parturientis.

22. Ecce Nabuchodonoſor quamprimùm aduolabit, aquilæ propter pernicitatem non diſſimilis. Qui non aliter ſuas expandet acies contra Boſra, quàm aquila ad prædam intenta alas explicat. Tunc verò his, qui robuſti exiſtimantur in Boſra, ſic afficietur animus, vt non minùs aut patiantur, aut vlulent, quàm fœmina, quæ in
D ipſo puerperij conatu ægrè laborat.

23. Hucuſque vaticinium contra Idumæam: & incipit nouum aliud contra Damaſcum.

23. Ad Damaſcum: Confuſa eſt Emath, & Arphad: quia auditum peſſimum audierunt, turbati ſunt in mari: præ ſolicitudine quieſcere non potuit.

23. Conturbatæ ſunt, atque commotæ grauiter duæ ciuitates, in Syria nobiliſſimæ, Emath, & Arphad; quia triſtis ad illas delatus eſt rumor de interitu Damaſci. Turbatæ, inquam, ſunt & commotæ præ ſollicitudine, & metu, non ſecus ac mare, perflante vento, quieſcere non poteſt.

24. Diſſoluta eſt Damaſcus, verſa eſt in fugam, tremor apprehendit eam: anguſtia & dolores tenuerunt eam quaſi parturientem.

24. Exciſſa eſt, & diſſoluta Damaſcus, fugam arripuit, tremor illam occupauit, & pauor: ſic anguſtè premitur, ſic ægrè do-
E let, ſicut puerperij tempore parturiens.

25. Quomodo dereliquerunt ciuitatem laudabilem, vrbem lætitiæ!

25. Heu, qualem reliquerunt Babylonij ciuitatem, tam antè omnium celebrata præconiis, quæ rebus affluebat, & commodis, quæ ad ſpeciem, voluptatémque captandam auidè exquiruntur. Planè videre videor non ciuitatem, ſed pulchræ quondam ciuitatis informe buſtum.

26. Ideo cadent iuuenes eius in plateis eius;

26. Ideo ciuitas illa ſubuerſa eſt, & iuuenes,

eius: & omnes viri prælij conticeſcent in die illa, ait Dominus exercituum.

27. Et ſuccendam ignem in muro Damaſci & deuorabit mœnia Benadad.

28. Ad Cedar, & ad regna Aſor, quæ percuſſit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, hæc dicit Dominus: Surgite, & aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios Orientis.

29. Tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vaſa eorum, & camelos eorum tollent ſibi: & vocabunt ſuper eos formidinem in circuitu.

30. Fugite, abite vehementer, in voraginibus ſedete, qui habitatis Aſor, ait Dominus: iniit enim contra vos Nabuchodonoſor Rex Babylonis conſilium, & cogitauit aduersùm vos cogitationes.

31. Conſurgite, & aſcendite ad gentem quietam, & habitantem confidenter, ait Dominus, non oſtia, nec vectes ei: ſoli habitant.

32. Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo iumentorum in prædam: & diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in comam: & ex omni confinio eorum adducam interitum ſuper eos, ait Dominus.

33. Et erit Aſor in habitaculum draconum, deſerta vſque in æternum: non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis.

34. Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam aduersùs Aelam, in principio regni Sedeciæ Regis Iuda, dicens:

35. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Aelam, & ſummam fortitudinem eorum.

36. Et inducam ſuper Aelam quatuor ventos à quatuor plagis cæli: & ventilabo eos in omnes

A uenes, viríque bellatores extincti, quia molles illæ deliciæ Damaſcenos animos ad omnem turpitudinem laxarunt.

27. Muros ergo Damaſci incendio vaſtabo, muros, inquam, Damaſci, vbi regnauit Benadab, flamma populabitur.

28. Explicit prophetia contra Damaſcum, & incipit alia contra Cedarenos, & Aſſoritas, quos grauiter contudit, ac, debellauit Nabuchodonoſor. Agitedum, dicit Dominus, ô Babylonij, arma capite, conſurgite contra Cedar, & omnem plagam Orientalem euertite.

B

29. Obſequuti voci meæ Babylonij, Cedarena tabernacula diripient, greges auferent, & omnia bona gentis illius ſylueſtris, & ruſticæ, quæ in pellibus camelis, vaſiſque tam domeſticis, quàm paſtoritiis continentur, auferent. Qui ſic Cedarenorum ab omni parte vaſtitatem vrgebunt, vt nullus in circuitu locus ſit, vnde non ſeſe oſtendat formidandi cauſa.

30. O igitur vos, qui Aſor Cedarenorum caput incolitis, relictis domibus, ac
C mœnibus, latebras quærite, & intima terræ viſcera ſcrutamini, dicit Dominus. Conſilium etenim contra vos iniit Nabuchodonoſor, & de interitu veſtro cogitationem ſuſcepit.

31. Conſurgite, ô Babylonij, & ad gentem ſecuram, & imparatam aſcẽdite, quæque in locis apertis, & expoſitis prædæ cõfidenter habitat. Neque enim valuas habent, aut ſeras, quibus hoſtes arceant, ſed extra cœtus hominum vagi, atque in ſolitudine viuunt.

D

32. Aduenient euocati Chaldæi, abigéntque ſecum copioſos camelorum, & iumentorum greges; & eos, qui iuxta patrium morem comam circuntondent, in omnem ventum, ac latus mundi variè diſpergam. Neque vllus erit eorum populorum, qui Cedarenorum attingunt fines, quĩ non cum Chaldæis in illorum interitum conſpiret.

33. In regionem illam ab hominibus vacuam ſuccedent dracones: erit in ſempiternum ſylueſtris, & deſerta: neque illam ampliùs habitabit vir, non, inquam, filius hominis in ea commorabitur.

E

34. Hactenus contra Cedarenos, nunc incipit contra Ælamitas vaticinium, quod accepit à Domino Ieremias Propheta, cùm primùm Sedecias regnum iniit.

35. Ecce ego, ait Dominus, Ælamitarum arcum, in quo illorum maximè ſpectatur fortitudinis pars, confringam, & omne illorum robur debilitabo.

36. Immittam contra Ælamitas à quatuor mundi plagis hoſtiles acies, quæ ſic illos

omnes ventos iſtos: & non erit gens, ad quam non perueniant profugi Aelam.

illos conſternant, diſpergant, & diſſipent, ſicut quatuor venti acerrimè perflantes, quidquid habent obuium ſternunt, & ventilant. Neque gens erit illa quantumcunque diſſita, ad quam non adigantur Ælamitarum profugi.

37. *Et pauere faciam Aelam coram inimicis ſuis, & in conſpectu quærentium animam eorum: & adducam ſuper eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: & mittam poſt eos gladium, donec conſumam eos.*

37. Immittam autem metum in Ælamitas, ita vt infenſum inimicorum vultum ſubire non audeant; & illorum, qui ad ipſorum cædem ardenter anhelant. In quos ego à furore meo exitium effundam, efficiámque, vt fugientes gladius conſequatur, & extrema calamitas.

38. *Et ponam ſolium meum in Aelam, & perdam inde Reges & Principes, ait Dominus.*

38. Et vbi Chaldæorum armis Ælamitas ſubegero, tanquam in regione domita, ego dux, & Imperator ſolium meum conſtituam: neque ibi patiar Reges, & Principes remanere, dicit Dominus.

39. *In nouiſſimis autem diebus reuerti faciam captiuos Aelam, dicit Dominus.*

39. Diebus tamen poſtremis, qui profugi fuerant, & captiui ex Ælamitis, in ſuas ſibi ſedes remigrabunt, dicit Dominus.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM-NONVM IEREMIÆ.

1. MVLTÆ prophetiæ hoc capite comprehenſæ ſunt, quæ ſuis deinde locis diſtinguuntur; quarum pondus licèt non eodem tempore experti fuerint populi, eodem tamen tempore illas accepiſſe, veriſimile eſt; ſicut capite 27. nationes iſtæ eodem temporis articulo, grauiſſima de ſe audierunt vaticinia, quæ tamen non eodem tempore à Chaldæo ſubiugatæ ſunt; & primùm ad Ammonitas.

2. *Nunquid non filij ſunt Iſraël, aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſſedit Melchon Gad?*] Satis norunt, qui in ſacra Scriptura verſati ſunt, Tribum Ruben, & Tribum Gad, & dimidiam Tribum Manaſſe ſubſtitiſſe ante ingreſſum promiſſæ terræ, citra Iordanem in monte Galaad, Numerorum capite 32. Notum prætereà, Tribus illas, omnium primas, exturbatas fuiſſe à ſuis finibus ab Aſſyriis, & procul tranſlatas ad alienos, vt habes 4. Regum capite 15. verſu 26. vbi Rex Aſſyriorum ſubiugaſſe dicitur Galaad, vbi Tribus illæ ſunt, eáſque ſecum ad Aſſyrios auexiſſe: & clariùs Paral. 1. cap. 5. verſu 26. vbi apertè dicitur, Gad, & Ruben, & dimidiam Tribum Manaſſe è ſuis ſedibus fuiſſe depulſas. Cùm ergo Ammonitæ Gaditarum fines attingerent, in proximos, vacuóſque à poſſeſſoribus agros erupe-runt, habuerúntque pro ſuis. Contra hos igitur Ieremias iniuriarum agit, quòd cùm Iſraëli forent hæredes, illi nempe, qui ex eadem ſtirpe prognati ſunt, quibus parentis ſui debebatur hæreditas, ipſi tamen in illam irruperunt, & patrio deo Melchon ſeruire, atque ſacrificare fecerunt. Modum loquendi obſerua; quemadmodum Deus poſſidere dicitur populum, à quo colitur, ſicut de Iſraële ſæpe audis, & de Iuda multò ſæpius: ſic Melchon poſſidere dicitur Gad, quia ab his Diuinos accipit honores, qui in illam ſunt ingreſſi; & quia inde libamenta comportantur, & victimæ ad illius aram: ſic etiam Moab populus dicitur Chamos, quia ibi idolum illud colebatur præcipuè. Quis verò ſit Melchon, ſeu Moloch, diximus cap. 7. num. 27. vbi etiam diximus, quid ſit Malchah, quam Vulgatus vertit, *cæli reginam.*

Tribus, quæ ſubſtiterunt vltra Iordanē primò abductæ.

3. Hanc eſſe cauſam Ammoniticæ cladis putat hîc Ieremias, & indicat Amos capite 1. verſu 13. *Eò quòd diſſecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum ſuum.* ideſt, vt regionem illam poſſiderent, vbi priùs habitabat Gad, illamque Deo ſuo conſecraret. *Diſſecare autem prægnantes,* licet explicari debeat iuxta proprias vocum ſignificationes, tamen non longè videtur aberrare, quia putaret explicari poſſe iuxta Ieremiæ ſententiam; nempe, vt idem ſit, diſſecare prægnantes, vt terminos dilatent, & occupent Galaad, ac ſtatuere, hæredes eſſe nullos, qui in paternæ hæreditatis poſſeſſionem veniant: nam qui prægnantes diſſecat, ſpem omnem poſteritatis præcîdit. Et ad Amos fortaſſe reſpexerat Ieremias, & propriè explicuit, quod aliter prædixerat figuratè. Eódem ſpectat Sophonias capite 2. qui cùm de excidio ageret Ammonitarum, hanc adducit cauſam: *Quia magnificati ſunt ſuper terminos eorum.* nempe, Iſraëlitarum.

4. Aliam cauſam adducit Sophonias ibidem, quòd, nempe, Ammon in Iſraëlis clade gauiſus eſt, immo operam ſuam in illius exitium præſtitit Aſſyriis. *Hoc eis* (inquit) *eueniet pro ſuperbia ſua, quia blaſphemauerunt, & magnificati ſunt ſuper populum Domini.* & paulò ſuprà: *Quia exprobrauerunt populo meo.* Item Ezechiel capite 25. ad Ammon: *Pro eo quòd plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſus es ex toto affectu ſuper terram Iſrael.* Ezech. 25.

Ammonitæ contra Iſraël.

Auditum

5. *Auditum faciam ſuper Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij.*] Contra hanc ciuitatem ſunt eædem minæ apud Amos,& Ezechielem ſupra, ex quo coniectare licet, ciuitatem illam eſſe opulentam, & lautam. Addo ego, hanc non procul eſſe ab Heſebon, ciuitate Moab,de qua proximo capite.Et in porta Heſebonis,quæ ducit ad Rabbath,eſſe ſtagna pellucida,pura, aſpectúque gratiſſima,quibus ſponſę comparantur oculi Canticorum 7. *Oculi tui,ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Rabbath enim multitudinem ſonat; filia verò Rabbath, ex Hebræorum idiomate, idem eſt,quod Rabbath;ſicut *filia Ægypti, filia Sion*, nihil eſt aliud, quàm Sion, & Ægyptus. De hoc nos pluribus in illum Canticorum locum.

Cantic.7.

6. Verſ.3. *Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai.*] Ex his liquet, direptam eſſe priùs à Chaldæis Ammonitidem, quàm Moabitidem prouinciam: nam Heſebon, vt vidimus, eſt in terra Moab. Cùm igitur Heſeboni dicatur, ſibi vt caueat, & in Hai iam vaſtata pericula diſcat, quid ſibi ab eodem hoſte calamitatis immineat, planè oſtendit Ammonitidis regionis præceſſiſſe interitum.

7. *Clamate filiæ Rabbath, accingite vos ciliciis:plangite, & circuite per ſepes.*] Filiæ Rabbath dicuntur oppida, aut pagi illi ciuitati ſubiecta: vt enim ciuitas, quæ aliarum caput eſt, metropolis vocatur,ideſt,ciuitas mater; ſic etiam ſubiecti pagi filiæ vocantur. Hæ igitur circuire iubentur per ſepes, ideſt, extra mœnia,quia intra tutum nihil eſt ab hoſtili ferro;quare fugere iubet, & circuire ſepes,ſi quo modo inter dumeta, quibus ſepiri fundi ſolent, aut inter ſaxa latibulum aliquod appareat,vbi ſolertes,& acres Chaldæorum oculos latere poſſint. Sed licèt id veriùs fortaſſe ſit, tamen accommodatè ad filiarum nomen videtur dici poſſe non ineptè, vt ab alio, quàm à Rabbath, matris ſubſidio, & gremio ſalutis ſuæ perfugium quærant. Solent filij, cùm tenera adhuc in ætate ſunt,neque ſibi in ſe ſatis habent conſilij,ſeu præſidij, ad matres confugere, & in illarum ſinu, atque complexu habere leuamentum doloris:quòd ſi mater mori contingat, plorantes errant,& hac,atque illac incerti vagantur:neque aliquid habent, in quo tantiſper acquieſcant. Sic planè continget filiabus Rabbath,quæ à matre iam exciſſa nihil habebunt, quo ſuæ ſibi fortunæ vtiliter prouideant.

8. *Quoniam Melchon in tranſmigrationem ducetur.*] Chaldæi non ſolùm vrbes, hominéſque inſectabantur,& ſternebant,ſed etiam loca ſacra,& quæ ad illorum inſtructum, atque ornamenta pertinebant. Cùm enim aliam ipſi religionem haberent, alios colerent deos, nulla alienæ religionis obſeruantia mouebantur,vt à diis,& templis victrices manus abſtinerent. Quare ex Hieroſolymitano templo varia ſuſtulerunt vaſa, & ſacram ſupellectilem. Chamos Moabitarum idolum abduxerunt, vt habes capite præcedenti verſu 7. *Ibit Chamos in tranſmigrationem, Sacerdotes eius, & Principes eius ſimul.* Quę verba etiam hîc ad vnum habes; & de Ægyptiorum diis etiam dictum eſt capite 43. verſu 12. *Et ſuccendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea,& captiuos ducet illos.* Eodem modo Melchon, ſeu Moloch Ammonitarum Deus, ex eo loco, vbi Diuinos acceperat honores, eò adducetur captiuus, vbi in nullo ſiet pretio; immo vbi in ſordibus, tanquam aliquid vile,ſquallеſcat,& puteat.

Dij gentium captiui.

9. Verſ.4. *Defluxit vallis tua, filia delicata.*] Regionem Ammonitidem amœnitatis eſſe,& vbertatis eximiæ, ſatis probant & maris mortui vicinitas, quod antequam cæleſtis ignis ſubuertiſſet Sodomam, ſpecioſum erat, ſicut paradiſus Dei; & quæ de Moab capite præcedenti dicta ſunt.Quod etiam indicat *vallis* nomen,in quam, cùm ex montibus dilabuntur riui, irrigua plerunque eſt,abundátque rebus non ſolùm ad vitæ vſum neceſſariis,ſed etiam ad delicias, atque luxuriem. Hæc tamen vallis defluxiſſe dicitur, ideſt,fluere deſiiſſe, ſeu abundare aquis, quæ iam nullum vſum incolis ſint allaturæ:nam quæ inutilia ſunt, omnium ſenſu, perinde habentur, atque ſi omnino non eſſent. *Defluere* autem ſignificat non ſolùm aquam è ſuperiori loco ad profunda delabi,ſed etiam fluxum eſſe cohibitum, aut quia fontes aruerunt, aut quia oppoſita mole repreſſus eſt torrentis, ſiue fluminis curſus. Id planè valet illud Horatij:

Ruſticus expectat,dum defluat amnis,at ille
Labitur,& labetur in omne volubilis æuum.

Hîc ſterilis ſignificatur vallis illa, ſeu, quod eôdem ſpectat,vaſtata ab hoſtibus. Ex alia item ſignificatione verbi *defluo*, quod *perire* valet,atque *diſſolui*, quomodo dicimus, *defluunt capilli, vires, diſciplina, & mores.* Eodem verbo,in eandémque ſententiam vſus eſt Iſaias capite 24. *Luxit,& defluxit terra.* ideſt,aruit,ſeu vaſtata eſt.

10. *Filia delicata.*] Septuaginta, *filia temeritatis*, ſeu temeraria,& audax;recentiores, *filia rebellis.* Diſſidij huius cauſa fuit vox Hebraica שובבה *ſobebah*,quæ deducitur à radice שוב *ſub*, quæ reuerti ſignificat, & quieſcere; à priori ſignificatione, alij tranſtulère *rebellis*, ſeu *auertens*; à ptiori Vulgatus *delicata*: quia hæc mollis,& ignaua, in ſua ſemper ſede deliciis affluens quieſcebat, quæ aliorum imperio nunquam ſuberat, quæ nihil ab alio putabat ſibi eſſe metuendum. Sic Iſaias capite 6. *Specioſæ, & delicatæ aſſimilaui filiam Sion.* & capite 47.de Babylone: *Et nunc audi hæc delicata,& habitans confidenter.*

11. Verſ.5. *Ecce ego inducam ſuper te terrorem, &c. ab omnibus, qui ſunt in circuitu tuo.*] Terror, ſeu timor,& ſimilia,pro rebus terribilibus,& metuendis vſurpantur, iuxta regulam illam,quam tradidimus in noſtris Commentariis in Iſaiam capite 13. numero 15. vbi diximus, actionem ſumi pro obiecto, ſeu actionis materia, vt *laus*, pro re laudabili;*cuſtodia*, pro præcepto; *auditio*,pro ſermone. Sumi igitur hoc loco poteſt *terror*, ſeu *timor*,pro re timenda, aut terribili;putà,pro armiſ, bello, exitio, vt alibi ſæpe. Et iuxta hæc ſenſus erit: Ex vicinis locis in prouinciam illã Ammonitidem immittenda eſſe arma, inducendos hoſtes,nempe,Chaldæos,qui & ipſi vicini ſunt, & alios etiam populos vicinos, qui fœderata arma, & ſociales vires cum Chaldæis aduersùs Ammonitas coniunxerunt.

Actio pro termino, ſeu obiecto.

12. Alius ſeſe mihi offerebat ſenſus, neque à re ipſa, neque à Dei conſuetudine, vt putabant, alienus. Solet etenim Dominus terrorem mittere,quo concuſſi pauidè hominum animi,nemine perſequente,immo licèt nullus ſit armorum motus,aut cogitatio, perturbantur,ac defluunt. Hic autem metus immiſſus à Deo, cuius ignoratur, aut cuius nulla eſt cauſa, à profanis appellatur *Panicus*. Quòd verò Deus pauorem immittat, quo hominum frangantur ſpiritus, & vires, & caſtra omnino diſſipentur, & pereant, exempla

Terror miſſus à Deo, & ſolitus mitti.

multa

multa ſunt. Tu ex his diſce, verū eſſe quod audis. Geneſis 35. conſuluit Deus vitæ, fortunïſque Iacob, incuſſo circumcirca ciuitatibus metu: *Cùmque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſæ perſequi recedentes.* Et Exodi 23. Deuteronomij 7. metum itèm indidit Chananæis, ne auderent ſeſe Iſraëlitis opponere. 4. Regum capite 7. in obſidione Samariæ ſonitu quaſi equorum, & curruum perterruit Syros, & in fugam conuertit. Et quidem talem Deus minatur pauorem populo ſuo, ſi minùs ſe legi obſequentem præbuerit, Leuitici capite 26. *Fugietis, nemine perſequente.* Hunc fortaſſe terrorem immiſit Dominus Ammonitis, ita vt necdum hoſte conſpecto exanimati caderent, & de rerum ſucceſſu deſperarent. Hæc mihi videntur dici poſſe non improbabiliter. Vide, quæ diximus in illud Iſaiæ capite 37. numero 7. *Ecce ego dabo ei ſpiritum:*

13. *Et diſpergemini ſinguli à conſpectu veſtro.*] ideſt, ab inuicem, ita vt alij ab aliis ſeparentur. Hebraicè, *vnuſquiſque in faciem ſuam.* ideſt, alij aliorſum diffugient: quod in tumultu, ac perturbatione fieri ſolet, in quibus conſilio, ac deliberationi locus eſſe non ſolet.

14. Verſ. 6. *Poſt hæc reuerti faciam captiuos filiorum Ammon.*] Sicut de Moab, Tyro, Ægypto, & ſtatim Idumæis reditus à captiuitate promittitur, ſic etiam nunc Ammonitis. Redierunt autem hi eodem edicto, certè eodem tempore, quo Cyrus Iudæis liberam facultatem fecit in patriam remigrandi, de qua egimus ſuprà non ſemel, & deinceps ſæpius agere neceſſarium eſt.

NOVA PROPHETIA contra Idumæos.

Verſ. 7. *Ad Idumæam.*]

15. *Ad, pro de.* Titulus eſt prophetiæ, ſicut proximè, *Ad filios Ammon.* Fortaſſe illud, *ad*, ponitur pro, *de*, quod in ſacra Scriptura non infrequens, ita vt ſenſus ſit, *de filiis Ammon, de Idumæa.* Quomodo *ad*, &, *in*, pro, *de*, interdum ſumantur, diximus in caput 2. Actorum numero 63. De, *ad*, pauca hæc exempla accipe. Lucæ 19. *Ait Ieſus ad eum* (nempe Zachæum) *quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* ideſt, *de eo.* neque enim ſermo ad Zachæum, ſed ad circunſtantes dirigebatur. Ad Hebræos 1. (ad Hebr. 1.) *Et ad Angelos quidem dicit*, ideſt, *de Angelis.* Et iterum capite 4. (ad Hebr. 4.) *Ad quem nobis ſermo.* ideſt, *de quo.* Sed non multùm intereſt, hòcne an illo modo capias, quia ſenſus eſt idem. Tantùm hæc adduximus, vt familiaris hic loquendi modus intelligatur, cuius ignoratio obſcuram reddit, & implexam orationem.

16. *Nunquid non vltrà eſt ſapientia in Theman? periit conſilium,*] *Theman ſapientium ſchola, aut ſapientium ſedes.* Theman præcipua videtur eſſe pars Idumææ, cuius frequens, atque præcipua mentio, cùm ſermo incidit de Idumæis. Videtur autem illa ciuitas aut ſcholas habuiſſe Philoſophiæ, aut eius diſciplinæ, quæ olim in regionibus illis maximè colebatur. Nam ſæpe pars illa Idumææ à conſilio laudatur, & prudentia, vt vides hic, & apud Abdiam; & Eliphaz Themanites, qui cum Iob omnium acerrimè diſputauit, ſapientiſſimus eſſe dicitur; qui, vt nomen ipſum præſefert, aut

A erat è Theman, aut in Theman diſciplinis philoſophicis fuerat excultus. Idumæi igitur, in quibus numerantur Themanitæ, quorum conſilio, atque ſapientia res adminiſtrabatur publica, ſic in rebus adminiſtrandis errabant cæci, atque præcipites, vt illis conſilium videretur, & mens excidiſſe. Quare ſic admirabundus Propheta: *Nunquid non vltrà eſt ſapientia in Theman?* ideſt, nunquid ad hoc vſque tempus datum eſt Themanitis, vt ſapientes ſint, deinde verò, vt omnino deſipiant? quia ſic in deliberando abripiuntur temerè, ſic abducuntur inſipienter, vt in Themanitis ſpectare te putes ſtolidum genus hominum, & politioris indocile diſciplinæ.

B Verſ. 8. *Deſcendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Eſau adduxit ſuper eum.*] 17.
Dedanitæ quoque ad Idumæos pertinent, & horum in ſacra Scriptura creber ſermo. Vt autem ſæpe edictum eſt Solymitanis antea, & proximè Moabitis, vt cauernas ſubeant, ſubterraneáſque latebras, quo hoſtili ſe ferro, atque furori ſubtrahant; ſic etiam nunc idem denunciatur Idumæis; quibus, vt in locis arduis, atque petroſis opportunè occurrebant latibula, quæ nulla hoſtium ſolertia deprehenderet. Ratio verò, cur ſubire debeant altas terræ voragines, & quaſi mortuorum ſepulcra, ea eſt, quia Eſau, ideſt, eius prouinciæ, & generi impendet iam à Domino extrema calamitas. Videtur autem admixtum C hîc eſſe aliquid ironiæ, ac ſi dicat: quantumuis te in voraginem dedas, & in mortuorum latebras, aut etiam infra mortuos abſtrudas, nihilominus tibi pereundum eſt.

Verſ. 9. *Si vindemiatores veniſſent ſuper te, non reliquiſſent racemum: ſi fures in nocte rapuiſſent, quod ſufficeret ſibi.*] 18.
Explicat ab exemplo diſſimili, quod proximè dixerat de Idumæorum perditione, quā inducet Deus: etenim vindemiator quantumcunque attentus, & auarus, aliquid tamen relinquit in vitibus ad pauperum vſus: & cùm latro non tam ſtudeat ſpoliare, atque vexare alios, quàm ſibi de neceſſariis prouidere, vbi hæc furatus fuerit, ab aliis abſtinet, neque pauca relinquit, quibus vtatur Dominus. Sed quia id agit Deus, vt te bonis omnibus, ac commodis expoliet (neque enim tuis indiget, vt vitam honeſtè D ducat, & abundanter, ſicut homines ſolent) nil omnino relinquet tibi, ſiue ad vitæ ſubſidium, ſiue ad ornamentum dignitatis. Grauia ſunt hæc, ſed addit aliquid Deus apud Malachiam capite 1. quod non ſolùm Idumæis euerſam regionem eſſe dicit, & ablata omnia, quæ in bonis numerari ſolent, ſed etiam inſtaurandæ fortunæ ſpem omnem præcidit. *Quòd ſi dixerit Idumæa, deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt. Hæc dicit Dominus exercituum: Iſti ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus,* E *cui iratus eſt Dominus, vſque in æternum.* Porrò hæc duo tam latronis, quàm vindemiatoris exempla iiſdem propè verbis adduxerat priùs Abdias verſu 5.

Cæterùm hîc vtraque pars cum interrogatione proferenda; & in ſecundo membro iteranda 19.
negatio, hoc ſenſu: Si fures in nocte veniſſent, nónne rapuiſſent, quod ſibi ſufficeret, & relinquerent alia? Quòd in ſecundo membro iterari negatio debeat, quæ in priori præceſſit, diximus in noſtris Commentariis in Iſaiam capite 33. num. 10.

Verſ. 10. *Ego verò diſcooperui Eſau: reuelaui abſ-* 20.

condita

condita eius.] Eadem habes apud Abdiam: *Quomodo ſcrutati ſunt Eſau? inueſtigauerunt abſcondita eius?* Inueſtigarunt quidem Babylonij Idumæorum latebras, & quæ ipſi tanto ſtudio cælauerant, reuelarunt. Sed quia id, auctore, atque agente Deo, perfecère, à Deo diſcoopertus dicitur Eſau, & illius abſcondita reuelata. Porro hîc obſeruandum, quod nuper audiuimus, quærendas eſſe, aut quæſitas etiam fuiſſe ab Idumæis voragines, in quibus ſe, ac ſua, è Chaldæorum oculis ſubducerent; quæ cùm ſatis viderentur occulta, neque ad ea aſpirare poſſe Chaldæorum ſolertiam, detexit tamen Dominus, cuius oculos nihil latere poteſt: effecitque, vt omnia aperta eſſent, & nuda prædatorum oculis. Illud non omittendum, quòd ad hæc, aliáque, quæ in hoc capite non ſemel occurrent, non parum facient, Idumæos, vt docet Hieronymus in Abdiam, in ſpeluncis viuere, atque abſcondere ſolitos, quæ in bonis habent. Audi Hieronymum. *Omnis* (inquit) *Auſtralis regio Idumæorum de Eleutheropoli, vſque Petram & Hailam (hæc eſt enim poſſeſſio Eſau) in ſpecubus habitatiunculas habet: & propter nimios calores Solis, quia Meridiana prouincia eſt, ſubterraneis tuguriis vtitur. Diſcooperui, inquit Eſau, ideſt, quod terra premebatur, in medium protuli, & aperta ſunt omnia, quæ claudebas, ſubſtantiamque tuam, me pariter cum hoſtibus perquirente, nulla potuerunt ſecreta celare.*

Idumæi in ſpeluncis habitant.

21. *Vaſtatum eſt ſemen eius, & fratres eius, & vicini eius, & non erit.*] Omnimodam vaſtitatem denunciat, quæ nihil faciet reliquum eorum, quæ quoquo modo pertinere poſſunt ad ſubſidium, atque ſolatium Eſau; non ſemen, ideſt, non illi, qui ad ſeram vſque poſteritatem, parentum nomen, atque memoriam tueri, & conſeruare poſſint, non fratres, non vicini: qui, vbi cætera perierunt, ſubſidio eſſe in rebus anguſtis, atque ſolatio aſſolent. Illud, *non erit*, confirmatio eſt eorum, quæ dicta ſunt, neque aliquid aliud valet, vt opinor, quàm vaſtatum eſſe ſemen, &c. Eadem autem ſententia repetita epitaſim habet, additque rei promiſſæ, ſeu minis intentis certitudinem, atque conſtantiam.

22. Verſ. 11. *Relinque pupillos tuos, ego faciam eos viuere, & viduæ, &c.*] Confirmat illud, quod proximè dicit, nihil fore reliquum ex his, quæ viuere, aut ſupereſſe optare poſſet Eſau. In his autem verbis ſubamara quædam eſt ironia; qua ſignificat Deus, pupillos quoque & viduas, quorũ ipſe miſereri præcipuè ſolet, & eorum patrocinium ſuſcipere, communis illius cladis non futuros expertes, quod indignationis maximæ argumentum eſt. De quo iure optimo dici poſſit; quod nuper è Malachia audiuimus, *Vocatus eſt populus, cui iratus eſt Dominus vſque in æternum.* Ait itaque Deus quaſi inſultans Idumæorum cladi: Cùm abieris, ô Eſau, ſpoliátus bonis captiuus ad Babylonios, ſpem generis tui, & vxorem animi tui partem non exiguam mihi commenda, quáſi orphanorum patri, & viduarum patrono, ac vindici: ac ſi dicat, fruſtra id tentabis: neque enim ita me placatum, aut propitium inuenies, vt pupilli, ac viduæ, quorum quò magis miſera, atque infirma conditio, magis etiam afficiunt, & commouent ingenuos animos; animum meum alioqui ad miſerendum pronum, vel leuiſſimè tangant. Illos etenim eadem, quæ parentes, ac viros procella diſpergat, idem ſequetur caſus, idem conficiet ferrum. Hic ſine dubio ſenſus eſt, vt conſequentia probant, & apertè docet Septuaginta tranſlatio, quæ ſic habet: *καὶ οὐκ ἔστιν ὑπολείπεσθαι ὀρφανοί σου ἵνα ζήσεται*. ideſt, *neque relinquetur orphanus tuus, vt viuat*; cui etiam aſſonat illud Abdiæ, verſu 18. *Et non erunt reliquiæ domus Eſau.*

23. Verſ. 12. *Ecce, quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quaſi innocens relinqueris?*] Hæc ad pupillos pertinent, qui innocentes ſunt, vtpote quibus neque maturitas eſſet, neque plenum ad peccandum iudicium, in quos tamen graſſaturum eſſe dicitur hoſtile ferrum. Ex quorum infelici fortuna, & immatura morte, efficit argumentando Deus, non eſſe, cur de ſuis rebus meliùs ſperent, aut ſtatuant viri, quorum mores longe abſunt ab innocentia. Quid ſit calicem bibere, notum eſt, & nos illius metaphoræ rationem oſtendimus ſuprà capite 25. numero 29.

24. Variè alij comparationem hanc accipiunt. Quidam conferri putant Idumæos cum aliis populis, qui cùm minùs eſſent Iudæorum nomen, & cauſam inſectati, tamen durè vexati ſunt, & à ſuis bonis, & finibus exturbati, qui tamen Idumæorum comparatione videri poterant innocentes. Ex horum iactatione, atque ſupplicio, omnem ſpem libertatis, & pacis præcidit Dominus Idumæis. Ita putant quidam ex Hebræis, vt refert Maldonatus. Plerique alij comparationem eſſe putant inter Idumæos, & Iudæos, quos ante hoc tempus Deus malè mulctauerat, & extorres abduxerat in peregrinum ſolum. Qui innocentes videri poterant, etiamſi in omne vitiorum genus intemperanter proiecti, ſi cum Idumæorum ingenio, ac moribus conferantur. Quòd ſi Iudæorum flagitiis non pepercit Deus, qui ſperare poſſunt Idumæi, ſuis ſceleribus ignoſcendum à Domino: Et facit illud Iſaiæ 32. *Super humum populi mei vepres, & ſpinæ aſcendent, quantò magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?* Eadem penè verba habes capite 25. verſu 29. *Quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere: & vos quaſi innocentes, & immunes eritis? non eritis immunes.* Hæc magnum apud me momentum habent, vt hanc explicationem amplectar: neque tamen ideo prima explicatio diſplicet, quæ *innocentes* in magis propria, atque vulgari ſignificatione ſumit. Neque enim Iudæi innocentes erant; immo omnium populorum non ſemel appellati ſunt nocentiſſimi. Illud præterea, *quibus non erat iudicium, vt biberent*, non bene conuenit in eos, qui ætate ſunt ad peccandum matura: quòd ſi iudicium aliter accipias, quod certè potes, pro cauſa damnata, iudicatáve ſupplicij rea, non aptè quadrat in Iudæos, qui, niſi admodum paucos excipias, omnes grauiori etiam ſupplicio digniſſimi fuerunt.

25. Neque ſi, *innocens*, paſſiuè capias, ita vt non tam ſignificet eum, qui nocuit, ac offendit aliquem, quàm eum, qui nocumentum accepit, aut punitus eſt, vt multi volunt, & ſuadet Septuaginta tranſlatio, ideo primam illam noſtram expoſitionem deſerendam puto; cuius ea ſignificatio eſt: Si pupilli, atque orbi immunitatem à communi cæde conſequuti non ſunt, impunitatem tibi à tuorum ſcelerum turpitudine pollicebere.

26. *Non eris innocens, ſed bibens bibes.*] ideſt, non iudicaberis tanquam innoxius, ita vt ſupplicij communis acerbitatem effugias, aut non eris impunitus, ſed omnino de pleno hauries po-

cuio, quod ego ſcelerato generi largiter propino.

27. *Et in maledictionem erit Boſra: & omnes ciuitates eius erunt in ſolitudines ſempiternas.*] *Maledictio* in Scriptura ſacra malorum omnium cumulum, & quidquid natura horret, ſignificat: ſicut contrà, bonorum omnium cumulum ſonat, & continet *benedictio*. Quare omnia Deus aduerſa minatur Boſra, ideſt, Idumæorum genti, quæ per ſynecdochen ex vna illius prouinciæ ciuitate intelligitur. Seu certè maledictio hoc loco execratio eſt; tunc verò tanta futura dicitur Idumæorum calamitas, vt in prouerbium abeat, dicatúrque ab hominibus, dum ſibi aliquid imprecantur aduerſi, quod ſæpe in promittendo, aut in comminando faciunt: Si ſciens fallo, aut ſi promiſſo fides, & conſtantia defuerit, patiar, quod Idumæus, aut ita me Deus affligat, & perdat, ſicut afflixit, & perdidit Idumæam. Quo modo, licèt aliquando fuerit inſtaurata Idumæa, vt profectò fuit, æterna tamen dicatur futura eius ſolitudo, diximus aliis ſæpe locis: neque enim æternum id ſemper ſignificat, quod nullo definitur ſpatio, ſed id perquàm ſæpe, quod diuturnum eſt, quale videri poteſt ſeptuaginta annorum interuallum.

28. Verſ. 14. *Auditum audiui à Domino, & legatus ad gentes miſſus eſt.*] Hinc orſus eſt Abdias in eandem gentem vaticinium ſuum, à quo hæc, & pleraque alia ſumpſit Ieremias; immo vterque à Deo, cuius afflatu vterque voces haſce propheticas expreſſit. Dixerat priùs Ieremias, propinandum eſſe Idumæis plenum iræ poculum, redigendámque illorum prouinciam in ſolitudines ſempiternas. Id quomodo, quóve ordine faciendum ſit, explicare aggreditur. Primùm ait, illum rerum euentum audiuiſſe ſe ab eo, qui neque ipſe falli, neque verò fallere quemquam poteſt: deinde miſſum eſſe legatum, ad Babylonios nempe, qui populos commoueat in Idumæos, & delectus habeat militares. Accommodat autem ſe Propheta ad Imperatorum conſuetudinem, & ingenium, & ad id, quod in comparando bello, atque inſtruendo exercitu, fieri communiter aſſolet. Priùs enim excitatur obſcurus quidam rumor, qui reliquorum nuncius, & quaſi prognoſticum eſt; deinde ſingula expreſsè magis cognoſcuntur, putà, vnde primùm motus, qui delectus, qui profecti, quæ belli conſilia. Eodem propè modo accidit & Abdiæ priùs, & nunc Ieremiæ: nam primùm audiiſſe belli rumorem viſus eſt: id enim valet, *Auditum audiui*; verba nempe, quæ inſtare bellicos motus denunciabant: deinde legatum eſſe miſſum ad Chaldæos, datáque mandata, vt ſe quamprimùm ad datum ſibi negotium expedirent: id enim valet, quod ſtatim additur, *Congregamini, & venite contra eam: & conſurgamus in prælium.* Quæ verba ſunt legati, qui à Domino miſſus eſſe traditur.

29. Quis ſit iſte legatus, obſcurum eſt. Quidam ipſum Ieremiam eſſe putant, qui de Idumæorum ſtrage per Chaldæos prophetauit, & hoc putant eſſe nuncium, atque mandatum Babyloniis iniunctum: ita putant Dionyſius, & Hugo, licèt iidem aliter ſentiant ſuper Abdiam; ſed planè conſtat de alio, quàm de ſe ipſo loqui Ieremiam. Alij Angelum eſſe putant, qui iuxta ſui nominis notationem, legationibus obeundis aut deſtinatus, aut certè perquàm idoneus eſt. ita cum Theodoreto alij, & eſt ſatis probabile. Ego in illorum magis cogitationem inclino, qui inſtinctum aliquem à Deo inditum eſſe putant, ſeu ſpiritum, quo intus vrgente, atque inſtimulante, contra Idumæos ſic afficiebantur Babylonij, vt ſeſe mutuò ad Idumææ gentis perniciem hortarentur. ita putat Cyrillus in Abdiam, & ibi Ribera, & Lyra. Hic verò modus Deo eſt perquàm familiaris, qui externo admonitore non eget, ſi quando hominum animos concitari, aut ad impiorum vindictam efferari vult. Sic Ieremias capite 1. Aquilonares populos ad euertendam Hieroſolymam coëgit. *Ecce ego*, inquit, *conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & venient*, &c. Idem Iſaias capite 5. *Eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ*, &c. Solet etenim Dominus immiſſo ſpiritu, ideſt, aliquo affectu, impulſu, ſeu cogitatione, aut metu, cuius interdum ignoratur cauſa, deterrere homines, aut concitare, addere, ſeu adimere vires, & audaciam. Hæc mihi ſententia probabilior eſt. Sunt qui in hoc legato Chriſtum agnoſcant, in quibus ſunt Hieronymus, & Rupertus; quod mihi quoque placeret, ſi ſermo eſſet figuratus, non proprius, ideſt, ſi vaticinium hoc inſtituatur contra eos, qui ſpiritualiter ſunt Idumæi, ideſt, alieni à religione, à pietate, & digni tandem, qui filij nominentur Eſau.

Verſ. 15. *Ecce enim paruulum dedi te in gentibus: contemptibilem inter omnes.*] Hæc eadem habes ab 30.
Abdia: quibus verbis ſumma continetur eorum, quæ à Dei offenſione, & Chaldæorum armis patientur Idumæi. Eò etenim redigentur, vt cùm magni fuerint, vel hominum numero, vel diuitiarum copia, paruuli deinceps habeantur; vel quia Idumæorum ſternentur plurimi, vel quia opibus nudabuntur, quæ faciunt, vt homines, licèt alias puſilli, in gentes habeantur, & Heroës. Vnde etiam fiet, vt illi iidem contemptui habeantur apud omnes, quia his aut opibus, aut ornamentis nudati fuerint, propter quæ apud alios glorioſi, aut ſuſpiciendi videbantur. Illud *dedi*, pro *dabo*, poſitum eſt: quo genere dicendi rerum ſignificatur firmitas, & propediem rerum executio. ita expoſitorum multi, neque (meo iudicio) abs re, vel à textu.

Sed placet magis, quod in Abdiam docet Hie- 31.
ronymus, Ribera, & Legionenſis, Caſtrus, & alij hîc. Non oſtendi, deiiciendos Idumæos ex eo loco, quem olim habuerunt amplum, & eximium, ad ſordidam, anguſtámque fortunam: ſed potiùs ſtatum ignobilem, ac tenuem proponi, propter quem abiecto eſſe animo debuerunt, neque eos ſpiritus aſſumere, quos alunt & locus excelſus, & opes abundantes. Ac ſi dicat Deus, Feci, vt paruulus eſſes, quia anguſtis te finibus incluſi; & ne in gentibus aliquod tibi nomen eſſet, efficere potuêre domeſticæ ſordes, & vbi perpetuò degeres, non tam hominum vrbana domicilia, quàm ferarum luſtra, ſaxorum ſpeluncæ, & ſubterraneæ latebræ: vt enim ſuprà vidimus numero 20. in ſubterranearum ſpecubus habitauerunt olim Idumæi. Sed tu cùm inter gentes infimum locum habere debuiſſes, tibi ipſi ſtolidè aſſentatus ſummum elegiſti.

Quòd verò ante hoc ſiue Abdiæ, ſiue Ieremiæ 32. *Idumæorum anguſti fines, & populus exiguus*
tempus, anguſti fuerint Idumæorum fines, & numerus habitantium exiguus, colligitur ex Scriptura non obſcurè. De finibus habes Deuteronomij 2. vbi in montium Seir clauſtris contineri dicuntur Idumæi. De incolarum numero ad pau-

eos

cos redacto conſtat aperte libro Regum 3. capi- A
te 11. à numero 15. vbi Ioab conſtituiſſe traditur
in Idumæa, & ibidem omne maſculinum intere-
miſſe: quare abundare non poterat viris illa re-
gio, cui ſobolis propagandæ ſpes, & quaſi ſemen
extincta fuiſſe videbantur.

33. Verſ. 16. *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia
cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehen-
dere niteris altitudinem collis.*] Hæc ſatis probant,
veram eſſe ſententiam, quam vltimo loco pro-
duximus: námque illi, qui cùm in cauernis age-
rent belluarum more, abiicere debuiſſét animos;
ſic tamen efferebantur inſolenter, vt ſumma ap-
peterent montium faſtigia; ideſt, vt ſibi primum
deberi locum exiſtimarent. Quod optimè expli- B
cuit Abdias, cui idem argumentum omnino pro-
poſitum. *Superbia* (inquit) *cordis tui extulit te habi-
tantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum,
qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram?* Niſi
mauis eorum ali confidentiam; qui, cùm in ru-
pibus habitarent, ſaxíſque præruptis, tutos ſe
putabant ab hoſtili manu, cùm ſibi perſuaſiſſent,
eò aſpirare non poſſe inimicorum conatus.
Quod ego non improbo, quia multis aliis place-
re video; cui valde aſſonant Abdiæ verba; cuius
hæc videtur non aliena ſententia: qui habitas in
petrarum ſciſſuris, qui ſolium tuum exaltas, id-
eſt, ſublime habes, in arduis montium, atque præ-
ruptis faſtigiis. Sed in priorem explicationem C
magis propendet animus.

34. *Cùm exaltaueris ſicut aquila nidum tuum, inde de-
traham te.*] Hæc noſtram ſententiam aut conuin-
cunt, aut ſuadent; quæ non tam de habitatione
in excelſis montibus Idumæorum, quàm de co-
natu, atque ſtudio eò conſcendendi, proximam
clauſulam interpretatur. Ait ergo Dominus, ni-
hil futurum Idumæis tutum ab offenſione ſua,
& ab illis armis, quæ ipſe in Chaldæorum ma-
nibus contra illorum conſilia, ac ſcelera verſa-
bit. Eſt autem hæc ſententia ſæpius in ſacris lite-
ris vſurpata, qua Deus oſtendit, nihil ſibi futu-
rum inacceſſum, nihil non ſuperabile. Hæc item
Deum nemo effugiet. de Idumæis Abdias Iob capite 20. *Si aſcenderit* D
*vſque ad cælum ſuperbia eius: & caput eius nubes teti-
gerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Pſalmo 138.
*Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si
aſcendero in cælum, tu illic es,* &c. Quod etiam co-
gnouerunt, dixerúntque non ſemel, qui fabulis
ſcribendis poëticam operam nauarunt: quorum
vnus de Encelado Idumæorum ingenio quàm ſi-
millimo dixit:

*Quò fugis Encelade? quaſcunque acceſſeris
oras,
Sub Ioue ſemper eris.*———.

Quomodo in arduis, præruptíſque ſilicibus ſuum
ſibi nidum aquilæ conſtruant, docent ſacræ, at-
que profanæ literæ. Quod ideo facere exiſtiman- E
tur, ne ſerpentes oua ipſarum corrumpant, &
perdant, aut pullos adhuc implumes, ac teneros
occidant. Ex quo fit, vt aquilæ adhiberi ſoleant
in earum rerum comparationem, quæ expugna-
ri poſſe nullo videntur modo; tum quia ipſæ for-
tes ſunt, & plano etiam in loco formidabiles;
tum quia his in locis nidificant, ad quæ nulli eſt
acceſſus liber à periculo. Illud, *inter ſydera,* quod
dixit Abdias, hyperbole eſt tam ſacris, quàm
profanis vſitata. Sic Rex Babylonis Iſaiæ capite
14. dicebat: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei
exaltabo ſolium meum.* Et Iob capite 20. de quo
nuper, & de Atreo Seneca in Thyeſte:

Gaſp. Sanctij Com. in Ierem.

A *Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper*
Altum ſuperbo vertice attingens polum.
Hyperbole, cælum attingere.
Item Ouidius:

——— *Quo coniuge felix*
Et diis chara ferar, & ſydera vertice tangam.

Horatius libro 1. Carminum:

Quòd ſi me lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſydera vertice.

Verſ. 17. *Stupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas* 35.
eius.] Sæpe inuenio ſtuporem cum ſibilo con-
iunctum in hoc Propheta, vt capite 18. verſu
16. capite 21. 9. & 18. capite 29. verſu 18. In
quibus duos intueor hominum affectus; admira-
tionis alterum, cùm videant ſic eſſe iactatam
B Idumæorum ſortem, vt ipſa quoque ciuitatum
veſtigia obcæcata fuiſſe videantur; alterum con-
temptus, & irriſionis: nam, cùm vaniſſimi Idu-
mæorum ſpiritus, inſoléntſque iactantia, quæ
nunquam eſt aliis non odioſa, eſſent aliis explo-
rata, non ſine faſtidio, adeò non commouebun-
tur illorum ruina, vt etiam illorum inſultarent
lacrymis, & illorum gemitus, & depreſſam for-
tunam, cum plauſu, ac ſibilo exultantes excipe-
rent. Hæc eadem verba de Hieroſolymæ ſtrage
habes cap. 19. verſu 8. & de Babylone capite 50.
verſu 13.

Verſ. 18. *Sicut ſubuerſa eſt Sodoma.*] Aliquid 36.
Sodoma, vicinæque ciuitates olent prouerbiale;
C quæ in earum rerum explicationem adhibentur,
quæ ſic ſunt miſerabiliter extinctæ, vt nihil ſu-
perſit ex antiqua ſiue firmitate, ſiue gloria, præ-
ter turpitudinis fœdæ execrabile monumentum.
exemplorum apud Prophetas plus ſatis occur-
ret.

Verſ. 19. *Ecce quaſi leo aſcendet de ſuperbia Ior-* 37.
danis ad pulchritudinem robuſtam.] Hic locus variè
à variis exponitur. Rabbi Dauid, cui ſubſcribit
Maldonatus, putat in leone de ſuperbia Iordanis
intelligi hominem, qui ſic inuadet Idumæorum
fines, ſicut Iordanis circumfuſos agros, cùm ma-
xime collectis imbribus tumet, ſternitque, &
oblimat, quæ vicina ſunt. Cui explicationi duo
D valde fauent: alterum, quia in ſacra Scriptura,
maximè apud Prophetas, exercitus fortis, cuique
nulla vis opponi poteſt, cum flumine confertur,
qui ripas exſuperat; neque agger vllus impedi-
mento eſt, quominus obuium quodque ſternat,
& oppleat. Sic ſuprà capite 46. verſu 7. de Ægy- *Exercitus*
ptiorum exercitu; *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen* *ſignificatur in flumine.*
aſcendit, & veluti fluuiorum intumeſcunt gurgites eius?
Iſaias capite 8. verſu 7. de Aſſyriis: *Dominus ad-
ducet ſuper eos aquas fluminis fortes.* Vide, quæ nos
in vtrumque locum diximus, tam Iſaiæ, quàm Ie-
remiæ. Alterum eſt, quia מן *min* apud Hebræos
comparationem indicat, pro qua Vulgatus *Præ, & Ex,*
reddit aliquando *præ*, aliquando *ex*, & *ab*, nunc, *comparationi ſeruiunt.*
E *de.* Hæ verò voces comparationi ſeruiunt. vt Pſal- Pſal. 138.
mo 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* ideſt,
præ me, nempe, ſupra quàm ego aſſequi poſſim.
Idem dico de *ab*, Lucæ 18. *Deſcendit hic iuſtificatus* Luc. 18.
ab illo. ideſt, magis quàm ille. Eadem erit ratio
de præpoſitione, *de*, quando nihil differt ab *ex*,
vel *ab*, & reſpondet idem præpoſitioni מן *min.*
Erit ergo ſenſus: Aſcendet hoſtis tanquam leo,
magis ſuperbus, quàm Iordanis, eo maximè
tempore, quo altiùs intumeſcit, & violentiùs
exundat extra ripas. Si hoc modo explices, non
mihi videtur aut contorta metaphora, aut ob-
ſcura ſententia. Nam ſi de ſuperbia Iordanis cum
Rabbi Dauid interpretêre, tanquam ſuperbus

Iordanis, non video, quomodo ad textum Hebraicum poſſit accommodari ſententia.

38. Alij in Iordane Iudæam intelligunt; ex qua ſi quiſquam velit ad Idumæos tranſire, neceſſe eſt, Iordanem traiiciat, qui terram promiſſionis ab Idumæa ſecernit. Porro, cùm pars illa Iordanis extrema ſit, pluréſque collegerit aquas, quàm pars alia quæcunque; ideo pars illa ſuperbia dicitur Iordanis, quia ſicubi, maximè illo ſuperbeſcit loco. De ſuperbia itaque Iordanis aſcendet leo, ideſt, fortiſſimus hoſtis, qui Idumæorum fines populabitur; quia, vt in illos irrumpat, ab ea parte Iordanem tranſmittet; quia ille maximè ſuperbus eſt, ideſt, maiorem voluit aquarum molem. Hûc inclinant Theodoretus, Rabbanus, Dionyſius, & Hugo.

39. Alij in ſuperbia Iordanis illum locum intelligunt, vbi & denſior eſt ſylua, & paſcua magis pinguia, ac proinde leonibus, aliíſque feris latibula magis opportuna. Venturus ergo dicitur leo, ideſt, prædator hoſtis, quicunque ille ſit, tanquam leo robuſtus, ac pinguis è ſylua, aut ex eo loco, vbi maximè ſuperbiunt, atque luxuriant flumina. ita Chaldæus, & Lyra, neque improbat Hugo.

40. Ego, vt verum fatear, quam harum explicationum præferam, ſtatutum non habeo; omnes mihi acutæ, omnes veræ, omnes ad Hebraici ſermonis proprietatem accommodatæ videntur: ſed in hanc poſtremam magis inclinat animus; eóque adducor maximè, quia, vt pluribus oſtendi, in illud Zachariæ verſu 3. capite 11. *Vox rugitus leonis, quia vaſtata eſt ſuperbia Iordanis,* vberrima ſunt ad Iordanis ripas paſcua, & ſylueſtribus feris opportuna luſtra. Ita Ioſephus libro 3. de bello capite 8. & Egeſippus libro 3. capite 26. & Geneſis 13. regiones circa Iordanem vberrimæ dicuntur. Vaſtata Iordanis ſuperbia, leonum dicuntur audiendi rugitus, quia videlicet illis nemora non erunt ſuis cubilibus, & rapinis idonea. Ex his habeo, ſuperbiam Iordanis dici poſſe, quicquid ad eius ripas ſpecioſum eſt, denſum, & pingue: & leones ibi commorari toroſos, & robuſtos; quibuſcum optimè confertur potentiſſimorum hoſtium vis, & immanitas. Quare ſenſus erit illuſtris, neque alienus à fluminis natura, ſi talis dicatur hoſtis graſſaturus in Idumæorum prouincia, qualis pinguis, & robuſtus leo, qui venandi gratia prodit è Iordanis ſuperbia. Adde, quòd eiſdem verbis capite 50. verſu 44. dicuntur Perſæ inuaſuri Chaldæorum fines, at illi non prodierunt è Iordane; quare à fortitudine tantùm, & nullo modo à loco comparatio ſumitur, dum tales dicuntur futuri Perſæ, quales leones, quos alit Iordanis vberior ripa.

41. Adhuc nobis incompertum eſt, quis ſit iſte leo, à quo tam dura Propheta minatur Idumæis. Maldonatus Iudæos putat, qui Machabæorum tempore expugnauerunt Idumæos: ídque probat, quia Abdias, cui idem contra Idumæos videtur propoſitum eſſe vaticinium, de ſtrage videtur agere, quam à captiuitate reſtituti intulerunt Iudæi. *Et erit* (inquit) *domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula: & ſuccendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau.* Sed omnes hæc de Chaldæorum exercitu capiunt: quod ego magis probò. Neque, aut Iordanis nomen, ex quo egreſſurus dicitur ille prædator leo, neque Abdiæ teſtimonium quidquam morantur: non quidem Iordanis no-

PROVE. *Leo de ſuperbia Iordanis.*

A men, aut ſuperbia, quia (vt dixi) non tam de loco ibi ſermo eſt, quam de leonis, qui in eo loco naſcitur, & creſcit, immanitate, ac robore. Quod ex eo mihi fit plus quàm veriſimile, quia capite 50. verſu 44. eadem omnino adhibentur verba, cùm de Babylonis interitu ſermo eſt, quam vt expugnarent Perſæ, non neceſſe fuit, vt Iordanem traiicerent, aut è Iordanis ſuperbia ad prædam, & lanienam erumperent.

42. Neque teſtimonium Abdiæ multùm cogitationem noſtram infirmat: nam ſicut vaticinium contra Ammonitas, vt eſt communis omnium Interpretum ſententia, de excidio loquitur per Chaldæos illato: at nonnihil addit eorum, quæ à B Iudæis Machabæorum tempore paſſi ſunt, quia proximè meminerat, quomodo Ammonitæ Iſraëlis inuaſiſſent hæreditatem, quaſi à poſſeſſore, atque hærede vacuam. *Auditum faciam ſuper Rabbath, filiorum Ammon fremitum prælij, & erit in tumultum diſſipata, filiæque eius ſuccendentur: & poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos.* Eodem, ſic arbitror, modo, quia Abdias antè dixerat, iniurios Iſraëli fuiſſe Idumæos, ab Iſraële reportaturi dicuntur eſſe vicem. Quòd ſi in eo loco de Euangelij tempore ſermo eſt, Idumæorúmque conuerſione, minus habet difficultatis obiectio: cùm Ieremias de propria prouinciæ vaſtitate; Abdias verò de ſpirituali, ac figurata, ideſt, de morum, religioniſque mutatione loquatur.

43. C Adde, quòd verſu 13. in maledictionem, & opprobrium, & in ſolitudines ſempiternas futura dicitur Idumæa: quod ſanè à Iudæis paſſa non eſt: neque enim de Machabæis, à quibus tantùm tentata eſt, & oppugnata prouincia, quicquam habemus aliud, quàm debellatos, ac ſubiugatos eſſe, non verò funditus deletos, & eorum regionem in ſolitudinem redactam. Machabæorum 1. capite 5. *Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumæa,* &c. *& percuſſit eos plaga magna.* & libro 2. capite 10. vigintiquinque millia Idumæorum trucidata narrantur. & eodem capite iterum viginti millia. Quòd ſi Ioſepho credimus, adeò à Iudæis D Idumæi deleti non ſunt, vt potiùs illorum religionem complexi fuerint, admiſſa circunciſione, & facti fuerint ipſis vectigales. Sic ille libro 3. Antiquitatum capite 17. de Hircano: *Subiugatis omnibus Idumæis edixit, vt circunciderentur, niſi mallent è propriis pelli ſedibus. Atque illi amore patriæ admiſerunt & circunciſionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam.* Atque ex eo primùm tempore inter Iudæos cenſeri cœpti ſunt. Adde, quòd Nabuchodonoſor ſuprà capite 4. vocatus eſt leo: *Aſcendit leo de cubili ſuo*; qui ideo, vt ibi Lyra ex Hebræorum ſententia, leo vocatur, quia in vexillo militari expreſſam gerebat leonis effigiem. De ſuperbia Iordanis multa diximus capite 12. ad illud: *Quid facies in ſuperbia Iordanis?*

Idumæi circunciſi, & ſubiecti Iudæis.

44. E *Ad pulchritudinem robuſtam.*] Ironicè, credo, Idumæorum regio pulchritudo appellatur robuſta, quia ſe talem exiſtimabat, immo talem ſe ſtolida prædicatione iactabat; cùm tamen incultus ille, & barbarus populus neque pulcher eſſet, & magis eſſet in re pecuaria, & ruſtica, quàm in ſtudio militari verſatus. Ad illam ergo regionem robuſtus, & pulcher leo quaſi ex vbere, ac denſa Iordanis ſylua egredietur.

45. *Quia ſubitò currere faciam eum ad illam.*] Quia varios habet in Scriptura vſus, vt docuimus ad caput 63. Iſaiæ numero 30. & ad caput 35. numero 12. neque ſemper cauſalis eſt, ſed aliquando continua

continuatiua particula eſt, aliquando redundat. Hic continuare puto inchoatum vaticinium, & idem eſſe quod, *&*. Si verò rationalem putes eſſe particulam, ratio videtur poſſe reddi aduerbij *ecce*, quod tem iam inſtantem indicat, immo & ſubiectam oculis. Quaſi dicat: *Ecce quaſi leo aſcendet.* quia ego quàm ocyſſimè illum ad Idumęorum interitum euocabo.

46. *Quis erit electus, quem præponam ei?*] Dubium eſt illud, *ei*, quò ſit referendum, ad Idumæámne, vel ad leonem, ideſt, ad exercitum, quem conflauit, armauítque Dominus contra Idumæam: ſed genus fœmineum facile controuerſiam decidit: quod cum Idumæâ bene, cum leone nullo modo conſentit. Eſt enim Hebraicè אליה *eleha*. Inducitur autem Deus quaſi dubitabundus, & deliberans ſecum, quem Idumæorum agmini præponat ducem, quem Chaldæorum conſiliis, & caſtris opponat; cúmque neminem rei bellicæ adminiſtrandæ inueniat idoneum, planè indicat, actum iam eſſe de Idumæorum fortunis.

47. *Quis enim ſimilis mei, & quis ſuſtinebit me?*] Non ſolùm in Idumæa, ſed etiam in aliis totius orbis prouinciis nullus inueniretur imperator, aut potentia, quæ ſine graui ſuo damno Chaldæorum viribus occurreret, cùm illorum exercitum ageret Deus, cuius potentiæ nulla par; & cum quo velle manus, aut ſigna conferre, intolerabilis amentiæ, & execrabilis audaciæ eſt. Sic ergo Deus: Quis Idumææ gentis imperator tam fortunatus, & robuſtus, qui mecum, qui Chaldæorum aciem Imperator rego, confligere audeat? Quis me, qui in Chaldæorum manibus contra pugno, ardentem, verſantem, & commouentem omnia ſuſtinebit?

48. *Quis eſt iſte paſtor, qui reſiſtat vultui meo?*] Paſtor tam in profana, quàm in ſacra literatura, pro Rege ponitur, qui Rempublicam legibus in pace moderatur, aut pro Imperatore, ac Duce, qui bello præeſt, Rémquepublicam & prudentia regit, & armis adminiſtrat. De profanis ſatis nobis in præſentia ſit vnus Homerus, qui Græci exercitus ducem Agamemnonem ποιμένα λαῶν, ideſt, *paſtorem populorum* appellat. De ſacris Ieremias capite 6. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu.* Iſaias capite 44. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es.* Neminem porro futurum eſſe ducem, ſeu paſtorem affirmat Deus, qui Diuina eludere cogitata, vel intentas ad exitium manus auertere, ſeu debilitare poſſit. Vſque adeò durum eſt, infenſum habere Deum; vſque adeò inauſpicatum, ſi Diuina non aſpirēt auſpicia contrapugnare. Vt enim Chaldæorum potentia ſtipula fuit, & fumo leuior, cùm caſtra admouit Cyrus, quem agebat, & in quo pugnabat Imperator Deus; ſic Idumæorum arma, & prærupti ſilices nulli fuerunt munimento, cùm eò Chaldæorum acies Deus imperator inuexit.

Paſtor, pro Duce.

Sine Deo futilis omnipotentia.

49. Verſ. 20. *Si non deiecerint eos paruuli greges, niſi diſſipauerint cum eis habitaculum eorum.*] Forma eſt iuramenti, cui adiuncta execratio eſt; quaſi dicat Deus, niſi per paruulorum manus Idumęos è ſuis exturbauero ſedibus, & eorum domicilia ſubuertero, infirmus habear, & impotens cogitata, atque in terroribus obiecta præſtare. Duo hîc minatur Deus, & diſſipandos eſſe Idumæos, & cum ipſis eorum quoque tabernacula diſturbanda. Paruuli gregis à nonnullis exiſtimantur eſſe Iudæi, qui è magno numero pauci è Babylonis exilio remigrarunt. Quæ ſententia illorum planè cogitationi fauet, qui cladem hanc, de qua Ieremias modò, infligendam eſſe dicunt à Iudæis; ſed re vera tam hi, quàm illi decepti ſunt. Si enim illud, *paruuli*, Iudæos ſpectaret, à Iudæis quoque dicerentur deletum iri Babylonij. Nam cùm capite 50. verſu 45. vbi eadem omnino verba redeunt, diceret, à paruulis gregis extinguendum eſſe Chaldæorum imperium, ſine dubio de Perſis, & Medis ſermo erat, non de Iudæis: illi verò pauci non erant, ſicut neque Chaldæi, cùm bello aggreſſi ſunt Idumæos. Pauci ergo dicuntur, quia omnis poteſtas Dei comparatione infirma; & illa eadem, ſi Diuinæ ſeueritatis, atque vindictæ inſtrumentum ſit, inexpugnabilis eſt. Et facit húc, quòd, vbi Vulgatus habet, *pauci*, Hebraicè eſt צעירים ideſt, *poſtremi, minimi.* Aut quia ſic terrore concutiet Iudæorum animos, vt leuiſſima quæque formident, & ab infirmiſſima quaque manu ſuperentur. Sanè Deo auctore, ac duce nihil eſt infirmum; culices, & muſcæ inſtar habuerunt leonum in Ægyptios; crabrones, & veſpæ, agente Deo, è Chanaanitide regione antiquos expulerunt habitatores, non ſecus ac ſerpentes, & vrſi, Ioſue capite 24. verſu 12. ſic Chaldæorum minimi, quia in eorum agmine dux eſt, & imperator Deus, domus euertent Idumæas, & earum dominos procul ablegabunt. Adhibuit autem Deus *gregis* nomen, quia priùs imperatorem, & ducem, paſtorem appellarat: quaſi diceret; infirmiſſimis ex eo grege, cuius ego paſtor ſum, ſatis erit virium, vt te, ac tua momento temporis funditus euertat.

Paruuli dicuntur exercitus quæcunque potentia, aut numero ſint.

Verſ. 21. *A voce ruinæ eorum commota eſt terra.*] 50.
Magnæ molis ruina magnos edit ſonitus, & ſuo fragore non vicinos ſolùm, ſed etiam ſummotos longè populos conturbat, & terret. Quomodo ſi montes ſuffoſſis, aut exeſis radicibus repentè corruant; aut magnæ moles, & prægrandes rupes è ſublimi faſtigio collabantur. Húc, credo, ſpectat loquendi modus; & ſuadet, quod proximè anteceſſerat, *deiecerint, & diſſipauerint cum eis habitaculum eorum.* neque *vocis* nomen contrafacit, quia dictio Hebraica קול *col*, quemcunque ſonum indicat, ſiue ille ſtrepitus, ſiue fragor, ſeu tonitru ſit, vt probat Pſalmus 28. vbi *vox* hæc omnia ſignificat.

Clamor in mari rubro auditus.] Terram proximè 51.
commotam eſſe dixerat: in terra autem ſacræ Scripturæ more intelligo aut regionem totam, quam poſteri coluerunt Eſau, aut certè vicinæ, quæ maris mortui ripas aut attingūnt, aut ſpectant, vt ſunt Moabitides, & Ammonitides. Hæ verò ſic audiſſe dicuntur vaſtum illum gemitum, ſeu fragorem ruentis Idumææ, vt ingenti ipſæ pauore commotæ, ſimilem ſibi caſum formidauerint. Nunc longiùs erupiſſe dicit ſonitum illum, & ad mare vſque rubrum, id eſt, ad externas quoque gentes perueniſſe, quales Ægyptiæ ſunt, & quæ vaſtam illam incolunt ſolitudinem, quam Hebræi olim peregrinantes traiecēre.

Verſ. 22. *Ecce quaſi aquila aſcendet, & auolabit.*] 52.
Hæc verba, & quæ ſequuntur explicata à nobis ſunt cap. 48. verſu 40. & 41. neque quod præterea addam, aliquid occurrit.

PROPHETIA CONTRA Damaſcum.

Verſ. 13. *Ad Damaſcum.*]

53. Damaſcus caput erat Syriæ, vt eſt apud Iſaiam capite 7. *Caput Syriæ Damaſcus.* Cùm verò ſæpe prouinciarum capita, & Regiæ ſedes, pro tota vſurpentur prouincia, vt Ieruſalem pro Iudæa; Rabbath pro Ammon, & nunc proximè Boſra pro Idumæa, ſic etiam puto, pro tota Syria Damaſcum vſurpari.

54. *Confuſa eſt Emath, & Arphad, quia auditum peſſimum audierunt.*] Vſitatus eſt hic dicendi modus apud Prophetas, maximè apud Ieremiam, vt ex vnius ciuitatis ruina aliæ dicantur eſſe commotæ, quia videlicet in alieno capite diſcunt, quid ſuo timere debeant. Quomodo capite 48. verſu 20. dicitur: *Annunciate in Arnon, quoniam vaſtata eſt Moab.* Et hoc ipſo capite verſu 3. *Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai.* Sic modò Emath, & Arphad, duæ ciuitates in Syria nobiliſſimæ, confuſæ dicuntur, atque commotæ, quia nuncium peſſimum, ideſt, triſtiſſimum acceperunt de interitu Damaſci.

55. *Turbati ſunt in mari.*] Iuxta Hebraici ſermonis proprietatem nota hic ſimilitudinis ſubauditur. Quaſi dicas, Emath, & Arphad, ideſt, eos, qui duas haſce ciuitates incolunt, ſic fuiſſe mente commotos, & vario curarum æſtu turbatos, ſicut ventis marini agitantur fluctus, aut nauigantes, vbi ſæuior ingruit tempeſtas. Eſt autem tum apud profanos, tum etiam apud ſacros, & canonicos ſcriptores in vſu, vt ſignificationem interdum magis intueantur, quàm genera, aut alias vocum proprietates. Cùm autem, qui commouentur in Emath, & Arphad, habitatores ſint illarum ciuitatum, turbati dicuntur, non turbatæ.

REGVLA. *Significatio interdum magis ſpectatur, quàm nominis proprietas.*

56. *Præ ſollicitudine quieſcere non potuit.*] Alium hîc Hebraiſmum obſeruo; de quo multis Pagninus libro 4. Inſtitutionum capite 25. fieri etenim ſolet, vt cùm pluralis anteceſſerit numerus, adiectiuum poſtea, aut verbum ſubiungatur in ſingulari. Geneſis 25. verſu 35. vbi Vulgatus: *Ambæ offenderant animum Iſaac;* Hebraicè eſt, *fuerunt exacerbans ſpiritum Iſaac.* Item Geneſis capite 27. verſu 29. vbi noſter: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur;* Hebraicè eſt, *Maledicentes tibi maledictus; & benedicentes tibi benedictus.* Sic igitur nunc, cùm præceſſiſſet, *turbati ſunt,* ſubiungitur, *quieſcere non potuit.* nempe, ſicut nauis, quæ variis agitata ventis nuſquam conſiſtit. Aliæ ab aliis explicationes adducuntur, ſed neque illæ expeditæ ſunt, neque attento lectori ſatisfaciunt.

REGVLA. *Cùm nomen in plurali præceſſit, adiectiuum, aut verbũ, in ſingulari ponitur aliquando.* Gen.25. Gen.27.

57. Verſ.25. *Quomodo dereliquerunt ciuitatem laudabilem, vrbem lætitiæ!*] Aduerbium, *quomodo*, magnam indicat rerum mutationem, quod in fletu, aut in irriſione adhiberi ſæpius ſolet, dum aliorum fortunis aut inſultamus, aut ingemiſcimus. Quis hîc aut dolens, aut ſubſannans inducatur, obſcurum. Quidam Damaſcenorum vocem eſſe putant, qui detorquentes in fuga ad ciuitatem oculos, quam in hoſtium poteſtatem veniſſe, & ab illis deformatam eſſe dolent; deplorant, illi ſublatam eſſe ſpeciem, & lætitiæ variam periiſſe materiam. Ego cum Maldonato hanc vocem Ieremiæ tribuo, qui propheticis oculis talem aſpiciebat ciuitatem illam, opulentam, & nobilem, qualem poſtea Babylonij reliquerunt. Incipit autem hanc ſiue lamentationem, ſiue admirationem, aut ſtuporem ſuum familiari ſibi modo, quem in Threnis ſæpius adhibuit: *Quomodo dereliquerunt?* Illud verò *dereliquerunt*, non

A tam ad ciues refero, qui, patria relicta, in fuga ſpem libertatis, & vitæ poſuerunt, quam ad hoſtes, qui non tam ciuitatem, quam cadauer quoddam exſangue, aut ciuitatis immane quoddam buſtum reliquerunt. Quod vt credam, facit, quia proximè diſſoluta dicitur Damaſcus: quæ vox ſic accepta indicat ciuitatem, vt periiſſe funditus exiſtimari debeat. Deinde, quia in textu Hebraico, quem nunc habemus, & quem habuiſſe olim noſtrum Interpretem, veriſimile eſt (certè ſic habuère Septuaginta, & Chaldæus) negatio quædam eſt: quare ſi illum intueare, ſic conuertas oportet, *Quomodo non eſt dimiſſa ciuitas?* vt conuertunt omnes alij fermè præter Vulgatum: eſt au- B tem eadem, aut certè non admodùm diuerſa ſententia. Nam ſi negationem addas, hunc efficis ſenſum: Quomodo tanta ciuitatis pulchritudo, & gloria hoſtiles manus à tam immani ſtrage non continuit? Ecquis animus tam barbarus fuit, qui tam lautæ, ac ſplendidæ ciuitati non pepercit? Si verò ſine negatione: Quomodo hoſtes diſſipatam, & dirutam vrbem, non iam vrbem, ſed vrbis deformatam effigiem reliquerunt? Quòd ſi aliis hæc verba accommodare velis, non video, quomodo Vulgatum cum Hebraico textu, aut cum aliis Interpretibus aptè concilies. Appellatur verò vrbs illa *laudabilis*, non quia laude digna ſit, cùm ab ea procul virtus abſit, cui vera C laus vni debetur; ſed quia multa in ſe habebat & belli præſidia, & pacis ornamenta, & ad voluptarios ſẽſus lenocinia maxima: quæ laudare ſolent, & admirari Hiſtorici, & Poëtæ, qui non tam vera, & ſolida, quàm leuia, ac ſtulta vulgi ſequuntur iudicia. Quomodo materiam laudis ſumpſerunt quidam Babylonicos muros, Ægyptias pyramides, & pendentia Mauſolæa, in quibus præter meras nugas, & vaniſſima conſilia, nihil inuenias.

Verſ.26. *Ideo cadent iuuenes eius in plateis, & omnes viri prælij conticeſcent.*] Accommodatè ad 58. hominum ſenſus, vulgíque iudicia loquitur Propheta; qui, ſiquid vident artis habere plurimum, & ingenij, dicunt immortalitate dignum: ſiquid D illuſtre ad aſpectum, vſúmque præclarum, indignum putant, quem infenſæ, ac duræ deturpent, aut contingant manus: qualia multa habes à Poëtis, in quibus vulgus plerunque loquitur, ſuáque iudicia, ac ſenſus expromit. Sed dum ſuam explicat mentem, & in ſua, non in aliena perſona loquitur, illud idem, quod alij ab omni vi, atque iniuria liberum fore arbitrabantur, immanis illius ſtragis cauſam, & tanti incendij facem eſſe affirmat. Nempe delicias vrbis, & quam ſtulti putant laudis eſſe materiam. Hæc etenim corrumpunt mores, profligatóque pudore, animos in omnem turpitudinem laxant. Sic Ezechiel capite 16. Sodomæi exitij cauſam eſſe dicit, ſuperbiam, ſaturitatem, abundantiam, & otium: quæ in Damaſco ſic dominata ſunt, vt ci- E uitas dicatur lætitiæ. In iuuenibus, qui cadent, & viris prælij, qui conticeſcent, eandem ſententiam iterari arbitror: neque enim viri prælij alij ſunt, quàm iuuenes, cùm hi plerunque tractare arma, & belli pondus ſuſtinere ſoleant: neque aliud eſt conticeſcere, quàm cadere, ſubigi, & eò tandem adduci, vt hiſcere non audeas, neque contra victorem hoſtem quidquam mutire.

Verſ.27. *Et ſuccendam ignem in muro Damaſci, & deuorabit mœnia Benadad.*] Vt proximè, ſic nunc iterum eadem geminatur ſententia: neque enim alius

alius eſt murus Damaſci, quàm mœnia Benadad. Hic etenim Rex fuit Syriæ, 3. Regum capite 15. & alius eiuſdem nominis 4. Regum 13.

PROPHETIA CONTRA Cedar.

59. *Cedarenorũ ſedes.* CEdar filius fuit Iſmaëlis, qui (vt tradit Ioſephus libro 1. Antiquitatum capite 13.) cum fratribus ſuis quidquid ſpatij eſt inter Euphratem, & mare Rubrum incoluit: quæ regio ab hiſtoricis Nabathæa dicitur, à Nabaioth filio item Iſmaëlis, & fratre Cedar, de qua Plinius libro 1. capite 11. Tam ergo Nabathæi, quàm Cedræi, ſeu Cedareni Scenitæ ſunt, ideſt, habitantes in tabernaculis Scytharum more, qui quotidie ſedes vertunt, ibique tabernacula ſtatuunt, vbi maior eſt pro alendo pecore pabuli commoditas. Quare neque oſtia dicuntur habere, neque vectes, quia hæc illarum ſunt domuum, quæ ſtabilem habent ſitum, neque in alium, atque alium locum tranſmutantur. Idcirco cùm aliquid inſtabile dicimus, & momentaneum, ſimile vocamus tabernaculis paſtorum. Hi porro inculti

60. *Cedareni incerti, & vagi.* ſunt, vt neceſſe eſt æſtu Solis exuſti, quia & regio æſtuoſa eſt, & quo ſe à caloris iniuria tueantur, nihil habent admodum opportunum. Tabernacula habēt immūda, & horrida, vtpote ſubiecta imbribus, & illuuie fœda. Ideoque Sponſa Canticorum 1. dum ſe nigram appellat, ſimilitudinem ducit à Cedarenis tabernaculis, quæ fœda ſunt, & vaſta, non ſolùm quod attinet ad externam faciem, ſed etiam quoad interiorem, quę Cedarenos, eorúmque ſupellectilem claudit, & continet. Quis enim credat, hanc ſpecioſam, & mundam eſſe poſſe, cùm ibi paſtores habitent, genus hominum incultum, & agreſte, ſibíque habeant domum illam cum canibus communem? Quare, dum ſe miſerum, atque ærumnoſum clamat Dauid, ſibíque vitam vitalem eſſe negat, ſe ipſum cum Cedarenis confert, Pſalmo 119. *Habitaui cum habitantibus Cedar.*

61. De Cedar Hieronymus in illud Iſaiæ capite 21. *Auferetur omnis gloria Cedar. Iſmaëlitarum* (inquit) *hoc eſt, Sarracenorum propriè gentem deſcripſit* (Ieremias) *qui habitant in tentoriis, qui quas nox compulerit, ſedes tenent, quibus armenta ſunt, & pecora, camelorúmque greges. Qui non habent oſtia, nec vectes: non enim verſantur in vrbibus, ſed in ſolitudine habitant. Et hi ergo à Babyloniis deleti ſunt, eò quòd Aſor ciuitatem, quæ metropolis gentis illius in eremo fuit, vſque ad ſolum ſubuerterint.* Hæc de Cedarenis præmiſi, quæ multum afferunt lucis toti prophetiæ.

62. Verſ. 28. *Ad Cedar, & ad regna Aſor.*] Sicut Boſra pro Idumæa ponitur, & pro Syria Damaſcus, vt nuper vidimus, quia caput ſunt, & metropolis illarum gentium; ſic etiam Aſor, quæ caput eſt Cedar, vt modò audiuimus ex Hieronymo, pro tota Cedarenorum prouincia ſumitur; quare nihil eſt aliud *regnum Aſor*, quàm *Cedar*, quæ bis in principio ponitur cum epitaſi.

63. *Surgite, & aſcendite ad Cedar: & vaſtate filios Orientis.*] Babylonios alloquitur Deus, vrgétque verbis maximè ſignificantibus, vt quàm ocyſſimè in Cedarenorum fines irrumpant, neque quieſcant, donec Orientales illi populi funditus deleantur. Quòd Cedareni, &, quod idem eſt, Nabathæi

A ad Orientem ſpectant, non ſolùm ſacri, ſed etiam externi docent ſcriptores. Ita Plinius libro 6. capite 28. & de Nabathæis Ouidius libro 1. Metamorphoſeos, vbi de Euro vento Orientali dicit:

Eurus ad Auroram, Nabathæáque regna receſſit,
Perſidáque, & radiis iuga ſubdita matutinis.

Verſ. 29. *Pelles eorum, & omnia vaſa eorum, & camelos eorum tollent.*] Ad tertiam perſonam tranſit Propheta, ita vt non tàm ad Chaldæos prædatores, quàm de Chaldæis ad Cedarenos loqui videatur. Pelles idem ſunt, quod tabernacula, quia paſtoritia illa tentoria è pellibus fiebant, ſicut & viatoria; niſi malis eſſe veſtimenta pellicea, aut ſtramen è pellibus, quod ſibi ſomni gratia ſubſternunt. Vaſa omne inſtrumētum domeſticum ſignificant, ex Hebræorum idiomate, ad quoſcunque vſus adhiberi ſolitum. Quare ſi ab illa gente inculta, & ruſtica, paſtoritia vaſa, pelles, greges, & camelos auferas, nihil omnino reliquum erit è bonis. 64.

Et vocabunt ſuper eos formidinem in circuitu.] ideſt, ſic à Chaldæis obſidebuntur Cedareni, aut ſic in illorum exitium inſtabunt ab omni parte, vt nihil ſit vndecunque vacuum à periculo, nihil vnde non ſeſe oſtendat formidinis cauſa. Porro formidinem pro formidabili ſumi, ſicut laudem pro re laudabili, ſatis eſt exploratum. Quare formido arma ſunt, odia, inſidiæ, hoſtes, & ſimilia; quia hæc formidabilia ſunt; à quibus, quoquò ſe vertant, explicari non poterunt Cedareni: cùm etiam vicini populi, à quibus ſperari poterat auxilium, Chaldæorum manus aut iuuent, aut exacuant. Vide ſtatim verſu 32. 65.

Verſ. 30. *Abite vehementer, in voraginibus ſedete, qui habitatis Aſor.*] Aſor, vt ex Hieronymo docuimus, Cedarenorum erat caput, in quam primùm irrupit Chaldæorum exercitus. Monet ergo Dominus Aſoritas, vt relictis domibus, ac mœnibus, latebras quærant, & voragines, & intima terræ ſcrutentur viſcera; quia contra ipſos aliquid hoſtile meditantur Chaldæi. In his ego aliquid ſpectare videor ironicum, ſicut ſuprà ad Dedanitas, verſu 8. quaſi dicat: Quantumcunque te in latebris abdas, & in abditiſſimos ſinus altè demittas, non tamen paratum tibi malum effugies. 66. *Aſor, caput Cedar.*

Verſ. 31. *Conſurgite, aſcendite ad gentem quietam, & habitantem confidenter: non oſtia, neque vectes eis.*] Explicat, credo, quod de Aſoritis dixerat ironicè. Monuerat, vt vrbe excederent, in quam bellum, & ſtragem moliebatur Chaldæus: nunc docet, neque illic, vbi quietos ſe fore arbitrabantur, habituros eſſe quietem, cùm latebras illas, atque voragines, quaſi venatici canes ſubiturus eſſet auidus prædæ Chaldæorum exercitus. Eò ſpectat, credo, hæc admonitio; quæ hortatur, immo quæ inſtimulat Chaldæos, vt ſecuros adoriantur Aſoritas, qui iam in ſyluis habitant; neque, vt paulò antè intra mœnia, vectibus muniuntur, & ſeris; ſed ſoli, ideſt, in ſolitudine viuunt, extra cœtum hominum: quare nihil magnum, diſtractis viribus, hoſtibus opponent. 67.

Verſ. 32. *Qui ſunt attonſi in comam.*] Quínam ſint hi, qui circuntonſam habent comam, diximus ſuprà, capite 9. ad illud, *Qui attonſi ſunt in comam.* & capite 25. verſu 23. cùm de nationibus quibuſdam, quæ ad Iſraëlitas pertinent, loqueretur, illas etiam vocat attonſas in comam. 68.

69. *Ex omni confinio eorum adducam interitum ſuper eos.*] Explicatio eſt verſus 29.vbi vocandam eſſe dixerat Deus formidinem in circuitu; vbi diximus, nullam vndecunque regionem, quæ Cedarenos attingit fines, fore, quæ non cum Chaldæis in illorum interitum conſpiret. A

70. Verſ.33. *Et erit Aſor in habitaculum draconum.*] Hoc modo extrema vaſtitas explicari ſolet, vt de Ieruſalem, & Babylonia dixit Iſaias, & Ieremias capite 51. verſu 37. *In ſempiternum*, ex vſu ſacræ Scripturæ idem eſt, quod diutiſſimè, vt in hoc Propheta ſæpius obſeruauimus.

PROPHETIA CONTRA Ælamitas. B

71. *Ælamitæ, qui?* Sicut nationes aliæ, contra quas Ieremias propheticas hactenus minas intonuit, Chaldæis adfuêre, in expeditione aduersùs Hieroſolymam ſuſcepta, ſic etiam Ælamitæ, vt Iſaias indicat, capite 22. verſu 6. vbi, cùm ageret de Solymitanæ vrbis excidio, ait: *Et Ælam ſumpſit pharetram, & currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.* Pertinent autem Ælamitæ ad Perſidem, qui non longè abſunt à Babylone, à quibus poſtea ſub Cyro capta Babylon eſt, & extremam fortunam experta. Ante hoc tempus credibile eſt, Ælamitas bellicam operam nauaſſe Chaldæis (de bello Solymitano nemo dubitat) quibus finitimæ gentes, aut propter officium, & tutelam libenter; aut propter ſummam potentiam inuitæ obſequebantur; aut certè conducti mercede ſub Babylonicis ſignis meruerant. Hanc puto vnam fuiſſe de cauſis, propter quas Ælamitis durum hoc vaticinium denunciatur. Sicut etiam nationes aliæ, eam etiam ob cauſam, inter alias malè mulctatæ ſunt. Hîc, opinor, pluribus explicantur illa, quæ vno verbo, eóque obſcuro, ſub calicis metaphora complexus eſt Propheta, capite 25. verſu 18. & 25. *Accepi* (inquit) *calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus Ieruſalem*, &c. *& cunctis Regibus Ælam, & cunctis Regibus Medorum.* Sicut etiam, quæ ibi paucis de Moabitis, Ammonitis, Idumæis, & Babyloniis obſcurè continentur, poſtremis hiſce capitibus latè complexus eſt Ieremias. C D

72. Verſ.34. *In principio regni Sedeciæ.*] Septimo, ſeu octauo anno, poſtquam calicem de manu Domini propinauit Propheta Regibus Ælam; nunc eiſdem idem, vt puto, vaticinium explicatiùs proponit. Propinauit námque calicem quarto anno Ioacim, qui vndecim regnauit annis, & in principio regni Sedeciæ, rurſus iterat, renouátque.

73. Verſ.35. *Ecce ego confringam arcum Ælam.*] E Sagittandi peritiam Ælamitas habuiſſe, docuit Iſaias capite 22. qui pharetram, & arcum, quaſi propria arma illis attribuit, *Et Ælam ſumpſit pharetram.* Neque eſt incredibile, gentem, quæ in re bellica aliquid poſſe, aut poſſe videri cupiebat, in ea arte amare ſe plurimùm, & immoderatiùs gloriari. Illorum igitur arma confringet Dominus, & ſpiritus franget inſolentes: efficiétque nequid habeant, quod Chaldæorum, immo veriùs, quod Diuinis viribus opponant.

74. *Et ſumam omnem fortitudinem eorū.*] id eſt, auferam. Si ita legas, vt habent communiter Latini codices: ſed alij habent *ſummam*, Hebraicè eſt ראשית *reſith*, quod caput ſignificat, principium & ſummum. Si ita legas, vt fortaſſe legiſſe videtur Vulgatus, ſenſus eſt: Confracto Ælamitarum arcu, quod caput, aut quod ſummum eſt illorum fortitudinis, fore perdendum.

Et inducam ſuper Ælam quatuor ventos.] Nemo, credo, dubitat, in ventis hoſtiles acies, aut 75. calamitates quaſque grauiores adumbrari: nam ſicut venti aërem vehementer exagitant, mare conturbant, & ſi paulò violentiùs ingruerint, arbores, ſaxáque interdum à ſuis conuellunt ſedibus; ſic hoſtes, & bella, quæ tempeſtatis cuiuſdam inſtar obtinent, vrbes oppugnant, diſſipant ciues, & locis antea frequentibus triſtem quandam ſolitudinem inducunt. A quatuor plagis perflaturi dicuntur venti, quia vndecunque contra Ælamitas calamitas cõſurget: quæ ſicut violenta tempeſtas illos, vel proſternat momento temporis, & perdat, vel ad omnes mundi plagas latè diſpergat. Quomodo hæc Ælamitis acciderit, nihil, quod ego viderim, habemus à ſacra, ſiue profana hiſtoria; ſed accidiſſe certum eſt, quando id habemus à Propheta.

Verſ.37. *Et pauere faciam Ælam.*] Solet Deus 76. ſpiritum pauoris immittere, vt vidimus ſuprà hoc ipſo capite, ad illud, *Ecce ego inducam ſuper te terrorem:* quo concidunt animi, diſſoluuntur nerui, perit conſilium, & ab vna tantùm fuga ſperatur ſalus; neque interdum vllum apparet effugium; hunc ſpiritum dicit Dominus miſſurum ſe in Ælamitarum animos; effecturúmque, vt fugientes inimicorum aſpectum, gladius conſequatur, & extrema calamitas.

Verſ.38. *Et ponam ſolium meum in Ælam.*] 77. Deus ſe Chaldæorum Imperatorem, & Ducem ſæpius oſtenderat; quare attribuit ſibi hoc loco id, quod debellatis hoſtibus, & parta victoria Imperator ſolet ſibi aſſumere, nempe, vt depulſo Rege, in ſolio ſuccedat. Quod tunc denique præſtat, cùm Chaldæorum Regem, in cuius ipſe manu pugnat, & triumphat, Regem conſtituat Ælamitarum. Quidam hunc Regem Alexandrum eſſe putant, qui Ælamiticum, id eſt, Perſicum Imperium ad Græcos traduxit; alij Cyrum; ſed eſt proculdubio Nabuchodonoſor, vt ipſe Ieremias explicuit, capite 25. verſu 9. & verſu 25.

Verſ.39. *In nouiſſimis autem diebus reuerti fa-* 78. *ciam captiuos Ælam.*] Hebraicè pro, *in nouiſſimis*, *Ælamitæ quando à ſeruitute liberati.* eſt באחרית *beacharith*, id eſt, *in nouiſſimo, in fine*, nempe bellorum, quibus magnus ille Chaldæorum imperator, aſpirante, atque fauẽte Deo, gentes illas ſub Babylonicum iugum egit. Quod ideo mihi perſuadeo, quia capite 25. cùm alias nationes nominaſſet, quibus à Babylonico Rege calicem propinauit Dominus, extremo loco numerauit Ælamitas, & Medos, qui propter vicinitatem, ſocietatémque vnum exiſtimatur imperium. Quando reuerſi fuerint Ælamitæ, aut ſeruire deſierint, non eſt coniectare difficile. Cùm enim Cyrus Perſarum, id eſt, Ælamitarum imperator, Chaldæorum fregerit vires, imperiúmque ad Perſas, id eſt, ad Ælamitas tranſtulerit, contribules ſuos ad patriam remiſiſſe credendum eſt: aut certè ſi in Babylonia remanſerunt, quod eſt veriſimile feciſſe quàmplurimos, agere ibi ſub cõtribuli Cyro non vt ſerui ignobiles, ſed vt ingenui, & liberi, aucti fortaſſe Magiſtratibus, & iam illorum domini, quorum antè imperio, ac libidini ſeruierant. Hæc de capite 49.

ARGVMENTVM CAPITIS L.

TOTVM hoc caput nihil continet aliud, quàm Babylonis excidium, quod miris modis explicat, & amplificat Propheta: conſolatur tamen interea captiuos, tam ex decem, quàm è duabus Tribubus, quibus deleto Chaldæorum imperio, reditus aperitur in patriam.

IEREM. CAP. L.

1. VErbum, quod locutus eſt Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum, in manu Ieremiæ Prophetæ.

2. Annunciate in Gentibus, & auditum facite: leuate ſignum, prædicate, & nolite celare: dicite: Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia eius, ſuperata ſunt idola eorum.

3. Quoniam aſcendit contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram eius in ſolitudinem: & non erit qui habitet in ea ab homine vſque ad pecus: & moti ſunt, & abierunt.

4. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus: venient filij Iſraël, ipſi & filij Iuda ſimul: ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent.

5. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient, & apponentur ad Dominum fœdere ſempiterno, quod nulla obliuione delebitur.

6. Grex perditus factus eſt populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, fecerúntque vagari in montibus: de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui.

7. Omnes, qui inuenerunt, comederunt eos: & hoſtes eorum dixerunt: Non peccauimus: pro eo quòd peccauerunt Domino decori iuſtitiæ, &

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. HOc eſt verbum, quod per Ieremiam loquutus eſt Dominus de Babylone, & de tota regione Chaldæorum.

2. Annunciate inter Gentes, ô populi, quibus olim exitio fuit Chaldæorum potentia, eleuate vocem ea contentione, vt ad vltimos terræ fines perueniat: ſignum eleuate ad communem gratulationem, & gaudium, & exultantes dicite: Capta eſt Babylon illa Gentium Regina, obſcurata, atque confuſa eſt gloria Beli, ac Merodach; exoleuerũt iam Chaldæorum idola, & ſculptilia omnia ſubacta ceciderunt. B

3. Quoniã ab Aquilone, regione inauſpicata, & triſti, gẽs adueniet, quæ Chaldæorum terrã ſic vexet hoſtiliter: vt in ſolitudinem conuertat; adeò vt neque homo in ea, neque pecus inhabitet, omnes enim exturbabuntur inde, & aliò cõmigrabunt.

4. Eo verò tempore, quo delebitur Chaldæorum imperium, redibunt cum filiis Iuda, filij quoque Iſraël. Reuertentur autem feſtini, cum lacrymis tamen, quas exprimet ſeu oblata libertas, ſeu dolor de C tenui ſuæ gentis fortuna: quærẽntque locum illum, & templum, vbi patrio ritu Deum venerentur.

5. Et ſicut qui auidè in aliquem locum iter arripiunt, quia eò intentus eſt animus, de via rogant; ſic hi ſtatim atque fracta fuerit Chaldæorum potentia, de via quærent, quæ ducit in Sion. Tunc adhærentes Domino inſtaurabunt fœdus illud antiquum, vtique nuptiale, quod ſolutum eſſe videbatur: & erit deinde in æternũ ſtabile, D quod nulla obſcuret, aut obterat obliuio.

6. Fuit populus meus quaſi grex prædæ, lanienæque relictus, quem ſui paſtores ſeduxerunt, fecerúntque, vt incertis veſtigiis vagaretur in montibus, & ſtabula, ac ſedes ſubinde mutaret, oblitus omnino antiqui cubilis, in quod ſibi aperiendum reditum non ſperabat.

7. Quicunque in errantem illum gregem, & perditum incurrerent, lacerabunt eum. Neque hoſtes, quibus ille præcipuæ prædæ

& expectationi patrum eorum Domino.

A prædæ fuit, peccare ſe putabant, cùm in illum aliquid hoſtile molirentur. Dicebant enim illum pœnas luere violatæ fidei, quã integram ſeruare debuerat ei, qui ſibi gloriæ eſſe putat, videri iuſtum, & fidelem: quíque eo nomine à parentibus expectabatur, quòd illum fidelem in promiſſis eſſent experti.

8. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & eſtote quaſi hædi ante gregem.*

8. Ergo iam tandem excedite de Babylone, déque regione ſubdita Chaldæorum imperio. Excedite, inquam, & ad antiqua ſepta remigrate ea alacritate, atque conſtantia, qua hirci ſolent gregem antecedere, B quos non ſaxa, non ſalebróſa, atque prærupta loca in ſuo curſu remorantur.

9. *Quoniam ecce ego ſuſcito, & adducam in Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis: & præparabuntur aduersùs eam, & inde capietur: ſagitta eius quaſi viri fortis interfectoris, non reuertetur vacua.*

9. Egredere de Babylone, quia non erit ampliùs in Babylone poteſtas vlla, quæ tibi, quominus in patriam reuertaris, impedimento ſit. Ego etenim de Aquilonari plaga contra Babylonem excitabo robuſtarum gentium confertam aciem, quæ ſe ad perdendam Babylonicam potentiam accingat: cuius voti confeſtim compos erit. Cuius ſagitta non habebit irritam vl- C lam petitionem: neque ab eo, in quem deſtinatò mittitur, aberrabit: ſemper enim ſecum vulnus, aut exitium feret.

10. *Et erit Chaldæa in prædam: omnes vaſtantes eam replebuntur, ait Dominus.*

10. Tunc prædatrix Chaldæorum prouincia aliis erit prædæ, & vaſtantium ſinus quantumcunque laxi Babylonicis opibus implebuntur.

11. *Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam, & mugiſtis ſicut tauri.*

11. Hæc vobis ideo eueniet, ô Babylonij, quia exultatis inſolenter, & de vobis grandia ſuperbè, atque ambitioſè prædicatis, quia in populi mei hæreditatem irrupiſtis: qui ſicut laſciuientes vituli in omne D deliciarum genus diffluxiſtis. Denique, quia ſicut torui, ac præferoces tauri, mugitu, ac fremitu horribili populum meæ cuſtodiæ creditum inuaſiſtis,

12. *Confuſa eſt mater veſtra nimis, & adæquata pulueri, quæ genuit vos: ecce nouiſſima erit in Gentibus, deſerta, inuia, & arens.*

12. Pudefacta eſt, & habita ludibrio, ô Chaldæi, Babylon imperij veſtri caput, quæ mater veſtra videri poteſt, quia metropolis eſt, id eſt, ciuitas mater; & deiecta eſt in terram, & adæquata pulueri, & ab hoſte potentiore calcata. Et quæ caput olim fuerat & Regina gentium, nouiſſimum inter gentes locum obtinebit; quæque priùs frequens ciuibus, & conuena- E rum concurſu, & in irriguo ſolo deliciis affluens, deſerta erit, & arida, & gentibus peregrinis ignota.

13. *Ab ira Domini non habitabitur, ſed redigetur tota in ſolitudinem: omnis, qui tranſibit per Babylonem, ſtupebit, & ſibilabit ſuper vniuerſis plagis eius.*

13. Efficiet ardens Dei furor, ne ampliùs Babylonem quiſpiam habitet: redigetur etenim in ſolitudinem, apta magis ferarum luſtris, quàm hominũ habitationi: & is, cui per illã tranſire contigerit, aut ſtupebit tantam ciuitatis mutationẽ intuitus, aut inſultabit tãtę molis proſtratę fortunę.

14. *Præparamini contra Babylonem per circui-*

14. Omnes ergo, quotquot ſuperbum hoc

circuitum omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis iaculis: quia Domino peccauit.

15. *Clamate aduersùs eam, vbique dedit manum, ceciderunt fundamenta eius, deſtructi ſunt muri eius, quoniam vltio Domini eſt: vltionem accipite de ea, ſicut fecit, facite ei.*

16. *Diſperdite ſatorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore meſſis: à facie gladij columbæ vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient.*

17. *Grex diſperſus Iſraël, leones eiecerunt eum: primus comedit eum Rex Aſſur: iſte nouiſſimus exoſſauit eum Nabuchodonoſor Rex Babylonis.*

18. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego viſitabo Regem Babylonis, & terram eius, ſicut viſitaui Regem Aſſur.*

19. *Et reducam Iſraël ad habitaculum ſuum: & paſcetur Carmelum & Baſan, & in monte Ephraim & Galaad ſaturabitur anima eius.*

20. *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Iſraël, & non erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero.*

21. *Super terram dominantium aſcende, & ſuper habitatores eius viſita, diſſipa, & interfice quæ poſt eos ſunt, ait Dominus: & fac iuxta omnia quæ præcepi tibi.*

22. *Vox belli in terra, & contritio magna.*

23. *Quo*

A hoc imperium circunfunditis, quos ſagittandi ars, & peritia commendat, præparare arcum, & ſagittas expromite. Expugnate vrbem, & quantum arcu, iaculóque potueritis, contendite: dependat ſuorum ſcelerum pœnas, quæ in Dominum admiſit.

15. Vſque adeò certa eſt, faciliſque victoria, vt tanquam re peracta, vobis ipſis gratulari poſſitis de victoria, ac dicere, Capta eſt Babylon, à fundamentis ea euerſa eſt, corruerunt eius mœnia. Quoniam manus Dominus vltrices adhibuit. Luat vo-
B bis pœnas, quas ipſa ab aliis expetiuit, & quod aliis fecit, ipſa nunc conuerſa fortuna patiatur.

16. Diſperdite Babylonem, eiúſque agros ita vaſtate, vt neque ſementis, aut meſſis ſpes vlla ſit reliqua. A Perſico gladio, qui inſtar columbæ incredibili velocitate aduenier, vnuſquiſque eorum, qui auxilio venerant Babyloniis, ad populũ ſuum reuertentur; ſinguli, inquã, in terram ſuam ab impendente clade fuga ſe ſubducent.

17. Æquum eſt, vt talia patiatur Baby-
C lon, qualia intulit Iudæorum populo damna. Iſraël non ſecus atque grex in alia, atque alia loca à ſæuiente leone diſperſus eſt. Primùm decem Tribus abſtulit, & vorauit Aſſyrius, quod reliquum erat in duabus aliis, quæ tanquam oſſa Iſraëliticum corpus ſuſtentabant, abduxit ſecum Nabuchodonoſor, quod perinde fuit, atque fundamentum, atque oſſa confregiſſe.

18. Idcirco, ait Dominus, quia non aliter vexauit Babylonius duas Tribus, quàm ante ipſum decem Tribus Aſſyrius, non
D aliter à me accipietur Babylonius, quàm acceptus eſt & deletus Aſſyrius.

19. Vbi autem Babylonicam potentiam fregero, & imperiũ extinxero, reducam ad antiquas ſedes, & nota pabula gregem Iſraël, qui Carmelum paſcetur, & Boſran: & in monte Ephraim, tractúque Galaaditano, ſecurè vagabitur, vbi ſe ipſum ad ſatietatem expleat.

20. Illo verò tempore ſi quis ſupplicium impoſitum populi peccatis exquirat, ſquallorem putà, ſeruitutem, & maciem,
E non inueniet: quia non ſupererunt ærumnoſi ſtatus vllæ reliquiæ. Ero enim his, qui ſuperſtites fuerint ab exilio magis, quàm antea placatus.

21. Aſcende, ô Perſa, dicit Dominus, ad ciuitatem Gentium dominam, & ad viros, qui in ea quieti, atque opulenti dominantur. Et quem tibi porrexi gladium, in eorum viſcera diſtringe. Mœnia dirue, ac diſſipa, viros extingue, quæ denique à me in mandatis habes, ad vnum comple.

22. Audire iam videor bellicum ſtrepitum,

A pitum, tubarum clangorem, hoſtile celeu-
ma;& videre, quàm graui lapſu moles tan-
ta ceciderit.

23. *Quomodo confractus eſt, & contritus malleus vniuerſæ terræ? quomodo verſa eſt in deſertum Babylon in Gentibus?*

23. Quomodo vis illa fracta eſt, quæ
videbatur inſuperabilis? quæ inſtar mallei
ſic conterebat omnia, vt nihil eſſet tam ſa-
xeum, quòd non contunderet, commuta-
rétve? Quomodo ingens illa Babylon eò
deducta eſt, vt ſyluam quandam, & ſolitu-
dinem in Babylone te putes?

24. *Illaqueaui te, & capta es Babylon, & neſciebas: inuenta es & apprehenſa, quoniam Dominum prouocaſti.*

24. Capta es, ô Babylon, repentino ini-
micorum appulſu, antè occupata ab hoſte,
B quàm hoſtem intra mœnia irrupiſſe ſen-
tires. Neque id mirum, quia conſtrictam
te, atque illaqueatam in hoſtium poteſta-
tem adduxi. Quod magno tuo merito
paſſa es, quoniam in tuum exitium Diui-
num furorem irritaſti.

25. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ: quoniam opus eſt Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum.*

25. Aperuit Dominus in te, ô Babylon,
armamẽtariũ ſuum, quod habet ad vexan-
das, delendáſque peccatorum vires inſtru-
ctiſſimum, & prompſit arma, quæ dum in
hoſtes ſæuit, vibrare ſolet: eſt enim Deo
C aliquid operis in Babylonem, quod vt ex-
pediat, bellicum illum apparatum acceſſit.

26. *Venite ad eam ab extremis finibus, aperite vt exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in aceruos, & interficite eam: nec ſit quidquam reliquum.*

26. Adeſte, inquit Dominus, ab extre-
mis vſque terræ finibus, ô Perſæ: & vos
nationes aliæ, nequid ardentes Perſas in
ipſo curſu, ſtudióque pugnandi retardet,
quibus Babylonis euertendæ negotium
datum eſt, viam expedite. Summouete la-
pides, ad quos offendere poſſent prope-
rantium pedes, eóſque congerite in acer-
uos. Et vos, ô Perſæ, ſic viros occidite, ſic
vrbem diſſipate, vt nihil deinceps ex tanta
multitudine, nihil ex tam prodigioſa mo-
D le, reliquum ſit.

27. *Diſſipate vniuerſos fortes eius, deſcendant in occiſionem: væ eis, quia venit dies eorum, tempus viſitationis eorum.*

27. Si qui inter Babylonios ſtrenuo
fuerint animo, & viribus præſtantes, diſ-
pergite illos, ac neci date. Væ illis, quibus
iam tempus affulſit extremum, & deſigna-
tus antè ſupplicij dies.

28. *Vox fugientium, & eorum qui euaſerunt de terra Babylonis, vt annuncient in Sion vltionem Domini Dei noſtri, vltionem templi eius.*

28. Audire iam videor Iudæorum vo-
cem, qui ſubactis Chaldæis à Perſa, quam-
primùm à captiuitate ſoluti in patriam re-
migrarunt, qui lætum referunt Sioni nun-
cium, quòd Dominus iam eſt vltus iniu-
riam, quam Iudæorum genti inflixère
Chaldæi, quódque violati, atque combuſti
E templi pœnas expenderunt.

29. *Annunciate in Babylonem plurimis omnibus, qui tendunt arcum: conſiſtite aduersùs eum per gyrum, & nullus euadat: reddite ei ſecundùm opus ſuum: iuxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta eſt, aduersùm ſanctum Iſraël.*

29. Annunciate plurimis iaculatori-
bus, vt ſpicula in Babylonis interitum ex-
promant, immo omnibus his, quibus ineſt
ſagittandi peritia. Cingite ciuitatem vn-
dique, ne imminens ab hoſte malum vllus
effugiat. Reddite illi, quæ ſuis ipſa meritis
expoſcit; qualia intulit aliis, talia ſubeat,
quia contra Deũ Iſraël ceruicem ſuſtulit,
& contra illũ aliquid ſe poſſe exiſtimauit.

30. *Idcirco cadent iuuenes eius in plateis eius:*

30. Ideo iuuenes, ac robuſti in plateis
ciuita

eius: & omnes viri bellatores eius conticeſcent in die illâ, ait Dominus.

A ciuitatis ſternentur ferro, & viri audaci, ac prompto ad prœliandum animo, ſic illa die afficientur ægrè, vt mutire non audeant, dicit Dominus.

31. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ.*

31. Ecce ego ad te, ô Babylonia, qui ſuperbos alis, & inſolentes ſpiritus, dicit Dominus, ne tã in tua tibi gloria placeas. Aderit enim dies, qui de tua inſolētia iudicet, & quæ admiſiſti ſcelera, damnet, & puniat.

32. *Et cadet ſuperbus, & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum: & ſuccendam ignem in vrbibus eius, & deuorabit omnia in circuitu eius.*

32. Cadet itaque ſuperbus Babylonius, neque vis erit vlla, quæ iacentem erigat. In ciuitates eius faces iaculabor ardentes, B quæ quidquid in earum circuitu pretioſum erit, populentur, & perdant.

33. *Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam ſuſtinent filij Iſraël, & filij Iuda ſimul: omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos.*

33. Quod in iniquo foro non raro contingit, dicit Dominus, vt quis per vim, dolum, & calumniam euertatur bonis, coniiciatur in vincula, & huiuſmodi aliqua iniquè, & grauiter patiatur. Id accidit filiis Iſraël, & Iuda, quos ceperunt Chaldæi, tenéntque quaſi conſtrictos apud ſe, neque liberos ad ſua redire permittunt.

34. *Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius: iudicio defendet cauſam eorum, vt exterreat terram, & commoueat habitatores Babylonis.*

34. Sed non eſt vſque adeò à patrono deſerta Iudæorum cauſa: eſt enim captiui C populi redemptor Dominus exercituum, qui vt benignus velit, & vt fortis poſſit iudicio defendere miſerorum cauſam: qui metu totam terram concutere, & Babylonios ciues commouere ſuo loco, atque ſtatione poſſit.

35. *Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad habitatores Babylonis, & ad Principes, & ad ſapientes eius.*

35. Gladius igitur irruet, dicit Dominus, in Chaldæos, gladius in omnes, qui intra muros inhabitant Babylonicos, gladius in Principes, & ſapientes, qui auctoritate ciuibus, atque conſilio præſunt.

36. *Gladius ad diuinos eius, qui ſtulti erũt: gladius ad fortes illius, qui timebunt.*

36. Gladius ſuper diuinos, & augures, D quos euentus ipſe erroris, atque ſtultitiæ conuincet. Gladius ſuper fortes, qui cùm maximè pugnatũ oportuit, animo cadent.

37. *Gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod eſt in medio eius: & erunt quaſi mulieres: gladius ad theſauros eius, qui diripientur.*

37. Gladius ſuper equos, & currus, gladius ſuper vulgarem, atque promiſcuã turbam, cui non plus erit animi, ac roboris, quàm infirmo, ac timido fœminarum ſexui. Gladius denique ſuper theſauros, quos hoſtis victor ſcrutabitur atq; diripiet.

38. *Siccitas ſuper aquas eius erit, & areſcent: quia terra ſculptilium eſt, & in portentis gloriantur.*

38. Siccitas adueniet aquis, quæ mediam ciuitatem interfluunt, quæ ideo deficient, & areſcent, quia diis hominum elaboratis artificio Diuinos illa ciuitas im- E pendit honores, & portentorum habere ſe ſcientiam gloriatur.

39. *Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis: & habitabunt in ea ſtruthiones: & non inhabitabitur vltrà vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem, & generationem.*

39. Atque ideo ſubuertetur ciuitas, in quam hominum loco ſuccedent immundæ, atque ſylueſtres feræ, dracones videlicet, ſtruthiones, & fauni, qui ſycomoro obuio, atque agreſti cibo vitam ſuſtentant ſolitariam, & horridam. Neque vnquam poſtea ab hominibus habitabitur, neque erit vllus, qui illã in ſempiternũ inſtauret.

40. *Sicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomor*

40. Sicut deleuit Dominus Sodomam, &

Gomorrham, & vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.

A & Gomorrham, ciuitatéſque alias ipſis ſitu, & ſcelere vicinas, quas nemo poſtea hominum habitauit, ſic etiam ita diſperdet Dominus Babylonem, vt illam nemo poſtea mortalium inhabitet.

41. *Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna, & Reges multi conſurgent à finibus terræ.*

41. Ecce populus venit ab Aquilonari plaga, gens potens, & multa; & Reges plurimi à finibus terræ conſpirabunt.

42. *Arcum & ſcutum apprehendent: crudeles ſunt & immiſericordes: vox eorum quaſi mare ſonabit, & ſuper equos aſcendent: ſicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon.*

42. Arcum arripient, & ſcutum aſſument: animo ſunt crudeli, & quos ad miſericordiam nullæ preces inflectant. Vox illorum ſicut fremitus maris, cùm à ventis
B exagitatur, & tumet. Aſcendent equos contra te, ô Babylon, prælium inituri.

43. *Audiuit Rex Babylonis famam eorum, & diſſolutæ ſunt manus eius: anguſtia apprehendit eum, dolor quaſi parturientem.*

43. Cùm primùm huiuſce apparatus rumor afflauit, manus Regis paralyſi quadam diſſolutæ extabuerunt: neque minùs anguſtè afflictus, aut vehementer cruciatus eſt, quàm mulier, dum partus difficultate laborat.

Quod reliquum eſt capitis, explicatum eſt à nobis paraphraſticè capite præcedenti, à verſu decimonono, ad verſum vigeſimumſecundum: quare nunc hæc omittimus, quia inde peti Paraphraſis poteſt.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM IEREMIÆ.

1. IN capite 25. propinauit Propheta Regi Seſac, ideſt, Regi Babylonis, calicem indignationis Dei; poſtquam nationes aliæ de illo poculo hauſiſſe dicuntur: ſic modò poſtquam Diuinus furor in Chaldæorum caſtris nationes alias latè, duréque peruaſit, tandem in Chaldæorum ampliſſimam vrbem, & regiam ſedem Perſarum aciem ſui furoris adminiſtras inuexit: de cuius extrema clade, & grauiter prædicit Ieremias duobus hiſce extremis ſuæ prophetiæ capitibus; in quibus non parum nobis ſtudij, atque laboris ponendum eſt; faxit Deus, vt cum aliquo operæ, atque ſtudij pretio.

2. Verſ. 2. *Annunciate in gentibus, & auditum facite, leuate ſignum.*] Laborant hoc loco Interpretes in explorando, cuius hæc ſint verba, quæ gentes omnes admonent de Babylonis excidio. Quidam, hæc verba Dei eſſe putant ad Prophetas; quibus edicit, vt hæc ad gentes perferant. Maldonatus, Ieremiam loqui exiſtimat, qui gentes admonet de euerſa Chaldæorum fortuna; iubétque, vt hæc omnia, quaſi per manus accepta, per totam vrbem longè, latéque diſpergant: & hoc mihi magis eſt veriſimile; quia aliquid hîc fieri iubetur, quod in populos bene, in Prophetas verò non ita conuenit, vt de eleuando ſigno; neque præterea apparet, quínam ſint Prophetæ alij, ad quos Diuina iſthæc mandata pertineant.

3. Hoc verò nuncium deferendum opinor ad illas gentes, quibus à Chaldæorum Rege Nabuchodonoſor, capite 25. propinatus eſt calix, de

C quibus tribus proximè capitibus actum eſt, quas ſubegit Nabuchodonoſor, ſuiſque ſedibus excedere coëgit. Quare non poterat hoc nuncium non eſſe iucundum; tum quia ſuum dolorem, & ærumnas, hac inimicorum viciſſitudine captiui ſolabantur; tum quia eædem gentes, quæ, propinato poculo, de ſubeunda ſeruitute, vaticinium acceperant, audierúntque excutiendum eſſe iugum, cùm Chaldæorum adeſſet tempus, ideſt, ſupplicium, aut felicis antè fortunæ miſera conuerſio. Sic enim capite 27. verſu 7. *Et ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat*
D *tempus terræ eius, & ipſius.* Cùm ergo eodem vaticinio conſignata eſſet & Babylonici imperij ruina, & captiuarum gentium libertas, non poterant non vehementer lætari gentes illæ, quæ occidente Sole Babylonis affulgere ſibi intuebantur libertatis lumen. Induxit Iſaias cap. 14. omnes Reges terræ, quos antè ſubegerat Babylonius, inſultantes illi, & quaſi illius ignobili interitu lætantes, exprobrare antiquos faſtus, & ſuperbos ſpiritus. *Omnes* (inquit) *Principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes Principes nationum; vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut &*
E *nos: noſtri ſimilis effectus es: detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: concidit cadauer tuum.*

Chaldæorũ ruina multis populis ſaluti fuit.

Gratulatur itaque Propheta gentibus de oborta libertate, monétque, vt voce feſta, aliiſque ſignis, quæ ad res lætas ſignificandas excitari ſolent, Babylonicum exitium latè denunciēt. 4.
Voces illæ ſynonimæ, *annunciate, auditum facite, prædicate, nolite celare, dicite*, magnam habent epitaſim, & vim quandam ingentem efferueſcentis, & ebullientis in animo gaudij.

Leua

5. Leuare ſignum multa ſignificat. Primùm, leuatur ſignũm in prææalto loco ad euocandos milites, ſeu ad habendos militares delectus; quo ſenſu hic excitatum potuit videri ſignum, quaſi populi euocentur ad arma capienda contra Babylonios, quorum poſtea clades latè deſcribitur. Huic verò cogitationi conſonat, quòd deinde ſæpe armantur, & acceſſuntur populi, vt Chaldæorum imperium extinguant, & intolerabilem eorum arrogantiam deprimant. Hoc mihi maximè videtur probabile, quia aptè in hac ſententia conſequentia cohærent, quæ non obſcurè produnt, nondum interiiſſe rem Babylonicam.

6. Nihilo tamen minùs non improbarem, ſi quis ſtatueret, aliquid aliud ſibi velle excitandum à nationibus ſignum: fingi námque videtur iam capta Babylon, & perfecta omnia, quæ aduocati milites peragere potuerunt. Solent autem ſigna alias etiam ob cauſas excitari, nempe, vt indicent victoriam eſſe partam, vt bene omnes ſperent, vt feſtos agant dies, ſeu publicas inſtituant gratulationes, & ſimilia. Hæc autem omnia publico aliquo ſigno, & noſtro tempore, & olim ſignificari certius eſt, quàm vt probari debeat. Sed prior ſententia magis placet, ad quam nihil eſt, quod deinde violentum trahatur.

7. Neque verò diſplicet, ſi ſignum hoc loco capias pro lapidibus terminalibus, quibus homines ſuas ſibi poſſeſſiones notare, & ab aliis diſcriminare ſolent. Excitari iuſſerat Deus ſigna quædam, & titulos in terra promiſſionis, quibus regionem illam deberi ſibi ſignificabat: illa rerum potiti deiecerunt Chaldæi, ſuáque repoſuerunt tanquam domini. Monere igitur videtur Propheta Solymitános, vt capta Babylone, ſublatis titulis, & ſignis, quæ excitauerunt Chaldæi illa rurſus eleuent, quæ Dominus antè excitari iuſſerat, quibus & victa ſignificatur Chaldæorum potentia, & regio priori domino reſtituta. Hæc nos pluribus ad illud Zachariæ cap. 8. *Quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.* quæ omnino vide.

8. *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach.*] Præteritum pro futuro ponitur, quod maximè à Prophetis vſitatum: vel quia eo modo rei proponitur certitudo, & firmitas, quia perinde quod futurum eſt exiſtimatur, atque ſi iam foret re ipſa completum: ſeu quia earum rerum ſpecies proponebantur Prophetæ, quæ poſtea eſſent futuræ, cùm rei præuiſæ tempus adueniret. Quis fuerit Bel, & quomodo præcipua quadam religione coleretur à Babyloniis, diximus in caput 46. Iſaiæ; cui, vt tradit Hieronymus in caput 2. Oſeæ, Ninus primus Aſſyriorum Imperator ará excitauit, & ſuis, vt in diuis numerarent, edixit. Quem à Latinis vocari Belum, & eundem eſſe, qui vocatur Saturnus, tradit idem Hieronymus in locum citatum Iſaiæ: additque ea apud Gentes habitum religione, vt non ſolùm illi captiuorum ignobilium corpora, ſed etiam filiorum immolauerint. Ponitur autem ſeparatim ab aliis idolis, quorum ſtatim confuſè meminit, quia ex vſu ſacræ Scripturæ, quæ magna ſunt, & aliquid habent inter alia eximium, non ſolent cum aliis communi vocabulo confundi.

Bel quis?

9. De Merodach diximus nonnihil apud Iſaiam capite 39. Et primùm puto, Merodach aut primum regnaſſe in Babylone, aut certè inter primos, à quo exiſtimo, reliquos Reges Babylonios appellatos fuiſſe Merodach, ſicut Ægypti pri-

Merodach quis?

A mùm Pharaones, deinde Ptolomæos; Perſarum Cyros, & Darios; Arabiæ Aretas; Reginas Æthiopiæ Candaces; & Cæſares, qui Romanum moderantur imperium. Deinde puto, ſicut qui primùm aliquod regnum, aut Rempublicam conſtituerunt, à ſtulta plebecula, quæ facilè capitur, & deluditur, relati ſunt in deorum numerum, vt probant Saturnus, Ianus, Iuppiter: ſic Merodach, cuius forſitan olim magna in Rempublicam Babylonicam merita, habitum eſſe in deis. Sicut Belum, qui in eadem ciuitate primus regnauit, Deum haberi voluit Ninus filius, qui pòſt magis noto vocabulo appellatus eſt Bel. Fuiſſe autem Merodach aliquod illarum gen-

B tium idolum, ex eo fit veriſimile, quia cum Bel, aliiſque gentium idolis numeratur.

Alij Merodach Regem eſſe putant Babylonis, nempe Balthaſſarem, qui à Cyro ſuperatus eſt, & in quo Chaldæorum imperium extinctum eſt: ita putant Lyra, Hugo., Dionyſius, & Genebrardus in Chronica, anno mundi 3469. Nam, vt diximus, commune Babyloniæ Regibus nomen erat Merodach: id ſuadet, quòd Rex ille, qui gratulandi gratia miſit ad Ezechiam legatos, Iſaiæ capite 39. cùm è morbo, quo grauiter affligebatur, conualuit, dictus eſt Merodach Baladan; & Rex alius, qui Nabuchodonoſori ſucceſſit, vt habes 4. Regum capite 25. verſu 27. 10.

C vocabatur Euilmerodach, quaſi propriùm illorum Regum nomen fuerit Baladan, & Euil, commune verò Merodach: quomodo dicitur Iulius Cæſar, Auguſtus Cæſar, &c. Quæ ſententia licèt non videatur improbabilis, placet tamen longè magis ſuperior, quia non ſine cauſa inter ſculptilia, atque idola poſitus à Propheta Merodach. Dicuntur autem idola capta, atque confuſa, quemadmodum capite 48. Chamos Moabitarum, & cap. 49. Melchon Ammonitarum tranſmigraturi dicuntur; & de diis Ægyptiorum idem quoque traditur cap. 43.

11. Verſ. 3. *Quoniam aſcendit contra eam gens ab Aquilone.*] Perſæ, de quibus omnino ſermo eſt, ab

D Aquilone dicuntur ſpectare Babylonem, cùm tamen ad orientem magis Solem pertineant. De ſitu Babylonis, quæ ſæpe in ſacra Scriptura, & aliquando ab hoc Propheta Aquilonaris vocatur, & qua ex parte Babylonem Perſæ reſpiciant, & Medi, non eſt animus diſputare: ſatis ſit ad nominis rationem, aliquantò magis eſſe Septentrionales, quàm ſint Babylonij; ſed poſſunt etiam aliæ afferri cauſæ, quòd videlicet collecti ſunt milites e regionibus, quæ Perſis, ac Babyloniis Aquilonares ſunt: aut certè alluſum fuiſſe ad nomen Aquilonis, quod in ſacra Scriptura frequenter auditur, & ſemper aliquid ſignificat aduerſum, & horribile: quoniam ab Aquilone ve-

Aquilo, pro re inauſpicata, & triſti.

E nerunt primùm Aſſyrij, deinde Chaldæi, qui res Iſraëliticas durè, ac ſæpe turbarunt, ac tandem funditus euerterunt. Vnde factum videtur, vt prouerbiali forma tam Aquilo, quàm Aquilonaris regio pro re dura, atque inauſpicata ſumatur. Quare non mihi videtur malè dicturus, qui ita huius loci ſententiam informaret, ac diceret: Aquilonaribus, & violentis, ac duris, id eſt, Babyloniis, non defuturos Aquilonares alios, qui vicem rependant, id eſt, Perſas, & Medos, quos ad perdendos Babylonios Deus armat, & vocat; ſicut ad Solymitanos, nationéſque alias, de quibus ſuprà, malè perdendas Deus ſcelerum vindex Babylonios armauit.

12\. Verſ.4. *In tempore illo, ait Dominus; venient filij Iſraël, ipſi, & filij Iuda ſimul.*] Hæc eſt præcipua cauſa, cur gratulatorium, & iucundum captiuis videri poſſit hoc vaticinium: quia, vt dixit ſuprà Ieremias, eodem tempore Imperium cadet Babylonicum, & Iudæorum, aliarúmque gentium laxabitur exilium: ſed meminit hoc loco eorum tantùm, qui ex domo Iſraël in patriam redière; vbi quæri non importunè poſſet, an cum duabus Tribubus Iuda, & Benjamin, aliæ quoque Tribus ab Aſſyriis abductæ, in ſuas pariter ſedes remigrarint. Qua de re pluribus egi apud Iſaiam capite 11. numero 24. & 25. & latiùs apud Zachariam capite 8. à numero 28. ad illud: *Domus Iuda, & domus Iſraël ſic ſaluabo vos.* vbi dixi, rediiſſe quidem cum duabus Tribubus plurimos è decem aliis, quia tamen neque diſtincti per Tribus, & duces redierunt, ſed ſub Zorobabel, & Eſdra, in duas alias Tribus contributi (ita vt non vocarentur deinceps Ephraimitæ, Rubenitæ, &c. ſed omnes eodem ordine Iudæi) ideo tantùm duæ Tribus rediiſſe dicuntur. Vide, quæ pluribus diximus ad loca Iſaiæ, & Zachariæ ſuprà citata.

Decem Tribus quomodo cum duabus dicantur rediiſſe.

13\. *Ambulantes, & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent.*] De reditu è Babylone tam duarum Tribuum, quàm eorum, qui ſe è decem aliis illis aſſociarunt, ſermo eſt. Hi verò redierunt, licèt propter libertatem exultantes, tamen lugentes aut præ nimio gaudio (neque enim lætitia, ſi profuſior eſt, minùs quàm dolor lacrymarum exprimit ab oculis) ſanè Eſau, viſo fratre Iacob fleuiſſe traditur, Geneſis 33. & Iacob ipſe, viſo Ioſeph, Geneſis capite 46. & Ioſeph ſæpius intuitus, atque amplexatus fratres, Geneſis capite 42. & 45. Seu certè flebant, quia cùm plurimi abacti eſſent in Babylonicum ſolum, pauci tamen ex eo numero in patriam remigrarunt, quia omnes penè ſeruile miniſterium, & ſeptuaginta annorum ſpatium in exilio confecerunt. Ad quod facit, quod Eſdræ libro 1. capite 3. ex captiuis, quibus datum eſt in antiquum, atque natale ſolum reuenire, plurimi exultabant præ gaudio, amarè flebant alij; illi propter reſtitutam cum patria libertatem; hi, quia tenuem videbant Iudæorum fortunam, & anguſtam templi maieſtatem. *Seniores, qui viderant templum priùs, cum fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna, & multi vociferantes in lætitiam eleuebant vocem. Neque poterat quiſquam agnoſcere voces clamoris lætantium, & vocem fletus populi.*

Lacryma interdum ex lætitia.

14\. *Et Dominum Deum ſuum quærent.*] Dum in Ieruſalem reditum moliuntur Iudæi, Deum ſuum quærere exiſtimantur, quem abieciſſe iudicari poterant, cùm in regionem idolis conſecratam commigrarunt. In Ieruſalem, & in templo maximè habitare Deum, iampridem ſibi perſuaſerant Iudæi; idque clamabant ſæpe, eóque ſibi nomine placebant maximè, quaſi verum Deum ipſi ſolum haberent: quocirca ſæpe reprehenſi ſunt à Prophetis. Vide Iſaiam capite 66. in principio, vbi nos ea de re latè. Ad horum igitur cogitationem attemperat Propheta loquendi modum, & à Iudæis Dominum quærendum affirmat, quia eò referunt curſum, vbi Deus ſuam ſibi ſedem habere cenſetur. Eſt autem vſitatum in omni literatura, vt pro continente loco perſona, quæ in eo continetur, adhibeatur: quomodo Pluto pro inferno, Vcalegon pro Vcalegontis domo, & Petrus pro templo, vbi religioſè colitur, vſurpatur. Vt ergo dicimus, *Eo ad ſanctum*

A *Petrum*, ideſt, ad ſacram Petro ædem; ſic, *Eo ad Deum*, ſeu, *Deum quæro*, quia quæro Ieruſalem, vbi præcipuè Deus eſſe exiſtimatur.

Hæc mihi explicatio viſa eſt non inepta; magis videtur prompta, ſi dicas, eos, qui à Domino antè receſſerant, & ideo duris dominis in ſeruitutem dati ſunt, reuerſuros in patriam, atque ibi iuxta patrios, atque ſacratos ritus ſerrituros Deo: quod non obſcurè probant quæ ſtatim adduntur, quæ non aliam, opinor, continent ſententiam. 15.

Verſ.5. *In Sion interrogabunt viam: hùc facies eorum.*] Qui aliquò profectionem parant, de via rogant, ne aliò digreſſi, ſpe, conſilióque fruſtrati, laborem, ſumptus, & hoſpitium perdant. Quia B ergo in Ieruſalem erit captiuorum facies, ideſt, eò ſpectabunt, conferéntque conatus, ac ſtudium, vt Hieroſolymam reuiſant, de Hieroſolyma cogitabunt, rogabuntque de via, quam ſuſcipient auidè, & conficient feliciter. 16.

Apponentur ad Dominum fœdere ſempiterno, quod nulla obliuione delebitur.] Hoc, puto, idem eſt, quod illud de quo nuper, *Dominum Deum ſuum quærent.* Apponi etenim ad Dominum, nihil eſt aliud, quàm ad illum accedere, illi adhærere, illi ſe verè, atque ex animo conſecrare. Quod magis explicat, quod ſtatim additur, *fœdere ſempiterno*, quia pactum aut ferient nouum, aut inſtaurabunt antiquum, quod parentes eorum antè pepigerant. C Exodi capite 16. vbi Deus habiturum ſe dicit populum in peculium de cunctis populis, ſi modò mandatis ſuis parere velit: cui reſpondit populus: *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Hoc pactum fuit; & ſempiternum fœdus, quale etiam Dominus appellat Ezechielis capite 16. verſu 60. *Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adoleſcentiæ tuæ, & ſuſcitabo tibi pactum ſempiternum.* Quæ verba eandem omnino ſententiam continent, quam hoc Ieremiæ teſtimonium. Hoc verò pactum, ſeu ſempiternum fœdus connubiale fuit: ſub Sponſæ etenim metaphora cum Ieruſalem loquebatur eo loco Ezechiel. Sempi- D ternum autem dicitur fœdus, quia licèt ab eo populo non ſemel fœdè ſolutum fuerit; natura tamen ſua ſempiternum eſt; quia tale eſſe debet, cùm nulla vi, neque vlla de cauſa ſolui, ac violari fas ſit. Quòd autem fœdus hoc coniugale ſit, præterquam quòd ita indicat Ezechiel, ſuadet verbum Hebraicum נלוו *niluu*, quod copulari ſignificat, vel adhærere, amplexu videlicet, aut alio modo magis familiari. Quare Lia, nato ſibi alio filio, vocauit eum Leui, ab ea radice, de qua modò, dicens Geneſis 29. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios. idcirco appellauit nomen eius Leui.* 17.

Fœdus connubiale cum populo. Ezech. 16.

Hæc optimè cadunt in Hieroſolymam ab exi- E lio reducem; multò tamen aptiùs in Eccleſiam, cuius reſtituta Hieroſolyma vmbra quædam fuit, vt pluribus oſtendimus in præfatione quadam ad caput 40. Iſaiæ: & eam ob cauſam aliqui hæc de Eccleſia accipiunt, piè illi quidem, & optimè; veruntamen hiſtoricè, & in typo non dubito, quin hìc ſermo ſit de captiuitate ſoluta, reditúque Iudæorum in Ieruſalem. Neque quicquam incommodat ſempiterni fœderis nomen: nam vt fœdus cum reſtitutis Iudæis natura ſua ſempiternum non ſit; at *ſempiternum, æternum*, & ſimilia, vt ſæpius oſtendimus, non ſemper valet id, quod fine caret, ſed interdum quod longo duraturum eſt tempore, vt diximus ſuprà, capite 18.

30.nu

30. numero 11. & apud Iſaiam capite 32. numero 32.

19. Verſ.6. *Grex perditus factus eſt populus meus.*] Aptiſſima quadam ſimilitudine ærumnoſum Iudæorum ſtatum in exilio, aut exilio proximum exponit, dum illos ſeductos eſſe dicit à paſtoribus, & à propriis, legitimíſque paſcuis abductos, errare per ardua, atque prærupta montium: neque tamen in vno loco, aut tutò, aut commodè conſiſtere, ſed vagari incertos, atque ex vno colle in alium dubio, atque inſtabili veſtigio tranſilire, quaſi proprium cubile non habuerint, & legitima ſepta; quorum ſic abiecere memoriam, quaſi in illis forent ſtabulati nunquam. Similitudo, vt vides, ſumpta eſt à gregibus, qui procul errant ab vberrimis paſcuis, & in arida loca, atque ſcopuloſa coniecti ſunt. Similitudinis nota ſubauditur: dicendum enim eſſet, ſi Latinorum more agendum eſſet, non Hebræorum, *Sicut grex perditus.* Illud, *obliti ſunt cubilis ſui*, ex vſu ſacræ Scripturæ idem valet, quod longe aliam fortunam ſubierunt à priori diuerſam. Cùm enim aliquid cuipiam accidit longè ab eo, quod antea contigerat alienum, prioris fortunæ, qualiſcunque illa fuerit, obliuiſci dicitur. De hoc eodem populo iam à captiuitate laxato, dixit Iſaias capite 65. verſu 16. *Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores.* Vbi Hieronymus: *Obliuiſcentur priſtina mala, non obliuione memoriæ, ſed bonorum ſucceſſu.* Eccleſiaſtici capite 11. verſu 29. *Malitia horæ obliuionem facit lætitiæ magnæ.* Geneſis capite 41. verſu 30. cùm præceſſiſſet ſeptem annorum abundantia, deinde ea ſubſequuta dicitur ſterilitas, & fames, *Vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia.* & eodem capite verſu 51. cùm eductus è carcere Ioſeph locum obtinuiſſet Regio proximum; filium, quem in ea fortuna primū ſuſcepit, vocauit Manaſſes, dicens: *Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Sic ergo populus infelix, tanquam grex omnino perditus vſque adeò vitam egit ærumnoſam, & miſeram, vt eo, quem diximus, ſenſu cubilis ſui, ideſt, ſoli felicis, & vberis oblitus dici, atque haberi potuerit: niſi mauis ideo gregem oblitum exiſtimari cubilis ſui, quia ex quo ab illo receſſit, per ſeptnaginta annos nunquam eſt reuerſus; quæ ſententia difficilis non eſt, verùm prior mihi potior eſt.

Obliuiſcor, magnā rerum mutationem ſignificat.

Iſai.65. Eccle.11. Geneſ.41.

20. Verſ.7. *Omnes, qui inuenerunt, comederunt eos: & hoſtes eorum dixerunt. non peccauimus.*] Quæcunque extra ſepta, curámque paſtorum, ac dominorum vagantur, omnium vſui, ac voluntati patent; ſicut in montibus feræ, quæ prædæ ſunt omnibus, qui illis in locis aut rete expandere, aut venaticos canes inducere voluerint: qui tunc ſe peccare non exiſtimant, quia nihil ſe putant alienum venari. Quia ergo Deus abiecíſſe videbatur Iudæos, qui Dominus erat, & paſtor gregis, neque duces alij, etiam ſi gregis illos cura tangeret, quidquam poterant in aliena regione, & quia ipſi quoque capti nullo in pretio à potentioribus hoſtibus habebantur; quicunque vellent in eos, tanquam in communem prædam tendebant laqueos, & pro ſua libidine lacerabant, comedebántque, quaſi Deus illos, in quos vellent vſus, liberè tradidiſſet. Eodem penè modo Zacharias capite 11. inducit alios, qui cùm in ſimilem gregem incidiſſent, gratias agebant Deo, quòd eo lacerato, & vendito, abſque vllo peccato rem auxiſſent familiarem: *Quæ qui poſſederant, occidebant, & non dolebant* (Hebraicè אשמו *ieſamu*, ideſt, non peccabant) *& vendebant ea dicentes, Benedictus Dominus, diuites facti ſumus.* Gratias itaque agunt Deo, quaſi ab eo habeant, quo ſanctè, & iuſtè ex capto, laceratóque pecore commoditatem habeant.

Pro eo quòd peccauerunt Domino decori iuſtitiæ, & expectationi patrum eorum.] Rationem reddunt hoſtes Babylonij, cur in lacerando grege non peccauerint, quia qui in grege illo ſignificantur, Iudæi, peccauerunt grauiter, & aſſiduè in eum, à quo tam ipſi, quàm olim ipſorum parentes, beneficiis fuerint cumulati quàmplurimis: atque ideo Dominum appellant *decorem iuſtitiæ, & expectationem patrum:* quæ duo nomina in ſacra Scriptura ſæpe dicuntur de Deo. Appellatur autem *iuſtitiæ decor*, ſeu, vt alij volunt, quod etiam vox Hebraica fert, *habitaculum iuſtitiæ*, quia iuſtus ipſe ſemper fuit, & quandiu populus ille in mandatis ſtetit à Domino traditis, ſemper ab ipſo protectus, neque ſolùm neceſſariis ad vſum, ſed etiam ad delicias cumulatus fuit. Dicitur ergo decor, ſeu pulchritudo iuſtitiæ, quia in ſeruandis promiſſis (quod, credo, hoc loco reſpicit iuſtitia) ſic ſe geſſit integrum, & fidelem, vt quidquid in iuſtitia aut fide pulchrum eſſe, aut excogitari poteſt, in ipſo reperias. Dicitur expectatio Iſraël, aut patrum, quia cùm omnes fidelem eſſe Deum in promiſſis eſſent experti, in illo ſperabant; neque expectationem ſuam tot iam euentibus confirmatam fraudatum iri metuebant. Vide quæ diximus ſupra capite 14. verſu 8. & capite 17. verſu 13. vbi Deus à Ieremia expectatio dicitur Iſraël. 21.

Deus decor iuſtitiæ.

Verſ.8. *Recedite de medio Babylonis, &c. & eſtote quaſi hœdi ante gregem.*] Cùm ſtatum expoſuiſſet miſerum, quem populus habuit exul in Babylonia, quaſi grex à paſtoris cuſtodia deſtitutus, deuotus gladio, aut macello deſtinatus, vt pluris faciat libertatis oblatæ beneficium, euocat è Babylone, ad cubile nempe antiquum, cuius iam oblitus exiſtimari poterat. Cùm autem iubet, vt in reditu veniant quaſi ante gregem hœdi, id profectò iubet, vt audacter redeant alacri, atque conſtanti curſu, quem neque ſaxa inacceſſa, atque aſpera retardent, neque vlla frangant incommoda, quæ non rarò occurſare ſolent in longa, atque impedita via. Sicut hœdi, aut hirci rupes ſuperant, & collium prærupta faſtigia, neque arduum aliquid eſſe putant, vnde ſeſe oſtentet pabuli commoditas. Pro hœdis Hebraicè eſt עתודים *athudim*, quod in caprarum genere valet, non quod infirmum eſt, & tenerum, quales ſunt hœdi, ſed quod robuſtum, & laboribus iampridem aſſuetum, quales ſunt hirci, qui greges præeunt, & quæ obuia ſunt, ſpeculantur, & ſuperant. Vnde factum eſt, vt עתודים *athudim*, ideſt, hirci pro ducibus ſumantur, & his, qui publicis rebus, aut in pace præſunt, aut in bello. Iſaias capite 10. verſu 13. vbi Vulgatus *Principes*, Hebraicè eſt עתידים *ithidem*, vbi idem capite 14. verſu 9. *Gigantes.* Zacharias capite 10. verſu 13. Principes, & moderatores populi *hircos* appellat. *Super paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper hircos viſitabo.* Iubet ita Deus, vt captiui in patriam reuerſuri hircorum ſibi audaciam, & velocitatem aſſumant. Theodoretus comparationem hic eſſe putat inter Iudæos, & Babylonios, quibus nunc tanquam imbecillum, ac timidum pecus ita ſeruiunt, vt etiam iugulum cultro ſummittant. At eo tempore, de quo præſens auditur oraculum, ea 22.

Hirci, pro Principibus & moderatoribus.

ea erit rerum viciſſitudo, vt ſicut gregibus præſtant hirci, qui duces ſunt, ſic etiam ſuperiores futuri poſtea ſint Iudæi Babyloniis. Sed explicatio prior magis videtur expedita, & obuia.

23. Verſ.9. *Et inde capietur.*] Quidam legunt, *in die*; in quibus ſunt Hugo, atque Dionyſius. Sed lectionem hanc falſitatis coarguit textus Hebraicus, qui habet משם *miſam*, quod valet, *vnde*, & hiſtoriæ fides: neque enim interdiu capta Babylon eſt, ſed noctu, vt ex Daniele liquet capite 5. in fine. Significatur autem hoc dicendi modo, ea expeditione, quam primùm gentes illæ congregatæ ſuſcipient, capiendam eſſe Babylonem. משם *miſam* enim idem valet, quod exinde: quod, credo, Latinus explicaret voce ſatis ad dictionem Hebraicam accommodata, ſi verteret, è *veſtigio*, ſed eſt omnino ſenſus idem, neque (vt iudicare cuilibet promptum eſt) non obſcurus.

24. *Sagitta eius quaſi viri fortis.*] Capite 49. verſu 9. oſtendimus, Ælamitas, ideſt, Perſas, à quibus capta eſt, & ſubiugata Babylon, viros eſſe ſagittarios: eóque nomine & notari à ſacris ſcriptoribus, & commendari maximè. Quare, cùm aliis etiam armis dimicarent Perſæ, & ſi qui fuerunt alieni à Perſis, & Medis, mercede conducti, ſagittis tamen dimicaſſe traduntur, quia illud erat præcipuum, & quaſi proprium Perſici exercitus inſtrumentum.

25. *Non reuertetur vacua.*] Hebraiſmus eſt, quo ſignificantur petitiones hoſtium Babylonici nominis, non eſſe cariture ſucceſſu, vt diximus ſuprà cap. 23. numero 33. & apud Iſaiam capite 55. numero 33.

26. Verſ.11. *Quoniam exultatis, & magna loquimini.*] Cum Chaldæis ſermo eſt, quibus ſignificat Deus, quare ſubituri ſint illam rerum viciſſitudinem, de qua hoc capite, atque ſequenti plurima: & hoſtium auaritiam opibus ſuis, quas impiè iam antea congregauerant, expleturi: quia nempe inſultarunt miſerorum lacrymis, magnâ de ſe ſuperbè, atque ambitioſè prædicarunt, & plus ſibi ſumpſerunt, quàm ipſis datum erat iuris in Iudæorum gentes; quas non auarè ſolùm, ſed etiam crudeliter expoliauerunt; & quia ſe in omne deliciarum genus intemperanter effuderunt: id enim valet quod proximè ſequitur.

27. Sed antequam hinc emergo, reſpondendum eſt tacitæ alicuius cogitationi, cui fortaſſe videri poſſet durum, & iniquum, vt Dominus, propter afflictam Iudæorum fortunam, Babylonios tam ſeuerè puniat, cùm ipſe illos ad arma vocauerit; immo & ſe ipſum ad euertendam Hieroſolymam auctorem, & ducem præbuerit, vt clamat ſæpe Ieremias, neque alij Prophetæ ſiluerunt. Sed eſt, quod huic cogitationi, ſeu accuſationi reſpondeam. Voluit Deus, aut tanquam pater rebellem, & peruicacem filium flagello, ac virga corrigere, non perdere; aut tanquam medicus ſanioſo vulnere laborantem, atque fœtentem ægrotum, aut ſecando, aut vrendo ſanare, non occidere; & eam in curam adminiſtros, & ſocios Babylonios aſſumpſit. At illi plus ſibi iuris, atque furoris in gentem illam infortunatam arrogarunt, quàm à Domino fuerat antè permiſſum. Quod optimè Hieronymus explicuit in illud Zachariæ 1. *Ego iratus ſum parum* (in Iudæos) *ipſi verò* (Babylonij) *adiuuerunt in malum*, parentis, ac medici ſimilitudine, quam modò nos adduximus. Solet námque pater in filium ingenuum pædagogo ſuam permittere poteſtatem, vt illa

Babylonij in Iudæos magis ſæuierũt, quàm illis conceſſum.

Deus quid ſpectet dum affligit.

A faciat, quæ faceret patris ſedulus, atque prudens amor; vt illum nempe moneat, caſtiget moderatè, atque opportunè, vt in officio, atque pudore contineat; ipſe verò omnibus horis pro ſua libidine concidat flagris, ſæuiat inclementer, ac tandem perimat: aut ſi ægrotus filius commendetur chirurgo, ipſe verò arte abuſus, & poteſtate illum aut plus æquo excruciet, aut debilitet, aut mutilet membris, vterque ſanè digniſſimus eſſet, qui non leuiori ſupplicio ab irato parente puniretur. Hanc cauſam Deus ſæpe reddidit inter alias, cur exciſam eſſe voluerit Babyloniam: & eo Zachariæ loco, quem proximè adduximus, & Iſaiæ capite 47. contra Babyloniam: *Iratus ſum ſuper populum meum, contaminaui hereditatem meam, & tradidi eos in manu tua. Non poſuiſti eis miſericordiam, ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum valde, & dixiſti, in ſempiternum ero domina.* & idem capite 10. *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt; in manu eius indignatio mea.* & pòſt pauca: *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita æſtimabit; ſed ad conterendum erit cor eius.* Non itaque Deus Babyloniis extremam calamitatem denunciat, quòd Hieroſolymam euerterunt, egerúntque ſecum in exilium illud Iudæorum populum ingratum: in illos quippe rerum euentus auctorem ſe, ac ducem ipſe præſtitit: ſed quia ſeueriùs poſtea; neque in ipſo, vt reor, bellorum æſtu in gentem illam ferro, atque exilio deſtinatam ſæuierunt, quam illis paternus amor pro filiorum eruditione ſollicitus concedebat.

28. *Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam.*] In vitulis intemperantiam, atque luxuriem ſignificari, iam ſæpe ab hoc Propheta didicimus, qui Ægyptum vitulam appellauit elegantem capite 46. & Segor vitulam conternantem capite 48. idem omnino de vitulo dicendum. Vituli ergo vbi primùm pabulum occurrit pingue, in illud, qua ſunt intemperantia, totos ſe confeſtim effundunt, & quodcunque habent obuium gulæ, auidiſſimè vorant. Hinc, vt credo, ſimilitudo trahitur; quia vt vituli, qui ſe totos ſuper herbam effundunt, & paſcuntur auidè, & pingueſcunt immodicè, quóque magis pinguent, & in taurorum robur, & ferociam euadunt, magis ſunt intractabiles: mugiunt enim horribiliùs, animoſiùs appetũt, ſauciántque crudeliùs: & ideo poſtquam vitulos vocauit ab vbere fœno pinguefactos, ſtatim tauros appellant mugientes. Eodem ergo modo Babylonij, cùm prædam habuiſſent opimam, quo tempore in illorum poteſtatem venit Hieroſolyma, & ciues in ſeruitutem dati, ideſt, in eorum iugum compacti ſunt, effuderunt ſe in prædam illam, & in gentem ſubactam, cuius opibus locupletati, & quaſi impinguati, & facti iam tauri præferoces, & torui, lacerarunt ſubiectum ſibi populum, & miſerandum in modum conciderunt. Ad hunc locum videtur aliquo modo facere illud Pſalmi 21. *Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.*

Vitulus intemperãtiæ ſymbolum.

29. Verſ.12. *Confuſa eſt mater veſtra nimis, & adæquata pulueri, quæ genuit vos.*] Præteritum adhibitum pro futuro epitaſim habet Propheticis familiarem. Mater Babylon eſt, quia ipſa Chaldæorum metropolis, quæ idem valet, atque, *ciuitas mater*. Confundi, cùm in ſacra Scriptura multa ſignificet, hic tamen credo ſignificare ignominiam, quæ ex obſcurata gloria, & ablata dignitate naſcitur; ex hiſque ludibriis, quæ ab inſolente victore populus victus ſuſtinere ſolet.

Id

Id enim confundit faciem, & ingenuis genis ruborem inducit: nam de vrbis vaſtitate, & tantæ molis excidio, eſt illud, quod ſtatim ſequitur, *Et adæquata pulueri*, quod idem eſſe puto, quod Latini dicunt, *adæquari ſolo*. Niſi mauis, *adæquari pulueri*, extremam ſignificare abiectionem, ex Hebræorum vſu: nam hoſtes ſubacti ſternuntur humi, & à victore calcantur, immo ſupra proſtratos hoſtes, adæquatóſque pulueri, carpenta, ac tribulæ trahuntur. Vnde, qui planè ſunt miſeri, adhærere dicuntur pulueri, aut eſſe in puluere: vt de hac ipſa ciuitate iam ab hoſte domita dicit Iſaias capite 47. *Deſcende, ſede in puluere, virgo filia Babylon.* Quæ explicatio mihi magis probatur, tum quia magis ex vſu ſacræ Scripturæ, tum quia magis ad hiſtoricam fidem: neque enim, ſi capta Babylon eſt, diruta fuit, & mirabilis murorum altitudo, aut aliorum ædificiorum ſuperbia adæquata ſolo: niſi hîc hyperbolen agnoſcas, quæ non eſt in ſacra Scriptura infrequens.

30. Verſ. 13. *Ab ira Domini non habitabitur.*] Hîc non nemo quæret de huius vaticinij fide, cùm videat habitatam eſſe perquamdiu Babylonem, immo Perſici imperij fuiſſe ſedem, & caput, vt non ſolùm profanæ, ſed etiam ſacræ produnt hiſtoriæ. Hoc primum à nobis, pro aliis, quæ de vrbis ruina ſæpius occurrent, definitò opus eſt. Et quidem de Babylone aliquid maius affirmat Ieremias infrà, verſu 40. & Iſaias capite 13. dicit enim eam futuram Babylonis ruinam, & ſpeciem, qualem Sodoma, & Gomorrha habuerunt, quas Dominus ſubuertit. Quo loco ego eandem diſputationem inij, quam nunc aggredior; & quia eadem eſt cauſa, eadem neceſſitas, nos, quæ ibi diximus, in hunc etiam locum transferamus. Sic ergo nos apud Iſaiam.

31. Quidam, vt hinc ſe expediant, hiſtoria relicta, ad allegoricos ſenſus confugiunt. Quos hoc Iſaiæ loco meritò reprehendit Hieronymus; & docet, à ſpirituali, & allegorico ſenſu ſpectari debere ordinem hiſtoricum. *Audiuimus* (inquit) *Medos, audiuimus Babylonem, & inclytam in ſuperbia Chaldæorum. Volumus intelligere, quod fuit, & quærimus audire, quod non fuit. Et hoc dicimus, non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, ſed quia ſpiritualis interpretatio ſequi debeat ordinem hiſtoriæ: quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore.* Putat ergo hîc Hieronymus expletum eſſe hoc Iſaiæ vaticinium, non tamen quo tempore capta eſt Babylon à Cyro, atque Dario; ſed alio atque alio diuerſis temporibus accepto vulnere. Quare accèpiſſe ſe dicit à fratre quodam Ælamita, qui ab illis egreſſus finibus ſecum Hieroſolymis vitam agebat monaſticam, ita deſertam eſſe Babylonem, vt neque paſtores ibi commoda haberent paſcua; ſed tantùm ibi eſſe regias venationes, putà leones, vrſos, apros, qui inter veterum ruinarum anguſtias ſua ſibi pararunt diuerticula. Et Pauſanias multò antiquior Hieronymo, qui ſub Adriani tempus floruit, Babylonem commemorat, inter illas ciuitates, quæ, cùm priùs eſſent florentiſſimæ, ſua tamen ætate vix habuêre antiquæ gloriæ nuda veſtigia. Cùm enim egiſſet de Mycenarum in Græcia, de Thebarum in Bœotia, & Thebarum item in Ægypto, & aliarum ciuitatum obliterata gloria, & penè extincto nomine, quas, vt eius vtar verbis, *ad nihilum redegit fortuna*, de Babylone ait: *Babylon omnium, quas Sol aſpexit, vrbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.*

Allegoricus ſenſus hiſtorico nititur.

Quomodo verò, quóve curſu funditus Babylon perierit, hæc carptim ab auctoribus accipe. Inprimis à Daniele capite 6. habemus, à Dario Medo, & Cyro ablatum eſſe ſub Balthaſſare Chaldæorum Imperium, & ad Perſas translatum. Deinde ab Herodoto libro 3. domitos eſſe rurſus rebellantes Chaldæos, & dirutos magna ex parte Babylonicos muros. Præterea, vt tradit hîc Hieronymus, & Plinius libro 6. capite 26. & Iuſtinus libro 1. cùm extructa eſſet à Nicanore, ſeu Nicatore Seleucia, & à Parthis non longè à Babylone Cteſiphonte, & tandem à Vologeſo Rege Vologeſocerta, illuc habitatoribus commigrantibus penè exhauſta eſt à ciuibus Babylonia. Denique Adriani tempore, vt refert ſuprà Pauſanias, nihil erat reliqui præter muros. Neque alio modo impleta Chriſti prophetia de Ieruſalem à Romanis euertenda: non enim à Tito ſic euerſa eſt, vt maneret lapis ſuper lapidem; ſed aliquid relictum, quod poſtea excinderet Adrianus. Immo poſt Adriani vaſtitatem relicta ſunt multa, quæ adhuc extant ex antiqua fabrica. Ex quo conſtat omnium conceſſu in Scriptura ſacra eſſe loqutiones hyperbolicas; qualis eſt hæc Chriſti prophetia de Ieruſalem, & hæc Iſaiæ de Babylonia, quæ miſerabilem vrbium ruinam prædicunt, non tamen ita (quod verba materialiter ſonant) vt lapis ſupra lapidem relictus non ſit: eſt enim hæc prouerbialis hyperbole, in qua non neceſſe eſt, omnia ſic impleri, vt præ ſe ferunt verba. Sicut & alia, quæ de eadem Babylonis ruina affert Iſaias ſtatim capite 14. *Scopabo eam in ſcopa terens.* ideſt, nil ex ea puluéris relinquam, ſicut ſcopæ puluerem euerrunt. Quare licèt muri reliqui fuerint, & raræ, atque ruinoſæ domus, non ideo Babylon in ſolitudine redacta non eſt. Accedit, quòd ex Scripturæ ſacræ vſu nihil relictum eſſe dicitur, quando ex magna aliqua multitudine parum relictum eſt. Quapropter, cùm ex tam frequenti, atque opulenta ciuitate reliquiæ tantùm exiguæ ſuperfuerint, iure in ſolitudinem redacta dicitur Babylonia.

Babylon à varijs euerſa.

Regvla. In Scripturâ hyperbolicæ locutiones.

Sibilabit ſuper vniuerſis plagis eius.] Hæc à nobis explicata capite 49. verſu 17. vbi eadem ſunt verba.

Verſ. 14. *Omnes, qui intenditis arcum.*] Cùm loquatur Dominus ad omnes, qui vndecunque circunſtant Babylonem: ſed præcipuè ad Ælamitas, ideſt, Perſas, ſpectat vaticinium, quos valere plurimùm arte ſagittandi ſuperiùs diximus. Fortaſſe alij euocati, aut conducti milites ex Perſica diſciplina ſagittis vtebantur: ſic enim vſu plerunque venit, vt illud ſtudium plurimùm apud omnes valeat; quod probari videtur, & amari ab his, qui cum imperio ſunt aut poteſtate, aut in aliquo genere ab aliis in honore ſunt. Parcere iaculis, eſt, à iaculando manum abſtinere; aut certè moderatè ſe in iaculando gerere; ita vt de eo, quod quiſpiam poteſt, aliquid remittat. Id Dominus fieri in congreſſu vetat contra Babylonios, immo iubet, vt nemo quicquam virium, aut artis reliquum in ſagittando faciat. 32.

Verſ. 15. *Clamate aduerſus eam, vbique dedit manum, ceciderunt fundamenta eius.*] Vbi quid egregiè factum eſt, aut vbi ſucceſſus apparet illuſtrior, & magno ſtudio, atque ſudore quæſitus, vociferari homines ſolent, feſtiuóque plauſu ſuis ſatisfactum eſſe votis conclamare. Quod vſque adeò proprium eſt, & à natura datum animantibus, vt etiam, quæ ratione carent, in vi- 33.

ctoria clamare, atque exultare ſoleant. De gallis res eſt nota,& pene quotidiana:de tauris videtur idem docere proximus Ieremiæ locus : *Mugiſtis ſicut tauri,* Hebraice תצהלו *thiſhalu.* quod verbum exultationem, & feſtiuum plauſum importat: quare aliqui vertunt, *hinniſtis,* vt Chaldæus: alij clariùs, qui exultaſtis *ſicut tauri habita victoria*, vt Pagninus. Iubentur itaque Perſæ, & qui Perſarum auſpicia ſunt ſequuti, congratulari ſuæ Fortunæ, quòd Babylonem exciderint. Clamor autem iſte triumphalis, atque feſtiuus videtur eſſe bellicum illud celeuma, quod victores cantant, quódque ſuper Babylonem cantandum eſſe dicitur ſtatim cap.51. verſu 14. *Iurauit Deus per animam ſuam,quia replebo te hominibus, quaſi bruchio, & ſuper te celeuma cantabitur.*

34. *Vbique dedit manum.*] Variè hunc locum Doctores accipiunt; quidam diſſolutas eſſe putant Chaldæorum manus, neque iam ampliùs quidquam poſſe : ita Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon, & facit Septuaginta tranſlatio, quæ ita vertit : παρελύθησαν αἱ χεῖρες αὐτῆς. ideſt, *diſſolutæ ſunt manus eius.* Sed optimè vertit noſter; neque obſcura ſententia. Dare etenim manus, ſeruitutis eſt ſignum, quia traduntur hoſtibus colligandæ, ſicut Threnorum 5. clamant Solymitani iam captiui, & ſerui : *Ægypto dedimus manus, & Aſſyriis, vt ſaturaremur panibus.* Neque, puto, aliquid aliud ſibi volunt manus conſertæ, & ſupplices, quas Chriſtiani ad orandum de more componunt, quàm ſeruitutem profiteri coram Domino, à quo vinciri manus volunt, & eius voluntati alligari perpetuò: aut certè porrecta manu partam ab hoſte victoriam de nobis confitemur. Qui dicendi modus apud Latinos frequens. Cicero de amicitia, *Ad extremum det manus, vincique ſe patiatur.* Et Turnus apud Virgilium libro 12.

Dare manus quid?

——*viciſti,& victum tendere palmas*
Auſonij videre:tua eſt Lauinia coniunx.

Vbique ergo manum dedit Babylon, quia cùm repentino,atque inſperato incurſu foret oppreſſa, & homines magis ad feſtiuas epulas eſſent, quàm ad reſiſtendum parati, omnes non tam abiectis, quàm non ſumptis armis, victos ſe manuum extenſione profeſſi ſunt. Hæc videtur ex omnibus ſententiis maximè eſſe ſoluta.

Sicut fecit facite ei.] Idem de Babylone Apocalypſis 18. verſu 6. *Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis, &c. in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.* & Abdias de Edom verſu 15. *Sicut feciſti, fiet tibi.*

35. Verſ. 16. *Diſperdite ſatorem de Babylone : & tenentem falcem de tempore meſſis.*] Ceſſaturam eſſe dicit ſementem, & meſſem de Babylonicis agris, ídque ab adiunctis explicat, ſeu potiùs à cauſarum remotione: ſi enim ſator intereat, neceſſe eſt, ceſſet quoque ſementis; quæ nonniſi à ſatore fieri poteſt, ſi meſſor defecerit: is enim eſt, qui falcem tenet vtique meſſoriam, deficiet etiam proculdubio meſſis. Quare his verbis nihil puto ſignificari aliud, quàm in Chaldæorum agris non iam ampliùs fore agriculturæ locum, Babyloniis nempe:nam Perſas, & qui pro Babyloniis terminos illos occuparunt, non arbitror permiſſuros,vt tam felices, ac vberes agri à cultura vacarent.

36. *A facie gladij columbæ.*] Ex hoc loco, capite 26, ad eadem verba probauimus, columbam in vexillo non eſſe proprium Chaldæorum inſigne, quando ab eo ſigno fugituri dicũtur Babylonij, qui ſane non fugerent à ſuo. Quid porro ſignificet *gladius columbæ*, diximus ſuprà capite 25. & cap.46.

37. *Grex diſperſus Iſraël, leones eiecerunt eum.*] Rationem reddit Dominus, cur male mulctandi ſint, & omnino delendi Babylonij; quia nempe ipſi eadem inuexere mala Iudæorum genti. Quare ſi ipſi, exciſſa Hieroſolyma, ac templo, ipſum quoque viſi ſunt Iudæorum genus, & nomen extinxiſſe, &, vt nuper audiuimus, ſtatutum eſt, vt qualia facit, talia patiatur, & poculum hauriat, quod aliis propinauit; ſanè æquum eſt, vt ipſi quoque funditus intereant, aut è ſuis excluſi ſedibus egeni viuant, & omnium iniuriis, atque ludibrio pateant. Agit autem hîc de toto Iſraël, ideſt, de duodecim Tribubus, quarum decem Aſſyrius, reliquas duas abduxit Babylonius: vterque autem in datas ſibi Tribus ſic exarſit, ſæuiítque inclementer, ſicut in gregem mutum, & infirmum inſurgunt leones, qui partim lacerant, partim conturbant, atque diſpergunt oues.

38. Verſ.17. *Primus comedit eum Rex Aſſur : iſte nouiſſimus exoſſauit eum Nabuchodonoſor.*] Iſraëlitici generis carnes appellat decem Tribus; quia ſicut caro conueſtit oſſa, ſic Tribus aliæ circunſtabant Ieruſalem, & templum, quæ tanquam oſſa Iſraëliticum nomen cum dignitate ſuſtentabant. Quandiu autem oſſa in animali ſuperſunt, conſumptis macie carnibus, vt in morbis longis vſu venit, ſpes eſt ægro corpori melioris ſtatus, & confirmandæ valetudinis : qualem habere potuit Iſraël, cùm dixit Threnorum 4. *Adhæſit cutis eorum oſſibus.* & Iob.capite 19. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.* tunc enim ſpes erat & retinendæ vitæ, & recuperandæ valetudinis. At ſi ad carnes macie, tabéque conſumptas accedat quoque oſſium ſiue detractio, ſiue contritio, actum eſt omnino de animalis vita, quia corporeæ fabricæ fundamenta ceciderunt. Id ergo fecit ad extremum Nabuchodonoſor, exciſſa vrbe regia, & templo ſubuerſo, quæ ſtatus Iſraëlitici oſſa, ac fundamenta cenſeri poterant: cùm ibi eſſet ſacerdotium,& regnum,quæ Rempublicam totam in officio,atque ſtatu continent, & ſuſtentant,ſicut oſſa corpus.

39. Porro, *exoſſo*, non ſignificat ſolùm *oſſa detrahere*, tametſi hoc frequentiùs, ſed etiam oſſa comminuere. Plautus in Amphit. *Exoſſatum eſſe oportet, quem probè percuſſeris.* Et quia quod exoſſatum eſt, ideſt, cui detracta ſunt, aut confracta oſſa, ſine viribus, abiectum, & deſpectum eſt, fit, vt quæ vilia ſunt, aut quæ patronum, aut defenſorem non habent, exoſſata dicantur.In hunc, credo,ſenſum dixit Perſius Satyra vltima, vt putat, me iudice,bene & acutè Marcilius:

Exoſſatus ager iuxta eſt.——

ideſt,debilis, caducus, exhauſtus, qualia eſſe ſolent, quæ ſine oſſibus ſunt. Exoſſauit ergo Nabuchodonoſor Iſraël, quia regioné illam fregit, & exhauſit, & quaſi caducam reddidit, vt quicunque velit, in eam irrumpat, quaſi à poſſeſſore vacuam. Iuxta hæc commodam habet explicationem illud Threnorum capite 1. *Miſit ignem in oſſibus meis.*

40. Verſ.18. *Sicut viſitaui Regem Aſſur.*] Cùm neque mitior fuerit Nabuchodonoſor in duas Tribus, quàm in decem fuerat quondam Aſſyrius, non minori ſupplicio dignus eſt, quàm ille:quare vt Aſſyrium imperium extinctum eſt,ſic etiam extinguetur Babylonicum.

Verſ.19.

41. Verſ.19. *Et paſcetur Carmelum, & Baſan.*] Vbi ſubacta fuerit, & domita Chaldæorum potentia, reſtituetur Iſraël in antiquam poſſeſſionem, & gloriam; & qui priùs anguſtè non tam duxerat, quàm tolerauerat vitam, idem non iam parcè, ac modicè, ſed delicatè, ac molliter in patria deget. Vt enim olim Carmelum habuit, Baſan, & Galaad, vnde quidquid eſſet ad voluptatem, & luxum, abundè capiebat: ſic etiam in eoſdem montes, & pabula reſtitutus, ex iis eadem, quæ priùs capiet emolumenta. Vt autem priùs loquutus de populo fuerat, tanquam de grege diſperſo, comeſo, atque exoſſato, ſic nunc ſub eadem metaphora de populo loquitur iam pingui, ac nitido, iam firmo, atque robuſto. Neque ſanè fruſtra, cùm illi pabulum præſtent opportunum, & lautum Carmelus, & Baſan, quibus nil Iudæi in ſuis finibus habuêre commodius. Eſt autem legendum, *paſcetur Carmelum*, vt habent codices Sixtiani, non *Carmelus*. Illud verò *paſcetur*, ad gregem pertinet; neque id abeſt à Latinorum vſu, qui hoc loquuntur modo: *Grex paſcitur herbam, frondes, gramen, &c.*

42. Verſ.20. *Quæretur iniquitas Iſraël, & non erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur.*] Hic duo nobis expendenda; alterum, an cum duabus decem quoque Tribus Iſraël ab exilio redierint, conſederintque in Carmelo, Baſan, & Galaad; atque ibi delicatam vitam, & rebus omnibus affluentem traduxerint; de quo quid cenſendum ſit, diximus ſuprà numero 12. Alterum, *iniquitatem*, & *peccatum* ſumi pro pœna, quæ peccato, atque iniquitati proponitur, aut infertur: qua de re nos pluribus ad illud Zachariæ capite 3. *Ecce abſtuli à te iniquitatem.* & ad illud capitis 14. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium.* vbi peccatum, & iniquitas pro ipſorum effectu, ideſt, ſuppliciis vſurpantur. Eodem ſenſu peccatum ſumitur Machabæorum libro 2. capite 12. *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* ideſt, à pœnis. & 1. Petri capite 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo.* ideſt, peccatorum ſupplicia. Quæretur ergo iniquitas, & peccatum, & non inuenietur, quia ſoluentur, & vaneſcent illa ſupplicia, quæ propter iniquitatem, & peccata populus dependerat: nempe, ſqualor, ſeruitus, inopia, macies; & ſi qua ſunt alia, quæ numerantur in malis. Porro vſitatum eſt in ſacra Scriptura, vt, *ſi*, conditionalis particula ſuppleatur, vt diximus ad illud Pſalmi 67. *Infirmata eſt, tu verò perfeciſti ea.* ideſt, ſi infirmata fuerit, perficies. Erit igitur ſenſus: Si quis ſupplicium populi requiret, non inueniet: quia nullæ apparebunt antiquæ calamitatis reliquiæ. Si verò in *peccato*, atque *iniquitate*, idola conſideres, quæ poſt captiuitatem exterminata ſunt à Iudæorum finibus, habes, quos ſequaris, neque paucos, neque ignobiles; ſed placet magis expoſitio prior.

Iniquitas, & peccatū, pro peccati pœna.

REGVLA. *Si, conditionalis ſupplenda.*

43. Verſ.21. *Super terram dominantium aſcende, &c. diſſipa, & interfice.*] Dubium eſt, ad quem ſpectent verba iſta minacia; ad Ieremiámne, vel ad congregationem illam Gentium, de qua ſuprà, numero 9. præſertim ad Perſas, & Medos. Vtrũuis dixeris, ſatis eſt probabile, & ad textum idoneum. Si ad Ieremiam accommodas, memineris oportet, ex vſu Scripturæ id ab aliquo fieri dici, quod aliquando faciendum eſſe denunciat. Quo ſenſu Iſaias capite 6. excæcaturus dicitur Iudæorum cor, & aures eius aggrauaturus, quia

REGVLA. *Id aliquis dicitur facere, quod faciendum denunciat.*

A excæcandum dicet cor, & aggrauandas Iudæorum aures: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Vide quæ ibi diximus. Eundem in modum aſcenſurus dicitur eſſe Ieremias, diſſipaturus, & occiſurus: quia, Domino præcipiente, clamabit, aſcenſurum hoſtem, diſſipaturum vrbem, interfecturum ciues; veruntamen placet magis, ſi hęc ad Perſas referas, & Babylonici nominis inimicos; quos Dominus vrget, inſtimulátque, vt quamprimùm aſcendant, euersáque vrbe, dominatricem illam, atque ſuperbam gentem aut occidant, aut diſſipent; ſiue, vt accommodata diſtributione, ciuitatem diſſipent, ciues extinguant.

B Verſ.22. *Vox belli in terra, & contritio magna.*] 44.
Quia breui Cyrus rem peregit Babylonicam, & obſeſſis contigit ſubita, atque inopinata cædes; ſeu quia in Babylonis fines non tã irrupit, quàm inuolauit Perſicus exercitus, quod potiùs reor; ideo duobus verbis magnos ſignificauit bellorũ motus, & ciuitatis ruinam. Quaſi dicat Propheta, Audire iam videor bellicum ſtrepitum, tubarum clangorem, & hoſtile celeuma, & videre, quàm graui lapſu moles tanta ceciderit. Ex vſu verò ſacræ Scripturæ, nominatiuus ſine verbo, atque abſolutè ponitur; quomodo ſæpe audis, *Vox clamantis*; *Vox dilecti pulſantis*; & ſtatim verſu 28. *Vox fugientium*; & ſimilia. ſic ergo nunc,
C *Vox belli*, vbi commodum aliquod verbum ſubauditur.

Verſ.23. *Contritus malleus vniuerſæ terræ.*] Pro- 45.
uerbiali, vt reor, ſpecie Chaldæorum imperator PROVE.
malleus vocatur vniuerſæ terræ, tam ſibi ſubiectæ, quam tyrannicum in morem durè vexabat, ac conterebat, quàm alienæ; cui infenſis armis nullum dabat otij, atque quietis tempus, & magnis quotidie afficiebat incommodis. Vt autem malleus dura comminuit, neque illi ſaxa inſuperabilem obiiciunt duritiem (vnde illud apud Ieremiam 1. capite, *Sicut malleus conterens petras*) ſic Nabuchodonoſor conterebat dura, neque quicquam erat tam ſaxeum, aut adamantinum, quod
D ſtare poſſet inuiolatum, & integrum, ſi accederet illius mallei vis inſuperabilis. Hoc idem dixerunt antea apud Iſaiam capite 14. Reges terræ, quos inſtar mallei Rex iſte contuderat. *Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes?* & ſtatim: *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram? qui concuſſit regna? qui poſuit orbem deſertum? Quomodo cecidiſti?* De huius mallei allegorico ſenſu vide Gregorium libro 34. Moralium cap.10.

Verſ. 24. *Illaqueaui te, & capta es Babylon, &* 46.
neſciebas.] Captam vocarat antea Babylonem, atque contritam; nunc modum oſtendit: cùm enim nihil minùs, quàm de fortunæ mutatione cogitarent Chaldæi, cùm epulis, & vino nocturnam operam impenderent, ab omni alia cura, metúque ſoluti, illaqueati ſunt, ne fugerent, ſicut fe-
E ræ, quæ vbi comprehenſæ ſunt laqueo, extricare ſe inde, atque effugere non poſſunt. Illud, *& neſciebas*, alienant cogitationem, & animum ab inſidiarum ſuſpicione oſtendit. Priùs enim in hoſtium poteſtatem ciuitas venit, quàm opprimendæ, aut capiendæ ciuitatis formido. Vide Herodotum libro 1. & Xenophontem libro 7. Cyropediæ, & omnium maximè Danielem, qui capite 5. eadem nocte, quam feſtam habuerunt Babylonij, celebrarúntque ſympoſiis, captam fuiſſe dicunt ciuitatem ab hoſtibus.

Verſ.25. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum, & pro-* 47.
tulit

tulit vaſa iræ ſua.] Incredibile alicui videri pote- A
rat, ciuitatem tantam, totius orbis penè caput,
egregie munitam, tam facili, tamque inopinato
modo ſubiugari potuiſſe. Sed mirabitur nemo,
dummodo conſideret, illius belli Dominum au-
ctorem extitiſſe, illiuſque auſpiciis rem totam
Arma Dei quæ eſſe comparatam. Ipſe enim aperuit theſaurum
ſuum, ideſt, armamentarium, vnde deprompſit
tela, armáque reliqua, quibus nihilo difficiliùs
ſterni potuit inimicorum potentia, quàm à ven-
to diſſipantur ſtipulæ, aut diflatur fumus. Ar-
mamentarium Dei appellat Iob capite 38. gran-
dinem, & niuem, & quæ è nubibus aut emicant
fulgura, aut vibrantur fulmina: *Nunquid ingreſ-
ſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti,* B
quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?
Arma item Dei ſunt ex aperto theſauro exprom-
pta, tam ſpiritus timoris, qui manus diſſoluit, &
genua debilitat, quíque in fugam conuertit, ne-
mine perſequẽte: quàm ſpiritus ſtuporis, ac ſecu-
ritatis, qui facit, ne homo aut ſibi, aut rebus ſuis
caueat; cùm nihil putet eſſe timendum, qualem
Chaldæorum animis videtur immiſiſſe; qui quo
tempore attentiùs eſſet excubandum pro patria,
indulgebant ipſi immoderatis epulis, & vino ſe
Vaſa iræ quid intemperantiùs obruebant. Porro vaſa iræ ex vſu
ſacræ Scripturæ actiuè ſumuntur, & paſſiuè: paſ-
ſiuè quidem, pro his, in quos infenſi Domini te-
la torquentur: puto, pro Aſſyriis ante hoc tem- C
pus, & hoc ipſo articulo pro Babyloniis, qui in
ſuo corpore Diuini armamentarij iacula ſuſce-
pere. De quibus Paulus ad Romanos capite 9.
verſu 22. *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & no-
tam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia
vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ
ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Vaſa verò iræ actiuè ſunt
inſtrumenta, quibus ad peccatorum interitum
vtitur Deus, quæ Pſalmo 7. dicuntur *vaſa mortis*;
qualia ſunt tela, fames, peſtis, fulmina: denique
creaturæ omnes, quas Dominus armauit *ad vltio-
nem inimicorum.*

48. *Quoniam opus eſt Domino Deo exercituum in terra
Chaldæorum.*] Quemadmodum cùm artifex ha- D
bet aliquid negotij, quod quàm optimè, & quàm
ocyſſimè expeditum eſſe oportet, omne aduocat
inſtrumentum, quod inſtruit opificem, & artem
adiuuat: quomodo cæmentarius malleum aſci-
ſcit, cuneos, & vectes, & reliqua illius operis
ferramenta; ſic, quia Deo aliquid eſt operis, ac
negotij in terra Chaldæorum, nempe, vt illam
diruat, & adæquet pulueri, ex theſauro, ideſt, ex
armorum, aut inſtrumentorum conceptaculo in-
ſtrumentum depromit; arma videlicet Perſarum,
& quæ Chaldæorum obtundunt ingenium, & vi-
res debilitant, & eneruant. Vt autem Deus ſtre-
nuè aggreditur, perficitque quod deſtinarat
animo, ſic quos ad opus ſocios, & adminiſtros E
aſſumit, torpere non patitur. Vide quàm inſtet
ardenter; quanto ſtudio acuat, & inflammet
Perſarum animos, quorum armis expugnare vo-
luit Babylonem verſu 21. *Aſcende,* inquit, *viſita,
diſſipa, interfice.* habuit etiam opus capite 48. verſu
10. contra Moab, quale nunc contra Babylo-
nem; illos verò, qui in eo negotio negligenter
ſe gerunt, maledictis configit. Dixerat priùs de
Moab, *Ciuitates eius deſertæ erunt, & inhabitabiles.*
addit: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter,*
(aliter, *negligenter*) *& maledictus, qui prohibet gla-
dium ſuum à ſanguine.* nam id operis Dominus ha-
bebat contra Moab.

Verſ. 26. *Venite ad eam ab extremis finibus; aperi- 49.
te, vt exeant, qui conculcent eam: tollite de via lapides,
& redigite in aceruos.*] Magna vis eſt in hoc agen-
di modo, qui per imperatiuos ſæpius iteratos
aliquid denunciat, quíque in oſtiuo neminem
torpere ſinit. Simile habent ſæpe ſcriptores
profani. Vnum ex Virgilio accipe libro 4.

> *Ferte citi flammas, date vela, impellite
> remos.*

& in Scriptura ſacra millies. Iſaiam audi capite
62. verſu 10. vbi eadem fermè, quæ nunc Iere-
mias: *Tranſite, tranſite per portas, præparate viam
populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate
ſignum.* Eadem loquendi figura eſt capite 51. verſu
10. Variè Interpretes hunc locum vertunt, variè
item exponunt. De tranſlatione poſteà: nunc de
expoſitione vulgati textus. Ego verba hæc aſyn-
theta ad varios refero, qui aliter, atque aliter Di-
uino obſequũtur imperio, ac ſtragi ſtudẽt Babylo-
niceæ. Illud, *venite*, ad Perſas ſpectat, qui ab ex-
tremis finibus imperij Babylonici euocantur, vt
rem totam peragant. *Aperite*, ad alios, quibus id
negotij mandatur à Domino, vt omnia ſummo-
ueant impedimenta, quæ incitatum Perſarum
curſum remorari poſſent; quales ſunt oppoſiti
montes, aſperæ ſilicibus viæ, & ſi quid eſt aliud,
quod ſe properantibus opponat. Illud, *aperite*, ad
Angelos ſpectare arbitror, qui clauſtra remoue-
re iubentur illa, quæ Perſarum illatenus cohi-
buerunt ardorem, & ambitioſum pugnandi, &
dominandi deſiderium. Vt enim habes apud Za-
chariam capite 6. imperia quatuor in totidem
ſignificata quadrigis, quibuſdam arcebantur
clauſtris, quæ feroces animos, & erumpere inde
geſtientes morabantur, non ſecus atque in circo
equorum curſus obiectis carceribus, & quaſi re-
pagulis ſuſtinetur. *Ecce* (inquit) *quatuor quadri
gæ egredientes de medio duorum montium, & montes,
montes ærei.* Hi itaque montes aperiendi dicuntur,
vt inde Perſæ ad victoriam à Domino paratam
erumpant. Quod de Cyro Perſarum duce non
diſſimili verborum forma prædixit Iſaias capite
45. *Aperiam* (inquit) *coram eo ianuas, & portæ non
claudentur,* &c. *portas æreas conteram, & vectes ferreos
confringam.* Hæc itaque impedimenta remouiſſe,
& hæc reſeraſſe clauſtra videntur Angeli, qui
tantum belli pondus, & molem vſque adeò im-
peditam, & tardam è Perſicis finibus extraxe-
runt, vt conculcent eam, nempe, Babylo-
nem.

Tollite de via lapides, & redigite in aceruos.] Hæc 50.
ad alios mandata ſunt, qui expedire, atque com-
planare viam præcipiuntur, nequid ſit, ad quod
offendant Perſarum veſtigia, & in quo ſuperan-
do aut aliquid ponendum moræ, aut aliquid mo-
leſtiæ exſorbendum ſit. Mandata hæc data eſſe
arbitror his, qui ſternendæ viæ curam habent, *Viarum ſtratores.*
quíque ſtratores familiari iam vocabulo, ſeu cu-
ratores viarum appellantur, Hiſpanicè autem
gaſtadores; qui antecedunt Principes, cùm iter
inſtituunt, aut caſtra, vt paucorum hominum la-
bore, ingentis multitudinis moleſtia leuetur.
Quod curaſſe dicitur Veſpaſianus, vt tradit Io-
ſephus libro 3. de bello Iudaico, capite 5. qui
ſtratores præmiſit viarum, qui ſyluas præcide-
rent, & aſpera, atque ſalebroſa complanarent.
Quod etiam maiori labore perfecit Annibal, qui,
quò minùs eſſet caſtrorum inceſſus impeditus,
obſtantes Alpium rupes aperuit. de quo Satyri-
cus Satyra 10.

—oppo

——— *oppoſuit natura Alpémque, niuémque,*
Deducit ſcopulos, & montem rumpit aceto.

E diſciplina igitur militari, vt reor, edicitur ſtratoribus, ſeu curatoribus viarum, vt lapides è via remoueant, & cogant in aceruos, ne ſubſiſtere aliquantulùm neceſſe ſit Perſarum exercitum.

Et interficite eam.] Ad Perſas redit, quibuſcum in principio locutus fuerat: edicítque quid factum velit; nempe, vt occidant, diſſipent, & quæ ad verſum vſque 28. continentur.

51. Nunc ad Septuaginta tranſlationem accedo: *Quoniam venerunt tempora eius; aperite apothecas eius; ſcrutamini eam quaſi ſpeluncam.* Et eodem ferè modo conuertunt alij ferè omnes à Vulgato: iuxta quā tranſlationem hæc videtur eſſe ſentētia: quia Babylonici Imperij finis impendet, adeſte, ô Perſæ, & quicquid opum, quicquid ornamentorū eſt in Chaldæorum apothecis, id totum exhaurite; ſcrutamini attētè, omni adhibita ſolertia, perinde atque illi, qui ſpeluncas, & ſubterraneas voragines, accenſis lucernis perſcrutantur: ita vt nihil lateat perſpicaces oculos, nihil effugiat ſollicitas manus. Hæc breuiter de hac tranſlatione. Vnde oriri potuerit tanta in vertendo varietas, dicere ſuperſedeo, quia res eſt ieiuna, neque iis, qui Hebraicè neſciunt, quorum maior eſt numerus, neceſſaria.

52. Verſ. 28. *Vox fugientium, & eorum, qui euaſerunt de terra Babylonis, vt annuncient in Sion vltionem Domini.*] Hæc videntur includenda parentheſi, vſque ad illud, *Annunciate in Babylonem:* ab illo etenim loco pertexitur exhortatio, quæ homines ad euertendam Babylonem inſtimulat. Qui ſint hi, qui fugerunt, & qui à communi ciuitatis incendio liberi, Sioni de Babylone capta iucundum attulerunt nuncium, incertum eſt. Quidam Babylonios putant, qui cùm in partes omnes propter metum, quem ex Perſarum felicitate conceperant, eſſent dilapſi, ad Hieroſolymam appellentes clamabant, actum iam eſſe de Babylone, & talia à Perſa victore pertuliſſe, qualia priùs fuerant à victore Chaldæo paſſi Iudæi. Quod mihi improbabile non eſt, quia & fieri potuit non difficilè, & textus ipſe non inuitus admittit. Sed placet magis quod putant Hebræorum magiſtri, quorum ſententiam probat Maldonatus, illos fuiſſe Iudæos, qui cùm captam viderent ciuitatem, neque illius magno tenerentur amore, vbi primùm inde euolare potuerunt, quia tunc non prohibebat Chaldæorum imperium, qui magis de vita conſeruanda, quàm de retinendis captiuis cogitabant, emerſerunt ex vrbe, & ad antiquas ſedes aduolarunt, attulerúntque nuncium, quod non potuit eſſe non iucundum: tum quòd Deus vltus eſſet Chaldæorum iniurias; tum quòd ſæpius audierant, cùm caderet ſuperba Babylon, Solymitanis exulibus in patriam fore remigrandum. Neque huic cogitationi incommodat, quod per Cyrum dicitur facta Iudæis reuertendi facultas, quia illa publica fuit, & ſine vllo vel metu, vel periculo, publicè quiuis remigrare potuit. At ſemper cuilibet ſuo periculo licuit: cùm verò tunc nullum eſſet à Babylone periculum, multos reuertiſſe non eſt incredibile, quamuis edictum nullum eſſet à Cyro.

53. Verſ. 29. *Annunciate in Babylonem plurimis: omnibus, qui tendunt arcum.*] Edici iubet Dominus, immo ipſe Dominus edicit ſagittariis omnibus,

A & iaculatoribus, vt contra Babylonem conſiſtant, & quicquid virium, aut artis habent, in illius conferant exitium. *Plurimis*, ab, *omnibus*, diſpungo; quia aliter & ſententia eſſet paulò obſcurior, & modus ipſe loquendi non ſatis Latinus: tunc verò in hunc modum ſententiam informo: Annunciate plurimis iaculatoribus, vt ſpicula in Babylonis interitum expromant; immo omnibus his, qui vibrare ſolent ſagittas ab arcu. In his verò intelliguntur Perſæ; qui, vt dixi, ex arcu, & pharetra magnum ſibi apud omnes gentes nomen pepererunt. Textus Hebraicus, quem nunc habemus, ad verbum ſic habet: *Annunciate contra Babel multis: omnes tendentes arcum caſtrametamini contra eam. Annunciare* autem hoc B loco idem eſt, quod euocare, aut congregare, quod voce plerunque fit aut alio publico, ac militari ſigno, vel clangore. Verbum Hebraicum השמיעו *haſmiu*, tantùm ſignificat, audire facere: neque definit, quódnam ſit illud quod auditur. Cætera ad verſum 33. explicatione non egent.

Verſ. 33. *Calumniam ſuſtinent filij Iſraël, & filij Iuda ſimul: omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere.*] Verbum עשק pro quo, *calumniam ſuſtinent*, reddidit Vulgatus, vim quandam ſignificat, ſiue in iudicio, quæ per dolum fit, cùm iniquis iudiciis aliquis opprimitur, ſiue aliquo alio modo bonis ſpoliatur, & vim iniquè patitur. Puto autem hîc metaphoram ſumi à re iudiciali, C quod indicat *calumniæ* nomen, quod extra iudicium, & forum auditur rarò. Vt ergo aliquis per fraudem, & calumniam iudicio damnatur, euertitur bonis, in vincula coniicitur, aut ſeruitutem cogitur ſeruire duram: ſic filij Iſraël, & Iuda calumniam videntur ſuſtinuiſſe, in corruptiſſimo Chaldæorum foro, apud quos captiui, & quaſi in vinculis tenentur; neque inde permittuntur poſt tot annos ſecuram lucem, & libertatem aſpicere: & ideo ad hanc metaphoram accommodatè ſubditur 54.

Verſ. 34. *Redemptor eorum fortis, &c. iudicio defendet cauſam eorum.*] Ita qui iudicio, & armata manu filios Iuda in vincula coniecère Babylonij; 55.
D ſed non eſt adeò Iudæorum cauſa deſtituta, vt patronum non habeat, qui vt benignus velit, & vt fortis poſſit illorum cauſam egregiè tueri, ſiue in iudicio, ſi res ad ius, & æquitatem deducitur, ſiue in acie, ſi non tam legibus, quàm armis tranſigenda videbitur controuerſia.

Verſ. 35. *Gladius ad Chaldæos.*] Hîc nihil obſeruandum præter dicendi modum, quo aut malum iam impendere ſignificatur, aut venturum prædicitur, idque graue, & omnibus commune: cùm non vno verbo vniuersè, ſed ſingulatim omnibus exitium denunciatur. Sic infra capite 56.
E 51. verſu 21. ad verſum 25. *Collidam in te virum, & mulierem, & collidam in te ſenem, & puerum.* Sic Ieſus Ananiæ filius, vt tradit Ioſephus libro 7. de bello capite 12. cùm inſtaret Hieroſolymis extrema calamitas, clamabat: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hieroſolymam, & templum, vox in maritos nouos, nouáſque nuptas, vox in omnem hunc populum.* Eſt autem grauior ad motum illa dicendi ratio, quæ ſingula dinumerat: habet enim neſcio quid diſcreta partium diſtributio, quæ ſingula ſpectanda proponit, quàm rerum omnium ad vnam vocem contracta confuſio, quæ obſcurat, & inuoluit

uit omnia, & eripit potiùs, quàm repræſentat oculis. Reliqua ad verſum 38. interprete non indigent.

57. Verſ. 38. *Siccitas ſuper aquas eius erit.*] Nihil prætermiſerat, quod ad ciuitatis ornamentum, ſeu munimentum pertineret, quod non horribili, atque fulmineo ſono cóncuſſerit. Addit nunc aliud, quod ad ciuitatis vſum, atque delicias pertinebat, cui videbatur eſſe parcendum, quod liberum futurum eſſe negat à communi plaga. Abundabat Babylon aquis ab Euphrate, qui mediam interfluebat ciuitatem; quam quia multis in locis, obductis molibus ſtagnabat, mare vocata eſt, tum ab Iſaia capite 21. qui ſic de Babylone ſubuerſa: *Onus deſerti maris*; tum à Ieremia capite 51. verſu 36. *Deſertum faciam mare eius.* Quomodo verò aut mare illud deſertum factum fuerit, aut aquis Babylonicis inducta ſiccitas, explorandum eſt. Duas ego hîc explicariones inuenio, figuratam alteram, alteram propriam. Periiſſe dicimus aliquid, quantumcunque illud vigeat, & floreat, quando alicui non iam ampliùs futurum eſt vſui: quomodo his, qui in tenebris ſunt, periiſſe dicimus Solem: & qui ex cæli conſpectu, propter animi angorem, voluptatem nullam capiunt, cecidiſſe dicuntur aſtra, & cæli ipſi quaſi volumen complicati: ſicut de Babyloniis dixit Iſaias capite 13. verſu 10. *Stellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Sic ergo, quia qui ab vrbe futuri ſunt extorres, ſeu qui in ea à victore Perſa relinquendi, ſic erunt ægro animo, vt interfluentes aquæ nihil ſint allaturæ lætitiæ, ideo Babylonicis aquis inducenda prædicitur eſſe ſiccitas, quia Babyloniis perinde erunt, ac ſi Euphrates totus exaruiſſet.

58. Sed puto, propriè hîc explicari prophetiam debere, ita vt re ipſa aut exaruerit fluuius, aut ſic acceptus fuerit à Perſis, vt exaruiſſe videri potuerit. Notum eſt ex Herodoto libro 1. & Xenophonte libro 7. à Cyro in plures riuos deriuatum Euphratem; effectúmque, vt per antiquum alueum languenti, & penè exhauſto flumine, in mediam vſque ciuitatem tutò, ac ſine magno temporis, rerúmque diſpendio, hoſtes penetrare potuerint. Hoc planè eſt, ſiccatas eſſe aquas, quod nomen ex Scripturæ vſu habere poſſunt: ſi magna ex parte ab antiqua mole, atque abundantia defecerint.

59. Verſ. 39. *Propterea habitabunt dracones cum Faunis ficariis.*] Nihil aliud, credo, dócet hoc loco Ieremias, quàm quod de eadem Babylone tradidit Iſaias capite 14. qui derelictam à cultoribus ciuitatem habitandam eſſe dixit ab immundis feris, à lemuribus, & ab his, quos ſylueſtres deos appellat deluſa Gentilitas: *Requieſcent* (inquit) *ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi.* Ad quem locum, & ad hunc, quem modò verſamus, alluſit ſine dubio Ioannes Apocalypſis capite 18. qui ſic de Babylonia: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Quæ ſint hæ feræ tam apud Iſaiam, quàm apud Ieremiam, incertum, neque credo certò à quoquam explicari poſſe. Illud credo certum, immundas eſſe volucres, & impuros ſpiritus, quia ſic videtur vtrunque locum expoſuiſſe Ioannes, dum volucres appellat immundas & odibiles, & ſpiritus item immundos.

60. De Faunis ficariis aliquid obſeruandum; in quibuſdam codicibus legebamus, *cum fatuis ficariis,* quæ lectio nonnullos diu torſit; quia re vera diuinare non poterant, quinam eſſe poſſent hi ficarij fatui, aut cur in euerſæ Babylonis ruinas aduocari potuerint. Maldonatus in *fatuis* Faunos agnoſcit, & agreſtes deos, vt fermè plerique alij; & putat legendum eſſe *ſiccariis,* non *ficariis,* à ſolitudine ſicca, & ſiticuloſa, quam inhabitant. Sed cùm iam in Bibliis Sixtianis *cum ficariis* habeamus, res erit nobis minùs impedita. Sunt autem Fauni, quos, credo, Iſaias ſuprà piloſos appellat, monſtra quædam, quæ finxit antiquitas ex humana, belluinaque natura compoſita; quales centauri ſunt, aut onocentauri, ſyluani, ſatyri, qui à Poëtis capripedes vocantur, biformes, aut bimembres. Hi verò ficarij dicuntur, quia caprificis aluntur, aut ſycomoris, quæ ſylueſtres ſunt plantæ, & Palæſtinæ familiares, præbéntque ruſticis, & agreſtibus inſulſos, atque ſylueſtres cibos, qualibus veſcebatur ruſticus Amos, dum armenta paſceret, qui de ſe ipſo capite 7. ita loquutus eſt: *Armentarius ego ſum vellicans ſycomoros.* Quòd pro *ficariis, ſicariis,* ſuppoſitum aliquando fuerit, fecit duarum vocum ſimilitudo: præſertim cùm vox Græca σύκον, quæ ficum ſignificat, primam literam habeat cum ſicariis communem: quare eodem ſenſu diceres *cum ſicariis.*

Fauni ficarij qui?

Amos 7.

61. Illud ad extremum obſeruandum, Hebraicam vocem איים *hiiim,* pro qua Vulgatus *Faunos* reddidit, variis modis ab aliis ſolere conuerti, immo & à Vulgato aliis in locis; ex quo apparet, quàm parum illius vis, & ſignificatio comperta ſit. Iſaias capite 34. verſu 14. *onocentauros,* & capite 13. verſu 22. *vlulas,* hîc verò *Faunos.* Quare quid propriè ſignificet, etiam ex Hieronymi tranſlatione, nec diuinare quidem licet.

62. Verſ. 40. *Sicut ſubuertit Dominus Sodomam.*] Quomodo ſubuerſa dici poſſit Babylon, vt Sodoma, cuius informe quoddam buſtum magis apparet, quàm ruinæ, diximus ſuprà hoc eodem capite, numero 31. inde pete. Eadem adhibuit verba de Babyloniis Iſaias capite 15. verſu 19.

63. Verſ. 41. *Reges multi conſurgent à finibus terræ.*] Quínam ſint Reges iſti, qui de longinquo dicũtur eſſe venturi, qui ſcuto, & arcu valeant, ex Scriptura ſacra non conſtat; ſed eſt ſatis probabile, Regibus, quos ante hunc articulum Babylonicæ cladis ſubiugauerat, edixiſſe Cyrum, ſe vt ad expeditionem illam cum ſuo militari inſtructu ſequerentur. Cùm autem Reges multos domuiſſet, & alij præterea propter odium Babylonici nominis vltrò ſe auxiliares obtuliſſent, non eſt incredibile, in Babylonios ex terræ finibus cum Cyro coniuraſſe quàmplurimos. Qui verò fuerint tot illi Reges, tradit Xenophon libro 5. Cyropædiæ, & Herodotus libro 1. Hæ Gentes illæ ſunt, de quibus ſuprà verſu 9. *Adducam in Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis.*

64. Verſ. 42. *Crudeles ſunt, & immiſericordes.*] Quanta fuerit Perſarum, & aliarum gentium immanitas, qui cum Cyro in Chaldæorum exitium coniurarunt, ſignificauit Dauid Pſalmo 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Sed clariùs, & luculentiùs Iſaias capite 13. verſu 15. *Infantes eorum allidentur in oculis eorum, & vxores eorum violabuntur. Ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærunt, nec aurum velint, ſed*

Pſal. 136.

ſagittis

ſagittis paruulos interficient, & lactentibus viteri non A
miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum. Vide reliqua, cum quibus maxima ex parte conuenit hoc Ieremiæ caput.

65. *Vox eorum quaſi mare ſonabit.*] Mare cùm à ventis exagitatur, & tumet, fremitus edit horrificos; qui his quoque, qui è portu ſecuri proſpectant, timorem incutiunt. Aut igitur talis futurus eſſe dicitur Perſarum fremitus, cùm ad vrbem appellant, cùm concrepent, & conclament bellicum celeuma. Aut certè, quia quæ magna ſunt, ſumpta è mari ſimilitudine, explicari ſolent, dum quaſi mare futurus eſſe dicitur hoſtilis fremitus, haud dubio magnus fore ſignificatur, Threnorum capite 2. verſu 31. *Magna eſt velut mare contritio tua.* & capite ſequenti, verſu 42. Perſarum exercitus, qui Babylonem obſedit, cum mari comparatur. *Aſcendit ſuper Babylonem mare: multitudine fluctuum eius operta eſt.* Eadem prope ſimilitudine vocem Domini expreſſit Ioannes Apocalypſis capite 1. verſu 15. *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Priorem explicationem magis probo. Hæc fermè omnia, & iiſdem prope verbis adduxit Propheta capite 6. à verſu 22. ad verſum 25. cùm ageret de Chaldæis, & vaſtitate Hieroſolymæ. illa vide.

Verſ. 44. *Ecce quaſi leo.*] Hæc ad finem vſque capitis explicata ſunt capite præcedenti à verſu 19. vſque ad 22.

ARGVMENTVM CAPITIS LI.

IN hoc capite idem fermè tractat Ieremias, quod in præcedenti, paulò tamen magis explicate. Ad extremum, quæ dicta ſunt tam in hoc, quàm in præcedenti capite contra Babylonem, tradit Saraiæ, qui cum Sedecia Rege Babylonem adiit; iubétque, vt alligata ſaxo in flumen proiiciat: quod ſymbolum erat ſempiternæ ruinæ, quæ proximè impendebat Babyloniis.

IEREM. CAP. LI.

1. *HAec dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper Babylonem, & ſuper habitatores eius, qui cor ſuum leuauerunt contra me, quaſi ventum peſtilentem.* B

2. *Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam, & demolientur terram eius: quoniam venerunt ſuper eam vndique in die afflictionis eius.*

C

3. *Non tendat qui tendit arcum ſuum, & non aſcendat loricatus, nolite parcere iuuenibus eius, interficite omnem militiam eius.*

4. *Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, & vulnerati in regionibus eius.*

5. *Quoniam non fuit viduatus Iſraël & Iuda à Deo ſuo Domino exercituum: terra autem eorum repleta eſt delicto à Sancto Iſraël.*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. ECce ego, dicit Dominus, aduersùs Babylonem, & eius ciues, qui ceruicem inſolentem, & arduam leuauerunt contra me, Perſicum exercitum excitabo, qui inſtar venti peſtiferi vim quandam mortiferam inhalet.

2. Exercitus autem ille, qui fines Babylonicos inuadet, ſic ventilabit, diſpergétque ſubactam Babylonem, & procul à patria in omnes terræ fines latè diſperget, ſicut ventus vehemens, & acer ſtipulam ex area. Euertent quippe terram hoſtes, diſſipabúntque, ſicut ventilatores, qui vndique in illam quaſi aream conſpirabunt, quo tempore maior erit illius æſtus, & anguſtia.

3. Non erit opus in debellanda Babylone, vt ſagittarius arcum intendat, aut loricatus cominus cum hoſte concurrat: ſic enim tradetur hoſtis à Domino conſtrictus, vt ſine armis, atque vllo bellico conatu ſuperari poſſit. Agite ergo euocati milites ad Babylonicum exitium, iuuenes præcipuum Imperij robur interficite, & funditus Chaldæorum ſternite militiam.

4. Qui tam olim videbantur ſtrenui, atque potentes, omnes cadent in terra Chaldæorum, alij occiſi, alij vulnerati.

5. Hæc patientur Chaldæi, quia Dominus populi ſui curam non abiecit: neque enim Iſraël, & Iuda deſerti ſunt, ſicut

6. Fugite vxor

A vxor vidua à defuncto coniuge. Quare vltor Deus, quem colit Iſraël, Chaldæorum terram cædibus implebit, & ruinis, ſupplicio nēpe illorum ſceleribus non indebito.

6. Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam: nolite tacere ſuper iniquitatem eius: quoniam tempus vltionis eſt à Domino, viciſſitudinem ipſe retribuet ei.

6. Quando ergo tanta impendet ruina Babyloniis, fuga vos, ô Iudæi, à Babylone ſubducite, ne vos eiſdem implicetis incommodis. Et vos, ô Perſæ, nolite ceſſare, ſed potiùs ſedulò in pœnam, quæ illorum iniquitati debetur, incumbite: inſtat enim tempus, in quo Diuina illos vrget vindicta, quæ dignum pro meritis ſupplicium imponet.

7. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideo commotæ ſunt.

B 7. Propinauit quidem in Babylone Dominus tanquam in aureo, atque ſplendido calice vinum vniuerſæ terræ, quo inebriatæ ſunt Gentes, & à ſuo ſtatu, ac mente commotæ.

8. Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt: vlulate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur.

8. Cecidit repentè Babylon, & contrita eſt. Adeſte, ô medici, & qui illius vulnus curatis, aut doletis: vlulate, & plangite, & ad ſedandum dolorem reſinam adhibete, ſi quomodo illam à tanta plaga leuari contingat.

9. Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam, quoniam peruenit vſque ad cælos iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad nubes.

C 9. Admouimus Babyloni medicas manus, inquiunt, quibus id negotij datum eſt à Deo: neque quicquam omiſimus, quod morbi natura, aut ars, & medicina poſtularet; & tamen deſperata eſt ſalus. Deſeramus igitur eam, vt quid operam, ac medicamina perire patiemur? ſupplicium quippe, & vulnus eius à cælo eſt, & præ magnitudine ad cælum vſque perueniſſe exiſtimatur, & ad nubes ipſas aſcendiſſe.

10. Protulit Dominus iuſtitias noſtras: venite, & narremus in Sion opus Domini Dei noſtri.

10. Oſtendit, inquiunt exules Iudæi, Dominus iniuſtè nos multa paſſos à Babyloniis, dum illos tam ſeuerè, támque in-
D ſanabili vulnere percuſſit. Agite itaque, egrediamur hinc, & Sioni matri noſtræ Dei hoc inclytum opus annunciemus.

11. Acuite ſagittas, implete pharetras: ſuſcitauit Dominus ſpiritum Regum Medorum: & contra Babylonem mens eius eſt vt perdat eam, quoniam vltio Domini eſt, vltio templi ſui.

11. Comparate igitur, ô Babylonij, quantum volueritis, ad repugnandum præſidij, ſagittas acuite, cáſque eo numero vt pharetras impleatis: nihilo tamen minùs vobis pereundum eſt. Excitauit enim Dominus contra Babylonem ſpiritus Medorum furioſos, & acres, & eò eſt Dei intentus animus, vt illam excindat: vlciſci
E enim iam tandem vult, quam Sioni priùs, & templo ſancto iniuriam intuliſtis.

12. Super muros Babylonis leuate ſignum, augete cuſtodiam: leuate cuſtodes, præparate inſidias: quia cogitauit Dominus, & fecit quæcunque locutus eſt contra habitatores Babylonis.

12. Excitate ſignum ex editiſſimo murorum loco, & euocate milites, cuſtodes in ſua quoque ſtatione diſponite, eíſque ſeuerè edicite, vt excubias agant: in opportuno ciuitatis loco inſidias parate: erit omnino inutilis hæc, & quæcunque alia pro ciuitatis cuſtodia molirio: quia iam Deus ſtatuit Babylonios perdere, neque ſucceſſu carebit, quod Deus contra ciuitatem, & ciues animo deſignauit.

13. Quæ

13. O

13. *Quæ habitas ſuper aquas multas, locuples in theſauris: venit finis tuus pedalis præciſionis tuæ.* A

14. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam: Quoniam replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te celeuma cantabitur.*

15. *Qui fecit terram in fortitudine ſua, præparauit orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.* B

16. *Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cælo: qui leuat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit: & produxit ventum de theſauris ſuis.*

17. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia: confuſus eſt omnis conflator in ſculptili; quia mendax eſt conflatio eorum, nec eſt ſpiritus in eis.* C

18. *Vana ſunt opera, & riſu digna, in tempore viſitationis ſuæ peribunt.*

19. *Non ſicut hæc pars Iacob: quia qui fecit omnia, ipſe eſt, & Iſraël ſceptrum hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen eius.* D

20. *Collidis tu mihi vaſa belli, & ego collidam in te Gentes, & diſperdam in te regna:*

21. *Et collidam in te equum, & equitem eius: & collidam in te currum, & aſcenſorẽ eius.*

22. *Et collidam in te virum & mulierem: & collidam in te ſenem & puerum: & collidam in te iuuenem & virginem.* E

23. *Et collidam in te paſtorem & gregem eius: & collidam in te agricolam & iugales eius: & collidam in te duces & magiſtratus.*

24. *Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum ſuum, quod fecerunt in Sion, in oculis veſtris, ait Dominus.*

13. O Babylon, quam fluuiales aquæ circunfluunt, & irrigant, venit iam tibi nouiſſimus dies, impleta iam eſt menſura ſtragi tuæ, ac ſubuerſioni definita.

14. Iurauit per ſemetipſum Dominus exercituum, quoniam ingruent in te hoſtes ea multitudine, vt bruchorum agminibus, quæ confertiſſimè conuolant, conferri poſſint; qui cohortati ſe mutuo bellico celeumate ad cædem, & prædam inuolabunt.

15. Qui hæc tibi minatur, ô Babylon, & iureiurando confirmat, potens idem eſt, iurata complere: is enim terram omnipotente creauit fortitudine, & orbem ineffabili ſapientia fundauit, & admirabili conſilio cælos extendit.

16. Ipſe cum tonitru vim aquarum maximam effundit ex aëreo cælo: ipſe è terra nebulas eleuat, & vapores; ex quibus in aëre concreſcunt pluuiæ, quas ſimul cum fulgetris emittit: ipſe ex terræ conceptaculis, quaſi ex theſauris ſuis ventos euocat.

17. Homines, etiam ſi nihil adſit aliud, à ſua tamen ſcientia coargui ſtuporis, atque dementiæ poſſunt, & ab eo, quod ſuo fabricarunt artificio, confundi; cùm artifex in eo, quod conflauit, aut ſculpſit, nullum ſpiritum, nullum motum inueniat.

18. Vana hæc ſunt, & nugatoria ſigmenta, cùm tempus viſitationis aduenerit, & ipſa vaneſcent, & eorum cultores interibunt.

19. Longè diſſimilis eſt Deus, quem contemptis aliis colit Iſraël. Illum etenim obſeruat, & colit tanquam ſuam hæreditatem, qui formauit omnia. Illum ſuam ſibi ſortem, & funiculum eſſe voluit, qui Dominus vocatur exercituum.

20. Armis tuis, ô Babylon, tanquam malleo aliarum gentium, vaſa comminui, & regna ſubuerti. Sic ego nunc, dicit Dominus, aliarum gentium armis, tanquam malleo, gentes, quæ in te ſunt, collidam, & regna diſperdam.

21. Diſperdam in te equũ, & equitem, quadrigas, & eos, qui in quadrigis vehũtur.

22. Diſperdam ex vtroque ſexu, atque ætate virum, & mulierem, ſenem, & puerum, adoleſcentulum, & adoleſcentulam, iuuenem, & virginem.

23. Diſperdam in te paſtorem cum grege ſuo, agricolam cum bobus, ac iumentis, quibus ſub iugum actis terram vertit, ac ſubigit: neque duces, ac magiſtratus immunes eſſe patiar à communi plaga.

24. Denique reddam Babyloni, & qui ſubditos Babyloni fines occupant, omne malum, quod Hieroſolymis inuexêre, ídque ſpectantibus vobis, ô Iudæi.

25. Ecce ego ad te, mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram: & extendam manum meam ſuper te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis.

A 25. Ecce ego ad te, mons caliginoſe ac peſtifer, dicit Dominus, qui regionibus aliis vaſtitatem, ac peſtem induxiſti, armabo in te, & extendam manum, & quos habebas ſcopulos diſiiciam, atque deuoluam, ita vt in te nihil ſublime ſuperſit, & ne tibi aliquid ſit præterea reliquum, flammam iniiciam, quæ, quod vis non potuit hoſtilis, incendio conſumat.

26. Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, ſed perditus in æternum eris, ait Dominus.

26. Sic autem Perſico te malleo minutè contundam, vt è grandibus etiam ſaxis pars nulla remaneat, quæ pro fundamento ſubſterni, aut ad domus angulum B aptari poſſit: in æternum denique peribis.

27. Leuate ſignum in terra: clangite buccina in Gentibus, ſanctificate ſuper eam Gentes: annunciate contra illam Regibus Ararat, Menni, & Aſcenez: numerate contra eam Taphſar, adducite equum quaſi bruchum aculeatum.

27. Agite igitur, ô Perſæ, dicit Dominus tanquam imperator, & dux. Delectus habete militares contra Babylonem, excitate ſignum, inflate lituos, & militari ſacramento bellatores aſtringite. Euocate, & vobiſcum adducite Reges Ararat, Menni, & Aſcenez, quibus etiam adnumerate Taphar. Adducite equos, qui in Perſicis paſcuis præferoces aluntur, & pilis hirtis C horrent, ſicut aculeis bruchi.

28. Sanctificate contra eam Gentes, Reges Mediæ, duces eius, & vniuerſos magiſtratus eius, cunctámque terram poteſtatis eius.

28. Aduocate, ô Perſæ, Reges Mediæ, duces, atque omnes, qui aliquam apud eos poteſtatem exercent; vniuersámque regionem Medorum poteſtati ſubiectam: cunctas denique gentes, eáſque militari ritu religiosè conſcribite, ita vt & bellum ſacrum, & gentes ſanctificatæ dici poſſint.

29. Et commouebitur terra, & conturbabitur: quia euigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, vt ponat terram Babylonis deſertam & inhabitabilem.

29. Conturbabitur, atque æſtuabit terra graui tremore concuſſa, quia vigili erit Dominus, atque attento animo contra Babylonem, vt diſperdat eam, eóque redigat vaſtitatis, vt nemo illam mortalium D inhabitet.

30. Ceſſauerunt fortes Babylonis à prælio, habitauerunt in præſidiis: deuoratum eſt robur eorum, & facti ſunt quaſi mulieres: incenſa ſunt tabernacula eius, contriti ſunt vectes eius.

30. Qui fortes erant in Babylone, abiectis armis, in loca tuta, præſidij gratia, ſe receperunt, & exanimati, ac languidi, cum animo, ac robore, ſpem quoque ſalutis deſponderunt: & nihilo audaciores, aut fortiores fuerunt, quàm imbelle, ac timidum fœminarum genus. Quare incenſæ ſunt, atque vaſtatæ Babylonicæ domus, & quæ retardare, ac ſubmouere poterant Perſarum ingreſſum impedimenta ſublata.

31. Currens obuiam currenti veniet, & nuncius obuius nuncianti: vt annunciet Regi Babylonis, quia capta eſt ciuitas eius à ſummo vſque ad ſummum:

31. Ex variis ergo locis conuolabunt nuncij ad Regias ædes, ſibíque viciſſim E occurrent, clamabúntque, actum eſſe de ciuitate, quam iam Perſa victor à ſummo vſque ad ſummum occupauit.

32. Et vada præoccupata ſunt, & paludes incenſæ ſunt igni, & viri bellatores conturbati ſunt.

32. Addebant nuncij per alueum Euphratis iam exſiccatum, aquis aliò deductis, irrupiſſe Perſas, incenſam eſſe paluſtrem materiã, atque alia munimenta, quæ ad fluminis ripas obiecta fuerant; omnéſque viros bellatores conſternatos animo, & conſilij inopes incertos vagari, neque quicquam ſani, atque opportuni moliri.

33. Quia

33. Erit

33. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël: Filia Babylonis quaſi area, tempus trituræ eius adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis eius.

A 33. Erit Babylon, ait Dominus, ſicut area, in qua teruntur fruges, vbi & viri ab hoſte, quaſi inducta tribula, ac ſerrantibus rotis contererentur, & omnes ex omni loco, veluti meſſes in aceruos congeſtæ quaſi à ventilante aura diſpergentur: neque diu morabitur aut meſſionis maturitas, aut trituræ tempus.

34. Comedit me, deuorauit me Nabuchodonoſor Rex Babylonis: reddidit me quaſi vas inane, abſorbuit me quaſi draco, repleuit ventrem ſuum teneritudine mea, & eiecit me.

34. Meritò hæc, inquit Hieroſolyma, patitur Babylon, quia Rex eius Nabuchodonoſor, me totam deuorauit, & abſumpſit: & ſublatis ciuibus, omnibus opibus, at-
B que ornamentis ereptis, reliquit me quaſi vas quoddam vacuum, & inutile. Neque aliter à me ſanguinem omnem, & ſuccum exſorbuit, quàm draco ab elephanto ſolet, aut hemorrhoos, ab eo, quem percuſſit. Deliciis meis, atque opibus, quæ ætatem teneram, ac mollem ſuſtentabant, ſuam expleuit cupiditatem, ac tandem procul à meis me ſedibus exturbauit.

35. Iniquitas aduersùm me, & caro mea ſuper Babylonem, dicit habitatio Sion: & ſanguis meus ſuper habitatores Chaldææ, dicit Ieruſalem.

35. Quia iniurij aduersùs me fuerunt Babylonij, dicit Sion, & carnem meam deuorarunt, & ſanguinem exſorbuerunt,
C ideo vis, & calumnia, deuorata caro, & ſanguis exhauſtus, ait Ieruſalem, pœnas repetent à Chaldæis.

36. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego iudicabo cauſam tuam, & vlciſcar vltionem tuam, & deſertum faciam mare eius, & ſiccabo venam eius.

36. Propterea, ô Ieruſalem, dicit Dominus, ego cauſam tuam patronus ſuſcipiam, illatáſque à Chaldæis iniurias vlciſcar: vt enim illi tuum exſorbuêre ſanguinem, & tanti corporis venas exſangues reliquerunt, ſic ego exhauriam aquas de flumine, & ſucco detracto venas illorum areſaciam.

37. Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, ſtupor, & ſibilus, eò quòd non ſit habitator.

37. Tunc autem erit Babylon non tam ciuitas, quàm ſaxorum acerui, non quidem
D ex arte compoſiti, ſed caſu, vt fuerunt ex ruina congeſti; vbi commodior draconum, quàm hominum habitatio. Quam qui ab habitatore deſertam aſpexerit, ſtupebit admirans, & ſibilabit inſultans.

38. Simul vt leones rugient, excutient comas veluti catuli leonum.

38. Irrumpent Perſæ in Babylonios, neque minùs rugient horrificè, quàm prædator leo, quíque ad cædem, atque excubias intenti, ſic alacres, ac ſtrenuè aggredientur bellum, ſicut leonum catuli, cùm ardentes ira, aut auidi prædæ comas ex-
E cutiunt.

39. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant, dicit Dominus.

39. Efficiam, dicit Dominus, vt ſic illi incaleſcant à vino, vt inebrientur, æternóque conſopiantur ſomno, à quo nunquam ſoluantur.

40. Deducam eos quaſi agnos ad victimam, & quaſi arietes cum hœdis.

40. Eos autem mente, atque vino captos deducam, quaſi agnos ad aram, & quaſi arietes, aut hœdi trahuntur ad victimam.

41. Quomodo capta eſt Seſac, & comprehenſa eſt inclyta vniuerſæ terræ? quomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter Gentes?

41. Quomodo Seſac, quæ & Babylon, in hoſtium poteſtatem venit, & ciuitas in vniuerſa terra celeberrima capta eſt? Quo-

A modo ſtuporem proſtrata Babylon omnibus gentibus attulit?

42. *Aſcendit ſuper Babylonem mare, multitudine fluctuum eius operta eſt.*

42. Aſcendit hoſtilis acies ſuper Babylonem, non ſecus ac marini æſtus, qui latè ac vaſtè terram effuſis fluctibus exundant.

43. *Factæ ſunt ciuitates eius in ſtuporem, terra inhabitabilis & deſerta, terra in qua nullus habitet, nec tranſeat per eam filius hominis.*

43. Stupent omnes, qui ſtratas ciuitates, olim opulentas, intuentur. Omnis terra deſerta eſt, in qua nemo mortalium deinceps habitare, per quam tranſire nullus homo poſſit.

44. *Et viſitabo ſuper Bel in Babylone, & eiiciam quod abſorbuerat de ore eius, & non confluent ad eum vltrà Gentes, ſiquidem & murus Babylonis corruet.*

44. Nec immunis erit à communi plaga
B Bel, quem præcipuo loco numerat Babylon, & quæ priùs immoderatè vorauerat, vel inuitus euomet. Neque vltrà religionis ergô illius templum gentes obibunt, quod ſtare non poterit, cùm Babylonici muri caſuri ſint.

45. *Egredimini de medio eius populus meus: vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini.*

45. Ergo nequa vos, ô popule mi, in tam graui, atque communi lapſu plaga contingat, vt à furore Dei ſe quiſque ſubducat, excedat maturè ex Babylone.

46. *Et ne fortè molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno auditio, & poſt hunc annum auditio: & iniquitas in terra, & dominator ſuper dominatorem.*

46. Neque animos noſtros debilitet,
C & frangat, quod cum vno anno, deinde alio, atque alio belli rumor audiatur, nihil tamen de priori ſeueritate remittatur, maneántque dominatores, donec nouus ſuccedat dominator.

47. *Propterea ecce dies veniunt, & viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis: & omnis terra eius confundetur, & vniuerſi interfecti eius cadent in medio eius.*

47. Dies námque venient, dicit Dominus, in quibus Chaldæorum ſimulacra corruent, & terra illorum imperio ſubdita tabeſcet, & qui ex ea ceciderint, in medio ipſius iacebunt inſepulti.

48. *Et laudabunt ſuper Babylonem cœli & terræ, & omnia quæ in eis ſunt: quià ab Aquilone venient ei prædones, ait Dominus.*

48. Tunc autem, dicit Dominus, cœli, terráque, & quæ in ipſis ſunt omnia, exultabunt, laudabúntque Dominum, quia ita
D de Babylone ſtatuiſſet: quia vaſtatores ab Aquilone induxerit, per quos Babylonicam fregerit potentiam.

49. *Et quomodo fecit Babylon vt caderent occiſi in Iſraël: ſic de Babylone cadent occiſi in vniuerſa terra.*

49. Eodem modo, quo inſepultos reliquerunt Chaldæi, quos occiderunt de gente Iſraëlitide, ſic quos è Chaldæorum gente ferrum confecerit, inhumati in vniuerſa terra putreſcent.

50. *Qui fugiſtis gladium, venite: nolite ſtare: recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.*

50. Qui ex gladio, exiliíque moleſtiis incolumes euaſiſtis, ad reditum in patriam animum intendite: nolite ſtare, ac torpere otio. Excitate memoriam Domini, ciuitatis, ac templi, à quibus iampridem abfuiſtis: & eò cor veſtrum, & cogitationem ſe-
E riò, atque conſtanter dirigite.

51. *Confuſi ſumus, quoniam audiuimus opprobrium: operuit ignominia facies noſtras: quia venerunt alieni ſuper ſanctificationem domus Domini.*

51. Pudefacti ſumus vehementer, inquiunt captiui, tum propter opprobria, quæ quotidie de nobis ab hoſtibus audimus, tum maximè nobis ignominioſum eſt, quòd hoſtes in domum Domini ingreſſi ſunt, eámque indigniſſimis modis proſecuti.

52. *Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: & viſitabo ſuper ſculptilia eius, & in omni terra*

52. Dum vos, ô Iudæi, dicit Dominus, grauia pertuliſtis à Babyloniis, & quòd veſtro

terra eius mugiet vulneratus.

A ſtro capiti violenter inſultarunt, & quòd templo ſacrilegas intulerunt iniurias; totidem illis ſupplicia rependam. Euertam quippe illorum templa, ſculptiliáque illorum viſitabo, & perdam: ipſos verò ſic percutiam, vt in tota terra ſauciorum audiatur rugitus.

53. *Si aſcenderit Babylon in cælum, & firmauerit in excelſo robur ſuum: à me venient vaſtatores eius, ait Dominus.*

53. Si muros Babylon ad cælum vſque ſuſtulerit, & ſua ſibi in cælum monumenta locauerit, eò tamen ego vaſtatores adducam, quorum ipſa manus non effugiet.

54. *Vox clamoris de Babylone, & contritio magna de terra Chaldæorum:*

54. Vox reſonabit de Babylone lugubris, B ſtrages edetur ingens in terra Chaldæorum.

55. *Quoniam vaſtauit Dominus Babylonem, & perdidit ex ea vocem magnam: & ſonabunt fluctus eorum quaſi aquæ multæ: dedit ſonitum vox eorum:*

55. Euertit námque Dominus Babylonem, & vocem eius compreſſit inſolenter inflatam. Ad illud vſque tempus ſonabunt quidam Babylonici fluctus, qui nationibus aliis terrori fuerunt, & exitio, & ſonitus eius vaſtus exiſtimabitur: at vbi Perſicus contrà inhorruerit fluctus, conticeſcet.

56. *Quia venit ſuper eam, id eſt, ſuper Babylonem, prædo; & apprehenſi ſunt fortes eius, & emarcuit arcus eorum, quia fortis vltor Dominus reddens retribuet.*

56. Venit enim contra Babylonem prædator Perſa, & quotquot in ea ſtrenui videbantur, & acres, capti ſunt; neque C quicquam præſtitit illorum arcus, cuius remiſſus neruus elanguet: neque id mirum, cùm contrà ſtaret Deus, iniuriarum vindex, quia paria ſtatuit Babylonis meritis rependere.

57. *Et inebriabo principes eius, & ſapientes eius, & duces eius, & magiſtratus eius, & fortes eius: & dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur, ait Rex, Dominus exercituum nomen eius.*

57. Efficiam, vt quemadmodum qui vino incaleſcunt, ſine conſilio, ac modo demẽtes errant, ſic ipſi æſtuent, erréntque alio ebrietatis genere temulenti. Quæ ebrietas apprehendet, & capiet principes, ſapientes, duces, ac robuſtos, omnes denique, qui publicum aliquem Magiſtratum D obeunt: qui omnes æterno conſopientur ſomno, à quo nullo vnquam excitentur tempore.

58. *Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur, & portæ eius excelſæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & diſperibunt.*

58. Murus Babylonis, dicit Dominus, ille, inquam, murus ad miraculum vſque latiſſimus, ſubruetur omnino, & portæ illius ingentes, & plurimæ incendio conflagrabunt: & inſanæ illæ ſubſtructiones, in quibus tandiu tot gentes laborarunt, ab igne conſumptæ omnino vaneſcent.

59. *Verbum, quod præcepit Ieremias Propheta, Saraiæ filio Neriæ filij Maaſiæ, cùm pergeret cum Sedecia Rege in Babylonem, in anno quarto regni eius: Saraias autem erat Princeps prophetiæ.*

59. Hoc eſt mandatum, quod Saraias Neriæ filius, & Maaſiæ nepos accepit à Ieremia Propheta, cùm quarto anno regni E Sedeciæ profectus eſt cum ipſo Rege in Babylonem. Erat autem Saraias iſte Princeps inter illos, quibus de prophetia in Babylonem ducenda negotium datum eſt.

60. *Et ſcripſit Ieremias omne malum, quod venturum erat ſuper Babylonem, in libro vno: omnia verba hæc, quæ ſcripta ſunt contra Babylonem.*

60. Scripſit Ieremias infortunia omnia, quæ impendẽre nouerat Babyloniis, illa nempe, quæ duobus hiſce capitibus continentur.

61. *Et dixit Ieremias ad Saraiam: Cùm veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc,*

61. Cúmque librum traderet Saraiæ, addidit: Cumprimùm ad Babylonem appuleris, ibique ad Iudæorum exules, quæ instare

A inſtare dicuntur Babyloniis, infortunia legeris,

62. Dices: Domine tu locutus es contra locum iſtum vt diſperderes eum: ne ſit qui in eo habitet ab homine vſque ad pecus, & vt ſit perpetua ſolitudo.

63. Cúmque compleueris legere librum iſtum, ligabis ad eum lapidem, & proiicies illum in medium Euphraten:

64. Et dices: Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis, quam ego adduco ſuper eam, & diſſoluetur. Hucuſque verba Ieremiæ.

62. In hunc modum ad Dominum orabis: Tu, Domine, huic loco ſtragem, excidiúmque minatus es, ita vt in eum perpetua inducatur ſolitudo, quam neque homo, neque armentum inhabitet.

63. Cùm autem primùm hoc volumen perlegeris, alligatum ſaxo, ne vnquam emergat, in Euphratem proiicies.

64. Dicéſque in ipſo voluminis proiectu: Sicut liber iſte in fluuium demergitur; ſic ſubmergetur Babylon, neque emerget vnquam, ſed diſſoluetur, & tabeſcet omnino. Expliciunt Ieremiæ prophetiæ.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM-PRIMVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Quaſi ventum peſtilentem.*]

1. *Ventorum vis multiplex.*

EST ventus lenis, ac vitalis, qui refrigerat, & recreat laſſum, atque languentem ſpiritum, qualis eſt aura, quæ ab aurora perflat, aut demerſo iam Sole in æſtiuo tempore. Sunt alij planè peſtilentes, qui regiones perflant, in quibus teter eſt, & grauis anhelitus, qualis eſt Auernus, aut mare mortuum, qui ex ſeſe mephitim exhalant inamœnam. Sunt alij vehementes, qui ſic aſpirant violenti, vt omnia conuellant, atque diſpergant, quales erant illi, de quibus Iſaias capite 21. cùm hoc idem argumentum tractaret. Caſtra quippe Perſarum cum eo comparat turbine, qui ab Auſtro perflat, qui ſanè violentiſſimus eſt: *Sicut turbines ab Africo veniunt.* Duo ergo Perſicus turbo contra Babylonios inuexit mala, peſtem videlicet, ideſt, famem, & gladium, & quidquid exitium attulit, & mortem, & vim quandam violentiſſimam, quæ multitudinem illam ciuium variè diſperſit, quæ in ventis horrent maximè, & execrantur homines. De altero effectu peſtiferi venti hactenus; de altero iam accipe.

2. Verſ. 2. *Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam.*] Qui modò peſtem inuexerant, iidem nunc alia rurſus vi, minùs quidem noxia, ſed magis violenta, tanquam leuem ſtipulam Babylonios rapient, & procul à patria in omnes terræ fines latè diſpergent. Sed vt venti, qui leuia diſſipant, & ab imis conuellunt radicibus, aut arbores altè defixas, aut prægrandia ſaxa, aut vaſtas ædificiorum moles (qualis ab Iſaia deſcribitur capite 25. verſu 4. *Spiritus enim robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem*) ſic etiam venti, qui contra Babylonem ſpirabunt à Perſide, diſpergent homines, & quæ nullo rerum impulſu ruitura videbantur, concutient, atque proſternent. Quare aptè ſubiungitur: *Ventilabunt eam, & demolientur terram eius.* Hanc vim expreſſit optimè Ouidius 6. Metamorphoſeon, vbi ſic Boream loquentem inducit:

B
Apta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello:
Hac freta concutio, nodoſáque robora verto.
Idem ego, cùm ſubij conuexa foramina terræ,
Suppoſuique ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totúmque tremoribus orbem.

Quoniam venerunt ſuper eam vndique.] Non ex 3.
vna regione venti, ſeu, quod idem hoc loco eſt, ventilatores in Babylonis ruinam conſpirarunt. Sicut ad vehementem excitandam procellam varij ex variis partibus venti concurrunt, hanc ventorum inimicam vim, horribiléſque motus ex eorum congreſſu, imitatæ ſunt Gentes ex
C aliis, aliiſque regionibus ad turbandum Babylonicum mare congregatæ. Quàm autem à contrariis, inque vicem colluctantibus ventis turbetur, & agitetur mare, explicuerunt ſæpe, atque eleganter externi. Virgilius libro 1. Æneidos:

——— venti velut agmine facto,
Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuêre mari, totúmque à ſedibus imis
Vnà Euruſque, Notúſque ruunt, crebérque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus.

D
Et Seneca in Agamemnone:

———vndique incumbunt ſimul,
Rapiúntque pelagus infimo euerſum ſolo,
Aduerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus,
Strimonius altus Aquilo contorquet niues,
Lybicúſque arenas Auſter, ac Syrtes agit.

Verſ. 3. *Non tendat, qui tendit arcum ſuum, & non aſcendat loricatus.*] Vbi Vulgatus, *non*, Hebraicè 4.
eſt אל quæ aliter notata, alias habet ſignifica-
E tiones. Si ſubiicias ſegol, idem eſt quod, *ad*, & ita legunt communiter recentiores, ſequuti antiquos Hebræorum magiſtros; immo & Septuaginta, qui ſic vertunt, *Tendat, qui tendit arcum ſuum.* In hunc ſenſum: Ad eum, qui tendit arcum, & eminùs iaculatur, & ad illum, qui loricatus eſt, & cominùs ferrum in hoſtem conſerit, ait Dominus; vt acriter ſe, & hoſtiliter in pugnando gerant,

gerant, neque cuiquam parcant Babylonio. Sed ſi addas punctum patha, quomodo ſine dubio legit Vulgatus, & Chaldæus, alius eſt ſenſus, neque is vnus, aut ſimplex. Hugo, Lyra, Dionyſius, & Caſtrus ſic accipiunt: O Perſæ, & Medi, ita hoſtes inuadite conſtanter, & ſtrenuè, vt non ſinatis illum, qui ſagittarius eſt arcu, neque qui loricatus eſt, gladio pugnare. Sed placet multò magis, quod putat Maldonatus, excitari hoc loco Perſas, vt Babylonis ſtragem alacriter tentent, neque ſibi in eo negotio aut adeundum eſſe periculum metuant, aut perferendam moleſtiam. Ac ſi dicat Deus; Ego vobis conſtrictos tradam Babylonios, ita vt contra ſe commouere non poſſint, non iaculabitur ſagittarius, non vibrabit gladium loricatus, neque quiſpiam ex tanta multitudine hiſcet. Sumitur autem, vt alibi perſæpe, imperatiuus pro futuro: & ſanè in Hebraico textu futurum eſt, non imperatiuus.

5. Solet verò Deus conſtringere, & ligare ſtrenuos etiam bellatores non vno modo, interdum immiſſo ſpiritu, qui conturbet homines, diſſoluátque vires, vt feciſſe dicitur capite præcedenti, verſu 43. in hoc eodem articulo: *Audiuit Rex Babylonis famam eorum, & diſſolutæ ſunt manus eius*; aut immiſſo ſtupore, qui mentem eripiat, conturbétque conſilium: aut certè, quòd eo tempore hoſtes in ciuitatem inducat, quo Babylonij ſomno, vinóque ſepulti tenentur; id verò planè eſt, aliquem irritatum eſſe, ne poſſit, aut norit arma tractare.

6. Verſ.5. *Quoniam non fuit viduatus Iſraël.*] Rationem videtur reddere, cur conſtrictos tradat Perſis Babylonios, atque ita diſſolutos, vt nihil aut tentent, aut promoueant: quia non abiecit curam populi ſui, cuius gratia delectus illos Perſicos habere voluit. Si enim Iſraëlem vt ſponſam conſideres, ſponſum habet Deum; à quo, dum eſſet in exilio, & ſordibus, viduata videri potuit. Si vt filium intueare, non eſt orbatus à parente, quem habet, & amantem, vt velit, & ſtrenuum, ac robuſtum, vt poſſit ad ingenuam, & dulcem libertatem aſſerere; ex hoc amore, ac cura excitata dicuntur tanta rerum molimina.

7. *Terra autem eorum repleta eſt delicto à Sancto Iſraël.*] Illud, *eorum*, quidam ad Iſraëlem, & Iudam pertinere putant: quaſi dicat Deus; ſatis iam diu Iſraëlitas, ac Iudæos dediſſe pœnarum, atque ideo fas eſſe, vt conciſis Babyloniis libertatem aſpiciant. Tunc verò, *delictum*, peccati ſignificat pœnam, ſicut non rarò *peccatum*, *iniquitas*, & *impietas*. *Sanctus* verò *Iſraël* Deus eſt, quia ab omnibus populis ab Iſraële præcipua quadam religione colitur. Hic porro Deus Iſraël *repleuit delicto*, ideſt, ſupplicio pro peccato populum exciſa vrbe, exuſto templo, & tota terra Iſraëliticæ ſortis variè contaminata. ita fermè Theodoretus, Dionyſius, & Hugo. Alij, meo iudicio, meliùs ad terram referunt Chaldæorum, quam Dominus ſeuerè mulctauit, vltus aut ſponſæ, aut filiorum iniurias. Id nàmque valet, à Sancto Iſraëlis terram eſſe repletam delicto., ideſt, delicti pœna, quo ſenſu nuper expoſuimus. Ita indicant Hugo, Vatablus, & Lyra, Maldonatus, & ex Hebræis Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon; neque eſt in Scriptura ſacra nouum, vt prima perſona de ſe tanquam de tertia loquatur: quare *à Sancto Iſraël*, nihil eſt aliud, quàm *à me, qui ſum Sanctus Iſraëlis.*

A Verſ.6. *Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam.*] Hæc quidam ad Iudæos dici putant, qui iubentur quamprimùm è Chaldæorum finibus excedere, ne eodem cum illis implicentur infortunio. Sic Saül olim 1. Regum capite 15. cùm caſtra mouiſſet aduersùs Amalec, dixit Cinæo: *Abite, recedite, atque diſcedite ab Amalec, ne fortè inuoluam te cum eo.* Et facit ad hanc cogitationem, quòd eodem modo admonentur Iudæi, vt maturè ſe è Babylone ſubducant, infrà verſu 45. *Egredimini de medio eius, popule meus, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam.* Ita communiter auctores; neque malè. Eſt autem veriſimile, Iudæorum aliquos in illa nocturna vaſtatione cum Babyloniis ſimul fuiſſe interfectos; cùm neque de Iudæis Perſæ eſſent ſolliciti, neque ſi maximè de illorum ſalute laborarent, in illis tenebris eos ab aliis internoſcerent: qui proculdubio, ſi iuxta Domini vocem maturè fugiſſent, animas ſuas vtique ſaluaſſent. 8. *Societas malorum fugienda.*

B

Alij ad Chaldæos referunt, quos Dominus benignè admonet, ſi effugere velint mortis neceſſitatem, deſinant tandem eſſe Chaldæi, & ab eo ſe ſubducant ſcopo, in quem intenta ſunt tela, non tam à Perſica, quàm à Diuina manu. Quæ ſententia mihi dura non eſt, tum quia hoc modo oſtendit Dominus, quàm infenſis oculis illum locum aſpiciat, vbi ſita Babylon eſt, & vbi tot quotidie modis Deus offenditur (quod ad moralem ſenſum ſatis eſt opportunum: vt hinc homines diſcant, quanto ſtudio declinanda ſit peccatorum occaſio) tum quia id ſæpe Deum feciſſe conſtat, qui cùm prouinciam aliquam delere ſtatuiſſet, monet tamen, quos habet inimicos, vt fuga ſaluti ſuæ tempeſtiuè prouideant. Sic Moabitis capite 48. verſu 6. ait; *Fugite, ſaluate animas veſtras.* capite 49. verſu 8. ad Idumæos: *Fugite, & terga vertite.* & in hanc ſententiam magis inclinat Maldonatus: ſed prior mihi ſententia multò probatur magis. 9.

C *Occaſio peccatorum vitanda.*

Nolite tacere ſuper iniquitatem eius: quoniam tempus vltionis eſt.] Si *tacere*, in propria, magiſque vulgari ſignificatione ſumas, verba videri poterant ad Prophetas directa, vt clament, inſtare Babyloniis à Domino ſupplicium, quia tempus iam aduenit, in quo ſtatuit Dominus vlciſci Iudæorum iniurias. Sed credo verba hæc ad Perſas, atque alios Babylonici nominis hoſtes ſpectare, & figuratam eſſe verbi ſignificationem, ſicut frequenter alibi. Notum eſt, tum alibi, tum ab hoc Propheta ſæpe, ea, quæ proprie ſilentium aut ſignificant, aut notant, quietem importare, aut intermiſſionem à rebus gerendis. Qua de re nos pluribus Iſaiæ capite 7. numero 7. & ſuprà capite 51. Plura ibi nos exempla produximus: nunc vnum ex Ieremia accipe Threnorum capite 2. verſu 18. *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* ideſt, ne ceſſes plorare. & Marci 4. verſu 39. *Comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus.* In hanc ergo ſignificationem iubet Deus, ne Perſæ taceant ſuper iniquitatem, ideſt, ne habeant vllum tempus à labore vacuum, donec à Chaldæorum iniquitate pœnarum ſatis Deus exegerit. 10.

D *Taceo, aut ſileo, pro ceſſo.*

E *Marc.4.*

Verſ.7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.*] Quid ſit calicem propinare, diximus ſuprà, capite 25. quòd, nempe, aliquid ſignificet aduerſum, noxium, atque mortiferum, quia capite damnatis ad exhilarandum animum, ſeu leuandum dolorem, vinum porrigeba 11.

A gebatur plerunque conditum. Talem calicem propinauit Babylon, quo omnem terram latè temulentam reddidit, quia illam aut ſuſtulit ferro, aut ſub iugum egit ſuum. Aureus vocatur calix, vt putant ex Hebræis aliqui, quos è recentioribus nonnulli ſequuntur, in quibus eſt Vatablus, Pagninus, Iſidorus, quia vinum purum continet & ſpecie pulchrum. Neque infrequens eſt, vt calix, ſeu poculum per metonymiam pro vino ſumatur, aut pro eo, quod in calice continetur: vnde frequens, *Calix inebrians*, &, *Calices epoti*. Vinum autem vocari poteſt aurum, aut quia flauum eſt, & aurei coloris; vnde eſt illud Prouerbiorum 23. capite 31. *Ne intuearis vinum, quando flaueſcit.* Sicut etiam aurea dicitur vua à Tibullo, ſi ſatis memini:

Aureum, quid pretioſum, & purum.

B

Aurea tunc preſſos pedibus dedit vua liquores.

Aut quia purum, & nobile; ſicut etiam ex Hebræorum ſententia oleum purum, atque pretioſum aurum appellatur. Nam Zacharias capite 4. vbi Vulgatus, *ſuffuſoria ex auro*, Hebraicè, *euacuantia aurum*, ideſt, oleum purum. Quòd verò quæ pulchra ſunt, atque pretioſa, aurum dicantur, aut aurea, ſatis eſt exploratum.

12. Veruntamen communis eſt, veráque ſententia, aureum dici calicem, quia ex auro conflatum erat illud vas, ex quo vinum gentibus propinauit Babylon, aut in Babylone Deus, vt docet hîc Ieremias. Quod probat ſatis Ioannes Apocalypſis capite 17. vbi Babylonem inducit cum aureo vaſe pleno abominationis. Abominatio verò potum ſignificat in aureo poculo contentum: quare neceſſe eſt, vt calicem aureum eſſe fateamur.

C

13. Quod ad locum hunc attinet, certum eſt, calicem illum aureum propinatum eſſe Gentibus à Deo, vt ex hoc loco conſtat: & ſuprà cap. 25. multò clariùs, vbi Gentibus per Nabuchodonoſor porrecturus dicitur Deus poculum iræ plenum, quo vaſtauit Gentes, ſicut alibi ſæpius dictum eſt. Huic tamen calici aliquid de ſuo admiſcuit Babylon, quod & calicẽ fecit abominabilẽ, & deinde odioſũ ipſi Deo, vt quòd duriùs ſæuiit in ſubditas ſibi Gentes, quàm à Deo conceſſum eſt. De quo ſæpius queritur Deus: & ideo dirũ ipſi ſupplicium minatur. Qua de re actum eſt à nobis cap. 50. nu. 27. Hinc multa à Patribus de Babylonis poculo, quod licèt aureum eſſet, veneni tamen erat, & abominationis plenum. dicetur tamẽ alibi aureum habuiſſe calicem, vel quia luxurioſa, delicata, potens ad potandam, ſeu miſcendam ebrietatem, ſiue quia fraudulento, & callido conſilio proponebat aurum, & abominationem, ſeu venenum in eo porrigebat. Quod faciunt plerunque tyranni; qui promiſſis lactant inferiorem, & nimiùm credulam plebem, deinde pro ſuo arbitratu, atque libidine deglubunt, & lacerant. Quod feciſſe non eſt incredibile Regem Babylonium, qui ad tantam potentiam tam breui non videbatur peruenturus, niſi ad virtutem militarem aſtum adhibuiſſet, & fraudem. Ab auro cauendum eſſe, in quibus venenum miſceri ſolet, monuerunt plus ſatis experti profani: quorum vnus Seneca dixit in Thyeſte, actu 3. *Venenum in auro bibitur, expertus loquor.* & Iuuenalis Satyra 10.

D

E

In auro venenum, & mori.

——— Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Quomodo inebriari, & commoueri à vino, ſignificet dura pati, & grauiſſimis conflictari incommodis, diximus apud Iſaiam capite 29. numero 14. & ſuprà capite 25. ad illud: *Bibent, & turbabuntur.*

Pro morali ſenſu non eſt difficile coniectari, quinam in aureo poculo venenum homini, & mortem propinent. Sunt autem illi, qui quoquo modo in eſca, quæ maximè eſt ad aliorum palatum, hamum abſcondunt; quales ſunt hæretici, qui in oratione Rhetoricis illuminata coloribus viperinum fel, & uberæ ſanguinem inſtillant. Quales item meretrices, quæ purpuriſſo, & aliis ab arte fucatoria lenociniis pulchram, &, ſi Deo placet, honeſtam venditant faciem, & ingenuos mores, cùm tamen neque in facie venuſtas, neque in animo hilum honeſtatis exiſtat. Et verba cùm ſtillare melle videantur, & nectare, in illis vim quandam occultant veneni mortiferi. Prouerbiorum 5. *Fauus ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Tales ſunt adulatores, qui dum blandis, mendacibúſque laudibus hominum vanitati lenocinantur, illis ſtultam de ſe cogitationem, & ignominiam veram, & tandem ludibrium, & perniciem aſtruunt. De quibus Iſaias 3. verſu 12. *Qui te beatum dicunt, ipſi te ſeducunt, & vitam greſſuum tuorum diſſipant.* & Ieremias capite 9. verſu 8. *In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.* Origenes homilia 2. in Ieremiam, in aureo calice venenum propinari ait, quando in ſermone plus ſatis compto aliquid miſcetur, quod mores corrumpat, quod blandiatur ſenſibus, & ad ambitionem, ſeu libidinem, animos allectet. Quales ſunt obſcœni cantus, turpia poëmata, & theatrales luſus, ſeu in Concionatore ſtulto verba magis theatro, quàm templo digna. Addit Gregorius libro 34. Moralium capite 8. temporalia omnia, in quibus ſæcularium oculis aliquid ſplendet pulchrum, calicem eſſe aureum, in quo venenum eſt, quod mentes ſubuertit. *Quid enim* (inquit) *Babylonis nomine, niſi huius mundi gloria deſignatur? qui calix aureus dicitur, quia dum pulchra eſſe temporalia oſtentat, ſtultas mentes in ſua concupiſcentia deebriat, vt ſpecioſa temporalia appetant, & inuiſibilia pulchra contemnant.* Idem Ambroſius libro de Elia capite 15.

14.

Quæ ſenſibus blandiũtur, venenata ſunt.

Adulator peſtilens.

Verſ. 8. *Subitò cecidit Babylon.*] Illa Babylon, quæ non ſubito, ſed longo interpoſito dierum ſpatio, calicem propinauit gentibus, quas ſuo ſibi ſubiugauit imperio: illa (inquam) Babylon hauſto mortifero poculo, quod momento temporis porrexerunt Perſæ, ſubitò cecidit, & aureus ille calix confractus eſt. Idem penè Ioannes Apocalypſis capite 18. verſu 8. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.* Quare euomuit Babylon quod ſenſim, auidè, & immoderatè hauſerat. & quod de impiis dicitur Iob. capite 22. *Diuitias, quas deuorauit, euomuit, & de ventre illius extraxit illas Deus.* 15.

Tollite reſinam ad dolorem eius.] Modus loquendi varius, & frequenter inciſus, aut inuerſus, maximè facit ad morum, & vim habet ad ſignificandum maximam. Solent enim homines, cùm grauibus, atque inopinatis vrgentur incommodis, æſtuare animo, & huc atque illuc verſare mentem, & ab obuiis quibuſque rebus, aut perſonis, conſilium petere, aut auxilium 16.

auxilium implorare. Sic Deus, qui in loquendo hominum ſe affectibus, ac moribus accommodat, admirans inducitur de ſubita Babylonis ruina; & tanto malo medicinam quærit opportunam, aut adhiberi iubet. Quo loquendi genere vtuntur frequenter profani, cum apoſtrophe plurimùm ad abſentes. Sic Iuuenalis Satyra 6. cùm inſigne cuiuſdam amplificaret delirium, ad medicum auertit orationem, à quo petit idoneam phreneſi medicinam:

Quid? quòd & antiquis vxor de moribus illi
Quæritur? ô medici mediam pertundite venam.

Et in ſacris occurrunt in eam ſimilitudinem exempla: ſufficiat in præſentia noſter, qui cum capite 46. grauem Ægypti oſtendiſſet plagam, addidit: *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam, virgo filia Ægypti.* Quid ſit reſina, & quomodo ad ſananda vulnera vim habeat acrem, & præſentem, diximus ad illud capitis 8. *Nunquid reſina non eſt in Galaad?*

17. Verſ. 9. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.*] Dialogiſmus hic eſt: Reſpondent medici, quicunque illi ſunt, quibus antè Dominus imperarat, vt contritæ Babyloni, & ad mortem vſque decumbenti, medicinam admouerent, quam cùm viderent ex ruina contritam, neque quidquam ex curatione profici, abiecta prorſus ſpe, clamant: non debere tempus, operam, ac medicamenta perire, atque ideo relinquendam eſſe omnino Babylonem: neque credo
18. aliud ſibi vult hiſtorica fides. Allegoricè variè Patres accipiunt, quia fœcundus eſt ad myſticos ſenſus, & luculentus locus. Gregorius Paſtoralis 3. parte admonitione 14. *Babylon* (inquit) *curatur, nec tamen ad ſanitatem reducitur, quando mens in praua actione confuſa verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta ſalutis itinera redire contemnit.* lege reliqua. Tractat hunc locum eleganter, & latè Origenes homilia 2. in Ieremiam, vbi hos medicos, quorum ſolertiæ, ac curæ commiſſa eſt Babylonis ſalus, Angelos eſſe dicit, qui tunc animas deſerunt, quando illas vident, neque velle obſequi medicorum præceptis, & ad accipiendam medicinam eſſe difficiles, quia inſuaues, & inſulſos cibos, nauſeante ſtomacho faſtidiunt, aut horrent ferrum ad vrendum candens, aut ad ſecandum acutum. Vbi illud obſerua, quod ſanè horribile, tunc ex Origenis ſententia peccatorem, qui Babylonis in modum in peccatis obdurauit, ab Angelorum cuſtodia deſtitui; quando periculum maius eſt, maior inimicorum ardor, & minus in homine ad reſiſtendum virium. In extremo nimirum vitæ tempore, quando ita collapſa Babylon eſt, vt nulla ſit reliqua ſpes ſalutis. Audi Origenem. *Accedit aliquis, nempe, medicus, ad languentem, quantum ars patitur, & induſtria, medicamina non ceſſant; ſed ſi ægritudo tanta ſit, vt repugnet curationi, aut ipſe infirmus per impatientiam doloris contrà faciat, quam iubetur: relinquit medicus, deſperat huiuſmodi hominem, & recedit, ne inter manus ſuas expirans, cauſam interitus eius ad ſe retorqueat. Sic ergo & nos, ne in ſanctorum Angelorum manibus, qui ad nos curandos à Domino deſtinati ſunt, moriamur, relinquunt nos, deſperantes animam noſtram, & aiunt: Non eſt malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas, quia appropinquauit in cælum iudicium eius.*

Peccatoris quando ſalus deſperata.

Angeli quãdo animas deſerunt.
Obſtinationis horribile ſuppliciũ.
Mors peccatoris.

19. *Quoniam peruenit vſque ad cælum iudicium eius.*] Rationem reddunt illi, quicunque ſint, ſiue in
A hiſtorico, ſiue in ſpirituali ſenſu, curatores, & medici, cur inſanabilis videatur Babylonis plaga, quia iam iudicium eius ad cælum aſcendit, ideſt, quia perculſa eſt à Deo, contra cuius vulnus neque ligatura eſt aliqua, neque fomentum, aut malagma, quod leuare poſſit dolorem, aut ſalutem afferre. Eſt autem iudicium hoc loco, ſicut aliis etiam plurimis, ſupplicium, quod pro peccatorum momentis iuſtus decernit, atque infligit Deus: & ita putat Hugo, Lyra, & quidam ex Hebræis. Hæc fortaſſe vera; ſed credo hoc loquendi modo ſignificari, grauem eſſe plagam: ex vſu etenim ſacræ Scripturæ, quæ ſupra modum magna eſſe exiſtimantur, ad cælum dicun-
B tur peruenire, vt gloria Domini, & eius magnificentia dicuntur eſſe vſque ad cælum: & ita videtur Origenes accepiſſe ſuprà; & probat Maldonatus.

Verſ. 10. *Protulit Dominus iuſtitias noſtras: venite, 20.*
& narremus in Sion opus Domini.] Hæc verba Iudæorum ſunt, qui ſpectare potuerunt confractum aureum Babylonis calicem, & derelictam iam à cuſtodibus, ſeu curatoribus eſſe ciuitatem, quia illius plagam ſanari, aut inſtaurari poſſe à ruina nullo modo putabant. Dicunt ergo Iudæi, reſpexiſſe Deum cauſam illam, quam deſpexiſſe, ac prodidiſſe videri poterat; ac tandem vidiſſe, quid iniuſtè captiui à Babylonica tyrannide pertulerint. Hanc, credo, appellant iuſtitiam ſuam,
C quam clarius Chaldæorum iniuſtitiam appellare poſſent, quia ſeueriùs ſubiugatum ſibi populum tractauerunt, quàm fuerat à Domino conceſſum, vt diximus ſuprà capite 50. numero 27. Protulit ergo Deus Iudæorum iuſtitias, quia Babylone ſubuerſa, quid iniuſte pertulerint, declarauit.

Venite, & narremus in Sion.] Idem cap. 50. verſu 28. Propheta vidiſſe ſe ait: elapſos videlicet è Babylone captiuos, & quid a Perſis paſſi Chaldæi fuerint; Sioni dixiſſe.

Verſ. 11. *Acuite ſagittas, implete pharetras: ſuſci- 21.*
tauit Dominus ſpiritum Regum Medorum.] Hæc ad Babylonios ſpectant, quibus edicit Propheta, quantumcunque comparetur præſidij, nil tamen
D habiturum momenti contra Medorum, ac Perſarum arma. Ita videtur exigere, & modus ipſe loquendi, & plurima, quæ in Perſas dure admodum, atque contortè, in Babylonios verò perbelle quadrant. Scio ſentire alios ferme omnes contra quàm ego. Sed ſi rerum ipſarum conſequutionem conſideret, non, credo, lectorem habebo ad mea cogitata difficilem. Cur enim, ſi illud, *acuite ſagittas*, ad Medos ſpectaret, addendum eſſet ſtatim in tertia perſona, *ſuſcitauit Dominus ſpiritum Medorum*? At ſi priora ad Babylonios referas, cauſam reddit Dominus, cur acuendæ ſagittæ, quia contra illos excitatus iam Medorum ſpiritus delectus habet, & exercitum inſtruit. In quo tamen aliquid eſt ironicum. Quaſi dicat Deus, vt omnia ſint ad repugnan-
E dum egregiè comparata; neque ciuitas ſtragem, neque ciues interitum effugient. Adde, quòd quæ ſequuntur ſtatim, non tam cum oppugnatore, quàm cum propugnatore, ideſt, magis cum obſeſſo, quàm cum obſidente conſentiunt: quale eſt ſuper muros leuare ſignum, augere cuſtodiam, leuare cuſtodes, &c. Quæ verba Theodoretus, Hugo, Lyra, & Dionyſius ad Babylonios ſpectare credunt. Sed non eſt, vt vides, cur hæc poſteriora magis, quàm illa ad Babylonios

nios referas. Quæ ſequuntur alia, nemo,credo, à Babyloniis diſtrahet, quæ tamen eodem videntur filo contexta.

Verſ. 12. *Quia cogitauit Dominus, & fecit quæcunque locutus eſt.*] Præteritum pro futuro ponitur, prophetali more: quo vaticinij oſtenditur certitudo,& firmitas.

22. Verſ. 13. *Quæ habitas ſuper aquas multas.*] Influebat Euphrates mediam Babylonem, qui & ipſe copioſus erat; &, vt in copioſis ciuitatibus aliquando fit, in ſinus arte, manúque factos deductus ſpatiabatur; adeò vt eam ob cauſam Babylon mare ſit appellata. Sanè, vt refert Herodotus libro 1. & Paulus Oroſius libro 2. capite 6. foſſa quædam alta, ac lata aquæ plena fluuialis muros circunfluebat. Nunc habitare dicitur ſuper aquas multas, quia ad tanti fluminis ripas,& iuxta alia loca ſtagnantia ab illo, multæ erant excitatæ moles, & ſuperbæ domus; ſicut Syracuſis olim, & nunc Pariſiis; aut certè, quia, vt diximus, fluuialibus aquis vndique claudebatur. Illud verò valet *ſuper* hoc loco, quod aliquando *iuxta*. vt de eodem flumine cecinit Dauid Pſalmo 136. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus*; ſedebant autem non ſuper aquas, ſed iuxta, vbi,nempe, ex ſalicibus organa ſuſpenderant.

23. *Venit finis tuus, pedalis præciſionis tuæ.*] Vbi Vulgatus *pedalis*, Hebraicè eſt אמה amah, quod menſuram ſignificat, quam Vulgatus ſæpe *cubitum* conuertit. Eſt autem vſitatum, vt quemadmodum genus pro ſpecie ſumitur per ſynecdochen, ſic etiam per eundem tropum ſpecies adhibeatur loco generis. Puto ergo hîc ſumptam eſſe ſpeciem pro genere, idest, *cubitum*, ſeu, vt noſter hoc loco *pedalem* conuertit, pro generali nomine menſuræ: ex quo non difficilis erit huiuſmodi extricatio. Sed priùs nobis quorundam ſententia exploranda eſt, qui putant, hunc dicendi modum id velle ſibi, vt ab imis radicibus excindenda ſit Babylon; quaſi pedalis præciſio idem ſit, quod à radicibus, ſeu radicalis extirpatio; quo ſenſu dictum eſt à Ioanne Lucæ 3. *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* Ita putant Hugo, Lyra, Dionyſius, & ad extremum Maldonatus. Adducuntur, credo, quòd *pes*, in ædificiis idem eſſe videtur, quod fundamentum;ſicut pes columnæ dicitur, & pes montis, immo & pes arboris. Quare ſi pedalis erit Babylonis præciſio, erit vtique ab imis exciſa fundamentis. Sed peccat primùm iſta ſententia, quia in originali textu, non eſt vlla dictio, quæ pedem ſignificet, aut radicem; ſed tantùm אמה *amah*, quæ cubitum ſignificat, aut per ſynecdochen *menſuram*. Quare non eſt vox vlla, vnde trahi poſſet illa tranſlatio, quæ ſecurim admouet arboris radicibus. Notum eſt autem, vt diximus ad illud Pſal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros*, cùm vox Latina duo ſignificat, ad inueſtigandam ſignificationem, in qua certo aliquo loco accipienda ſit, conſulendam eſſe vocem originalem, vnde expreſſa eſt, & ad illius vim, & vſum exponendam: ſic modò cùm *pedale*, pedem, ſeu radicem ſonet, & præterea menſuram, cùm אמה *amah*, menſuram importet, & nullo modò pedem,abſque dubio pedale nihil habet cum radice, aut cum pede commune, niſi quatenus pes fuerit genus quoddam menſuræ.

Regvla. Cùm vox Latina ambigua eſt, cōſulēda eſt originalis lingua vnde expreſſa eſt.

24. Alij pro menſura accipiunt, ita tamen, vt compenſatio quædam ſignificetur æqua; nempe, vt tantum Babylon pœnarum exſoluat, quantum ipſa ab aliis gentibus exegit. Ita quidam Hebræorum magiſtri, quibus ſubſcribunt Iſidorus Clarius, Martinus del Rio in Adagialibus in horum verborum explicatione, & Caſtrus in Paraphraſi. Quæ multo magis eſt ad vim, vſúmque verborum, quam præcedens: & congruit cum eo, quod de eadem Babylone dicitur Apocalypſis capite 18. *Reddite illi,ſicut & ipſa reddidit vobis.*

Veruntamen placet multò magis, ſi *pedale*, ſeu menſuram hoc loco ſumas pro peccatorum multitudine, ac pondere; quibus aut ſpatium a Deo datum, aut menſuram a Deo permiſſam implevere Babylonij, ſiue pro tempore, quod Deus ſummum eſſe voluit Chaldæorum imperio; ſtatuerat Deus ſeptuageſimo anno poſtquam in exilium acti eſſent Iudæi, Babylonios mulctare: cùm autem plena iam eſſet definita menſura, Perſas induxit, qui ciuitatem euerterent, deleréntque funditus, quod in æternum ſtabile Babylonij fallaci blandimento ſibi perſuaſerant. 25. *Peccatorum menſuram ſpectat Deus.*

Aut certè expectabat Deus, donec compleretur peccatorum menſura, ſicut de Amorrhæis dixerat Geneſis 15. *Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum, vſque ad præſens tempus.* Conſtat ex ſacra Scriptura, teſtimoniiſque Sanctorum,expectare Deum peccatorem,differreque ſupplicium, donec certam, ipſíque peccatori ignotam compleat peccatorum menſuram. Ita docet Theodoretus in illud Zachariæ capite 5. *Et miſit maſſam plumbeam in os eius.* Adducítque illud de Amorrhæis Geneſis 15.& quòd Deus ſpatium definiſſet centum viginti annorum, donec mundum aquis obrueret diluuij. Idem etiam Cyrillus in eundem locum, Baſilius in illud Iſaiæ 1. *Populo graui iniquitate.* Sed omnium clariùs,ac ſignificantiùs Auguſtinus de vita Chriſtiana, capite 4. *Eſſe* (inquit) *certum peccatorum modum atque menſuram,Dei ipſius teſtimonio comprobatur; & quod vnuſquiſque celeriùs, vel tardiùs, prout peccatorum ſuorum modum expleuerit, iudicetur, euidentiſſimè demonſtratur.* Er poſt varia ſacræ Scripturæ teſtimonia, atque exempla, quæ multa ſunt, & grauia, ſubdit: *Quo exemplo manifeſtiſſimè inſtruimur, & docemur, ſingulos ſecundùm peccatorum ſuorum plenitudinem conſummari, & tandiu vt conuertantur ſuſtineri, quandiu cumulum ſuorum non habuerint delictorum conſummatum.* Id fortaſſe expectabat Dominus à Babyloniis, vt accederet pedale extremum, ideſt, extremus cumulus definitæ menſuræ,vt vaſtitatem in ciuitatem illam barbaram induceret. 26. Gen. 15. Zach. 5.

Hanc ſententiam aut ſuadet,aut indicat, quod dictum eſt proximè, *locuples in theſauris.* Quaſi dicatur Babyloni, Iam ſatis pecuniarum hinc inde per fraudem,& rapinam corraſiſti, nihil tibi iam ampliùs aut vitæ,aut facultatis dabitur,vt iniqua eſſe,ac violenta pergas.

Ad rem moralem grauis eſt hic locus in eum ſenſum, quem nunc ex Auguſtino produximus: pedale enim, ſeu pedis menſura exigua eſt,vt vides, quare non magnum peccatori ſpatium videtur conſtitutum à Deo. Item, quia Deus minima quæque in nobis obſeruat ſcelerum incrementa, & dum nos ſecuri gradum molimur, ipſe fortaſſe proximam contemplatur ruinam, ad quam nos ignaros continuata vitæ turpitudo deducit. Hæc ſpectabat Iob, & ſollicitus ſecum meditabatur capite 14. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti,ſed parce peccatis meis. Signaſti quaſi in ſacculo* 27. *Deus notat minima quæq; ſcelerum incrementa.* Iob. c. 14.

culo delicta mea. Vide quomodo Deus peccata vitæ ſuperioris obſeruet, atque conſignet, & greſſus inſuper alios dinumeret, donec tandem definitæ menſuræ cumulus accedat.

Iurare per animam ſuam, quid?

28. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam.*] Satis, credo, notum eſt, per animam ſæpe circunſcribi illum, cuius eſt anima. Quare idem eſt *anima mea*, atque *ego*, *animæ meæ*, ac *mihi*. Eſt ergo iurare Deum per animam ſuam, nihil aliud, quàm Deum per ſe ipſum iurare. Ac ſi dicat, *viuo ego*, aut quid ſimile. Quo ſenſu explicari debeant Diuina iuramenta, diximus in caput 62. Iſaiæ, numero 33.

29. *Quoniam replebo te hominibus quaſi brucho: & ſuper te celeuma cantabitur.*] In brucho duo reperio, & quòd vitibus, ſatíſque noxium animal eſt, & quòd gregatim incedit. Ab vtraque proprietate duci ſimilitudo poteſt; ſi à priori confertur Babylon, ciuitas florentiſſima, & amœnitatis eximiæ, cum vinea item ſpecioſa, atque vbere, in quam ſi bruchos inſultare, aut inuolare contingat, momento temporis antiqua pulchritudine nudatur, neque ex ea aliquid relinquitur, præter viriditatis antiquæ triſte, atque deforme monumentum. Quòd ſi vinea fructus ad maturitatem adduxerit, tunc alieni venturi dicuntur, qui in vindemiam irrumpant, & aliis gementibus feſtiuum ipſi concinant celeuma. Ita putat Maldonatus.

Si ſecundam proprietatem ſpectes, nihil ſignificatur aliud, quàm innumeros greges inimicorum à Perſa, & Medo vndecunque collectos ingreſſuros vrbem, conclamaturóſque in ea bellicum celeuma, quo ſe ad cædem, & prædam acuent; aut de Babylone ſubacta, opimíſque Chaldæorum exuuiis ſibi grarulabuntur. Quid bruchus ſit, diximus in illud Iſaiæ capite 33. *ſicut colligitur bruchus.*

30. Verſ. 15. *Qui fecit terram in fortitudine ſua.*] Probabile hoc facit Propheta à Dei admirabili potentia, qua longè maiora præſtare potuit, quæ ſingulatim dinumerat; quo Babyloniis perſuadeat, quæ nunc minatur in ipſorum caput horribilia, habitura ſuo tempore ſucceſſum, & pondus. Hæc eadem à verſu 15. vſque ad 20. in idem conſilium adhibuerat capite 10. vbi nos illa pluribus explicuimus, neque hîc liber iterum repetere.

31. Verſ. 20. *Collidis tu mihi vaſa belli.*] Babyloniis ſe dicit Dominus paria redditurum pro his, quæ ipſi Iudæis intulerunt incommoda. Vox Hebraica מפיץ *mephis*, nomen eſſe poteſt, & tunc malleus eſt, aut id, quod contundit, atque diſpergit; aut participium à verbo פוץ *pus*. In priori ſignificatione ſumpſerunt omnes penè recentiores, in poſteriori Vulgatus, & Septuaginta. Sed ſi diligenter expendas, nullum eſt in ſententia diſcrimen. Dicit enim Dominus per Babylonios ſe prouinciarum bellica vaſa contudiſſe, ideſt, abſtuliſſe fortitudinem, & ſubiugaſſe regna, & ſpiritus fregiſſe immoderatiùs exultantes: aut, quod idem eſt, fuiſſe Babylonios malleum in manu Domini, quo regna colliſit, & potentium vires potenter attriuit. Quemadmodum capite 50. verſu 23. Babylon dicitur malleus vniuerſæ terræ. Eſt ergo ſententia: Gentes omnes à Babyloniis tanquam à malleo fuiſſe contritas, & illi parem à Domino vicem eſſe referendam.

32. *Et ego collidam in te gentes, & diſpergam in te regna.*] Sicut Deus vſus eſt tanquam malleo

A Chaldæorum armis, ad euertenda regna, de quibus capite 46. 47. 48. & 49. ſic aliis etiam vtetur gentibus, Perſis videlicet, & Medis, tanquam malleo, vt gentes, & regna, quę Chaldæorum obſequuntur imperio, contundant, & diſſipent. Dixerat hoc idem Ieremias capite 25. ſub alia metaphora propinati poculi: cùm enim Deus dixiſſet, ad crapulam vſque bibituras nationes, quæ ibi numerantur, è poculo, quod illis Nabuchodonoſor epotandum præbebit: nouiſſimè tandem, inquit, porrigendum eſſe Regi Seſac, ideſt, Regi Babylonis: à verſu deinde 21. vſque ad verſum 25. enumerat omnia, in quæ ſæuiturus eſt durus ille malleus, quem Dominus in Perſarum B manu Babylonicis capitibus, & fortunis illidet; quæ quia obſcura non ſunt, præterire poſſe videor. Illud interim obſeruans, maximum habere momentum ad affectum, & motum, ſi quæ vno verbo, & confuſo vniuerſali ſigno dici poterant, illa diſtributè, & ſingulis enumeratis partibus explicentur: quod fecit iterum Ieremias capite 50. verſu 35.

33. Verſ. 25. *Ecce ego ad te mons peſtifer.*] Cur Babylon mons dici poſſet, cum ſit in planicie, & cur mons appelletur caliginoſus, diximus ad illud capitis 13. verſu 16. *Antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.* Peſtifer autem dicitur, ſeu, vt alij legunt, *corrumpens*, quod idem eſt, quia C inde vis armata, effera, ac peſtilens erupit, quæ regionibus aliis peſtem, & vaſtitatem inuexit: vt enim è montibus, vbi occulta ferarum latibula, belluæ egrediuntur, aut noxiæ venenis, aut dentibus, atque vnguibus immites, ſic è Babylonia exercitus erumpebant innumeri, à quibus vis, & venenum, in nationes alias latè diffundebatur. Et ideo fortaſſe Babylon mons appellatur peſtifer; in quo cùm nihil appareat, quod timeri poſſe videatur, latet tamen aut inter denſos frutices, aut in ſaxorum cauernis dolus, & immanitas. Sic Maro libro 7.

——— *Peſtis tacitis latet aſpera ſyluis.*

34. *Qui corrumpis vniuerſam terram.*] Explicat, cur D mons ille dicatur peſtifer, quia toti terræ quaſi tabem induxit, à qua florem amiſit, viriditatem, & vitam: non ſecus ac Auernus, & vallis, vbi olim fuerunt quinque ciuitates de cælo tactæ, mephitim quandam, ideſt, tetrum, & peſtilentem vaporem exhalant; qui prætervolantes exanimat volucres, & hominibus nonnunquam morbum, ſemper verò peiorem morbo fœtorem inhalat.

35. *Euoluam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis.*] Perſequitur metaphoram, &, quod montium proprium eſt, ad ciuitatis molem, & fabricam traducit. Petræ, ac rupes id præſtant montibus, quod vrbi arces, ac muri, & quæ maximè E ex omnibus extant ædificia; vt ergo qui ſuccidere vellet, ac populari ſyluam, illam è mediis ſaxis, & ſcopulis ad ima deuolueret, aut ſi totam vellet abolere, faces inferret, quibus tota conflagraret incendio: ſic Deus, quia excindere voluit ciuitatem, & ſyluam extirpare, atque delere funditus, è petris euoluit, ideſt, cadere fecit, ſeu extrahi de turribus, atque arcibus, iis tandem molibus, quæ munimento videbantur futuræ Babyloniis, & quod manus, & machinæ non potuerunt, id deinde armis, ac machinis violentior flamma conſumpſit, ità vt non ſolùm exciſus, ſed etiam combuſtus appellari potuerit ille mons.

Prov. Non lapis in angulū.

36. Verſ.26. *Et non tolleris de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta.*] Quomodo, & quo ſucceſſu, ac tempore in eum ſtatum, ac ſpeciem adducta fuerit Babylon, vt mons exciſus, atque combuſtus videri poſſit, diximus capite 50. numero 31. Credo hanc prouerbialem eſſe figuram, & hyperbolicum dicendi modum, quales in ſacra Scriptura multi ſunt, qui ingentem ciuitatum ruinam oſtendunt. Qualis eſt illa de Ieruſalem Lucæ capite 19. verſu 44. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* & de eadem Babylonica Iſaias capite 15. *Et ſcopabo eam in ſcopa.* qui dicendi modus neque parum pulueris relictum eſſe e Babylone ſignificat. Sic Ezechiel capite 26. de Tyro: *Et diſſipabunt muros Tyri, & deſtruent turres eius, & radent puluerem eius de ea; & dabo eam in limpidiſſimam petram.* Sic, credo, prouerbiali, atque hyperbolica ſpecie, de vrbe grauiter afflicta, & valde ſubuerſa dicitur, ex ea non poſſe ſumi ad angulum, ſiue ad fundamentum lapidem. In his autem prouerbialibus loquutionibus, dummodo de graui ruina conſtet, qualem ſine dubio paſſa eſt Babylonia, non eſt, quòd quicquam aliud requiras. Significantur igitur lapides, quibus conſtructa eſt ciuitas, ſic eſſe comminuendos à malleo, quem Deus in Perſicis manibus impinget, aut ſic ab incendio ſoluendos in cineres, vt neque ad angulos, qui magnam, & illuſtrem exigunt molem; neque ad fundamenta, quæ item magna, & firma ſaxa deſiderant, vnus e multis lapis reliquus ſit.

Luc.19. *Iſai.15.* *Ezech.26.*

37. Verſ.27. *Leuate ſignum in terra, clangite buccina in Gentibus: ſanctificate ſuper eam gentes.*] Vox hæc eſt imperatoris, qui delectus habet, & acies inſtruit ad perdendam Babylonem. Signa autem eleuata, & buccinarum clangor, voces ſunt ducis, qui eo modo, quidquid factum eſſe velit, caſtris edicit. Quid ſit ſanctificari bellum, aut milites, diximus ſuprà capite 6. ad illud: *Sanctificate ſuper eam bellum.*

38. *Annunciate contra illam Regibus Ararat, Menni, & Aſcenez.*] Hæc nomina obſcura ſunt, neque quid de illis afferre poſſim, certum habeo. Communiter auctores Ararat, Armeniam eſſe putant. ita Vulgatus Geneſis 8. v. 4. Ioſephus libro 1. Antiquitatum capite 4. Hieronymus ad finem capitis 37. Iſaiæ. De aliis Interpretes diuinant, mihi cum illis diuinare non libet, quia nihil me afferre poſſe ſpero, in quo mihi, aut alteri ſatisfaciam. Veniſſe autem cum Perſis complures alios Reges, & populos, tradit Xenophon libro 5. Cyropædiæ.

Bruchus multitudinē ſonat.

39. *Adducite equum quaſi bruchum aculeatum.*] Vbi ingens ſignificatur multitudo, à bruchis ſumi comparatio ſolet, vt vidimus nuper verſu 14. *Replebo te hominibus quaſi brucho.* Quare exiſtimo comparationem hìc ſumi à brucho, non propter ferociam, aut ſtimulos, aut ſi quod habent inſtrumentum, & artem, quibus hominibus moleſtiæ, atque odio ſint. De bruchorum aculeis nihil habeo certum, niſi dicamus, bruchos eſſe illud locuſtarum genus, de quo Ioannes Apocalypſis capite 9. quod planè aculeatum eſt, quando illis talis dicitur data eſſe poteſtas, quales habent ſcorpiones, quæ locuſtæ equis dicuntur eſſe perſimiles. Quare, qui putaret, Ioannem in hunc Ieremiæ locum reſpexiſſe, nihil, credo, diceret alienum, quando equi cum aculeatis bruchis à Ieremia comparantur. An verò equi aculeati futuri ſint, aut bruchi: nam cum vtroque *aculeatus* conuenire poteſt, non eſt omnino certum. Sane præferoces eſſe Perſarum equos, & quaſi à natura ſtimulos habere, & aculeos, neque alienis egere calcaribus, docet, quod de equis, qui ad Euphratem paſcuntur, tradit Oppianus:

Apocal.9.

Equi ad Euphratem aluntur feroces, & celeres.

— Qui habitant virides Euphratis ad vndas,
Magnanimus v[illegible] equi in bella leonum,
Lumina glauca vibrant, & magnum in pectore robur
Efferat audaces animos, ad feruida bella.
Accedit leuitas curſus, quodque ora leonis
Intrepide ſe ferre valent. ———

Quòd autem Armenij ad Euphratem pertineant, res eſt nota, & de Armeniorum equis loquutum eſſe imprimis Oppianum, ipſe docet; qui cùm Siculos equos laudauiſſet, illis longe præſtare ait Armenios equos, qui ſunt ad Euphratem:

Armenij Siculis, Parthique Euphratis ad vndas
Præſtant. ———

At Armenios, quos Ararat ſuprà vocari diximus, cum Perſis aduersùs Babylonios coniuraſſe conſtat. Quòd ſi conſtaret, Perſicos equos habere pilos hirſutos, aut horrentes, & hiſpidas iubas ſiue à natura in quocunque ſtatu, ſiue cùm clangorem audiūt tubarum, res eſſet minus improbabilis. Hoc mihi videtur non difficile. Si verò quis hæc de bruchis accipiat, non laboro, modò probet illos inſtructos eſſe aculeis, aut villis inhorreſcere.

Verſ.28. *Sanctificate contra eam gentes, Reges Mediæ, &c.*] Hæc ad Perſas ſpectare arbitror, qui iubentur Reges alios Mediæ, Duces, & Magiſtratus ad belli ſocietatem vocare, idque legitimo ritu, ita vt bellum dici poſſit ſanctificatum, quo ſenſu alio loco diximus. Reliqua ad verſum 31. obſcura non ſunt. 40.

Verſ.30. *Contriti ſunt vectes eius: currens obuiam currenti veniet, & nuncius obuius nuncianti.*] Vectes ſunt, vt ego interpretor, impedimenta omnia, quæ retardare potuére Perſas ab oppugnatione Babylonica: quales ſunt portæ æreæ, mœnia, & fluuius magnus Euphrates, qui non ſolum influebat, ſed etiam circumfluebat ciuitatem. Hos omnes vectes promiſerat Deus eſſe confringendos Iſaiæ capite 45. vbi ſic de Cyro Perſarum duce, & expugnatore Babyloniæ: *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes confringam.* Quæ omnia à ſe fuiſſe præſtita affirmat capite 43. *Propter vos emiſi in Babylonem, & detraxi vectes vniuerſos.* Quo modo fluuium ſiccauerit, aperueritque oppugnatoribus aditum, dicemus ſtatim. Ex quo etiam facile coniectare eſt, quomodo ferreas portas, qui ſemel per alueum ſiccati fluminis irrepſerunt, aperire potuerunt, vt cætera irrumperet multitudo: maximè cùm nocte illa compotationibus dedita, & grauante iam vino, & ſomno amentes, ac propè ſepulti, datam ſibi ſtationem tenere, & ciuitatis clauſtra cuſtodire non poſſent Babylonij. Quare per varia loca aggreſſi oppugnationem, immo per varios aditus Babylonem ingreſſi, variè etiam eos, qui vini poteſtatem experti non fuerant, turbauerunt. Ex variis ergo locis nuncij ad regias ædes aduolabant, ſibique viciſſim occurrebant, clamabantque dolentes, actum eſſe de ciuitate. Eodem ergo tempore captam eſſe ab omni parte Babylonem, confertim proclamauerunt 41.

Babylon quomodo capta.

runt nuncij, quia ab omni parte tentata, atque peracta oppugnatio eſt: id enim valet, quod ſtatim additur: *Vt annunciet Regi Babylonis, quia capta eſt ciuitas eius, à ſummo vſque ad ſummum.* ideſt, à principio vſque ad finem ciuitatis. Nam, vt libro 1. tradit Herodotus, cùm ſic eſſet exſiccatus Euphrates, vt vado commodè tranſiri poſſet, partim, quà fluuius vrbem ingreditur, partim à tergo, quà egreditur, magna ſe infudit Perſarum multitudo. Multa de Babylone capta tradunt externi, quæ & ipſa incredibilia ſunt, & cum Scriptura ſacra manifeſtè pugnant. Neque credo, Ariſtoteles, qui illa commemorat, hiſtoricam putat habere fidem: ſic enim ille libro 3. Politicorum capite 2. *Babylon, cùm capta eſſet ab hoſtibus, fertur, partem aliquam eius ciuitatis tertia die nondum aliquid ſenſiſſe.* quæ ſanè neque cum hoc Ieremiæ loco, neque cum his, quæ habes Danielis cap. 5. conſentiunt.

43. Verſ. 32. *Et vada præoccupata ſunt, & paludes incenſæ ſunt.*] Hæc etiam referebant nuncij, occupata eſſe vada Euphratis à Perſis, qui per exſiccatum alueum in vrbem irrupère, & paludem incenſam, ideſt, iuncum, & arundinem, & quamcunque aliam materiam paluſtrem. Quomodo deriuatis aliò tanti fluminis aquis, exſiccatus ſit alueus, aut certè vadabilis effectus, tradit Herodotus libro 1. Id verò non tantùm hoc loco à Ieremia prædictum, & paulò pòſt verſu 36. ſed etiam ab Iſaia capite 44. verſu 27. qui cùm ageret de Cyro Babylonis expugnatore, ait: *Qui dico profundo: Deſolare, & flumina tua areſaciam.*

Palus, pro materia paluſtri.

44. Quod attinet ad incenſas plaudes, primùm obſeruo, per metonymiam ſumi rem continentem pro ea, quæ continetur, ideſt, pro arundine, & iunco, ſeu carice, quæ in palude naſcuntur: quomodo ſumpſit Martialis libro 14. diſtich. 38. cuius titulus eſt: *Faſces calamorum:*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

vbi palus pro materia, vt vides, paluſtri ponitur. Item Anticyra pro helleboro ſumitur, quod in ea naſcitur. Perſius ſatyra 4.

Anticyras melior ſorbere meracas.

Cur incenſæ dicantur paludes, incertum eſt; neque puto hîc aliquid afferri poſſe, niſi diuinando. Paludes, vt dixi, calami ſunt, qui ad ripam naſcuntur fluminis. Eſt autem veriſimile, cùm ignoti eſſent Perſis in Babylonem aditus, idque maximè nocturno tempore, quando etiam ipſis incolis res ſunt incertæ, & omnis locus inſidiis opportunus, curaſſe Cyrum, vt incenſis paludibus, quaſi eleuatis facibus, viam oſtenderet tranſmiſſuris flumen, & nocturnos greſſus in ciuitatem molituris.

45. Verſ. 33. *Quaſi area tempus trituræ eius.*] In area demeſſæ teruntur, & comminuuntur fruges. Ex qua proprietate ducta ſimilitudine oſtendit Propheta, illam ciuitatem futuram eſſe miſerabilis tragœdiæ quoddam quaſi theatrum: ibi enim ſubuerſæ domus, opes euerſæ, patrata cædes, ſpectacula edita, qualia à ſæculorum principio admodum pauca. Eſt autem vſitatum, & familiare prouerbium, quo id, in quo aliquod exercetur opus durum, & ad commiſerationem graue, area dicatur. In quem ſenſum accipio illud Comici: *In me cudetur hæc faba.* ideſt, ego ero tanquam area, in quo grania cudentur ſupplicio-rum exempla. Erit ergo Babylon area, in qua terentur, quæ longa, atque auara falce, ex omnibus fermè prouinciis collectæ fuerant meſſes. Hæc mihi facilis explicatio eſt; neque ab hac abſunt longe, quæ ab aliis afferuntur. Veniſſe autem dicitur tempus trituræ, quia complanata ſunt omnia, quæ ſuperbè exrabant, & comminuta: ſicut congregati in cumulos frugum aceruí vngulis, & tribulis ſubiecti pulueri coæquantur.

Aut fortaſſe alluſum eſt ad illam triumphantium conſuetudinem, iuxta quam, ſupra domitos hoſtes tribulæ trahuntur, & ferrata carpenta. Quod feciſſe dicitur Dauid 2. Regum capite 12. & 1. Paralip. capite 20. qui vt iniurias vlciſceretur, quas acceperant legati, ſuper Ammonitas iam in acie ſubactos, tribulas induxit: quos non aliter conculcauit, atque comminuit, quàm in area meſſes. *Populum* (inquit) *qui erat in ea* (nempe Rabba) *eduxit, & fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire, ita vt diſſecarentur, & contererentur.* Quod item fecit Azael Rex Damaſci, vt habes apud Amos capite 1. *Eò quòd triturauerint in plauſtris ferreis Galaad.* Quod eſſe vſitatum apud Babylonios, item, vt reor, apud Perſas, qui non erant longo ab illis diſſiti interuallo, indicat Iſaias capite 27. qui cùm ageret de Moabitis, qui à Babyloniis ſubiugati fuère, ait: *Triturabitur Moab ſub eo* (nempe Babylonio) *ſicut teruntur paleæ in plauſtro, & extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum.* Ex hac conſuetudine natum arbitror, vt prouerbiali ſpecie ſtrages magna, qualis fuit Babylonica, hoc dicendi modo ſignificetur. Quare nihil eſt aliud tritura, quàm contritio grauis, qualis illa, de qua modò. Hîc verò per zeugma repetendum eſt, *veniet*, quod ſtatim exprimitur hoc ſenſu; tempus trituræ adueniet eius. 46.

Hoſtes victi tribulis, & plauſtris obtriti.

2 Reg. 12.

Amos 1.

Iſai. 27.

Veniet tempus meſſionis eius.] Videtur hîc eſſe hyſteron proteron: prior etenim frugum demeſſio eſt, quàm earum in aream comportatio, & ibidem tritura. Sed lenit id, quod in ea figura durum videri potuit, quia verbum eſt in futuro tempore, & in meſſione, quæ pro æſtate ſumitur, tempus indicat opportunum trituræ. Hîc verò alterum mihi videtur adhiberi, aut indicari prouerbium, quòd per falcem inſtare iam exitium, aut infortunium ſignificat, & rem iam eſſe proximam ſeu maturam ruinæ; ſicut albentes iam & maturæ ſegetes falcem expoſcunt. Ad hoc prouerbium alluſum eſſe videtur Apocalypſis capite 14. vbi extrema mundi plaga, & communis interitus hoc explicatur modo: *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur; quoniam aruit meſſis terræ. Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.* Item iuxta Septuaginta tranſlationem, Zachar. capite 5. falcem volantem vidit Zacharias, quæ peccatoribus exitium, & extremam illorum domibus vaſtitatem portabat. Idem ergo nunc meſſio, in qua falx item continetur meſſoria, exitium Babyloni denunciat. 47.

Prov. Tempus meſſionis.

Apoca. 14.

Verſ. 34. *Comedit me, deuorauit me Nabuchodonoſor.*] Verba ſunt Ieruſalem, ſeu Iudæorum, quorum perſonam ſuſtinet Ieremias; quæ querelam intendunt, ſeu cauſam declarant, cur talia perferre Babylonij debeant. *Comedere*, ac, *deuorare*, omnimodam ſtragem, ac conſumptionem ſignificat ex vſu Scripturæ, quod aliis comparationibus hæc querela proponit. Idem enim eſt, *reddidit* 48.

Comedo, & deuoro, ſtragem indicat ſummam.

didit me quaſi vas inane, &c, abſorbuit me quaſi draco. Fortaſſe alluſum eſt ad aliud Hebræorum prouerbium, quod in carnibus exprimit eos, qui ab aliis vel coquuntur, vel lacerantur, vel aliquid aliud graue patiuntur. Sic Ezechiel capite 11. *Hæ ſunt carnes, & hæc eſt lebes.* Et fortaſſe ſpectauit hoc loco Propheta, quod capite 1. dixerat, cùm ollam ſuccenſam venire vidit ab Aquilone, quæ Iudæorum carnes coqueret, eſculentáſque redderet Babyloniis.

49. *Quaſi vas inane.*] Hieroſolyma vas quoddam eſſe fingitur à Propheta, quod ſic exhausère Chaldæi, vt nihil in eo fecerint reliquum. Sublata quippe ſunt ornamenta, ſublatæ opes, domus euerſæ, ciues denique in exilium abducti; neque quicquam è tanta, támque lauta ciuitate relictum, præter ſpatium vacuum, & quoddam quaſi ſepulcrum informe.

50. *Abſorbuit me quaſi draco.*] Si verum eſt quod Plinius docet libro 8. capite 12. (aut ſi, vtcunque ſit de Plinij fide, ita vulgus hominum exiſtimat, cuius opinioni interdum ſe ſacer ſcriptor accommodat) draconem ab elephanto, quem dolo cepit, atque implicuit, totum exſorbere ſanguinem, ita vt exſanguis, & ſiccus cadat elephantus, ſatis accommodata ſimilitudo eſt: nam ciuitas Solymitana, & tota Iudæorum prouincia propter magnitudinem, & robur, cum elephanti mole, ac fortitudine comparari potuit: ex qua Nabuchodonoſor totum exſorbuit ſanguinem, ideſt, abſtulit id, quo contineri, ac ſuſtentari poterat Reipublicæ ſtatus, immo & vita mortalis. Qui propter aſtum, & dolum, & quia in locis paluſtribus, & ſtagnantibus ab Euphrate habitat, draco nominatur. Sanè Pharao ideo vocatur ab Ezechiele capite 29. draco magnus, quia ad Nili ripas habitabat. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Fortaſſe alluſum eſt ad draconem illum, de quo Iob capite 40. qui cùm alias abſorbuiſſet prouincias, quas fluuij expreſſit nomine, ſperabat quoque populum Dei, quem in Iordane patrio flumine ſignificat, exſorbere poſſe. *Ecce*, inquit, *abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.* Videtur enim ſignificare, conſecutum eſſe draconem quod optabat, cùm iam Iordanem abſorbuerit, ideſt, Dei populum, cuius fines ille fluuius interſecabat.

Draco elephantis ſanguinem exugit.

Ezech. 29.

51. Fortaſſe ſimilitudo trahitur à ſerpente hæmorrhoo, ſeu hæmorrhoide, cui ea vis eſt, vt ſi quempiam percuſſerit, omnem ſanguinem exudare, aut emanare faciat. De quo Galenus: *Hæmorrhois aſpis nuncupatur, eò quòd ſanguinem ſudet, qui ab eo morſus fuerit, ita vt diſſolutis venis quicquid vitæ eſt, per ſanguinem euocet.*

52. *Repleuit ventrem ſuum teneritudine mea, & eiecit me.*] Duo queritur Hieroſolyma ſubiiſſe incommoda à Babylonio; & quòd delicias omnes ſecum abſtulerit, ornamenta videlicet pacis, & blandimenta naturæ: id enim eſt *teneritudo*; & quòd tandem è ſuis ſedibus in exilium abduxerit, *ventrem*, pro, *auiditate*, ſeu *auaritia*, ſuppoſuit. Quod etiam apud profanos vſitatum: vt enim *fames*, ſeu *ſitis*, pro cupiditate ponitur; ſic etiam venter, aut ſtomachus, quem fames, & ſitis vexant, & exagitant, cupiditatis, & auaritiæ naturam aptiſſime deſignat.

53. Verſ. 35. *Iniquitas aduerſum me, & caro mea ſuper Babylonem, &c. & ſanguis meus ſuper habitatores Chaldææ.*] Ex his incommodis, quæ paſſa eſt Ieruſalem, ortam eſſe dicit Propheta vaſtitatem illam horribilem, quæ ſtrauit Babylonem. Iniquitas non ſolùm eſt iniuria, ſed etiam ſupplicium, vt ſæpius obſeruauimus. Hîc iniuriam ſignificari puto: fuit autem iniuria, eaque grauiſſima, quòd plus iuris ſibi in Hieroſolymam, & ciues, arrogarunt Chaldæi, quàm fuerat à Domino conceſſum; cùm alliſerunt infantes, oppreſſerunt virgines, abuſi ſunt florenti iuuenum ætate. Quod ſtatim additur, *caro, & ſanguis*, ad illa ſpectant, quæ anteceſſerunt proxime, ad *deuorauit*, nempe, & *abſorbuit*: deuoratur quippe caro, ſanguis abſorbetur. Quòd deuorata caro ſuper Babylonem, & ſanguis exuctus ſuper Chaldæam futurus eſſe dicatur, Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur illos luituros eſſe pœnas, qui in alios quoquo modo fuerunt iniurij. Sic Matthæus capite 23. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus.* & Matthæi capite 27. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* ideſt, nos, & filij noſtri luemus effuſum Chriſti ſanguinem. Quod Latini dicerent, deuorata caro, & ſanguis abſorptus pœnas repetent à Chaldæis.

Verſ. 36. *Deſertum faciam mare eius, & ſiccabo* 54.
venam eius.] Paria Dominus Iudæorum vltor refert Babyloniis, qui neque diſſimilia, neque leniora patientur, quàm ab ipſis pertulere Iudæi. Communiter Interpretes in deſerto mari, & exſiccata vena, Euphratem agnoſcunt, cuius alueũ, deriuatis aliò multipliciter aquis, vadabilem reddidit Cyrus: quod mihi etiam probatur. Sed credo ſpectaſſe Prophetam ad illa, quæ proximè præceſsère, Iudæorum incommoda. Teneritudinem, ideſt, delicias ſuas, ablatam eſſe querebatur Hieroſolyma, & à dracone, exhauſtis venis, relictam ſe fuiſſe exſanguem: eadem Deus minatur Babyloniis. In mari deſerto videntur intelligi poſſe deliciæ, quas fluuij vicinitas, maxime ſi hominum accedat induſtria, abundè ſuppeditat. In vena ſiccata ſanguis indicatur, quem ex Iudæorum venis expreſsère Chaldæi, & quem Deus nunc ex Chaldæorum exprimet venis, quas ſiccas, & exſangues relinquet. Cur Babylon mare nominetur, diximus ad illud Iſaiæ capite 21. *Onus deſerti maris.* Inde pete. Venam aliqui Chaldæorum dominatum intelligunt, ſeu ſubditas prouincias, quæ tanquam venæ fuerunt, ex quibus opes in Babylonem, tanquam ex venis flumina, decurrunt in mare: ex quibus Babylon affluenter collegit, quo iure mare appellari potuerit.

Sanctus Thomas de regimine Principum ca- 55.
pite 7. docet, duos fluuios, qui ciuitatem interfluunt, Tigrim, & Euphratem, à Deo repentè fuiſſe ſiccatos, & ita ſubitam eſſe factam irruptionem, & captam repentè ciuitatem. Sed ſanè Tigris quàm longiſſimè abeſt à Babylone; neque tantùm illud miraculum fluminis repentè ſiccati ſiluiſſent tot ſcriptores Græci, cùm in omnibus Cyri geſtis, quæ tantoperè ſunt à Græcis decantata, nihil acciderit illuſtrius.

Verſ. 37. *Et erit Babylon in tumulos, habitatio* 56.
draconum.] Hæc eadem dicta ſunt à Ieremia capite 50. verſu 39. vbi nos plunibus. Tumuli, ſi ad ciuitatem ſpectes, aceirui ſunt lapides congeſti potiùs ex ruina, quàm ex arte digeſti. Si ad mare, tumuli ſunt, ſeu ſyrtes arenarum, quæ ſiccato mari apparere ſolent: quaſi dicat; Vbi priùs fuerant profundi aquarum gurgites, nihil erat

ampliùs, quàm aridi, ac nudi arenarum tumuli: quod de Ieruſalem antea dixerat capite 9. verſu 11. vbi eadem propè verba ſunt, quæ nunc à Ieremia videntur iterata: *Dabo Ieruſalem in aceruos arenæ, & cubilia draconum, & ciuitates Iuda dabo in deſolationem, eò quòd non ſit habitator.*

57. Verſ. 38. *Simul vt leones rugient, excutient comas.*] Obſcurum eſt, quò ſpectent hæc verba; ad Chaldæóſne, an ad Perſas, & Medos. Quidam ad Chaldæos putant, qui cùm viderent, vrbem iam ab hoſte teneri, irrugierunt præ dolore: quomodo in fletu rugiit Iob capite 3. *Tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus.* Et Dauid Pſalmo 37. *Rugiebam a gemitu cordis mei.* ita Lyra, Hugo, Dionyſius, & Caſtrus. Sed neſcio quomodo leones rugientes hominibus pauidis, vino, ſomnóque torpentibus aſſimilari poſſint; maximè cùm his excutiendæ dicantur comæ, quod in furore, ardoréque ad pugnandum incitato, aut ſolùm, aut plerunque contingit. Quare placet magis hæc de Chaldæorum hoſtibus accipere, de quibus ſuprà capite 2. verſu 15. *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam, &c.* Vbi eadem prorſus habes, quæ hoc loco Ieremias, & ita putat Maldonatus.

58. Verſ. 39. *In calore eorum ponam potus eorum.*] Calor hîc pro temulentia ſumitur, in quam tunc homo plerunque incidit, cùm vino calet. Quare apud profanos frequens eſt, *calere vino*, ſeu *æſtuare*, pro ebrium eſſe: immo & apud ſcriptores ſacros. Iſaias capite 15. verſu 11. *Vt vino æſtuetis.* Eſther capite 1. verſu 10. *Cùm incaluiſſet mero.* & capite 7. verſu 2. *Poſtquam vino incaluerat.* Neque, credo, hîc quiſquam dubitabit, cùm potus ſtatim, & ebrietas ſubiiciatur, quæ ſatis explicant, in quem ſenſum calor ille accipiendus ſit. Quòd ſi *in calorem*, legas, vt habent aliquot exemplaria, res erit minùs impedita.

Calor, pro temulentia.

59. *Inebriabo eos, vt ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum.*] Hæc omnia ſatis explicant, quid ſit calor, de quo proximè. Somnus autem ſempiternus mors eſt, quæ *ſomnus* ſæpe dicitur, ſicut mori, dormire. Somnus verò ſempiternus ideo vocatur mors, quia aut vulgus hominum non putat, mortuos aliquando ad vitam fore reuocandos, aut quia in Scriptura *ſempiternum*, eſt idem aliquando, quod diuturnum, vt ſæpius obſeruauimus.

Verſ. 41. *Quomodo capta eſt Seſac.*] Quare Babylon appelletur Seſac, diximus latè ſuprà capite 25. neque hîc aliquid occurrit noui, quod addamus.

60. Verſ. 42. *Aſcendit ſuper Babylonem mare.*] Quomodo exercitus mare vocetur, ſatis à nobis explicatum eſt ſuprà multis locis. Perſarum autem exercitus ſic inuaſit, oppleuítque Babylonem, ſicut cùm mare, aut fluuius ripas excedit, circuniectóſque campos obruit, & oblimat.

61. Verſ. 44. *Et viſitabo ſuper Bel in Babylone, & eiiciam, quod abſorbuerat, de ore eius.*] Bel præcipuus erat inter Babylonios deos, qui quodammodo triumphaſſe de vero Iudæorum Deo, in opinione ſaltem Chaldæorum, videbatur. Quando in conuiuio, quod extremum habuit illorum imperium, producta ſunt ſacra vaſa, quæ de templo priùs ablata fuerant, & multa in idolorum laudem, & commendationem ſuperbè cantata. Danielis capite 5. *Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos aureos, & argenteos.* Dicit ergo Propheta, viſitandum eſſe Bel, quia ſicut Ægyptij dij combuſti atque ignominioſè traducti fuerunt à Chaldæis, vt vidimus capite 43. verſu 12. & Chamos idolum Moab capite 48. & Melchon Ammonitarum Deus; ſic etiam nunc viſitandus dicitur Bel, qui magno in honore, & loco erat apud Babylonios. Explicat verò accommodata 62. valdè ſimilitudine, quiſnam idolum illud interitus maneat, atque confuſio. Magni idolo illi exhibebantur honores, magna offerebantur munera, feſtique dies in illius cultum agebantur, in quibus veriſimile eſt, agitari ſolita conuiuia, & omni voluptati, ac luxui genialem operam impendi: quod ex eo fit veriſimile, quia, qua nocte capta fuit ab hoſte Babylon, in comeſſationibus, compotationibúſque erat tota ciuitas; quod exigebat à Babyloniis ſtata Belis, & anniuerſaria religio, vt eſt nonnullorum opinio. Sanè Bel hominum opinione eſſe voraciſſimum, conſtat ex Daniele capite 14. *Erat*, inquit, *idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Cùm ergo hæc quotidie voraret iuxta vulgi opinionem, & plura in eius honorem à deluſa Babylone quotidie impenderentur; cùm in vno altari, vt auctor eſt Herodotus, plurimæ immolarentur hoſtiæ, in altero quotannis centum talentorum millia libanoti, ideſt, thuris, adolerentur, hæc omnia conſumebat Belus ille maximus; ſed abſtulit Deus, extraxítque de ventre, quæ immoderatè vorauerat; omnia nempe donaria, libamenta, ſuffimentáque immenſa; ſacra vaſa, quæ ex Salomonis templo tranſlata in eius cultum Rex Babylonis conſecrarat, certè in eius templum intulerat. Danielis capite 1. *Tradidit Dominus (Nabuchodonoſori) partem vaſorum domus Dei, & aſportauit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui: & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui.*

Dij gentiũ ab hoſtibus capti.

Bel magno in honore apud Babylonios.

Et non confluent ad eum vltrà gentes, ſiquidem murus Babylonis corruet.] Cùm murus corruerit, quod 63. Belis proprium erat, & antiquum domicilium, quid mirum, ſi Belis intereat religio, ceſſétque tantus, & tam creber populorum concurſus? Quis ſit iſte murus Babylonius, an qui ciuitatem circunfundit, & munit, an qui templum Belis compingit, & continet, dubium eſt. Sanè templum tantæ fuit molis, tot ſumptuum, tantæ artis, vt munimentum, atque ornamentum vrbis eſſe potuerit; quod videtur eſſe illo tempore à Salomonio ſecundum. Sunt certè admirabilia, & penè ſupra fidem, quæ de illius ſtructura, atque opibus tradunt Hiſtorici. Vide Herodotum libro 1. Diodorum Siculum libro 3. capite 4. Strabonem libro 16. Vtralibet harum molium corruerit, ſtare non poterat Belis tanta, támque operoſa religio.

Verſ. 45. *Egredimini de medio eius, popule meus, & ſaluet, &c.*] Hæc ſuprà explicata ſunt verſu 6.

Verſ. 46. *Et ne fortè molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum.*] Comparat Iudæorum animos ad fu- 64. turos euentus, ne molli ſint, & abiecto animó, cùm audiant varios bellorum rumores, & motus, quo tempore appetente iam anno ſeptuageſimo, qui ipſorum exilio definitus eſt, libertas ſperabatur iam antea à Ieremia prædicta. Præſertim quia ipſo tempore non erit mitior Hebræorum dominatus, ſed adhuc perſeuerabit hoſtilis animus, & iniquitas prior. Ait ergo, veniet in anno auditio, & poſt hunc annum auditio, & poſt

poſt alium, atque alium belli rumorem, iidem erunt, qui antea dominatores veſtri, donec alius adueniat dominator, qui res primùm euertant, ac deinde conſtituant Babylonicas. A

65. *Veniet in anno auditio, & poſt hunc annum auditio.*] Hæc variè explicantur tum ab Hebræis, tum à noſtris. Hebræi quidam tres annos diſtinguunt; vnus, in quo increbreſcit fama de bellico apparatu, qui contra Babylonios à Perſis inſtruitur; alius, in quo iam aduentaſſe dicitur; tertius, in quo debellatis Chaldæis, conſequuti ſunt exules libertatem. Theodoretus putat, duobus annis, antequam ingrueret Perſarum exercitus, hoſtilem in Iudæos animum ſeruaturos eſſe Babylonios. Mihi, quod principiò dixi, maximè placet; nempe, audituros vno, atque altero anno, ideſt, ſæpe, Chaldæos de hoſtium aduentu, vel quia norant Ieremiæ prophetiam, quæ tempus definiebat Chaldæorum imperio; vel quia adornari audierant contra ſe Perſarum exercitum; ex vſu verò ſacræ Scripturæ, immo Latinorum, *in anno, & in anno*, aut, quod idem eſt, *in anno, & poſt annum*, idem eſt, ac ſemel, atque iterum, ſeu iterum atque iterum. Cùm verò audito hoc nuncio ſæpius nihil de iniquitate, ac ſeueritate remiſerint, aptè ſubiungitur: *Propterea ecce dies veniunt, & viſitabo,* &c. B

66. Verſ. 48. *Et laudabunt ſuper Babylonem cæli, & terra.*] Grauiter offenſi fuerant cæli, & terra à Babylonis ambitione, crudelitate, & ſtulta, ac falſa religione. Cæli quidem, idest, cæleſtes, nempe Angeli, quia magnis impenſis videbant ibi cultum exhiberi dæmoni, qui vni Deo vero debebatur; & cæli ipſi, atque aſtra, quæ ægrè admodum ferre videbantur, illorum commodis, atque voluptati ſeruire, qui tam aberant à veri numinis obſequio. Terra verò, quia variè à Babylonico faſtu exhauriebatur, nouiſque iniuriis, atque calumniis vexabatur quotidie. Quia verò in ſacra Scriptura ſæpe laus cum exultatione coniungitur, vt diximus ad illud Iſaiæ 62. *Et laudabunt Dominum*, fit vt laus pro exultatione nonnunquam vſurpetur. Hinc fit, vt *Alleluia*, quod in propria ſignificatione *laudem* ſonat, nota ſit exultantis animi vſitata. Quare dum laudaturi dicuntur cæli, & terra, quo tempore moles corruet Babylonica, eorum ſignificatur exultatio, ac voluptas. C D

67. Verſ. 50. *Qui fugiſtis gladium, venite.*] Maldonatus hæc cum Vatablo putat ad illos referri, qui in obſidione Solymitana Chaldæorum gladium effugerunt. Alij ad omnes, qui poſt Babylonicum bellum, deinde poſt Perſicum, & poſt exilij longi ærumnoſum ſtatum ſuperſtites fuerunt. Et hoc mihi videtur magis veriſimile. Quod cum Theodoreto tenent Rabbanus, & Lyra, & complures alij. Neque enim ex his, qui abducti ſunt captiui à Nabuchodonoſor, multi eſſe poterant, exacto iam anno ſeptuageſimo, quanuis aliquos fuiſſe conſtet ex libro 1. Eſdræ capite 3. vbi aliqui dicuntur vtrumque vidiſſe templum, & quod ædificatum fuerat à Salomone, & quod inſtauratum poſtea à Zorobabel. Aliorum verò ingens turba fuit: quia neque infœcunda fuit captiuorum tanta multitudo, neque in obſidione, aut irruptione Perſica ex illa multi deſiderati ſunt. Nam, cùm Deus tanquam ſacri illius belli ſummus imperator, manus apprehendiſſet Cyri, Iſaiæ capite 45. ſic illum, & aciem Perſicam moderabatur, vt à Iudæorum cædibus abſtinerent; quod etiam ex profanis prodit Xenophon libro 7. Cyropædiæ, vbi dicit Perſas, quo tempore vrbem inuaſerunt, cùm in cæteros ſæuirent atrociter, pepercisse tamen his, qui lingua loquerentur Syriaca. Hi verò Iudæi erant, & qui proxime Iudæorum fines attingebant. Hos ergo monet, vt excitent animos ad Ieruſalem, & illius ſe recordatione conſolentur. E

Perſæ, cùm caperetur Babylon, Iudæis pepercerunt.

Verſ. 51. *Confuſi ſumus, quoniam audiuimus opprobrium: operuit ignominia facies noſtras, quia venerunt alieni ſuper ſanctificationem domus Domini.*] 68. Reſpondent captiui, verecundatos ſe eſſe vehementer, tum propter alia, quæ ab inſolente, ac petulante Chaldæorum turba audiebant quotidie de Iudæorum genere indigniſſima conuitia: tum maximè quia, non temeratum ſolum, ſed etiam euerſum eſſe videbant illud Diuini throni auguſtum, & illuſtre ſacrarium, & totius mundi grande miraculum; vnde occaſionem ſumpſiſſe videbantur Babylonij, vt ſculptiles deos, quos ipſi colebant, Iudæorum Deo præferendos eſſe arbitrarentur. & ideo ſubditur attemperatè ad hæc,

Verſ. 52. *Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: & viſitabo ſuper ſculptilia eius, & in omni terra eius mugiet vulneratus.*] 69. Duo ſe incommoda captiui pertuliſſe dicebant, & quòd Salomonis templum eſſet euerſum, inſultaſſétque vero Deo ſacrilega Chaldæorum turba, & quòd ipſis noua quotidie occineret conuitia. Propterea Deus, vt paria referat, eodémque modo patiantur, afficiantúrque Chaldæi, ſculptiles deos, quos primo ſtatuebant loco, viſitabit, atque comminuet, & Chaldæos ipſos ea percutiet plaga, vt nemo ſit, qui ex tanta multitudine non mugiat, ſuámque plangat, atque communem vicem.

Verſ. 53. *Si aſcenderit Babylon in cælum.*] Hoc 70. loquendi modo prouerbiali ſignificat Deus, præſidium omne a Babylone comparatum inſtar habere nihili. Immo ſi ad ea, quæ habet ab arte, ſeu à natura munimenta, adiungat alia multò maiora, ſi muros ad cælos vſque tollat: immo ſi in cælis ipſis arces extruat, & belli propugnacula, non tamen perfecturam quicquam contra acies, quas paratas habet, & quas ipſe tanquam dux, & Imperator aget. Eadem figura vſus eſt Abdias verſu 4. contra Idumæos: *Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te.* & Iob capite 20. verſu 6. *Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Eodem dicendi genere vſus eſt Æneas in Turnum lib. 12.

PROV. Ad cælum aſcendere.

Abd. verſ. 4.

Iob. 20. 6.

Verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid
Siue animis, ſiue arte vales: opta ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſúmque caua te condere terra.

Verſ. 54. *Vox clamoris de Babylone.*] Nominatiuus abſolutè ex Hebræorum idiomate nonnunquam ponitur, vt diximus in Iſaiam capite 33. numero 49. & in dictione *vox*, frequentiſſimè, vt, *vox clamantis, vox dicentis, vox de templo.* & nuper capite 48. *vox clamoris de Oronaim.*

REGVLA. Nominatiuus abſolutus.

Verſ. 55. *Perdidit ex ea vocem magnam.*] Sicut 71. victi, ac ſerui, coram victoribus, ac dominis ſilere ſolent, vnde ſilentium illis attribuitur, qui ſub aliorum iugum acti, aut qui in timore ſunt, vt

diximus

diximus in Iſaiam capite 6.numero 19.ſic etiam, qui victores ſunt, magníque ſe ipſos, ac ſuam fortunam faciunt, clamoſi ſunt, & inter alios aut ſoli, aut maximè audiri volunt; quales erant Babylonij natura ſua ſuperbi, & iam pridem variis inflati victoriis. Horum ergo ſpiritus inſolentes, aſcitis è Perſide militibus, comprimet Deus, efficiétque, ne tam loquantur altè, ac magnificè de ſe, neque mutire audeant coram hoſte victore.

72. *Et ſonabunt fluctus eorum, quaſi aqua multa.*] *Fluctus* & *mare*, vt ſæpe vidimus, & proximè hoc capite verſu 42. exercitus appellantur; ſic nunc ſicut proximè, Perſarum acies fluctus vocantur, & aquæ multæ. Sonarant ad illum vſque articulum aquæ Babyloniæ, ideſt, arma, quæ horrebant non ſolùm vicini, ſed remoti etiam populi. At vbi Perſicæ appulerint acies,ideſt, mare aliud longè patentius cum fragore,ac militari fremitu, conticeſcent Babylonici fluctus; ſicut Euphrates eo tempore ſiccatus, & languidus conticuit, & tantùm *eorum*, ideſt, Perſarum, fremebant fluctus.

Murus Babylonis quātus.

73. *Murus Babylonis ille latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur.*] De Babylonicis muris, qui pro miraculo habiti ſunt, multa tradunt Hiſtorici. Vide Herodotum,Diodorū Siculum,Iuſtinū,Solinum. Illud tantùm dicā,latos fuiſſe quinquaginta cubitis,altos ducentos, ita vt ſine vlla offenſione occurrere ſibi poſſent in eius trāſitu binæ quadrigæ. Tantus ergo murus,quòd neque ab externa vi,neque ab omni ſæculorum æternitate quicquam metuebat, exciſus fuit. Quo verò tempore, ſimúlne ab vno, aut à multis carptim, diximus capite 50. ad illud, *Ab ira Domini non habitabitur.*

Muri Babylonici,portæ.

74. *Portæ eius excelſæ igne comburentur.*] De portis ſic Herodotus lib. 1. *Eius per ambitum centum portæ ſtabant, æreæ omnes, cum cardinibus itidem, poſtibúſque.* De quibus Claudianus in Rufinum libro primo:

Creditur & centum portis Babylona ſuperbam
Fœmineus ſtruxiſſe labor.——

75. *Et labores populorum ad nihilum.*] Labores populorum vocantur inſanæ ſubſtructiones, in quibus laborauit tota penè Aſia multis annis, & immenſæ illius opes exhauſtæ ſunt. De quibus iidem, qui proximè citati auctores. Fuerunt autem præter regias ædes, & muros, de quibus modò, horti, etiam penſiles, qui neque plantari ſine magnis ſumptibus, neque conſeruari ſine magna populorum moleſtia potuêre, de quibus ſatis multa ſuprà capite 13. ad illud, *Ad montes caliginoſos*; vbi diximus, hortos illos penſiles ita fuiſſe magnos, & excelſos, vt procul ſpectantium oculis montes apparerent. Sanè labor, qui in Babylonicis operibus, vel extruendis, vel tuendis ponebatur, aſſiduus dicitur,& eo nomine miraculum quoddam eximium putabatur Babylon. De quo Martialis in Amphitheatro, epigrammate primo:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis,
Aſſiduus iactet nec Babylona labor.

Hi tamen populorum labores vſque adeò contrà nitente Domino vaneſcent, vt neque illorum maneant vlla veſtigia.

76. Verſ.59. *Verbum, quod præcepit Ieremias Propheta Saraiæ.*] Nil, credo, nouum prophetat Ieremias in eo, quod reliquum eſt capitis, ſed tantùm præcipit, vt quæ duobus extremis capitibus contra Babylonem detonuit, certa quadam ratione,de qua ſtatim, Babyloniis denunciet,aut eorum firmitatem portendat. Quare,*verbum*,non eſt nouum oraculum,ſed mandatum, quod circa antiqua oracula accepit Saraias.

Cùm pergeret cum Sedecia Rege in Babylonem in 77.
anno quarto regni eius.] De hac Saraiæ profectione varia meditantur Interpretes. Quidam legatum eſſe dicunt à Sedecia miſſum Babylonem, non verò cum Sedecia profectum;ita indicat Septuaginta tranſlatio: *Cùm abiret à Sedecia,* nempe miſſus. quod item ſequitur Chaldæus. Alij dicunt ſimul fuiſſe cum Sedecia profectum; & hoc eſt magis ad textum Hebraicum, & tenent Maldonatus, & Caſtrus, & plerique alij: immo, & liber, qui inſcribitur, Seder olam capite 25. *Anno* (inquit) *quarto regni, Sedecias deſcendit Babylonem, comitatus ſuis Principibus, vt ſibi conciliaret gratiam Nabuchodonoſor Regis Babylonis; deinde rediit Hieroſolymam in regnum ſuum.* Sanè non eſt incredibile, cùm magni intereſſet, habere Regem Babylonis beneuolum, tum ad regni quietem, tum etiam nequid grauius paterentur captiui à Babyloniis, voluiſſe Regem & quarto illo anno, & aliis etiam temporibus,adire Babyloniam, maximè cùm iter illud non eſſet longum, neque magnæ in via difficultates.

Princeps prophetiæ.] Hebraicè מנוחה *menuchah,* 78.
quæ vox quietem ſignificat;vnde Doctoribus tā noſtris,quàm Hebræorum occaſio oblata aliter, atque aliter cogitādi.Quidam Principem quietis vocari putant, quia à cubiculo, ſeu à cubili Regis erat, vbi quietem caperet, aut ſomnum Sedecias. Alij, quia quietis, aut relaxandi animi gratia, confabulari Rex, aut feſtiuius aliquod opus ſimul cum ipſo exercere ſolitus. Sed fortaſſe alios habuit codices Vulgatus:quòd ſi eoſdem habuit, quos modò nos, Princeps quietis dicitur, qui Princeps fuit prophetiæ, quia per quietem, & ſomnum, aliquando afflari Prophetæ ſolent à Diuino Spiritu. Sed quia tot modis prophetia accipitur, quot accipi Propheta aſſolet (Propheta quippe dicitur, qui laudat Deum, qui interpretatur Scripturam) fortaſſe Saraias Princeps vocatur prophetiæ, quia Princeps erat cantorum (& tunc optimè vocari potuit Princeps recreationis, aut quietis) aut Princeps eorum, qui interpretandis Scripturis operam dabant.

Mihi alia ſubeſt ratio. Fortaſſe cùm Sedecias 79.
ad Regem Babylonis proficiſceretur, pluribus illorum,qui regium ſtipabant latus, commendauit Propheta ea, quæ mox dicemus, in mandatis habuiſſe Saraiam; nempe, vt ligatum volumen in flumen proiicerent; ſed præcipuè id negotij datum eſſe Saraiæ. Cùm autem de prophetia in Babylonios eſſet illud mandatum, prophetiæ Princeps non ineptè nominari potuit. Alia alij dicunt,ſed non omnia nobis aut numeranda ſunt, aut refellenda.

Verſ.60. *Omnia verba hæc, quæ ſcripta ſunt contra* 80.
Babylonem.] Volumen, quod datum eſt Saraiæ in Babylonem profecturo, id continebat, vt ex his verbis perſpicuum eſt, quod duobus hiſce capitibus complexus eſt Ieremias. licèt nihil hàc de re habeamus certum à Propheta: eſt tamen veriſimile, hæc coram Iudæis tantùm eſſe recitata, qui capti fuerant priùs ſub Ioacim; deinde non exiguo numero cum Ioachin ſeu Iechonia: his

enim verbis excitabantur ad bene ſperandum, & ſpes libertatis aliquid afferre poterat leuamenti, ad ſubeundum durum exilij pondus. At ſi hæc de ſuæ ciuitatis exitio, fortunæque conuerſione acciperent Babylonij, qui & ſuperbos imbiberant ſpiritus, & adhuc in Iudæos parum erant pacati, exacerbatis animis duriùs ſæuirent in Iudæos, quod minimè volebat, aut moliebatur Ieremias.

81. Verſ. 63. *Ligabis ad eum lapidem, & proiicies illud in medium Euphratem.*] In libro, in quo Babylonis continebatur ruina, & ſempiterna ſolitudo, ipſa exprimebatur, ſeu adumbrabatur iam exciſa Babylon. Quare ſicut ſpes erat nulla, illum librum alligatum ſaxo emerſurum vnquam è profundo Babylonici fluminis alueo; ſic neque ſpes proponebatur vlla Babyloniis rediuiuæ patriæ, quam Perſicus ſtrauiſſet furor. Eò ſine dubio ſpectat deiectum volumen in Euphratem.

Apoc. 18. Huc alluſit ſine dubio Ioannes Apocalypſis capite 18. verſu 21. Cùm enim toto capite egiſſet de Babylonis interitu, tandem addidit: *Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.*

82. Neque abſimile eſt, quòd in ſignificationem

A non diſſimilem fuerunt olim quidam e Gentilibus. Phocenſes, vt auctor eſt Herodotus libro 1. diris ſe deuotionibus, atque execrationibus aſtrinxeruut, ſi quando de repetenda patria cogitationem ſuſciperent. Ad hæc grande ſaxum in mare demergunt, & iuramento, execrationéque confirmant, non priùs ſibi in patriam fore redeundum, quàm ſaxum illud ad ſummas aquas enatarent è fundo. Aliquid etiam in hanc ſententiam olet vſitatum illud iuriſiurandi, ac deuotionis genus, quo in rebus magnis confirmandis vtebantur Romani, dum Iouem lapidem iurarent. Dicebant enim è concepta formula, tenentes, proiicientéſque lapidem: *Si ſciens fallo, tunc me Dieſpiter ſalua vrbe, arceque bonis eiiciat, vti ego hunc lapidem.*

Phocenſium execratio.

B Verſ. 64. *Hucuſque verba Ieremiæ.*] Verba hîc pro oraculis ſumo, ſeu vaticiniis: nam quæ ſequuntur reliqua, non tam prædicunt futura, quàm iam facta narrant hiſtoricè, aut, vt capite 52. quod mox ſuccedit, aut illata iam damna Iudæorum Reipublicæ deplorat, vt apparet in Threnis, quod poëma quoddam eſt elegiacum, & lugubre, niſi mauis hactenus pertexi Ieremiæ verba non abſolutè, ſed definitè de Babylone, ſicut capite 48. dixerat: *Hucuſque iudicia de Moab.* 83.

ARGVMENTVM CAPITIS LII.

CAPVT hoc totum eſt hiſtoricum, neque eget Paraphraſi: continet námque hiſtoriam Sedeciæ, quam habes eodem propè modo 4. Regum capite 24. & 25. quam nos ſuprà explicuimus capite 39. Deinde minutim ſingula percenſet, quæ ex templi diuitiis, ſeu exuuiis Chaldæorum victor transtulit Babylonem. Tandem ad extremum, cùm vita functus eſſet Nabuchodonoſor, oſtenditur, quomodo eius filius Euilmerodach Ioachim, ſeu Iechoniam Regem olim Ieruſalem extractum è carcere amicè ſit complexus, & regium in modum ad diem vſque mortis ornauerit.

IEREM. CAP. LII.

1. *Filius viginti & vnius anni erat Sedecias cùm regnare cœpiſſet: & vndecim annis regnauit in Ieruſalem, & nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ de Lobna.*

2. *Et fecit malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim.*

3. *Quoniam furor Domini erat in Ieruſalem, & in Iuda, vſquequo proiiceret eos à facie ſua: & receſſit Sedecias à Rege Babylonis.*

4. *Factum eſt autem in anno nono regni eius, in menſe decimo, decima menſis: venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus eius aduersùs Ieruſalem, & obſederunt eam, & ædificauerunt contra eam munitiones in circuitu.*

5. *Et fuit ciuitas obſeſſa vſque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ.*

C 6. *Menſe autem quarto, nona menſis, obtinuit fames ciuitatem: & non erant alimenta populo terræ.*

7. *Et dirupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores eius fugerunt, exierúntque de ciuitate nocte per viam portæ, quæ eſt inter duos muros, & ducit ad hortum Regis (Chaldæis obſidentibus vrbem in gyro) & abierunt per viam, quæ ducit in eremum.*

8. *Perſecutus eſt autem Chaldæorum exercitus Regem: & apprehenderunt Sedeciam in deſerto, quod eſt iuxta Iericho: & omnis comitatus eius diffugit ab eo.*

9. *Cúmque comprehendiſſent Regem, adduxerunt eum ad Regem Babylonis in Reblatha, quæ eſt in terra Emath: & locutus eſt ad eum iudicia.*

10 Et

10. Et iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius: ſed & omnes Principes Iuda occidit in Reblatha.

11. Et oculos Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum Rex Babylonis in Babylonem, & poſuit eum in domo carceris vſque ad diem mortis eius.

12. In menſe autem quinto, decima menſis, ipſe eſt annus nonuſdecimus Nabuchodonoſor Regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ, qui ſtabat coram Rege Babylonis in Ieruſalem,

13. Et incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ieruſalem, & omnem domum magnam igni combuſſit.

14. Et totum murum Ieruſalem per circuitum deſtruxit cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magiſtro militiæ.

15. De pauperibus autem populi, & de reliquo vulgo, quod remanſerat in ciuitate, & de perfugis, qui transfugerant ad Regem Babylonis, & cæteros de multitudine, tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ.

16. De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores, & agricolas.

17. Columnas quoque æreas, quæ erant in domo Domini, & baſes, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum in Babylonem.

18. Et lebetes, & creagras, & pſalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vaſa ærea, quæ in miniſterio fuerant, tulerunt:

19. Et hydrias, & thymiamateria, & vrceos, & pelues, & candelabra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea; & quotquot argentea, argentea tulit magiſter militiæ:

20. Et columnas duas, & mare vnum, & vitulos duodecim æreos, qui erant ſub baſibus, quas fecerat Rex Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium horum vaſorum.

21. De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porrò groſſitudo eius quatuor digitorum, & intrinſecus caua erat.

22. Et capitella ſuper vtramque ærea: altitudo capitelli vnius quinque cubitorum: & retiacu-
A la, & malogranata ſuper coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ ſecundæ, & malogranata.

23. Et fuerunt malogranata nonagintaſex dependentia: & omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur.

24. Et tulit magiſter militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum: & tres cuſtodes veſtibuli.

25. Et de ciuitate tulit eunuchum vnum, qui erat præpoſitus ſuper viros bellatores: & ſeptem viros de his, qui videbant faciem Regis,
B qui inuenti ſunt in ciuitate: & ſcribam principem militum, qui probabat tyrones: & ſexaginta viros de populo terræ, qui inuenti ſunt in medio ciuitatis.

26. Tulit autem eos Nabuzardan magiſter militiæ, & duxit eos ad Regem Babylonis in Reblatha.

27. Et percuſſit eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & tranſlatus eſt Iuda de terra ſua.

28. Iſte eſt populus, quem tranſtulit Nabu-
C chodonoſor: In anno ſeptimo, Iudæos tria millia & viginti tres:

29. In anno octauodecimo Nabuchodonoſor, de Ieruſalem animas octingentas triginta duas:

30. In anno vigeſimotertio Nabuchodonoſor, tranſtulit Nabuzardan magiſter militiæ animas Iudæorum ſeptingentas quadraginta quinque: omnes ergo animæ, quatuor millia ſexcentæ.

31. Et factum eſt in trigeſimoſeptimo anno tranſmigrationis Ioachin Regis Iuda, duodecimo menſe, vigeſimaquinta menſis, eleuauit
D Euilmerodach Rex Babylonis ipſo anno regni ſui, caput Ioachin Regis Iuda, & eduxit eum de domo carceris.

32. Et locutus eſt cum eo bona, & poſuit thronum eius ſuper thronos Regum, qui erant poſt ſe in Babylone,

33. Et mutauit veſtimenta carceris eius, & comedebat panem coram eo ſemper cunctis diebus vitæ ſuæ,

34. Et cibaria eius, cibaria perpetua dabantur ei à Rege Babylonis, ſtatuta per ſingulos dies, vſque ad diẽ mortis ſuæ cũctis diebus vitæ eius.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM-SECVNDVM IEREMIÆ.

1\. TOTVM hoc caput apertum eſt, neque in eo aliquid continetur aliud, præter hiſtoriam Sedeciæ à Babyloniis capti, & eorum, qui cum illo in exilium abierunt: tum præterea opima de templo ſpolia, quæ ſic à Propheta clare deſcribuntur, vt nullam deſiderent operam, aut lucem Interpretis. Tractauit hoc idem magna ex parte Propheta capite 39. vbi nos aliqua. Et hæc fermè omnia eodem, aut non valde diſſimili ordine tractantur libro 4. Regum capite 24. & 25. Nos hîc tantùm attingemus ea, in quibus aliquid occurrit, ad quod offendat attenti lectoris ſtudioſus animus, quæ neque multa ſunt, neque magni negotij.

2\. Verſ. 12. *In menſe autem quinto, decima menſis, ipſe eſt annus nonuſdecimus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, venit Nabuzardan.*] Hic locus aberrare videtur ab eo, quod habemus libro 4. Regum capite 25. verſu 8. vbi ſeptima die menſis veniſſe traditur Nabuzardan. Solutio difficilis non eſt: cùm enim Reblatha, vnde egreſſus eſt Nabuzardan, à Hieroſolymis diſtaret, interuallo non modico, in libro 4. Regum, dies ponitur ſeptimus, in quo inchoatus, hîc apud Ieremiam decimus, in quo finitus eſt curſus; neque incredibile eſt à militari progreſſu, tres dies, in ſpatio illo decurrendo, fuiſſe conſumptos.

3\. Verſ. 28. *In anno ſeptimo Iudæos tria millia viginti tres.*] Libro 4. Regum dicitur fuiſſe annus octauus, In hoc quoque diſſoluendo nodo non diu nobis hærendum eſt, cùm ex ſupradictis ſatis conſtet, inceptum annum interdum adhiberi pro completo, interdum omitti. Numerauit quartus liber Regum inchoatum annum, Ieremias omiſit: atque ideo hic ſeptimum, ille annum octauum fuiſſe dixit.

4\. Verſ. 31. *Vigeſimaquinta menſis.*] Agitur hîc de libertate, atque honore planè regio, quem poſt multos annos, quos habuit in cuſtodia, conſequutus eſt Iechonias ab Euilmerodach. In tempore videtur Ieremias à libro 4. Regum decerrare: ibi enim capite 25. verſu vigeſimoſeptimo traditur, die 27. eleuatum eſſe caput Iechoniæ; hîc verò decimaquinta. Solutiones variæ ſunt. Quidam obiiſſe putant Nabuchodonoſor die decimaquinta, & quia ex eius interitu pendebat Iechoniæ libertas, & Regius honor, ab eo die eleuatum dici, & Regium ſplendorem obtinuiſſe arbitrantur. Alij eductum eſſe quidem die decimoquinto de carcere, eleuatum tamen fuiſſe decimoſeptimo; neque eius rei defuiſſe videtur idonea ratio. Nam, cumprimùm mortuus eſt Nabuchodonoſor, eductus eſt de carcere filius Euilmerodach, qui regnum obtinuit pro parente. Satis autem habuit, ſi eo die Iechoniam eximeret è vinculis, cùm paterno funeri, cui Regio more parentandum fuit, reliquum tempus impenſum oportuerit. Exequiis autem patris perſolutis, tertio pòſt die Regem aſciuit ad menſam, & inter Reges alios primum tradidit locum: quare eleuatus dici potuit die decimaquinta Iechonias, quia tunc eleuari cœpit, cùm emerſit

A è vinculis: eleuatus item die decimaſeptima, quia tunc honores illos conſequutus eſt, quos prius animo deſignarat Euilmerodach.

Caput Ioachin Regis Iudæ.] Caput ſumi pro eo, cuius eſt caput, res eſt non obſcura; quod nos pluribus oſtendimus in illud Iſaiæ capite 35. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* Sic dicitur *caput canis, caput colubri*, pro colubro, & cane. plura ibi nos adduximus exempla, quæ id planè conuincunt. Subleuatum ergo eſſe caput Ioachin nihil eſt aliud, quàm Regem illum libertatem aſſecutum, & gloriam. 5. *Caput, pro perſona.*

De domo carceris.] Nulla fides habenda Barbaris his, maximè qui falſa non tam ducuntur, quàm abducuntur religione. Fuit planè infidelis, & barbarus Nabuchodonoſor in Regem, qui B depoſitis armis vltrò ſe ipſum, & ciuitatem tradidit: quem coniecit in carcerem, in eoque detinuit non minùs trigintaſeptem annis: nam triceſimoſeptimo anno à tranſmigratione emerſiſſe dicitur de domo carceris. 6.

Verſ. 32. *Et poſuit thronum eius ſuper thronos Regum.*] Suberant Reges alij Babylonis imperio, quos in regia vrbe, & regni capite, ſolitos eſſe viuere, non eſt incredibile; ſicut noſtro ſæculo fieri videmus, in quo Reguli, ac Principes magnorum Regum curias obire ſolent, & Regium ſtipare latus, & alia non indecora munera præſtare. Quales videntur fuiſſe illi, quos Aſſuerus ad conuiuium aſciuit, qui dicuntur Principes fuiſſe Eſther capite 1. aut, quod mihi veriſimilius eſt, earum prouinciarum, quos ſuo adiunxerat imperio, Reges ſecum habuerat Babylonius, ne ſi in prouinciis relinquerentur, aliquid tentarent noui, & pacem perturbarent imperij. Sicut fecit Adonibezech, Iudicum capite 1. qui ſeptuaginta Reges, quos è Regia dignitate depulerat, apud ſe retinuit. Exiſtimo autem earum prouinciarum Reges, quas debellauit Nabuchodonoſor, fuiſſe in Babylonia, putà, Regem Moabitarum, Ammonitarum, Idumæorum, Cedarenorum, Ælamitarum, Tyriorum, de quibus capite 49. immo credo in vinculis fuiſſe ſicut Ioachin, & Sedecias, & à ſucceſſore Euilmerodach fuiſſe extractos è carcere, & ſtatum liberum, atque ingenuum fuiſſe adeptos; inter quos primum locum habuit Ioachin: in hoc ego poſtremum magis inclino, vt in re tamen dubia, non nimis tenaciter. 7. *Ioachin eleuatus ab Euilmerodach.* (C) (D)

Verſ. 33. *Cunctis diebus vitæ eius.*] Quantum temporis vixerit cum regio ſplendore Ioachin, nihil habemus ex ſacra Scriptura certum: vixiſſe tamen non diu, ſatis eſt veriſimile, quia iam ætate grandi egreſſus fuit è carcere, annos nempe nactus quinquagintaquinque. Nam, vt ex capite 24. libri 4. Regum conſtat, decem & octo annorum erat, quando tranſlatus eſt in Babylonem. Ex hoc capite habes anno trigeſimoſeptimo à tranſlatione illa è vinclis emerſiſſe, ex quibus ſumma colligitur annorum quinquagintaquinque. 8.

Cur extractus fuerit ab Euilmerodach, cumprimùm regnum iniit Babylonicum, eam rationem 9. *Euilmerodach invin-*

culà à patre coniectus. nem adducunt Hebræorum magiſtri, quibuſcum ſentiunt ex noſtris non pauci, vt Lyra hic, & Abulenſis in caput 25. libri 4. Regum quæſtione 37. Quia cùm eo tempore, quo Nabuchodonoſor cum beſtiis egit, regnum adminiſtrauit Enilmerodach. Vbi autem exacto ſeptennio ſibi ipſi, ac regno reſtitutus eſt, cùm audiſſet, filium aut in adminiſtrando regno multa peccaſſe, aut, ſicut alij volunt, de patentis inſania fuiſſe gauiſum, illum coniecit in cuſtodiam illam, in quam aliquot annos antè Iechoniam incluſerat. In communi ergo domicilio, longo illo tempore, amicitiam non vulgarem cum Iechonia contraxit; qualis illa ſolet eſſe, quam communis, eadémque aduerſa fortuna conciliat.

10. *De exhumato Nabuchodonoſor, Hebræorum fabula.* Quod verò addunt aliqui, vt refert Hieronymus ad illud capitis 14. Iſaiæ, *Tu autem proiectus es de ſepulcro tuo*, conſilio Iechoniæ exhumatum paternum cadauer ab Euilmerodach, & eiuſdem conſilio, vt Abulenſis ſuprà dicit, & Haymo, & Hugo in citatum proximè Iſaiæ locum, & Hiſtoria Scholaſtica in caput 5. Danielis, diuiſum eſſe cadauer in trecentas partes, ínque totidem vultures diſtributas, ne crederetur eſſe victurus, reuerſurúſque in regnum, ſicut paulò antè ex ſtatu quaſi belluino, non admodum diuerſo redierat, planè Rabbinicum olet cerebrum, qui, vt aliquid referant inauditum, & prodigioſum, quod rerum natura poſtulat, non conſiderant.

11. *Sedeciæ Regium funus.* Quæret hîc curioſus aliquis, quid actum fuerit de Sedecia, cuius ſuprà lamentabilem tragœdiam accepimus. Primùm non conſtat ex ſacra Scriptura, quid actum de illo fuerit, poſtquam tranſlatus fuit è Babylone, niſi quòd Regij funeris honorem conſequutus fuerit; cui videlicet conclamatum ſit: *Væ Domine*, & *Væ inclyte*, iuxta illud Ieremiæ capitis 34. *In pace morieris, & ſecundùm combuſtiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te, & væ Domine, plangent te.* *De morte Sedeciæ ex pudore fabuloſa hiſtoria.* Obiiſſe illum in carcere conſtat ex Ieremia capite 52. verſu 11. *Et poſuit eum in domo carceris, vſque ad diem mortis eius*, tradit idem Ioſephus libro 10. capite 11. elatúmque dicit cum Regia pompa. Idem tradunt Hiſtoria Scholaſtica capite 46. in libro 4. Regum, & Abulenſis ſuprà, quæſtione 38. De genere mortis agit Hiſtoria Scholaſtica, & ex ea Abulenſis, cui tamen non probantur omnia. Dicunt autem, cùm feſtinus ex victoria ſplendidum inſtrueret conuiuium Nabuchodonoſor, inuitatum quoque inter conuiuas alios fuiſſe Sedeciam: quem, cùm aliis vellet eſſe ludibrio, & ex aliena ignominia riſum excitari, iuſſit Sedeciæ inſcio quid biberet, potum dare, quod ventrem laxaret, & ſolueret: quod cùm ad Nabuchodonoſor votum, conuiuarúmque iocos, & voluptatem ſucceſſiſſet, ſic turpis ille ſucceſſus Sedeciam pudefecit, & afflixit, vt reductus in carcerem, non diu pòſt ex mœrore interierit, quem Rex Babylonius ex carcere cum honore Regio ad ſepulturam extulit.

Hæc Hiſtoria Scholaſtica, in quibus aliqua improbat Abulenſis, miror magis, cur aliquid probet, niſi quod de funere regio tradit; quia id ex Ieremia conſtat, vt proximè diximus. Magis probat, poculum eſſe datum Sedeciæ, quod mentem turbaret, & ebrietatem induceret, vt nuditatem ſuam oſtenderet laſciuis conuiuarum oculis; ſicut multis ante ſæculis contigit Noë, Geneſis 9. Quam ignominiam lapſus, & temulentus facilè ſubire potuit Sedecias, cùm Hebræorum more, puto etiam & Chaldæorum femoralium velamen non haberet. In quam cogitationem adducit illud Abacuch capite 2. verſu 15. *Væ, qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.* Quem locum exponi poſſe putat de Nabuchodonoſor, ſicut Hebræorum Doctores, in eam, quam dixit Abulenſis, ſententiam exponunt. Qui etiam addunt, id apud Babylonios fuiſſe valde viſitatum in conuiuiis, vt aliorum ſe crapula, ac nuditate, quaſi pars eſſet ſplendidæ menſæ, oblectarent. Sed quanta fides adhibenda ſit Hebræorum nugis, non ſemel admonuimus. Illud ad extremum addo, quid in exequiis Sedeciæ cantatum eſſe dicatur à Iudæis, qui patrio more illum intulêre ſepulturæ, Sic enim in Seder olam capite 28. *Interiit Sedecias, & de ipſo hunc, inſtituerunt planctum: Heu, qui mortuus eſt Rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum.* id eſt, vt ibi Genebrardus exponit, luens peccata omnium ſuperiorum ætatum. 12. *Alia ſententia de morte Sedeciæ.* *Abacuch 2.* *Turpis voluptas in Chaldæorũ conuiuiis.*

Hic finis ſit prophetiæ Vatis eximij, in qua explicanda, licèt quantum habui facultatis poſuerim; quia tamen illud exiguum eſt, ſcio, me neque aſſequutum eſſe quod optabam, neque ſatisfeciſſe ingenioſi lectoris, ac pij deſiderio. Quẽ tamen, credo, habebo non iniquum, ſi modò ſibi perſuaſerit, nihil à me relictum eſſe operæ, vel induſtriæ, vt quæ obſcura ſunt, aliquam accipiant lucem, & quæ diſſoluta videntur eſſe, ſuo connectantur apto, atque perpetuo filo. Si quid verò à me peccatum in longo hoc, atque impedito labore; ſi qua in re minùs ex fide, dignitatéque Prophetæ elaboratum, ignoſci mihi à magno Propheta poſtulo, atque à benigno lectore. Neque quicquam eſſe volo in toto hoc opere, quod non elimet, & corrigat non Eccleſia ſolùm, quod neceſſe eſt, ſed etiam doctorum hominum cenſura. Laus Deo, & B. Virgini, & beato Patri Ignatio, quorũ tutelæ, ac fidei, & hoc opus, & me ipſum totum ſeriò, atque ex animo trado. 13.

IN

IN IEREMIÆ LAMENTATIONES COMMENTARII.

DE AVCTORE HVIVS LIBRI, *& quando compoſitus, quódve eius argumentum.*

1. *Ieremias auctor Threnorum.* De auctore nemo dubitat pius, cùm in Bibliis præfixum ſit Ieremiæ nomen, & illud paſſim vſurpet Eccleſia, maximè ſi, quod nonnulli volunt, titulus, quem præpoſuiſſe exiſtimantur Septuaginta, canonicæ fidei pondus habeat. Quòd ſi verum eſt, monſtrari adhuc foueam, in qua Ieremias incluſus Threnos compoſuit (vbi à Conſtantino, vt Baronius ex Nicephoro citat ex additionibus ad Martyrologium, ad diem primam Maij, mirum extruxit ædificium, quod etiam nunc peregrini inuiſunt, & à maioribus acceptum conſtanti fide tenent) ſi ita eſt, minus erit, quod quiſquam prudens dubitare debeat. Vide Hadricomium in Ieruſalem, numero 224.

2. De Auctore itaque minùs nobis laborandum eſt. Quando verò liber hic compoſitus fuerit, tunc conſtabit, quando de harum Lamentationum argumento conſtiterit. Nam ſi, vt multi volunt, hic liber eſt, quem Ieremias capite 36. ſcribendum dictauit Baruch amanuenſi, quémque cultello diſcidit Ioacim, & in ignem iniecit, conſtat, ſcriptum eſſe anno 4. Ioacim, id eſt, annis octodecim ante extremum ciuitatis excidium. Ita quidam ex Hebræorum magiſtris, quibus è noſtris aliquot adhæſêre: ſed eſſe omnino falſum, non modò ex noſtris plerique, ſed ex Hebræis etiã nonnulli cenſuerunt, in quibus eſt Abenezra. Rationes graues ſunt, quę cogitationem illam omnino conuellunt. ex omnibus vnam accipe. In eo libro, ſiue quem lacerauit, atque combuſſit Ioacim, ſiue quem poſtea iterum ſcripſit Baruch, qui eiuſdem fuit argumenti, & multò etiam plura complexus eſt, prophetias continet contra Ieruſalem, & Iudam, nationéſque ab Iſraëlitarum nomine, ac religionē alienas. At in Lamentationibus iſtis præterita planguntur incommoda Iudæorum; de futuris, aut etiam de Gentilium ſucceſſu nullus ſermo. vide quæ diximus ad finem capitis 36. ſuprà.

A Quidam hos Threnos eſſe putant, quos Ieremias condidiſſe traditur in funere Ioſiæ 2. Paralip. capite 35. *Mortuus eſt Rex Ioſias, & ſepultus eſt in Mauſolæo patrum ſuorum: & vniuerſus Iuda, & Ieruſalem luxerunt eum; Ieremias maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices, vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſraël, Ecce ſcriptum eſt in Lamentationibus.* Hæc ſententia plures habet patronos, & in his Hieronymum in caput 12. Zachariæ, quem Rabbanus ſequitur, & B Maldonatus, tenet apertè Chaldæus, & indicat Ioſephus libro 1. Antiquitatum capite 6. dum ait; extare adhuc epicædium, quod carmine lugubri de Ioſię morte compoſuit Ieremias. Sed eſt communis omnium fermè ſententia, aliud tempus ſpectare Lamentationes haſce; illud nempe, quod habuit gens Iudæa, vel cùm obſeſſa eſt ab hoſte Babylonio, vel cùm è patriis finibus in exilium abducta iniuriis omnium, atque ludibriis patuit. Quod ex Lamentationum textu, atque ordine conC iectare quiſque non difficilè poterit: narrātur quippe multa, quæ in Ioſiæ mortem, Pharaoniſque victoriam quadrare nullo modo poſſunt. Neque enim tunc omniũ ordinum, atque ætatum homines ita vexati ſunt, aut aſperè, aut impudenter, ſicut in his Threnis plangit Ieremias. Non famelicæ matres filiorum elixas carnes in ſua rurſus viſcera condiderunt. Neque gentes ingreſſæ fuiſſe traduntur in Sanctuarium, euerſum templum, temerata ſacra, & plura D alia, quæ attentus lector facilè cognoſcet ſub Ioſiæ mortem, paſſam non eſſe Iudæorum gentem. De quarto Alphabeto, déque Chriſto propter delicta cæſo, quod quidam de Ioſia accipiunt, ſuo dicemus poſtea loco. 3.

Ex his conſtat, his Lamentationibus propoſitam eſſe plagam illam, quam populus accepit, vel obſeſſus priùs, vel poſtea in exilium abductus à Chaldæis. Nam, vt ex titulo, & quaſi proœmio Lamẽtationis habemus, 4.

bemus, hæc tunc cecinit Ieremias, cùm iam eſſet capta, atque euerſa Hieroſolyma, & in Babylonem tranſlati ciues. *Et factum eſt, poſtquam in captiuitatem redactus eſt Iſraël, & Ieruſalem deſerta eſt, ſedit Ieremias Propheta flens, & lamentatus eſt lamentationem hanc ſuper Ieruſalem, & dixit.* Quæ verba à quocunque adiecta, quia tamen illis vtitur Eccleſia, maiorem auctoritatem habent, quàm à quocunque alio auctore non canonico aduenire poſſent.

Quo artificio, ſeu quo dicendi genere Threni compoſiti.

5. *Threnorum artificium.* CErtum eſt, poëticis numeris conſtare Diuinum hoc epicedium, ſeu lugubre poëma, vt eſt communis hominum ſenſus, & docet Hieronymus epiſtola 155. ad Paulam Vrbicam. *Habes* (inquit) *& in Lamentationibus Ieremiæ quatuor Alphabeta, è quibus duo prima quaſi Sapphico metro ſcripta ſunt, quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab vna tantùm litera incipiunt, heroici coma concludit. Tertium verò Alphabetum trimetro ſcriptum eſt, & à ternis literis, ſed eiſdem terni verſus incipiunt.* Puto eas habere leges ſacrum iſtud poëma, quas Hieronymus Hebraici ſermonis ſcientiſſimus iudicat. Sed, vt verum fatear, nullos tam in his Threnis, quàm in aliis ſacræ Scripturæ canticis numeros inuenio; nullam legem, quæ perpetua ſit, licèt in ea cura aliquandiu ſudauerim; neque credo de antiqua Hebræorum poëſi quicquam poſſe certum definiri. Quare, quia cenſeo ea de re non à me ſolùm, ſed etiam ab alio quolibet nihil afferri poſſe non incertum, nihil in hac quæſtione ampliùs addam, ne rem aſſumere videar, quam induſtria nulla, atque ſolertia inueſtigare, aut ſuperare poſſet.

6. *Alphabeticus ordo in Hebræorum poëſi.* Illud hîc neceſſariò obſeruandum, vſitatum eſſe inter Hebræos, vt in carminibus pangendis ordinem ſequantur Alphabeticum, id eſt, vt verſus ſinguli ab ea litera incipiant, quæ eundem habeat locum in Alphabeto, quem ipſi in ordine poëmatis: ita vt, primus verſus incipiat ab Aleph, ſecundus à Beth, tertius à Guimel, & ita deinceps. Quam legem obſeruabis in Pſalmo 118. cuius octonarij ſinguli ab octonis quoque literis acroſtichis incipiunt, & in Pſal. 38. vbi poſt tertium quemque verſum noua Alphabeti litera præponitur. Alij ſunt Pſalmi qui hunc ſeruant ordinem in ſingulis verſibus, vt Pſalmi 24. 33. 36. 144. & alij in

A ſingulis hemiſtichiis, vt Pſalmi 110. 111. & Prouerbiorum caput 31. Vnde hunc componendi modum ſumpſerint Hebræi, aut quid in eo ſpectarint, non video, niſi fortè additæ ſint illæ quaſi notæ, quæ in memoriam reuocant numeroſam illam compoſitionem. Vt enim artificialis memoria locis adiuuatur, & ſignis, ſeu imaginibus, quæ ponit ob oculos, quod exprome ndum è memoria, ac recitandum eſt: ſic cùm literæ in Alphabetico ordine notæ ſint certæ, & communes omnibus, opti-
B mè videri potuerunt imagines, quæ ea omnino ſerie memoriæ ſubiicerent ſententias, qua ipſæ eſſent in Alphabeto diſtributæ. Vnde ſuſpicor, quæ præpoſitos habent characteres illos, eſſe apud Hebræos valde illuſtria, & ab omnibus etiam vulgo hominibus cantari ſolita. Quædam enim documenta habent humanis rationibus admodùm neceſſaria, alia Diuinis laudibus ſunt opportuna valde, atque ideo aliquid illis præpoſitum oportuit, quo etiam non vocata in memoriam veniunt. *Threnorum vtilis lectio.* 7. Sed quid, dices, in Threnis vtile admodum, cur can-
C tari debeant à frequenti populo: ſanè ex his Threnis lugubri cantico iterandis vſus capi poterant non exigui. Quem fructum caperet ex hac Threnorum lectione, quámque ſint ad exprimendas lacrymas idonei, docuit Gregor. Nazianzenus oratione 12. *Equidem* (inquit) *vt de me loquar, quoties hunc libellum in manus ſumo, Threnóſque lectito* (*id autem facio quoties ſecundarum rerum inſolentiam coërcere huiuſmodi lectione ſtudeo*) *vocem mihi intercludi ſentio, lacrymíſque obruor, eámque calamitatem velut ob ocu-*
D *los poſitam videre videor, ac Ieremiæ collamentor.* Ille præterea fructus non leuis eſt, quòd ex tantæ plagæ frequenti memoria diſcerent poſteri, quomodo non relinquantur impunita crimina, quámque ſeuerus ſit Deus ſcelerum vindex; tum vt felicitate præterita cum ſtatu comparata ærumnoſo, ac ſordido, excitarentur animi ad inſtaurandam Ieruſalem, neque ſibi antè lætandum exiſtimarent, quàm in eum gradum, vnde ceciderat, reſtituta foret Iudæorum fortuna, iuxta illud Pſalmi 136. *Pſal. 136.* *Si non propoſuero Ieruſalem in principio læti-*
E *tiæ meæ.* Et ad hos fortaſſe Threnos alluſit illius Pſalmi titulus, qui ſic habet: *Pſalmus Dauid propter Ieremiam.* Quaſi diuinaret Regius Pſaltes plangendi formam præſcribendam Iudæis à Ieremia, quam in ſuo dolore captiui ſolennem, & quaſi legitimam haberent: vt enim epicedium in Ioſiæ funere cantores, & cantatrices aſſiduè canebant; ſic etiam veriſimile eſt, lamentatrices, & lamentatores (tam enim hi,

quàm illæ vocem habebant, & lacrymas venales, vt diximus ſuprà capite 9. numero 17. & capite 7. ad illud, *Sume indirectum planctum*) hos Threnos ſtatis temporibus, & quaſi legitimò ritu cantare ſolitos.

Iudæi ad Hieroſolymæ ruinas venire ſoliti lugendi gratia.

8. Et, ſi coniectari licet, credo etiam, Iudæos, poſtquam iterum à Romanis euerſa eſt Hieroſolyma, ad bis mortuæ ciuitatis cineres, hæc ipſa Ieremiæ carmina anniuerſatio planctu replicare ſolitos. Quòd enim quotannis ad plorandum & ſuam fortunam, & vrbis, templique ſtragem venerint Iudæi, teſtis eſt Hieronymus in caput 1. Sophoniæ, ad illud: *Vox diei Domini amara. Videas* (inquit) *in die, quo capta eſt à Romanis, & diruta Ieruſalem, venire populum lugubrem, confluere mulierculas decrepitas, & ſenes pannis, anníſque obſitos, in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes, plangere ruinas templi ſui, populum miſerum, & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, vt flere plus liceat.* Si populus iſte, vt non eſt improbabile, quia eadem materies, & eadem dolendi ratio, planctum è Ieremiæ Threnis inſtituebat, ſanè ratio videbatur non leuis, cur eo ordine præponerentur verſibus literæ, quo erant in Alphabeto diſpoſitæ, vt cùm literæ occurrerent, quod non erat difficile, occurrerent etiam epicedij verſus.

Carmina acroſticha, aut cum ordine Alphabetico.

9. Eodem modo, & alio non admodum diuerſo, ſua etiam poëmata ordiebantur antiqui, qui aut literas proponebant Alphabetico ordine, aut in carminibus acroſtichis ſic diſponebantur primæ literæ, vt dictionem aliquam complerent. De prioribus ſit nobis exemplum hymnus ille nobilis Sedulij in feſto Natiuitatis Domini, qui incipit: *A ſolis ortus cardine.* in quo modorum primi verſus à literis incipiunt eo ordine, quo ſunt in Alphabeto. De poſterioribus ſunt plurima è Sibyllarum carminibus, quæ ideo à Cicerone vocantur acroſticha; quorum illud illuſtriſſimum eſt, quod initialibus literis *Ieſu Chriſti Seruatoris* nomen componit; de quo Auguſtinus, & Lactantius. Quidam in literis illis aliquid latère putant ad affectum, quod ego non puto. Vide Hieronymum epiſtola 155. ad Paulam Vrbicam.

De titulo, ſeu proœmio Threnorum.

NOn eſſe titulum à Ieremia præfixum, 10.
neque Threnorum partem, multa probant. Primùm, quòd in Hebraico textu non reperitur; deinde, quia ſi pars eſſet, & Threnorum exordium, non vocaretur liber hic איכה echah, ideſt, *quo modo*, à prima litera; ſed, *& factum eſt*: Hebræi etenim à prima voce ſuos inſcribunt libros. Quare librum Geneſis *Bereſith* nuncupant, à voce prima, quæ ſonat in principio. A quo ſit titulus ille appoſitus, non conſtat, ſed eò incumbunt plurium coniecturæ, vt à Septuaginta additum ſtatuant, qui oſtendere voluerunt, quo in tempore conditi fuerint lugubres hi cantus, & eundem auctorem eſſe, qui præcedentis vaticinij: quare paucis complexi ſunt, quæ pluribus 52. capite diffuſa fuerant. Quo titulo, quaſi communi nexu contexi videntur Threni cum præcedenti libro, quia poſt captam vrbem, tranſlatóſque ciues, quæ proximi capitis materia fuit, ſediſſe traditur Ieremias, & amaro planctu communes populi miſerias lamentatus.

Circa tituli expoſitionem, nihil eſt aliud, quod obſerues, quàm in verbo *ſedere*, lugubrem habitum indicari lugentium: vt enim ſurgere, vel ſtare dicuntur, qui robuſto ſunt corpore, & animo iucundò; ſic qui ægro ſunt animo, & afflicto corpore, ſedentes inducuntur, vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam capite 41. numero 1. & in his ipſis Lamentationibus occurrent exempla; de quibus nos ſuo loco.

ARGV

ARGVMENTVM CAPITIS I.

VARIOS in hoc capite affectus,& habitus aſſumit Propheta. Primùm populi ſtragem,& exulum ſordes,& ærumnas deſcribit, ſatis grauiter, & dicendi genere ad commiſerationem, & lacrymas accommodato, & attemperato. Ad viatores, & hoſpites ſermonem conuertit, iubétque, vt dolendi cauſam per otium expendant; ac tandem iudicent,an res ſit lacrymis, & vlulatu digna. Aliquando & ſæpius ad Deum,cui tanquam vindici commendat Iudæorum cauſam,orátque vt communes vlciſcatur iniurias.

THREN. CAP. I.

ALEPH.

1. *QVomodo ſedet ſola cinitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina Gentium: princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo?*

BETH.

2. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius ſpreuerunt eam,& facti ſunt ei inimici.*

GHIMEL.

3. *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis: habitauit inter Gentes, nec inuenit requiem: omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias.*

DALETH.

4. *Viæ Sion lugent eo quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem: omnes portæ eius deſtructæ: Sacerdotes eius gementes, virgines eius ſqualidæ,& ipſa oppreſſa amaritudine.*

HE.

5. *Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. EHeu,quomodò Ieruſalem frequens quondam ciuibus, verſa iam eſt in ſolitudinem, & quæ amplexa Deum tanquam ſponſa Regina vocabatur gentium, iam à ſponſo repudiata, & è gradu deiecta, quaſi vidua mœret, & ſilet; pendítque tributum, quod olim prouinciarum Princeps exigebat?

2. Vbi diuturnis eſt perfuncta moleſtiis, nocturnum tempus, quod quieti natura deſtinauit, lacrymis impendit: neque leuis fuit, aut ſimulatus luctus, quod maxillæ lacrymis ſtillantibus madefactæ probant. Neque vllus eſt ex eo-
B rum numero,qui fidem ſuam, atque amicitiam illi venditabant, qui ipſius mœrorem aut conſulendo, aut conſolando leuauerit: neglexerunt enim illam tanquam vilem, & hoſtiles in eam ſpiritus imbiberunt.

3. Vt grauem, variámque ſeruitutem, vexationémque vehementem declinaret Iuda, relictis paternis ſedibus ad Gentes commigrauit, neque ibi tamen requiem vllam inuenit. Hoſtes námque, qui ſemel illam perſequi, atque exagitare cœperant,
C in eas anguſtias adegerunt, vt omnes ad ſalutem aditus haberent obſtructos.

4. Viæ tam ciuium olim, quàm peregrinorum concurſatione frequentes, qui ad feſtos dies Hieroſolymis obiri ſolitos confluebant, deſertæ ſunt, lugéntque frequentiam illam hominum, à qua ceciderunt. Portæ exciſæ ſunt,& murorum obrutæ ruinis. Sacerdotes non tam Diuinis inuigilant laudibus, quàm priuata, ac publica infortunia deplorant. Virgines priùs elegantes, & lautæ, ex ſeruili miniſterio, atque illuuie, ſquallorem, & ſordes contraxerunt.

5. Iam hoſtes Hieroſolymæ capiti inſederunt, facti ingenuæ, ac liberæ ciuitatis compo

eius locupletati ſunt: quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum eius: paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

VAV.

6. *Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius, facti ſunt Principes eius velut arietes non inuenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.*

ZAIN.

7. *Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & prævaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator: viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.*

HETH.

8. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt: omnes, qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipſa autem gemens conuerſa eſt retrorſum.*

TETH.

9. *Sordes eius in pedibus eius: nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus.*

IOD.

10. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius: quia vidit Gentes ingreſſas Sanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in eccleſiam tuam.*

CAPH.

compotes, ac domini: & compilatis omnibus opulenti populi diuitiis locupletati ſunt vehementer. Neque hoc fortuitò, ac temerè: ſic enim Domino viſum eſt, propter eius innumera peccata. Paruuli ſupra ætatulæ vires durum illud iter conficere conati ſunt, quos agebat ante ſe captiuos inimicus, non ſecus ac paſtor gregem minatur præcedentem.

6. Filia Sion lauta quondam, & ſplendens, deformata iam longa macie, & ancillarem in modum indecorè veſtita ſpeciem amiſit, & nitorem. Principes, qui ſplendidis veſcebantur epulis, vrgente famè, ſic abducebantur ab hoſte, ſicut arietes, qui exhauſto corpore, & fameſcente ſtomacho, ad pabula anhelant, neque tamen inueniunt. Quare in via, quam in exilium Babylonicum carpebant, ante robuſtum hoſtem, ægri ipſi, ac tabidi, tarda moliebantur, atque infirma veſtigia.

7. Volvit ſecum, repetitque memoria Ieruſalem dies illos amaros, in quibus peccatorum ſuorum pœnas expendit: adhæc retulit fortunam antiquam, in qua nihil eorum, quæ ab hominibus cenſentur in bonis, deſiderari poſſe videbatur. Hæc verò tunc maximo verſabat animo, cùm hoſtilis mucro, auxiliante nemine, in populum illum infelicem impunè ſæuiret, cùm exultaret hoſtis, & ſabbati religioni procax illuderet.

8. Ideo in ſuo gradu non ſtetit Hieroſolyma, ſed alienis vagatur ſpatiis, quia à Deo peccando receſſit, in quo vno ſtabile firmamentum eſt. Qui illam antè magnificè prædicabant, & ad ſtuporem illius gloria mmirabantur, contempſerunt eam, cùm vilem conſpexerunt, & ſordidam. Ipſa verò ab hominum congreſſu retrorſum abit, vel propter ignominiam pudibunda, vel quia opprobria metuit petulantis turbæ.

9. Illotos habet, atque ſordidos pedes, quod ærumnoſæ vitæ, & ancillaris ſtatus ſignum eſt: quod ideo meritò paſſa eſt, quia finis ſæpius à Prophetis prædicti, calamitoſi, ac duri memoriam abiecit. Ex eo gradu, quem videbatur habere ſummum, in immenſum ignominiæ barathrum demerſa eſt, neque vllum habet à conſolatore leuamentum. Vide ergo, dicit Ieremias, ô Domine, quid ego (loquitur enim populi nomine) patior, quid hoſtis erectus inferat, quid minetur mali.

10. Ideo afflicta vehementer eſt Ieruſalem, quia inuaſit hoſtis, quidquid erat ipſi in amore, & pretio, quia conculcari, ac temerari vidit Sanctuarium à Gentili, & profano pede illorum, quos Dominus

ſeuera

CAPH.

11. *Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam: vide Domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis.*

LAMED.

12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quoniam vindemiauit me vt locutus eſt Dominus in die iræ furoris ſui.*

MEM.

13. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum, poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam.*

NVN.

14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo: infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere.*

SAMECH.

15. *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduerſum me tempus, vt contereret electos meos: torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.*

AIN.

16. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator, conuertens animam meam: facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.*

PHE.

17. *Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam: mandauit Dominus aduersùm Iacob in circuitu eius hoſtes eius: facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.*

A ſeuera lege ex Iudæorum populo, atque conuictu prohibebar.

11. Gemit omnis populus, quem eò adigit fames, ac panis deſiderium, vt nihil ſit tam pretioſum, & charum, quod non pro pane, ac cibo quolibet libenter impendat, quo deficientem, aut fugientem animum reficiat, ac reuocet. Vide, Domine, quo in ſtatu ſim, quàm vexata contumelioſè, ac durè, quàm vilis habita.

12. O ergo vos hoſpites, qui tranſitis, ſpectatíſque non vrbem, ſed exciſæ vrbis
B informe buſtum, videte, ſi quiſpiam habuit grauiorem aut dolendi, aut lacrymandi materiam. Dominus etenim, ſicut minatus anteà fuerat, cùm eſſet in populum hoſtiliter infenſus, ſic ſpoliauit me ornamentis omnibus, vitæque ſubſidiis, ſicut ſemel, atque iterum repetita vindemia, ſpoliantur, atque nudantur vites.

13. Eiaculatus eſt de cælo Deus ignem adeò vehementem, & acrem, vt oſſa etiam mihi, & viſcera diſſoluerit, quo erudiuit me, eo nempe modo, quo boues ſtimulis.
C Expandit rete, quo meos mihi pedes conſtrinxit, ac tandem me retrorſum egit, ac ſuperauit, doloréque excruciauit ingenti, & ſolatij mihi lenimentum ademit.

14. Tanquam excubitor Deus, ſpeculabatur attentè, quando tempus adueniret deſtinatum iugo, quod meæ mihi iniquitates exigebant: quæ ne excidant ex Dei memoria, ſed Diuinis ſemper oculis occurſent, in eius manibus implexæ ſunt, & collo meo tanquam iugum impoſitæ. Elangui iam defecta viribus, & in eius po-
D teſtatem, & ſeruitutem data ſum, ex qua me ipſam extricare non potero.

15. Infirmata planè ſum, quia eos mihi Dominus abſtulit, qui prudentia ſua mihi, ac robore præſidio eſſe poſſe videbantur. Adduxit Dominus condictum antè tempus opportunum vindemiæ: & filios Sionis ita calcauit, compreſsítque, ſicut calcantur in torculari racemi.

16. Quia filij mei quaſi in torcularibus calcati ſunt, & quia nullus adeſt, qui ani-
E mam meam conſolando reficiat, aut exſuſcitet; quia denique, inualeſcente hoſte, omnes denique mihi filij ſublati ſunt, idcirco non poſſum aut à ſuſpiriis animam, aut à lacrymis oculos abſtinere.

17. Expandit præ dolore Sion manus ſuas, vt ſibi auxiliatorem, aut conſolatorem accerſeret: neque tamen accurrit vllus, qui illam auxilio, ſeu conſolatione leuaret: quia Deus Babylonicas, atque vicinas gentes contra Hieroſolymam inuexit, inter quas eo loco habita eſt Ieruſalẽ, quo fœmina menſtruo polluta ſanguine.

SADE.

18. *Iuſtus eſt Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui: audite obſecro vniuerſi populi, & videte dolorem meum, & virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.*

A 18. Iuſtus quidem eſt Dominus, dum his me modis punit, & excruciat: neque enim ego ſine magno meo merito hæc patior: os etenim Domini ſuauitate plenum amarum mihi reddidi peccando. Vniuerſi igitur populi, ad quos infortunij tanti fama perueniet, audite, & videte, quàm poſſim non immeritò dolere: virgines etenim meæ, ac iuuenes, quos ego in ſinu molliter enutrieram, captiui in alienas ſedes commigrarunt.

COPH.

19. *Vocaui amicos meos, & ipſi deceperunt me: Sacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt: quia quæſierunt cibum ſibi vt refocillarent animam ſuam.*

19. Aduocaui amicos, qui ſuum antè
B auxilium prolixè venditarant, & ſpem fruſtrarunt, ac deceperunt meam: fames vſque adeò populum vehementer oppreſſit, vt non ſolùm humilem, atque ignobilem turbam, ſed etiam Sacerdotes, ſenéſque, quorum conſilio res adminiſtrabatur publica, confecerit. Quæſierunt enim, ſed fruſtra, cibum, non vt explerent, ſed vt repellerent, reuocaréntque fugientem animam.

RES.

20. *Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum, foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt.*

20. Vide, Domine, quàm afflicto ſim, atque mœrenti animo, viſcera mea com-
C mota ſunt, & intra me cor meum totum extabuit. Nihil me circunfundit non amarum, & triſte: nihil eſt, ſiue interna, ſiue externa conſideres, pacatum, & tutum: foris enim interficit gladius, & intus occurſat aliquid morti non diſſimile.

SIN.

21. *Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me: omnes inimici mei audierunt malùm meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti: adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei.*

21. Qui ex fœdere, aut propter humanitatis officium, auxilio me, aut aliquo ſolatij genere leuare debuerant, cùm gementem audiuiſſent, nullum tamen præſtitêre ſiue ſolatium, ſiue ſubſidium afflictæ fortunæ. Hæc quidem amici; inimici verò audierunt, quid ego mali paterer,
D & in meis ipſi lacrymis triumpharunt, occinentes, id ſe, te auſpice, atque adiuuante fuiſſe conſequutos. Conſolaberis aliquando Deus fortunam meam, & qualia, auctore te, paſſa ſum ab hoſtibus, talia hoſtes ipſi, te item auctore, patiantur. Recordare igitur, quid mali fecerint hoſtes, neque abire ſinas impunitos. Expolia illos, & euerte, ſicut me omnibus ſpoliatam commodis euertiſti.

IN CAPVT I. THRENORVM IEREMIÆ.

Verſ.1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo.*]

1. ℵ Aleph. *Threni elegantiſſimi.* DIXIT perclarè,&,meo iudicio,verè,Paſchaſius,hoc canticum lugubre magno ſuo merito dici poſſe Threnum Threnorum,ſeu lamentationem lamẽtationum,ſicut Salomonis epithalamium,ideſt, nuptiale, atque feſtiuum carmen , vocatum eſt Canticum Canticorum. Quod egò verum puto , ſiue cum ſacris velis , ſiue cum profanis Ieremiam in contentionem adducere.Sume querelas omnes,& planctus , quorum vim , & affectus in tragœdiis admirantur exculta ingenia, & ſapientes animi , & animum ſtatim refer ad Ieremiæ Threnos , frigere omnia illa exiſtimabis, & nihil habere præter mortuos, atque inanes ſonos. Quia multum refert ex animo quis aut ex arte loquatur, à Muſiſne, ideſt , ab humano incitetur ſpiritu, vel inſtruatur,aut affletur à Diuino. Neque tamen id, quod præcipuum eſt in arte , deſideratur in Propheta hoc noſtro ; non quidem ab artificio natum , ſed ab ægro , atque dolente ſpiritu , & ab affectu molli , ac pio ; vnde ars omnes ſuas deprompſit regulas , ſi modò rectas. Nam in primo , & ſecundo verſu , ſummam videtur eſſe complexus eorum omnium , quæ poſtea latè perſequutus eſt ; quod faciendum eſſe præcipiunt , qui de concinnanda oratione , aut pangendo poëmate præcepta tradidère. Dolendi etenim graues proponit cauſas , priorem nempe fortunam , cámque ampliſſimam , ex qua cecidit; & poſteriorem,miſerrimam nempe,in quam deuoluta eſt Hieroſolyma; & remouet id , quod infortunatis, & miſeris ſolatio eſſe,ac leuamento ſolet. Quale eſſe ſolet , ſiquis amicum habeat, quocum partiri poſſet curas , quíque doleat, aut ſaltem ſe dolere ſimulet de communi malo : id enim valet,*non eſt,qui conſoletur eam.*

2. Porro ex magna rerum conuerſione , pathos moueri docent Rhetores , adhibéntque præceptum non ſine graui commiſeratione , quoties res ipſa commodam materiam præbet. Nihil in tragœdiis , nihil in orationibus vſitatum magis. Duo accipe exempla ; alterum in re non admodum diſſimili ex Seneca in Troade ; alterum ex Virgilio,ex libro 2.Æneid.Sic Seneca in perſona Hecubæ:

Me videat,& te Troia:non vnquam tulit
Documenta ſors maiora,quàm fragili loco
Starent ſuperbi.columen euerſum occidit
Florentis Aſiæ,cælitum egregius labor.

Et in hanc ſententiam plura Virgilius ſic de Hectore:

Hei mihi, qualis erat , quantum mutatus ab illo
Hectore,qui redijt exuuiis indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes;
Squallentem barbam , & concretos ſanguine crines,
Vulneráque illa gerens , quæ circùm plurima muros
Accepit patrios.———

Vide, quantò meliùs , atque dolentiùs Propheta hanc rerum viciſſitudinem, in expugnatis , direptíſque Solymis expreſſerit. Tria proponit, quæ fuerunt ampliſſima , ante Chaldæorum appulſum,totidem ſubiicit, his omnino contraria,quibus ingenuæ ciuitati accidere nihil poterat horribilius. Plena erat antea Hieroſolyma, ingenua, atque infinita propè ciuium multitudine:hæc tamen momento temporis ſic eſt ab habitatoribus deſtituta , vt in ſolitudinem , & ſyluam redacta, atque efferata videatur. Et quæ honeſtiſſimo nupta viro , ſiue hic Deus ſit, ſiue Rex captiuus, & exoculatus , domina gentium magno ſuo meritò dicebatur , iam tamen viduata coniuge , atque orbata liberis , ſedet in tenebris , & luctu: neque ſibi honeſtum iudicat , & tutum coram potentiori Domino , cuius ſubeſt imperio , vel obſcurè mutire. Quæ denique imponebat populis,exigebátque tributum, illud iam aliis cogitur captiua dependere.

Hæc quoad artificium ; nunc ſeorſum de ſingulis. *Quomodo* , vſitata particula eſt , & accommodata his , qui aduerſam aliorum fortunam deplorant, habétque admixtum aliquid ſtuporis, atque admirationis. Quare tunc plerunque adhiberi ſolet , quando grauis interceſſit fortunæ mutatio. Sic in his Threnis capite 2. *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion?* & capite 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum?* 2. Regum capite 1. *Quomodo ceciderunt fortes?* Iſaiæ capite 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer?* 3. Quomodo, *vox apta admirationi.*

Sedet.] Sedere lugentium eſt, & eorum , quos animi ægritudo eleuari non patitur è puluere; aut pudor , è re turpiter , atque infeliciter geſtâ emergere non ſinit è tenebris. Vide quæ diximus in caput 41. Iſaiæ,vbi Babylon , cui ſimilem caſum minatur Dominus , ſedere iubetur in puluere. Exempla occurrent alia in his lamentationibus , quæ ſatis hanc cogitationem perſuadent. Illud verò non omittam , quòd in argenteo nummo, quem capta Hieroſolyma, & domita Iudæa, excudi fecit Veſpaſianus , ſedens efformatur Iudæa , & acclinata palmæ , quæ vt familiaris eſt illi regioni , ſic antiqui illius eſſe ſymbolum voluerunt : habitus enim ille corporis,quod credo notum erat gentibus,captiuorum ſtatum,& fortunam apud Hebræos explicabat. 4. *Sedere,mœſtorum eſt.*

Sola.] Aut quia nullus illi aderat , qui dolorem conſolando leniret , aut quia ſola erat , & deſerta à ciuibus , & in ſyluarum efferata aſperitatem. Quaſi dicat , frequens illa ciuitas ſolitudo facta eſt. Hæc duo coniunxit Ieremias capite 15. verſu 17. *Solus ſedebam ,quia amaritudine repleſti me.* Fortaſſe ſola ſedebat , ſicut ſedere ſolent menſtruatæ, quæ quia omne vas,aut locum, quem attigerint,pollutum reddunt,ſe ipſas commouere non audent. Leuitici capite 15. à verſu 18. *hæc menſtruata* , à Septuaginta καθημένη dicitur, ideſt, *ſedens* : vbi enim Vulgatus Iſaiæ capite 5. Ieremias c.15. *Menſtruata ſedere ſolita.* Leuit.15.

64. pannus menſtruatæ, ipſi vertunt: ῥάκος καθημένης, A *vt pannus ſedentis.* Quod credo ante ætatem Moyſis, propter fœdum illud ſanguinis profluuium, honeſtis fœminis vſitatum eſſe. Sanè ex hac conſuetudine commentum illud excogitauit Rachel Gen. 31. quo parentis ſui in quærendis idolis ſolicitudinem eluſit: ſedit enim ſuper ſtramenta cameli, vbi parentis occultarat idola, dixitque: *Ne iraſcatur dominus meus, quòd coram te aſſurgere nequeo: quia iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Appellatur autem Ieruſalem infrà verſu 17. *quaſi polluta menſtruis.*

Gen. 31.

6. *Facta eſt quaſi vidua domina gentium.*] Hebræorum populus, ſiue Synagoga, gaudebat olim ſponſo Deo, à quo munera acceperat ſplendida, B verè nuptialia, in cuius complexu feſtiuos agebat, & geniales dies. Hæc tamen, poſtquam fidem prodidit coniugalem, & genialem thorum ſtrauit adulteris, deſerta fuit, & ignominiam experta talem, qualem minatus antè Dominus fuerat, verbis ſanè grauiſſimis apud Ezechielem capite 16. vbi zelotypus ſponſus ingratæ, atque infideli Synagogæ, tanquam adulteræ ſic minatur: *Iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium ſanguinem,* &c. *& denudabunt te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam plenámque ignominia: & adducent ſuper te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus: & trucidabunt te gladiis ſuis, & comburent domos tuas igni.* Eadem pe- C nè tradit Oſeas capite 2. & Ieremias non ſemel. Vt ergo ſponſa natura ſua, & patrum anguſta, ac ſordida conditione vilis, à ſponſi tamen maieſtate, atque opibus, ipſa quoque excelſo in loco eſt, & opibus florens, quòd ſi viduari regio coniuge contingat, maximè ſi illa indecoram agat vitam, & tanto indignam nomine, ad priorem deuoluitur fortunam, neque quid habet ampliùs, quàm inane nomen, & odium hominum, atque ignominiam, propter obſcuratum, & fœdatum ſponſi nomen; idem planè contigit viduatæ Synagogæ ab ſponſo Deo: cùm enim hoſtes cernerent, à Deo iam fuiſſe, ac videri deſertam, eò mutuo conſpirant, séque ardentibus cohortantibus ſtudiis, vt illam aggrediantur, in eámque D adducant ignominiam, quam ſibi eſſe ſubeundam non ſemel audierat. Quod de ſe veriſſimè prædicauit Dauid Pſalmo 7. *Quia dixerunt inimici mei,* &c. *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum; quia non eſt, qui eripiat.* Quod etiam cognouerunt hoſtes Babylonij, quia hanc reddidère cauſam, cur euerſa fuerit, cum re tota Iudaica Ieruſalem capite 40. verſu 3.

Ezech. 16.

Pſal. 7.

7. Dicitur autem vidua Ieruſalem, non quia ſponſus eius obierit, qui immortalis eſt Deus, ſed quia ab ſponſo Deo derelicta, & quaſi aliis expoſita ludibrio, ac prædæ. Ex vſu omnium penè gentium, viduæ vocantur fœminæ, à quibus viri longè abſunt, aut quæ à viris præſentibus E ita tractantur quaſi alienæ: quia neque bene cóuenit inter coniuges, aut quia grauiter peccauit vxor contra connubij fidem. Vidua verò tunc dicitur, quia eodem cenſetur loco, ac ſi vir ille defunctus foret; ſic quæ ſeni nupſit, neque rei coniugali idoneo, vidua vocatur à Plauto. Clytemneſtra apud Senecam in Agamemnone:

Vidua dicitur, à qua vir abeſt.

Decem per annos vidua reſpiciam virum.

Apud Ouidium Deianira in epiſtola:

Ipſa domo vidua votis operata pudicis
Torqueor, aduerſo ne vir ab hoſte cadat.

Hîc verò obſeruandum, non dici Hieroſolymam, aut gentem Iudaicam *viduam*, ſed *quaſi viduam*, quia non eſt orbata à marito defuncto, ſed ab offenſo, atque indignato derelicta. Notandum item, vt in Canticis oſtendimus, vxorem dici Reginam, ac dominam, quo etiam nomine profani ſuas vocant vxores. Vide quæ diximus in caput 54. Iſaiæ numero 18. Huic ergo oppoſita videtur à Propheta *vidua*, quia hæc domina, ideſt, vxor eſſe deſiit viro ſublato. Pro re morali obſerua, qualis ſit ſtatus animæ, quam ſibi Dominus maritat; & qualis illius, a qua receſſit Deus, repulítque à legitimi thori ſocietate.

Vidua Hebraicè dicitur אלמנה *almanah*, quæ 8. vox ſilentium indicat; in *ſilentio* verò ſeruitutem ſignificari, res eſt nota. Vide quæ diximus Ierem. capite 47. ad illud: *Conticuit Aſcalon.* Quòd ſi ad notationem vocis ſpectes, optimè *vidua*, ideſt, ſilens, vel ſubiecta, *dominæ* opponitur Gentium: quando illa ſeruit, hæc dominatur.

Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.] Quæ 9. priùs domina dicebatur gentium, quia gentibus imponebat tributa, ideſt, prouinciis alienis à Iudæorum religione, eadem Princeps dicitur prouinciarum, quia ſub Dauide, ac Salomone, immo ſub Ezechia externas ſubiecerat prouincias, illáſque ſibi fecerat vectigales. De Dauid eſt illud 2. Reg. 8. *Factus eſt Moab Dauidi ſeruiens ſub tributo. Et poſuit Dauid præſidium in Syria Damaſci; facta eſt Syria Dauidi ſeruiens ſub tributo.* De Salomone 2. Paralip. capite 9. verſ. 22. *Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges terræ,* &c. *& deferant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma, & aromata, equos, & mulos per ſingulos annos.* & verſu 26. *Exercuit etiam poteſtatem ſuper cunctos Reges, à flumine Euphrate, vſque ad terram Philiſtinorum, & vſque ad terminos Ægypti.* Idem 3. Regum capite 4. verſu 21. & 3. Reg. c. 9. *Vniuerſum populum, qui remanſerat de Amorrhæis, & Hebræis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis, quos non potuerunt filij Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios.* Illa ergo ciuitas, quæ à prouinciis aliis etiam externis tributum exigebat, penſitat iam aliis non vulgare, aut leue, ſed immane vectigal. Quid Chaldæis vectigalium nomine dependerint, non conſtat, ſed D planè videtur non fuiſſe tolerabile. Quòd ſi ex eo tributo, quod capti poſtea Iudæi dependerunt Romanis, coniectura ſumitur: ſanè durum fuit, quod Chaldæis antea, neque humanioribus, nequeminùs auaris exſoluerunt. De Romanis tradit Suetonius in Domitiano capite 12. *Præter cæteros* (inquit) *Iudaicus fiſcus acerbiſſimè actus eſt, ad quem deferebantur, qui velut profeſſi Iudaicam, intra vrbem viuerent, vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pendiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cùm à procuratore, frequentiſſimóque concilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circunſectus eſſet.* Non longè his diſſimilia pertuliſſe Iudæos ſub E iugo Babylonico, habes infrà capite 5. *Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparauimus.* Ita vt quæ viliſſima ſunt, quæque communes patent in vſus, nobis, niſi intercedente pecunia, nullo modo paterent. Sed de his ſuo loco pluribus. Dura quidem exactio, ſed longè durior, & ad ignominiam acerbior exigendi modus. Nam, ſiquis vt tributi penſionem effugeret, Iudæum ſe eſſe aut negabat, aut aliquo diſſimulabat artificio, is nudari cogebatur, & circuncisa caro genus illud infelix & tributo, ludibrióque damnatum prodebat: damnatam ſanè tributis circunciſionem, quaſi rem notiſſimam, & quaſi prouer

Paralip. 9.

Prouincia multa Hieroſolymæ vectigales.

Paralip. 9.

Iudæi magnis grauati vectigalibus.

Iudæi à Gentilibus ignominiosè vexati.

prouerbialem dixit Martialis libro 7. Epigramma.54.

11. Fuit autem tributum illud vſque adeò acerbum, vt ſingulæ quoque arbores, quas plantabant, colebántque Iudæi, vectigales eſſent; adeò illis non videbatur inhumanum, ſingula Iudæorum capita, aut domicilia penſionibus eſſe deuota. De his ita Iuuenalis Satyra 2.

Nunc ſacri fontes, nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fœnúmque ſupellex:
Omnis enim populo mercedem pendere iuſſa eſt
Arbor, & eiectis mendicat ſylua camœnis.

12. Cæterùm non ſolùm tributarij vocantur, ſeu vectigales, qui regio fiſco ſtata, atque legitima emolumenta præſtant, ſed qui ſuo labore, ac corpore publicis operibus, & communibus commodis vſui ſunt. Quales fuiſſe dicuntur filij Iſraël, qui ad regiam fabricam, & lateres fingebant, & onera portabant. Sanè Exodi capite 1. vbi Vulgatus de Pharaone. *Prepoſuit eis magiſtros operum, vt affligeret eos oneribus*; pro *oneribus* eadem vox eſt Hebraicè מס *mas*, quæ hîc *ſub tributo*. Quomodo Iudæi ſub Chaldæorum iugo ſeruierint, dicemus poſtea ſuis locis.

13. Verſ.2. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius.*] Mitto quæ hîc de nocturno Hieroſolymæ planctu ſomniarunt Hebræi: neque enim in re vſque adeò graui nugari libet. Illud mihi certius, in nocte fletui, & lacrymis locum præcipuè dari, quia tempus illud maximè opportunum eſt lugentibus, & quia tenebræ ipſæ animum ægrum magis, ac magis contrahunt; & quia ſilentium ipſum nocturnum ab ea cogitatione non ſinit animum abduci, quæ grauiter excruciat. Quare intempeſtæ noctis ſilentium aptiſſimum eſſe exiſtimatur meditationi, cui mens cum minori rerum ſtrepitu, ac perturbatione vacat. Certè Dauid illud ſibi tempus ad fletum, & orationem eligebat Pſalmo 7. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et Pſalmo 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum nomini tuo.* Et apud profanos ſæpe cogitationes triſtes, quas fletus, & querimoniæ comitantur, in nocturnum ſilentium conferuntur.

ב Beth. *Nox opportuna lugentibus.*

Pſal.7.

Pſal.118.

14. Sed hîc in captiua Ieruſalem, quæque duro premitur Chaldæorum iugo, noua ratio eſt: quia ſicut humili ſeruulorum ſtatui queri nefas de dominorum imperio, quantumcunque illud iniquum, & acerbum ſit, ſic etiam coràm lugere, aut animi languorem oſtendere, capitale crimen. De hac dominorum barbara inſolentia multa dicuntur à profanis. Ante Arioniſtum, immo ipſo etiam abſente, vt auctor eſt Cæſar libro 1. de bello Gallico, nemini in dolore ſummo mutire, nedum lacrymari licuit. Hoc idem videtur feciſſe Piſo, in quem Cicero: *Quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus, vt eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia, eripis lacrymas non conſolando, ſed minando.* Idem veriſimile eſt Hieroſolymam fuiſſe paſſam à victore Chaldæo; quæ cùm interdiu ſuam dolere vicem non auderet, noctu datum ſibi tempus ad quietem, & ægritudinis leuamentum, in luctu continenter, & lacrymis, traducebat. Porro ereptam ſibi in dolore graui plorandi facultatem morte ipſa durius eſſe putabant honeſtæ fœminæ, quarum molle cor eſt, & plorando leuatur. Sic apud Sophoclem Electra fœlicem vocat Niobem, cui plorare filiorum mortem permiſſum eſt. Et apud Senecam Octauia Actu 1.

Seruis lugere coram ſeuero domino non permiſſum.

Me crudeli ſorte parentes
Raptos prohibet lugere timor,
Fratriſque necem deflere vetat,
In quo fuerat ſpes vna mihi.

Hæc mihi facilis videtur, & genuina huius loci ſententia, quæ aptè in captiuorum nomen, atque fortunam cadit: niſi mauis hæc reuocare ad viduarum ſtatum, & ingenium, qualis nuper dicta fuerat Ieruſalem. Hæ verò nocte maximè lugent, quia conſortes lecti abeſſe ſentiunt; vbi ſuam maximè ſolitudinem experiuntur. Sanè viduis, quæ eo nomine non indignæ ſunt; tempus, omne luctuoſum eſt, & tenebricoſum: neque enim quicquam poteſt eſſe non obſcurum, dum extincti viri deſiderio tanguntur: vnde non multùm erraret, qui in nocte mœrorem, & ſtatum ærumnoſum intelligeret, in quo viduata ciuitas materiam habet vberem lacrymarum.

Lacrymæ eius in maxillis eius.] Auxeſis eſt, tum in coniugatione duarum vocum, *plorans plorauit*, tum, cùm in eandem ſententiam additur, *& lacrymæ eius in maxillis eius*; ſed & aliquid habet aliud poſterius hoc hemiſtichium. Nam ploratum, & gemitum facilè ſimulat muliercularum ars: neque minùs altè, atque dolenter plorant, quæ gemitus vendunt, eóſque ſibi quæſtui habent, quàm quæ ex animo dolent. At licèt artificio aliquo nonnunquam exprimantur lacrymæ, hoc tamen fit rariùs, neque vulgus hominum id fieri poſſe ſibi perſuadet, quare licèt flenti, atque eiulanti non ſemper, ſemper autem lacrymanti credit. Spectat autem hoc hemiſtichium eò, vt magis admiremur, nullum eſſe conſolatorem ex amicis, cùm lacrymis per maxillas ſtillantibus, de ipſius dolore nemo dubitare potuerit. 15.

Lacrymæ nō facilè ſimulantur, ſicut fletus.

Hugo ideo putat, in maxillis eſſe lacrymas, quia à domino inſolenti, ac barbaro non dabatur otium, aut facultas captiuæ fœminæ, vt faciem ablueret; aut quia ipſa non putabat in eo ſtatu de munditie, & cultu eſſe laborandum. Hoc poſterius mihi non omnino diſplicet, quia in dolore, & luctu honeſtum eſſe ducitur, in ſordibus eſſe, atque ſquallore, & illa tanquam indigna, & indecora fugere, in quibus aliquid appareret elegantiæ. Vnde frequens apud Latinos, *eſſe in ſquallore, in ſordibus*, ſeu *ſordidatum eſſe*, pro *eſſe in luctu*. Vnde etiam viſitatũ inter honeſtos, & nobiles, nullam adhibere curam ad elegantiam, & cultum, permittere vt crines indecorè creſcant, neque reſecentur vngues, vt longa illuuie obſoleſcat facies: neque denique appareat vlla in toto corpore mundities. In ſacris audimus ſæpe, indui hominem ſacco, aſpergi cinere, illotos habere pedes, & ſimilia. Vnum accipe exemplum ex libro Eſther cap.4. *Cùmque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus, & luctui apta indumenta ſuſcepit; & pro vnguentis variis cinere, & ſtercore impleuit caput.* Hæc verò magis videntur apta, ſi Hieroſolymam viduam, aut quaſi viduam intueare, qualis nuper appellata fuerat: tunc enim vt virum ſiue abſentem, ſiue mortuum ſibi honeſtè deploret, in ſordibus eſſe debet; neque detergere lacrymas, vt ipſa illuuie fateatur ægri animi ſenſus. 16.

Luctus cur dicatur ſordes.

Eſther 4.

Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.] 17.
Chari hoc loco dicuntur, quos antea Ieruſalem

obſer

obſeruarat, coluerátque, aut quibuſcum fœdus, & ſocietatẽ inierat. Idola dico, à quibus ſecunda ſperabat omnia, & Ægyptios; & ſi qui alij fuerũt fœderati populi, qui vt in promittendo largi, ſic in promiſſis adimplendis parciſſimi, immo & infideliſſimi fuêre. Quod verò nunc experta eſt Hieroſolyma, id à Prophetis antea penè continenter audierat. De idolis multa Ezechiel capite 23. de gentibus idem eodem capite, & Ieremias capite 4. *Contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Et ſtatim talia dicit de Hieroſolyma, qualia ipſa de ſe, ſuáque familia lamentatur.

18. *Durum eſt, conſolatorẽ non habere.* Quàm verò miſerum ſit, nullum habere, cui tutò animi tui dolorem communices, qui aut mœroris partem in ſe deriuet, aut conſolando, ſiue admonendo leuet, ab ipſa Scriptura ſacra docemur. Sanè Chriſtus non in leuiori parte doloris ſui poſuit, quòd neminem doloris, quem acerbiſſimum pertulit, miſeruerit. *Pſal. 68.* Pſalmo 68. *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* Quòd pro conſolatione, aut commiſeratione ludibrium accedat, atque inſultatio, quæ animum exulceret, atque vrat: id inſtar habet acerbiſſimæ mortis. *Iob. 30.* Sic Iob capite 30. queritur, quòd in ſuum dolorem inſultent alij. In diris autem imprecationibus in Ibim non poſtremo loco poſuit Ouidius, aliquem ita eſſe miſerum, vt tamen nulli ſit miſerabilis, & pro conſolatione ſibilum accipiat, & odium:

Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis vlli,
Gaudeat aduerſis fœmina, virque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignúſque puteris,
Vt mala cùm tuleris plurima, plura feras.

Quàm durum ſit in laboribus habere neminem, qui dolorem leniat; immò potiùs habere multos, qui ridendo, & ſubſannando augeant, diximus in caput vltimum Iſaiæ ad finẽ: cùmque diximus in grauiſſimis damnatorum pœnis cẽſeri poſſe, quòd nullus in omni ſæculorum æternitate erit, qui eorum, quos gehennalis excruciat ignis, miſereſcat. *Iſaiæ c. vl. Inferni pœna.* Hæc omnia paſſa fuit in ſuo mœrore, ac luctu Hieroſolyma: tam enim longè fuit, vt cuiuſquam animum ad miſericordiam commouerit, vt potiùs, ſicut à Prophetis non ſemel audierat, facta ſit in opprobrium, ſibilum, & fabulam. Hæc facilè moralis Theologus ad animam referet, à qua receſſit Deus, quæ in tenebris plorat, neque expectat ab vllo, niſi à Deo iam placato ſolatium: immo & ad damnatam animam, cuius hîc viua quædam exprimitur effigies, & ideo ſubditur ad hæc accommodatè:

19. *Omnes amici eius ſpreuerunt eam.*] Qui ſint hi amici, à quibus deſpecta dicitur Hieroſolyma, ab ipſo Ieremia non obſcurè docemur. Hi primùm fuerunt Ægyptij, qui multa promiſerant; ſed iidem & antea ſub Ioſia ſpreuerunt eam impoſito tributo non leui, & abducto illo, quem pro Ioſia populus in regnum ſuſtulerat, in Ægyptum exauctorato, atque exule. Fuêre deinde, vt veriſimile putabamus, Reges illi, quorum erant legati ad Regem Sedeciam capite 27. Nam, cùm Nabuchodonoſor communem hoſtem cum numeroſo exercitu venturum, varius ſparſiſſet rumor; eo videbantur conſilio legatos ad Sedeciam miſiſſe, vt ſocietate inita, collectíſque viribus è ſuis finibus erumpenti occurrerent. Hi fuerunt, Rex Edom, Rex Moab, Rex Ammon, Rex Tyri, Rex Sidonis, quorum ibi meminit Ieremias; & alij fortaſſe, qui cum non minus ſuo timerent capiti, in illud conſilium conſpirarant. Sed ex his nonnulli adeò non fuerunt auxilio obſeſſæ Hieroſolymæ, vt aculeos potiùs admonuerint Chaldæis, quò à fundamentis ciuitatem euerterent. Id certe de Idumæis cecinit Dauid Pſalmo 136. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom, in die Ieruſalem: qui dicunt, Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.* *Pſ. 136.*

Verſ. 3. *Migrauit Iuda propter afflictionem, &* 3 Guimel.
multitudinem ſeruitutis.] Hic locus variè à variis 20.
exponitur. Quidam afflictionem, & ſeruitutem actiuè ſumunt, ita vt ideo migraſſe dicatur Iuda, quia pauperes, qui potentioribus repugnare non poterant, afflixit, & colaphis, & pugnis ad ignominiam, ſicut minatus fuerat Iſaias, capite 3. *Iſa. 3.* *Et facies pauperum commoliitis*; & quia multa, eáque graui ſeruitute opprimebant. De quibus Ieremias cap. 34. vbi data dicitur Hebræis libertas, & eadem ſubitò reuocata. Ita cum Chaldæo Iſidorus, & Varablus.

21. Explicationes adducuntur aliæ, quas hic referre non libet; dicam breuiter, quod communiter probatur aliis, & mihi magis videtur expeditum, & promptum. Agit hic Ieremias de his omnibus, quæ pertulerunt Iudæi, ex quo tentari cœperunt, & vrgeri Chaldæorum armis, ab anno quarto Ioacim, in quo primùm appulit ad Iudæorum fines Nabuchodonoſor, vſque ad ea, quæ Sedecia capto, & vrbe diruta, apud Babylonios ſubiêre ludibria. Toto autem illo tempore Solymitani ciues, aut quia Ieremiæ clamanti credidêre, prædicentíque proximam ciuitatis ruinam, & ciuium ſeruitutem, & ſordes, quem afflatum à ſpiritu prophetico norant; aut quia non minùs inclementer à ſui populi Principibus tractabantur, quàm à Chaldæis hoſtibus, ſi in illarum manus venire contigiſſet: ideo matura fuga ſubduxêre ſe à reliquis, & in alias, atque alias prouincias dilapſi ſunt. Euerſa præterea ciuitate multi, vt conſtat, effugerunt Chaldæorum manus, vt patet in his, qui ſimul cum Sedecia fugerunt ex vrbe, qui tamen cum Rege comprehenſi non ſunt, Ieremias capite 39. & 4. Regum capite 25. Aliis ignouit Nabuchodonoſor, quibus quaſi parentem, & ducem Godoliam præfecit. Hi verò, vt vidimus ſuprà, capite 44. poſt varios euentus in Ægyptum migrarunt. Quòd verò ante extrema Hieroſolymæ tempora ab vrbe diffugerint Iudæi, conſtat ex Ieremia capite 40. *Omnes* (inquit) *Iudæi, qui erant in Moab, & in finibus Ammon, & in Idumæa, & in vniuerſis regionibus; audito, quòd dediſſet Rex Babylonis reliquias in Iudæa, & quòd præpoſuiſſet ſuper eos Godoliam, reuerſi ſunt omnes de vniuerſis locis, ad quæ profugerant.* *Ierem. 40.* Hi tamen vbicunque locorum, neque quietem habuerunt, neque tempus vllum vacuum à periculo, ſiue quia ad gentes appulerant, quibus Iudæorum nomen parum erat acceptum, aduersùs quos animos habuerunt plerunque, atque acies armatas; ſiue quia cùm ſuperiorem viderent Babylonem, & inflatam continentibus penè victoriis, neque leuiora ſibi timerent, quàm accidiſſe videbant Hieroſolymæ, irritare in ſe nolebant Babylonios, ſi eos benigno amplecterentur hoſpitio, quos illi animo proſequebantur hoſtili. Quare extorres, & profugi nuſquam ſecurum, & pacatum habuêre perfugium.

22. *Multitudo ſeruitutis*, aut varia ſignificat onera, quæ ſubibant, quibus minus erat ad reſiſtendum virium,

uitium, quia ad belli ſumptus, & otioſorum menſam, atque delicias plura cogebantur depen- A dere, quàm pro rerum facultate poſſent, aut quia ſeruilibus addicebantur miniſteriis, aut geſtādis oneribus, comportando ággeri, obeundis excubiis, atque aliis moleſtiis, quibus impar eſt hominum natura. Aut certè *multitudo ſeruitutis*, onerosam, & duram ſeruitutem ſonat. Quemadmodum idem etiam valere, *omne*, diximus ſuprà cap. 1. num. 49. vt *omnis vanitas*, magna vanitas, *omnis eſca*, ſuauiſſima eſca; ſic *multa ſeruitus*, vel *multitudo ſeruitutis*, acerba ſeruitus eſt: nam *multum*, &, *omne*, vicinitatem habent maximam, præſertim in loquendi modo.

Multus, ſicut omnis, ecitaſin habet.

23. *Omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias.*] Anguſtiæ dicuntur loca ſic arcta, clauſa, B aut impedita, vt ex eis emergere nemo, niſi cum magna difficultate, atque artificio poſſit. Quādo videlicet eò res eſt deducta, vt quoquò te vertas, mors, aut periculū occurrat; vt ſiquis inter Charybdim, & Scyllam ſit conſtitutus, aut ita concluſus, vt neutram in partem effugium pateat, quia exitus omnes ab hoſtibus occupati ſunt. Idem accidiſſe videtur iis, qui vitæ præſidium in aliarum gentium fide, atque tutela poſuerunt: quas non longè pòſt (quarto, nempe, anno, ab expugnata Hieroſolyma, vt tradit Ioſephus libro 10. Antiquitatum cap. 11.) expugnauère quoque Chaldęi. Tunc autē viſi ſunt Iudæi, inter anguſtias arctari, C ſiue comprehendi, qui & quò ſe reciperent, nullū habebant diuerticulum, euerſa patria, & illis, lōgè inde ſummotis: quorū ſe fidei minùs timidè credere potuiſſent: & quia in ea regione obſeſſi sūt iterum à Chaldæis, vbi non minùs timendum à domeſticis, ad quorum ſe receperant vmbrā, quā ab externis, adeò vt neutram in partem moliri poſſent gradus ſine periculo. Cùm ergo acti iam eſſent in laqueum, & pauorem, ſicut à venatore cerui, non fuit illis recuſandum, quominus prędę fierent vrgenti Chaldæo. Hoc idem Ieremias dixerat capite 42. verſu 15. *Si poſueritis facies veſtras; vt ingrediamini Ægyptum, & intraueritis, vt ibi habitetis, gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos.*

Ierem. 42.

24. Verſ. 4. *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniāt* D *ad ſolennitatem.*] Lugere dicitur aliquid, cùm ab eo ceſſat, deſtituitúrve, quod illi gloriæ, atque ornamento eſt. Quomodo dicuntur lugere ſcholæ, cū academicorum frequentia non feruēt, & domus, cùm conſpergitur ſale, neque vllus in ea habitare poteſt, ſine dedecore; aut templum pollutum, in quo ſacrum celebrari nefas. Sic, quia maximū, & penè ſolum viarum ornamentum eſt viatorū cōcurſatio, cùm ſibi paſſim egredientes, & ingrediētes occurſant, ſi id abſit, lugere dicuntur vię. Neq; vulgaris eſt populorum laus, cùm ciues ſeſe multitudine comprimunt, neque effuſam turbā quantumuis lati calles admittunt, ſicut res planè iudicatur triſtis, cùm graſſante peſte, aut fame vehementer vrgente, vix in vrbe magna vnus apparet, E aut alter. Vrbium vias ciuium multitudine frequentes optima expreſſit ſimilitudine Maro Æneid. libro 4. quæ optimè, vt puto, quadrat in Ieruſalem, in qua religionis, & commercij gratia, tanta vndecunque terrarum concurſatio, quanta fortaſſe vllibi gentium nūquā. Sic autē ibi Maro:

ד Daleth. *Lugere dicūtur quæ deſerta aut inornata ſunt.*

Ac velut ingentem formicæ farris aceruum
Cùm populant, hyemis memores, tectóque reponunt,
It nigrum campis agmen, prædámque per herbas
Conuectant calle anguſto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Caſtigántque moras: opere omnis ſemita feruet.

25. Quomodo lugēdi verbo ſterilitas ſignificetur, & ſolitudo, oſtendimus ſuper Iſaiam c. 33. num. 17. vbi exemplorum ſatis. Ille autem viarū luctus, & ſolitudo ex eo prouenit, quia cū ad feſta quædam ſolennia, ex tota regione Iſraëlitide, numeroſi fierent concurſus, ſublato tēplo, cùm ceſſaret quoque religioſus cultus, neceſſe erat, vias antè hominum veſtigio contritas, ſpinis obſeri, & herbis obduci, ita vt in via nihil, præter viæ cæcum nomen, agnoſcas.

26. *Omnes portæ eius deſtructæ.*] Ciuitas conſtat accolis, tanquā anima; reliquis, quibus moles illa cōpingitur, & conſtat tanquā corpore: vtrunque ad laudem pertinet ciuitatis, ſicut in homine, nō ab anima ſolū, ſed etiā à corpore, rebúſque externis commendatio ducitur. Egit hactenus de ciuibus, idest, quaſi de anima, ac forma ciuitatis; nūc quaſi de materia, ac corpore, ad quod etiam pertinet, quod de viarū luctu dictum eſt nuper: & primùm de portis, in quibus maior erat & ciuium frequētia, & ciuitatū præſidia: eò enim cōueniebāt ſenes, & quibus propter prudentiam, rerúmque cognitionē, publica permittebantur iudicia. Tū deinde, quia ibi conciones habebantur, exercebantúrque nundinę, frequentéſque fiebant hominū cōuentus communibus, priuatiſque de cauſis. Credo, vt dixi, portas hîc ſumi materialiter, quia illis ſubuerſis, etiā ſi nihil aliud pateretur ciuitas, magnā tamen iacturam feciſſe videretur: erant enim, vt dixi, portæ ciuitatū arces, atque præſidia. In hunc ſenſum accipitur illud Geneſis 22. *Poſſideat ſemen tuum portas inimicorum tuorum.* Neque id mirū, cùm portę inſtar haberent arcium. Ab Arphaxad Rege Medorum Scriptura tradit, Iudith c. 1. in turrium altitudinem excitatas eſſe portas. Sed licèt hęc ita ſint, non mihi videtur eſſe difficile, ſi putes (vt ſētit ſanctus Thomas) per metonymiam in portis confractis intelligi, corruiſſe, ac defeciſſe omnia, quæ ad portas exerceri mos erat, iudicia nempe, nundinas, conuentúſque alios ſiue graues, & ſerios, ſiue feſtiuos ad populi voluptatem, quod indicaſſe videtur Ieremias infrà, cap. 5. *Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium.*

Portæ, publici conuentus.

Portæ, ciuitatis arces. Gen. 22.

Iudith 1.

Thren. 5.

27. *Sacerdotes eius gementes.*] Refert ſe ad ciues, idest, ad formam, & animam ciuitatis: & incipit à Sacerdotibus, quorum ſacratum nomen, & religioſa dignitas: qui cùm cantarent in templo de more hymnos, & laudes, renouaréntque quotidie cum feſtiuo plauſu Diuina beneficia: iam tamen, ſi qui fuerunt à communi plaga ſuperſtites, gemunt & dedecus proprium, & publicam ruinā; neque lætari vnquam poterunt, vt ipſi iurati ſunt polliciti, donec ſibi ipſi fuerit reſtituta Hieroſolyma. Pſal. 136. *Si non propoſuero Ieruſalē in principio lætitiæ meæ.* Siue ergo Sacerdotes aliqui manſerunt in vrbe, ſiue in Babylonem extorres abierunt, illis gemendi cauſæ plurimæ; cantandi nulla prorſus inerat, niſi cum libertate, ac patria, ſenſum quoque humanitatis, ac mentem abiecerunt.

Pſal. 136.

28. *Virgines eius ſqualidæ.*] Sordes, & ſquallor, vt paulò antè diximus, luctum, & mœrorem ſignificant: quare qui dixerit, idem hîc affirmari de virginibus, quod proximè nunc de Sacerdotibus, rem ipſam, meo iudicio, dixerit. Vt enim Sacerdotes, quorum canticis demandata erant Diuinorum beneficiorum præconia, non iam ſe, aut alios, carmine oblectabunt feſtiuo; ſed potiùs ſe, réſque ſuas lamentabuntur amarè: ſic etiam virgines epinicia, atque epithalamia geniali cantico celebra-

celebrare ſolitæ, attatæ iam, & ſordidæ temperare ab vlulatu, & lacrymis turpe putant. Verumtamen ancillarem hîc ſtatum,& habitum ignobilem ſignificari exiſtimo: qualem habuêre puellæ Solymitanæ è materno iam gremio diſtractæ,& alligatæ ab hero Babylonio ſeruili molæ. Mouet autem Propheta à fortunæ conuerſione pathos. Nam virgines Sionides, integra adhuc & florente patria, elegantiæ ſtudebant, atque munditiæ, quales c.3. ab Iſaia deſcribuntur: at patria labente ſucceſsére, quæ ſtatim eodē cap. Propheta ſubiecit: fuit enim pro ſuaui odore fœtor, pro zona funiculus, pro criſpanti fune caluitium, pro purpuriſſo pallor,& illuuies, pro nitore denique, ac elegantia ſquallor,& ſordes.

29. *Et ipſa oppreſſa amaritudine.*] De tota Ieruſalem quaſi in ſumma docet, in luctu eſſe, atque mœrore, ac ſi diceret: Quid multis in ſingulis commemorandis hæreo, cùm pars ſit nulla in tota ciuitate, quam non opprimat ægritudo, & mœror? Ex quo mihi perſuadeo, *ſquallorem* in virginibus pro luctu ſumi; quando quod ſingulatim in aliis propoſuerat, vniuerſim in tota vrbe reperiri docet.

30. ה He. Verſ. 5. *Facti ſunt hoſtes eius in capite: inimici eius locupletati ſunt.*] Senſus difficilis non eſt, quia obſcurum non eſt, vulgari omnium penè linguarum vſu, *caput*, pro dominatu, & poteſtate ſumi; ſicut *pedes*, vel *caudam*, pro ſeruili, humilique fortuna. Quare frequens in Scriptura, *eſſe in caput, & non in caudam:* quod non eſt aliud, quàm fore ſemper ſuperiorem aliis, inferiorem nunquam. Ait ergo Propheta, gentem Solymitanam, quæ nunquam ex capite deſcenderat, in quod multis antè ſæculis ſublata fuerat, iam ad caudæ humilitatem, & ſordes eſſe depreſſam, quia hoſtes in illius caput, atque principatum facti ſunt, & locupletati valde, id eſt, vel ſuperiores, quique longè ſupra ipſos præualuerunt; id enim interdum ſonat locupletari, ſiue proſperari, ſeu fortunari, quod magis ſonat vox Hebraica *ſalu* שלו aut certè locupletari dicuntur, quia omnes compilarunt Hieroſolymæ diuitias.

31. Caput, pro dominatu. *Quia Dominus loquutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum eius.*] Cur facti hoſtes fuerint caput, & domini Hieroſolymæ, ea ratio eſt, quia compleuit Dominus, quæ longè antea comminatus fuerat, ſi quando à fide data deficeret, & ſua ſeſe magis libidine, quàm Diuino regeret imperio. Deut. 28. Deuteronomij capite 28. verſu 13. *Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris ſemper ſupra, & non ſubter, ſi tamen audieris mandata Dei tui.* Et poſtea verſu 43. *Quòd ſi audire nolueris, &c. Aduena, qui tecum verſatur, in terra deſcendet ſuper te, eritque ſublimior, tu autem deſcendes, & eris inferior. Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus; in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat. Adducet Dominus ſuper te, &c. gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, &c.* Hæc eadem propè audierat à Ieremia populus capite 19. quæ verba fortaſſe ad hoc vſque tempus non intellexerunt Iudæi, aut certè non curarunt, quia illis ineſſe pondus non arbitrabantur: donec tandem intellectum vexatio dedit, & ab ea, licèt ſeriùs edocti, ſuas agnoſcunt culpas, & apertè clamant: *Dominus loquutus eſt ſuper,* id eſt, contra eam: *propter multitudinem iniquitatum,* id eſt, impleuit Dominus minas, quas olim ex Moyſe, pòſt verò ex Prophe-

A tarum more, cum ſanna excipiebamus, & ſibilo.

Paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.] Pathos ab ætate. Durum eſt, quenquā liberum, & ingenuum captiuum abigi, inſtar ouium, quas impius paſtor, aut prædator durus, ante ſe cogit, tardantes inſtigat,& feſſas adhuc, atque elumbes ad ardua montium faſtigia inualidas adigit. At imbelle pecus, nec dum ſatis ad ingrediendum firmum, ad eundem ſubeundum laborem impellere longè durius, quódque humanitatis ratio nulla permittit. Sanè Virgilianus Melibæus ſatis habuit, capreolos ſupra ſaxa morituros relinquere, quàm teneros, & imbecillos matrum ſuarum ſubſequi veſtigia. & idem libro 32. *Ætas infirma miſericordiā mouet.*

B 2. Æneidos pathos quæſiuit ex ætate molli, atque delicata filij, qui pedibus velociùs, quàm illa ferebât ætas, ſpatium perbreue, hortante, atque admonente patre, confecit.

——— *Dextræ ſe paruus Iulus*
Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus æquis.

At hîc aliquid durius, atque inclementius aſpicio: video enim paruulos à paſtore duro, ſiue à barbaro prædatore cogi, quaſi firmos haberent ad incedendum pedes, ante faciem, ne videlicet vllus ſubſiſtat, niſi mortuus, in via. Quod Deus minatus fuerat, cùm dixit: *Qui non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli.* Idem quoque dixit Baruch

C capite 4. verſu 26. *Delicati mei ambulauerunt vias aſperas: ducti ſunt enim vt grex direptus ab inimicis.*

Verſ. 6. *Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.*] 33. ו Vau. Decor multa ſignificat, tam quæ ad honeſtatem, dignitatémque, quàm quæ ad opes, maieſtatémque pertinent. Decorem, & quaſi decentiā amiſit Sion, cùm ancillarem habitum aſſumpſit, & pro longa ſtola, prolixáque lacinia nudauit crura, & quæ honeſtis, & ingenuis ignominiæ ſunt, gentibus reuelauit. Decorem exuit, cùm opes, & diuitias expilarunt externi, quæ faſtus alunt, & quæ vulgus hominum in ornamentis numerat. Quo etiam in numero cenſentur Sacerdotes, & Principes, quique rem

D Iudæorum publicam, & ſacram adminiſtrabant; qui omnes abacti ſunt ab vrbe, & in Babylonem ignominioſè traducti. Denique, cùm vaſa illa, ſacrámque ſupellectilem abduxit hoſtis, quæ ſuprà capite 52. latè recenſentur; quæ vno verbo complexus eſt Ezechiel capite 16. verſu 39. Ezech. 16. *Denudabunt te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenámque ignominia.*

Facti ſunt Principes eius velut arietes non inuenientes paſcua.] 34. Hebraicam vocem אילים *aialim*, quidam ceruos, quidam arietes conuertunt; & quidem vtrunque ſignificat vox Hebraica, aliis, atque aliis notata punctis.

E Hîc nos duo poſſumus obſeruare tempora: alterum, quo ſub finem Solymitani imperij fames inualuit, vt habes ſuprà capite 52. tunc verò Principes fecerunt, quod arietes, quibus nuſquam pabulum occurrit, qui ſine vllo locorum delectu eò procurrunt, quò fames illos, & neceſſitas agit. Sic cùm bellatores, & Principes neque ſibi, neque terræ populo, vt habes ſuprà, alimentum haberent, profugerunt ex vrbe cum Sedecia, in quemcunque, credo, locum fortuna deduceret, aut fuga commodior. Qui tamen in agro Ierichuntino cōprehēſi, quibus nēpe fuga ſaluti nō fuit, partim occiſi,

ſi, partim aliis, atque aliis modis malè mulctati ſunt. A

35. Alterum tempus eſt, cùm capti iam, & arietum in modum Principes cum reliquis è vulgo longum ſuſceperunt iter in Babylonem, ſuis nimirum pedibus, quibus inſtabat hoſtis, victoria inſolens, & moribus barbarus, & longo bellorum faſtidio in Iudaicum nomen efferatus. Vt autem arietes in aridis, atque ſquallentibus aruis, macie languidi, & viribus inexhauſto corpore deficientibus, ſternuntur in via, fiúntque coruis, ac vulturibus præda: ſic Principes illi aut ægros, & laſſos moliebantur greſſus, aut mortui relinquebantur in medio curſu. Quòd ſi hæc arietibus accidunt, qui firmo ſunt corpore, & magis ad labores perferendos idoneo, quid de agnorum infirmo, atque tenello grege, quem in ea longa, ac ſalebroſa via non mitiùs accipiet Babylonicus furor, cogitandum eſt?

36. *Abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.*] Hæc verba magis in poſteriorem explicationem inclinant. Oſtendit Propheta, quid pabulorum inopia, ideſt, longa fames attulerit obſeſſis, nempe languorem, & maciem, quibus cùm à victore, atque infenſo Chaldæo, parcè eſſet, atque iniquè de alimento prouiſum, abſque fortitudine, ægro, atque exeſo corpore, robuſtos præcedebant, & ſaturos Babylonios, qui, vt ipſi feſtinabant in patriam; ſic etiam cogebant antecedentem gregem iter moliri feſtinatum, cùm tamen non præterita ſolùm fames, ſed etiam præſens omnem illi fortitudinem ademiſſet. C

37. Verſ. 7. *Recordata eſt Ieruſalem afflictionis ſuæ, & præuaricationis omnium deſiderabilium ſuorum.*]

ז Zain.

Quidam cum Hebræis ita putant eſſe legendum: In die afflictionis ſuæ recordata eſt Ieruſalem peccatorum ſuorum, & eorum, à quibus excidit peccando: ſupplendámque putant præpoſitionem ב ideſt, *in*, in quod valde etiam inclinat Maldonatus. Ego nihil addendum cenſeo, neque mutandum, cùm ipſa Vulgati lectio ſatis ſit aperta, & conſecutionem habeat neque impeditam, neque duram. Voluebat, credo, in animo captiua iam, & malè vexata Hieroſolyma, vt in eo rerum ſtatu contingere plerunque aſſolet, & quid tunc pateretur, à quibus exciderit, & quam D eueniſſet ob cauſam illa tanta, támque inopinata mutatio: vt enim vexatio & oculos aperit hominum, & à ſopore ſoluit; ſic etiam facit, vt meditentur multa, conferántque viciſſim inter ſe, cauſas exquirant, & recognoſcant, vnde tanta calamitas ingruerit. Quod docuerunt olim filij Iacob, quibus afflictio præſens peccatum antiquum in memoriam adduxit. Et quod fortaſſe nunquam antea dixerant, agnouerántque vrgente mortis, aut ſeruitutis metu agnouerunt, dixerúntque, Geneſis 42. verſu 21. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. Idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio.* Erit ergo ſententia: Voluebat ſecum, repetebátque E memoria Ieruſalem dies afflictionis ſuæ, ſiue cùm Babylonius obſeſſam vrbem ferro, faméque conficeret, ſiue cùm ſeruitutis experiretur incommoda. Verſabat item in animo præuaricationes, & peccata, propter quæ tantam illam ignominiam, ac rerum diſcrimina ſubire debuit. Ad hæc referebat felicitatem antiquam, cui nihil ad beatam fortunam eorum, quæ ab ho-

Vexatio aperit oculos.

Gen. 42.

minibus cenſentur in bonis, deſiderari poſſe videbatur; quæ *omnium deſiderabilium* nomine explicantur, & continentur. Porro poſt *præuaricationes* addenda eſt diſtinctio, & ſupplenda coniunctio in hunc modum: *Recordata eſt Ieruſalem afflictionis, & præuaricationis, & omnium deſiderabilium.* Fortaſſe in præuaricatione pœna intelligitur præuaricationis, quale eſt exilium, paupertas, & ſimilia, vt diximus cap. 3. ad illud, *Recordare paupertatis, & transgreſſionis meæ.* vbi eadem eſt vox מרוד *merud*, quam tam hoc loco, quàm illo Septuaginta ſic reddunt, vt exilium aut indicent apertè, aut ſignificent non admodum obſcurè. Hîc enim vertunt ἀπωσμὸς, illic ἐκδιωγμὸς, quæ expulſionem ſonant, & exilium indicant.

B *Cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & non* 38.
eſſet auxiliator.] Hæc verba duo tempora, aut duos temporum articulos ſpectare poſſunt. Aut illa, in quibus & præſentes ærumnas, ac ſordes, & antiquum ſplendorem, & gloriam meditabatur Hieroſolyma; & tunc ſenſus erit: Tunc eorum omnium cogitationem ſubiiſſe, quando intra muros graſſabatur cædes, neque vllus erat, qui manum ſupponeret cadenti. Si verò ad ea, quæ proximè ſequuntur, *viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius*, ſenſus erit: Cùm populus caderet, neque vllus adeſſet occumbenti; neque Deus ipſe, vt coniectabat Babylonius, intuebantur hoſtes exultantes victoria Hieroſolymæ cladem, & ſabbata in Diuinum obſequium impendi ſolita, quaſi nulli laborantibus vſui forent, irridebant. Ad vtranque ſententiam patet textus, & vtraque venit non inuita; in poſteriorem magis inclinat animus.

Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.] 39.
Nulla mihi ſententia viſa commodior, quàm quæ proximè expoſita; nempe ſubſannari ſabbati religionem à Chaldæis, tanquam ſuperſtitioſam, & inutilem, cùm à Deo nihil impetrauerint, iterata toties illa ſolennitate, quò grauem illam calamitatem effugerent. Sed neque diſplicet, ſi aliter accipias irriſionem ſabbati. Nam, cùm Iudæi vellent diem illum habere ſanctum, vt multis antè ſæculis à Moyſe didicerant, & in eo nihil operari ſeruile, cogebantur tamen ab auaris, & crudelibus dominis temerare ſabbati religionem, nihilóque magis abſtinere ab opere, quàm diebus aliis, qui laborando deſtinati ſunt. Vt autem Ægyptij Hebræis tunc inſultabant magis, vrgebant duriùs, impenſo maiori quàm antea laterum penſo, quando ipſi ſacrificare Deo meditabantur, dicebántque cum libero, atque ſeuero conuitio, Exodi cap. 5. *Vacatis otio, & idcirco dicitis, Eamus, & ſacrificemus Domino: ite ergo, & operamini. Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum.* Sic puto, Babylonij cùm viderent in ſabbatis à laboribus velle feriari Iudæos, illos grauioribus opprimebant oneribus, ne languerent otio, & illorum ſanctitatem riſum, & iocum appellabant.
Quid Iudæorum ſacra curarent Gentes, quam 40.
longè alia imbueret religio, & morum diſciplina toto cælo diuerſa, hoc idem multò antea prædixerat Dauid Pſalmo 74. *Quieſcere faciemus omnes dies feſtos Dei à terra.* Hæc eadem audiebant ſæpe à Gentilibus Iudæi, ſpernebantúrque, quòd otioſæ, nimiúmque putidæ ſabbati religioni forent addicti. Sic Perſius ſatyra 5. irridet illis, qui Iudaicis ſe implicuêre ritibus, & ſabbati præcipuè meminit:

Sabbati religio.

Pſal. 74.

Iudæi ſabbatarij.

——*At cùm*

Herodis venêre dies, vnctáque feneſtra,&c.

Labra moues tacitus, recutitáque ſabbata palles.

& Iuuenalis Satyra 5. de Iudæo:

——*Cui ſeptima quaque fuit lex*

Ignaua,& partem vitæ non attigit vllam.

Septimam lucem ſabbatum vocat, quia ſeptimus eſt in hebdomade dies. Sub eodem nomine irridentur à Martiali, qui libro 4. epigramma. 4. ſabbatarios vocat, & Lucianus libro de ſcribenda hiſtoria ἑβδομαίους, ideſt, ſeptimæ obſeruatores dici, ſeu ſabbatarios. Quod nomen credo Iudæos à Babyloniis ſæpius audiiſſe. De ſabbato ſpiritualiter irriſo à diabolo, & quomodo anima otio torpens improbis impleatur cogitationibus, vide Gregorium libro 5. Moralium capite 22. Quemadmodum *video* verbis aliis cum epitaſi coniungatur, docuimus in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam cap. 60. num. 18. ad illud: *Tunc videbis,& afflues*, & cap. 53. n. 64. Illud ergo, *viderunt,& deriſerunt*, iuxta hæc valet, *exultarunt,& inſultarunt.*

41. Verſ. 8. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.*] Quòd ex tanta felicitate tam grauiter cecidiſſet, eam putabat Hieroſolyma cauſam eſſe, quòd à Deo foret præuaricata. Idē nunc approbat Ieremias, dum ait, ideo in priori gradu non ſteтiſſe, ſed fuiſſe inſtabilem, ideſt, agitatam variè, vehementérque commotam, ac tandē longè à ſua ſede propulſam, quod peccatū peccauit; neque in eo conſtitit, in quo vno ſtabile fundamentum eſt, nempe in fide, quam Deo non ſemel, neque vulgarem in modum iterum, ac ſæpius dedit. Vt autem, qui doctrinam ſequitur aliam, quàm quæ à ſacris hauritur oraculis, nil habet ſtabile, ac certum, atque ideo vagus, & deuius oberrat; de quo Paulus ad Epheſios 4. verſu 14. *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes,& circumferamur omni vento doctrinæ*; ſic qui à Deo defecerit, in quo vno firmatur, atque ſtabilitur gradus, incertus errat, & variis abducitur conſiliis: & deſertus quaſi nauis à rectore Deo, variè iactatur ab omni vento, & ad varios ſcopulos miſerè, & continenter alliditur. De quibus Iſaias capite 57. *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Quòd ergo in ciuitate omnium lautiſſima, & in parentum gloria populus ille non ſteterit, ſed inſtabilis erret per ignota loca, egens, exul, inuiſus, id peccato Ieremias aſcribit, quod vbi primùm inſedit animo, ab eo firmamento deducit, extra quod paratus eſt caſus, & promptum exilium.

(n Cheth. — *Nullum niſi in Deo firmamentum ſtabile.* — Ad Epheſ. 4. — Iſaiæ 57.)

42. De tropologico ſenſu multa habes apud alios: illud tu obſerua, virum iuſtum, Deique rimentē, ſiquid grauius patiatur, quacunque id ex parte proueniat, non exiſtimare, iniuriam ſibi à quoquam inferri; quia aliquid in ſe admiſſum agnoſcunt, quod puniri debeat: neque de Deo tanquā de crudeli, atque iniquo queruntur, ſed eius in ſuppliciis æquitatem, atque clementiam laudant. Exempla occurrunt in Pſalmis, & Prophetis non pauca: accipe duo in eadem propè cauſa, Tobiæ cap. 3. *Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi ſumus in direptionem,& captiuitatem,& in mortem,& in fabulam,& in improperium omnibus nationibus, in quibus diſperſiſti nos.* Daniel. cap. 9. *Tibi Domine, iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie viro Iuda,* &c. *his, qui propè ſunt,& his, qui procul in vniuerſis terris, ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum, in*

(*Si quid aduerſum accidat, peccatis adſcribendum.* — Tobiæ 3. — Daniel. 9.)

A *quibus peccauerunt in te.* At impij, & qui minùs de Deo in bonitate ſentiunt, aut quia alieni ſunt ab eius religione, aut quia in ea minùs, quam oporteret, obſequentes, ſiquid contra votum aut aduerſum accidat, aut ſe infortunio indignos eſſe clamant, aut Deum, quem illius mali auctorem eſſe dicunt, iniuſtitiæ condemnant. De priori eſt illud Ionæ, cùm minùs ſe ad voluntatem attemperarat Diuinam, capite 5. qui cùm areſacta hedera, cuius ad vmbram conſederat, grauiter æſtuaret, non minori ipſe inflammabatur furoris æſtu, & ita exprobranti Domino furorem illum amarè reſpondit: *Bene iraſcor ego vſque ad mortem,* Quod ad 43. gentes attinet, aut alienos à vera religione, audis B ſæpe apud Poëtas, ſiquid aduerſum accidit, vocari deos iniuſtos, crudeles, qui neque vident, neque curant, aut hominum merita, aut promiſſi fidem. Vide Poëtarum omnium modeſtiſſimus, ac religioſiſſimus, quàm parum loquatur de diis religiosè, ac piè; cùm illos aliorum criminum, tum maximè crudelitatis, inſimulet; cùm eos, qui graui aliquo afficiuntur incommodo, de ſuorum deorum inclementia querentes inducit ſic Ecloga 5.

(*Impij infortunia quomodo ferãt.*)

Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati

Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

& libro 1. Æneid.

— *Verùm inclementia diuûm*

C *Has euertit opes, ſternitque à culmine Troiam.*

& iterum ibidem:

Quem non incuſaui amens hominúmque, deorúmque.

Omnes, qui glorificabant eam ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius.] Exilium Dominus, ignominiam, & ſibilum minatus ſæpe fuerāt Hieroſolymæ, ſi minùs foret præceptis obſequens. De exilio proximè, cùm ideo inſtabilem eſſe dixit, quia peccauit. Nunc contemptum, & opprobrium eiuſdem peccati effectum eſſe dicit. Cùm enim omnes, qui Iudæorum gloriam cum admiratione ingenti, atque ſtupore ſuſpiciebant, illam ignominiosè corruiſſe cernerent; & ancillarem D habitum, qui clauſa, atque indecora nudat, contemplarentur, ſpreuerunt illam, magis nimirum aptam molæ, quàm ſolio. 44.

Ipſa autem gemens conuerſa eſt retrorſum.] Cùm omnis ignominia grauis ſit, rettahatque ingenuos à conſpectu, congreſsúque aliorum. Sed facit hoc maximè, cùm quis ex magno cecidit loco: tunc enim in ſpecie ignobili ſubire non audet hominum oculos, ſed ſedere mauult in tenebris, & in illas à conuentu communi, & fortunatorum frequentia familiarem habet receptum. In hunc, puto, ſenſum accipiendum illud, *Conuerſa eſt retrorſum,* vel quia exprobrante, atque inſultante nemine, ipſa fugiat humanum pudibunda E conſortium; vel multò magis, quia petulantis turbæ ſuſtinere non poteſt rhonchos, & ſannas. 45.

Verſ. 9. *Sordes eius in pedibus eius: neque recordata eſt finis ſui.*] Vbi Vulgatus, *in pedibus,* Hebraicè [o] eſt בשולה *beſuleh*; quod nomen cùm tria ſignificet, ad tres ſenſus patet, neque difficiles, neque à ſtatu Hieroſolymæ captiuæ alienos: ſignificant enim *pedes,* hi verò illoti, atque immundi, fortunam indicant ærumnoſam, & triſtem. Quare vſitatum fuit, in populo præſertim Hebræo, vt quos honorare quiſpiam vellet, cùm liberali excepiſſet hoſpitio, illorum quamprimùm pedes ablueret; vt habes Geneſis c. 18. v. 4. vbi Abraham lauare 46.

([o] Teth. — *Pedes illoti fortunam miſeram ſignificant.*)

lauare voluit Angelorum pedes. Quod etiam A Geneſis capite 19. verſu 2. aggreſſus eſt Loth. Item, qui ſortem volunt infelicem oſtendere, aut animi ſignificare mœrorem, hoc ipſum
2. Reg. 19. oſtendunt pedum ſuorum illuuie. 2. Regum capite 19. verſu 24. occurrit Miphiboſeth Dauidi, *illotis pedibus, & intonſa barba, veſtéſque ſuas non lauerat à die, qua egreſſus fuerat Rex, vſque ad diem reuerſionis eius in pace.* Quare ſordes in pedibus captiuæ Hieroſolymæ ſtatum illius ſordidum, & deſpicabilem produnt, aut quia ipſa vltrò hoc ſibi aſſumpſit ſuæ fortunæ accommodatum argumentum, aut quia ex ancillari miniſterio recuſare non potuit, quominus ſordes contraherent captiui pedes.

47. Significant etiam, *pedes*, id, quod à cingulo ad B pedes vſque deſcendit, & ſæpe id, quod hominum oculis nudare, neque honeſtas patitur, neque ingenuus pudor. Quare vocem illam Ieremiæ capite 13. verſu 22. Hieronymus tranſtulit, *verecundiora tua*, & verſu 26. *femora tua*, & Naum capite 9. verſu 5. *pudenda tua*. Hæc acceptio menſtruatam vocat Hieroſolymam, quo nomine ea ſignificantur, quæ maximè abominabilia, quæque nauſeam potentiſſimè mouent. Menſtruus quippe ſanguis ex eo fonte manat, quem propter turpitudinem, & ſordes natura velauit: & hoc de menſtruis pleriſque placet, licèt non eodem omnes explicent modo.

Pedes, pro obſcœnis.

48. Significat præterea partes illas veſtimentorum, quæ extremæ ſunt, quæque pedes lambunt, C quas fimbrias appellamus; & hoc frequentiùs: eſt autem vſitatum tum in omni idiomate, tum maximè in Hebraico, vt commune ſit nomen ornamento, integumentóve, & rei, quæ tegitur, atque ornatur; quomodo, *corpus*, valet id, quod proximè, & propriè ſonat, & veſtem, quæ totum veſtit corpus. Thorax truncum ſignificat corporis, & eius munimentum. Plura in hanc ſententiam diximus in quodam prolegomeno ſuper Cantica. Sed in hoc ipſo nomine hoc fit maximè perſpicuum. Pes enim non ſolùm partem valet infimam corporis, quæ terram calcat, ſed etiam calceamentum. Deuteronomij 8. verſu 4. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit: & pes tuus non eſt ſubtritus.* Quem hîc vocat pedem, Deuteronomij capite 29. verſu 5. calceamentum appellat: *Non ſunt attrita veſtimenta veſtra: nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.* Hîc autem in *pedibus* non intelliguntur calcei, ſed fimbriæ, ideſt, veſtimentorum extremæ laciniæ, quæ pedes in incedendo lambunt. Hîc ergo menſtruatam agnoſcunt Hieroſolymam ipſi etiam Hebræorum magiſtri: tanta enim vis eſt obſcœni illius, & deflui ſanguinis, vt extremas etiam commadefaciat, & conſpurcet oras veſtimenti. De menſtruata diximus plura in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam ad caput 64. numero 26. Quocunque accipias modo, nihil E puto hîc in pedibus ſordidatis exprimi aliud, quàm vilem eſſe Hieroſolymam, & aliis non ſolùm eſſe ludibrio, ſed etiam nauſeæ.

Commune nomen ornamento, & parti veſtitæ.

Pes, pro calceo.

Deuter. 8.

Deuter. 29.

49. *Nec recordata eſt finis ſui.*] Hic locus magis eſt impeditus, quàm primùm apparet: neque enim facile eſt cum antecedentibus contexere. Primus ſenſus eſt, quem nonnulli probant Interpretes, in eo dolore, ac plaga, quæ excitare potuit ab omni peccatorum veterno, non tamen reſipuiſſe, ac finis fuiſſe memorem, qui mores mutare, & melioris admonere frugis errantes aſſolet.

Alij, qui ſordidatos dicunt eſſe pedes à menſtruo ſanguine, quo tempore idolorum cultui ita ſe tradidit intemperanter, vt ſordes illæ Gentilicæ in aliorum oculos foras erumperent, & in ipſis quoque apparerent veſtimẽtorum fimbriis. A qua fœdiſſima impiarum ſuperſtitionũm ſpurcitia non retardarunt propheticæ minæ, quæ finem illum horribilem intentabant: finis verò ſunt ſeruitus ignobilis, & miſera, quam tunc apud Babylonios experiebatur. Sic ex Interpretibus plerique: neque mihi diſplicet. 50.

Ego duas alias addo, quas non ita probo, vt alias improbem: ſed lectori ſtudioſo ideo ſubiicio, vt ipſe ſtatuat, quid horum maximè probandum putet. Altera eſt: ſi hîc particula rationalis ſubaudiatur, quæ nonnunquam in Scriptura ſacra ſuppleri ſolet: & tunc ſenſus erit: Ideo ſordidatos habet pedes, & ſeruitutem ſeruit indecoram, & triſtem, quia non meminit finis ſui, eius nempe quem ſerò cognouit: & quem à Prophetis identidem audierat. Cui ſententiæ fauet illud in materia non admodum diuerſa: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* 51.

Altera eſt, quæ mihi minùs diſplicet, ſumpta ex Hebræorum vſu, qui tunc dicuntur obliuiſci, ſeu non recordari, quando magna fit rerum, fortunæque conuerſio. Quomodo poſt ſeptem annos abundantiæ, qui deinde ſequuti ſunt ſterilitatis, & famis, Geneſis 41. abundantiæ præteritæ obliuionem induxerunt. Et eodem capite verſu 51. cùm eductus eſſet è carcere Ioſeph, gradúmq; Regio proximum conſecutus, filium, quem in meliori fortuna primum ſuſcepit, vocauit Manaſſem, dicens: *Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Iſaias capite 65. *Quia obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores.* nempe, propter felicitatem, quæ ſtatim ſuccedet. Vide, quæ in hunc Iſaiæ locum diximus. Iuxta hæc ſignificare videtur Propheta, diuturnam fore ſeruitutem Ieruſalem, cuius finis non recordabitur, quia nempe libertatem nunquam videbit, quæ ſeruitutis finis eſt, & exilij. Aut quia ex his, qui abducti ſunt à Babyloniis, in patriam ampliùs non ſunt reuerſi, D niſi admodum pauci, qui perinde cenſentur, ac ſi nullus eſſet; aut quia, qui à patria ſunt expulſi, reditum ſibi in illam non ſperabant: aut certè quia, quæ diu duratura ſunt, pro æternis habentur; atque ideo talia ſæpe vocantur in ſacra Scriptura ſempiterna. Non itaque recordatura dicitur finis Ieruſalem, quia ſeruitutis nullum ſperabat fore finem. 52.

Gen. 41.

Iſaias 65.

Depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem.] 53. Ex eo gradu, quem videbatur habere ſummum, in immenſum mœroris, atque ignominiæ barathrum demerſa eſt. Et quia ſpem habet nullam libertatis, neque finis laborum recordatur, conſolatorem non habet: eſt enim ſpes è malis aliquando emergendi, doloris non leuis conſolatio.

Vide, Domine, afflictionem meam: quoniam erectus eſt inimicus.] 54. Verba ſunt Prophetæ, qui cauſæ communis patronum agit, & Deo proponit, & quod ad Diuinam inflectere miſericordiam debeat, & ad vindictam furorem inflammare. Miſericordiã commouet afflictio populi barbaro, atque inſolenti domino ſubiecti; furorem inimici elatus animus, & ſuæ virtuti, ac fortitudini plus ſatis arrogans. Illud autẽ, *vide*, iuxta hominum ſenſũ, & Scripturæ conſuetudinem, non tantùm attentionem, ſeu conſpectum ſignificat nudum, aut, vt ita dicam, otioſum; ſed magnorum effectorem

Dei oculi non otioſi.

operum,quæ teipſa ſignificent intentos in aliquã curam Diuinos oculos : vt enim Deus, in quem nulla cadit obliuio, obliuiſci dicitur,cùm hominum votis,ac precibus non reſpondet, & recordari meritorum,cum illa cõpenſat, aut cùm propter illa mitiùs,atque benigniùs mœrentem amplectitur (vt pluribus oſtendimus in Iſaiam cap. 43.numero 40.& cap.49.num.4.) ſic etiam videre dicitur,cùm nunquam non videat,quando alicuius miſeriam leuat,aut cùm peccata punit. Sic Exodi cap.3. dicitur : *Vidi afflictionem populi mei.* ideſt, ſtatui liberare. & Pſalmo 30. *Reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.* Orat igitur Propheta, vt liberet Deus ex afflictione populum,& populum nimis erectum, atque inſolentem deprimat.

55. Verſ.10. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius.*]Explicat,in quo erectus dicatur inimicus;quia nempe, licere ſibi exiſtimauit, quicquid collibuiſſet animo, neque vllam habendam eſſe rationem religionis. Quare, quò ſuam exſaturaret cupiditatem,ipſam quoque ſacram ſupellectilem inuaſit, temerauítque. Suſtulit enim ſacra vaſa,veſtémque pretioſam, quæ in templo & amabat populus; &,vt par erat,faciebat plurimi. Illud,*eius*, non tam ad hoſtem pertinet, quàm ad Ieruſalem; quia cùm pronomen illud ſit generis fœminei, cum, *hoſte*, conuenire non poteſt. Erit itaque ſenſus; inuaſiſſe hoſtem, quidquid erat Hieroſolymæ ciuitati in amore, & pretio; non quicquid hoſti erat deſiderabile, quanquam id quoque verum fuit. Porro, quæ ſublata fuerint à Chaldæis è templo,habes 4.Regum capite 25. & Ieremiæ capite 52.

1 Iod.

56. *Quia vidit gentes ingreſſas Sanctuarium ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam.*] De Hieroſolyma ſermo eſt, ratióque proponitur,cur depoſita ſit vehementer, & ita afflicta, vt nullo iam ſolatio leuari queat:quia nẽpe conculcari,ac temerari vidit Sanctuarium à Gentili,atque profano pede,à quo Dominus ſeuera lege profanum vulgus,& Gentilium maximè genus arcebat. De Gentium in Sanctuarium ingreſſu eſt illud Deuteronomij 23.præcipuè de Moabitis, & Ammonitis. *Ammonites,& Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt in Eccleſiam Domini in æternum.* Et de omnibus alienigenis eſt illud Ezechielis capite 44.verſu 9. *Omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne non ingredietur Sanctuarium meum.* Quod ita ſeruarunt diligenter Iudæi,tulerúntque dolenter,ſi quid contrà fieret, vt magnæ ideo cõtra Paulum commotæ ſint turbæ,quòd Gentiles putaretur in templũ induxiſſe, Actorum c.21. *Gentiles*(inquiunt)*induxit in templũ, & violauit ſanctum locum iſtum.* Et cùm ſubditi Iudæi forent Imperatori Romano, ab illo tamen obtinuerunt,nequis alienus,etiã Romanus,templum intraret,pœna propoſita capitali,ſiquis aliquid contrà moliretur. Audi apud Ioſephum libro 7.de bello Iudaico, capite 4. Titum ipſum Imperatorem,qui ſic egit ad Iudæos,qui tam ſuo, quàm alieno ſanguine templum polluerunt. *Nónne vos*, inquit, *ô ſceleratiſſimi, cancello ſanctum locum protexiſtis? Nónne literis Græcis,ac noſtris, inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta tranſgredi liceret, ediciur? Nónne eos,qui tranſiiſſent,quamuis Romanus quis eſſet,vobis necare permiſimus?*

A templo Gentiles arcebãtur.

Deuter.23.

Ezech.44.

Act.21.

57. Quidam hos, qui auſi ſunt in Sanctuarium intrare, Ammonitas, ac Moabitas eſſe putant; quia hi, vt ſuprà vidimus, ſpeciali quadam lege

A prohibebantur:in his ſunt Hebræorum magiſtri, & è noſtris aliqui, ſed de Chaldæorum ingreſſu plerique accipiunt, & magis eſt ad textum, & hiſtoricam fidem. Nam illi in templum dicuntur ingreſſi, qui ad ea, quæ amabat,colebatque Hieroſolyma,manus iniecerunt; & hi,vt habes Ieremiæ capite 52.fuere Chaldæi.Neque minùs Ammonitæ, Moabitæque,quàm Gentiles alij, vt ex Ezechiele vidimus nuper, à templi repellebantur ingreſſu.

1 Eccleſia licèt pro templo ſumi potuerit, vulgari tam aliorum, quàm Hebraici nominis conſuetudine, quæ nomen loco dat, quod actioni conuenit (quomodo *cœnationem* vocamus locum vbi cœnatur, & *ambulationem*, vbi deambulatur, & *Eccleſiam*, vbi conuentus eſt, aut congregatio hominum) nihilominus puto, hìc Eccleſiam pro cœtu ſumi, ſiue congregatione Iudæorum, aut toto populo ab Abrahamo deriuato, qui aliter vocatur Synagoga:quo ſenſu ſumitur Numerorum 2. verſu 4. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* Iuxta quam acceptionem hæc erit ſententia:Gens incircunciſa vſque adeò vilis, & polluta, vt cooptari non poſſit in Hebræorum Eccleſiam, & familiam, neque in eo genere per legitimum connubij fœdus aſcribi; eò tamẽ progreſſa eſt,vt in templum etiam ſit ingreſſa;illúdque conculcatum priùs impio veſtigio, omnibus compilarit ornamentis, quam Hebræorum quilibet ex ſua familia, conuictúque repelleret. Quomodo Iudæi prohibeantur cum Gentibus inire connubia, aut qualibet alia contrahere commercia, vide Exodi caput 34.verſu 12. Hic locus ad mores grauis eſt, potéſtque accommodari non difficile ei, qui cùm priùs peregrina ſacra,ideſt,ſæcularia ſtudia,ſic auerſabatur, vt neque ad aſpectum,vel colloquium admitteret;pòſt verò ſic eſt ab illo feliciori ſtatu depoſitus vehementer,vt ad animum, ideſt,ad Dei templum, quod patere nemini debuit,vltrò accerſat,illique ſe totum deuorandum propinet. 58.

Eccleſia,pro congregatione.

B

Numer.2.

C

59. Verſ.11.*Omnis populus eius gemens,& quærens panem, dederunt pretioſa quæque.*] Quam grauis illa fuerit fames, quæ obſeſſos inuaſit, & oppreſſit, habes 4.Regum cap.25. cuius argumentum grauiſſimum eſt, quòd matres natura ſua molles, & filiorum amantes, in illorum tamen carnes comedendas adegit. Cúmque vis famis eiuſmodi ſit,vt illi nemo repugnare poſſit, cùm certam afferat mortem,niſi maturè occurras,nihil tam erat pretioſum,& carum,quod non pro pane, & cibo quilibet libenter impenderet,quo fugientem animam reuocaret.

3 Caph.

D

60. *Vide, Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis.*] Quidam propter cibum vilem exiſtimant appellari Hieroſolymam, quia eò adduxit rabida,atque obſcœna fames, vt aſinorum capita, & columbarum ſtercus in deliciis haberent, qualia in obſidione Samariæ contigiſſe traditur 4. Regum 6. Sed hæc ſententia talia putat accidiſſe in obſidione Chaldæorum,qualia olim in Samaria. Quod licèt improbabile non ſit, aliquid tamen amplius hìc ſignificari arbitror;ita vt hìc ſit malorum omnium, quæ paſſa eſt ciuitas, ſumma complexio : vilis etenim fuit ciuitas illa, quia ſpoliata ſuis ornamentis, atque deliciis, quòd ſordidis addicta miniſteriis,quòd cum ſibilo, & ſanna ab omnibus accepta,quòd abiecta,vt videbatur,à Deo. Quæ vt à Deo ſpectari vult,ſic etiã ſtatim,vt homines illa contemplentur,inuitat.

E

Verſ.12.

61. ל Lamed. *Obteſtatio ſimul cum precatione.*

Verſ. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.*] Inuitat omnes, vt videant accuratè, & attentè expendant, quibus affecta fuerit incommodis, qualibus conciſa plagis; ac tandem conſiderent, an aliquid aut viderint ipſi, aut audierint accidiſſe cuiquam horribilius. Vbi Vulgatus, *ô vos*, Hebraicè eſt לוא אליכם *lo alechem*, non *vobis*, ſeu non *ad vos*, & ita conuertunt Hebræorum magiſtri, quibus è recentioribus non pauci ſubſcribunt, & illam tunc putant eſſe ſententiam, quam precationes, obteſtationéſve habent multæ, quibus adiungi ſolet votum aliquod; quales ſunt illæ Virgilianæ Ecloga 9.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos:
Sic Cythiſo paſtæ diſtendant vbera vaccæ:
Incipe, ſi quid habes.———

& Tibullus libro 2.

Annue, ſic tibi ſint intonſi Phœbe capilli.

Sic etiam nunc iuxta Hebraicam lectionem, quam nunc habemus (nam fortaſſe aliam quondam nactus eſt Vulgatus interpres) ſenſus eſſet: Attendite, ô vos omnes, qui tranſitis, ſic vobis nihil contingat durum, aut quale me pertuliſſe cernitis.

62. Sed ſi Vulgati ſequaris tranſlationem, quod profectò debes, iubentur omnes viatores, ſeu tranſeuntes, pauliſper ſubſiſtere, contemplaríque per otium, an ſimilē aliquando ſtragem viderint, aut æquè grauem dolendi, ac lamentandi cauſam.

63. Hîc ego reſpexiſſe ſuſpicor Prophetam in his præſertim Threnis elegantiſſimum, ad conſuetudinem, vt reor, primis etiam temporibus vſitatā, quæ mortuorum ſepulcris epitaphium carmen incidebat, quod viatores, & tranſeuntes admoneret, quis ille foret, qui iaceret ſepultus, quid paſſus, quo mortis genere ſublatus, vt properantem viatorem, breui rerum commemoratione ad miſericordiam inflecteret. Exempla habemus quàm plurima, & obuia paſſim epitaphia, in quibus viatorem aut monet, aut obſecrat qui in tumulo conditur, vt fortunam diſcat ſuam, & pias ſepulcro lacrymas, aut preces impendat. Accipe vnum cum voto, quale nunc iuxta Hebraicam lectioenm putabamus ex Martiali libro 7.

Epitaphij forma.

Conditus hîc ego ſum, Baſſi dolor, Vrbicus infans:
Cui genus, & nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menſes,
Ruperunt tetricæ cùm mala penſa deæ.
Quid ſpecies, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis iſta, meo.
Sic ad Lethæas, niſi Neſtore ſerior, vndas
Non eat, optabis quem ſupereſſe tibi.

Accipe alterum ex eodem Poëta, maximè concinnatum ad pathos, libro 11. epigramma. 92.

Æolidon Canace iacet hoc tumulata ſepulcro,
Vltima cui paruæ ſeptima venit hyems.
Ah ſcelus! ah facinus! properas quid flere viator,
Non licet hîc vitæ de breuitate queri.
Triſtius eſt letho lethi genus, horrida vultus
Abſtulit, & tenero ſedit in ore lues.

In alio item epitaphio, illud idem nomen, quod nunc ad ſuum dolorē aduocat Hieroſolyma, adhibet Ouidius, cùm ſibi ſepulcrum conſtruit, & epitaphiū condit; qui ſic ad tranſeuntes loquitur:

Hîc ego qui iaceo, tenerorum luſor amorum,
Ingenio perij Naſo Poëta meo.
At tibi, qui tranſis, non ſit graue, quiſquis amaſti
Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent.

Gaſp. Sanctij Com. in Ierem.

Sic forsā Hieroſolyma in ſuo quaſi buſto, in quo ipſa ſepulta iacet, ſeu potiùs cineres ignominioſè diſperſi, incīdi iubet lugubre hoc carmen, ſeu epitaphium, quo viatorem alloquitur tranſeuntem, oratque, vt & caſum contempletur inſolitum, & dolorem ſuum dolendo conſoletur.

Verſ. 12. *Quoniam vindemiauit me, vt loquutus eſt Dominus in die iræ furoris ſui.*] Familiaris eſt in ſacra Scriptura metaphora, quæ vindemiæ nomine grauem, atque omnimodam vaſtitatem ſignificat: vt enim vindemia vitem ornamento, ac fructu; ſic vrbes magna ſtrages rebus omnibus expoliat. De eodem Iudæorum populo dicitur Pſalmo 79. *Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Metaphoræ ratio eſt, quia Dei populus vinea ſæpe vocatur in Scriptura ſacra, & ad illud nomen accōmodatè populi deprædatio vindemia dicitur. Sed in voce Hebraica עולל *olal*, aliquid eſt maius, quæ non ſignificat vindemiare, aut fructus vtcūque decerpere, ſed iterum & ſæpius ad extremas vſque reliquias, quod *racemare* dicunt, ſeu *racemationem facere*. Quod ſanè fecēre Chaldæi, qui ſæpius ad vineam illam redeuntes, nihil fecēre reliqui, ſed illam cum torculari, & turre diſſiparunt. Hæc verò locutus antè fuerat Dominus, neque ſemel tum apud alios, tum apud hunc Prophetam apertè cap. 6. verſu 9. *Vſque ad racemum colligent, quaſi in vinea, reliquias Iſraël; conuerte manum tuam quaſi vindemiator ad cartallum.* 64.

Vindemia idem quod direptio.

In die iræ furoris ſui.] Epitaſis eſt in vocibus ſynonymis, quales hîc ſunt *furor*, & *ira*. ideſt, furor vehemens. ſicut Geneſis 2. dicitur Adam formatus de limo terrę, ideſt, de limo puriſſimo. & Pſalmo 39. vbi Vulgatus habet, *de luto fæcis*, Hebraicè eſt, *de luto cœni*; ideſt, de copioſo, & craſſo. In Pſalmorum quoque titulis occurrent ſæpe: *Canticum Pſalmi*, &, *Pſalmus Cantici*. Quæ inſcriptio, vt bene Genebrardus in titulo Pſalmi 107. præſtantiam quandam, & excellentiam indicat. Cùm ergo Deus offenſus eſſet, & indignatus grauiter, vindemiatori crudeli vineam illam populandam tradidit. 65.

REGVLA. *Epitaſis eſt in vocibus ſynonymis.* Gen. 2. Pſal. 39.

Verſ. 13. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.*] Hunc locum ſatis (vt credo) explicuimus ad illud Ieremiæ cap. 50. *Nouiſſimus exoſſauit eum Nabuchodonoſor.* vbi diximus, in oſſibus notari, atque exprimi, quæ præſidio ſunt, & munimento ciuitati, qualia ſunt mœnia, arces, templum, quæ aut ſtatum Reipublicę, aut religionis ſuſtentant, & continent: non aliter, atque oſſibus inſtruitur totum, atque excitatur animal. Vide, quæ ibi diximus, quæ etiam hîc maximè probamus. Sed accipe duas alias explicationes, ac de illis, vt voles, ſtatue. Ignis, etiamſi non admodum acer ſit, & vehemens, diſſoluit, atque conſumit carnes, quia vim non habent ad reſiſtendum magnā; ſed oſſa, quæ firma ſunt, non facilè ſoluit, atque conſumit ignis quicunque; vehemens ſit oportet, qui in oſſa id valeat, quod in carnes alij. Miſit ergo de excelſo Deus ignem, ſicut in pentapolim antea, & non carnes ſolùm, ſed etiam oſſa tabefecit omnino, & redegit in cineres. Id quod explicuiſſe videtur Ezechiel c. 24. verſ. 4. *Pone ollam, pone, inquam, & mitte in eam aquam. Congere fruſta eius in eam, omnem partem bonam, femur, & armum, electa, & oſſibus plena. Pinguiſſimum pecus aſſume, compone quoque ſtrues oſſium ſub ea; efferbuit coctio eius; & diſcocta ſunt oſſa illius in medio eius.* Et iterum verſu 9. *Væ ciuitati ſanguinum, cuius ego grandem faciam pyram. Congere oſſa, quæ igne ſuccendam,* 66.

מ Mem. Ierem. 50. Ezech. 24.

conſumentur carnes, & coquetur vniuerſa compoſitio, & oſſa tabeſcent. Puto igitur, alluſum hîc fuiſſe ad hunc Ezechielis locum, in quo videmus à Deo conſtructam eſſe pyram, quod idem eſt, atque ignem de excelſo miſſum,& oſſa tabuiſſe. Quod nihil eſt aliud, quam diruta fuiſſe non ſolùm quæ infirma ſunt, & mollia, quæ carnis exprimuntur metaphora; ſed quæ dura, & fortia, vt ſunt in hominibus bellatores, & duces: in ædificiis autem,& molibus mœnia, turres,& arces.

67. Altera explicatio eſt item metaphorica, quæ non tam ſignificat vaſtatam, atque exoſſatam vrbem, quàm ciuitatem, ideſt, ciues exules, & captiuos grauiſſimo confici mœrore. Nam *ignem* pro dolore, ſeu cruciamento ſumi, nimis eſt in Scriptura ſacra vulgare: neque inuſitatum eſt, ac durum, ſi oſſa pro internis, atque viſceribus aſſumas. Hæc planè duo in eum, quem adducimus ſenſum, coniunxit Ieremias capite 20. verſu 9. *Factus eſt* (nempe ſermo Dei) *quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis: & defeci ferre non ſuſtinens.* Vide, quæ in hunc locum, ſuprà contulimus. Hæc mihi explicatio vehementer placet, quia aptè, quod ſequitur, cum illa coniungitur.

68. *Et erudiuit me.*] *Erudire*, non ſolùm docere eſt, ſed etiam caſtigare, domare, & quocunque modo, quantumcunque ſeuero, ad diſciplinam,& officium adducere. Sed quia bruta non aliter docentur,& inſtruuntur ad miniſterium aliquod,& opus, quam flagello, & ſtimulo, ideo eruditam ſe dicit Hieroſolyma, ideſt, caſtigatam à Deo. Hæc autem eruditio, & altè infixus viſceribus dolor, eò ſpectat, vt vitæ ſuperioris agnoſcat errata,& timendas eſſe propheticas, ideſt, Diuinas voces, ſibi perſuadeat.

69. *Expandit rete pedibus meis: conuertit me retrorſum.*] Metaphora à venatore ducitur, ſiue à piſcatore, ſeu aucupe; qui retibus expanſis ad loca inſidiis opportuna, præda potiuntur. Sed credo à venatoribus præcipuè ductam eſſe metaphoram, quia hæc magis eſt familiaris Prophetis, & rei propoſitæ accommodata magis: & facit, quòd eorum plerunque venatio dicitur, quorum laqueo pedes implicantur. Vt autem proxima cum alluſione ad Ezechielem explicuimus, qui ignem cum oſſibus coniunxit: ſic hæc cum alluſione item ad Ezechielem exponenda cenſeo, qui etiam cùm de Hieroſolymæ extrema vaſtitate loquutus eſt, eandem quoque metaphoram adhibuit cap. 12. verſu 13. capite 19. verſu 8. capite 32. verſ. 3. licèt ibi ſagenæ meminerit, quæ non tam ad venatoriam, quàm ad piſcatoriam facultatem ſpectat. Quomodo ſic obſeſſa fuerit ciuitas, vt in nullum pateret effugium, ſed vndecunque fugientibus rete videretur oppanſum, habes 4. Regum capite 25.& Ieremiæ capite 52. *Conuerti verò retrorſum*, ex vſu Scripturæ, plerunque eſt ſuperari, ac ſterni: & ex illo ordine, ac gradu depelli, in quo quis antè cum gloria, ac maieſtate conſederat. Ab exemplis abſtineo, quæ multa ſunt.

Ezech. 12. & 19. & 32.

4. Reg. 25. Ierem. 52.

3 Nun. Verſ. 14. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum.*]

70. Variè hic locus à variis accipitur, & exponitur. Quidam, *ligauit*, legunt, vt Pagninus,& Vatablus, quod ſanè accommodatè de iugo dicitur, quod animalium alligatur ceruicibus. Iugum autem iniquitatum ſupplicium illud eſt, quod in peccatoris caput iniquitates inuexerunt, atque ita conſtrinxère vehementer, vt non ab alia, quàm à Diuina manu diſſolui queat. Trahit autem peccator iugum illigatum peccatorum vinculis, quaſi funium nexu; quomodo Iſaiæ capite 5. trahere dicitur peccatum, quaſi vinculum plauſtri. *Væ*, inquit, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Vide, quæ ibi nos, quæ valde faciunt ad hanc explicationem.

Iſa. 5.

71. Sed legendum eſt cum Vulgato, *vigilauit*, & ſine dubio reſpexit hîc Propheta ad prima verba ſuæ prophetiæ; vbi Deus vigilare ſe dicit, vt verbum ſuum compleat, nempe, de aduocando ab Aquilone Chaldæorum exercitu, & euertenda Hieroſolyma, illigandóque ipſius ceruici ſeruitutis iugo. Vigilabat itaque Deus, ideſt, attento ſpeculabatur animo, quem ad numerum excreſcerent Iudæorum peccata: vt cùm ad peccatorum cumulum ventum eſſet, deſignatum iam in animo ſupplicium infligeret. Eſt autem in Scriptura ſacra non infrequens, vt verba neutra actionem aliquam ſignificent, cum aliquo tamen modo. Quomodo dicimus, *Exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.* ideſt, cum exultatione cantabit. & Iſaias capite 49. *Iubilate montes laudem.* ideſt, celebrate cum iubilo. Quod etiam apud Latinos frequens eſt, & non inelegans; quomodo dicunt, *deperire aliquem*, ideſt, ad mortem amare. *Corydon ardebat Alexin.* ideſt, ardenter amabat. *Feſtinare veſtes, fugam, mortem.* ideſt, feſtinanter veſtes conficere, moliri fugam, mortem oppetere. Sic etiam nunc, vigilauit Dominus iugum, ideſt, vigilanter, tanquam excubitor, ſpeculatur attentè, quando iugum veniret, ideſt, tempus ſeruituti, atque exilio deſtinatum. Dicitur autem iugum iniquitatum, quia illud iniquitates adduxerunt, illigarúntque. Aliqui, *iugum*, in nominatiuo ſtatuunt, ita vt iugum vigilauerit, feſtinauerítque, vt ceruicibus inſideret peccantium. Sed cùm reliqua Deo planè conueniant, non eſt, cur verbum, *vigilo*, in eodem filo à Domino ſeparemus: maximè cùm modus ille, quem adduximus, nihil violenti habeat, atque diſtorti. Eodem ſenſu dixit etiam de populo eodem Daniel capite 9. verſu 14. *Vigilauit Deus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos.*

REGVLA. *Verba neutra actionẽ interdum habent, cum aliqua tamen epitaſi.*

Iſaiæ 49.

Daniel. 9.

72. Pro *iugo*, Hebraicè eſt על *ol*, quod variè notatum *iugum* valet, & *ſuper*, vt tranſtulère Septuaginta: *Vigilauit Deus ſuper iniquitates meas.* Cui fauet citatum proximè Danielis teſtimonium: ſed eſt ſenſus idem, aut non admodum diuerſus. Sed quòd Vulgatus optimè tranſtulerit, probat, quòd *conuolutæ iniquitates* nexus ſonant, & vincula, quæ iugo ſunt affinia. Et quòd Deus per hunc ipſum Prophetam capite 28. verſu 14. iugum minatus eſt ferreum tum aliarum gentium, tum Hieroſolymæ ceruicibus.

73. *In manu eius conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo.*] In manu nempe Dei, qui vigilauit iugum. Quocunque modo in manu Domini conuolutas iniquitates accipias, ſiue pro eo, quod propriè ſonant, ſiue pro ſupplicio, vt alibi in ſacra Scriptura frequenter, ſenſus & ad elegantiam ſplendidus,& ad mores grauis,& contra peccatoris obſtinationem horribilis eſt. Nam, ſi iniquitates, ideſt, ſtultæ actiones, & prauæ in manibus conuoluuntur Dei, quemadmodum nos filis memoriæ gratia digitos illigamus, aut alia implicamus, inſerimúſque μνημόσυνα, ſeu monimenta, quas vulgus hominum *memorias* vocat, ne vnquam illa, quorum obliuiſci nolumus, ex memoria cadant: ſic Deus, in quem nullo modo cadere

cadere poteſt obliuio, vt tamen ad hominum ſe accommodet ſenſus, habere dicitur in manibus conuoluta peccata, quæ ſemper Diuinis occurſent oculis,& furorem in ſe Omnipotentis inſtimulent. In hanc ſententiam facit bellè auctoris non boni expoſitio non mala. Is eſt Rabbi Salomon, qui ſic accipit, & exponit hunc locum: *Iugum iniquitatum mearum quaſi punctis quibuſdam notatum eſt.* Ac ſi dicat, notat Dominus, & obſeruat in manibus peccata ſingula, vt, cùm illorum expleta menſura fuerit, iugum imponat. Niſi mauis, iugum dici notari punctis, vt eius grauitas,& pōdus ſignificetur, ſeu diſtinctum eſſe foraminibus, vt multitudo oſtendatur vinculorum, quibus innodetur peccatoris collum. Quot enim in iugo ſunt foramina, tot in eo ſolent eſſe plerunque nexus. Non valde diſſidet ab hoc, quod diximus ad illud Iſaiæ capite 65. numero 13. *Ecce ſcriptum eſt corā me*, illud vide. item, quod ex Origene diximus capite 43. numero 42. ad illud 3 *Qui doleo iniquitates tuas*; vbi etiam oſtendimus, quomodo peccata, quæ Deus in ſuis manibus notauit, atque conuoluit, deleri poſſint. Quòd etiam, quos amat Deus in manibus ſuis deſcribat,& notet, diximus ad illud Iſaiæ cap. 49. numero 60.& 87. *Ecce in manibus meis deſcripſi te.*

Peccata ſemper ante oculos Dei.

Iſaiæ 65.

Iſaiæ 49.

74. Quòd ſi *iniquitates* ſupplicium ſunt, aliquid etiam ſonat locus hic horribile, quod peccatorum animum concutere debeat vehementer: cùm enim bos alligatum habet collum, aut cornua, ſi funes in aliorum manibus eſſe videas, non temerè coniectabis, illum ad gladium, atque macellū trahi. Si vinctus trahatur, & illaqueatus oryx ab his, quorum aut rebus, aut ſaluti nocumentum attulit, actum de illius vita crudeliter putas. Talis eſt peccatoris ſtatus, quem peccata ligant, quémque Deus iiſdem, quibus innodatus eſt vinculis, ad ſupplicium trahit. Dicitur idem penè de adoleſcente ſtulto, quíque amatoriis blanditiis deliniri ſe, atque conſtringi ſinit. Prouerbiorum 7. verſu 21. *Irretiuit eum* (meretrix) *multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum: ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam.*

Peccata, ſicut funes, homines trahunt ad gehennam.

Prouer. 7.

75. *Infirmata eſt virtus mea.*] Quò grauius iugum, eò magis languet, & frangitur virtus, quæ obniti contra pondus illud non poteſt: immo ſic ſub onere debilitata premitur, vt excitare ſe, aut reſpirare nequeat. Cui aſſonat illud capitis 4. *Ceruicibus noſtris minabamur, laſſis non dabatur requies.* Spectaculum ſanè miſerabile, ſi quemquam agētem animam alligatum iugo,& oppreſſum onere reſpicias; præſertim ſi aliquando in honore fuit, aut ad regni faſtigium, aut magnum aliquem titulum vocatus: quale foret, ſi Sedecias exoculatus iugum ſubiret Babylonium, & ſub eo iaceret, expiranti ſimilis. Aut Sampſon vir tantus ſtimulis adigeretur, & fuſtibus, vt ſedulò, neque vllo temporis momento intermiſſam operam piſtrino nauaret. Aut Reges illi, quos ſub plauſtrale iugum egit Seſoſtris, præſertim, ſi ita crudeliter tractaret, vt neque ducere ſineret ægram,& laborantem animam. Aſt ſpectaculum longè miſerabilius, ſi ſpectes antea robuſtum hominem, religionéque præſtantem; ſic tamen cecidiſſe ab illo ordine, vt fractus, & debilis à priore virtute, ſordidus, & ignobilis, & oppreſſus à vitiorum, affectionúmque tyrannide, nihil habeat reliqui, præter fœtentem animam, illámque iam addictam æternæ ſeruituti. Huic ſtatui quàm ſi-

Effigies peccatoris.

A millimam inueuerat Hieroſolymā, quæ in piſtrinum compacta fuerat, ſeu iugum planè intolerabile; neque tamen ab illo libertatem, aut requiem expectabat: atque ideo ſubdit, *Dedit me Dominus in manum, de qua non potero ſurgere.*

Verſ. 15. *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei.*] Oſtendit, quomodo virtus Hieroſolymæ infirmata conciderit: quia videlicet, quidquid in ea robuſtum erat, quódque ciuitati fore videbatur præſidio, confractum eſt. Ceciderunt námque magnifici, & electi, illi nempe, in quibus conſilij aliquid erat, & prudentiæ: tum etiam, qui viribus, & lacertis poſſent pro patriæ libertate cum hoſte confligere. Qui autem ſint hi, qui electi dicuntur, & magnifici, explicuit Iſaias latiùs capite 3. ſtatim in principio, vbi enumerat omnes, qui futuri videbantur ciuitati præſidio. ס Samech. 76.

B

Vocauit aduerſùs me tempus.] Tempus in numero ſaltem plurali aliquid interdum indicat ærumnoſum, & triſte, ex vſu Latinorum. Sed hîc de tempore ſermō eſt, quod ſæpe Dominus intentarat Hieroſolymæ, niſi meliora cogitaret. Hebraicè eſt מועד *moed*, quod non quodcunque tempus, ſed quod condictum, aut opportunum eſt, nempe vaſtitatis, ſeu vindemiæ, quaſi iam racemis Solymitanis tempeſtiua adueniſſet maturitas. Quaſi dicat Ieruſalem, poſt factam, atque iteratam vindemiam ſpoliata, & nuda, adduxiſſe Deum tempus, ideſt, opportunitatem Chaldæis, vt vineam diriperent, vindemiam calcarent: neque ex electis vnum reliquum facerent. 77.

C

Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.] Hæc verba ſatis indicant tempus illud, de quo proximè, tempus eſſe vindemiæ. Torcular pro racemis ſumitur, qui in torculari calcātur,& premuntur per metonymiam, quæ rem adhibet continentem pro re contenta. Quæ figura, vt reor, prouerbialis eſt, quæ ſtragem indicat, in qua nihil eſt ab acerba quadam oppreſſione liberum: quemadmodum nullus eſt in torculari botrus, qui non conculcetur,& ex quo non exprimatur, quicquid habet ſanguinis, & ſucci. Iſaias capite 63. *Torcular calcaui ſolus.* Apocalypſis capite 19. *Ipſe calcat torcular vini furoris.* Alluſum reor ad illam triumphantium conſuetudinem, qui ſubiugatos hoſtes ſterni iubent, & militum pedibus conculcari; quod, credo, non tantùm ad ludibriū, ſed etiam ad cruciatum fieri ſolitum: conculcabantur enim non tantùm pedibus, ſed etiam tribulis, carpentis, plauſtriſque ſerrantibus, ſub quibus victi, ac domiti, animam agebant ægram, & infelicem. Sic Iſaias de Moab capite 27. *Triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur palea in plauſtro.* Quod feciſſe traditur Dauid 1. Paralip. capite 20. contra Ammonitas. *Fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire: ita vt diſſecarentur, & contererentur.* Vide quæ diximus ad locum citatum ex Iſaia capite 63. Iuxta hæc ſenſus eſt non difficilis. Calcauit Dominus filiæ Sion filios ipſius, ſicut qui calcat torcular, ideſt, in torculari racemos: vbi ex Hebræorum idiomate nota ſimilitudinis ſubauditur; aut racemorum in morem ab hoſte victore, qui victi ceciderunt, ſterni, atque calcari ſolent. 78.

D

Iſaiæ 63. Apoc. 19. *Victi ab hoſte calcati.*

Iſai. 27.

1. Paral. 20.

E

Quæ explicatio mihi probatur magis, quia maior eſt in ea cum antecedentibus, & conſequentibus conſenſio; in quibus extincti dicuntur magnifici, & electi, & omnes denique 79.

ſublati filij. Sed neque diſplicet quod putant, aut ſaltē indicant, ſubobſcurè tamen, Olympiodorus, & Origenes, in catena; propinaſſe Dominū filiæ Sion calicem amarū, de quo Ieremias c.25. qui calicem appellat furoris: calicē verò pro graui vexatione ſumi, idque prouerbiali ſpecie, ſatis eſt obuiū. Erit ergo ſenſus conſentaneè ad hæc: Dominus calcauit torcular, expreſsítque vinum, ex vua fellis, & botro amariſſimo, quo ad ebrietatē potaret Ieruſalē. Sed, vt dixi, prior explicatio magis eſt conſequens, & textū implet multò magis. Appellatur verò Ieruſalem *virgo filia Iuda*, virgo quidē, quia & delicata, & lauta, & affluens olim, integra republica, inſtructu virginali: & quia ante illud tempus, ex quo in poteſtatem venit Dauid, nunquam ſubacta fuerat ab hoſtibus, & victorū proſtituta libidini. Neque ob aliam cauſā, vt reor, de aliis etiam ciuitatibus hoc affirmatur. Iſaias c.23. dicit, *Virgo filia Sidonis*. & cap.27. *Virgo filia Babylonis*. & cap.46. *Virgo filia Ægypti, filia Iuda*, ſeu *Sion*; idioma eſt Hebræorum, apud quos *filia*, ſeu *filius*, ad ornamentum aliquid orationi, ad ſignificationem nihil, aut parum addit. Quare *filia Ægypti*, & *filia Babylonis*, nihil eſt aliud, quàm Ægyptus, & Babylon.

Iſai.23. & 27.& 46. *Virgo cur dicatur ciuitas.*

80. Verſ.16. *Ideirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas.*] Quia filij calcati, & quaſi botri in torculari compreſſi, non poſſunt aut à ſuſpiriis animam, aut à lacrymis oculos abſtinere. *Aqua* vox eſt, quæ in varios patet vſus, & iuxta materiæ, locique, vnde promanat, aut exprimitur, varia ſignificat. Aquæ capitis aut oculorum lacrymæ ſunt, vt diximus ſuprà cap.9. vide ibi, de qua plura, quę hîc repetere neceſſarium non eſt.

ע Ain.

81. *Conuertens animam meam.*] Hebraicè משיב *meſib*, redire faciens. Abire exiſtimatur anima, aut propter amorem nimiū in rem amatā (vnde eſt illud iam vulgare proloquium, non tam animam in eo eſſe, quē informat, & animat, quàm in amata re) aut propter dolorem, ſi grauem illum eſſe contigerit. Quare, tā qui dolent, quàm qui amant, interdum exanimes, aut exanimati dicuntur. Iuxta hæc, qui dolorem leuat conſolando, aut aliquo modo dolendi cauſam leniendo, aut igneam vim amoris refrigerando, optimè dicitur abeuntē animam conuertere, ſeu reuocare eò, vnde fugitiua receſſerat. Qui loquendi modus in Scriptura non infrequens: & apud profanos obuium, qui reuiuiſcere dicunt illum, qui à magno ſiue metu, ſiue mœrore recreatur.

82. Verſ.17. *Expandit Sion manus ſuas, non eſt, qui conſoletur eam.*] Quia expanſæ manus variorum affectuum ſigna ſunt; ſic etiā earum varia poteſt eſſe ſignificatio. Primùm expandunt victi manus, quibus ſe neque velle, neque poſſe iam vlteriùs repugnare profitentur, & à victoribus miſericordiam implorant. Pro multis ſit nobis vnum exemplum Turni apud Maronem libro 12. Æneid. qui ſic ad Æneam imminentem iugulo:

פ Pe. *Manuum expanſio victum ſignificat, & ſupplicem aut dolētē.*

Ille humilis, ſupplexque oculos, dextrámque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere ſorte tua: miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ.

& ſtatim:

—vicisti, & victum tendēre palmas
Auſonij vidērē: tua eſt Lauinia coniux:
Vlterius ne tende odiis.—

A Ad hunc modum victam ſe, manuū expanſione, profeſſa Hieroſolyma, ab imminentibus cum diſtricto ferro Chaldęis miſericordiam extorquere nitebatur, ſed planè fruſtra: neque enim aut à prę feroci, aut inflammato vultu, aut à voce barbarum aliquid, & ferinum ſonante, aliquid ſibi conſolationis polliceri potuit.

Significat item manuū extenſio auxilij implorationē, vt conſtat: cùm enim qui laborat, & mœret, aut liberū ſpiritum non habeat, quo auxiliatorē clamando accerſere poſſit, aut longiùs abſit, quàm vt ab hominibus audiri queat, quod commodè tātùm, & vtiliter facere permittitur, manus expandit ſupplices, quas videre magis poſſunt B abſentes, quàm accipere, aut intelligere clamantis vocem. 83.

Eſt præterea hæc manus expanſio doloris argumētum graue, quali affici ſolent parturientes, & quos viſcerū morſus, aut vis alia vehemētior excruciat. Sic Iſaias c.25. de Moab ſub plauſtro, ſeu dentata tribula: *Extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum*. & Ieremias c.4. *Vocem enim quaſi parturientis audiui, anguſtias, vt puerperæ. Vox filiæ Sion intermorientis, expandentiſque manus ſuas.* Ad omnes explicationes patet textus, tam Latinus, quàm Hebraicus, nullam ego reſpuo, ſed poſtremam magis probo.

Iſai.25. Ierem.4.

Mandauit Deus aduersùm Iacob.] Verbum He- 84.
C braicum צוה *ſauah*, & Latinum, *mando*, ſeu *præcipio*, voces ſunt militares, ſignificántque Ducis imperiū, quod modò in has, modò in illas partes exercitū dimittit: vt pluribus docuimus in caput 23. Iſaiæ nu. 28. in quem ſenſum accipio illud Pſalmi 67. *Manda, Deus, virtuti tuæ*. & Amos 9. *Mandabo gladio, & occidet eos.* Sic etiam expoſui apud Iſaiam ſuprà: *Dominus mandauit aduersùs Chanaam.* Sic etiam modò, Imperator Deus, qui delectus conſcripſit Babylonicos, illorum aciem aduersùs Iacob, idest, Iacobi filiam inſtruxit.

Mando, ſeu præcipio, vox militaris. Pſal.67.

Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis.] Menſtruata fœmina prouerbiali figura dicitur, quæ aut propter ſpeciē ſordidam, & ignobilē, aut propter aliam quamcunque turpitudinem abomina- 85.
D bilis eſt: vt pluribus diximus ſuper Iſaiam cap.64. ad illud, *Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.* Sicut ergo ad menſtruatæ fœminæ congreſſum omnes nauſeant, illámque auerſantur, & horrent: ſic ab Ieruſalem menſtruatæ ſimili refugiunt omnes, & à ſe quàm longè amoliri iubent. Iſai.64.

Verſ.18. *Iuſtus eſt Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.*] Quomodo viri pij dignos ſe quolibet iudicēt ſupplicio, fateantúrque, ſecus atque Gentiles, Deúmque iuſtū dum grauem etiā pœnam infligit, prædicent, diximus ad illud, *Peccatū peccauit Ieruſalem.* Idem nunc fatetur Ieremias, aut per Ieremiam Hieroſolyma. Illud, *os eius*, variè à variis accipitur. Quidā *os Domini* pro ipſo Domino ſumi putant, quod de *facie Domini* diximus ſę-
E pe; maximè apud Iſaiam c.25.n.24. ita vt prouocare os Domini, idem ſit, quod prouocare Dominum: quod placeret valde, ſi de *ore* exemplum haberemus aliquod, qualia multa occurrunt de facie. 86. צ Sade.

Alij in *ore Domini*, aut prophetias accipiunt, aut præcepta Dei, quæ in ſacra Scriptura os Domini dicuntur; quia voces in ore formantur, & ad hominum aures proferuntur: quomodo dicimus, *iuxta os Domini*, idest, iuxta præceptum; ſiue etiam Prophetæ os vocantur Domini, quia per illos Dominus tanquam per linguam ſuam oracu- 87.

Prophetæ os Domini.

oracula ſua ad homines,& mandata tranſmittit. Cùm verò pro *prouocaui*, Hebraicè ſit מריתי *marithi*, quod etiam rebellem eſſe ſignificat, ſenſum eſſe putant, vt dicat Ieruſalem, iuſtum eſſe Dominum, dum pœnam infligit, quia ipſa Diuinis præceptis, & Prophetarum oraculis rebellis fuit, dum accipit cum ſibilo propheticas minas, immo & Prophetas percutit pugnis,& compingit in neruum. De Prophetis accipiunt Origenes, Bonauentura, Hugo, & recentiores aliquot; de præcepto Theodoretus, Paſchaſius, Rabbanus, & Lyra, Maldonatus, & alij; quod probatur omnium maximè, quia in Scriptura millies eo dicendi genere ſignificatur rebellis animus eius, qui ſuperioris mandata contemnit. Quod enim Hebræi dicunt מריתי פיהו *marithi pihu*, quod hîc Vulgatus vertit, *Os eius ad iracundiam prouocaui*, interdum Vulgatus idem vertit, *ori, aut præceptis rebellis fui, non obtemperaui, incredulus fui.* Hæc itaque explicatio mihi probatur omnino: ſed addam aliquam aliam, non quam aliis præferam, aut omnino probem, ſed vt lector expendat, quæ mirè Dei benignitatem, & pronum ad ignoſcendum animum, benéque faciendum hominibus declarat. Verbum מרה *marah*, quo hîc Ieremias eſt vſus, aliquid indicat amarum, & triſte. Quare Oſeæ capite 14. vbi Vulgatus, *Quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum*; Hebraicè eſt, מרתה *marethah*, & hoc ipſo capite, verſu 20. vbi Vulgatus, *amaritudine plena ſum*; Hebraicè, מרו מריתי *maro marithi*. Ruth capite 1. vbi Vulgatus, *Vocate me marah, id eſt, amaram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens*; vbi bis idem occurrit verbum. Ex his hæc videtur informari poſſe ſententia, *Quia os eius amaritauit.* Quaſi dicat, Os Domini omni ſuauitate plenum eſt; melle ſtillat, & nectare; aſt ego amarum mihi rediddi, dum illū felle,& abſynthio poto. Verba illa offenſionis, atque iracundiæ plena, quibus hoſtes euocat contra me, & ad ciuium cædem, & exilium, vrbíſque vaſtitatem hortatur, non expromit vltrò natura liberalis, & mitis, ſed ab ea quaſi violenter extorquet, & morum improbitas, & in peccando proteruus, atque obſtinatus animus.

88. *Peccator os Domini dul. ac amarum reddit.*

Oſeæ 14.

Ruth 1.

89. ק Coph. Verſ.19. *Vocaui amicos meos, ipſi deceperunt me.*] Hæc eadem iam antè dudum, & ſæpe Propheta cecinerat, neque ſpem eſſe locandam in Ægyptiorum copiis, neque idolorum, quorum veteranus populus ſuperſtitioni ſeruierat, vllam eſſe fidem, aut potētiam, vt velint, aut poſſint patrocinari laboranti, immo neque illis ineſſe mentem, aut ſenſum, cùm ſint figmenta quædam inania, quæ è ſaxo, aut ligno formauit artificum induſtria. Hoc ipſum completum eſſe clamat, magno ſuo edocta malo Ieruſalem, dum deceptam ſe fatetur ab illis, qui prolixè pollicebantur omnia.

90. *Sacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt, quia quæſierunt cibum.*] Famem quoque iam antea prædixerat Propheta perſæpe: hanc experta eſt Hieroſolyma ita grauem, & duram, vt non ſolùm tenuem, atque ignobilem turbam, ſed Sacerdotes, quorum erat victus copioſus, & lautus, & ſenes, qui & Principes, & reliquos, quorum in ciuitate inclytum nomen inedia confecerit, de qua libro 4. Regum capite 25. & Ieremiæ capite 52. Vbi Vulgatus, *conſumpti ſunt*, Hebraicè eſt, גוע *gaualth*, quod ex ſententia Rabbi Dauid ſignificat *mori ſenſim*, ſicut hi, qui longa exhauriuntur, & ſoluuntur tabe. Quod mortis genus, vt dicemus ſtatim capite 4. verſu 9. longe durius eſt illo, quod accipit à ferro, qui pugnando cadit.

91. ר Res. Verſ.20. *Vide, Domine, quoniam tribulor: conturbatus eſt venter meus.*] *Aſpicere*, aut *videre* dicitur Deus, cùm alicuius miſeretur, & certum benignitatis ſuæ præbet argumentum, vt ſuprà diximus capite hoc, numero 54. Cùm ergo fallaces hominum promiſſiones inueniſſet Hieroſolyma, neque quidquam veri, ac ſolidi in humanis rationibus eſſet experta, conuertit ſe tandem ad Dominum, & quantus ſit aut viſcerum dolor, aut animi perturbatio, ac mœror, oſtendit. Quòd venter viſcera ſignificet, ac præcordia, ſatis eſt notum: in corde ſubuerſo repetitionem eſſe puto eiuſdem ſententiæ, licèt exanimationem etiam ſignificet, quæ eſt à metu, qui diſſoluit vires,& ſpiritus frangit, neque cogitare ſanum aliquid, aut moliri patitur.

92. ש Sin. Verſ.21. *Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me.*] In eo, quod reliquum eſt capitis, talia aut precatur, aut prædicit populi nomine Ieremias Babyloniis, aliíſque gentibus, malè in Iudaicum populum animatis, qualia ab illis & pertulit priùs, & nunc etiam exul, & captiua patitur. Quod votum, aut vaticinium ad alios etiam arbitror extendi, qui cùm deberent ex fœdere, aut certè propter humanitatis officium, ipſam aut auxilio, aut alio conſolationis genere leuare, cùm gementem audiſſent, nullum tamen præſtitere ſiue ſolatium, ſiue ſubſidium afflictæ fortunæ.

93. *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti.*] De Babyloniis hæc præcipuè capio; ſed ad nationes alias, vt ſuprà dixi, pertinere arbitror, ad Idumæos nempe, Ammonitas, Moabitas, & ſi qui ſunt alij, quibus minùs erat gratum Iudæorum nomen. Horum enim aliquos eſſe lætatos, docet Ieremias Threnorum 4. verſu 2. vbi ſic de Idumæis: *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix.* Quòd de aliis etiam nationibus non eſt improbabile; & occurrunt non pauca in Prophetarum oraculis indicia.

Thren.4.

94. *Quoniam tu feciſti.*] Perſuaſerant ſibi Babylonij, derelictam eſſe Iudæorum gentem à Deo, & illius imperio euerſam eſſe ciuitatem, quia plena peccatis. Ita Nabuzardan ad Ieremiam, ſuprà capite 40. verſu 2. *Dominus Deus tuus loquutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum, & adduxit, & fecit Dominus, ſicut locutus eſt, quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius.* Eodem modo alij Iudaici nominis inimici laudabant Dominum, quia ex eius manu accepiſſe videbantur opima Iudæorum ſpolia, quibus ditati fuerant. Zachariæ 11. verſ. 5. *Occidebant, & non dolebant, & vendebant ea dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti ſumus.* De aliis nationibus eadem videtur eſſe ratio. Sanè Achior Ammonites, qui in caſtris Nabuchodonoſor, ſub Holopherne duce militabat, hoc ipſum cueniſſe dicebat filiis Iſraël, vt ſi quando à Deo receſſiſſent, inimicorum ſuorum opprimerentur armis, & illis eſſent non prædæ ſolùm, ſed etiam ludibrio. Sic autem ille in libro Iudith capite 5. verſu 17. *Non fuit, qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui. Quotieſcunque autem præter ipſum Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt*

Ierem.40. *Peccatores Deus inimicorum armis vexat.*

Zachar.11.

Iudith 5.

ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Lætabantur itaque, inſultabántque captiuæ Hieroſolymæ tam Babylonij, quàm alij populi, qui veteres, & penè continentes cum Iudæa gente inimicitias exercebant, & quòd eſſet miſera, & quòd à ſe Deum abalienaſſet peccando, à quo magno ſuo merito tradita foret inimicorum priùs ferro, ac prædæ, deinde verò ſeruituti, ac probro.

95. *Adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei.*] Votum hoc eſt Ieremiæ, aut populi per Ieremiam ſuæ cauſæ patronum. Qui ſperat conuerſionem ærumnoſæ fortunæ, & prædictam ſæpe ab aliis quoque Prophetis rerum viciſſitudinem. Non enim diu poſt captam, euerſámque Hieroſolymam, quinto nempe anno, vt tradit Ioſephus libro 10. Antiquitatum capite 11. idem Nabuchodonoſor prouincias illas inuaſit, ac populatus eſt, quæ hîc exultaſſe dicuntur in caſu Hieroſolymæ; & ſeptuageſimo deinde anno à Perſarum exercitu vaſtata eſt, & in ſolitudinem redacta Babylon: ita vt omnes, qui Iudæis aut infidi fuerant, aut inimici, eadem pertulerint incommoda, quibus perfuncta dicitur Hieroſolyma. De harum prouinciarum lamentabili ſtrage, ſunt extrema capita Ieremiæ, vbi ſpecies proponitur fortunæ miſerrimæ.

96. ת Thau. Verſ. 22. *Ingrediatur omne malum eorum coram te.*] Duo nobis ſignificant hæc verba, vtrunuis exitium optat, aut prædicit aduerſariis. Ingredi aliquid, aut venire coram Domino, ſiue ad Dominum, idem eſt, quod recordari Dominum rei alicuius. Recordari verò, vt alio diximus loco, idem eſt, quod memoris animi aliquod exhibere teſtimonium, puniendo videlicet ſontes, inſontes liberando, compenſando merita, aut alio quouis oſtendendo ſigno, rem ſibi neque occultam eſſe, neque neglectam. In hunc ſenſum accipio illud Pſalmi 136. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom.* id eſt, *puni.* & Pſalmo 73. *Memento congregationis tuæ.* id eſt, *miſerere,* ſeu *auxiliare.* Iſaiæ 43. *Peccatorum tuorum non recordabor.* id eſt, *non puniam.* & ſtatim capite 2. verſu 1. *Non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum.* id eſt, non protexit. Sic ergo hîc, *ingrediatur coram te omne malum eorum*, idem eſt, ac ſi diceret; Recordare Domine, quid mali fecerint, neque illud abire ſinas impunitum. Sic Pſalmo 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.* & Pſalmo 78. *Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.* Pſal. 136. Pſal. 73. Iſaiæ 43.

97. Significat etiam modus iſte loquendi, examinari cauſam à Iudice, & damnari, ſeu probari, aut aſſeri à fraude, vel calumnia. Iſaias capite 1. *Cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Iuxta hæc aut optat Hieroſolyma, pungentibus tribulationis aculeis, aut prædicit Propheta futurum, vt inimicorum ſcelera & expendat Dominus, & iudicet, ac puniat ſeuerè. Iſai. 1.

98. *Vindemia eos, ſicut vindemiaſti me.*] Quid ſit vindemiare, diximus paulò antè. Orat ergo Hieroſolyma, vt non meliori ſint loco ſuæ ſalutis inimici, quā ipſa nunc eſt; & ſicut illa nunc mœret, & luget, ſic etiam illi mœrore, luctúque tabeſcant: neque leniùs in torculari conculcentur, atque premantur, quàm ipſa vindemiam ſuam conculcari, ac premi ſub prælo vidit. Hæc de capite primo.

ARGVMENTVM CAPITIS II.

DEPLORAT Propheta clariſſimæ quondam vrbis ruinam ingentem, templi direptionem, & incendium, omnibus prorſus ordinibus oblatam mortem, aut indictam fugam, & exilium.

THREN. CAP. II.

ALEPH.

1. *QVomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Iſraël, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui?*

BETH.

2. *Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia ſpecioſa Iacob: deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum, & Principes eius.*

GHIMEL.

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. EHeu, quomodo indignatus Dominus ſplendorem illum eximium, quem integra fortuna habuit Hieroſolyma, inductis Chaldæorum armis, quaſi quibuſdam tenebris obſcurauit; & quæ, placato Deo, ſublata videbatur in cælum, eodem infenſo ad terram vſque deiecta eſt? Neque recordatus eſt Dominus templi, quod ipſi pro ſcabello fuit, vt illud à Chaldæorum armis, atque iniuria ſeruaret.

2. Subuertit Dominus, quæ in Iacob ad ſpeciem videbantur præclara, neque ipſa rerum pulchritudo vindicem manum à vulnere continuit: & quæ ciuitati comparata fuerant munimenta, indignatus excidit, ac deiecit in terram, & regnum, quod religioſo ritu videbatur ſactum, quaſi profanum eſſet, contaminauit, ac polluit.

3. Diſiecit

GHIMEL.

3. *Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſraël: auertit retrorſum dexteram ſuam à facie inimici, & ſuccendit in Iacob quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro.*

A 3. Diſiecit Dominus ſuccenſus ira omnia illa, quæ defendere poterant Iſraëlem, & hoſtilem impetum arcere; & cùm inſtaret hoſtis, Deus olim pro populo pugnare ſolitus, contraxit retrorſum manum, neque inſtantem repulit inimicum. Sic autem domum Iacob Babylonicus eſt populatus furor, ac ſi vndique graſſatus ignis totam in circuitu ciuitatem inflammaret.

DALETH.

4. *Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus, firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis: & occidit omne, quod pulchrum erat viſu, in tabernaculo filiæ Sion, effudit quaſi ignem indignationem ſuam.*

4. Non ſolùm Deus inſtantem hoſtem non ſummouit, ſed etiam ipſe hoſtilem in modum nobiſcum eſt congreſſus; vibrauit B nàmque arcum ſuum, & adducto fortiter neruo ſpiculum quàm longiſſimè, & quàm violentiſſimè adegit. Occidit quod ſtrenuum erat, & pulchrum in Sion, & furorem ſic euomuit, ſicut Æthna, aut alia terrarum ſpiracula eructant incendia.

HE.

5. *Factus eſt Dominus velut inimicus: præcipitauit Iſraël, præcipitauit omnia mœnia eius: diſſipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.*

5. Aſſumpſit ſibi Dominus hoſtiles ſpiritus, & perdidit Iſraël, diſſipauit, ac diruit omnia mœnia, omnes illius munitiones euertit, & ciuitatem ingenti repleuit numero illorum, quos humiliauit, ac perdidit Chaldæorum barbara, atque inimi-C ca vis.

VAV.

6. *Et diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum: obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem, & ſabbatum: & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui, Regem, & Sacerdotem.*

6. Disturbauit Dominus templũ, quod ipſi tabernaculi præbebat vſum, diſſipauítque non ſecus, atque ſiquis diſiecta maceria, & omni ſepimento ſublato hortum diſſipet ſuum, aut diripiendum prædatori permittat: cui ſolemnitatum, & eorum, quæ in ſabbatis maximè religioſè fiebant, ſilentium indixit, vſque adeò longum, vt illorum obliuio videatur inducta, & indignatione ſuccenſus vile habuit, irridendúmque tradidit ſacerdotium, & regnum.

ZAIN.

7. *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſollemni.*

D 7. Abiecit Deus cum altari ipſa quoque ſacrificia, & templum ſic euertit per durum, & inſultantem hoſtẽ, vt illud execratus videri potuerit: propugnacula templi, turréſque, quæ ipſi in circuitu munimento erant, in hoſtium poteſtatem venerunt. Templum autem ipſum, clamante, atque exultante hoſte, ita concrepuit, ſicut in ſolemnibus antea diebus, clamante religioſè, atque plaudente populo.

HETH.

8. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione: luxítque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.*

8. Conſtituit Dominus omnia præſidia, ac munimenta Hieroſolymæ conuellere: quare, quod cæmentarij ſolent, perpẽ-E diculum adhibuit, & regulam, quò ex arte, attentè, & non præcipitato conſilio, cuncta ſubuerteret; neque manum à demoliendo cohibuit, donec quod animo deſtinarat, abſoluit. Suffoſſus eſt, & collapſus murus interior, & antemurale, murus nimirum, qui illi ab exteriori parte prætenditur.

TETH.

9. *Defixæ ſunt in terra portæ eius: perdidit, & contriuit vectes eius: Regem eius & Prin*

9. Cùm muri, turréſque corruerent, earum ruente mole, atque ruderibus obtritæ ſunt, & obrutæ portæ, cum vectibus ſuis,

Principes eius in Gentibus: non eſt lex, & Prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino.

IOD.

10. *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion: conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis, abiecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem.*

CAPH.

11. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritione filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi.*

LAMED.

12. *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis: cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.*

MEM.

13. *Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te, filia Ieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te, virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?*

NVN.

14. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones.*

SAMECH.

15. *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilauerunt, & moue-*

rum

A ſuis. Neque meliorem nacti ſunt conditionem Rex, & Principes à Gentibus abducti, & in eum modum abiecti, vt è viuis exceſſiſſe, & omnino ſepulti videri potuerint. Vtranque verò plagam magno ſuo merito populus accepit, quia neque lex illi religioni fuit, neque veros audiit Prophetas, ſed à falſis ſeductus, quid voluntas exigeret Diuina, contempſit.

10. Senes, quorum integra Republica grauis erat auctoritas, qui ſedebant olim ſublimes in porta, abiecerunt ſe ad terram B vſque, & ſederunt in puluere, neque illis ſub ſeuero dominorum imperio hiſcere permittitur. Fœdarunt cinere ſenile caput, & cilicium, lugubre nimirum indumentum, acceperunt, & Solymitanæ virgines, quæ extento quondam ingrediebantur collo, caput ſuum abiecerunt, alliſerúntque terræ.

11. Obtenebrati ſunt oculi plorando, & mea mihi viſcera inhorruerunt, extabuerúntque, & diſrupta præ dolore in terram effuſa ſunt, cùm ſpectarem eò perueC niſſe Hieroſolymæ fortunam, vt non in latebris, ſed in plateis, ſpectante populo, præ fame exanimati defecerint infantes.

12. Sic autem paruuli, quibus pluſculum acceſſerat ætatis, vagientes ad matres: Ecquid de vino? Ecquid de frumento? Quid nobis fiet? Id autem tunc clamabant, cùm non aliter ipſos in materno cõplexu, in compitis, publicíſque ciuitatis locis fames extingueret, quàm ætate maiores vulneraret, & conficeret gladius.

13. Vt vltimam ſæculorum memoriam D repetam, nihil inuenio ſic ærumnoſum, & infelix, quod cum hoc ſtatu tuo, ô Ieruſalem, comparare poſſim. Vnde ergo exemplum ſumam, cum quo exæquem, aut cui affine eſſe putem infortunium tuum? Quo ſolatio leuare poſſim animi tui dolorem non video: vſque adeò enim te premunt, ac circunfundunt mala, vt non magis vndis mare, quàm tu malis, atque doloribus abundes. Ecqua igitur erit medicina, quæ ſic affecto corpori afferre poſſit ſanitatem?

14. Prophetæ tui, ſeu potiùs impoſtores pro veris, & ſanis oraculis falſa tibi, ac E fatua figmenta venditarunt, qui ſtylo non tam ad ſalutem, quàm ad pruritum, & voluptatem attemperato, neque aperiebant, neque exprobrabant tua tibi flagitia, vt ad pœnitentiam, & frugem meliorem adducerent, ſed verba illa adulatoria, & mollia grauia tibi pepererunt damna, & in exilium tandem expulerunt.

15. Comploſione manuum, agitato capite, & ore procaciter ſibilante, inſultarunt tibi, ô Ieruſalem, viatores omnes, di-

xerúnt

runt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem: Hæccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?

A xerúntque: Hæccine eſt vrbs illa nobilis, ad cuius ſplendorem, & ſpeciem nulla fieri poſſe videbatur acceſſio? Vnde vniuerſa terra promiſſionis vberē ſumebat exultandi materiam?

P H E.

16. *Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deuorabimus: en iſta eſt dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus.*

16. Hæc viatores, & tranſeuntes. At hoſtes eo maximè tempore, quo intra mœnia primùm graſſari datum eſt, non aliter ore ad prædam hiante fremuerunt, quàm aut rugientes leones, aut ſibilantes angues: & vrbe prædáque potiti, exclamauerunt ſibi ipſis gratulantes: O factum bene: iò triumphe, capta eſt Hieroſolyma, deuorabimus id, ad quod tanto ferebamur ſtudio, inuenimus prædam, votis noſtris ſatisfactum eſſe vidimus.

A I N.

17. *Fecit Dominus quæ cogitauit, compleuit ſermonem ſuum, quem præceperat à diebus antiquis: deſtruxit, & non pepercit, & lætificauit ſuper te inimicum, & exaltauit cornu hoſtium tuorum.*

17. Quæ Deus cogitauit, denunciaríque iuſſit iam olim per Prophetas, ad vnū omnia completa ſunt. Deſtruxit te, ô Ieruſalem, neque vllum locum voluit eſſe veniæ, ex tuis opibus ornauit, hilarauítque hoſtes, & eorum potentiam exaltauit.

S A D E.

18. *Clamauit cor eorum ad Dominum ſuper muros filiæ Sion: Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

18. Clamauit Iudæorum quilibet, toto præcordiorum affectu ad Deum, cùm videret graui ruina Hieroſolymæ muros corruiſſe, & alter alterum his ſe viciſſim ſermonibus hortabatur. Fac, vt ex oculis inſtar torrentis oboriantur lacrymæ, neque die, ac nocte lamentationis officium intermittas, neque patere, vt oculi vnquā à lacrymando ceſſent.

C O P H.

19. *Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.*

19. Surge ad adorandum, & ad Diuinas laudes ſic incumbe, vt Solem anteuertas, & nihil huic curæ præuertendum putes: neque quietem vllam ſumas à plorando, donec cor per ſtillantes oculos liquefactum effundas. Plora igitur, & Deum precare, vt iram aut auertat, aut temperet, qui perire fame paruulos in medio platearum paſſus eſt.

R E S.

20. *Vide Domine, & conſidera quem vindemiaueris ita: ergóne comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ? ſi occiditur in Sanctuario Domini Sacerdos, & Propheta?*

20. Reſpice, Domine, & conſidera, quàm dura fuerit, & acerba vindemia, quæ non ſolùm racemos maturos, & grandes, ſed etiam exiguos, acerbóſque demeſſuit. Quis vnquam crederet, eò, vrgente fame, adigendas eſſe matres, vt recèns natos infantes, quorum magnitudinem æquare palmus, aut capere poſſet pugillus, in cibos pararent, & in ſua rurſus viſcera condiderint? Quis crederet, auguſtiſſimum totius orbis ſacrarium Sacerdotum, Prophetarúmque ſanguine temerandum?

S I N.

21. *Iacuerunt in terra foris puer, & ſenex: virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfeciſti in die furoris tui: percuſſiſti, nec miſertus es.*

21. Strati ſunt in publicis, ac patentibus locis fame, tabéque conſumpti ſenes, ac pueri, qui propter grauem, aut teneram ætatem, minùs ferre poſſunt famis, ac valetudinis incommoda. Extincti iacent ferro virgines, & iuuenes, quorum miſertus non es, ſed quo tēpore furori tuo habenas laxaſti, ſeuera, ac vindice manu percuſſiſti.

THAV.

22. *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur: quos educaui, & enutriui, inimicus meus conſumpſit eos.*

A 22. Vocaſti, Domine, ex his locis, quæ populum vndecunque circunfundunt, hoſtes, qui mihi eſſent terrori. Qui certi de victoria, ac præda, ſic aduolarunt alacres, ac ſi ad dies, ludóſque feſtos accerſerētur, non ad belli moleſtias. Eo verò tempore, quo tuus in populum furor maximè ardebat, nullus fuit, qui aut effugeret mortem, aut relinqueretur in vrbe: cōſumpſit quippe hoſtis illos, quos in ſinu meo molliter educaueram.

IN CAPVT II. THRENORVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion.*]

1. ℵ Aleph. DESCRIBIT ſubitum Hieroſolymæ caſum, quem vt magis dolenter exprimat, & amplificet, priorem fortunam, ex qua cecidit, deſcribit, & attollit. In caligine, & tenebris luctum ſignificari, ſordidámque fortunam, ſatis eſt notum: quare qui obtectam Hieroſolymam dicit eſſe caligine, obſcuram proculdubio, & ſordidam vocat; indicátque, illam habuiſſe priùs aliquid ſplendoris, & gloriæ: vt enim ſi ſupra hortum amœnitatis eximiæ tenebræ obtendantur nocturnæ; aut clauſis feneſtris radij impediantur ſolares, quidquid in horto erat amœnitatis, aut in regia domo pulchritudinis viſendæ, euanuiſſe videtur, & ſpeciem amiſiſſe, neque re vera tunc ſpeciem habet vllam ornatus ille, quicunque ſit, dum perſtat ſiue à nocte, ſiue à portatum oppoſitu offuſa caligo. Sic ergo Deus ſplendorem illum eximiū, quem habuit Hieroſolyma, dum integra eſſet, illibatáque fortuna, inductis tenebrarum inſtar Chaldæorum armis, obtexit, obſcurauítque, ita vt nihil fecerit reliqui ſplendoris antiqui.

2. Pro *obtexit caligine*, Hebraicè eſt יעיב *iahbib*, quod aliquid importat, aut à nube deductum, aut nubibus affine: quare ad verbum ſic reddi non incommodè poſſet, *obnubilauit filiam Sion*, aut nubem obduxit eius ſplendori. Hebræi aliter putant: dicunt enim, ad nubes vſque eleuatam eſſe Ieruſalem, ideſt, longè ante ciuitates alias caput extuliſſe, vt grauior deinde foret ruina, & ex tanta, támque ſubita mutatione magis doleret. In hunc ſenſum quidam accipiunt illud Pſalmi 101. verſu 12. *Quia eleuans alliſiſti me.* Sicut is, qui aduerſarium ſublimem eo artificio, atque conſilio attollit, vt grauiùs deinde ſternat, & duriùs ad ſolū affligat. Quod dolere grauiùs ſolent, qui è ſublimi cadunt, & iniuriæ, atque infortunio ducunt, altiùs aſcendiſſe. Sic in Octauia Seneca:

Eleuatur impius, vt grauior ſit ruina.

Quid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita vultu ſorte contentum mea
Altè extuliſti? grauiùs vt ruerem edita
Receptus arce? ———

Et de Seiano, qui ſibi congerendis opibus paraſſe videbatur culmen, vnde præceps rueret, eſt B illud Iuuenalis Satyra 10.

——— *Nam qui nimios optabat honores,*
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

& vno verbo Claudianus in Ruf. libro 1.

——— *Tolluntur in altum,*
Vt lapſu maiore ruant. ———

Cui explicationi plurimùm aſſonat quod ſtatim additur, *Proiecit de cælo*, &c. ſed prior explicatio, ſicut etiam Vulgati conuerſio ſignificantior eſt; quæ duabus ſimilitudinibus ingentem eſſe docet fortunæ mutationem: altera, obſcurati ſplendoris à caligine, quod perinde eſt, atque ſi C imagini longè pulcherrimæ lituram obducas: altera, quæ non è nubibus ſolùm, ſed etiam è cælo Hieroſolymam dicit eſſe deiectam.

Proiecit de cælo in terram inclytam Iſraël.] Quod 3. ſupra modum videtur eſſe fortunatum, id in cælo eſſe prouerbiali ſpecie dicitur. Quare apud Latinos frequens: *In cælo ſum*, id eſt, obtinui quod mihi magis erat in votis. Et de his, qui votorum ſuorum potiti ſunt, *digito ſe cælum putant attingere.* Neque alio fortaſſe ſenſu dixit apud Iſaiam capite 14. Rex Babylonis, *In cælum aſcendam.* Ad hanc, credo, cōnſuetudinem, apud Hebræos quoque vulgarem, dum ſuas contemplaretur opes, & gloriam Ieruſalem, in cælo ſe eſſe ſuperbè clamabat; dicebátque, in terris eſſe nihil, quod cum D ipſius maieſtate, cæteríſque vitæ ſuæ ſubſidiis, ſiue ornamentis conferri poſſet. Nunc verò, cùm ſe collapſam ex ſublimi illo gradu, ac ſolio contempletur, è cælo ſe præcipitatam eſſe clamat. *Inclytam Iſraël* Hieroſolymam appellat, quia & ipſa ſedes erat regia, & totius Iſraëlis caput, ſicut etiam ipſius erat ornamentum, quale eſt à corona ex auro conflata, & inſertis gemmis latè radiante. *Iſraël* in obliquo eſt, ita vt Ieruſalem dicatur inclyta, ideſt, decus Iſraëli. Pro *inclyta*, Hebraicè eſt תפארת *tiphereth*, quæ coronam ſonat. Quare Vulgatus, quod alibi facit non infrequenter, pro abſtracto concretum adhibuit.

Prov. Iſai. 14.

Concretum pro abſtracto.

Et non eſt recordatus ſcabelli.] Scabellum Dei 4. appellatur terra Iſaiæ capite 66. quia illa ſubſtrata videtur eſſe cælo, in quo ſedere Deus exiſtimatur,

Scabellum Dei, templū & arca.

ſtimatur, tanquam in throno. Ob eandem ra- A
tionem arca Dei ſcabellum eſſe dicitur, quia in
propitiatorio, ideſt, in arce, tegumento pedes
dicuntur eſſe Domini, qui thronum habet ſuum
inter Cherubim, qui ſupra arcam paululùm ar-
1.Paral.28. tolluntur. 1. Paralipom. capite 28. *Cogitaui, vt
ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis
Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Quidam hîc
in ſcabello templum intelligunt, quod mihi om-
nino placet; non quòd templum ex ſacræ Scri-
pturæ vſu ſcabellum dicatur Dei; ſed quia in ſe
continebat arcam, & propitiatorium, quæ Di-
uinis erant ſubiecta veſtigiis. Neque eſt inuſi-
tatum, vt pars pro toto tunc maximè vſurpetur,
quando ea nobiliſſima eſt: quomodo Sion pars B
maximè ſublimis, & illuſtris, pro tota ſumitur
Ieruſalem, vt hoc verſu vides. Quaſi dicat Pro-
pheta, immemorem fuiſſe Dominum templi, in
quo ſuum habuit ſolium in alis Cherubim, &
ſcabellum ſuppedaneum in arca. Nam iuxta ea,
quæ capite præcedenti diximus, *recordari*, idem
eſt in ſacra Scriptura, atque aliquid operis mo-
liri, quod à beneuolenti animo proficiſcitur,
quale eſt, auxiliari, ornare, & his affinia. Quare
videtur Deus templi memoriam abieciſſe, quan-
do illud compilandum, euertendum, comburen-
dúmque tradidit Chaldæorum libidini. Sed re
vera arcæ, atque propitiatorij non fuit oblitus;
quia in illa nihil permiſit Chaldæorum auari-
tiæ, ac furori: vt enim traditur libro 2. Ma- C
chabæorum capite 2. verſu 5. Ieremias hoſtili
ſubduxit prædationi, ac flammæ tam arcam,
quàm alia quædam inſtrumenta ſacra, quæ in
locum quendam ſubterraneum abdidit, vbi diu
latuêre nulli omnino hominum nota vſque ad
certum tempus. Puto igitur hîc de templo fuiſ-
ſe ſermonem: neque tamen templum ſcabellum
eſſe Dei, niſi ratione arcæ; neque Ezechielis lo-
Ezech.43. cum capitis 43. verſu 7. qui contrà à nonnullis
adducitur, quicquam huic incommodare ſen-
tentiæ. Ibi enim templum non tam ſcabellum
vocat, aut ſolium ſuum, quàm locum, vbi ſo-
lium fuerat, & ſcabellum. *Et audiui loquentem ad
me de domo, &c. Fili hominis locus ſolij mei, & locus
veſtigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filio-* D
rum Iſraël. Alij in ſcabello vrbem ipſam agno-
ſcunt, quod tamen non improbarem, ſi per ſy-
necdochen in parte totum ipſum accipias: quo-
modo nuper templum propter arcam ſcabellum
appellabamus Domini.
ב Beth. Verſ. 2. *Præcipitauit Dominus, nec pepercit.*] To-
5. tus hic verſus apertus eſt, & à nobis magna ex
parte explicatus capite præcedenti verſu 10. Il-
lud ſolum hîc obſeruandum, regnum dici pol-
lutum, quia à gentibus ita tractatum, ac con-
culcatum eſt, quaſi regnum foret omnino pro-
fanum, ſicut aliarum gentium; & non in con-
ſtituendo Iſraëlis Rege aliquid interceſſiſſet ſa-
Reges Hebræorum ſacrati. crum: quare Reges ab vnctione ſacra Chriſti vo-
cabantur, & impius ille cenſebatur, atque ſacri- E
legus, qui manus intuliſſet Regio corpori vio-
lentas. Hinc Dauid cohorruit animo, cùm oram
regiæ chlamydis præcidit; neque in Chriſtum
Domini, ideſt, in Saulem, quem ſuæ vitæ inſi-
diari cognouerat, auſus eſt manus mittere, quas
tamen in ſe meritò Rex barbarus, & ingratus
armauerat. Et cùm eundem mortuum deplora-
ret, illud dolebat maximè, quòd vnctio Regia, ac
2.Reg.1. ſacra nulli fuiſſet hoſtibus religioni. Libro 2. Re-
gum capite 1. *Quaſi non eſſet vnctus oleo.* Quòd ſi

pro *regno, Regem* ſupponeres, quod fecère Se-
ptuaginta, nihil nobis negotij locus iſte faceſſe-
ret. Eo credo ſenſu regnum vocatum eſſe pollu-
tum, quia vox hæc iniuriam indicat ſacris obla-
tam: ſic templum dicitur à Gentibus pollutum,
Pſalmo 73. *Polluerunt tabernaculum nominis tui.* Pſal.73.
Regnum autem, propter Regiæ vnctionis ſan-
ctitatem, ſanctum aliqua ratione vocari potuit,
atque adeò pollutum. Quàm verò Reges Iuda,
qui Principes dicuntur hoc loco à Chaldæis pol-
luti, id eſt, indigniſſimis modis accepti, ac vio-
lati fuerint, iam ſæpius audiuimus. Occiſus priùs
fuerat Ioacim, & in ſterquilinio, ideſt, in aſini
ſepultura extabuerat; in vinculis tenebatur Ie-
chonias, & ad extremum Sedecias effoſſis oculis,
& habitus omnibus ludibrio apud Babylonios
exulabat. Quòd ſi in polluto nihil indicari ſa-
crum arbitrere, pollutum eſſe regnum exiſtima,
quia conculcatum eſt, direptum, & ita ſpolia-
tum ornamentis, & ciuibus, vt nihil iam in eo
regium appareat: ſicut etiam menſtruatam, le-
proſum, quíque mortuum tetigit, pollutos ap-
pellamus, licet in eis nihil appareat ſacrum, niſi
fortaſſe, quia hi propterea ab aliquo ſine loco,
ſiue actione ſacra prohibentur.
Verſ. 3. *Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſ-* ג Guimel.
raël.] In cornu fortitudinem ſignificari, ex He- 6.
bræorum idiomate, ſatis eſt exploratum: quid
hîc in cornu Ieremias intelligat, inueſtigandum.
Quidam in omni cornu duo regna ſignificari
cenſent; in quæ ſub Roboam Iſraëlis vires diſ-
tractæ ſunt: quæ Deus grauiter indignatus con-
fregit, Iſraëliticum nempe ſub Ezechiæ tempora
per Aſſyrios; Iudaicum verò hoc ipſo tempore,
quo Ieremias lamentatur, per Babylonios: ita Pa-
ſchaſius, Rabbanus, & Vatablus. Et quidem per
cornua ſignificari, atque portendi regna, habes
ex Daniele capite 8. Alij, quia Reges, & Prin-
cipes ciuitatum firmamenta ſunt, & in altiſſimo,
ac nobiliſſimo loco conſtituti, ſicut in anima-
lium capite locata ſunt cornua, in cornibus ad-
umbrari Reges opinantur: in his ſunt Origenes,
Theodoretus, ſanctus Thomas, ſanctus Bonauen-
tura, & Hugo. Qui confracti hîc dicuntur, quo-
modo ſuperiori verſu vocati polluti. Sed placet
magis, quod hîc quoq; iudicauit Caſtrus, in cor-
nibus illa omnia exprimi ciuitatis præſidia, quæ
inferre vim poterant, & arcere; qualia ſunt mœ-
nia ciuitatis, & propugnacula, & reliqua machi-
namenta, quæ rem promouent, aut ſuſtentãt bel-
licam: tum etiam eos, quorum prudentia atque
vſu, aut quorum viribus, & lacertis res admini-
ſtrabatur militaris, de quibus Iſaias capite 3. In Iſai. 3.
quam cogitationem eò libentiùs adducor, quò
ea, quæ deinceps adhibentur, ad hæc capita vi-
dentur eſſe collata: neque aliud eſſe veriſimile
eſt, quàm quædam eorum, quæ in cornibus vi-
dentur eſſe comprehenſa, longior explicatio.
Auertit retrorſum dexteram ſuam à facie inimici.] 7.
Qui ſtat ab aliquo, cùm contrà inimicus manus,
& ſigna conſerit, inferre ſolet, & extendere, non
auertere, atque contrahere auxiliarem manum.
At Deus, qui populo ſuo contra hoſtiles impetus
adfuturus videbatur, qui Chaldæis illum diri-
piendum, atque mactandum tradidit, contraxit
retrorſum manum, neque inſtantem repulit ini-
micum, ſed bacchari ſuo arbitratu, aut ex ſuo
etiam voto permiſit. Eſt, qui manum eſſe putet
Iſraëlis, quam Deus diſſoluit, debilitauítque, ira
vt cum hoſte congredi non auderet: ſed planè

manum eſſe Domini, facilè ſuadent, quæ deinde ſuccedunt. Idem erat Dauidis dolor, ſeu querela, cùm dixit Pſalmo 73. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam?* A

Pſal.73.

8. *Succendit in Iacob quaſi ignem flamma deuorantis in gyro.*] Hîc ego aliquid propriè, & aliquid figuratè dictum inuenio. Propriè quidem, quia, vt conſtat Ieremiæ capite 39. Babylonicus ignis tota vrbe latè vagatus eſt, & ſpecioſa ciuitatis loca ſuccendit: *Domum quoque Regis, & domum vulgi ſuccenderunt Chaldæi igni: & muros Ieruſalem ſuccenderunt.* & capite 52. de Nabuzardan: *Incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ieruſalem, & omnem domum magnam combuſſit.* Figuratè verò, quia ignis pro ea vaſtatione ſumitur, quæ totum abſumit, & conficit, neque aliquod relinquit ex antiqua mole veſtigium. Quare, quia Chaldæi, qui ciuitatem obſedêre, ſic vexauêre, diripuerétque ciuitatem, atque ſi vehemens peruaſiſſet incendium, ideo ab igne dicit in gyro obſeſſam fuiſſe Hieroſolymam, & ideo in gyro dicit non ignem ſimpliciter, ſed quaſi ignem fuiſſe ſuccenſum. B

Ierem.39. Ierem.52.

9. Tranſlatio verò ſumi potuit à ſylua, quæ dum à frutice, & ſyluestri materia à ruſticis purgatur, vt quæ priùs horrebat feris, atque infrugiferis plantis, neque alium præbebat vſum, quàm ad noxiarum belluarum cubilia, denſam, atque inacceſſam vmbram, arabilis fiat, & opportuna ſementi, in gyro inſtruuntur pyræ, vt omni ex parte graſſante flamma, nihil ſit reliquum ab incendio. Eodem modo, quia Ieruſalem ſub extrema tempora nihil erat aliud quàm ſaltus, & ferarum latibula, illam abſumere voluit, tanquam incendio quodam, Chaldæorum armis. Sanè Ieremias Ieruſalem ſyluam appellauit, in qua leonum audiebantur fremitus, capite 12. verſu 8. *Facta eſt hæreditas mea quaſi leo in ſylua, dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* & capite 21. verſu 14. de Ieruſalem: *Succendam ignem in ſaltu eius, & deuorabit omnia in circuitu eius.* qui locus mirificè cum hoc noſtro colludit. C

Ierem.12. Ierem.21.

ד Daleth. 10. Verſ. 4. *Tetendit arcum ſuum, quaſi inimicus: firmauit dexteram ſuam, quaſi hoſtis.*] Dolebat priùs, quòd dum inſtaret, atque vrgeret hoſtis, manus ab auxiliando Dominus auertiſſet; nunc addit aliquid longè durius, & offenſionis Diuinæ grauius argumentum. Neque enim ſatis habuit Deus, laborantem populum abieciſſe, reliquiſſéque lacerandum ab hoſtibus, ſed inſuper contra illum ſpiritus imbibit hoſtiles, & arcu, ac ferro, non aliter, quàm hoſtis aſſolet, acerbè pugnauit. Deo ſacra Scriptura ſagittas, & arcum frequenter attribuit, quia cùm homines, quorum ſe cogitationibus ſacer accommodat ſermo, ex cælo, dum ſontium peccata puniuntur, prouenire flagella ſuſpicentur, ſicut è cælo fulmina vibrari, arcum illi porrigunt, & ſpicula, quæ contorta eminùs, non cominùs adacta ferire videntur. Deuteronomij 32. *Sagittas meas complebo in eis.* & poſtea: *Inebriabo ſagittas meas ſanguine.* Iob capite 30. *Pharetram ſuam aperuit, & afflixit me.* Pſalmo 7. *Arcum ſuum tetendit, & parauit illum.* D E

Sagittæ Deo cur attributæ.

Deuter. 32. Iob. 30. Pſal.7.

11. Id verò, quod ſequitur, *Firmauit dexteram ſuam,* explicationem eſſe arbitror prioris ſententiæ, cum aliqua tamen epitaſi: firmat etenim manum in arcu flectendo, qua fortiter adducit neruum, agítque, vt ſpiculum quàm longiſſimè, ac violenter adigat, qui arcum implet, facítque, vt extrema illius cornua, ſeu capita, in circuli ſimilitudinem coniungantur. Sicut Zacharias capite 9. verſu 13. *Quoniam extendi mihi Iudam quaſi arcum: impleui Ephraim.* ac ſi dicat, quaſi arcum; vide quæ eo loco diximus. Quid ſit in vibrando, ſeu tendendo arcu manum firmare, docuit Flauius Vegetius libro 1. capite 15. vbi de inſtituendo tyrone ad ſagittarum vſum: *Maior (inquit) adhibenda ſolertia, vt arcum ſcienter teneant, vt fortiter impleant; vt ſiniſtra fixa ſit, & dextera cum ratione ducatur.* Zachar. 9.

Occidit omne, quod pulchrum erat viſu.] Omnes iuuenes intelligo, quos ſuſtulit vis, & ferrum, & virgines Sionides, quas exhauſit, & perdidit fames, & lues. Ornamenta alia, quæ pulchra dicuntur ad aſpectum, non admitto, quia in illa minùs bellè quadrat occiſionis nomen. 12.

Effudit quaſi ignem indignationem ſuam.] Sæpe audis, aut ſcintillari flammis Diuinos oculos Apocalypſis capite 1. aut ignem vomere, Danielis capite 1. verſu 7. aut aliquid aſſumere in offenſione, & ira tranſlatum ab incendio, quia ignis violenter agit; & citò, quidquid habet obuium, latè diſperdit. Sanè ij, qui Vulcanij dicuntur hiatus, quales habet in Sicilia Æthna, aut in Italia Væſuuius, & in regionibus nuper trans Oceanum apertis, occurrunt frequentiùs, flammas eructant cum magno interdum ſtupore, atque damno, nõ vicinarum ſolùm, ſed etiam aliarum, quæ procul inde receſsêre, regionum, vt de Æthna ſæpe, & de Væſuuio produnt hiſtoriæ. His ſimilis eſſe dicitur offenſus, & noſtris ſceleribus irritatus Deus; qui ex ira, quam in eius pectore theſaurizauit peccatoris obſtinatus animus, effundit quaſi ignem indignationem ſuam, non ſecus atque Vulcanius hiatus ex ſuis quaſi viſceribus eructat incendia. 13.

ה He. 14. Verſ. 5. *Factus eſt Dominus velut inimicus.*] Hic verſus explicatione non eget. Oſtendit, credo, quæ fuerint cornua, quæ ſuprà confracta fuiſſe dixerat, nempe muros, ac mœnia, in quibus alia etiam vrbis propugnacula intelliguntur.

Et repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.] Aut eſt hypallage in Scriptura ſacra non infrequens, pro repleuit filiam Iuda, ideſt, Hieroſolymam humiliato, & humiliata. Aut, quod verius puto, hoc loco, *replere*, idem eſt, quod *multiplicare*, vt tranſtulêre Septuaginta, qui ita legunt: *Multiplicauit filia Iuda humiliatum, & humiliatam*, & ſentiunt ex Interpretibus aliqui. Sunt, qui legunt, pro *humiliatum, & humiliatam, planctum, & planctum*, ſeu *planctum, & querelam*, aut *planctum, & triſtitiam.* Ita Pagninus, & Vatablus; neque reſpuit textus Hebraicus. Porro in hac geminatione vis oſtenditur maxima aut doloris, & fletus, aut eorum, qui humiliati, & humiliatæ dicuntur. Eſt enim hoc in Scriptura frequens, vt in coniunctione maſculini, ac fœminini generis multitudo, immo vniuerſalitas ſignificetur, vt pluribus oſtendimus in caput 3. Iſaiæ, ad illud, *validum, & fortem*, quod iuxta Hebraicam formam ſonat *validum, & validam.* Quare ſenſus erit, numerum fuiſſe ingentem illorum, quos in ciuitate, atque extra abiecit, humiliauítque Chaldæorum barbara, atque inimica vis. Quòd autem tam viri, quàm fœminæ Chaldæorum imperioſæ petulantiæ ſuccubuerint, clamat, lamentatúrque Ieremias Threnorum capite 5. De fœminis vim ab hoſte libidinoſo, atque indecorè paſſis, verſu 11. *Mulieres* 15. Thren. 5.

in

in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. De viris verſu 15. *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt.*

1 Vau. 16. Verſ. 6. *Et diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum: demolitus eſt tabernaculum ſuum.*] Tentorium, ſeu tabernaculum prouerbiali ſpecie pro re vſurpatur inſtabili, & momentanea, quod vt citò figitur, aut conſtruitur, ſic etiam citò diſturbatur, & aliò, atque aliò, aut nullo, aut facili negotio tráſfertur. Sic Iſaias capite 24. *tabernaculum vocat vnius noctis.* & capite 38. tabernacula paſtorum, quæ nondum fixa ſunt in eodem loco, ſed pro locorum, temporúmque natura, & pecudũ commoditate transferuntur: quæ vbi refixa ſunt, nullum omnino relinquunt ſui veſtigium. Sed puto hîc ductam ſimilitudinem à tabernaculo, quod in vinea excitatur, aut cucumetario, vbi cuſtos, & vinitor ſtabuletur, & excubet: quod vbi nihil ſupereſt fructus, quia iam tota collecta vindemia, ●r diſſipat, & perdit dominus fundi, aut in alios vſus transſcribit, & abducit. Id quod ſub eadem metaphora multò antea cecinerat Iſaias capite 1. *Derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea; & ſicut tu●urium in cucumerario.* Porro vocati Domini templum, immo ciuitatem totam tabernaculum, docet Iſaias apertè capite 33. vbi cùm ageret de tempore, quod poſt cladem à Ieremia deſcriptam conſequutum eſt, ait verſu 20. *Oculi tui videbunt Ieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum: & omnes funiculi eius non rumpentur.* Et ſtatim cùm ageret de tempore Sennacherib, qui in anguſtum adduxit Ieruſalem, neque tamen ſtudij ſui compos euaſit, ait: *Laxati ſunt funiculi tui, ſed non praualebunt.* Vide, quæ diximus ad illud Iſaiæ capite 1. *Derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea.*

Tabernaculum, pro re momentanea.

Iſai. 1.

Iſai. 33.

17. Hæc obſcura mihi non ſunt, illud verò paulò obſcurius, cur tentorium quaſi hortum dicatur eſſe diſſipatum? Quidam in hunc ſenſum accipiunt: ſic diſſipatum eſſe templum, ſeu ciuitatem (nam ea etiam de re variè ſentiunt Auctores) ſicut diſſipatur hortus ſepimento ſublato, quod omnium direptionibus patet; aut extirpantur arbores, vt aliò transferãtur, vt qui priùs erat hortus ad voluptatem, fieret aut ager arabilis, aut ſylua: in hunc ferè modum communiter omnes. Quod mihi argumento eſt maximo, vt putem, veram eſſe ſententiam: cui aſſonat, quia Pſalmo 79. Ieruſalem, ſeu Dei populus, diruta maceria, conculcatus dicitur, & direptus: *Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de ſylua: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Et ſub eadem metaphora hoc ipſum eidem populo prædixit Iſaias capite 5. *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam.*

Pſal. 79.

Iſai. 5.

18. Hæc, vt dixi, mihi probantur maximè: ſed neſcio hæc tentorij cum horto coniugatio quomodo in aliam ſententiam vel nolentes trahit. Quæ ſententia eſſet non difficilis, ſi per *hortum* in genitiuo hortí ſupponas; quod nec ratio reſpuit Grammatica; cùm Hebræi diſtinctionem nullam caſuum habeant; & vis ſimilitudinis maximè ad illum vſum, cuius gratia ſumitur, accommodata non ſolùm allicit, ſed penè cogit. Pone ergo in genitiuo, *hortum*, & lege: *Diſſipauit quaſi horti tentorium ſuum.* ſenſus erit: Perinde habuit tentorium ſuum, ſiue illud ſit templum, ſiue Ie-

Gaſp. Sanctij Com. in Ierem.

A ruſalem, quaſi ſi tentorium eſſet horti, ſeu vineæ, quod vt excitatur facile, neque magno habetur in pretio, ſic etiam facilè, & ſine dolore diſturbatur. Cui fauet Septuaginta tranſlatio, qui pro *horto vitem* adhibuere. Vites autem pro vinea per ſynecdochen ſumi non eſt inuſitatum. Hanc ſententiam non improbat Maldonatus; ſed quia prior explicatio magis cum Vulgati tranſlatione conſentit, illam amplectamur.

Obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem, & ſabbatum.] Sicut *recordari*, vt alibi diximus, ſignificat opus aliquod ab animo memore profectum, quale eſt aut beneficium in eos, quos B amamus, aut ſupplicium aduerſùs illos, qui nobis iniurij, aut contumelioſi fuerunt: ſic eſt etiam obliuiſci non curare perinde ac ſi rem aliquam nunquam noſſemus, aut illius funditus excidiſſet memoria: cuius neque felicitas diffundit, neque exitium contrahit animum noſtrum. Sic accommodatè ad hominum ſenſus Deus oblitus dicitur in Sion feſtiuitatis, & ſabbati; aut quia illa aboleri paſſus eſt ex Sion, & longum illorum ſilentium eſſe voluit (quod magis reor) aut quia non curauit de feſtiuitatũ, ac ſabbatorum obſequiis, de ſacrificiis, & victimis, quæ in ſacris illis diebus obiri religio iubebat; quia à manibus porrigebantur imbutis ſanguine: ne- C que animo tam religioſo, ac pio, quem Dominus admittit, & probat, quàm ambitioſo, ac ſimulato, quem auerſatur, & ſtomachatur Deus, offerebantur. 19.

Et in opprobrium, & indignationem furoris ſui Regem, & Sacerdotem.] Quo tempore capta eſt Ieruſalem, adducti fuerunt in Reblatha Sedecias Rex, & ſummus Sacerdos Sàraias 4. Regum capite 25. quorum alter per ſummam acerbitatem, atque ludibrium, occiſis priùs liberis, quos obtruncari vidit, vtroque orbatus lumine traductus eſt in Babylonem, alter occiſus eſt. De his videtur hîc eſſe ſermo, vt putat Chaldæus, Rupertus, Maldonatus, & Caſtrus. Plerique alij D ſublatum eſſe cenſent ſacerdotium, & regnum: quia neque Rex fuit ampliùs in Ieruſalem, neque per annos plurimos Sacerdos. Cùm enim ſacrificium offerri non poſſet extra templum, quod erat Hieroſolymis, licèt multi ex ſacerdotali ſtirpe, atque ordine forent reliqui, nemo tamen illorum ſacrum poterat obire miniſterium. Quare otioſum tunc erat, & ideo quaſi ſublatum omne ſacerdotium. In hãc ego ſententiam magis inclino, quam probant, & indicant, quæ ſequuntur. 20.

Verſ. 7. *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ.*] Sicut Dominus Regem, & Sacerdotem, id eſt, vt nuper probabamus, ſacerdotium, & regnum ſuſtulit; ſic etiam diruit, quæ E Sacerdotum, & Regum diuerſoria videbantur, & quæ ipſi pro ſui muneris ratione curare, atque tueri debebant. Abiecit quippe altaria, ſiue quæ thus cremabant, & ſacrum thymiama, ſiue quæ victimarum ſtillabant ſanguine; & templum, quaſi profanum eſſet aliquid, & maledictum, diripiendum, atque vaſtandum tradidit inimicorum furori, atque auaritiæ. Neque aliquod fuit in vrbe munimentum, tam in mœnibus, quàm in arce, quod non omnino dederit in hoſtium poteſtatem. 21. 1 Zain.

Maledictio omne ſignificat infortunium, immiſſum à Deo: ſicut *benedictio* contrà abundan- 22.

tiam rerum omnium, quæ ex vſu, votóque hominum euenire ſolent. Quod tunc maximè exiſtimamus, ac dicimus, cùm à Deo aut res pro voto, aut exitium graue contigiſſe arbitramur. Quia licèt Deus neque maledicat, aut benedicat, quia tamen hæc à benedictione, ſeu maledictione aliquando contingunt, maledicta, ſeu benedicta exiſtimantur. Quo modo homo odiſſe dicitur patrem, aut matrem, cùm illos deſerit, aut etiam ſe ipſum, dum genio defraudat, aut naturæ ſentienti non paret; quia plerunque ſeparatio eiuſmodi, aut eorum, quæ alij deſiderant, & poſtulãt, negatio ab odio proficiſcitur: ſic etiam, quia grauis illa, atque indecora plaga, qua templum eſt ab hoſte fœdatum, annuente, immo & agente Domino inflicta eſt, precesſiſſe dicitur à Propheta Diuina maledictio. Pro *maledictio* Hebraicè eſt נאר *nier*, quod à variis variè conuertitur: alij *elongauit*, alij *abiecit*, ſeu *proiecit*, alij *contempſit*, alij *deſtruxit*, ſed eòdem tandem ſpectant omnes iſtæ verſiones.

REGVLA. Id aliquis eo affectu ſe eſſe dicitur, quo fieri plerunque ſolet, licèt aliter ſe habeat.

23. *Tradidit in manu inimici muros turrium eius.*] Hos ego muros templi eſſe arbitror, qui turrium dicuntur, quia turriti ſunt, quomodo *vertex capilli* dicitur Pſalmo 67. id eſt, vertex capillatus. Fuiſſe verò in templi circuitu muros, habemus ex Ezechiele capite 42. verſu 20. *Per quatuor ventos menſus eſt murum eius* (id eſt, templi) *vndique per circuitum.* & capite 40. verſu 5. *Et ecce murus forinſecus in circuitu domus vndique.* Quòd in muris turres quoque fuerint, docet Villalpandus, tomo 2. libro 2. capite 20. & probat.

Ezech. 42.
Ezech. 40.

24. *Vocem dederũt in domo Domini, ſicut in die ſolenni.*] Celeuma eſſe arbitror, quòd templi potiti, & in illud ingreſſi, à quo gentes omnes repellebantur, cecinerunt Chaldæi, quaſi iam ſibi nihil foret aut ſanctum, aut inacceſſum. Comparat autem hoſtilem illum clamorem, ſeu feſtiuum pæana, cum cantico, quo ſolebat in præcipuis quibuſdam feſtis cõcrepare ſymphonia, & vocibus cantorum, quorum numerus erat non exiguus, reſonare templum. Puto etiam cum vocibus admixtum eſſe quoque tubarum clangorem, qui militaris quidam cantus eſt, & ex vtriſque compoſitum eſſe concentum illi quàm ſimillimum, quem in feſtis edebant Iudæorum chori, qui ad Hymnos, & Pſalmos voces etiam adiungebant mutas pſalterij, chori, & buccinæ. De quibus Pſalmo 26. *Immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis.* & Machabæorum libro 1. capite 4. verſu 54. oblatum eſſe dicitur ſacrificium *in canticis, & citharis, & cyniris, & in cymbalis.* & Numerorum 20. verſu 10. *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis.* & 1. Paralip. capite 16. verſu 42. pro religioſo Dei cultu varia muſicorum inſtrumenta conflauit David, & in templo perſonare iuſſit: *Heman quoque & Idithum canentes tuba, & quatientes cymbala, & omnia muſicorum organa ad canendum Domino.* Eſt autem hæc rerum comparatio grauis ad pathos, dum voces vocibus, & clangoribus clangores opponuntur. Nam cùm priùs ſacri ad ſacra muſicorum organa canerentur Hymni, nunc eodem in loco clamores audiuntur militares, & bellicarum inflatu tubarum inacceſſa priùs perſtrepunt adyta, & non iam victimarum, ſed Sacerdotum ſanguine pauimentum natat.

Solennitas cum cantico, & tubis.
Pſal. 26.
1. Mach. 4.
Num. 20.
1. Paral. 16.

ח Cheth. 25. Verſ. 8. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione.*] Egit de templo vaſtato, & de turritis eius mœnibus euerſis: nunc verò de ciuitatis muris, ac propugnaculis, quæ nihilo minùs à Deo diſſipata ſunt. Hìc à nobis explorandum, cur ad euerrendum funiculo, ſeu perpendiculo, aut alia quadam tectonica menſura vſus ſit Deus, cùm hæc magis ad molitionem operis ab architecto, quàm ad demolitionem ab hoſte adhiberi ſoleat. Simili loquendi modo vſus eſt Iſaias capite 34. cùm ageret de Idumæorum excidio non diſſimili: *Extendetur* (inquit) *ſuper eam menſura, & redigetur ad nihilum, & perpendiculum ad deſolationem.* vbi nos quod maximè in hoc ſermonis genere probaremus, oſtendimus. Communiter Interpretes ſentiunt, architectos, & fabros menſuris quibuſdam vti tectonicis, nõ ad conſtruendum ſolùm, ſed etiam ad deſtruendum: quibus explorant, quid rectum ſit, & ex arte perfectum, vt relinquatur, quid verò ſecus, vt diſturbetur & deiiciatur. Quod ſanè facit veriſimile & ratio ipſa, quæ non ſinit, vt quæ firma ſunt, neque ad vſum, neque ad ſpeciem inepta, diſſoluantur. Et exempla non deſunt, quæ ita fieri ſolitum oſtendant. Primum ſit, quod proximè ex Iſaia produximus, & libro Regum capite 21. vbi hoc ipſum, quod modò luget Ieremias, de funiculo prædictum eſt. *Extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus* (id eſt, perpendiculum) *domus Achab.* Quaſi dicat, Euertam Ieruſalem, ſicut olim Samariam. Et 2. Regum 8. *Percuſſit Moab, & menſus eſt funiculo coæquans terræ.* vbi ad tectonicum opus videtur alluſum: ſicut quod mox additur: *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* id eſt, cogitauit, ac ſtatuit, quam ex illa multitudinum partem deleret, & quam ab interitu ſeruaret.

Demolitio ſicut molitio arte deſiderat.
Iſai 34.
4. Reg. 21.
2. Reg. 8.

Hæc ego magis probo, quia illa plurimorum tuetur auctoritas, neque reſpuit ſacræ Scripturæ conſuetudo. Sed addam expoſitiones alias, vt curioſus lector habeat, quid expendat, & ſeuerus cenſor quid reiiciat, ac iugulet. Zacharias capite 9. duas dicitur ſumpſiſſe virgas, quarum alteram decorem, alteram appellauit funiculum. Illa benignè, ac molliter paſcit gregem; hæc ſeuerè, & interdum ad macellum trahit, & lanienam. Illa baculus eſt paſtoralis à ſummo inflexus, ne proiectus ſiue ab irato, ſiue à prouido paſtore vulnus inferat, qui ab Hiſpanis, *cayado* vocatur. Illa baculus item eſt, non tamen incuruus, ſed præferratus vnco, qui *pedum* à Latinis, ab Hiſpanis *gancho* nominatur: quem hamatum baculum appellare poſſes, vt indicat apud Suidam Philoſtratus, apud quem appellatur καλαῦροψ, quo dicit capi pecudes, ſicut piſces hamo. Quem deſcripſiſſe videtur Maro Ecloga 5. dum pedum pulchrum eſſe dicit ære, quo nempe præferratum eſt. 26.

Zachar. 9.
Virgæ paſtorales duæ.

Has duas virgas ſumpſit Deus, dum populum ſuum paſceret, priùs illam, quæ decor vocatur, dum illum amanter amplectitur, de pabulo, atque quiete prouidet, dum nihil omittit eorum, quæ curare ſolet patris indulgens amor. Cùm verò abuti populum ſua benignitate videt, ſumpſit virgam funiculum, qua illigatum populum Chaldæorum crudelitati, ac ferro lacerandum tradidit. Hoc ergo videri poteſt voluiſſe Ieremias, dum ait; cogitaſſe Dominum diſſipare Ieruſalem, & in eam curam tetendiſſe funiculum, qui liget, & ad macellum trahat damnatum pecus, & deſtinatum cædi. 27.

Deus priùs humanitate, pòſt ſeueritate vtitur.

Hæc

Hæc mihi ex omnibus maximè placuiſſet ſententia, niſi obſtaret vox Hebraica, quæ non eſt eadem hîc, & apud Zachariam, neque idem in vtroque loco valet: eſt enim hîc קו *cau*, quæ lineam valet, quæ metitur, & dirigit opus artificis: apud Zachariam verò *chebel* חבל quæ funem ſignificat, & laqueum, quare hæc mihi explicatio minùs placet.

28. Altera explicatio, quæ mihi ad Iſaiæ locum, quem nuper citaui ex capite 34. viſa fuit non contemnenda, quæ in funiculo, & perpendiculo attentam conſiderationem, & altum, diligenſque iudicium agnoſcit, quod nihil facit temerè, nihil leui, præcipitatóque conſilio. Ita ſanctus Bonauentura. *Per funiculum* (inquit) *iuſtitiæ rectitudo intelligitur Diuinæ ſecundùm merita illi populo infelici retribuentis.* Latini cùm accurato examine aliquid factum dicunt, his ferè modis explicant: *Ad amuſſim, ad vnguem, ad regulam, ad perpendiculum, ad lineam, ad normam*; quia hiſce inſtrumentis explorare ſolent artifices, quid curuum, quid rectum, quid hiet, quid emineat, quid inæquale, atque impoſitum ſit. Sic Maro, dum virum bonum nobis deſcribit, accuratè ait, expendere ſuæ vitæ rationes, quas his fermè nominibus examinat:

Cogitat, & iuſto trutinæ ſe examine penſat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus vt coëat, ne quid deliret amuſſis.

29. *Deus conſideratè punit.* Iuxta hæc ſignificari videri poteſt à Propheta expendiſſe Deum, & ad amuſſim, & regulam examinaſſe Iudæorum merita, ac tandem quia iam menſuram impleuerunt, ad quam cohibenda erat Diuina vindicta, iniecit vindices flammas, neque manum à cædendo comminuit, ſeu auertit, donec funditus Hieroſolymam extinxit. Ex his, vt dixi, prima placet magis explicatio, & quia communis, & quia nihil habet diſtorti, ac violenti. Neque parum iuuat verbum, *cogitauit*, quod præceſſit, cuius cogitationis, & deliberationis explicatio eſt funiculus extentus, qui ſcelerum pondus, & ſupplicij grauitatem metitur, & expendit.

Hinc diſce, quàm Deus attentè, quàm accuratè noſtra puniat errata, vt benignè conſilia ſua moderetur, & dum maximè videtur furere, vt hoſtibus non permittat pro ſua libidine in obuium quodque liberè graſſari. Sanè diabolo hoſti infenſiſſimo, cùm maximè cuperet, ſi poſſet, Iob omnino perdere, extenſo priùs funiculo definiuit, quouſque progreſſura eſſet perpendiculi libido. Capite enim 1. verſu 11. permiſit in eius bona facultatem, corpus tamen excepit: *Ecce, vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* Deinde capite 2. verſu 6. laxauit funiculum, & facultatem quoque dedit in corpus; edixit tamen, vt vitæ omnino parceret: *Ecce, in manu tua eſt* (os eius, & caro) *verumtamen animam illius ſerua.* Quomodo Deus paterno animo feriat, & vulnus, non ad perdendum inferat, ſed ad ſanandum, diximus ſuprà capite 10. ad illud, *Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio* (ideſt, adhibito funiculo) *& non in furore.*

30. *Luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.*] Quid ſit lugere, dum de vaſtitate, aut ſterilitate ſermo eſt, diximus ad illud capitis 1. *Viæ Sion lugent*; & capitis 14. numero 5. Vbi Vulgatus *antemurale*, Hebraicè eſt חל *chel*, quod Septuaginta conuertêre προτείχισμα, quod munimentum ſonat ante murum: eſt autem murus quidam exterior, qui interiori prætenditur, quem aliqui loricam appellari putant; Hiſpani *barbacanam* vocant. Hebræi foſſam eſſe putant, ſeu vallum, qui murum ab exteriori parte circumfundit. His duobus nominibus, tam externa, quàm interna, ideſt, omnia ciuitatis munimenta ſignificantur, quæ ſolo adæquauit hoſtium pertinax odium. Huc facit, quòd aliquando in luctu murorum ornamenta; immo & muri ciuitatis euertuntur, vt ipſa quoque ciuitas lugere videatur. Sic Alexander Macedo, vt teſtis eſt Ælianus lib. 7. de var. hiſtor. & Plutarchus in vita Pelopidæ, ad finem, in Epheſtionis funere murorum propugnacula ſuſtulit, & mœnia ſubuertit. *Alexander cùm obiiſſet Epheſtion* (inquit Plutarchus) *non ſolùm equos totondit, verùm etiam pinnas & propugnacula à mœnibus eripuit: vt etiam ciuitates viderentur lacrymari.* Ælianus addit ipſos quoque muros fuiſſe ſubuerſos. Tunc autem Ecbatanorum luxiſſe dicuntur, ſicut nunc Solymitani muri.

Verſ. 9. *Defixæ ſunt in terra portæ eius.*] Vt portarum vocabulum latè patet; ſic etiam latè patêre poteſt huius loci ſententia. Porta ſonat ciuitatis loca munitiſſima, vbi iudicia exerceri, & cauſæ diſceptari publicè conſueuêre. Tum verò portæ partes ſunt murorum, eædémque præcipuæ: quare hæc pars appendix videri poſſet ſuperioris clauſulæ; quaſi dicas: *Murus cum portis, & propugnaculis diſſipatus eſt.* Sed quominùs placeat hæc expoſitio, facit nomen, *vectes*, quod non tam ad propugnacula, & turres, quàm ad valuarum clauſtra, & obſeruationem ſpectat. 31.

Portæ item per metonymiam, pro iudiciis, Iudicibúſque, pro Senatu, & ſenioribus vſurpantur, quaſi iam iudicia ſublata ſint, Iudices, ac ſenes è loco ſibi debito depulſi. Quod expliciſſe videtur Ieremias capite 5. verſu 14. *Senes defecerunt de portis.* & in hunc ſenſum accipiunt ſanctus Thomas, Rabbanus, & Rupertus. 32.

Mihi verior videtur communior ſententia, quæ in portis id agnoſcit, quod propriè ſignificant. Ita Theodoretus, Origenes, Bonauentura, Dionyſius, & communiter recentiores. Quod indicat, quod ſtatim adiungitur *vectium* nomen. Sed quomodo defixæ ſint murorum portæ, explorandum eſt. Hebræi hîc ſuo more nugantur, qui vt aliquid ad plauſum, & admirationem afferant, commentationum quædam monſtra fingere non dubitant: vſque adeò illis veritas ac fides viles ſunt. Dicunt ergo cùm intra mœnia graſſaretur Chaldæorum auaritia, & furor, ne quid ab hoſte graue, atque indecorum paterentur portæ, abſorptas fuiſſe ſubitò ab hiâte terra. Sed audi quid cauſæ afferant, cur vis illa hoſtilis, ſeu iniuria à portis cohiberi debuerit. Primò, quia eſſent à Dauide conſtructæ; deinde, quia cùm appropinquante arca audiiſſent, Pſalmo 23. *Eleuamini portæ*, ſponte ſe aperuerunt. An hæc vera ſint, ipſi viderint Rabbini. Sed demus hoc illis: ſanè de portis omnibus videtur Ieremias loquutus: at non intraſſe per omnes ciuitatis portas arcam Domini, atque ideo neque omnes ſponte patuiſſe, certum eſt: quare non erat cur de illorum honore tam eſſet à Deo curatum diligenter. Defixæ itaque in terra ſunt portæ, quia cùm ſimul cum portis caderet murorum moles, illorum ruina, atque ruderibus oppreſſæ ſunt, atque ita obrutæ, vt illarum nulla pateret pars. Quod etiam de vectibus, qui ſub tanta rui- 33. *Hebræorum fabula.*

na contriti ſunt, neceſſariò dicendum. Id, meo iudicio, indicat non obſcurè Ieremias capite 14.
Ierem 14. verſu 2. *Luxit Iudæa, & portæ eius obſcuratæ ſunt in terra.*

34. *Regem eius, & Principes eius in gentibus.*] Sicut obruit Dominus portas, & vectes perdidit in murorum ruina tumulatos; ſic etiam Reges, & Principes, qui quaſi vectes erant, & portæ ciuitatis, in Gentibus ſepeliuit, & perdidit: ſic enim erant inter hoſtes abiecti, ſic obſcuri, quaſi omnino exceſſiſſent è viuis, & extabuiſſent in ſepulcris. Erant in Gentibus captiui tùc Iechonias, & Sedecias in vinculis, non aliter atque mortui ſepultura clauſi; quibus nulla aut videndæ lucis, aut reſpirandi liberè poteſtas data.

35. *Non eſt lex, & Prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino.*] Cecidit murus, exuſtum eſt templum, & collapſa eſt ſpecies, & quidquid erat pretioſum in Iſraël: ſed non vltimo loco ſtatuendum, nec plorandum minùs, quòd populus neque à lege, quæ ſimul cum templo conflagraſſe exiſtimatur, neque à Prophetis erudiri permittitur. Neque enim lex eſt, quæ legatur in Sabbatis de more, neque ſi illa foret, congregari in illa miſera fortuna licet Iudæorum conuentus, ad illam audiendam. Neque Prophetæ ſunt, qui & ipſi afflati priùs Diuinos poſtea afflatus deferant ad populum. Hæc multorum expoſitio eſt; aut certè parum ab illa abeunt frequentes Interpretes. Nec mihi diſplicet, vel eo nomine, quo pluribus placet. Sed neque pauci ſunt, qui aliter exiſtimant: nempe, ideo ingentem illam plagam accepiſſe Iudæos, quia neque lex illis ſancta, ac religioſa fuit, neque veros audierunt Prophetas, ſed à falſis abducti, quid Diuina ferret voluntas, contempſerunt. ita Bonauentura, Theodoretus, Rabbanus, Dionyſius, Vatablus. Et hæc mihi ſententia magis probatur, quia re vera quo tempore hæc à Ieremia dicebantur, Prophetæ erant, qui inuenerunt viſionem à Domino, nempe, Ezechiel, & Daniel: & ipſe tunc viuebat, ac prophetabat Ieremias. Deinde, quia hæc eadem aſſignatur ratio, cur vaſtata fuerit Hieroſolyma, ſtatim verſu 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta.*

36. Verſ. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion.*] Egerat de ciuitatis ruina, mororúmque lapſu hucuſque Ieremias: nunc agere aggreditur de perſonarum aut miſeranda clade, aut ſordida, afflictáque fortuna. Et primùm de ſenibus, quorum erat & auctoritas maxima, integra Republica, & grauis apud omnes obſeruantia. Hi verò, qui ſedebant olim ſublimes in porta, abiecerunt ſe ad terram vſque, & ſederunt in puluere: & qui iudiciis præeſſe, & liberè ſententias dicere antea ſoliti, poſtea tamen eò deiecti ſunt, vt nec mutire audeant; vſque adeò ſeuera eſt dominorum tyrannis. Quid porrò ſit *ſedere*, quid *conticeſcere*, diximus capite 1. verſu 1.

37. *Conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis.*]
Caput in luctu cinere cōſpergitur. Squallor, & ſordes pro luctu tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores vſurpantur: quia dolor, & luctus neque de munditie curant, neque decere putant, quæ oculos elegantes oblectant. Quare cinere non tam colunt, quàm fœdant, & contaminant caput: aſpero cilicio pungunt, & lacerant corpus, quia non aliter putant externos ſenſus, & ſpeciem cum interno mœrore poſſe congruere. De ſacris eſt optimum exemplum Achab, qui cùm doleret, aut dolentis habitum, & perſonam aſſumeret, *Operuit cilicio carnem ſuam, & dormiuit in ſacco.* Ecce cilicium. De cinere Iob capite 2. de amicis Iob: *Sciſſis veſtibus ſparſerunt cinerem ſuper caput ſuum, & ſederunt in terram.* Ecce duo, quæ feciſſe dicũtur ſenes in dolore. Vtrumque coniunxit tanquam ſolenne in luctu, atque
legitimum Ieremias ſuprà capite 6. verſu 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Et Chri- Ierem. 6.
ſtus Matthæi capite 11. verſu 21. *In cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent.* De profanis eſt illud Vir- Matth. 11.
gilij libro 10. de Mezentio:

Caniciem multo deformat puluere.

& Homerus libro 18. Iliad. de Achille, audita Patrocli morte:

——— *tum pronus aduſtum*
Corripiens manibus cinerem, nigrámque fauillam
Inſpergit capiti, & faciem fœdauit honeſtam.

& Seneca in Troade de lugentium choro:

Soluite crinem, per colla fluant
Mœſta capilli tepido Troiæ
Puluere turpes.

Abiecerunt in terrã capita ſua virgines Ieruſalem.] 38.
Superbos virginum Solymitidum faſtus oſtendit Iſaias capite 3. & primùm meminit extenti Iſa. 3.
colli, atque adeò capitis ſublimis: *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.* Nũc lugubrem oſtendit cataſtrophen Ieremias, & in ſolo ſtatuit caput illud tam vacuum, quàm ſuperbum, quod paulò antè ad nubes vſque attollebatur. Hanc reor eſſe huius loci ſententiam. Sed vide an aliquid oleat moris antiqui; quo in luctu tam nationes aliæ, quàm Hebraicæ caput abiiciebant, ſeu allidebant terræ, quo ſupplices ſe, & miſeras profiterẽtur. Hoc fortaſſe eſt, quod in ſacra Scriptura frequenter occurrit, terram lingere, vt Pſalmo 71. *Et inimici eius terram lingent.* Iſaias capite 49. *Vultu in terram demiſſo adorabunt te: & puluerem pedum tuorum lingent.* & Threnorum 3. *Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.*

Ex profanis exempla non pauca. Liuius lib. 3. 39.
decade 1. ſtratæ paſſim matres crinibus templa In luctu fœminæ terrā capillis verrunt.
verrentes veniam irarum cæleſtium, finémque peſti expoſcunt. Claudianus de laudibus Senecæ ad finem:

— *Votiſque vacas, & ſupplice crine*
Verris humum. —

Sed eſt illuſtre quod de Lucio Calpurnio Piſone tradit Valerius libro 8. capite 1. qui quo tempore de illius cauſa triſtes ferebantur ſententiæ, cùm nimbus ſubitus eſſet exortus ſtratus humi Iudicum pedes oſculatus eſt: vnde os cœno plenum, atque fœdatum retulit. Plura inuenies apud Tiraquellum in Alexandrum libro 11. Genialium capite 19. Eo fortaſſe conſilio Solymitanæ virgines abiecerunt in terram caput ſuum, vel, vt victæ, & ſeruæ, puluerem lamberent ab hoſte calcatum, ſeu vt ab illis humanitatem, & mitiorem fortunam extorquerent.

Verſ. 11. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei.*] 40.
Quomodo lacrymarum fontes exhauriri con- Caph.
tingat, diximus ſuprà capite 9. neque eſt quid ad illa nouum addamus: illa tu vide. Nunc docet, oculos defeciſſe, id eſt, obtenebratos eſſe plorando; quod nonnunquam aliis accidiſſe conſtat ex
hiſtoriis. Sanè id de ſe fatetur Dauid Pſalmo 37. Pſal. 37.
verſu 11. vbi hæc propè eadem de ſe, quæ nunc etiam de ſe canit Ieremias. *Et gemitus meus à te non eſt abſconditus; cor meum conturbatum eſt; dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum*

Beatus Ignatius lacrymas in poteſtate habuit. *ipſum non eſt mecum.* Beato Patri noſtro Ignatio hic erant aſſiduæ, ac familiares lacrymæ, vt penè plorando perdiderit oculos: quare edictum eſt à medicis, vt abſtineret à lacrymis, in quas ipſe tantum habuit imperij, vt penè habuerit in poteſtate.

Conturbata ſunt viſcera mea.] Hæc ſatis à nobis explicata ſunt ſuprà capite 31. verſu 20. vbi eadem omnino verba.

41. *Effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritionem filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus.*] Hic locus *Iecoris varia ſignificatio.* variè à variis exponitur; neque id ſine occaſione aliqua, quia tam vox Hebraica כבד *cabad*, quàm Latina *iecur*, varias habet acceptiones, & vſus. Iecur ſedes eſt voluptatis, & concupiſcentiæ; item communis ſanguinis officina. Si poſteriorem hunc vſum intueare, Prophetam dices eſſe iam exſanguem, & penè mortuum è dolore. Tunc verò res continens pro continente ſumitur, ideſt, iecur pro ſanguine, cuius officina eſt, & præcipuum conceptaculum. Si verò ſedem eſſe ſtatuas voluptatis, ſenſus erit: voluptatis, atque lætitiæ exaruiſſe fontes; neque quidquam iam ampliùs ſpetandum non triſte in tanta populi contritione.

42. Sed eſt veriſimilius, iecur ſumi pro interaneis, ſeu viſceribus, quia ipſum aliquid interius Oſeæ 13. eſt, & in viſceribus numeratur. Quomodo Oſeæ capite 13. dicitur: *Diſrumpam interiora iecoris eo-* Prou. 7. *rum.* Et Prouerbiorum 7. *Donec transfigat ſagitta iecur eius.* Effundi autem viſcera, hyperbolicè ſummum ſignificat dolorem, & idem eſſe reor, quod diſrumpi viſcera; quod in dolore ſummo, atque angore aliquando contigiſſe creditur. Sicut de Iuda non eſt improbabile, qui Actorum 1. crepuiſſe dicitur medius, & eius viſcera diffuſa. & apud Latinos rumpi inuidia, aut dolore familiare eſt; quod non eſt aliud, quàm quod Hiſpanus dicit, *Rebentar de inuidia, ò de dolor.* Cicero rumpi ſe dicebat malis Reipublicæ, ideſt, ſibi iecur, aut viſcera diffundi in contritione Reipublicæ. Et magis ad inſtitutum noſtrum, rumpi dicuntur ilia in ſummo vel labore, vel dolore. Sic Virgilius Ecloga 7.

---- *Inuidiâ rumpantur vt ilia Codro.*

In hunc ego ſenſum accipio illud Iob. capite 16. verſu 14. *Effudit in terra viſcera mea.*

43. *Cùm deficeret paruulus, & lactans in plateis.*] Graues fuerunt cauſæ, quæ Prophetæ ilia rumpere, & viſcera diffundere potuêre: ſed illud planè grauiſſimũ; quòd non in latebris, in quibus miſerorum occultari ſolent ærumnæ, ſed in plateis, ac compitis, ſpectante populo, præ fame deficiebant infantes. Quod ſpectaculum ſic erat ad commiſerationem graue, vt hoſtile quoque pectus effoderet. Et quidem eam ob cauſam infantium præ fame mors illa triſtis ſæpe fuerat tum ab aliis, tum ab Ieremia maximè ſæpius prædicta capite 44. verſu 7. & capite 9. verſu 21. & alibi ſæpius.

44. Verſ. 12. *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triti-* ל Lamed. *cum, & vinum?*] Verba ſunt hæc non tam lactantium, quàm paruulorum: de vtriſque enim proximè egerat. Neque enim puto lactentes, qui defeciſſe dicuntur in matrum ſuarum ſinu, vinum exigerent, quod nunquam videntur guſtare potuiſſe; aut panem poſtularent, cùm illorum ple- *Vinum paruulis porrigi ſolitum.* rique ſonos ad certam ſignificationem formare non poſſent. De aliis verò paruulis minùs eſt Thren. 4. difficile, de quibus capite 4. *Paruuli petierunt pa-*

A *nem, & non erat, qui frangeret eis.* Ex quibus verbis coniectare licet, vbi pueris pluſculum acceſſiſſet ætatis, vinum porrigi ſolitum: neque enim illud petiiſſent, niſi guſtaſſe aliquando contigiſſet.

Cùm deficerent quaſi vulnerati.] Non aliter vr- 45. gente fame interibant infantes, atque alij paruuli, quàm ſi ferrum addactum eſſet in viſcera: graue quippe telum fames eſt: &, vt dicitur capite 4. verſu 9. *Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame.*

Cùm exhalarent animas in ſinu.] Durum planè 46. ſpectaculum, & quod non ſolùm matrum, quæ voces audiebant morientium, ſed etiam inimicorum pectus commoueret, ac foderet. Petebat paruulus panem, & in ipſa imploratione, cùm B panis nomen eſſet in ore, deficiebat ſpiritus: inhiabat infans ad vbera materna, & arentia reperiebat præ fame, & in ipſo conatu moriebatur. Hic ſenſus facilis eſt, & obuius, quòd hic quidam in anima deſiderium agnoſcunt, durum eſt, neque ad pathos ita graue.

Verſ. 13. *Cui comparabo te?*] Explicari ſolet ם Mem. rerum magnitudo ſimilitudinibus, ſeu exemplis, 47. quæ rem ponunt ob oculos, & plurima, eáque interdum non parum obſcura, verborum compendio comprehendunt. Sed is eſt Hieroſolymæ ſtatus, ea ciuium clades, & calamitas, vt exemplũ aliunde peti non poſſit, aut ſimilitudo, quibus ſatis pro dignitate explicari queat. Confer ex profanis ciuitates, aut gentes, quæ graue aliquid vel C ab hoſte, vel à temporum inclementia paſſæ ſunt, & leue putabis præ Hieroſolymæ ſiue in obſidione miſeriis, ſiue in exilio ſordibus, aut ærumnis. Grauis fames fuit, & grauis afflictio, quã ſub Ioram à Rege Syriæ Benadab paſſa fuit Samaria, adeò vt ſordidiſſima quæque adhiberẽtur in cibum: immo & matres laceratos, & excoctos filios in ſua rurſus viſcera reconderent. At exitus lætus fuit, neque obſeſſi prædæ fuerũt hoſti victori; immo ipſi hoſte à Domino fugato opimis ſpoliis locupletati ſunt. Grauius ſubiit incommodum multò antè Pentapolis, quæ extinctis ad vnum habitatoribus, ipſa quoque de cælo tacta, & horribili tandem incendio vaſtata eſt. Verùm hæc diu expectauit, ſeu potiùs D diu traxit ſpiritum ægrum, & vitam non vitalem, ſed morte longè duriorem. Quod ipſe apertè docuit Ieremias Threnorum capite 4. verſu 6. Thren. 4. *Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento.* Vbi, vt ſuo loco dicemus, *peccatum*, & *iniquitas*, pro peccatorum ſuppliciis vſurpatur. Quare, vt vltimam ſæculorum memoriam repetas, nihil inuenies ita durum, quod cum his Solymitanis temporibus conferri poſſit. Quare optimè Ieremias, *Cui comparabo te?* Ac ſi dicat: Nihil eſt, quod, ſi ſingula expendas rerum momenta, tuam ſortem adæquet, ô Ieruſalem; quod iterum, ſtatim, & tertiò repetit, dum ait: *Cui aſſimilabo, & cui exæquabo?* quæ geminatio affectum indicat maximum E dolentis, & condolentis animi.

Et conſolabor te, virgo filia Sion?] Dum aliorum 48. dolorem conſolari volumus, exempla interdum aliorum adducimus, qui fortunam ſimilem experti nobis exemplo fuerunt, quomodo ad caſum non diſſimilem obdurandum ſit. Affert autem leuamenti aliquid, dum infortunium nobis non putamus proprium, ſed videmus cum aliis eſſe commune. Quia ſic minus homines habent, quod admirentur, quia nouum non eſt; neque

peccata

peccata cenſentur omnium maxima, quia idem aſpiciunt aliis eueniſſe ſupplicium. Et ipſa præterea miſeriarum communitas ægritudinem animi non parum leuat. Hinc illud tritum: *Solatium eſt miſeris, ſocios habere in malis.* & illud: *Mala communia leuius tangunt.* Plurima in eam ſententiam dicuntur à plurimis; ſed vide chorum extremum Troadis apud Senecam, vbi, vt notauit Martinus del Rio, mirificè hoc argumentum tractat, & pulchris explicat ſimilitudinibus.

49. Sed fortaſſe hîc aliquid ſubaudiendum, ſicut in aliis, quæ proximè anteceſsêre: nam ſicut in tribus membris præfixum, *cui*, quod aut interrogat, aut vim addit interrogationi: ſic huic etiam aliquid videtur præponi oportere, quod interrogationem acuat, & animum prodat amantem, & ſollicitum; nempe, *Quomodo conſolabor te?* Ac ſi dicat: Quomodo leuare poſſim animi tui dolorem, nihil video, vſque adeò te premunt vbiquè, & vndecunque mala.

50. *Mare, pro re magna.*

Magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui?] Contritionem cum mari multas ob cauſas comparat: quia mare magnum eſt, & exhauriri, aut aliò deriuari non poteſt. Quare quod magnum eſt, aut ſuperari non poteſt, cum mari cõponimus. Sic Deus Iob. capite 38. verſu 8. vt ſuã oſtenderet omnipotentiam, dixit: *Quis concluſit oſtiis mare?* & quia magna ſunt, atque inſcrutabilia, quæ in mari latent, quarum pleraque dura, atque horribilia ſunt, addidit verſu 16. *Nunquid ingreſſus es profunda maris?* Quare cùm maris tam lati ſint, atque profundi ſinus, tanta moles, atque vaſtitas, vt quantumuis in illud quotidie magni, atque frequentes influant fluuiorum gurgites, nulla tamen fieri videatur acceſſio, immo quidquid aquarum confluat, inſtar exiſtimetur habere guttæ, optimè Hieroſolymæ contritio cum mari confertur, cuius comparatione quicquid alibi malorum eſt, inſtar obtinet guttæ.

51. *Mare, pro re maximè horribili.*

Mare item ſalſum eſt, & amarum, & in ſe multa continet monſtra, vaſtos attollit fluctus, abſorbet cum nauibus infinitam hominum multitudinem: quare quocunque ſpectes, horribile eſt: & ipſi quoque, qui adhuc viuunt, ita cenſentur miſeri, vt ab iis, qui rectè iudicant, numerentur in mortuis. Sic in Medea Seneca, eum, qui vitam fluctibus, & auris credidit, iter habere dicit inter vitæ, mortíſque vias. Et lepidè, atque acutè Iuuenalis Satyra ... Sicut etiam dixerat Anacharſis antea, vt refert Laërtius:

I nunc & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem ſi ſit latiſſima tæda.

Quare dum mari aſſimilatur Hieroſolymæ contritio, ſignificatur, plurimos iã abſorptos tempeſtatis Babylonicæ fluctibus; & eos, qui à communi illa cæde ſuperſtites fuerunt, ita durè in præſentia iactari, vt haberi debeant omnino pro mortuis.

52. Mare præterea ſalſum eſt, & amarum, cúmque ſalſugo, & amaror, ſi quis eſt in aqua modica, ſanari queant, quod accidit aquis in Mara, quæ immiſſo ligno ſanatæ ſunt à Moyſe, Exodi capite 15. verſu 25. & poſtea 4. Regum capite 2. cùm amaræ eſſent, & peſtilentes aquæ Hiericunthinæ, ab Eliſæo tamen ab eis, quicquid erat amari, ac noxij, ſublatum eſt; at ſalſum mare quis efficiat, quominus eſſe deſinat amarum, & ſalſum? ideo commodè illico ſubiungitur: *Quis medebitur tui?* Hinc prouerbialiter malorum pelagus ponitur pro multorum, grauiúmque malorum abundantia. Huc etiam ſpectat illud Pſalmi 68. *Veni in altitudinem maris.* id eſt, in pericula, ſeu dolores & plurimos, & graues.

53. [illegible] Nun.

Verſ. 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta.*] De pſeudoprophetis ſermo eſt, contra quos ſæpe clamant, tum Prophetæ alij, tum ſæpiùs, & vehementiùs Ieremias; qui dum falſis oraculis allectant populum nimiùm credulum, & plus ſatis ad commoditatem, & voluptatem attentum, illum eò deduxerunt, vt nulla medicina curare vulnus, nulla mœrorem animi leuare conſolatio queat. Porro ſtulta vocat illorum Prophetarum oracula, quia nemo niſi ſtultus Diuinum nomen prætenderet illis, quæ humana potiùs cogitatio, & mens omnino cæca fundebat: & cùm omnia ad bellum, & cladem eſſent intenta, pacem tamen, & ſecundum rerum exitum pollicebantur.

54. *Nec aperiebant iniquitatem tuam.*] Hoc falſorum, atque ſtultorum Prophetarum eſt, attemperare vocem, ac ſtylum non ad vſum, & ſalutem, ſed ad voluptatem, atque libidinem eorum, qui cùm delicatas habeant, & prurientes aures, oleóque molli magis, quàm acri ſtudeant aceto perfundi, familiare habent illud Iſaiæ capite 30. verſu 10. *Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia: videte nobis errores.* Tunc autem illi ſtulta non exiſtimarentur loquuti, cùm peccata aperirent, eáque exprobrarent ſcelerato populo, vt tandem ad pœnitentiam, id eſt, ad meliorem mentem reuocarent.

55. *Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones.*] Vbi Vulgatus *aſſumptiones*, Hebraice eſt משאות *meſaoth*, quod genus propheticæ graue eſt, & minax: quod à Septuaginta λῆμμα, à Vulgato plerunque redditur *onus*. Eſt autem hic nobis examinandũ, cur cùm falſi illi Prophetæ nomẽ *oneris* oderint, ſed ſemper ad aliorum palatũ ſint loquuti, neque vnquam dixerint eiiciendũ populũ in exilium; immo potiùs clamarent, eos, qui poſt Ioacim, & cum Iechonia apud Babylonios exulabant, in patriam eſſe redituros propediem, & ſublata vaſa rurſus in templo reponenda, dicantur tamen vidiſſe aſſumptiones, id eſt, onera; & eiectiones prædixiſſe, id eſt, futurum, vt eiecti è propriis finibus Iudæi in exilium abirent.

56. Maldonatus putat eo conſilio pſeudoprophetas vſurpaſſe nonnunquam oneris nomen, vt veros ſe Prophetas oſtenderent, in quorum ore frequens audiebatur nomen illud; & alia, quæ metu, horroréque concuterent ignauos animos, & ad alia omnia, quàm ad pietatem attentos: ne ſi iucunda ſemper, & ad hominum vota loquerentur, arripuiſſe potiùs alienum, quàm accepiſſe proprium Prophetarum inſtitutum viderentur. Quemadmodum (inquit Maldonatus, ex Plutarcho libro de diſcrimine adulatoris, & amici) adulatores, ne ad gratiam ſemper loqui exiſtimentur, aliquando eos, quibus maximè blandiuntur, reprehendunt; ſicut catuli, qui fingunt ſe dominum mordere, ſed dentes non infigunt. *Adulatorũ ingenium.* Acutè quidem Maldonatus; ſed falſi illi Prophetæ, vtcumque ſit de *onere*, eiectiones nunquam loquuti fuerunt, quia eò ſpectabãt illorum conſilia, vt à Chaldæis nihil timendum eſſe perſuaderent, ideo minùs mihi probatur hæc explicatio.

Variè alij huic difficultati occurrunt, quorum ego ſententias, ne longus ſim, neque referre volo,

57\. volo,neque improbare eſt animus. Dicam igitur breuiter, quid mihi videatur expeditum,& conſequens magis. Et obſeruo priùs,ex vſu tam profanorum, quàm ſacrorum ſcriptorum eſſe, vt id aliquis voluiſſe, aut ſibi faciendum propoſuiſſe dicatur,quod ex illius opere conſecutum eſt, licèt ab eo maximè abhorruerit facientis animus, Geneſis capite 43. verſu 6. quia cùm doctus Ioſeph supereſſe apud patrem Benjamin, iuſſit illum ad ſe adduci, dixit Iacob ad filios: *In meam hoc feciſtis miſeriam, vt indicaretis ei, & alium habere vos fratrem.* Quod tamen abfuiſſe longè à filiorum animo,quis non videt? Eodem prorſus modo locuti dicuntur falſi illi Prophetæ eiectiones,& onera, quia blandimenta illa, & ſpes fallaces, licèt contra ſtudium, & animum illorum impoſtorum, onus impoſuerunt durum Iudæorum ceruicibus, & iugum alligarũt Babylonium: effecerúntque,vt è patriis ſedibus eiecti,exilium ſubirent ærumnoſum, & longum. Quæ omnia maiori ex parte declinaſſent, ſi Ieremiæ, à quo ſæpe non blandimenta, & mollia, ſed apertè, & liberè onus,& eiectiones audierant,credidiſſent.

REGVLA. Id aliquis voluiſſe aut intendiſſe dicitur,quod ex illius opere conſecutum eſt.
Gen.43.

58\. ס Samech. Verſ. 15. *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam,ſibilauerunt, & mouerunt caput.*] Hæc ſæpe populus,ſed à Ieremia frequentiùs audierat: venturam uimirum eò loci Ieruſalem, vt omnibus eſſet ſtupori, atque ludibrio. capite 18. verſu 16. *Vt fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilum ſempiternum. Omnis, qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuum.* Quæ verba ſæpius repetuntur, quæ admirantium, atque inſultantium ſunt.

Ierem.18.

59\. *Haccine eſt vrbs, dicentes perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?*] Illud, *haccine*, ſtuporem indicat ex magna rerum conuerſione conceptum. Quomodo illi, qui paulò antea viderant Iezabel cum eximia forma, & ſplendore regio, deinde lacerati à canibus cadaueris,deformes reliquias,& carnes ſicut ſtercus ſuper faciem terræ, *prætereuntes dicebant*: *Haccine eſt illa Iezabel?* Erat quidem Ieruſalem vrbs regia, quam totus Iſraël olim ſuſpiciebat, ac venerabatur, perfecti decoris,adeò vt ab ea Salomon in Canticis ſimilitudinẽ duxerit ad explicandam miram Sponſæ pulchritudinem, *Decora ſicut Ieruſalem*, Canticorum 6. Erat item ſuauis, & gaudium vniuerſæ terræ (nempe promiſſionis) quæ eò confluebat religionis gratia in præcipuis quibuſque ſolennitatibus: & ideo Dauid Pſalmo 47. verſu 3. cecinit: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion.* & Pſalmo 86. verſu 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Vtrumque complexus eſt ibidem verſu 3. *Glorioſa dicta ſunt de te,ciuitas Dei.* Et Salomon Canticorum 6. *Pulchra es amica mea,ſuauis,& decora ſicut Ieruſalem.* Hæc tamen non de gloria ſolùm,& maieſtate,ſed etiam de ſtatu, ac vita repentè cecidit: neque tam fuit Ieruſalem viuens, & florens,quàm illius iam deformis,& mortuæ ferale buſtum. Iure igitur viatores, ſiue inſultantes, ſeu miſerantes clamant: *Haccine eſt vrbs,*&c.

Ieruſalem, ciuitas exultationis.
Cant.6.
Pſalm.47.
Pſal.86.
Cant. 6.

60\. ה He. Verſ. 16. *Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilauerunt, & fremuerunt dentibus.*] Quæ proximè dicta viatorum ſunt,& prætereũtium,qui nõ omnes infenſo erant in Iudæos animo: at hæc inimicorum ſunt, eo maximè tempore, quo vaſtata eſt, & exciſa Ieruſalem. Qui non aliter vrbem inuaſère, quàm aut frementes leones, aut ſæuientes vrſi, aut angues ſibilantes. Quaſi potiti voto,prædam, ad quam tam ardenti ſtudio ferebãtur, toto hianti rictu deuorarent. Aperuerunt itaque os ſuum, ſiue vt deuorarent, ſiue vt maledictis conciderent infirmam iam plebem, neque repugnantem. Ad vtranque ſententiam patent hæc verba; & illud, quod ſequitur, magis fauet priori ſententiæ. Dum enim dicunt: *Deuorabimus, en iſta eſt dies, quam expectabamus*, idem videntur velle, ac ſi dicerent: Actum eſt de Ieruſalem. Quid ergo moramur,& diuturnam ſanguinis ſitim non explemus? Porro hæc duo verba, *infremere dentibus*, & quæ affinia ſunt, hoſtibus attribuuntur, cùm illum adoriuntur,de cuius cæde cogitant. Iob. capite 16. verſu 10. *Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis.* Pſalmo 34. verſu 16. *Frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.* Pſalmo 36. verſu 12. *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.*

Iob.16.
Pſal.34.
Pſal. 36.

61\. *Deuorabimus.*] Metaphora à belluis, quæ quos ſtrauerunt, concerpunt, & deuorant: aptè ad ſibilum, & fremitum, quæ anteceſſerunt, quorum alter ſerpentis eſt, alter leonis: ſed fortaſſe alluſum eſt ad barbara ſæcula, quæ diluuium præceſsêre Noëticum: in quibus homines ferarum inſtar carnibus veſcebantur humanis, immo è viuis corporibus ſugebant ſanguinem, & membra viuentia lacerabant morſũ, deuorabántque: vt pluribus oſtendimus ad caput Actorum 15. ad illud verſu 28. *A ſuffocatis,& ſanguine.* Vnde tritum in furore, *comedere carnes*, ſeu *deuorare*: quia licèt ferinus ille furor exceſſerit, dicendi tamen modus ab illo deductus ſeruatus eſt.

Gigantes antediluuiã viuis veſcebantur carnibus.
Actor.15.

62\. *Inuenimus, vidimus.*] Verba ſunt illorum, qui ſibi ipſis de præclaro rerum euentu gratulantur; ſi addidiſſent, *vicimus*, dixiſſent iſti Iudæorum hoſtes idem propè,quod multis pòſt ſæculis Cæſar in triumpho Pontico,*veni,vidi,vici.* Illud porro,*vidimus*,apud Hebræos epitaſim habet, ſignificátque aliquid eximium & lætum, in quo ſpéctando cum voluptate paſcuntur oculi. Iſaias capite 53. *Videbit,& ſaturabitur.* & capite 60. *Tunc videbis, & afflues.* & capite 66. *Videbitis,& gaudebit cor veſtrum.* Vide,quæ diximus in caput 53. Iſaiæ numero 64.

Iſaiæ 53.
Iſai.c.60.

63\. Hic ego aliquid inuenio obſeruatione dignũ, in quod miror Interpretum neminem, quod ego viderim, incurriſſe, quod notabo potiùs quàm expediam: neque enim occurrit aliquid, in quo acquieſcat animus, aut quod lectoris attenti ſtudio ſatis eſſe facturum putem. Nam, cùm in his Threnis ordinem ſequatur Alphabeticum, tamen mutauit Ieremias literarum ſeriem, quam priori capite tenuerat; & vbi ע Ain eſſe debuit, פ Pe collocauit, quod etiam fecit poſtea capite 3. & 4. Quòd verò ע Ain ante פ Pe eſſe debeat, perſuadent omnes omnino Grammatici tam recentes,quàm antiqui. Immo,& hoc fuiſſe Dauidico tempore ſeruatum, docent Pſalmi complures, quibus idem literarum ordo præponitur; nempe Pſalmo 24. 33. 110. 111. 144. 118. & Prouerbiorum capite 31. Quid ego hîc ſtatuam certi,nihil habeo; exiſtimo tamen in tribus hiſce literis ע, פ, צ, Ain, Pe, Sade, nihil olim fuiſſe ſtabile,atque perpetuum,ſed aliis alias interdum ſolitas eſſe præponi. De Pe,& Ain probat in hiſce Threnis Ieremias, qui primo capite priori loco poſuit ע Ain,tribus verò aliis præpoſuit פ Pe; de Pe,& Sade probat Dauid, qui cùm aliis locis præpoſuiſſet פ Pe, ante Sade,Pſalmo tamen 37. Sade præpoſuit, vbi in literarum ordine omiſſum

Litera Hebraica non eodem ſemper ordine in Alphabeto.
Pſal.24 33. 110. 111. 144.118.
Prouer. 31.

ſum eſt ע Ain. Hæc ego notaui potiùs quàm exſolui. Alij hæc poſtea accuratiùs expendent, vt expediant feliciùs, me non inuito.

64. ע Ain. Verſ. 17. *Fecit Dominus, quæ cogitauit, &c. à diebus antiquis.*] Ridebat populus ille veſanus, deceptus falſorum Prophetarum nugis, cæleſtes minas, ſibíque perſuadebat, Prophetarum voces inanes eſſe ſonos, & ſine pondere: nunc tandem edoctus magno ſuo malo, clamat per Ieremiam, quæ Deus cogitauit, denunciauítque per Prophetas, ad vnum omnia fuiſſe completa. Illud, *à diebus antiquis*, ſpectare poteſt duo tempora; alterum, quod à primis diebus, quo conſtituta videtur Iudæorum Reſpublica, ideſt, à tempore Moyſis, illa cogitata fuerint à Deo, apertéque prædicta; nempe futurum, vt ſi minùs ille populus audiens eſſet Diuinis mandatis, talia pateretur infortunia, qualia nunc eueniſſe lamentatur Propheta. Leuitici capite 26. *Quòd ſi nec ſic volueritis accipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi, ego quoque contra vos aduerſus incedam; & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra: inducámque ſuper vos gladium vltorem fœderis mei.* Idem Deuteronomij 28. à verſu 25. & hoc mihi videtur eſſe certius; quia tales rerum euentus experti ſunt Iudæi, quales ipſorum parentes primis illis temporibus acceperant; & quia dierũ antiquitas magis in illa prima tempora quadrare videtur, quàm in tempora Ieremiæ, aut aliorum Prophetarum, qui ante illum hæc peccatrici genti euentura prophetauerant; nihilo tamen minùs valde mihi veriſimile eſt, ſpectari hîc Prophetarum tempora, à quibus populus ad vanam religionem ſæpiùs dilapſus, hæc eadem frequenter audiuit; ab Iſaia, nempe, & à Ieremia, quibus cùm ſeuera à Domino denunciauerint, occinebant identidem: *Manda, remanda, expecta, reexpecta:* Iſaiæ 1. & capite 5. *Feſtinet, & citò veniet, opus eius vt videamus.* Denique illorum oracula in canticum conuertebant, & fabulam. Hunc verò iam expertum veram, ac ratam oraculorũ fidem, ſtuporis, erroríſque condemnat Ieremias. Ita ſanctus Thomas, Rabbanus, & Vatablus.

(Leuit. 26.)

65. *Deſtruxit, & non pepercit.*] Vſitatum eſt in Scriptura ſacra, vt cùm aliquid ſeriò, atque ex animo affirmamus, id aliis, atque aliis verbis explicemus; & non rarò, adhibita negatione contrarij. Ioannes capite 1. de Baptiſta: *Confeſſus eſt, & non negauit.* Iſaias capite 38. *Morieris, & non viues.* Sic nunc illud, *deſtruxit, & non pepercit*, ſtudium maximum vindictæ in vltore Domino ſignificat.

Exaltauit cornu hoſtium tuorum.] Quid ſit cornu, quídve cornua confringere, explicuimus ſuprà verſu 3. inde conſtabit, quid ſit exaltare cornu.

66. צ Sade. Verſ. 18. *Clamauit cor eorum ad Dominum ſuper muros filiæ Sion.*] Quidam hanc clauſulam cum poſteriore coniungunt, putántque admoneri filiam Sion, aut, quod idem eſt, muros filiæ Sion, vt iugibus ſe dedat lacrymis, vt iis placatus Deus, vlciſcatur hoſtes, & accepto ab illis vulneri medeatur. Alij clamorem hunc Chaldæorum eſſe autumant, qui ſuæ virtuti arrogant, quòd euerſa fuerit Hieroſolyma; & cùm ſub amara quadam ironia admonere videntur, vt auxilium cõtra Babylonicam potentiam imploret: quaſi dicant, vires ſuas omni potentia, etiam Diuina, longè fore ſuperiores: ita indicant ſanctus Thomas, ſanctus Bonauentura, Hugo, & Lyra. Sed eſt longè veriſimilius, vt his etiam placet, quos adduxi proximè, & aliis pluribus è recentioribus hæc verba Iudæorum eſſe; qui clamarunt ad Dominum, cùm viderent graui ruina collapſos, & apertos Hieroſolymæ muros. Quíque muros filiæ Sion (res enim continens pro contenta ponitur) ideſt, ſe ipſos cohortantur, & incitant, vt perpetuis ſe dedant lacrymis, neque à fletu vllo temporis momento ceſſent; vt iratum Numen ea ratione ad miſericordiam flectant, à quo vno ruina tanta inſtaurari, & Babylonici ſpiritus frangi poſſunt. Quaſi dicat: Clamauit Iudæorum quilibet ex corde; alter alterum viciſſim cohortatus, vím profundamus lacrymarum maximam, neque vnquam à plorando ceſſemus.

Neque taceat pupilla oculi tui.] Quod priùs per 67.
diem, & noctem ſignificauit, quibus verbis aliquid continenter, atque ſine vlla intermiſſione fieri oſtenditur, id iam alio explicatur modo, in ſacra Scriptura non infrequenti. Notum eſt per taciturnitatem, & ſilentium, ceſſationem indicari, aut quietem ab opere. Exodi capite 14. verſu 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* ideſt, ceſſabitis, & otioſi ſedebitis. & Marci capite 4. verſu 31. *Comminatus eſt vento, & dixit mari, tace, obmuteſce: & ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Vide, quæ diximus in Iſaiam capite 7. verſu 7. & capite 52. verſu 52. Eodem modo, & in eodem argumento vſus eſt Threnorum capite 3. verſu 49. *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit.*

(*Taceo, idem quod ceſſo.* — Exod. 14. — Marc. 4. — Iſai. 7. & 52. — Thren. 3.)

Verſ. 19. *Conſurge, lauda in nocte, in principio vi-* 68.
giliarum.] Vrget adhuc magis Propheta, vel ſe ק Coph.
ipſos Solymitani ciues, & qualis eſſe debeat ſupplicantis oratio, vt quod oret, exoret, paucis edocet. Inprimis docet, ſurgendum eſſe ad orandum: neque enim ab eo, qui ſedet lętus, vel iacet ignauus, cùm aliter poſſit, oratio ſolet ardens eſſe, & efficax; certè non ille eſt idoneus orantis habitus. Vide Gregorium libro 27. Moralium capite 23. ad illud Iob. capite 37. *Sta, & conſidera mirabilia Dei. Sunt* (inquit) *nonnulli, qui Dei miracula iacentes conſiderant, qui operationis eius potentiam non ſequentes admirantur. Stare quippe eſt recta agere: vnde 1. Corinthiorum capite 10. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Et ſæpe quidam Diuina iudicia mirantur, ſed tamen amando, & viuendo ad hæc eadem opera aſſurgere negligunt. Iacentes ergo Dei miracula conſiderant, qui eius potentiam ſciendo penſant, ſed viuendo non amant.* vide reliqua.

(*Orantis habitus, & ſtatus.*)

Lauda.] Quomodo oratio laus dicatur, aut 69.
laus cum oratione coniungi debeat, diximus pluribus ſupra illud capitis 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc: neque aſſumes pro eis laudem, & orationem.* Quæ verba etiam adhibuit capite 11. verſu 14. Expedit autem valde, vt etiam dum grauibus à Deo premi videmur incommodis, dum nos ſeueriùs punit, illius benignitatem, atque clementiam commendemus: quod fecit Ieremias ſæpe; qui ſi quid patitur acerbius, ſuis, populique ſceleribus aſcribit; Deum verò iuſtum, & miſericordem confitetur. Threnorum capite 1. verſu 18. *Iuſtus eſt Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Et capite 3. verſu 22. *Miſericordiæ eius, quia non ſumus conſumpti.* Iob capite 1. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Plura in hanc ſententiam diximus ad illud capitis 1. *Peccatum peccauit Ieruſalem.*

(*Laus cum oratione coniungitur.* — Thren. 1. — Thren. 3. — Iob. 1.)

In principio vigiliarum.] Quidam hîc multa di- 70.
cunt de vigiliis, in quas apud Hebræos, & externos alios populos nocturnæ diuiduntur excubiæ: quas eſſe quatuor, de externis ſatis eſt compertum;

Noctis vigilia. Matth. 14. Marci 6. pertum; apud quos quarta vigilia ſæpius auditur. De Hebræis quoque non obſcurum, ex Matthæo cap. 14. verſu 25. & Marco capit. 6. verſu 48, ſenſúmque eſſe putant, in principio vigiliarum omnium eſſe ſurgendum, atque adeò totum nocturnum tempus orationi, & lacrymis eſſe vacādum. Cui cogitationi fauet Septuaginta tranſlatio, qui ita conuertunt, εἰς ἀρχὰς φυλακῆς, ideſt, *ad principia cuſtodiæ.* Quam ego ſententiam improbare non poſſum, quia multis probatur: veruntamen cenſeo non improbabile, hoc dicendi modo ſummum mane ſignificari, quæ antelucanæ vigiliç nominantur. In quem ego ſenſum accipio Pſ. 76. illud Pſalmi 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* ideſt, antequam alij communiter vigilare inciperent, artifices nempe, qui Solem præuertunt, vt datum ſibi penſum abſoluant. Vt de muliere forti canit Salomon Prouerbiorum capite vltimo: *Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* Septuaginta, dedit operam, ideſt, penſum ancillis, quas ante lucem excitauit. Quod quia in omnibus gentibus vſitatum eſt, tanquam à re maximè nota, inde Virgilius ſimilitudinem ſumpſit Æneid. libro 8.

Inde, vbi prima quies medio iam noctis abactæ
Curriculo expulerat ſomnum: ceu fœmina, primùm
Cui tolerare colo vitam, tenuíque Minerua,
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famuláſque ad lumina longo
Exercet penſo. ———

Idem, puto, hoc loco ſignificat Propheta, quod aliis ſæpe locis, dum ait, *mane conſurgens.* quod nihil eſt aliud, quàm ardenti ſtudio, ac ſedulitate, in opus aliquod incumbere, ita vt Solis ortus anteuertendus ſit, & nihil omnino illi negotio præuertendum. Vide quæ diximus ad illud capitis 7. *Locutus ſum ad vos manè conſurgens.*

71. *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.*] Modus hic loquendi prouerbialis, & hyperbolicus eſt, quo affectum ardentem, & ſummum angorem, & conatum exprimimus. Sic Samuelis mater 1. Regûm 15. *Effudi animam meam in conſpectu Domini.* & Pſalmo 61. *Effundite coram illo corda veſtra.* ideſt, in eam curam totos animi neruos, & vires intendite. Sed quia hîc additur, *ſicut aquam*, modus oſtenditur, quo in Domini conſpectu cor, ſeu ſpiritus effundi debeat, nempe, lacrymando, quaſi ceſſandum non ſit à lacrymis, & precibus, donec exhauſtis aliis lacrymarum fontibus, cor ipſum extabeſcat, & per ſtillantes oculos liquefactum emanet.

Manus in oratione leuantur. *Leua ad eum manus.*] Signum orantis pro oratione ipſa: leuare etenim manus in orando in omni fermè ætate, ac gente commune eſt. Virgilius libro 3. Æneid.

At pater Anchiſes paſſis de littore palmis
Numina magna vocat. ——

& ibidem Æneas de ſe:

——*tendóque ſupinas*
Ad cælum cum voce manus. ——

Audi, quàm aptè Liuius ſtatum hunc, & filiarum Ieruſalem fletum, qualem illis Ieremias indicit, expreſſerit 3. Decadum libro 6. *Vndique matronæ in publicum effuſæ circa Deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes, nixæ genibus ſupinas manus ad cælum, ac deos tendentes, orantéſque, &c. vt liberos paruos inuiolatos ſeruarent.* Id quaſi natura ipſa docente communiter fieri tradit Ariſtoteles libro

A 1. de mundo. *Omnes homines* (inquit) *manus ſupplices ad cælum ſuſtulimus.* Apud ſacros id frequenter audimus. Pſalmo 62. *In nomine tuo leuabo manus meas.* Et multis pòſt ſeculis Paulus 1. ad Timotheum 2. *Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus.*

Pro anima paruulorum ſuorum, qui defecerunt.] 72.
Animam alicuius idem eſſe quod *aliquem*, iam ſæpe à nobis dictum eſt, quare, pro anima paruulorum nihil eſt aliud, quàm pro paruulis. Illud, *pro*, idem valet, quod *propter*; quod in ſacra Scriptura non infrequens. Abacuch capite 3. verſu 7. *Pro iniquitate vidi tentoria.* Et 1. Paralip. 16. verſu 21. *Increpuit pro eis Reges.* Eſt ergo ſenſus: Plora, & B precare Deum, vt iram nempe temperet, & auertat: qui perire fame paruulos in medio platearum paſſus eſt. Aut certè ſi præteritum pro futuro ſumas, in eóque ſtatu conſideres Hieroſolymam, in quo extremam patiebatur famem à Babyloniis obſeſſà, ſenſus erit: Plora, & clama pro infantibus, quibus à fame extrema iam imminet dies: niſi id etiam paſſos eſſe paruulos exiſtimemus in exilio: tunc enim expedita magis eſſent omnia: ſed non puto id ſubiiſſe Iudæorum paruulos etiam apud barbarum, & inclementem hoſtem. *Pro, idem quod propter.* Abac. 3. 1. Paral. 16.

Verſ. 20. *Vide Domine, & conſidera, quem vindemiaueris.*] Hæc videtur eſſe oratio cum manuum C eleuatione, & corde in lacrymas amarè liquefacto. Quæ paucis explicat, Diuiniſque proponit oculis illa, quæ magis animum effodiunt, quibúſque maximè, aut propter ætatem, & ſexum parcendum ab hoſtibus videbatur. Quæ omnia vindemiæ nomine comprehendit: quæ maximè cùm accedit racematio, tam quod maturum, quàm quod acerbum eſt, eodem demetit ordine. 73. Reg.

Ergóne comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ?] Oratio hæc ea proponit, quæ ad animorum motum grauiſſima ſunt, quæque Deū priùs in Niniuitarum cauſa ad commiſerationē commouerunt, mortē videlicet infantium, quos non modò propria, ſed etiam aliena fames confecit. De propria nuper: *Defecerunt in fame in capite* D *omnium compitorum.* De aliena modò, vbi oſtenditur, quomodo in eam ſiue famem, ſiue rabiem adactæ matres fuerint, vt pueros recens-natos, qui materna egebant indulgentia, in ſua rurſus viſcera condiderint. Hæc cōminatus fuerat Deus Deuteronomij 28. peccanti populo: *Comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum.* Quod in obſidione Chaldæorum impletum fuiſſe docet Baruch capite 2. *Facta ſunt in Ieruſalem, ſecundùm quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, vt manducaret homo carnes filij ſui, & carnes filiæ ſuæ.* Quod iterum repetit Ieremias Threnorum 4. verſu 10. Quod accidiſſe eidem populo Romanorum tempore auctor eſt Ioſephus, & in obſidione Samariæ 4. Regum capite 6. verſu 28. 74. *Infantibus debita miſericordia.* Deuter. 28. Baruch 2. Thren. 4.

E *Ad menſuram palmæ.*] Prouerbialis eſt modus, & hyperbolicus, qui ſignificat puſillos eſſe, aut recens natos infantes, quaſi palmo, ideſt, palmæ latitudine menſurari, aut pugillo concludi poſſe; quod de rebus minimis ſermo hominū vulgaris vſurpat. Sanè Hiſpanis familiaris eſt hic dicendi modus, cùm puſillum hominem indicere vult: *Es como vn puño.* quod nihil eſt aliud, quàm eſſe ad menſuram palmæ. Horum verò miſertus eſt Deus, cùm de interitu Niniue cum Iona diſceptaret, qui ægerrimè ferebat, parcitum à Deo pœnitenti populo, Ionæ capite 3. verſu 75. Ionæ 3.

11. *Ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam.* Hos verò infantes eſſe Theodoretus, & Theophylactus putant, & cum his reliqui fermè Interpretes; in hos tamen Deus Chaldæos ſæuire permiſit.

76. *Si occiditur in Sanctuario Domini Sacerdos, & Propheta.*] Ex Hebræis aliqui ſpectare hæc putant ad Zachariam filium Ioiadæ, qui à Iudæis in templo obrutus eſſe traditur 2. Paralip. capite 24. Quaſi obiiciat Ieremias, mirandum non eſſe, ſi eò fames parentes adegerit, vt filiorum paſcantur carnibus, cùm ipſi peccatum admiſerint, quod non minore pœna expiari debuerit, quando Zachariam in Sanctuario peremerunt, quaſi dicat: Si Sacerdorem, & Prophetam in templo interfeciſtis, quid mirum, ſi talia patiamini? Hæc enim poſteriora ſupplenda videbantur in hac apoſiopeſi. Alia hîc nugantur ſuo more Rabbini, à quibus commemorandis abſtineo, ne ipſe quoque cum illis nugari videar. Sed hæc explicatio durior eſt: neque hic videbatur commemoranda Zachariæ cædes, cùm recentia adeſſent flagitia, eáque neque pauca, neque leuia, propter quæ alibi ſæpe mulctandi dicuntur eſſe Iudæi.

77. Credo ergo, licèt alio in loco Scripturæ ſacræ non inueniam, quo tempore Chaldæorum maximè graſſabatur furor, pollutum fuiſſe templum Sacerdotum, ac Prophetarum ſanguine: eſt enim ſatis veriſimile, & ex rerum natura maximè, Sacerdotes, & Prophetas ad templum, tanquam ad azylum, & commune perfugium ſe recepiſſe: & quia locus erat munitus, & inſtar arcis, & quia norant Barbaris etiam hominibus religioni eſſe loca ſacra. Sed hoſtes Chaldæi, quia in Iudæorum nomen grauiter erant animati, ſicut non dubitarunt, templum ſacris ſpoliare ornamentis, & ad extremum incendio vaſtare: ſic etiam neque illud Sacerdotali ſanguine polluere. Neque incommodat, quòd alio in loco Scriptura non prodat: ſatis eſt enim ſi à Ieremia factum eſſe ſignificetur; ſicut alia multa ab eo habemus in his Lamentationibus, quæ vbi narrari potuerunt, aliis in locis Scriptura ſiluit. Vt quòd filiorum carnibus ſuæ ſibi fami matres occurrerint: quòd amplexati ſint ſtercora lauti priùs, & elegantes iuuenes: quòd adoleſcentes ſub ligno corruerint. Commemorat autem hoc loco Propheta, vt conſtat, quæ eo tempore, quo exciſa eſt Hieroſolyma, contigerunt.

78. Verſ. 21. *Iacuerunt in terra foris puer, & ſenex.*] Septuaginta, *dormierunt*. Iacere dicuntur, qui mœſto ſunt animo, aut languido corpore, aut etiam, qui vitam agunt ærumnoſam, & triſtem. Dicuntur etiam iacere, ſeu dormire mortui, qui ſepultura carent, & inhumati putreſcunt. Quare dubitare quis poſſet, de quo horum loquatur hoc loco Ieremias; nam ad vtrunque ſenſum patet tam Latinus, quàm Hebraicus textus. Chaldæus de viuentibus ſermonem eſſe dicit, & in illam ſententiam accipit, quam habes Threnorum capite 4. verſu 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Iacuerunt* (inquit) *in terra paruuli, & ſenes, qui cubare ſolebant ſuper turgidos, & eminentes puluinos.* Sanctus Thomas vtrunque probat: mihi veriſimilius eſt agere de mortuis. quod etiam putat Lyra, Maldonatus, & complures alij: & ſanè hic de Iudæorum cæde videtur eſſe ſermo, vt

Margin: ש Sin. — Thren. 4.

A conſtat. Sed aliquid videtur conſtitui diſcriminis à Propheta: nam pueri, & ſenes cùm tenello ſint, aut exhauſto, debilitatóque corpuſculo, minùs ferunt belli, famis, atque laboris incommoda, atque ita fame, ſeu tabe pereunt: qui verò robuſto ſunt corpore, & ætate magis ad perferendas moleſtias confirmata, quales ſunt iuuenes, & virgines, gladio perimuntur, & furore potiùs hoſtili, quàm neceſſitate, & infirmitate naturæ; & ideo commodè ſubiicitur: *Virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfeciſti in die furoris tui.* Quam ſententiam indicant non obſcurè Septuaginta, qui ita vertunt: *In gladio, & fame occidiſti.* in gladio quidem virgines, & iuuenes; in fame verò pueros, & ſenes.

B Verſ. 22. *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem, qui terrerent me de circuitu.*] Vocauit Dominus, tanquam imperator, & dux, vndecunque hoſtes, quaſi ad ſolennem diem. In quo verò ſpectetur hæc ſimilitudo, non facilè explicatu eſt. Tria hîc ego reperio in ſolenni Iudæorum, atque feſtiuo die, quibus totidem in hoſtium conuentu, vrbíſque direptione ex aduerſo reſpondet. Primùm in feſtis Iudæorum ſolennioribus offerri ſolebant, ac cædi frequentes victimæ: quare qui de more, è tota terra promiſſionis ad diem ſolennem accerſebantur, illi etiam vocabantur ad cædem, & ſanguinem, quo templum diebus C illis, ſi vnquam, maximè redundabat. Vocati igitur videntur hoſtes ad victimas, ideſt, vt in tota ciuitate, ac templo, è Iudæorum gente plurimos occiderent, non aliter, atque ad aras victimarij ſolent. Hæc porro metaphora non eſt in Scriptura ſacra inuſitata, quæ ſæpe pro cæde, atque ſtrage victimam vſurpat. Sic Iſaias capite 34. *Gladius Domini impletus eſt ſanguine; incraſſatus eſt adipe de ſanguine agnorum, &c. Victima enim Domini in Boſra, & interfectio Domini in terra Edom.* & Ezechielis capite 39. *Dic omni volucri, & vniuerſis auibus, cunctíſque beſtiis agri: Conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis. Victimam meam, victimam grandem ſuper montes Iſraël, vt comedatis carnem, & bibatis ſanguinem,* &c. In hanc ſententiam explicui illud Iſaiæ D capite 29. *Et erit mihi quaſi Ariel.* vbi eo loco Ariel diximus ſignificare altare: & prædicebatur tunc ab Iſaia, quod nunc Ieremias completum eſſe luget. Nam quemadmodum ad Ariel, ideſt, ad altare victimæ quotidie mactantur, ſtratæque iacent, ac laceratæ circùm altare: ſic Ieruſalem tota complebitur ciuium cadaueribus, redundabítque interfectorum ſanguine. Vide, quæ ibi pluribus diximus. Quæ explicatio non omnino diſplicet.

80. Secundò ſpectari ſimilitudo poteſt in frequenti ciuium concurſu, qui fiebat quotannis in vrbem, & templum, in præcipuis quibuſdam E ſolennitatibus, ad Azymos, putà, Pentecoſten, & ſcenopegia: tunc enim iubebantur omnes filij Iſraël, vbicunque locorum eſſent, dies illos ſacros, & locum obire: quod eò ipſi obſeruabant libentiùs, quòd ſciebant illis temporibus regiones ſuas, licèt viris ſpoliatas, eſſe in Domini fide, atque tutela, neque quicquam eſſe ab hoſte paſſuros: ſic enim Dominus ipſe promiſerat Exodi capite 38. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Dei Iſraël, &c. nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini*

Margin: 79. ת Thau. — Victima, pro cæde. — Iſai. 34. — Ezech. 39. — Iſaiæ 29. — Exod. 38.

Domini Dei tui ter in anno. Iuxta hæc ſenſus erit: A
Non aliter ex circuniectis locis adhæſiſſe populos Chaldæis, & cum illis ſimul coniuratos, inuaſiſſe Hieroſolymæ, quàm ex eiſdem locis, cùm integra erat, necdum diſtracta Iſraëlitica Reſpublica, ad dies confluebat ſacros & ſolennes.

81. Tertiò ſpectari potuit in hac ſimilitudine, alacritas hoſtium in oppugnanda, ac diripienda Hieroſolyma, & in eo peragendo negotio mira facilitas: vbi autem merces ampla proponitur, exiguo labori, à quo periculum abeſt, & moleſtia, non aliter eò conuolare ſolent homines, quàm ad ludum, diéſque geniales, ac ſolennes. Iuxta hæc ſenſus erit: Te agente, & auſpice Domine, hoſtes de victoria, ac de præda certi, ſic B alacres in vrbem confluxerunt, ac ſi dies obire vellent ſolennes, nec belli pondus difficile ſubire. Idem videntur ſignificare hoſtes ipſi, de quibus Ieremias hoc ipſo capite verſu 16. *Deuorabimus, en iſta eſt dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.* Ad tres has explicationes patet, ſatis hic locus, neque promptum eſt, quam ex omnibus eligam, inclino tamen magis in hanc poſtremam.

Qui terrerent.] Hebraicè מגורי *megurai*, ideſt, *terrores meos.* Sed eſt ſenſus idem: nam, vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis ſupra Iſaiam, capite 53. numero 51. actio pro obiecto, ſeu materia actionis frequenter vſurpatur, vt *laus*, pro re laudabili; *viſio*, pro ſpectro; *auditio*, pro voce. & in hac ipſa voce, atque materia exempla ſunt plurima. *Timor* enim pro re timenda, nempe pro hoſtibus, aut armis vſurpatur. Iſaias capite 8. verſu 1. *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis* (ideſt, arma, & minas) *Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter.* ideſt, ipſe timendus eſt. 82.

Timor, *pro* re timenda. Iſai. 8.

Et non fuit in die furoris Domini, qui effugeret.] 83.
Quo tempore ad euertendam vrbem, quaſi ad B diem ſolennem vocati ſunt hoſtes, quem diem furori ſuo Dominus deſignauerat, nemo fuit exſors alicuius incommodi: omnes enim aut obtruncati ferro, aut confecti fame, aut abducti captiui, aut denique extorres à patria.

Quos educaui, & enutriui.] Pathos mouet ex magna fortunæ commutatione: nam qui in materno ſinu molliter educati fuerant, & in deliciis enutriti, illi ab hoſtè ferro, ſeu in obſidione longa fame cõſumpti ſunt. Hæc de capite ſecũdo.

ARGVMENTVM CAPITIS III.

CAPVT hoc, in quo terni verſus ab eadem ſemper ducuntur litera, varium eſt, & variis inſtructum figuris, & affectibus. Agit autem Propheta interdum de populo, interdum de ſe ipſo, idque hiſtoricè, typicè etiam aliquando de Chriſto, cuius ipſe in rebus, quas de ſe commemorat, videtur eſſe typus.

THREN. CAP. III.

ALEPH.

1. *EGo vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.*

ALEPH.

2. *Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.*

ALEPH.

3. *Tantùm in me vertit, & conuertit manum ſuam tota die.*

BETH.

4. *Vetuſtam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit oſſa mea.*

BETH.

IN IDEM CAP. PARAPHR.

C 1. PRædixêre Prophetæ alij calamitatem, quæ populum oppreſſit Iudaicum, at nemo illorum calamitatem illam omnino vidit. Ille ego ſum, cui videre contigit occumbentem patriam, quo tempore contra illam Dominus vltricem indignationis ſuæ virgam extendit; & ad quem illius ſtragis pars aliqua pertinuit.

2. Ille ego ſum, quem Dominus tenebricoſum coniecit in carcerem, ex quo mihi lucem intueri non licuit.

3. Sicut artifex, qui ſtudet è rudi ſaxo D imaginem effingere, illud tundit, & verſat, neque à ſe ipſo impetrare poteſt, vt abducat manũ, aut opus abſoluat. Sic Deus, quaſi in hoc vnum opus eſſet intentus, me tota die vertit, atque inuertit, neque manum amouet ſeueram, & duram.

4. Rugoſam mihi reddidit, & luridam pellem, & ſenectutem adduxit immaturam, carnem exhauſit, extremáque confecit macie, & nequid mihiупереſſet fir-

BÈTH.

5. *Aedificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.*

BETH.

6. *In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.*

GHIMEL.

7. *Circumædificauit aduersùm me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum.*

GHIMEL.

8. *Sed & cùm clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.*

GHIMEL.

9. *Concluſit vias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit.*

DALETH.

10. *Vrſus inſidians factus eſt mihi: leo in abſconditis.*

DALETH.

11. *Semitas meas ſubuertit, & confregit me: poſuit me deſolatam.*

DALETH.

12. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.*

HE.

13. *Miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.*

HE.

14. *Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die.*

HE.

15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.*

VAV.

16. *Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.*

VAV.

17. *Et repulſa eſt à pace anima mea, oblitus ſum bonorum.*

VAV.

18. *Et dixi: Periit finis meus, & ſpes mea à Domino.*

ZAIN.

A mamenti, ipſa quoque oſſa tundendo confregit.

5. Sic me vndecunque obuallauit Deus, vt nullam in partem pateret effugium; quare laborem mihi, atque dolorem induxit, & largum ex felle poculum propinauit.

6. Poſuit me in lacu tenebricoſo, ac tetro; in quo ad eum fermè modum demerſus iacui, quo iacere ſolent in ſepulcro mortui ſempiterni.

7. Ideo ego in tenebris ſimilis videor
B mortuis in ſepulcris, quia vt illi ex eo nunquam emergent; ſic ego nunquam è tenebricoſo carcere egreſſurus exiſtimabar. Oppoſuit enim vndique Deus molem, ne quis mihi ad libertatem, & lucem aditus pateret: quod perinde fuit, ac ſi alios, atque alios compedes pedibus meis inieciſſet.

8. Accedit, quod ego mortis inſtar deputo, quòd cùm clamare vellem, & preces prohibuit, & ſupplicem repulit.

9. Quas habere poteram ad libertatem
C vias, firmiſſimis mihi clauſtris obſtruxit: oppoſuit enim molem è ſecto, quadratóque lapide, ademítque ſemitas, per quas mihi patere videbatur effugium.

10. Quaſi vrſus inſidiator irrugiit in me, & quaſi leo ex inſidiis ad lacerandum inſiliit.

11. Vias omnes mihi ad libertatem obſtruxit, vires mihi, & ſpiritus ademit, ac tandem funditus euertit.

12. Vibrauit in me arcum ſuum, & quaſi ſcopum ex aduerſo conſtituit, quem ia-
D culis ſuis deſtinaſſo configeret.

13. Sagittas, quas ex pharetra ſua deprompſit, in mea mihi præcordia iaculatus eſt.

14. Subſannat me, conuitiiſque lacerat tota die, populus, cui fabula ſum, & quotidiana cantandi, atque irridendi materies.

15. Felle me, atque omni amaritudine repleuit: largum mihi ad ebrietatem vſque abſynthij poculum propinauit.

E 16. Panem mihi præbuit ſic durum, & inſipidum, vt ex cinere, ſeu lapide ſubactus videri poſſit, quo omnes mihi dentes ad vnum excuſſit.

17. Nulla mihi copia fuit, aut vſus eorum, quæ ad pacem mihi, aut commoditatem aliquam eſſe poterant: ſic bonorum omnium memoriam abieci, quaſi nullo modo ad me pertinerent.

18. Nullus erit, dicebam apud me, vulneri, atque dolori finis, neque à Domino leuamentum doloris, aut vulneris medicinam expecto: qui iam apud ſe ſtatuit, ſupplicium

ZAIN.

19. *Recordare paupertatis, & transgreſsionis meæ, abſynthij, & fellis.*

ZAIN.

20. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*

ZAIN.

21. *Hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo.*

HETH.

22. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius.*

HETH.

23. *Noui diluculo, multa eſt fides tua.*

HETH.

24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.*

TETH.

25. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

TETH.

26. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.*

TETH.

27. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.*

IOD.

28. *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſuper ſe.*

IOD.

29. *Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.*

A plicium de populi peccatis eſſe ſumendum.

19. Ad te nihilominus reuertor, in quo ſpes omnis ſita ſalutis noſtræ; oróque, vt memineris, quàm nos anguſtè labor, & inopia premat; quas pro tranſgreſſione, & ſcelere pœnas expenderim; quàm largè me abſynthio, felléque potaueris.

20. Nunquam nòn recordabor eorum, quibus populus meus continenter atteritur, quæ ſic animum meum vehementer afficiunt, vt omnino conficiant.

B 21. Dum meditor, quàm magnificus fuerit, & benignus Dominus, etiam dum videtur in populum ſæuire, meliori ſum animo, & omnia mihi ab eius humanitate ſecunda polliceor.

22. Quòd viuimus, quòd in tot peccatorum fœditate, ac pondere conſumpti non ſumus, Diuinæ adſcribo miſericordiæ: neque adhuc exhauſtus eſt miſerationum eius affluentiſſimus fons.

23. Cum Sole, immo ante Solem, in
C ipſo diluculo noua quotidie beneficia oriuntur. Eſt ſanè, ô Domine, cur omnes in tua benignitate confidere, ac ſperare debeant, cùm tam ſis in largiendo munificus, tam in promiſſo præſtando fidelis, & verax.

24. Alij in aliis ſpem ſuam, atque fiduciam locent, at mihi Deus certa erit hæreditas, & poſſeſſio, atque ideo in illum ſpes mea ſemper intuebitur.

25. Neque temere in hanc cogitationem venio: eſt enim Dominus benignus in illos, qui ſuam in eo fiduciam colloca-
D runt; quíque eò aſpirant, vt illum inueniant, illi adhæreant, ſe denique illius fidei, atque tutelæ credant.

26. Perquàm commodum eſt hominibus, etiamſi duram experiantur Domini manum, ſperare tamen ab illo tranquillo animo, ac ſine murmure ſalutem.

27. Bonum eſt cuicunque mortalium, à primis annis Diuino iugo ceruicem ſubmittere, atque illi ſubeſſe, cui pronus eſt ad miſerendum animus, & ad largiendum liberalis.

28. Bonum eſt, inquam, viro ſuſtinere,
E quod Dominus impoſuit ſupplicij iugum, etiamſi mœſtus ſedeat, & ſolitarius, etiamſi, quod ſeruis contingit, ſub immiti, ac barbaro dominatu, hiſcere non audeat.

29. Subibit, qui ſupplicij iugum ceruicibus illigatum geſtat, quod in extrema fortuna patiuntur miſeri, vt terram ore lingant, ceruicéſque inimicorum veſtigiis calcandas ſupponant, & hæc ſubibit

IOD.

30. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.*

CAPH.

31. *Quia non repellet in ſempiternum Dominus.*

CAPH.

32. *Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.*

CAPH.

33. *Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.*

LAMED.

34. *Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ.*

LAMED.

35. *Vt declinaret iudicium viri in conſpectu vultus Altiſſimi.*

LAMED.

36. *Vt peruerteret hominem in iudicio ſuo, Dominus ignorauit.*

MEM.

37. *Quis eſt iſte, qui dixit vt fieret Domino non iubente?*

MEM.

38. *Ex ore Altiſſimi non egredientur nec mala, nec bona?*

MEM.

39. *Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis?*

NVN.

40. *Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum.*

NVN.

41. *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos.*

NVN.

42. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es.*

SAMECH.

A non inuitus, quia ſperat ab eo ſe conſecuturum eſſe libertatem, qui miſerorum fortunæ miſeretur.

30. Hac ſpe confirmatus vltrò maxillam cædendam, & deformandam tradet, neque recuſabit concidi maledictis, & ad ſatietatem lacerari conuitiis.

31. Cùr homo hæc patienter ferre debeat, ea ratio eſt, quia qui illis incommodis vexat, & exercet, Deus, continebit à flagello manum & aliquando ipſius deferueſcet furor.

B 32. Quia licèt populum ſuum abieciſſe videatur, placatus tandem, quo eſt animo miſericorde, & miti, amplectetur rurſus, patriiſque commodis aliquando reſtituet.

33. Non enim ex animo Deus hominem abiicit, & humiliat; neque ipſi ſtudio, ac voluptati eſt hominum interitus, aut afflicta conditio.

34. Longè eſt à Diuina voluntate, vt ſterni velit, conculcarique pedibus eos, qui de terra promiſſionis tranſlati apud Babylonios vincti ſunt.

C 35. 36. Longè eſt, vt à conſpectu ſuo iudicium iniquum prodire velit.

36. Longè, vt aliquem iniuſtè vexari, aut bonis ſpoliari, ſe iudice, permittat.

37. Neque curo, quòd hæc incommoda hominum manibus in noſtrum genus inducta videantur. Quis enim neget, non ſolùm hæc ſpectante, ſed etiam iubente Domino facta eſſe? cuius benignus eſt animus, & æqua iudicia.

D 38. Ecquis eſt, qui putet, ſi quid proſperi, ſiue aduerſi homini contingat, id caſu accidere, & non potiùs Domino iubente?

39. Quid audet homo vilis in hac vita Deum iniuſtum, aut inclementem vocare, dum peccatorum ſuorum pœnas exſoluit?

40. Scrutemur attentè, inquiramúſque, quid à nobis in noſtræ vitæ rationibus peccatum ſit, & ad Deum reuocato curſu reuertamur, à quo priùs peccando declinauimus.

E 41. Vbi autem in vitam noſtram diligenter inquiſitum fuerit, proximum eſt, vt corde, ac manibus ſuppliciter in cælum eleuatis, ignoſci à Domino poſtulemus, ſi quid à nobis in illum admiſſum eſt.

42. Dicamus igitur ſcelerum noſtrorum conſcientia compuncti: Peccauimus, Domine, & tuum contra nos furorem exacuimus: & magno noſtro merito exorare

non

SAMECH.

43. *Operuiſti in furore,& percuſſiſti nos: occidiſti,nec pepercisti.*

SAMECH.

44. *Oppoſuiſti nubem tibi,ne tranſeat oratio.*

SAMECH.

45. *Eradicationem,& abiectionem poſuiſti me in medio populorum.*

PHE.

46. *Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici.*

PHE.

47. *Formido,& laqueus facta eſt nobis vaticinatio,& contritio.*

PHE.

48. *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus,in contritione filiæ populi mei.*

AIN.

49. *Oculus meus afflictus eſt,nec tacuit, eo quòd non eſſet requies.*

AIN.

50. *Donec reſpiceret & videret Dominus de cælis.*

AIN.

51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.*

SADE.

52. *Venatione ceperunt me quaſi auem inimici mei gratis.*

SADE.

53. *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.*

SADE.

54. *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum: dixi,Perij.*

COPH.

55. *Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouiſſimo*

A non poſſumus à tua clementia, vt à plaga, quam nobis infligere cœpiſti, ſeueram cohibeas, & vindicem manum.

43. Cùm iam nos ferro, exilióque propter noſtra ſcelera damnares, quod in caſu ſimili de more fit, faciem noſtram operuiſti, percuſſiſtique, neque exorare à te potuimus,vt ignoſceres.

44. Obtendiſti nubem, & quendam quaſi murum obieciſti, ne ad aures tuas ſupplicum vota, & preces permearent.

B 45. Cùm ergo abs te nihil noſtra obtinuiſſet oratio, expuliſti,& quaſi eradicaſti nos è noſtris ſedibus,& in populos alios latè diſſeminaſti.

46. Victor hoſtis, & inſolens os in nos aperuit, vt laceraret, ac frenderet, vt leo, & vt maledico, atque procaci ſermone concideret.

47. Vaticinia nobis formidinem, & laqueum,contritionem denique, & vaſtitatem attulerunt. Vaticinia,inquam,verorum Prophetarum, quia ad illa indociles
C præbuimus animos; falſorum item, quia illis nos nimiùm creduli fidem adhibuimus.

48. Oborti ſunt ex oculis meis lacrymarum riuuli, propter mutatam populi mei,afflictámque fortunam.

49. Quia populus nullum habuit tempus à labore vacuum, ſic etiam oculi mei, quos eius calamitas ſollicitat, & pungit, nullam habebunt à plorando requiem.

50. Tandiu mihi lacrymandum, quandiu durabit afflicta populi conditio: do-
D nec exoratus Dominus de cælo reſpiciat, & quæ collapſa ſunt de populo, benignus inſtauret.

51. Oculus meus, cuius tantam populi vaſtitatem, & virginum maximè ludibrium videre contigit, me ipſum mihi prorſus eripuit; neque mihi reliquit aliud, quàm lacrymandi ſtudium.

52. Sæuierunt in me (ait de ſe ipſo Ieremias) inimici, & cùm nulla eſſent à me iniuria laceſſiti, ſic ab illis captus ſum, & in foueam coniectus, ſicut ab aucupe, cum voluptate comprehenditur vo-
E lucris.

53. Captus ergo ab hoſtibus demiſſus ſum in lacum, cuius ori ſaxum oppoſitum, ne qua mihi pateret ad libertatem via.

54. In eo lacu ſic inundauerunt tribulationum aquæ,vt iam exiſtimarem,actum eſſe de vita.

55. Cùm in profundam illam foueam eſſem demerſus, quod vnum mihi ſupere-

nouiſſimo.

COPH.

56. *Vocem meam audiſti: ne auertas aurem tuam à ſingultu meo, & clamoribus.*

COPH.

57. *Appropinquaſti in die quando inuocaui te: dixiſti, Ne timeas.*

RES.

58. *Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.*

RES.

59. *Vidiſti Domine iniquitatem illorum aduersùm me: iudica iudicium meum.*

RES.

60. *Vidiſti omnem furorem, vniuerſas cogitationes eorum aduersùm me.*

SIN.

61. *Audiſti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersùm me.*

SIN.

62. *Labia inſurgentium mihi, & meditationes eorum aduersùm me tota die.*

SIN.

63. *Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide: ego ſum pſalmus eorum.*

THAV.

64. *Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum ſuarum.*

THAV.

65. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.*

THAV.

66. *Perſequêris in furore, & conteres eos ſub cælis Domine.*

A rat ſubſidium, ſupplices ad te preces effudi.

56. Audiſti me, Domine, clamantem, nunc, quando non minor ſeſe oſtentat mortis effigies, quæſo, ne ſingultantem me à tua benignitate ſupplicem repellas.

57. Tunc verò imploratus adfuiſti mihi, méque bono, ac ſereno animo eſſe iuſſiſti.

58. Cùm mihi cum hoſtibus iniquo foro de capite diſceptandum eſſet, tu mi-
B hi patronus adfuiſti, liberaſtíque ab hoſtili calumnia, feciſtíque, ne indignus vita iudicarer.

59. Vidiſti tunc, Domine, quàm iniquis ab hoſtibus conſiliis vrgerer: neque paſſus es illos in eo iudiciali congreſſu ſuperiores eſſe. Nunc, quando in eodem periculo vita mea verſatur, ſuſcipe, ſicut antea, & iudica cauſam meam.

60. Vidiſti, quid de capite meo, animo hoſtiliter inflammato cogitarenr, ac ab eorum me conſiliis eripuiſti; ſic modò, dum
C acerbis odiis iactari me videas, fac, vt me ab hoſtium conſiliis, atque calumniis præſtes incolumem.

61. Audiſti, Domine, quibus me inſectati fuerint maledictis, quæ contra me conſilia, quas cogitationes ſuſceperint.

62. Audiſti, & cognouiſti probè, quid hoſtes aduersùm me tota die meditentur, aut dicant.

63. Omnia ipſorum opera, atque ſtudia conſidera, & vide, quemadmodum in circulis, publiciſque conuentibus irridear:
D noménque meum tanquam odioſum, ac vile frequentibus laceretur opprobriis.

64. Fac ergo, Domine, vt talia in ſe ipſis experiantur, qualia in caput meum aut optant, aut parant infortunia.

65. Sicut tuam fidem, & benignitatem, ſcutum eſſe mihi voluiſti, ſic qui me perſequuntur, non aliud habebunt abs te ſui cordis ſcutum, quàm indignationem, laborem, infortunium.

66. Sic hoſtes meos infenſus, & acer inſectabere, vt nullum habeant ſub cælo locum, vbi ab angore, & metu ſecuri conſiſtant.

IN

IN CAPVT III. THRENORVM IEREMIÆ.

1. CAPVT hoc triplici conſtat Alphabeto, cùm reliqua ſimplici tantùm abſoluantur: terni quippe verſus ab eadem omnes litera ducuntur. Vnde nata diuerſitas, ego ſanè non laboro, quia puto apud Hebræos varias eſſe formas carminis pangēdi. Et quod ad literas attinet, quæ ſingulos incipiunt verſus, varietas mira; vt ſtatim in principio Threnorum diximus. Interdū ſingulis literis notantur verſus, vt in Threnis vides cap. 1. 2. & 4. & in multis Pſalmis; interdum binis, interdum octonis; nonnunquam verò in hemiſtichiis alphabetico ordine nouæ adhibentur literæ. Qua de re pluribus in principio, vbi egimus de artificio, quod in his Threnis obſeruare licuit. Sic ergo in hoc capite, dum terni verſus ab eodem ducuntur principio, nihil exiſtimo aliud voluiſſe Prophetam, quàm iuxta leges metricas Hebræis olim familiares, varium efficere poëma; ſicut etiam capite 5. eadem fortaſſe de cauſa Alphabeticum ordinem omiſit; in verſibus tamen numerum ſeruauit Alphabeti.

Alphabetū variè adhiberi ſolitum in poëmate.

2. Quò verò ſpectet, aut quid lamentetur hoc caput, diſputant Interpretes. Quidam ad Chriſtum pertinere cenſent: & in his Bonauentura, Paſchaſius, & Burgenſis, & Olympiodorus apud Agellium: ſed ſunt multa, vt ſuis obſeruabimus locis, quæ aptari nullo modo poſſunt in Chriſtum. Alij de populo Iudaico, aut extincto, aut in ſeruitutem dato, aut denique variis exhauſto laboribus accipiunt: & in hanc ſententiam Interpretum plerique conſpirant. Alij id eſſe cenſent propoſitum Prophetæ, vt priuata lugeret incommoda. In his ſunt Origenes, Euſebius, Vatablus, & Iſidorus, quibus ſubſcribit Caſtrus, & docent Hebræorum aliqui, vt docet Lyra.

3. Ego eò adducor, vt credam, neque de ſe ipſo, neque de populo ſolùm agere Prophetam, ſed de ſe, ac populo, à Chaldæis oppreſſo hiſtoricè, & interdum typicè ad Chriſtum exercitari; cuius typus videtur fuiſſe Ieremias, dum talia patitur, qualia de ſe ipſe commemorat. Quod videntur ſentire ſanctus Thomas, Bonauentura, Lyra, & ex recentioribus aliqui: quod conſtabit magis, cùm de ſingulis ſeorſum agetur.

4. Verſ. 1. *Ego vir videns paupertatem meam.*] Modus hic loquendi aliquid indicat non vulgare; quod aliquis nempe aut eximium fecit, aut præter communem modum tolerauit. Sic ex profanis Ouidius, cùm oſtendere vellet ſibi vni negatum, quod ſolatium quibuſdam aliquando fuit, nempe moriendo effugiſſe dolendi materiam, quæ longè erat morte grauior, dixit libro 1. de Ponto eleg. 2.

א Aleph.

Felicem Nioben, quamuis tot funera vidit,
Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta malis.
Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velauit populus ora nouo.
Ille ego ſum lignum qui non admittor in vllum:
Ille ego ſum, fruſtra qui lapis eſſe velim.

Sic ergo Propheta eò loquendi genere aliquid oſtendit ſibi ineſſe præcipuum, & ſingulare, quod cum Prophetis aliis non habet com-

A mune. Illud verò ſtatim indicat, cùm ait, vidiſſe ſe calamitatem, quam antea prædixerat, neque illius exiguam partem ad ſe pertinuiſſe. Prædixère quidem cum Iſaia complures alij Solymorum excidium; & ea, quæ nunc lugubri hoc carmine plangit Ieremias. At nemo aut præſens aſpexit, aut aliquam in ſe partem tantæ calamitatis expertus eſt. Prædixit Ezechiel, at minimam tantæ cladis partem aſpexit: abductus quippe fuit cum Iechonia Babylonem; cùm tamen interea, licèt res Iudaica foret attrita, nondùm tamen erat exciſa ciuitas, aut templum exuſtum; neque tam longa, ac dira fames extenuarat, confeceratque Iudæorum quamplurimos. B Ait igitur Ieremias, ſe vidiſſe, id eſt, expertum eſſe paupertatem, in qua omnia alia intelliguntur incommoda, quæ conſequi plerunque ſolent magnas rerum anguſtias, ſiue ſit, quod præcipuè ſonat rerum indigentia, ſiue abiecta, humiliſque fortuna, ſiue corporis afflicta valetudo. Sic Pſalmo 30. *Infirmata eſt in paupertate* (id eſt, morbo) *virtus mea.* & 2. Regum capite 22. *Populum pauperem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* id eſt, humilem, vt oſtendit antitheſis. Et Iſaias 48. *Elegi te in camino paupertatis.* vbi paupertas tribulatio eſt. Porro, *videre*, idem eſt, quod experiri, aut pati. Vnde videre corruptionem, videre famem, aut C bonum, idem eſt, quod ſuſtinere famem, aut bonis frui.

Paupertas, pro qualibet afflictione.

Pſal. 30. 2. Reg. 22. Iſai. 48.

In virga indignationis eius.] id eſt, cùm indignatus duro me ſupplicio mulctauit. Eſt autem virga duplex; altera prouidi, atque benigni paſtoris, qui molliter paſcit, & moderatur gregem; altera eius, qui ad lanienam, vel ad tonſionem pecus trahit; illam, baculum, Hiſpanè, *cayado*; hanc pedum, Hiſpanè, *gancho*, vocant. Has accepit Zacharias capite 11. cùm iuſſus eſt munus obire paſtorale; & alteram vocauit *decorem*, alteram *funiculum*. Hanc vocare poſſumus virgā indignationis, quia hæc non tam paſcit, & regit, quàm trahit, vt perimat macello deſtinatum pecus. D Hæc, credo, virga vocatur ferrea, quia ad ſummum præferrata eſt, ſeu hamata, vt vocem Græcam καλάβροψ, videtur apud Suidam interpretari Philoſtratus: dicit enim ea virga capi à pedibus pecus, ſicut piſces hamo. Ad hanc virgam, quæ iam prouerbialem habet vſum, multæ ſunt alluſiones in Scriptura. Vide plura in noſtris Commentariis in Zachariam capite 11. à numero 24. & proximè cap. 2. ad illud v. 8. *Tetendit funiculum ſuum.* 5.

Virga duplex.

Zachar. 11.

Illud, *eius*, non tam refert antecedens expreſſum, quàm id quod in animo tacitè voluebat E Ieremias; quod fieri aliquando ſolitum docuimus ad illud Canticorum 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* vbi illud, *ſui*, Sponſum refert, de quo tunc Sponſa cogitabat. Et Magdalena Ioannis capite 20. *Si tu ſuſtuliſti eum*; nempe, Chriſtum, in quo altè erat defixa cogitatio. Sic modò illud, *eius*, Deum ſpectat, de cuius furore Propheta ſecum meditabatur.

REGVLA. *Relatiuum, pro antecedenti.*

Ioan. 20.

Verſ. 2. *Me minauit, & adduxit in tenebras, & non* 6.

ℵ Aleph. *non in lucem.*] Perſequitur, credo, metaphoram virgæ indignationis, quam eſſe diximus paſtorale pedum, ſeu præferratum, ſiue hamatum baculum, quo ad macellum, ſiue ad pecuariam toſtrinam trahuntur pecudes. *Minare* quippe vox eſt paſtoritia. Exodi capite 3. de Moyſe: *Cùmque minaſſet gregem ad interiora deſerti.* Iſaias capite 11. *Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Porrò tenebras pro ærumnoſo vitæ ſtatu ſumi, ſatis eſt tritum ſermone, vt arbitror, prouerbiali. Quare tenebræ vocari poſſunt neruus, in quem compactus à Phaſſur, & puteus, in quem coniectus fuit ab aliis Ieremias; quæ fuerunt inſtar macelli, & lanienæ, ad quam hamato baculo, ſeu virga indignationis trahuntur pecudes. Si de populo ſermo ſit, in quo numeratur Propheta, quis non videt, in quas tenebras, ideſt, angores, & ærumnas inciderit? Adhibetur autem hæc affirmatio cum negatione contrarij, nempe, *in tenebras, & non in lucem*, quia hic loquendi modus epitaſin habet apud Hebræos.

Exod.3. Iſai.11.

7. ℵ Aleph. Verſ.3. *Tantùm in me vertit, & conuertit manum ſuam.*] Metaphora, credo, ducitur ab artifice, qui aliquod opus dolando, ſcalpendo, atque tundendo cudit, à quo ſi lucrum ſpectet, aut ſuo ſtudio velit ſatisfacere, neſcit tantiſper cohibere manum, quaſi id vnum haberet ſuæ arti, atque labori propoſitum: quare verſat ſæpe aut lignum, aut ſaxum, inculcat, retractat, & cùm diu, ac ſæpe reuerſauerit, ſemper habet aliquid, quod elimet, ac deterat; neque à ſe ipſo impetrare poteſt, vt à malleo, ac ſcalpro informatum opus liberet, & abſoluat. Sic Deus, cùm vaſtum illum populum, & rudem, nec tractari facilem, polire vellet, adhibet ſæpe manum armatam ferro, & plenam indignationis, & populum iterum, ac ſæpius tundit. Hæc de ſe dicere videtur Ieremias, ſicut antea dixerat capite 15. nullum ſibi tempus eſſe à labore vacuum: & re vera ſic vexatus fuit, vt malis mala continenter ſuccederent; ſed de populo etiam dici, cuius perſonam videtur ſuſtinere Propheta, non eſt improbabile. Quàm verò hæc ad Chriſtum accommodari poſſent, quis non videt?

8. ב Beth. *Senectutem adducit labor, & mœror.* Verſ.4. *Vetuſtam facit pellem meam, & carnem meam: contriuit omnia oſſa mea.*] Aſſiduus mœror, & vitæ curſus ſæpe ærumnoſus, & miſer, rugas inducit ſeniles pelli, & capiti canos immaturos; quod quotidiana docet experientia, neque ratio deeſt Phyſica. Id ſibi, aut populo diuturnis afflicto calamitatibus, eueniſſe cànit Ieremias. *Vetuſtam* ego rugoſam interpretor, & luridam pellem, qualem videmus in ſenili facie. Carnem vetuſtam exhauſtam eſſe puto, & ſenio, macieque confectam: & ne quid aut in naturali Prophetæ corpore, aut in myſtico populi totius eſſet non afflictum, quaſſatum, & debile, ipſa quoque oſſa confracta dicit à Deo, dum tota vertit die, atque conuertit vltricem manum. In hunc ego ſenſum accipio illud Pſalmi 118. verſu 38. *Defecerunt oculi mei in eloquium ſuum dicentes, Quando conſolabitur me? Quia factus ſum ſicut vter in pruina.* Pellem, arbitror, ſuam corrugatam dicit, dum in mœrore eſt; ſicut vter corrugari ſolet, atque obdurari expoſitus pruinæ. Porrò non ſolùm ſe deformem appellat, dum carnem, & pellem conſenuiſſe dicit, ſed etiam debilem, dum oſſa, in quibus robur continetur corporis, confracta vocat.

9. ב Beth. Verſ.5. *Ædificauit in gyro meo.*] Satis conſtat ex hiſtoria ſacra, ſiue hæc de Ieremia, ſiue de populo Solymitano capias, quemadmodum vtrunque ſic obuallauerit hoſtilis furor, vt nullam in partem pateret effugium. De obſeſſis ciuibus à Chaldæorum exercitu habes libro 4. Regum capite 25. De concluſo Ieremia in lacu, & deinde aſſeruato in cuſtodia, ne foras erumperet, iam ſæpe vidimus capite 32. & capite 33.37.& 38. Si hæc metaphorice capias, quod mihi verius eſt, ſicut quæ proximè ſuccedunt, ſenſus eſt ſatis expeditus, & verus: nihil videlicet vndecunque vacare à metu, vel periculo, quia quamcunque ſe in partem, ac cogitationem daret miſer ille populus, multiplex ſeſe offerebat dolendi, ac metuendi cauſa. 4.Reg.25.

10. *Et circundedit me felle, & labore.*] Explicat, opinor, quæ ſit illa obuallatio in gyro, metaphorica nempe: quia vndecunque dolor occurſabat, ac metus. Hæc verò, quæ animum affligunt, & corpus extenuant, & torquent, optimè fellis, atque laboris nomine declarantur. Neque enim eſt aliud, quàm quod capite 9. ſuprà dictum eſt: *Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* quæ forma verborum frequens eſt, & prouerbium olet.

11. ב Beth. *Miſeri mortuis ſimiles.* Verſ.6. *In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.*] Duo hic habes, quæ mirè indicant vitam, quæ malis circunfluit, & in illis conſeneſcit. Alterum eſt, in tenebroſis eſſe; qui dicendi modus omnem deſignat calamitatem, atque etiam interdum ſepulturam: & id hoc loco potius reor, vt explicat quod ſtatim de mortuis ſempiternis ſubiicitur. Subauditur autem hic ſimilitudinis nota, in hanc ſententiam: Poſuit me in lacu, ſeu carcere, quaſi in ſepulcro iacere ſolent mortui ſempiterni. Quòd verò, qui vitam agunt anguſtam, & triſtem, in ſepulcro iacere dicantur, tanquam mortui, in hoc ipſo Iudæorum ſtatu deſcribendo, alij docent Prophetæ. Iſaias capite 32. vbi ſic de captiuis apud Babylonios: *Donec effundetur ſuper nos ſpiritus de excelſo.* quæ deſcriptio eſt eius, qui excitatur à mortuis. & Ezechiel capite 37. exules vocat mortuos, & exilij locum appellat ſepulcrum. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſraël.* Quare quæ dicuntur hic, tam Ieremiæ in lacu, quam Iudæis in exilio conueniunt. Iſai.32. Ezech.37.

12. Mortui autem ſempiterni dicuntur, etiam ſi aliquando reuocandi ſint ad vitam, vel quia quod diuturnum eſt, ſempiternum in Scriptura vocetur, vt multis docuimus ſuprà capite 30. & in noſtris in Iſaiam Commentariis capite 23. numero 19. aut certè quia, quod ſæpe dolet, aut queritur Propheta, non aliter videtur Deus captiuorum abieciſſe memoriam, quàm illorum communiter obliuiſcimur, qui iampridem ex viuis exceſſerunt. Quare non malè quidam ſempiternos mortuos illos eſſe putant, qui primis ſæculorum temporibus obierunt; quos Dauid Pſalmo 142. mortuos appellat ſæculi, vbi in Hebraico textu eadem omnino verba ſunt: *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi.* Porrò tam mortuis, quàm eorum ſepulcris nomen æternitatis datum eſt. Pſalmo 48. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* & Eccleſiaſtici 12. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.*

Sempiterni, iidem quis antiqui. Pſal.142. Pſal.48. Eccli.12.

13. Verſ. 7. *Circunædificauit aduerſum me, & non egre*

egrediar.] Explicat, vt arbitror, Propheta, cur aut ipſe, aut populus concluſus videatur, tanquam in ſuo ſepulcro mortui ſempiterni. Nam quemadmodum hi non egrediuntur è tumulo, quia concluſi ſunt, neque facultatem vllam habent, qua ex illo tenebroſo domicilio prodeant; ſic Ieremias in lacum demiſſus, aut populus in exilium, & ſeruitutem tanquam in ſepulcrum coniecti, tenebantur concluſi à maiori potentia, neque facultatem vllam habebant emergendi: ideo vallum eſſe dicit, aut aggerem ab omni latere oppoſitum, ideſt, clauſos eſſe vndique ad libertatem aditus, ne quà poſſit lucem libertatis aſpicere.

14. *Aggrauauit compedem meum.*] Metaphorica locutio, ſumpta ex his, qui aut propter delicta continentur in vinculis, aut qui in ergaſtulis, vbi dominorum vſibus ſeruilem nauant operam, alligantur compedibus. Compedes hîc vocari exiſtimo impedimenta omnia obtinendæ libertatis: nam ſicut pedum vincula conſtringunt, morantúrque greſſus, ne ſe ex aliqua regione commoueant; ſic obiecta ab hoſtibus tanquam clauſtra, ne gradus ad libertatem, ſeu moralem vitam fiat, impedimento ſunt.

15. ג Guimel. Verſ. 8. *Sed & cùm clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.*] Hic mihi locus perſuadet, ita de ſe loqui Ieremiam, vt etiam calamitatem populi deploret. Neque enim prohibitus eſt Propheta orare pro ſe, immo habuit ad preces ſuas facilem Deum, à quo ſæpius audiuit, ne timeret, ſed ſperaret, ſibi in omni aduerſariorum conflictu fore propitium. At orare pro populo prohibitus eſt capite 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Idem repetit capite 11. verſu 14. & capite 14. verſu 11. Qui ſanè ſtatus miſerrimus eſt, & qui extremus videri poteſt, in peccatore, cùm & ipſe ab hoſte oppugnatur acerrimè; & cùm Diuinam imploret opem, ſupplex à Deî benignitate repellitur.

Extrema miſeria, ſi quis orare non permittitur.

16. ג Guimel. Verſ. 9. *Concluſit vias meas lapidibus quadris.*] Mirus eſt Propheta in amplificandis impedimentis, quæ omnia obſtruunt ſeruitutis effugia. Obuallatum ſe dicit Propheta, obiectis vndecunque clauſtris; ſed quia de illorum firmitate nihil dixerat, nunc addit, quod in ergaſtulis, ſeu carceribus maximè curant cuſtodiæ publicæ præfecti, nempe, vt ita ſint ex firma, ac bene compacta materia conſtructa, vt perrumpi, aut diſturbari non poſſint. Ideo concluſas dicit eſſe vias, ideſt, obſtructos aditus, qui videri poterant opportuni, ſectis, quadratiſque lapidibus, quibus propter facilem, aptámque omni ex parte coagmentationem maxima ineſſe putatur firmitudo, ita vt prouerbiali forma, quod externæ violentiæ reſiſtet, conſtructum eſſe dicitur è quadrato lapide. Sic Iſaias capite 9. loquentes inducit homines, qui contra vim omnem ſeſe communiunt: *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus.*

17. *Semitas meas ſubuertit.*] Eadem ſententia aliter expreſſa: nihil enim videtur aliud ſubuerſas eſſe ſemitas, quàm occluſas eſſe, ſeu ſublatam omnem libertatis ſpem. In ſemitis conſilia intelligo, & rationes omnes, quæ aditum aperiunt ad ſalutem. Hoc idem ſenſiſſe videtur Iob, cùm de ſe ipſo dixit capite 13. *Poſuiſti in neruo pedem meum: obſeruaſti omnes ſemitas meas.* & c. 19.

Iob. 13. Iob. 19.

A *Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum.*

Verſ. 10. *Vrſus inſidians factus eſt mihi, leo in abſconditis.*] Hæc abſque dubio Deo tribuuntur, qui per Chaldæos in Iudæorum gentem, quaſi vrſus inſidiator irrugiit; & quaſi leo ex inſidiis ad lacerandum inſilit. Hæc ſibi nomina, & quaſi furorem ferinum in modum inflammatum ſibi ipſi aſſumit Deus, Oſeæ capite 13. *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & conſumam eos ibi quaſi leo.* Exiſtimo prouerbiali ſpecie leonem, & vrſum adhiberi, ad ſignificandam crudelem potentiam, & ſpiritum ad lacerandum intentum: quia hæc duo in hunc vſum frequen- 18. ד Daleth.

Deus in peccatorem quaſi vrſus, & leo. Oſeæ 13.

B ter in Scriptura ſacra coniunguntur. Prouerbiorum 28. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.* Amos capite 5. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat illi vrſus.* Illud præterea obſeruandum, figura etiam, vt reor, prouerbiali, leonem ſæpe in Scriptura ſacra in tenebris, atque inſidiis locari, vt oſtendatur repentina cædes, & inopinata calamitas, quæ ideo grauior, quia ab hoſte potente, & quia non expectata magis acerba. Pſalmo 9. *Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.* & Pſalmo 16. *Quaſi catulus leonis habitans in abditis.* Hic locus pro re morali grauis eſt, quíque

Prouer. 28. Amos 5. *Leo in abſcondito.* Pſal. 9. Pſal. 16.

C valde peccatorem hominem concutere poſſit, cùm fortem habet aduerſarium Deum, quem offendit, & qui graues habeat & inopinatos aſſultus, quaſi leo, qui in ſpelunca latet, & improuiſus aggreditur.

Verſ. 11. *Semitas meas ſubuertit.*] Iterat, quod antea dixerat, quaſi in eo maximam ſpectet dolendi cauſam. Chaldæus hic legit: *Vias meas ſpinis obduxit.* Quod ſi ita eſt, videtur ſpectaſſe Propheta illud Oſeæ capite 2. *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria: & ſemitas ſuas non inueniet.* Quaſi dicat, nunc apparuiſſe minas iam olim in populum ſceleratum intentas. 19. Prov. ד Daleth. Oſeæ 2.

Confregit me.] Magna vis eſt in verbo, *confringo*, quod indicat, in toto corpore ſiue natu- 20.

D rali, ſiue myſtico, nihil eſſe non quaſſatum; continétque, vt puto, quidquid ſuprà verſu 4. diximus, vbi pellem diximus rugatam, extenuatam carnem, & oſſa contrita.

Verſ. 12. *Tetendit arcum ſuum: & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.*] Prouerbialis eſt hic dicendi modus, qui ſignificat, aliquem expoſitum eſſe omnium telis, atque iniuriis. Quod alio modo Zacharias explicuit de Ieruſalem, dum illam *lapidem oneris* appellat. in qua nempe quilibet, quantum viribus, aut arte poſſit, experitur: vt enim in ſignum, ideſt, in ſcopum, telum intendunt ſagittarij, certántque propoſito pignore deſtinatò configere: ſic 21. ד Daleth.

E omnium tela in Hieroſolymæ perniciem intenta videbantur. Ad hunc loquendi modum, vt dixi, prouerbialem multæ ſunt alluſiones. Iob. capite 16. *Poſuit me ſibi quaſi ſignum, circundedit me lanceis ſuis.* & Lucæ capite 2. de Chriſto: *Poſitus eſt in ſignum, cui contradicitur.*

Verſ. 13. *Miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.*] Renes ex vſu Scripturæ pro viſceribus vſurpantur, & pro his, quæ maximè latent, & in quibus maior doloris ſenſus. Vnde in Scriptura ſæpe per renes cor ſignificatur. Ieremias 22. ה He.

Renes, i. viſcera.

remias capite 12. verſu 2. *Prope es tu ori eorum,*
& longè à renibus eorum. & capite 17. verſu 10.
Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. idem
pene Sapientiæ 1. verſu 6. Quare renes idem
valent, quod viſcera, ſeu præcordia: in illis
autem, ſi quando vulnerari contingat, aut du-
riùs affici, grauem eſſe dolorem Scripturæ fre-
quens vſus oſtendit: 1. Machabæorum 2. verſu
24. *Vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt*
renes eius. Quare hîc Propheta conſauciata dicit
eſſe viſcera ſua, & dolorem ſe hauſiſſe vehe-
mentem. Dixit, credo, idem, quod Iob capi-
te 16. de quo nuper; qui cùm dixiſſet: *Poſuit*
me ſibi quaſi in ſignum, &c. adiecit: *Conuulnerauit*
lumbos meos, & effudit in terram viſcera mea. Por-
Filiæ varia ro apud Hebræos filiæ dicuntur, quæ in aliquo
ſignificatio. loco continentur, vt inſulæ filiæ maris, meſſes
filiæ areæ, & ſagittæ filiæ pharetræ, quia non
aliter ibi conditæ ſunt, quàm in materno vte-
ro, ac ſinu conduntur, aut fouentur liberi.
Item, quæ ab aliquo exeunt, aut emittun-
tur, quia ſimilia ſunt fœtui, quem mater
enititur: quomodo ſagittæ dicuntur filiæ arcus.
23. Verſ. 14. *Factus ſum in deriſum omni populo*
ה He. *meo.*] Quid ſit, aliquem aliis eſſe in fabulam,
in canticum, & opprobrium, ſæpius à nobis
dictum eſt: neque hîc eſt aliquid, quod addi
præterea poſſit. Illud hîc optimè obſeruant
Interpretes, hæc in populum Solymitanum
conuenire non poſſe, quomodo neque populus
ſibi ipſi poſſet in canticum, atque in oppro-
brium verti? aut quomodo aptè populus ipſe
diceret, *Factus ſum in deriſum omni populo meo?*
Diceret autem hoc aptè, & verè Propheta, quia
à Solymitano populo habitus eſt illuſor, &
Propheta mendax, & à populo propriè ſuo,
ideſt, à contribulibus ſuis, Anathotitis, variè exa-
gitatus eſt, vt habes ſupra capite 11. & capi-
te 20.
24. Hæc ego magis probo; ſed fortaſſe illud
REGVLA. iod, quod affigitur עַמִּי *ami*, non eſt prono-
Iod ſæpe in men, ita vt exponi debeat *populo meo*; ſed par-
fine redun- ticula paragogica, quæ nihil addit ad ſignifica-
dat. tionem; ſed tantùm implet, & ornat vocem;
& ſimpliciter ſonat *populum*, non *populum meum:*
ſatis enim notum eſt his, qui mediocriter no-
runt Hebraicè, iod in fine dictionis eſſe inter-
dum, ídque non infrequenter, paragogicum.
Quod docet, multíſque confirmat exemplis
Pagninus libro 2. Inſtitutionum capite 5. & in
regulis ad ſacras literas, regula 22. Sed in vo-
ce עַמִּי *ami*, pro qua Vulgatus reddidit, *populo*
meo, ſpecialis eſt ratio. Vt enim docet Rabbi
Dauid in Miclal, in voce פועלים *poalim*, ali-
quando עַמִּי *ami* ponitur pro עמים *amim* in nu-
mero plurali. Neque deſunt exempla, quæ tu
vide apud Pagninum in radice עמם *amam.* Iux-
ta hæc, ſenſus eſſe poſſet accommodatus tam
Ieremiæ, quàm toti Iudæorum genti: *Factus*
ſum in deriſum omnibus populis; quæ ſententia tam
in Threnis, quàm in tota prophetia Ieremiæ ſæ-
pius auditur.
25. Verſ. 15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit*
ה He. *me abſynthio.*] Hic locus iam à nobis explicatus
eſt capite 8. numero 26. in quo diximus ſpeciem
apparere prouerbialem.
26. Verſ. 16. *Et fregit ad numerum dentes meos.*]
ו Vau. Septuaginta, *eiecit calculo dentes meos*, quemad-
modum alij etiam conuerterunt. Qua in re mi-
ra dicunt tum Hebræorum magiſtri, tum è

A recentioribus aliqui, quæ ego nunc libens
omitto, quia in re graui ludere operam non eſt
animus. Ego iuxta lectionem Septuaginta ni-
hil hîc puto ſignificari aliud eleganti, ac ma-
iorem in modum ſignificante metaphora, quàm
vitam egiſſe Ieremiam, & populum, cuius ipſe
cauſam, & perſonam ſuſtinet, duram, & om-
nino non vitalem. Id autem ſatis expreſſit pro-
ximè ſignificanter in potu, qui expreſſus fuit
ex abſynthio, herbíſque aliis fatuis, & amaris;
& nunc in cibo, qui non tam eſt ad volupta-
tem, quàm ad dolorem: non tam fouet, ſer-
uátque naturam, quàm diſſoluit, & perdit.
Cibus autem & palato grauis, & naturæ inimi-
cus, optimè ſignificatur in lapidoſo pane,
B qui id eſurienti præſtat, vt dentes concutiat, PROV.
atque commoueat. Quod credo tam apud La- *Panis lapi-*
tinos, quàm apud Hebræos ſpeciem habuiſſe *doſus.*
parœmiæ. Seneca libro 1. de beneficiis capite
7. beneficium, quod alteri dolori, atque mo-
leſtiæ eſt, panem appellat lapidoſum. Prouer- Prou. 20.
biorum 20. de pane lapidoſo: *Suauis eſt homini*
panis mendacij, poſtea implebitur os eius calculo.
Quod etiam indicat Dauid Pſalmo 101. de quo
ſtatim. Ad hoc prouerbium alluſiſſe videtur
Dauid Pſalmo 3. *Dentes peccatorum contriuiſti.* &
Pſalmo 57. *Deus conteret dentes eorum in ore*
ipſorum.
C Iuxta lectionem Vulgati aliquid eſt in ver- 27.
borum figura diſſimile, ſed eſt ſenſus aut idem,
aut non admodum diuerſus: nam ſi lapidoſus
erat panis, quod explicat ſequens hemiſti-
chium, conſequens erat, vt dentes elideret,
& frangeret. Ad numerum autem elidere, ni-
hil reor eſſe aliud, quàm ad vnum omnes excuſ-
ſos eſſe dentes. Quaſi dicas: Si viginti fue-
runt dentes in ore, viginti ex ore dentes eli-
ſi ſunt, ita vt ne vnus quidem eſſet reli-
quus.
Cibauit me cinere.] Si lectionem ſequare Se- 28.
ptuaginta, hoc hemiſtichium ſuperioris expli- Prouerbium.
catio eſt: panis enim ex lapide, aut ex arena
ſubactus non longè differt ab eo, qui è cine-
D ribus fit. Hanc, credo, ſententiam expreſſit
Dauid Pſalmo 101. cùm dixit: *Quia cinerem* Pſal. 101.
tanquam panem manducabam: & potum meum cum
fletu miſcebam. Qua dicendi figura vitam ſibi æ-
rumnoſam fatebatur.
Verſ. 17. *Et repulſa eſt à pace anima mea.*] No- 29.
tum eſt, in pace quidquid opportunum eſt, & ו Vau.
optabile ſignificari; ſiue id ad tranquillitatem,
& otium, ſiue ad vſus humanæ vitæ neceſſa-
rios pertineat. His omnibus caruiſſe ſe dicit
Propheta, & populum, ex quo Chaldæo-
rum exercitus appulit ad Iudæorum fines: nam
quod ad tranquillitatem ſpectat, quódque pro-
priè pacis ſignificatur nomine, vrgente vnde-
cunque hoſte potentiſſimo, non potuit inter-
E ea aliquid eſſe pacatum: neque præterea
quidquam fuit, quod toto illo obſidionis tem-
pore videretur eſſe ex Iudæorum votis: neque
enim fuit famis ſubſidium aliquod, non ami-
corum fauor, non denique aliquid eorum,
quæ numerantur in bonis. Porro, vt alibi à
nobis ſæpe dictum eſt, anima mea, idem eſt
quod ego.
Oblitus ſum bonorum.] Naturâ comparatum 30.
eſt, vt quæcunque mutatio grauis in vtram- *Obliuiſcor,*
que partem obliuionem inducat ſtatus prio- *magnam rerum con-*
ris. De mutatione ad ſtatum infelicem, eſt illud *uerſionem*
Eccle *indicat.*

Eccleſiaſtici capite 11. verſu 29. *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Geneſis 41. cùm præceſſiſſet ſeptem annorum abundantia; deinde ea dicitur ſterilitas frumenti, *vt obliuioni tradetetur omnis retrò abundantia.* Vide hac de re plura in noſtris Commentariis ad illud Iſaiæ 65. *Quia obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores.* Dum ergo Propheta dicit, oblitum ſe eſſe bonorum, oſtendit, grauiſſima eſſe, quæ ſucceſſerunt infortunia. Aut certè tantum interceſſiſſe ſpatij, ex quo felix eſſe deſiit, vt in obliuionem omnino venerit antiqua proſperitas.

31. ו Vau. Verſ. 18. *Et dixi, Periit finis meus: & ſpes mea à Domino.*] Septuaginta: *Periit victoria mea.* Alij: *Periit ſpes.* Ad omnia patet vox Hebræa נצחי *niſchi.* Significat hîc Propheta nullum fore modum, ſeu finem doloris, aut miſeriæ. Eſt autem vſitatum in Scriptura, vt id dicatur perire, quod nunquam erit. Quomodo dicitur, *Periit fuga à me,* ideſt, nullum erit malorum effugium. Periit ſpes, periit ſacrificium, periit ſapiẽtia; ideſt, neutrum horum erit. Sic igitur, *Periit finis*, nihil eſt aliud, quàm nullus erit finis: & idem valet, *& ſpes mea à Domino*, ideſt, à Domino nihil iam ſperò; quia videlicet ſtatutum habet, peccata populi punire: & orationem, quæ offenſum animum ad miſericordiam inflectit, iam prorſus excluſit, cùm orare me vetuit pro populo iam cædi, captiuitatiſque deuoto.

32. ז Zain. Verſ. 19. *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis.*] Deſperaſſe ſe dicebat à Domino in vitæ ſuæ, aut populi meritum intentus, aut quia humano loquitur ſenſu: qui vbi ad ſuperanda quæ occurrunt incommoda, imparatum ſe videt, neque ſibi ſatis eſſe virium, ad declinandum malum, ſpem abiicit, & animum deſpondet. Nihilominus Diuini ingenij gnarus Propheta clamat, ſperans ab illo impetrari poſſe libertatem, & inſtaurari collapſa. Ideo dicit, *Recordare, Domine, paupertatis.* Quod item fecit capite 5. vbi Dominum excitat ad memoriam malorum, quibus tam ipſe, quàm populus atteritur. Paupertas quid ſit, diximus ſuprà verſu 1. Tranſgreſſio, aut ſupplicium eſt propter tranſgreſſionem impoſitum: quo modo *peccatum, iniquitas, impietas*, pœnam ſonant, quæ peccatum, & iniquitatem punit, aut certè tranſgreſſio tranſmigrationem, & exilium ſignificat, quod Domino proponit Ieremias, vt illum ad commiſerationem inflectat. Et hoc mihi probatur valde: quia hîc illorum tantùm mentio fit, quæ in miſeriis, atque infortuniis numerantur, qualia ſunt paupertas, abſynthium, & fel: neque aptè cum his numerari poſſet tranſgreſſio, quatenus peccatum eſt. Acueret quippe magis furorem, quàm animum ad miſerendum induceret, quod ſtudio videtur fuiſſe Prophetæ. Sanè dum orant Sancti, Deum ad miſericordiam commouere ſtudent, orant potiùs, vt peccatorum obliuiſcatur. Tobiæ capite 3. *Ne vindictam ſumas de peccatis meis: neque reminiſcaris delicta mea.* Et Pſalmo 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Scio eſſe aliquos, qui in tranſgreſſione peccatum intelligunt: ſed ſanè magis eſt ad filum orationis, ſi pro peccati pœna, ſeu, quod idem eſt, pro exilio, reliquiſque exilij incommodis ſumatur. Quod ſanè voluerunt Septuaginta, qui vbi noſter hîc *tranſgreſſionis*, & capite 1. verſu 7. *præuaricationis, expulſionem*, & *perſecutionem* tranſtulerunt.

Tranſgreſſio, pro ſupplicio.

Gaſp. Sanctij Com. in Ierem.

A Vide quæ capite 1. diximus.

33. ז Zain. Verſ. 20. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*] Si in tranſgreſſione peccatum intelligas, ſenſus difficilis non eſſet: ſignificaret etenim Propheta, dolore ſe confici, atque tabeſcere, dum tranſgreſſionis, & peccati memoria ſubit. Sed quia in tranſgreſſione tranſgreſſionis ſupplicium intelligimus, aliter neceſſe eſt expoſitionem inſtituamus. Hebraicè eſt זכור תזכור *zacor thizcor*; illud verò תזכור ſecundæ perſonæ eſſe poterit generis maſculini, & tertiæ fœminei. Quare conuenire poterit cum Deo in hunc ſenſum: Recordaberis paupertatis meæ, & abſynthij, &c. B non vt leues, aut tollas amaritiem, ſed vt aggraues, & nos in malis ſinas conſeneſcere; & ideo additur, *Et tabeſcet anima mea.*

34. Si generis ſit fœminei, & tertiæ perſonæ, ſenſus eſt: Recordabitur anima mea recordando, ideſt, aſſiduè, ac viuidè, & in ea meditatione tabeſcet. Noſter autem Interpres optimè reddidit, *recordabor*, quia, vt ſæpe diximus, *anima alicuius*, Hebraico idiomate, idem eſt cum eo, cuius eſt anima; atque ideo *anima mea*, idem eſt, quod *ego.* quare hæc eſt propria, & facilis huius loci ſententia, *recordabor*, & *tabeſcam.*

35. C Loquitur autem Propheta, vt ſæpe obſeruauimus, non de ſe ſolùm, ſed de populo, cuius perſonam ſuſtinet: de cuius ſtatu, quem futurum eſſe norat ærumnoſum, aſſiduè cogitabat, neque tam priuatam, & propriam, quàm communem, & publicam fortunam deplorabat. Cur enim diceret recordari ſe, aut in memoria aſſiduè verſare, quod ipſe pateretur? an obliuiſci poſſet malorum, quæ nunquàm non ob oculos haberet? Ait ergo, nunquam ſe cogitationem abducere ab his incommodis, quæ populum exulem, & captum exercebant: & quia ipſe graui tabeſcebat dolore, ſperabat fore, vt Diuinus animus, qui non eſt minùs ad miſerendum pronus, leniretur, & cum hac D explicatione bene ſe conciliant quæ ſequuntur:

36. ז Zain. Verſ. 21. *Hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo.*] Obſcurum eſt, an hæc ad ea, quæ præceſſère, aut ad illa, quæ proximè ſequuntur, referri debeant. Si ad ſuperiora reuoces, ſententia eſt ſatis cum Diuino ingenio, & benignitate conſentiens. Neque enim patitur natura illa clementiſſima, quemquam ſine fine cruciari, modò facti pœniteat, cùm ſupplicium à Deo hominibus impoſitum cum iudicio ſit, ideſt, eo inflictum animo, quo medicus vrit, aut ſecat affectum corpus, cuius non tam dolorem ſpectat, quàm ſtudet ſanitati. Quare, quia recolit Propheta, dura pati E populum, inde ſe ad bene ſperandum excitat; quia ſupplicium tantùm à Dei miſericordia profectum agnoſcit, quem ſanare percutiendo contendit, non diſperdere.

Sin ad ſequentia referas, ſententia ſatis expedita, & prudenti cogitationi accommodata: quæ ex beneficiis plurimis, quæ in afflicta, iactatáque fortuna conſiderat Propheta, aliquod etiam in poſterum beneficium expectat. Eſt autem beneficium magnum, cùm tot peccatis populus ille ſit contaminatus, non tamen fuiſſe funditus extinctum, & quotidie apparere in ipſum populum, dum adhuc in exilio moratur, clemen-

BBb tis,

tis,ac beneuolentis animi documenta noua. A

37. Prior explicatio mihi probatur valde, quia mitè explicat Diuinæ naturæ benignitatem, quæ oratione non diſſimili millies in Scriptura ſacra declaratur: in qua ſæpe audis, lacrymas, & gemitus propè vim afferre Diuino pectori. Sed illud huc facit maximè Pſalmi 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus.* Sed ab hac explicatione, licèt inuitus, recedo,& eò magis inclino,vt exiſtimem,excitari Prophetam ad meliùs ſperandum ex conſideratione beneficiorum, quæ Deus etiam,dum inſenſus videtur, quotidie largitur: & ideo perquàm aptè ſubiicitur,

38. ח Cheth. Verſ.22. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.*] Hinc ſpes excitatur, & fouetur Prophetæ, quia Dominus etiam dum punit,clementem ſe, & miſericordem oſtendit. Et, vt cecinit Habacuch eodem, quo Ieremias, Spiritu, capite 3. *Cùm iratus fuerit, miſericordiæ recordatur.* Qua de re præclarè Dauid Pſalmo 76. *Obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Miſericordiæ Diuinæ aſcribit Propheta, quòd cùm tot fuerint in populo peccata, non tamen deletum omnino fuerit Iudæorum genus.

39. *Inexhauſta Dei miſericordia.* *Quia non defecerunt miſerationes eius.*] Neque adhuc exhauſtus eſt miſerationis Diuinæ affluentiſſimus fons, quia etiam captiuorum commoditati prouidet, vt vidimus ſuprà capite 29. vbi monet exules, vt hortos plantent,ædificent domos, & vxores ducant; quia longa futura eſt apud Babylonios commoratio: & ſine hoc vitæ ſubſidio non videbatur fore vita vitalis. Atque *In tribulatione quid cogitãdum?* ideo ſubdit: *Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus: cogitationes pacis, & non afflictionis.* Ex hac Dei familiari conſuetudine hanc regulam tradit Hieronymus in Oſeæ caput 5. & 6. morem eſſe Scripturæ ſacræ, ideſt,Dei, à quo illa inſpirata fuit, ſemper aduerſis læta ſubiungere,& poſtquam triſtes præceſsêre minæ,ad pœnitentiam eos,quos terruit, prouocare. Vide ſuprà capite 16. numero 17.

40. ח Cheth. Verſ. 23. *Noui diluculo: multa eſt fides tua.*] Sunt, qui illud, *noui*, verbum eſſe putant, neque ij pauci ſunt: ſed hi errant Hebraici prorſus ſermonis ignari, qui de vocis ſignificatione dubitari non ſinit: eſt enim חדשים *chadaſim*, quod nomen eſt, & aliquid ſignificat recens, & nouum,quomodo Septuaginta tranſtulêre. τὰ ἐ-νὶν νεαρά. *Noui* autem cùm *miſerationes* conuenit, quæ ſuperiori verſu anteceſsêre, quaſi quotidie appareant nouæ Dei miſerationes. At dices, *noua* dicendum fuiſſe potiùs,quàm *noui*, cùm miſerationes generis ſint fœminei? Reſpondeo, id noſtro Interpreti inſolens non eſſe, qui in vertendo ſæpe nō tam genus ſeruat Latinum,quàm illius linguæ, vnde in aliud idioma ſermonem expreſſit; vt multis oſtendimus in noſtris Commentariis in Iſaiam capite 7. numero 46. Hebraicè autem tam miſericordiæ,quàm miſerationes generis ſunt maſculini; atque ideo adiectiuum, *noui*, eiuſdem generis additum eſt. Ait E itaque Propheta, cum Sole, immo ante Solem in ipſo diluculo oriri quotidie noua beneficia. Eſt autem in Scriptura vſitatus, & prouerbialis dicendi modus, vt quæ magno ſtudio fieri ſignificantur, illa *manè*, *in matutino*, aut *diluculo* fieri dicantur. Quomodo apud hunc Prophetam frequenter audis, *manè conſurgens*, & ſimilia. De diluculo exempla ſunt plurima.

Multa eſt fides tua.] Fides hîc actiuè accipi poteſt, & paſſiuè: actiuè, ita vt ſignificet Dei in præſtando promiſſo fidelitatem, quam hoc loco commendat Propheta; quia, quod pollicitus eſt olim genti ſibi in populum electæ, cumulatè compleuit. Promiſerat iam antè parentibus Iſraëliticæ gentis Deus bona plurima, & talem curam, qualem de filiis ſuſcipit prouidus, & indulgens pater. Quòd ſi peccaret, eſſe quidem plectendum, non ita tamen, vt ſuam ab illo miſericordiam auferret. Pſalmo 88. ſic Dominus ad Dauid: *In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Si autem dereliquerint filij eius legem meam*, &c. *viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non B diſpergam ab eo.* Hanc fidem, ideſt, fidelitatem prædicat Propheta; quia cùm tot eſſent populi peccata, vt exhaurire poſſe viderentur Domini miſericordiam, illius tamen miſericordia, & fides longè maior fuit. Et tunc eluxit magis, quando magis inflammare poterat in Diuino pectore furorem ſcelerum multitudo, quàm religio, ac pietas miſericordiam inflectere. Id quod ad Romanos 3. indicauit Apoſtolus: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit: eſt autem Deus verax.* 41. *Dei fidelitas.* Pſal. 88.

Sumitur etiam fides Dei paſſiuè, pro fiducia nempe, quam habet homo in Deo fideli, atque veraci. Ita vt ſenſus ſit: Multa eſt, aut eſſe debet hominibus fiducia de te, aut in te, qui tam C es in largiendo munificus, tam in promiſſo præſtando fidelis, & verax; ita vt fides potiùs ſit hominis. Et ſunt nonnulli, qui ita ſentiant, licèt explicationem aliò detorqueant: in quibus eſt Theodoretus, &, vt Vatablus tradit, Hebræorum magiſtri: & indicat Pagnini tranſlatio,quæ ſic habet: *Magna eſt fides, quæ eſt de te.* Quæ quidem ſententia vim affert nullam Hebraico textui, & bellè cum prioribus componitur; quæ Dei miſericordiam amplificant, quam tot hominum peccata non exhauriunt. Vnde optimè Ieremias infert, à Deo ſperari poſſe omnia, cuius quotidie beneficia orientem Solem anteuertunt. Sed communis Interpretum conſenſio facit, vt in aliam ſententiam potiùs inclinem. 42. *In Deo fidendum.*

D Verſ.24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum.*] Ex hoc Dei tam fideli, ac liberali ingenio ſapienter colligit Propheta, illi vni ſeruiendum, illi prorſus adhærendum eſſe. Ac ſi dicat: Sectentur alij fallaces opes, incertas diuitias, ſpémque ſuam locent in his,quæ vulgares ſpiritus magna putant eſſe vitæ ſubſidia: at mihi Deus certa erit poſſeſſio,ipſo etiam vitæ diſpendio comparanda. Porro *pars* ſæpe in Scriptura pro ſorte, atque hæreditate ponitur. Pſalmo 72. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* & Pſalmo 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* & populus ipſe poſſeſſio, & pars dicitur eſſe Dei. Deuteron. 32. *Pars autem Domini populus eius.* Cùm ergo iam apud animum ſuum Propheta ſtatuiſſet, vnum ſibi Deum eſſe colendum, & præ illo eſſe contemnenda omnia, ait, ab eo ſibi omnia eſſe ſperanda, cùm dij alij, aut etiam alia omnia facilè humanam ſpem decipiant, & eludant. 43. ח Cheth.

Verſ.25. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum: anima quærenti illum.*] Cur Deum ſuam ſibi partem,& poſſeſſionem eſſe voluerit, rationem reddit; quia bonus, ideſt, benignus, & liberalis eſt eis, qui ſe illi crediderunt,& ab eo bona ſperant omnia. 44. ט Theth.

Bonus, pro benigno, & grato.

omnia. Quòd verò bonus benignum, gratum, & placidum ſignificet, frequens Scripturæ ſacræ vſus oſtendit. Pſalmo 72. *Quàm bonus Deus Iſraël iis, qui recto ſunt corde!* Hinc illud tritum; *Si tibi bonum videtur*, ideſt, gratum eſt tibi. &; *Quod bonum fuerit in oculis tuis*, &c. Quod etiam apud profanos vſitatum. Virgilius Ecloga 5.

Sis bonus ô felixque tuis.

ideſt, benignus. Æneid. 12.

Vos mihi manes-Eſte boni.

Porro idem, quod nunc Ieremias, dixerat antè Dauid Pſalmo 85. *Quoniam tu, Domine, ſuauis, ac mitis es, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.*

45. ט Teth. Verſ. 26. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.*] Iam bonum in alia ſumitur ſignificatione: cùm enim triplex ſit bonum, vtile, honeſtum, & delectabile, nunc bonum, quod priùs aliquid benignum, & delectabile ſignificabat, vtile valet, & honeſtum. Docet ergo Propheta, maximè hominibus ex vſu fore, etiam ſi duram experiantur Domini manum, ſperare tamen ab illo ſalutem, quia benignus eſt, & fidei ſuæ, atque promiſſi memor: id verò fieri cum ſilentio debet, ideſt, ſine murmure, tranquillo animo, atque ſpei pleno.

46. ט Teth. Verſ. 27. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.*] Iugum pro lege, aut impoſito à Deo quolibet tribulationis onere, communiter, & bene docent Interpretes: & quidem bellè hoc cum antecedentibus congruit. Nam ſi Deus fidelis eſt, & benignus, etiam dum manus videtur offerre ſeueras, & vltrices, prudenter agit ille, & ex ſuis maximè commodis, qui ſubire ſtudet tam benigni Domini, ac tam liberalis imperium. Illud verò, quod ſubditur, *ab adoleſcentia ſua*, non puto id ſibi velle, quod plerique volunt: facile videri iugum, ſiue legis, ſiue tribulationis onus intelligas, his, qui à primis annis ceruicem habuerunt docilem, & aſſuetam oneri ferendo. Nam licèt hoc verum ſit, & penè iam commune prouerbium, non tamen video, quomodo cum orationis filo conſentire poſſit. Ego hanc puto commodam eſſe ſententiam: Bonum eſſe viro, ideſt, cuicunque ſubeſſe ab adoleſcentia, ideſt, à primis annis, toto vitæ tempore, Diuino imperio, quantumuis videatur intolerabile: cùm tam ſit Domini benignum, ac liberale ingenium, vt etiam, dum ſæuire videtur, miſericordiæ memor ſit. Præclara ſanè cogitatio animi, qui didicit, ſibíque perſuaſit, verè eſſe liberum, qui Diuinæ ſe addixit libertati; dolérque, ſi quod vitæ tempus ab hac ingenua ſeruitute ſubduxit. Eſt planè bonum, inſeruiſſe Diuino iugo ab ipſo vitæ principio obſequentem ceruicem, neque ad vltimum vitæ ſpiritum illud abieciſſe.

47. י Iod. *Dei iugum, aut ſupplicium quomodo ferendum vtiliter.* Verſ. 28. *Sedebit ſolitarius, & tacebit.*] Explicat, quomodo ferri poſſit, & debeat vtiliter impoſitum iugum. Quod idem eſt, atque *præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.* Duo proponit ſigna, ſeu effectus eorum, qui iugum Domini portant, quæ valde nobis conſideranda ſunt, ſiue iugum pro Dei mandato ſumas, ſiue pro ſupplicio, aut tribulatione, qua te Deus aut expiare, aut probare, ſeu promouere vult. Et primò de illo, quem vrget, & exercet peccati pœna, qualis erat Iudæis bonorum ſpoliatio, & durum apud Babylonios exilium, ſi ita fert iugum illud, vt ſuo fructu non careat, taceat oportet, neque contrà

obganniat, aut excutere ſtudeat. Si enim animo ferat iniquo, ac renitenti, non tam portat lubens, quàm trahit inuitus, oditque iugum, à cuius ſe loris exſoluere deſiderat. Oportet etiam, vt ſedeat ſolitarius, ideſt, ſecretus à turba, ſtrepitúque forenſi, ſeceſſum amet, ſecúmque & peccatorum grauitatem, & ſupplicij pondus expendat: idque attentè, & per otium: id enim ex Scripturæ vſu ſignificat *ſedere*. Id verò in dolore non diſſimili feciſſe ſe dicit Ieremias capite 15. *Solus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me.* Hæc ſigna ſunt eius, quem peccaſſe pœnitet, & peccati pondus attentè meditatur, & eius ſupplicium patienter ſuſtinet.

Si de lege Dei, cui ſe libenter homo ſubmittit, ſermo ſit, hæc etiam ſigna ſunt obſequentis animi: Diuinæ námque legis iugum, vbi noſtris ceruicibus inſedit, neque nugari ſinit obſequentem, neque vagari, aut diffluere ad otioſos conuentus, inertéſque delicias. Quomodo námque, qui probè nouit, quid exigat lex ſancta, quid violatæ legis reo pœnarum impendeat, niſi prorſus amens ſit, non ſedeat, meditetúrque tacitè, quid facto, atque cogitato opus ſit. Sanè Dauid ſæpe, Pſalmo præſertim 118. meditari ſe dicit in lege Domini: & quæ hîc ſemel Ieremias, ipſe eadem fermè ſæpius ingeminat. 48. *Iugum legis quomodo portandum.*

Quia leuauit ſuper ſe.] Olim multi codices habuerunt, *Leuauit ſe ſuper ſe*: ex qua lectione variis explicationibus datus eſt locus, quas ego nunc omittam, quando iam conſtat tam ex Hebraico textu, quàm ex tranſlatione Septuaginta, & ex magis correctis codicibus, in quibus etiam ſunt Sixtiani, legendum eſſe, ſicut à nobis propoſitum eſt. Tunc verò rationem reddit, cur ſedere debeat ſolitarius, & tacere; quia nempe iugum impoſuit ſibi, aut impoſitum gerit, ſiue legis, ſiue peccatorum. Et hoc poſtremum eſt, iram Domini portare, quod dixit Michæas capite 7. verſu 9. ideſt, ſuppliciū impoſitum ab irato Deo; ſeu Deum ipſum offenſum, & iratum, noſtris ceruicibus inſidentem. Quo quid excogitari poteſt horribilius? 49. *Graue peccatorum pondus.*

Hæc ego de lege etiam Domini expoſui, quia ad mores grauia, & quia ſic viſum eſt Interpretum pleriſque: nunc dicam, quod mihi viſum eſt magis ad textum, filúmque ſermonis. Credo igitur, hîc de lege Dei nullum eſſe ſermonem, ſed tantùm de ſupplicio à Diuina manu, quæ nunquam miſericors non eſt, inflicto peccatori. Cùm enim experiretur Propheta, Deum, cùm iratus ſit, miſericordiæ recordari, & nouas ante Solem quotidie miſericordias oriri, beatum vocat illum, cui contigit à tam benigna manu caſtigari, etiam ſi dura patiatur incommoda, & ſeruilibus, ac ſordidis ſit alligatus miniſteriis. Quæ explicat ab illo verſu, *Sedebit ſolitarius*, ad illud, *dabit percutienti:* iis nempe verſibus, quos inchoat litera Iod. Ac ſi dicat, bonum eſſe viro ſubeſſe iugo; ideſt, ſupplicio, quod vltor, & miſericors Deus impoſuit, licèt ſolus ſedeat, & mœrens, ſicut de Ieruſalem in principio dixit Lamentationum: *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* licèt oſculari cogatur, ac lingere hoſtili veſtigio puluerem impreſſum; licèt in maxilla ignominioſè percuſſus opprobriis laceretur innumeris. Id verò æquo animo ferendum dicit; immo felicitati id tribuit, quia iis incommodis, quæ anguſti, atque diffidentes animi ſempiterna putant, ſtatuet finem aliquando Deus. Hæc ſatis videntur dici conſequenter, 50. *Dei optanda correptio in hac vita.*

quenter,& verbis nulla vis affertur. iam ad hanc ſententiam,quæ reliqua ſunt,attemperemus.

51. * Iod. Verſ.29. *Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.*] Subibit captiuus, quique ſupplicij iugum illigatum geſtat, id, quod in extrema fortuna ſubire ſolent, qui hominum iudiciis exiſtimantur miſerrimi, & ſubibit non inuitus, quia ſperat, ab eo ſe conſecuturum libertatem, quem miſerorum, atque afflictorum miſereſcit.

52. Quid ſit, os in puluere ponere, diximus pluribus in noſtris Commentariis ſuper Iſaiam, ad illud capitis 49. *Et puluerem pedum tuorum lingent.* & ſatis copioſè ad illud capitis 29. *Humiliaberis, de terra loqueris.* vbi docuimus, adigi nonnunquam ſeruos, aut vltrò ipſos dominis obſequij gratia præſtare, vt terram lamberent à domino, ſiue ab hoſte calcatam, ſuadent hæc loca ab Iſaia producta. Et illud Pſalmi 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Cogebantur autem victi, ab hoſte victore, os terræ admouere, dum illorum ceruicibus imponebant pedes: quod fecit Ioſue capite 10. aduersùs quinque Reges, & facturi dicuntur filij Iſraël, Baruch capite 4. verſu 25. *Perſequutus eſt te inimicus tuus, ſed citò videbis perditionem ipſius: & ſuper ceruices ipſius aſcendes.* vide plura in loca citata Iſaiæ.

Victi à victoribus calcati.

Baruch 4.

53. Fortaſſe, ponere os in puluere, idem eſt, quod humiliter ad Deum orare: neque enim, qui ſupplices orant, ſatis habent, genibus inniti; interdum enim eò ſeſe abiiciunt, vt toto ſtrati corpore os apprimant terræ. Quod eſſe antiquis ſæculis in vſu, & eo etiam tempore, quo hæc à Ieremia dicebantur, probat frequens ille modus, quo oraturi dicuntur in faciem procidere, aut ad alicuius pedes: quod fecit Achior Iudith capite 13. verſu 3. & Eſther capite 8. verſu 3. & in Teſtamento nouo, vt docuit præter alios Chriſtus ipſe, qui in ea oratione, quam ad vitæ finem habuit in horto, ſic orauit, vt faciem ſuam, & os in puluere poſuerit, Matthæi 26. *Procidit in faciem ſuam.* Quod etiam feciſſe traditur ante Petrum Cornelius Actorum capite 10. Ex hac conſuetudine ortum puto, vt proſterni dicantur preces, quia ab hominibus funduntur, qui proſtrati ſunt. Sic Daniel capite 9. verſu 18. & verſu 20. & Ieremias ſuprà capite 38. verſu 26. & 42. verſu 91. Hæc mihi explicatio valde probatur, quia animum oſtendit humiliatum, & ſupplicem, qui non indignetur in Dominum, ſed ſe reum agnoſcat, & ſupplicium deprecetur.

Orantes in faciem procidunt.

Matth.26.

Preces proſterni cur dicantur.

54. *Si fortè ſit ſpes.*] Si poſtremam hanc explicationem ſequaris, ſenſus eſt: Orabit ſtratus homo, vt quod ſperat, & optat, conſequatur. Si quod alij communiter ſentiunt; humiliabit ſe coram Deo, & extremam illam ignominiam aut ſubibit ab alio, aut vltrò ipſe obibit, vt Diuinam inflectat miſericordiam, & ſperatæ rei, & voti compos fiat. Illud, *ſi fortè*, cùm dubitationem indicet, aliquando tamen non dubitat, ſed affirmat, vt docuit Ambroſius libro 2. de pœnitentia, capite 5. Neque enim ſi homines dubitent, cùm aliquid occurrit quod ambiguum habet effectum, Deus dubitare poteſt; cui tamen Scriptura ſacra hunc dicendi modum attribuit. Adducit Ambroſius illud Ezechielis capite 3. *Dices ad eos, Hæc dicit Domi-*

Fortè, non ſemper dubitat.

A *nus, ſi fortè audiant, & terrebuntur.* Vide de hoc loquendi genere Riberam in illud Ioëlis capite 22. *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Porro *ſpes* vulgato Hebræorum idiomate pro re ſperata ſumitur. Vt enim ſuprà docuimus capite 33. & ad illud Iſaiæ capite 5. ad illud, *Agnitio vultus eorum*, actio pro obiecto ſæpe ponitur, aut materia actionis: quomodo *laus*, pro re laudabili; *timor*, pro re timenda: *auditio*, pro ſono; *abominatio*, pro re abominabili frequentiſſimè ponitur: ſic ergo ſpes, pro re ſperata; quomodo Chriſtus ſpes dicitur Iſraël Actorum capite 28. & Prouerbiorum 13. *ſpes, quæ differtur.* ideſt, res ſperata. ad Romanos 8. *Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes.* Sic etiam hoc loco orabunt, aut abiicient ſe ad terram, vt rem ſperatam, nempe libertatem,aut quæ olim habuerunt commoda,conſequantur.

Spes, pro re ſperata.

REGVLA.

Actio, pro eius obiecto.

Verſ. 30. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.*] Hac ſpe confirmati vltrò maxillam colaphis cædendam, & deformandam tradent, neque recuſabunt concidi maledictis, & ad ſaturitatem lacerari conuitiis. Quanta ſit ignominia in maxilla percuſſa, quod ſeruile dedecus eſt, & illorum, qui rei iudicantur mortis, diximus in noſtris Commentariis ad caput 3. Iſaiæ numero 21. ad illud, *Faciem pauperis commolitis.* vbi prouerbiali ſpecie ſumi diximus pro maxima quaque contumelia. Quare Iob capite 16. percuſſam ſibi dicit maxillam, & Paulus 1. Corinthiorum 3. & 2. Corinthiorum 11. colaphis ſe percuſſum dicit, cùm ſummam ignominiam ſignificare vult. Exempla habes ibi non pauca, & capite 58. numero 29. vbi oſtendimus ea contumelia ſolere notari morte damnatos. 55. * Iod. PROV.

Colaphus, grauis ignominia.

Iob.c.16. 1.Cor.3.

Saturari opprobriis, non ſignificat dolorem, aut faſtidium capere, de colaphorum, aut opprobriorum inflictu, qualem afferre ſolet plerumque ſaturitas, ſed illorum multitudinem: vt enim ebrietas pro abundantia ponitur rerum liquidarum, quas quis largè ſumit, etiamſi nullum ſit vitium, aut deformitas, qualis oriri ſolet à temulentia; inebriatus dicitur, quomodo inebriata dicitur terra ab imbre, gladius à ſanguine, & mœſtus ab abſynthio; ſic ſaturatus dicitur, qui abundè aliquid ſumpſit, licèt nullum habeat à ſatietate faſtidium, nullum à cruditate periculum. Saturabitur ergo opprobriis, qui ſatis tolerabit opprobriorum. Videtur autem ſpectaſſe Prophetam illud Iob. capite 16. vbi hæc eadem, aut eadem propè leguntur verba: *Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam; ſatiati ſunt pœnis meis.* 56.

Saturitas, & ebrietas, pro multitudine, & abundātia.

Verſ. 31. *Quia non repellet in ſempiternum Dominus.*] Hæc eſt ratio, cur bono quis animo eſſe debeat, licèt in maxilla percuſſus, & ſaturatus opprobriis; quia qui illis incommodis vexat, atque exercet Deus, aliquando continebit à flagello manum, & deferueſcet furor, qui caminum illum tribulationis accenderat. Hæc ſententia frequens eſt in Scriptura ſacra, qua ſe viri Sancti, cùm maximè crudeſcunt vulnera, conſolantur. Tobias capite 3. *Poſt tempeſtatem tranquillitatem facis: & poſt lacrymationem, & fletum, exultationē infundis.* Pſalmo 102. verſ.9. *Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur.* & Pſalmo 76. *Nunquid in æternū proiiciet Deus? aut non apponet, vt complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet?* 57. * Caph.

Poſt tempeſtatem tranquillitas à Deo.

Verſ.32.

ב Caph. REGVLA. *Ex animo aliquid factum dicitur, quod fieri plerumque ſolet.*

58. Verſ. 32. *Quia ſi abiecit, miſerebitur.*] Verſus hic apertus eſt, & eſt explicatio prioris. Illud, *abiecit*, intelligendum eſt iuxta hominum ſenſum; qui quem vident ab aliquo duriùs accipi, adiectum vocant, aut odioſum: cùm tamen ſeueritas illa ab animo interdum naſcatur beneuolo, ſicut cauterium, aut vulnus à chirurgo. Quemadmodum is dicitur animam ſuam, ideſt, ſe ipſum odiſſe, qui ſibi à noxiis voluptatibus temperat, cùm tamen in eo ſe plurimùm amet: ſic abieciſſe dicitur Deus populum ſuum, de cuius tamen ſalute laborabat, quia ſpoliauit bonis, & eiecit à patria, quia id faciunt communiter homines ab odio.

ב Caph. *Deus magis ad miſerendum, quàm ad puniendum pronus.*

59. Verſ. 33. *Non enim humiliauit ex corde ſuo.*] Explicatio eſt eorum, quæ nuper diximus; nempe abiectionem peccatoris, & vexationem, non ab odio naſci, ſed ab miſericordia, & ſtudio ſalutis. Cùm enim Deus pronus ſit ad miſericordiam; ſi quando noſtra ipſum peccata ad vindictam inſtimulant, inuitus facit, & dolenter, vt explicat Scriptura ſæpe verbis maximè ſignificantibus. Geneſis 6. *Tactus dolore cordis intrinſecùs, delebo, inquit, hominem, quem creaui.* & Iſaiæ capite 1. *Heu! conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Non itaque ex corde ſuo, ideſt, non quia id ſibi ſtudio, aut voluptati eſt, hominem humiliat. Atque ideo, ſi quando punit, id ſpectat, non vt affligat, & perdat, ſed vt ſanet. Ezechielis capite 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* Eſt itaque voluntas Dei, ideſt, Deus ex corde vult hominis ſalutem; ſi quando tamen percutit, & humiliat, id non ex corde facit: ſed quia id exegit aut noſtra neceſſitas, aut morum improbitas. Vult etenim Deus hominis pœnam non abſolutè, &, vt Theologi loquuntur, voluntate antecedente, ſed ex ſuppoſitione, & voluntate conſequente: ſicut medicus antecedente voluntate non vrit, aut ſecat affectum corpus, ſed conſequente, quia morbus ſupponitur, cui vis illa, quæ dolorem facit, ſalutaris eſt.

ל Lamed.

60. Verſ. 34. *Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ.*] Quidam tres hoſce verſus ad ea, quæ proximè anteceſſêre, pertinere putant, in hanc ſententiam: Non abiicit Deus, atque humiliat homines, qui in terra ſunt, atque in mortali ſtatu, vt illos conterat ſub pedibus ſuis, quia non punit, neque humiliat ex corde: neque vt damnet, quod iniqui faciunt Iudices, & auidi rapinæ iudicia peruertunt, quia illorum neque deſiderat opes, neque ſanguinem ſitit. Qui ſenſus mihi nullo modo diſplicet, quia neque vim vllam affert literæ, & ſatis aptè omnia contexit.

Ignoro, *multa ſignificat.*

61. Alij ad vltimam verſum tertij verſus ſpectare cenſent, nempe, *Dominus ignorauit*; idque dupliciter; ex duabus ſignificationibus verbi *ignoro*; quod approbare, aut habere à natura aliquid, aut à conſuetudine familiare negat. Iuxta priorem acceptionem occurri exiſtimant his verbis illorum cogitationi, ſeu obiectioni tacitæ; qui videbantur dicturi, minùs enim his, quæ de Diuina natura ad bene merendum prona dicuntur conuenire, quod captiui Iudæi conteri videntur pedibus illorum, quibus in ipſorum corpus Dominus videtur omne ius, & poteſtatem tradidiſſe. Quibus reſpondet Propheta ignoraſſe hæc Dominum, ideſt, non probaſſe. Sicut ignoraſſe dicitur Dominus Prophetas quoſdam, qui ſuo potiùs ſpiritu, quàm Diuino vaticinia ſe fundere mentiebantur. De hoc vſu verbi, *ignoro*, ſeu *neſcio*, plura diximus ſuper Iſaiam capite 55. numero 23. in quam explicationem inclinat Septuaginta tranſlatio, quæ ſic habet: *Dominus non dixit*; quæ explicatio difficilis non eſt.

62. Dicitur præterea neſcire aliquid, qui neque naturæ propenſionem habet, vt id faciat, neque faciendi conſuetudinem; quomodo de natura miti dicimus, *neſcit iraſci*, & de crudeli, & inuida, *neſcit leniri*, aut *placari*, aut de aliorum felici ſucceſſu gaudere. Iuxta hanc acceptionem tres hi verſus, quos Lamed inchoat, ad verbum *ignorauit*, referuntur: ita tamen, vt rationem reddant, explicéntque magis naturalem, & propriam Dei benignitatem; qui non ex corde humiliat, & abiicit, ſed ipſa (vt ita dicam) natura repugnante. Tunc verò ſenſus eſt: Longè abeſt à Diuina natura, vt id meditetur, aut velit, quod homines in aliorum caput, & infortunium moliri ſolent: nempe, vt pedibus conculcent, calumniis, ac fraudibus inſectentur, peruerſo iudicio bonis euertant: denique, vt aliis incommodo, atque exitio ſint. Hæc mihi præ cæteris explicatio placet, licèt ſuperiores non improbentur; ſed in ea aliquid nobis de ſingulis addendum eſt.

63. Illud, *conterere ſub pedibus*, videtur ſpectare, quod ſuprà verſu 29. dictum eſt: *Ponet in puluere os ſuum.* Vt enim obſeruauimus eo loco, victores, & tyranni inclementes, & duri ſubditorum ceruices ſuperbo, ac barbaro dominatu calcabant: id verò ignorat Deus, quia eò non inclinat natura mitiſſima.

64. *Vincti terræ* illi (vt reor) dicuntur, qui ex Iudæorum gente, qui de terra promiſſionis, quæ ex vſu Scripturæ *terra* dicitur, tranſlati ſunt ad Babylonicum ſolum, & ibi vincti ſunt, aut propriè, quia re vera conſtricti vinculis; aut figuratè, quia quæcumque impedimenta, quæ libertatis poſſeſſionem aut tollunt, aut retardant, vincula dicuntur. Fortaſſe alluſum eſt ad metaphoricum iugum, de quo ſuprà verſu 27. quod neceſſe eſt vinculis alligatum eſſe captiuorum ceruicibus.

65. ל Lamed. Verſ. 35. *Vt declinaret iudicium, &c.*] Declinat, aut peruertit iudicium alicuius, qui id efficit, vt ignominiam ſubeat, aut bonis ſpolietur: quod, credo, patiebantur captiui, quorum fortunæ, ac vita aliorum iniuriis, atque libidini propoſita ſunt. Damnatis autem liberum eſſe cuilibet colaphum impingere, & omni ludibriorum genere bacchari, ſuprà notauimus verſu 30. Quare ad illum locum ſpectare arbitror, quæ hic de corruptis, peruerſiſque iudiciis afferuntur: ex quo conſtat, ſenſum, quem ibi adduximus, plurimum habere probabilitatis.

66. *Facies, ſeu vultus, pro perſona.* *In conſpectu vultus Altiſſimi.*] Hîc duos Hebraiſmos deprehendo: alter eſt, quia *vultus Altiſſimi*, pro ipſo Deo altiſſimo ponitur: eſt enim Hebraici idiomatis, *faciem*, vel *vultum* alicuius adhibere pro eo, cuius eſt vultus. De *facie* innumera tibi occurrent exempla. Hinc illud eſt, *A facie gladij, venti, famis*, ideſt, à gladio, vento, fame, facies Domini, pro Domino. De vultu eadem eſt omnino ratio, vſus non adeò frequens. Pſalmo 44. *Vultum tuum deprecabuntur.*

 ideſt,

ideſt, te. Pſalmo 16. *De vultu tuo iudicium meum prodeat.* & Pſalmo 10. *Aequitatem vidit vultus eius.*

67. Alter eſt, quia ſæpe antecedens pro relatiuo, ſeu pronomine ponitur, vt docuit Auguſtinus in Pſalmum 67. ad illud, *Rex virtutum dilecti.* Exempla occurrent penè infinita. Marci capite 1. *Vidit Simonem, & Andream fratrem Simonis.* ideſt, eius. In Deo exemplorum ſatis. Deuteronomij capite 9. *Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.* ideſt, digito ſuo. & huic ſimilia quamplurima. Sanè in quinque libris legis ſæpius occurrit hic dicendi modus: *Fecit Moyſes, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* vbi Latinorum more dicendum erat, *ipſi.*

REGVLA. *Antecedens pro relatiuo.*

Ex his non obſcurum eſt, quid ſibi velit hic locus, aut quomodo explicari debeat: ſi enim, *vultus Altiſſimi,* idem eſt, quod Altiſſimus, nempe Deus; & Deus, qui anteceſſerat, pro relatiuo, ſeu pronomine adhibetur, hic eſt ſenſus neque obſcurus, neque infrequens. *Non humiliabit Dominus ex corde homines, vt contereat: neque vt à ſe declinet iudicium viri.*

68. Verſ. 37. *Quis eſt iſte, qui dixit, vt fieret Domino non iubente?*] Oſtenderat Propheta, habere Deum cogitationem pacis, & non afflictionis: neque id agere, vt homines affligat, & perdat; ſed potiùs, vt ad ſanitatem reducat, & mentem meliorem. Sed ſupereſt adhuc, quia nonnemo cogitare poſſet, Domino quidem noſtra infortunia neque ſtudio fuiſſe, neque voluptati; quare ab illo comparatum eſſe nihil contra nos. At fuiſſe homines in noſtram ſalutem, & nomen animatos peſſimè; eóſque, neſciente Deo, aut certè non iubente, conſilium ſuſcepiſſe, quo nos aut delerent omnino, aut grauiter vexarent. Horum impietati occurrit Propheta, dum ait: Stupidi eſſe, atque impudentis hominis, exiſtimare, quicquam eſſe, quod intelligentiam Domini, aut prouidentiam lateat, aut quod ipſo nolente, ac repugnante, fiat. Quare hac ſe cogitatione conſolari, ac ſuſtentare poteſt afflictus animus, quòd Deus prohibere poſſet, quæ nunc experimur infortunia; quòd cùm paterno ſit in nos animo, neque tamen vires aut fregerit, aut debilitarit hoſtiles, perſuadere planè nobis ipſi poſſumus, id licèt non ex voto, ex dignitate tamen noſtra, atque ex vſu futura. Quæ cùm vera ſint eo ſenſu, quem in explicatione frequentis verſus producemus; in cauſa tamen, ac vexatione Iudæorum nemo dubitare poſſet; quia nihil paſſus eſt infelix ille populus, quod non tam Ieremias, quàm Prophetæ alij, multò antè prædixerint.

ב Mem.

69. Verſ. 38. *Ex ore Altiſſimi non egredientur nec mala, nec bona.*] Hæc erat impia tam olim Gentilium, qui putabant, otioſum eſſe Deum, neque quicquam curare, ſed efficere, ſed omnia caſu & fatorum neceſſitate contingere, quàm etiam nonnullorum ex Iſraëlitide gente. Sanè hoc ipſo tempore fuiſſe nonnullos, qui ea ſe cogitatione deciperent, docet Ezechiel, qui hoc ipſo tempore exul agebat Babylone, capite 9. *Iniquitas domus Iſraël, & Iuda magna eſt nimis valde, & repleta eſt terra ſanguinibus, & terra repleta eſt auerſione: dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Contra hos videntur hæc à Ieremia propoſita. Hinc Iſaias capite 29. *Quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos?* & Pſalmo 94. *Dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Idem Iob capite 22.

ב Mem.

Error multorum de Diuina prouidentia.

A Horum ergo ſtultam cogitationem coarguit Propheta dicens; ab ore Domini, ideſt, Domino iubente, prouenire tam quæ bona, quàm quæ mala cenſentur. Quæ ſententia in Scriptura frequens. Eccleſiaſtici 11. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.* Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Iſaiæ capite 45. *Ego Dominus,* &c. *faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* Porro malum hoc loco illud eſt, quod malum dicitur pœnæ; quod nempe tranquillitatem turbat, aut quietem, quæcunque externa, aut domeſtica vexatio; & quidquid rerum, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt, facultatem, & opportunitatem eripit; quale eſt exi- B lium, deprædatio, ſeruitus, inopia: qualia tunc apud Babylonios patiebantur Hebræi. 70.

Verſ. 39. *Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis?*] Murmurat ſtultus contra Deum, eiúſque iuſtitiam, atque ingenium ſugillat, quòd grauiora ſe ferre putat, quàm ipſius mereantur errata: cùm ab illo, quicquid eſt ſupplicij ſit impoſitum, qui benignus eſt, quíque aliquid potiùs remittit de ſeueritate ſupplicij, quàm ad menſuram addit. Illud, *pro peccatis,* idem eſt, quod pro peccatorum ſupplicio. Peccatum enim pro peccatorum ſupplicio vſurpari, ſatis eſt in Scriptura frequens. Illud, *viuens,* epithetum eſſe puto hominis, quod illi conuenit propter illam C proprietatem, quam cum animalibus, ac plantis communem habet. Quare ad hominum ignominiam potiùs pertinet, quàm ad nobilitatem, & gloriam. Sic Pſalmo 38. verſu 9. *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* Dicit autem cum ſtomacho Propheta: Quid audet homuncio vilis, & qui non longè diſtat à belluarum natura, Deum iniuſtum, aut inclementem arguere, dum peccatorum ſuorum exſoluit pœnas? 71.

ב Mem.

Viuens, aliquid interdum vile.

Sed ſi in *viuente* ſtatum tantùm intelligas mortalem, ideſt, hominem non quidem mortuum, ſed aliquando moriturum, ſenſus erit ſatis ad mores accommodatus. Dum enim homo viuit, non eſt, cur ægrè ferat, vexari ſe, D & duris exerceri ſuppliciis, quando ſic inolitæ expiantur ſordes, & copioſa fit ſementis meritorum: aſt pati vita functum, ſine vlla vtilitate cruciatus, quibus nullus vnquam ſtatuetur aut finis, aut modus, id verè horrendum eſt. 72.

Tribulatio in hac vita optanda.

Verſ. 40. *Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum.*] Salutare planè documentum eſt, quod Propheta tradit, vt non æquo ſolùm, ſed libenti animo, quodcunque feramus infortunium: & à Deo, ſi quid mali commiſimus, veniam exoremus: nempe, vt primùm in vitam noſtram inquiramus ſeuerè; quam ingreſſi ſumus, & à qua declinauimus, viam inueſtigemus. Quòd ſi ab eo deflexímus curricu- E lo, quod noſtris greſſibus Dominus definiuit, reuocato ſtatim curſu, ad Dominum iterum reuertamur. 73.

נ Nun.

Pœnitentiæ officium.

Verſ. 41. *Leuemus corda noſtra cũ manibus ad Dominum.*] Ad ſeuerum examen, iudiciúmq; de vitæ noſtræ rationibus, quod eiuſmodi eſſe debet, vt deteſtetur vetus, & nouum aggrediatur inſtitutũ, optimè adiungitur orationis ſubſidium, quæ hîc paucis à Propheta deſcribitur: eſt enim oratio eleuatio mentis ad Deum. Manus autem in orando 74.

נ Nun.

Manus in oratione leuari ſolita. orando ad cælum eleuari, ſatis in Scriptura frequenter audimus. Exodi capite 9. verſu 29. ait ad Pharaonem Moyſes: *Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum.* & 1. ad Timotheum capite 2. *Volo viros orare omni loco, leuantes puras manus.* Quod eſſe etiam Gentibus familiare, ſcripta externa docent. Ouidius in Metam.

Non profecturas tendebat ad æthera palmas.

Et hoc eſſe quaſi legitimum orantibus, ait Virgilius libro 2. Æneid. de Caſſandra:

Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra,
Lumina nam teneras arcebant vincula palmas.

75. נ Nun. Verſ. 42. *Nos iniquè egimus.*] Modum & formam præſcribit oratoris Propheta; quam etiam præſcripſerat multò antea Salomon Prouerbior. B 18. verſu 17. *Iuſtus* (inquit) *prior eſt accuſator ſui.* quod maximè locum habet in orando. Quod verò ſubditur, *Idcirco tu inexorabilis es,* eò ſpectat, quod capite 7. dictum eſt Ieremiæ: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam.* vbi eandem adducit cauſam, quam in hoc capite, quia grauibus ſe populus peccatis immerſit. Eſt autem hoc loco inexorabilis Deus, quod attinet ad temporariam pœnam: nam quoad æternam, exorari ſe non modò patitur, ſed etiam optat, & veniam offert, ſi modò quis ſe ad illam verè, atque ex animo diſponat.

76. ס Samech. Verſ. 43. *Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos.*] C Verbum סך *ſak*, obumbrare, ſeu tegere ſignificat, ſeu ſepem, aut vallum interponere, quod ſeparationem ſonat, & offenſionem, aut odium, quo quis ab alterius ſe congreſſu, ac ſocietate ſecernit: & hoſtes ſic viciſſim inter ſe caſtrametantur, vt murus inter illos, & agger interſit. Eſt autem hoc loco idem, quod tegere, ſeu occultare; ſic tamen, vt obducatur aliquid, ſeu opponatur, quod nobis alicuius conſpectum eripiat; quo modo ſi quis velum obtendat, aut nubem, ne videri poſſit ab alio. Ad vtramque ſignificationem reſpexit Vulgatus, cùm priori verſu *operuiſti*, poſteriori *oppoſuiſti*, reddidit. Fortaſſe operire hoc loco idem eſt, quod obſidere, ideſt, circumquaque militari modo metari tabernacula: nam, cùm tabernaculorum obumbrare, ac tegere proprium ſit, ab hac radice deductum eſt סוך *ſok*, quod tabernaculum, ſeu vmbraculum valet. Vt autem dux, & imperator tum apud alios, tum in Scriptura ſæpius paſtor vocatur, & milites greges: ſic etiam vmbracula, ſeu tabernacula caſtra ſignificant. Qua metaphora vtitur nonnunquam Ieremias, cùm de Chaldæorum aduentu, & vrbis vaſtitate loquitur. Sic capite 6. verſu 3. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu. Paſcet vnuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt.* Ad hunc credo locũ, & ad ſimiles alios, reſpexiſſe Prophetam, cùm operuiſſe dicit Deum ciuitatem in furore, & illam hoſtili plaga percuſſiſſe. & in hanc ego explicationem non leuiter propendeo.

77. *Facies damnatis operiri, itemq; in mœrore.* Niſi mauis ſpectaſſe Ieremiam antiquam conſuetudinem, non tantùm Chaldæis, ſed etiam Hebræis familiarem, qui eorum operiebant faciem, quos morti deſtinabant, aut ignominiæ. De Chaldæis eſt illud Eſther capite 7. vbi de Aman iam morte damnato dicitur: *Et ſtatim operuerunt faciem eius.* Quod etiam fecerunt Babylonij in eos, de quorum capite, atque honore ſeueriùs ſtatuerunt. Ezechiel capite 12. de Sedecia. *Facies eius operietur.* Qui etiam videtur eſſe captiuorum, A & miſerorum habitus: quorum ſtatum vt referret Ezechiel, dixit illi Deus ſuprà verſu 6. *Faciem tuam velabis, & non videbis terram.* Sanè homines in mœrore, ac luctu operire ſolitos faciem, ſeu caput, ſuadet illud Ieremiæ capite 14. verſu 3. & verſu 4. vbi agricolæ propter ſterilitatem, & ciues propter ſitim, dicuntur operuiſſe capita: & Aman Eſther capite 7. antequam à Rege damnaretur morte, cùm ægro eſſet animo propter inſperatam Mardochæi gloriam, ipſe vltrò iuxta populi morem caput obnupſit: *Feſtinauit ire in domum ſuam lugens, & operto capite.* Cùm ergo ærumnoſam vitam agerent Hebræi, & à Chaldæis iuxta patrium morem caput haberent obuelatum, ſatis eſt veriſimile, ad hunc Iudæorum ſtatum, & ad conſuetudinem illam Chaldæis, Hebræiſque communem reſpexiſſe Ieremiam. Porro id quoque familiare fuiſſe Romanis, docet 78. vulgaris illa forma, qua vtebantur in eos, quibus ſubeũdum erat capitale ſupplicium. *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Hinc, *Chriſto cur velata facies.* credo, barbari ſatellites, & ſacrilegæ impietatis adminiſtri occaſionem ſumpſerunt, vt Chriſti, quem Pontificis, & tumultuantis concilij non obſcura voce damnatum audierant, cùm dixerunt, *Reus eſt mortis,* faciem obuelarent, & tanquã inſano indigniſſimis modis illuderent. Hæc mihi explicatio omnium maximè probatur. Maldonatus illud, *operuiſti*, ad Dominum refert, qui operuit ſe, ideſt, ornauit furore, vt populum percuteret; vel, vt alij volunt, operuit faciem ſuam, ne filios malè ab hoſte lacerari videret; ſicut pater ſpectare neque ſolet, neque audet filiorũ membra à chirurgo ſecari. Quod ſignificare videtur Deus ipſe Deuteronomij 32. *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum.*

Occidiſti, nec pepercisti.] Poſtquam faciem 79. operuiſti gentis cædi, atque exilio deuotæ, feciſti *REGVLA. Affirmatio cum negatione contrary epitaſim habet.* id, quod erat conſequens, nempe, vt vulnerares, & occideres. Illud, *nec pepercisti*, epitaſim habet, quæ vulgaris non eſt, cùm affirmationi negatio adhibetur contrarij.

D Verſ. 44. *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.*] 80. ס Samech. Idem eſt verbũ Hebraicum סך *ſak*, quod optimè Vulgatus expreſſit per *oppono*. Duas hîc facies velatas eſſe video: alteram Iudæorum, quos Diuinus furor variis addixit infortuniis; alteram Dei, qui faciem ſuam abſcondit ab illis, quibus *Orationis impedimenta.* ſe facilem olim, & placidum obtulerat. Abſcondere autem faciem ex Scripturæ idiomate offenſionis argumentum eſt. Abſcondit autem faciem nubis oppoſitu, aut quaſi nubis: nam, vt reor, hîc nota ſimilitudinis ſupplenda eſt: & quendam veluti murum obtendit, ne ad ipſius aures ſupplicum preces, & vota permearent. Tunc autem denſam hanc nubem videtur oppoſuiſſe, cùm vetuit capite 7. ne Ieremias oraret pro populo, E quem iam cædi, atque exilio deuouerat. Hanc nubem craſſam, ex multorum ſcelerum vapore concretam perrumpere non potuit frequens licèt, atque ardens Prophetæ ſupplicatio. Hanc *Oratio humilis poteſt.* nubem, credo, oppoſitam meditabatur Dauid ante Domini faciem, cùm dicebat Pſalmo 118. Pſal. 118. *Intret in conſpectu tuo oratio mea.* Eſt autem humilium orationi id præcipuè conceſſum, vt nubem hanc perrumpat, & à Domini conſpectu, quod ſtudet, exoret. Eccleſiaſtici 35. verſu 21. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat; & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.* Vide, quomodo ad Domini conſpectũ perueniat

humilis oratio. Eandem ſententiam adhibuit Iſaias capite 59. *Iniquitates* (inquit) *veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Vide, quæ nos in hunc Iſaiæ locum diximus.

81. Septuaginta aliter legunt, ſed eodem ſenſu: *Oppoſuiſti nubem tibi propter orationem*, nempe repellendam. Quomodo Pſalmo 108. tranſtulerunt: *Caro mea immutata eſt propter oleum*; nempe deficiens, aut non admixtum cibis.

82. Illud hîc obſeruandum ſubit, apud externos etiam nonnunquam dici, faciem eſſe velatam nubis obtentu: quia nō aliter nubes ante faciem, quàm flammeum, aut quoduis aliud integumentum opponitur. Sic Virgilius libro 1. Æneidos, velatum eſſe dicit Æneam, & circunfuſum nebula à matre Venere:

At Venus obſcuro gradientes aëre ſepſit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu,
Cernere nequis eos, neu quis contingere poſſet,
Molirive moram, & veniendi poſcere cauſas.

Sic Homerus, à quo hæc Virgilius expreſſit, Vlyſſem inducit circunfuſum nube à Pallade, ſemel libro 7. iterum libro 13. Odyſſeæ.

83. ס Samech. Verſ. 45. *Eradicationem, & abiectionem poſuiſti me in medio populorum.*] Hæc obſcura non ſunt. Eradicatus fuit peccator ille populus è ſuis ſedibus, & diſperſus inter Gentes, & populos varios: neque enim vlla fuit natio, quam non gentis illius tam copioſæ, & lautæ, ruina conſtrauerit. Spectat autem Propheta ad illam metaphoram, quæ tam in his vaticiniis, quàm in aliorum Prophetarum ſcriptis, frequentiſſima eſt. Vocatur enim populus Iudaicus vinea, & accommodatè ad hoc nomen plantari dicitur, & eradicari, ſeu euelli ſuprà capite 14. *Ecce ego euellam eos de terra ſua: & domum Iuda euellam de medio eorum.* & capite 18. *Repente loquar aduersùs gentem, & aduersùs regnum, vt eradicem, & deſtruam.* Quare hoc loco indicat Propheta, ſatis Deum cumulatè præſtitiſſe, quod comminatus antè fuerat.

84. פ Pe. Verſ. 46. *Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici.*] Non ſemel prædixerat Propheta, futurum eſſe populum in deriſum, & fabulam: id nunc impletum affirmat: neque fortaſſe aliquid aliud ſibi vult locus: os dentibus ad morſum, & lacerationem; & lingua ad ſermonem formandum inſtruitur; ab illis aperitur, ad lacerandum, quod leo facit, & lupus, ab hac ad contumelias, & ſannas, vt faciunt deriſores, & maledici. Vtrunque præſtiterunt hoſtes populi Iudaici: nam & conuitiis exagitarunt, & inſtar leonum diſcerpſerunt illum. Eadem habes verba capite 2. verſu 16. vbi à nobis explicata ſunt.

85. פ Pe. Verſ. 47. *Formido, & laqueus facta eſt nobis vaticinatio, & contritio.*] Quidam pro *vaticinatione* legendum eſſe putant *vaſtationem*, & tunc ſententia eſſet non difficilis. Sed credo nullam fuiſſe librariorum incuriam, & noſtrum Interpretem optimè reddidiſſe Hebraicā vocem השאת *haſeth*. Eſt autem vaticinatio vox ambigua, quia vatum, ideſt, Prophetarum nomen ambiguum eſt. Sunt enim Prophetæ veri, quos Spiritus ſanctus afflat, & inſtituit: ſunt etiam falſi, quos fallax deludit ſpiritus, aut ſua potiùs ſomnia, quàm oracula proferunt Diuina. Vtraque vaticinatio formidini eſſe potuit, & laqueo populo aut nimiùm credulo, aut plus ſatis indocili, ac rebelli: credulo quidē, quia fidē habuit pſeudoprophetis, qui cùm pacem promitterent, & hominum ſtomacho, aut voluptati ſeruirent, bellum, & peſtem in ciuitatem illam inuexerunt. De quibus ſuprà Ieremias capite 2. verſu 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam.* Indocili verò, quia audire noluit Diuina verba, quæ Dei nomine veri proponebant Prophetæ. Et eam ob cauſam dixerat olim Iſaias capite 28. cùm eos, qui cum ſibilo Prophetarum minas audiebant, reprehenderet. *Vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur.* & Ieremias ſuprà capite 23. *Quia dixiſti, ſermonem iſtum onus Domini,* &c. *dabo vos in opprobrium ſempiternum, & ignominiam æternam.*

Vaticinium, vox ambigua.

Porro, vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis in Iſaiam, ad illud capitis 24. *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te*, hic dicēdi modus prouerbiale aliquid olet. Vide quod diximus ſuprà capite 48. ad illud, *Pauor, & fouea, & laqueus ſuper te.* neque enim hîc aliquid occurrit nouum, quod addamus. 86.

Verſ. 48. *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*] Res eſt aperta; quanto ſibi dolori fuerit populi contritio, docet vis lacrymarum, quam propter ipſius vaſtitatem effudit: diuiſiones aquarum idem eſt, quod riui: id enim valet Hebraica vox פלגים *pelagaim*, quam Vulgatus Pſalmo 118. verſu 136. conuertit *exitus.* *Exitus* (inquit) *aquarum deduxerunt oculi mei.* Porro, *in contritione*, idem eſt, quod propter contritionem: *in* enim aliquando valet *propter*, vt docuimus capite 33. numero 14. 87. פ Pe.

Verſ. 49. *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit.*] Sententia non obſcura: repetit enim, quod proximè dixerat de lacrymarū riuis. Illud, *nec tacuit*, idem eſt, quod non ceſſauit. *Silere* etenim, vt diximus ad illud Iſaiæ capite 7. *Vide, vt ſileas*, idē eſt, quod *quieſcere.* Videtur autem rationem reddere, cur ſibi à fletu ceſſandum non fuerit, quia populus à labore nihil habet laxamenti. 88. ע Ain.

Verſ. 50. *Donec reſpiceret.*] Tandiu ſibi dolendum eſſe dicit, quandiu durabit populi calamitas: neque ceſſandum à lacrymis, donec exoratus Dominus de cælo reſpiciat, & populum ſibi, patriæque reſtituat. Illud, *reſpicere*, fauorem ſignificat, & paternum ſtudium etiam apud profanos, apud quos frequens, *reſpexit nos Deus*, niſi Deus reſpiciat, actum eſt de Republica, ideſt, niſi Deus fauerit. 89. ע Ain.

Verſ. 51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.*] Hic locus variè à variis exponitur. Gregorius, quem Rabbanus ſequitur, & Aluarus Pelagius, de eo locum iſtum accipiunt, qui per oculos in animam venenum inuexit; quales ſunt, qui immoderatè conſpiciunt virgines, ſecúmque referunt in animo impreſſas imagines, quæ ſpiritum debilitant, animámque veris ornamentis ſpoliant: in quam ſententiam multa Gregorius, lectúque digniſſima, libro 21. Moralium, capite 2. in illud Iob, *Pepigi fœdus cum oculis meis*; quem omnino vide. Sed, vt cuilibet promptum eſt videre, explicatio hæc ad mores optima, parum eſt ad textum accommodata. 90. ע Ain.

Per oculos multa mala in animam irrumpunt.

Alij putant, tantam fuiſſe lacrymarum vim, vt penè actum fuerit de Ieremiæ vita, quaſi cum lacrymis ipſa quoque anima per oculos effluxerit. Ita videtur ſenſiſſe Origenes; & ſanè lacrymæ, atque triſtitia exſiccant oſſa, & ſuccum omnem vitalem exhauriunt. Et facit ad hanc ſententiam, quòd vbi Vulgatus habet, *prædatus eſt*, Hebraicè eſt עוללה *olelah*, quod vindemiare, ſeu 91.

Lacrymæ corpus extenuant.

ſeu racemare ſignificat;quod verbum exhauſtum aliquid,& exinanitum ſonat.Racemare námque, ſeu racemationem facere, propriè eſt, quod relictum eſt in vite, peracta vindemia, rurſus colligere:quod Hiſpanè dicitur, *rebuſcar.* Vindemiatus videbatur Propheta longa fame, & laci, in quem coniectus fuerat, incommodis; ita dolor ille affecerat,attenuaueráтque Prophetam,vt parum reliquerit virium: illud verò,quicquid erat reliquum,nunc prorſus exhauriũt lacrymæ,quas exprimit dolor ex vrbis direptione, & virginum ignominia, & miſerabili rerum imagine conceptus.

92. Ego aliam eſſe credo loci ſententiam, quam indicat ſanctus Thomas, Dionyſius, & Hugo, neque diſplicet Maldonato; non quòd vis ingẽs lacrymarum extenuarit Prophetam, & quaſi expectorarit aut animam, aut ſenſus: dolor enim ſtuporem ſenſibus, & animæ obliuionem quandam,& alienationem inducit,ſed quòd quæ præſens ipſe ſpectare potuit, graui ipſum mœrore confecerint. Ad quam ſententiam explicandam obſeruo, primùm vidiſſe Ieremiam omnia fermè mala,quibus attenuata priùs ſub Ioacim, & Iechonia, deinde ſub Sedecia exciſa fuit res Solymitana. Quare rerum miſerrimarum aſpectus animum amantis gentis ſuæ non potuit non miſerabiliter affligere: res námque auditæ licèt ægrè afficiant, at quæ per oculos tranſmiſſæ ſunt ad animum,& hærent tenaciùs, & vehementiùs; iuxta illud vulgare, cuius Bernardus meminit in ſermone 5. in feſto omnium Sanctorum. *Vulgò* (inquit) *dicitur,Quod non videt oculus,cor non dolet.*

93. Secundò obſeruandum, *animam* in Scriptura ſacra frequenter ſumi pro eo, cuius eſt anima, vt à nobis ſæpe obſeruatum eſt. Quare,dum Ieremias dicit, *deprædatus eſt animam meam,* ſe vtique dicit omnibus ſpoliatum rebus,quæ ſibi aut voluptati animo, aut corpori poterãt eſſe ſubſidio. Quare ſenſus erit: Ex quo intueri mihi licuit grauia illa incommoda, quibus perfunctæ ſunt filiæ populi mei, ideſt, ciuitas tota, & præcipuè virgines Solymitides,quarum pudori hoſtilis petulantia non pepercit: nihil in me reliquum eſt ampliùs, quod voluptati poſſit eſſe vel ſolatio, neque alicui rei vacandum mihi video, niſi lacrymis.

94. *In cunctis filiabus vrbis meæ.*] Quidam in filiabus vicos intelligunt,aut ciuitates Hieroſolymæ ſubiectas. Alij ciues,& præcipuè ſexum fœmineum,qui infirmior eſt, & iniuriis, atque ludibriis hominum magis expoſitus: & hoc mihi præcipuè probatur,vt nuper expoſui: qui magis deprædari potuit, ideſt, affligere Prophetæ animum obſeſſæ diu,& expugnatæ crudeliter Hieroſolymæ ſpecies,quàm aliarum ciuitatum direptio,quæ neque fuit tàm diuturna,& grauis,neque ciues alij perfuncti ſunt iis incommodis, quæ Solymitani ciues pertulerunt. Adde, quòd oculus Prophetæ animum deprædari non potuit, ideſt, aſpectus aliarum vrbium, quarũ expugnationem videre non contigit. Vidit autem, quæcunque pertulit obſeſſa,atque expugnata Hieroſolyma; quia ipſe obſeſſus fuit, neque leuis ad illum communis cladis portio pertinuit. Porro illud, *in filiabus,* idem eſt,quod propter filias.Satis enim compertum eſt, præpoſitionem, *in,* interdum idem eſſe, quod, propter. Duo accipe exempla ex multis; alterum ex hoc ipſo Propheta capite ſequenti; verſu 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* id eſt, propter peccata noſtra: alterum ex Iſaia capite 50.verſu 1. *Ecce in iniquitatibus veſtris vendiri eſtis,& in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.* ideſt, propter iniquitates,& ſcelera.

In, idē quod propter.

Verſ. 52. *Venatione ceperunt me quaſi auem.*] 95. צ Sade.
Quod reliquum eſt capitis, difficile non eſt,modò conſtet, de quo ſit inſtituta lamentatio. Quidam de Chriſto ſumunt, in quibus putatur eſſe Hieronymus, Olympiodorus, & Ruffinus in Symbolum,ad medium: alij de toto populo, de quo eſt illud Ieremiæ 16. *Poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* ita putat Theodoretus, ſanctus Thomas, & complures alij. Ego cum frequentibus aliis hæc ad finem vſque capitis Ieremiæ attribuo:in quo duo tempora conſidero; alterum, in quo grauiter afflicta fuit res Iudaica ab hoſte Babylonio, ex quo ad ciuitatem Hieroſolymitanam, finéſque Iudaicos primum acceſſit,ad tempus vſque extremum regni Sedeciæ,ideſt,vſque ad exciſam vrbem, addictúmque populum ſeruituti:tunc enim multa pertulit Ieremias à contribulibus, qui ipſius vitæ multis inſidiabantur modis; & nomen in multitudinis odium,& inuidiam trahebant.Ex his tamen omnibus liberauit illũ Dominus; fecítque,vt apud victores hoſtes eſſet in gratia, vt conſtat capite 39. Alterum tempus eſt poſt exciſam vrbem, abactóſque ciues in exilium: in quo occiſo Godolia non leuiora paſſus eſt Propheta à belli reliquiis, quàm antea,dum extaret licèt afflictum Iudæorum imperium.Tam enim in Iudæa ab iis, qui omnino conſtituerant,in Ægyptum ſibi fore concedendum, quàm in Ægypto ab iiſdem cum ſuis ſtudiis infenſum haberent Prophetam, vexatus eſt durè, & tandem lapidibus oppreſſus. De priori tempore ſunt omnia,quæ priùs,de poſteriori quæ deinceps adhibentur.Commemorat autem Propheta priùs, quid Iudæorum Principes, Sacerdotes, & Prophetæ moliti fuerint, & quomodo ab eorum inſidiis,adiuuante Deo, incolumis emerſerit. Deinde orat Deum,vt beneficus, atque patronus eſſe pergat, vt eodem modo inſidias,& conatus hoſce poſteriores Iudæorum euadat,quo priores ipſius patrocinio declinauit. Eſt autem mihi certum, eo tempore Ieremiam hæc ſcripſiſſe, quo duriùs à belli reliquiis vexabatur, ideſt, cùm non leuiora ſupplicia minabatur iis,qui in Ægyptum abierunt,quàm antea ciuibus Solymitanis ante vrbis excidium: quæ habes ſuprà capite 42.43.& 44. His poſitis, facilè, vt credo, deinceps incumbet commentario.

Venatione ceperunt me quaſi auem.] Eodem modo ſe dicit captum ab hoſtibus Propheta, quo volucris ab aucupe;quæ facilè,& ſine vllo aucupis periculo, immo cum magna interdum voluptate,aut in caueam includitur,aut laceratur.Sed id fecerunt aduerſarij gratis, aut quia nulla à Propheta iniuria laceſſiti,aut quia ex eius cæde nullum poterat ſperari compendium. 96.

Verſ.53. *Lapſa eſt in lacum vita mea, poſuiſti,&c.*] 97. צ Sade.
De hoc lacu vide caput 38.& caput 37.Licèt autem ibi non dicatur,oſtio putei,ſiue laci oppoſitum eſſe ſaxeum operculum, non eſt tamen cuiquam pio dubitandum, cùm hoc loco factum affirmet Propheta. Credo autem,ibi nihil fuiſſe traditum de lapide; quia cùm res eſſet vſitata,& quaſi legitima, non videbatur, de illo ſpeciatim aliquid

Puteo, qui carcer eſt, ſaxum peni ſolitum ad os.

aliquid eſſe dicendum. Sanè ita videtur docuiſſe Dauid, qui Pſalmo 68. quaſi de re nota, atque frequenti dixit: *Neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* idcſt, ne obſtruatur, oppoſito nimirum lapide, os putei. Sic Daniel. capite 6. verſu 17. impoſitus eſt lapis ori laci, in quem demiſſus eſt Daniel.

98. צ Sade. Verſ. 54. *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum; dixi, Perij.*] In eo lacu non erat aqua, vt apertè textus ipſe tradit, capite 38. verſu 6. *Tulerunt ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in lacum Melchiæ filij Amalec, qui erat in veſtibulo carceris: & ſummiſerunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum: deſcendit itaque Ieremias in cœnum.* Niſi fortè dicas, alterum carcerem, ſiue lacum, in quem miſſus antè fuerat capite 37. quémque vehementer horrebat Propheta, quia in illo ſpecies erat, ſeu cauſa mortis, aquis abundaſſe, quod non puto. In illo autem carcere multis diebus dicitur fuiſſe Ieremias; in vtroque autem lacu ſic actum eſt cum Ieremia crudeliter, vt ſibi putauerit, ibi eſſe pereundum. Quare dixit ſecum id, quod in extrema deſperatione dicere ſolent infelices, *Perij:* idcſt, iam actum eſt de me: hic mihi lacus æternus erit carcer, ſeu ſepulcrum.

99. *Aqua, pro tribulatione.* Sed etiamſi in lacu aqua non fuerit, non tamen falſum aliquid, aut alienum à vulgari ſermone loquutus eſt Propheta. Eſt enim frequens in Scriptura metaphora, quæ aquas pro anguſtiis, aut tribulationibus vſurpat. Vnus Dauid nobis ſatis ſuppeditauit exẽplorum. Pſalmo 103. *Eripe me, & libera me de aquis multis.* & Pſalmo 17. *Aſſumpſit me de aquis multis.* & Pſalmo 68. *Libera me ab his, qui occiderunt me, & de profundis aquarum.* In quibus locis adiuncta ſatis indicant, aquam accipiendam eſſe figuratè.

ק Coph. Verſ. 55. *Inuocaui nomen tuum, Domine, de lacu nouiſſimo.*] Iam oſtendit, quid opis Dominus attulerit imploratus à Propheta in eo rerum diſcrimine.

100. ק Coph. Verſ. 56. *Vocem meam audiſti: ne auertas aurem tuam à ſingultu meo.*] Audiuit Dominus clamantem Prophetam ex eo lacu, in quo viua ſpectabatur mortis effigies: inde ſpes excitatur in alio non valde diſſimili mortis periculo futuræ à Domini patrocinio libertatis. Cùm ergo auditus eſſet priùs, cùm clamaret, nunc orat, ne in ſimili clamore, atque ſingultu deſeratur; ſed tam habeat Deum attentum, & facilem, quàm expertus eſt olim.

101. ק Coph. Verſ. 57. *Appropinquaſti in die, quando inuocaui te.*] Quomodo Deus de lacu cœnoſo Ieremiam extraxerit per Abdemelech, habes ſuprà capite 38. Tunc autem licèt eo loco nihil habeamus, certum eſt tamen ex eo, quem nunc verſamus, confirmatum eſſe Prophetam à Domino, & ab eo iuſſum, vt bono eſſet, atque ſecuro animo. Dixit enim, *ne timeas*; quod ſæpe Deus eidem antea dixerat, maximè capite 1. verſu 17.

102. ר Res. Verſ. 58. *Iudicaſti, Domine, cauſam animæ meæ, redemptor meus.*] Reus dicebatur mortis Ieremias, atque ideo de anima illi cum inimicis diſceptandum fuit: nam capite 38. verſu 4. orarunt Principes Sedeciam Regem, vt illum occideret, quaſi malum aliquod attentaret in populum: at Deus in cauſa capitis adfuit Prophetæ, liberauitque ab hoſtili calumnia, fecitque, vt iudicaretur non indignus vita.

103. ר Res. Verſ. 59. *Vidiſti, Domine, iniquitatem illorum aduerſum me.*] Non es paſſus, ô Domine, inimicos

A meos ſuperiores eſſe in eo iudiciali congreſſu, & ſcelerati voti videri compotes, quia probè noueras illa conſilia, quæ in caput meum inique moliebantur. Vide caput 18. vbi apparent ſcelerata inuidorum conſilia. *Venite* (inquiunt) *& cogitemus contra Ieremiam cogitationes, & percutiamus eum lingua.*

Iudica iudicium meum.] Quandoquidem non minùs iniquè nunc ab inimicis vrgeor, & in eodem periculo vita mea verſatur, ſuſcipe nunc, ſicut antea, cauſam meam, & mihi in cauſa etiam capitali patronus aſſiſte. 104.

Verſ. 60. *Vidiſti omnem furorem, &c.*] Furorem, cogitationéſque contra Ieremiam illorum eſſe B puto, qui infenſo tunc erant animo in Prophetam, cùm hæc ab illo ſcribebantur: ac ſi dicat, Vt olim hoſtium meorum iniquas cogitationes intuitus, incolumem me ab illorum calumniis, & manibus præſtitiſti; ſic modò cùm videas acerbis odiis iactari me ab aliis, qui me non minùs auidè extinctum eſſe cupiunt, ab eorum me conſiliis, atque inſidiis tuere. 105. ר Res.

Verſ. 62. *Labia inſurgentium mihi, & meditationes, &c.*] Repete per zeugma illud, *audiſti*, quod proximè præceſſit; quaſi dicat: Audiſti, Domine, & noſti probè, quid tota die contra me hoſtes aut loquantur, aut cogitent. 106. ש Sin.

Verſ. 63. *Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum* C *vide; ego ſum pſalmus eorum.*] Vita hominum tota in otio, atque quiete, aut in ſtudio, atque labore eſt: atque ideo neceſſe eſt, vt in labore, atque otio conſumatur. Quare, qui ſeſſionem, & reſurrectionem dixit, ille omnia vitæ tempora, omnia hominum ſtudia, atque molimina complexus eſt. Hic dicendi modus vſitatus eſt in Scriptura. Pſalmo 138. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.* Quod ſtatim explicat, dum addit: *Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti.* Dum ait: *Ego ſum pſalmus eorum*, ſignificat ſe ab aliis in circulis, atque conuentibus irrideri, & ſuum nomen publicis exagitari conuitiis. Sic Iob capi- D te 30. dicebat: *In eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium.* Et Pſalmo 63. ait de ſe Dauid: *Aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant, qui bibebant vinum.* quod nihil eſt aliud, quàm factum eſſe illis in pſalmũ. 107. ש Sin.

Verſ. 64. *Reddes eis vicem, Domine, iuxta opera manuum ſuarum.*] Petit, vt digna ſuis meritis referant, & talia in ſe experiantur, qualia in Ieremiæ caput aut optant, aut parant infortunia. Idem Dauid Pſalmo 27. *Da illis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinuentionum ipſorum.* An verò hæc vota ſint Sanctorum, ſeu certè futurorum prædictiones, iam ſæpe à nobis dictum eſt, & in hoc poſterius inclinant communiter auctores. 108. ת Thau.

Verſ. 65. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.*] 109. ת Thau.
E Locus hic difficillimus eſt, & in eo extricando valde laborant Interpretes. Ego ne longus ſim, à ſententiis aliis vel commemorandis, vel infirmandis abſtinebo, & dicam breuiter, vtinam verè, id quod mihi magis viſum eſt & ad textum, & ad veri ſimilitudinem accedere.

Scuti forma, & vſus. Scutum à clypeo, palia, & parma, diſtinguunt communiter auctores, tum ob alia, tum quòd ſcutum longum eſſet, & totum fermè hominem ambiret, & tegeret. Sic Virgilius libro 8. Æneid. de Gallis:

——— Duo quiſque Alpina coruſcant
Geſa manu ſcutis protecti pectora longis.

Eius

Eius autem erant magnitudinis, vt militum aut æquarent altitudinem, aut non multò eſſent breuiora. De quibus Liuius libro 1. *Pro clypeo ſecundæ claſſi datum eſt* (nempe ſcutum) *quòd ſine lorica eſſent, vt ſcutum & clypei, & loricæ loco eſſet, & totum corpus protegeret.* Hinc fiebat, vt commodè milites innixi ſcutis tanquam in ſcaphis flumina tranſmiſerint, vt tradit Ammianus libro 16. Hiſt. Sanè eius eſſe magnitudinis ſcutum, vt in eo pro pheretro mortuorũ cadauera geſtari potuerint, docet illud Æneid. libro 10. de Pallante occiſo:

——— At ſocij multo gemitu, lacrymiſque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

Quod fieri ſolitum ex more in bello ſuadet illud Lacenæ, quæ filium ad bellum proficiſcentem, porrecto ſcuto, cum hac adhortatione dimiſit, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, ideſt, aut ſcutum redde (erat enim graue dedecus clypeum amiſiſſe) aut in hoc redi, nempe mortuus in ſcuto geſtatus.

110. Ex hac ſcuti magnitudine, ac forma concaua, qualem habent, qui ab Hiſpanis appellantur *paueſes*, fiebat, vt ſcutati tecti dicerentur, ac circundati. Et in Scriptura ſacra frequens ſcuti nomen pro patrocinio ponitur Pſalmo 90. *Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.* Hinc iam ſe oſtentat propoſiti loci ſententia, quam aptè, vt reor, ad ſuperiora ſic informo: Oſtenderat paulò antè Propheta, quàm Deus fideliter in ſua cauſa pugnauerit, vt ſuam fidem, atque conſtantiam, ſcutum eſſe voluerit contra vim, atque inſidias tot Sacerdotum, & Principum, qui priuatum, ac publicum, vulgare, ac regium odium contra Ieremiam inflammabant: nunc, quia diuerſa erant Principum illorum, atque Prophetæ ſtudia, diuerſum eſſe dicitur Diuinum ſtudium, diuerſus animus: nam quemadmodum ſcuto circundedit fidelem Prophetam patrocinij ſui, & fidem, adiutricémque manum ſcutum poſuit, qui laborantem protegeret, & æſtuantem obumbraret; ſic contra, dolorem, & laborem ab vltrice, atque infenſa dextera inflictum, pro ſcuto eſſe voluit, quo circundaret ſceleratos homines, & illorum cor non tam leniret, ſolaretúrque, quàm ſolicitudine, atque angore conficeret. *Laborem tuum* actiuè ſumo, non pro labore, quem Chriſtus ſubiit, vt aliqui volunt, magis, vt credo, piè, quàm ad præſentem locum accommodatè, aut quem Deus ſubiiſſe ſe dicit in perferendis obſtinati populi flagitiis: quomodo dixit Iſaias capite 1. *Laboraui ſuſtinens.* & capite 43. *Præbuiſti mihi laborem:* ſed pro eo, quo peccatorum hominum iniquitatem punit. Quare ſenſus erit: Sicut tuam fidem, ac benignitatem mihi ſcutum eſſe voluiſti, ſic qui me perſequuntur, non aliud habebunt abs te ſui cordis ſcutum, quàm indignationem, laborem, & infortunium.

Hîc Rabbi Salomon quãdam deprehendit paranomaſiam, quales apud Prophetas occurrunt ſæpe non inelegantes. Dixerat ſuprà verſu 63. *Ego ſum pſalmus eorum*, vbi pro pſalmo eſt מנגינה *manguinah*; nunc dicit, *reddes eis ſcutum*, vbi Hebr. מגנה *meguinah*; ac ſi dicat, ego eram illis manguinah, ſed tu illis eris meguinah. 111.

Ego hîc aliquid aliud ſubodoror, quod tantùm lectori expendendum propono: neque enim ego aut mihi aſſumo, aut aliis perſuadeo. Fortaſſe illud מגנה *maguina*, à radice נגן *nagan* deriuatur, à qua eſt illud prius *manguinah*, & pſalmum ſignificat, ſicut etiam vox prior. Neque id durum videtur Hebraicæ linguæ non ignaris, quia נ *nun* in formandis nominibus ſæpe deficit. Quod ſi ita eſt, ſenſus erit: Ego ſum illis pſalmus, & fabula ad conuitium, tu eris eiſdem pſalmus ad laborem, & luctum, quale eſt epicedium, aut ferale carmen, quod in mortuorum exequiis cantari ſolet. 112.

Verſ. 66. *Perſequeris in furore, & conteres eos ſub cælis.*] Explicatio eſt ſuperioris verſus: vbi vides quid ſit ſcutum illud laboris à Domino, nempe exagitari à Diuino furore, & omnino tolli. Sub cælis conteri, idem eſt, atque nullibi locorum poſſe conſiſtere, neque quemquam ſub cælo locum eſſe ab angore, & metu, ſeu à periculo tutum. Hæc de capite tertio. 113. ת Thau.

ARGVMENTVM CAPITIS IV.

DEPLORAT caſum, mutationémque maximam vrbis, templique Solymitani, & interim ad Chriſti mortem ex occaſione vaticinium attollit. Ad extremum dura minatur Idumæis, & populum ſuum abiectum, & exulem conſolatur.

THREN. CAP. IV.

ALEPH.

1. *QVomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum?*

BETH.

2. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo*

IN IDEM CAP. PARAPHR.

1. EHeu, quomodo violato, atque exuſto templo, obnubilatum eſt aurũ, ac offuſcatus color viuidus, & ſplẽdens, quo præter cæteras gentes Solymitana ciuitas radiabat? Lapides, quos ſtante templo in Sanctuario religioſè ſpectabamus, mirabamúrque, iam eo ſubuerſo, temerati, diſperſíque per platearum capita, profani, exiſtimantur & viles.

2. Adoleſcentes Sionidæ nobiles, & ingenui, induti priùs veſtimentis ex auro textili,

quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

A textili, cóque primo, quomodo vaſis, quæ ex argilla formauit plaſtes, quæque ex ſordido miniſterio fuliginem traxerunt, aſſimilati ſunt?

GHIMEL.

3. Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos: filij populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.

3. Infantium, qui materna magis indigebant indulgentia, nihilo fuit conditio melior: neque enim habuerunt à matribus officium illud tenerum, & molle, quod ſuis animantes feræ, catulis impendunt. Lamiæ námque vbera ſuis nudant, & mulgenda porrigunt fœtibus: at matres Sionides ſic filios hiantes, ac morituros deſerunt, ſicut
B ſtruthio auis ſtolida, atque immitis pullos ſuos in ſolitudine relinquit.

DALETH.

4. Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

4. Cùm neque in maternis vberibus lac eſſet, quod ſugerent infantes; neque in ciſternis aqua, quæ arentia humectaret, ac reficeret ora, adhærebat palato præ ſiti paruulorum lingua: & hi, quibus pluſculum acceſſerat ætatis, quóſque pro lacte iam durior cibus alebat, petebant à parentibus panem, neque vllus erat, qui aut vellet, aut poſſet illum porrigere.

HE.

5. Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

5. Pueri porro, quibus ætas erat paulò
C robuſtior, qui experti fuerant adoleſcentis ætatis blandimēta, quíque delicatè veſcebantur, ac lautè, ſic tabe, faméque cōſumpti ſunt, vt in viis paſſim ſtrati iaceant. Qui purpura, & croco priùs induebantur, in ſterquilinio iacebant inſepulti, eo nempe in loco, vbi illos occumbere contigiſſet.

VAV.

6. Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.

6. Multò durius ſubiêre ſupplicium Solymitani ciues, quàm olim Sodomæi: hi námque, quia non humana, ſed Diuina manu oppugnati, atque deleti ſunt, mo-
D mento temporis perierunt. At Iudæi, quaſi corpus affectum lenta tabe: ſic ipſi morte in longa tempora producta, lento bello, & bellicis incommodis abſumpti defecêre.

ZAIN.

7. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.

7. Nazaræi, quorum erat color, atque ſpecies viſenda, candor planè niueus, aut etiam multò ſupra niuem illuſtrior, nitor lacteus, immo & lacte candidior: rubor multò magis accenſus, & viuidus, quàm purpura, & crocus, quo ebur antiquitate pallidum inficitur: qui denique pulchritudine, ac ſpecie ſapphiro non cederent.

HETH.

8. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.

8. Atra ſunt iam, atque deformi facie.
E Et qui hilari aſpectu, & gratis excipiebantur oculis, vix iam in plateis, publicíſque conuentibus agnoſcuntur: ſic enim macie caro conſumpta eſt, vt cutis adhæreat oſſibus; ſic contracta, atque arida, vt non tam carneum aliquid, quàm ligneum videre te putes.

TETH.

9. Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame: quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ.

9. Benigniùs cum illis actum eſt, qui hoſtili gladio, quàm qui diuturna fame perierunt: illos enim gladius repentino ſuſtulit interitu, hos deficientibus terræ frugibus lenta fames abſumpſit.

IOD 10. Ma

IOD.

10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.*

CAPH.

11. *Compleuit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ: & ſuccendit ignẽ in Sion, & deuorauit fundamenta eius.*

LAMED.

12. *Non crediderunt Reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Ieruſalem.*

MEM.

13. *Propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates Sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius ſanguinem iuſtorum.*

NVN.

14. *Errauerunt cæci in plateis: polluti ſunt in ſanguine: cúmque non poſſent, tenuerunt lacinias ſuas.*

SAMECH.

15. *Recedite polluti, clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe ſunt, & commoti dixerunt inter Gentes: Non addet vltrà vt habitet in eis.*

PHE.

16. *Facies Domini diuiſit eos, non addet vt reſpiciat eos: facies Sacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.*

AIN.

17. *Cùm adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum, cùm reſpiceremus attenti ad gentem, quæ ſaluare non poterat.*

SADE.

18. *Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum, appropinquauit finis noſter: completi ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter.*

A 10. Matres, quarum in prolem mollior eſt animus, & maior indulgentia, eò adactæ ſunt ſtimulante fame, vt ex filiorũ carnibus cibum ſibi parauerint. Filij in tantis rerum anguſtiis extremæ matrum ſuarum fami ſubuenerunt.

11. Erupit tandem è Diuino pectore furor antè conceptus, & quod facere Dominus ſtatuerat, re ipſa compleuit. Accendit ignem in Sion, & illam ab imis etiam fundamentis incendio vaſtauit.

12. Sic erat Hieroſolyma ad omnes B belli caſus comparata, vt Reges etiam externi, & omnes habitatores terræ, quibus illa tanta moles ignota non erat, nunquam crediderint, habiturum eſſe hoſtem aditũ, per quem intra mœnia ciuitatis irrumperet.

13. His tot incommodis vexata fuit Ieruſalem, propter Sacerdotũ, Prophetarũmque peccata: quorum inuidia, crudelíque conſilio ciuitas illa tanta effuſo iuſtorum ſanguine redundauit.

14. Hi ergo Sacerdotes, cùm intra mœnia graſſaretur hoſtis, quocunque in loco C cædes occurreret, errabant in plateis, tanquam cæci, ex aliorum cæde maculati ſanguine. Cúmque nullũ haberent in ea perturbatione, atque æſtu, quem ſequerentur ducem, alij aliorum (vt cæcorum eſt mos) laciniis apprehenſis, obuium quemque ductorem ſequebantur.

15. At alij cùm pollutos ſanguine Sacerdotes aſpicerent, antiquo Iudæorũ more, longè illos à ſe faceſſere iubebant, non voce miſericorde, ac leni, ſed cum furore maledicto, ac iurgio. Dicebant enim, quod à Gentibus ſuo generi obiectũ ſæpius au- D dierant, Deum iam à Sacerdotibus receſſiſſe, atque ideo illis nullum à reliqua turba honorem deberi.

16. Repulit (dicebat populus) Dominus Sacerdotes à ſe, neque ampliùs eos aut amplectetur, aut in antiquum gradum, & ordinem reſtituet, atque ideo neque ſacer ille ordo venerationi fuit, neque ſenilis ætas, qualem eſſe Sacerdotibus oportet, ad miſericordiam inflexit.

17. Antequam res Iudaicas vis, & arma Chaldæorum euerterent, expectabamus E attenti, & vigiles auxiliares Ægyptiorum copias, quæ tamen expectatio vana fuit, cùm auxilium illud tandiu expectatum non tam nobis ſaluti futurum eſſet, quàm exitio.

18. Adeò enim Ægyptiæ vires nobis ſubſidio non fuerũt, vt etiam, quæ tuta fore videbantur, nobis eripuerint. Reddiderunt námque nobis ita lubrica, quæ ſolida exiſtimabantur, & firma, medias nempe

A Hieroſolymæ plateas,vt tutò in illis veſtigia inſiſtere non poſſent. Denique, vt Sacerdotum peccata,& ſpes in Ægyptiorum viribus, reclamante toties Domino,locata iampridem exigebant,finis aduenit, & extremus dies ciuitatis ; finis,inquam, quod repetens doleo, Solymitanæ gloriæ, & noſtræ libertatis aduenit.

COPH.

19. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cæli: ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis.*

19. Cùm res Iudaica ad extremum eſſet adducta diſcrimen,ſalutem nobis,& libertatem fugiendo captabamus, ſed fruſtra : hoſtes etenim noſtri,quorum velocitatem
B aquilarum volatus non præuerteret, perſequuti ſunt nos in deſerto,vbi inſidiis exceperunt fugientes.

De Chriſto.

RES.

20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus.*

20. Cùm eorum,quos in deſerto comprehenderunt,occiderúntque Chaldæi,recordor,maximè Sedeciç,in quo durè,contumelioséque vexato, regium nomen habitum eſt ludibrio,ſubit mentem meã Seruator Chriſtus,qui non minùs ignominioſè,ac durè vexatus eſt. Ecce Chriſtus Do-
C minus,qui nobis ſalus erat,& vita, propter peccata noſtra mortuus eſt;cui in votis noſtris ſæpe dicebamus, etiã cùm inter Gentes, & alienos populos ageremus, ſub eius alis nobis futurum eſſe perfugium.

Iterum hoc ipſum de Ioſia.

RES.

20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus.*

20. Ex eo tempore tentari cœpit,ac labi Iudæorum fortuna, cùm Rex Ioſias,qui id præſtabat, commiſſo ſibi regno, quod ſpiritus corpori cæſus occubuit ; ſed no-
D ſtris id exigentibus culpis ſublatus eſt ille, qui nobis halitum præſtabat,& vitam : ſub cuius vmbra tutò nos inter Gentes habitare poſſe credebamus.

SIN.

21. *Gaude,& lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.*

21. Et tu Idumæa,quæ terram habitas Huſitidem, quæque cum hoſte Chaldæo in noſtrum quoque nomen coniuraſti, in noſtro nunc interitu lætaris, & triumphas: ſed lçtaris prorſus intempeſtiuo,atque immaturo gaudio. Aderit námque tempus, cùm ex eodem poculo largè bibas. Tunc autem,quod temulenti faciunt,quod ma-
E ximè cælatũ oportuit,nudabis, téque aliorum oculis irridendam præbebis.

THAV.

22. *Completa eſt iniquitas tua filia Sion, non addet vltrà vt tranſmigret te: viſitauit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua.*

22. Et tu Sion, quæ in alienas ſedes exul tranſmigraſti, hac ſolitudinem, & orbitatem tuam conſolatione ſuſtenta ; hoc extremum erit ſupplicium, quod de iniquitate tua ſumet Deus, cuius iam deferbuit grauis antea, atque inflammatus furor ; neque iam ampliùs poſthac patrium ſolum mutabis : non ſic tibi continget, ô Idumæa, cuius Dominus iniquitatem reuelabit, ac puniet.

IN

IN CAPVT IV. THRENORVM IEREMIÆ.

Verſ. 1. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?*]

1. א Aleph.

DE templo abſque dubio ſumendus eſt hic verſus, in quo paucis verbis grandem templi ruinam ad pathos exponit. In tẽplo fuêre quamplurima, quæ tum propter artificum commenta, artíſque' prę-ſtantiam, tum propter mareriȩ nobilitatem, atque ſplendorem, pro miraculo, non in Palæſtina ſolùm, ſed orbe etiam toto exiſtimata ſunt: quæ ſanè non minùs iam proſtrata admirationis, & doloris attulerunt, quàm integra priùs ſtuporis, ac religionis attulerant. Hæc explicat vno verbo Propheta, dum ait, obnubilatum, atque offuſcatum eſſe aurum, & colorem antea ſplendentem, & viuidum, cadẽte templo, fuiſſe mutatum. Quidam aurum hîc propriè ſumũt pro inauratis tabulis, aut pro cruſtis, quibus ſacrariora quæque loca tegebantur, quibus ex incendio fumus nitorem eripuit. Neque ego abnuo, verumtamen veriſimilius mihi eſt, orationem eſſe figuratam, & vno verbo, oratorio modo fuiſſe propoſita, quæ deinde toto capite latiùs explicantur. Quaſi dicat Propheta, mutatam eſſe rerum ſpeciem, & quæ priùs bene videbantur conſtituta, ac ſplendida, vt copioſam, & lautam ciuitatem addecet; ſic eſſe iam deformata, ac ſordida, vt nullum appareat ex antiqua dignitate veſtigium. Sed quia nihil in tota ciuitate cum templi ſplendore, atque opibus conferri poterat, immo templum ſolum totius ciuitatis ſplendorem, & opes longè ſuperabat, ideo de templo multis in locis inaurato præcipuum ſermonem eſſe arbitror, quem fumus, & incendium miſerandum in modum deformauit.

Templi Solymitani ſplendor.

2. *Diſperſi ſunt lapides Sanctuarij per capita omnium platearum.*] Quidam hæc allegoricè capiunt de Sacerdotibus, atque his, qui plurimùm ex inſtituto morabantur in templo, quos hoſtile ferrum fœdè trucidatos per omnes ciuitatum angulos, & platearũ capita latè diſperſerat. Ego nihil hîc eſſe puto metaphoricum, ſed propriè ſumo Sanctuarij lapides, quos eſſe profanatos, & aliorum inſtar in foro diſperſos, in quos aut offenderent polluti pedes, aut incurrerent belluæ, non poterat non grauiter effodere religioſum animum. Ex effectu non diſſimili pathos quæſiuit Maro libro 2. Æneidos, cùm deuolui dixit ex regia Priami deauratas trabes, in quibus decora maiorum, & antiqua ſplendebant Regum inſignia:

Auratáſque trabes veterum decora alta parentum
Deuoluunt. ———

3. Verſ. 2. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo.*] A templo iam ad alia, quorum ſtatus, atque ſpecies infelix, incumbit lamentatio. Et primùm agit de iuuenibus, quorum ſpecies decora, & cultus elegans; hi verò exiſtimantur fuiſſe adoleſcentes nobiles, & vrbis deliciæ: neque enim alij in aureis amiculis ſolent incedere, aut inclyti vocari. Adoleſcentes autem elegantes, & nobiles aureis ramentis ſolere in ſuis deliciis capillos inſpergere, docet Ioſephus libro 8. Antiquitatum capite 7. *Equis optimis* (inquit) *Salomonis inſidebant equites, flos iuuentutis, procera ſtatura, prolixóque capillitio conſpicui: adhæc ramẽtis auri capillos quotidie ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contactum fulgor è capitibus eorum reflecteretur.*

ב Beth. *Adoleſcentium nobilium ornatus.*

4. *Quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?*] Quæ vilia ſunt, & nulli iam vſui, prouerbiali figura, aut vas confractum, aut è vaſe teſta vocari ſolent. Sic Dauid Pſalmo 17. *Factus ſum tanquam vas perditũ.* Iſaias capite 30. de hoc eodem tempore: *Comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus.* Idem Ieremias ſuprà capite 18. Sed hîc non tam teſtæ confracti vaſis, quàm vaſi teſteo, ſeu fictili comparantur elegantes, & inclyti filij Sion; ídque, vt reor, non ſolùm propter materiam (quæ viliſſima eſt, vtpote lutea, quæ optimè opponitur aureæ, ex qua conflati exiſtimari poterant illi, qui tanquam aurea vaſa inclyti vocantur, & amicti auro primo) ſed propter colorem fuliginoſum, & obſcœnum. Nam eiuſmodi vaſa, quæ ex argilla fiunt, & opus figuli dicuntur, plerunque foco ſeruiunt, & culinæ, vnde atrorem trahunt, & ſpeciem fœdam. Quare cùm facies fœda ſignificatur, & nigra, ollæ comparatur. Ioëlis capite 2. *Omnes vultus redigentur in ollam.* Sed quia vaſa hæc teſtea plerunque ſunt ad contumeliam, & ignobiles vſus, ideo fortaſſe inclyti illi adoleſcentes in vaſa reputantur teſtea, quia ad vſum non ſolùm ſordidũ, ſed etiam nefarium ſubacti ſunt. de quibus eſt illud capit. 5. verſu 13. *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt.* & ita Chaldæus indicat, cui è recentioribus aliqui ſubſcribunt. Aut certè teſteo vaſi comparantur pulchri olim adoleſcentes, & lauti, quia facies antea nitens, & ſucci plena, ſic exhauſta eſt, & attenuata macie, vt teſtæ videretur ſimilis, quæ excocta igni vehementer aruit. Sic Dauid eadem vſus ſimilitudine, quàm eſſet confectus macie ſignificauit, Pſalmo 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea.*

Prov. *Vas fictile, pro re futili.*

5. Verſ. 3. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos.*] Ab adoleſcentibus ad infantes planctus traducitur, qui etiam in ea rerum anguſtia extrema omnia, & vix ad illud vſque tempus audita pertulerũt: vt enim ſtatim clariùs lamentatur Propheta, famelicæ matres non ſolùm non lactarũt infantes, quia inexhauſto corpore præ fame, lactis quoq; fontes exhauſti ſunt, ſed etiam laceratos & coctos in ſua rurſus viſcera condiderunt. Hanc matrum ſiue crudelitatem, ſiue miſeriam amplificat Propheta exemplo diſſimili earum ferarum, quæ aut minùs exiſtimantur piæ, & prolis amantes, & magis ſtolidæ; quæ tamen nudant vbera, illáque mulgenda tradunt catulis ſuis. De lamiis nihil inuenio certum; quidam mõſtra eſſe putãt biformi ſpecie; alij ſphinges vocant; alij alia fingunt, quæ ſcrutari, aut repetere, nõ eſt animus, quia nihil occurrit, in quo acquieſcat. Illud eſt certum, crudele aliquod genus aut eſſe, aut fingi belluarũ, quæ tam abſunt, vt teneris infantium annis indulgeant, vt potiùs lacerent. Quare hoc nomen datum eſt veneficis

ג Guimel. *Lamia quid.*

 qui

quibuſdam fœminis, quæ à malo inſtinctæ dæmone infantium inſidiantur vitæ, atque nocturno maximè tempore ſuffocant. Hebraicè dicuntur תנים *tanim*, quod Vulgatus Dracones vertit, & Sirenes: de quibus vide quod nos de hac voce Iſaiæ capite 13. numero 28.

6. *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.*] Crudelis hîc appellatur ſtruthio, vnde ab Hiſpanis fortaſſe *aueſtruz*, quaſi auis trux, niſi mauis, quod ego magis probo, quaſi auis ſtruthio. Hæc à Iob. capite 39. crudelis etiam vocatur, & ſtolida in filiorum cura. *Penna* (inquit) *ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, & accipitris. Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? Obliuiſcitur, quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filiòs ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtra laborauit nullo timore cogente. Priuauit enim eam Deus ſapientia.* De hac ſtruthionis crudelitate in pullos nihil dicunt auctores. Immo Ælianus libro 14. à capite 19. de illius cura in fouendis ouis, & nutricando fœtu, de conſtruendo nido, in cuius fabrica ſingulare quoddam artificium miratur, multa dicit. Fortaſſe ideo cum ſtruthione Solymitanæ matres comparãtur, quia poſtquam incubatione, ſeu, vt aliis placet, oculorum aſpectu, pullos excluſerunt, ſtatim deſerunt; vnde Iob ſcribit: *Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* Quod etiam fecerunt matres iſtæ inclementes, & duræ; neque magis curant, quàm corui pullos, quos deturbarunt è nido, ac Diuinæ prouidentiæ alendos permiſère. Et huc fortaſſe ſpectauit Michæas capite 1. vbi luctus meminit ſtruthionũ. *Faciens* (inquit) *planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum:* pulli enim à matribus derelicti, vrgente fame, neceſſe eſt vlulent, claméntque, ſicut de coruorum pullis cecinit Dauid Pſalmo 146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.*

Struthio in filios crudelis.

Iob. 39.

Mich. 1.

7. Verſ. 4. *Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti.*] Ætas quò magis debilis, & infirma, magis eſt ad motum excitandum idonea, ideo in infantium explicandis incommodis immoratur Propheta. Sitim verò tã eſſe puto lactis, quàm aquæ: vtrunque enim defeciſſe in longa ciuitatis obſidione, aut in tranſmigratione populi, ſi de eo tempore ſermo eſt, ſatis eſt veriſimile: vnde enim lacte augeſcerent genitricum vbera, cùm cibus eſſet nullus, quod lacteſceret? Quare ex ſiccis vberibus nihilo plus lactis exſuggebãt infantes, quàm ex arida ſpongia. Porro in ſiti, atque etiam in fame, adhærere ſolitam palato linguam, experientia ipſa docet; & credo prouerbialẽ eſſe formam apud Hebræos. Pſalmo 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis.*

ד Daleth.

Prov.

8. *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*] De infantibus proximè, nunc de illis, quibus iam pluſculum acceſſit ætatis, quos paruulos vocat; qui, quemadmodũ alij ad materna inhiabant vbera, quæ à matribus extrema confectis macie aut negabantur, aut nudabantur arida, ſic hi panem orant, fame iam iam morituri, neque vllus eſt, qui porrigat. Cur panis dicatur nõ tam ſcindi, quàm frangi, diximus in noſtris Commentariis ſuper Acta, quæ huc libet tranſcribere, quia non minùs hîc, quàm ibi neceſſaria. Sic autem nos: ibi ad illud capitis 2. *Frangentes circa domos*

Panis cur dicatur frangi.

9. *panem.* Supereſt, vt dicamus, cur panis hoc loco frangi dicatur, non ſcindi: nam quòd frangi idem ſit, quod diuidi, nemini credo dubiũ eſſe. Rationem nominis quærimus. Qua de re optimè Baronius 5. tomo Annalium anno 38. vbi dicit, accepiſſe ſe à Rabbino Iudaicæ antiquitatis peritiſſimo, ſolitos eſſe Iudæos panes ita fingere, vt profundæ lineæ indecuſſim traiectæ illos ita diſtinguerent, vt crebræ, ac minutæ, tanquam areolæ, concluſæ lineis per totam faciem panis relinquerentur, quæ buccellæ vocãtur. Sane apud Romanos, panes in quadras diſtingui notum eſt, & probat ſatis Virgilij Moretum, vbi in fingendis placentis ruſtica mulier hunc ordinem ſeruaſſe dicitur. Non tamen credo quadram dici quartam partem panis, vt eſt communis fermè hominum exiſtimatio, ſed quadratam illam buccellã, quam lineis tranſuerſis deſcriptam eſſe diximus: idque mihi perſuadeo, quia βλωμίλιος panis iuxta rationẽ nominis eſt, qui buccellatim diſtinguitur: at nemo buccellam dicit quartam partem panis; ſed blomilius, vt inquit Athenæus libro 3. eſt quem Romani quadratum appellant; item, quia plurimas eſſe quadras in placentis tradit Martialis libro 9. Epigram. 92.

Panis qua forma.

Quadra panis quid?

Secta plurima quadra de placenta;

quod de quatuor partibus dici nõ ſolet. Et idem libro 6. Epigram. 75. quadram aliquid eſſe minutum, ac vile indicat.

Cùm mittis turdúmque mihi, quadrámve placentæ,
Siue femur leporis, ſiue quid his ſimile:
Buccellas miſiſſe tuas te, Pontia, dicis.

Ecce quomodo quæ priùs *quadra*, nunc vocatur buccella. Accedit, quòd cùm panis rotundus ſit, vt in Moreto docet Cybale, de qua Virgilius:

——— *iámque ſubactum*
Format opus, palmiſque ſuum dilatat in orbem,
Et notat impreſſis æquo diſcrimine quadris;

non bene quarta pars appellatur quadra, quia quarta pars circuli quadrari non poteſt. Et quidẽ inſtrumenta menſurarum, quibus ſuppoſitis minutim epulas concidimus, tunc quadræ dicũtur, ſi quadrata fuerint, ſi rotunda, dicuntur orbes. Accedit, quod Heſiodus 2. libro operum, & dierum, meminit panis in triginta duas buccellas diſſecti ἄρτον δειπνήσας τετράτρυφον ὀκτάβλωμον. Quod Ioannes Tzetzes ita explicat, vt panis quatuor habeat inciſiones, eáſque in crucis ſimilitudinẽ traiectas, ita vt quælibet octo buccellas habeat, quæ efficiunt triginta duas buccellas. Quare errant, qui putant apud Heſiodum, panem in octo buccellas, aut quadras eſſe diuiſum: neque enim quocunque modo quatuor lineas in ſolido deſcribas, octo poſſunt effici partes. Buccellati panis meminit Ammianus Marcel. libro 7. Spartianus in Peſcennino, & Paulinus, & Theraſia in epiſtola 36. inter epiſtolas Auguſtini. Panis autem ille eſt, qui ad diuturnitatem excoquitur, qui vulgò *bis coctus* dicitur, aut nauticus; qui ideo in buccellas diſtinctus eſt, vt ſulci in pane altiùs impreſſi intima etiam nuda, atque aperta torrentibus flammis exhiberent: neque aliam ob cauſam puto panem à Romanis traiectis in aduerſum lineis incidi.

Idem etiam in vſu eſſe apud Hebræos indicat modus ipſe loquendi: *nam frangi panis dicitur, fragmen, & fragmenti panis, & buccella* nomen frequens. Quòd verò manu tantùm frangi potuerint ſupradicti panes, faciebant inciſiones illæ, ſeu lineæ profundæ, quæ buccellas quadrabãt. Hinc diſces, cur toties cùm Euchariſtia fidelibus porrigitur, panis dicatur frangi. Debuit enim ille, qui conſecrabatur panis, etiamſi id non ferret frangendi panis conſuetudo, in exiguas partes diſtingui, tum vt ſimiles eſſent buccellæ, & in commodiorem formã diuiſæ, tum ne micæ defluerent, quod 10.

Eucharistia cur dicatur frangi.

maximè

maximè omnino caueri debuit. Et ſanè Tertullianus libro de Monogamia capite 11. partes Euchariſtiæ, quæ domum à fidelibus deferebantur, buccellas vocat, vt ibi notant Renanus, & Pammelius. Cuius rei habemus etiam nunc aliquod veſtigium in eo pane, qui nunc inter Miſſarum ſolennia benedicitur, & inter fideles diſtribuitur; quod monumentum quoddam eſt Euchariſtiæ olim frequentiùs obitæ: is enim ita communiter incîdi ſolet, vt partem cuilibet fidelium tradendam tranſuerſæ, ac in ſe viciſſim incurrentes lineæ definiant. Certè olim panem benedictum buccellatum eſſe docent Paulinus, & Tharaſia, epiſtola 36. de qua nuper: *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter, ac filio noſtro Licentio miſimus: non enim potuimus à benedictione ſecernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere.*

11. Verſ. 5. *Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis.*] Ad ætatem aliam aliquantulò grandiorem progreditur oratio. Ante extrema Sedeciæ tempora delicatè, ac molliter nutriebãtur pueri, quia res Iudaica tunc non erat anguſta, neque matribus amor, aut facultas deerat, vt filiós voluptuosè, & indulgenter alerent. Sed illi iidem, qui experti fuerant naturæ adoleſcentis blandimenta, ſic fame, tabéque miſeri conſumpti ſunt, vt in viis paſſim ſtrati contabuerint, neque vlla fuerit parentibus ſepeliendi facultas, adeò mutata fortuna fuit. Porro hîc de viis, compitíſque ciuitatis, aut de viis, quæ ex vrbe ducunt Babylonem, ſermo eſſe potuit: vtroque námque loco periiſſe delicatam illam ætatem, veriſimile eſt, & in ipſis viis vel à cognatis, quia non poſſent, vel ab hoſtibus, quia nollent, inſepultam eſſe relictam.

Hc.

12. *Qui nutriebãtur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.*] De eiſdem credo adhuc ſermo eſt: iidem enim videntur, qui voluptuosè delicatis veſcebantur cibis, & qui nunc croceis, ideſt, nitentibus veſtimentis induuntur, quibus nempe matres victu, veſtitúque ad voluptatẽ, & delicias indulgebant. Eſt, qui pro croceis legendum eſſe putet cocceis, ſeu coccinis, quia id videtur ſibi velle Hebraica vox תולא *tholea*, quæ vermiculum ſonat, & ita conuerterũt Septuaginta, & à recentioribus nonnulli; ſed ſanè mutari non debet vulgata lectio, quam nunc habemus, vtcunque ſit de prima Hebraicæ vocis conuerſione: nam etiam croceus color his annumeratur, qui rubri ſunt, atque purpurei. Sic Gellius libro 2. capite 26. *Rufus* (inquit) *color à rubore quidem appellatus eſt; ſed cùm aliter rubeat ignis, aliter ſanguis, aliter oſtrum, aliter crocus, has ſingulas rufi varietates Latina oratio ſingulis, propriíſque vocabulis non demonſtrat, omniáque iſta ſignificat vna ruboris appellatione.* Vtcunque accipias, conſtat, colorem illum ſuauem eſſe, & à delicatis geſtari ſolitum. Porro à croco, ſeu croceo colore veſtimenta quædam *crocotam*, ſeu *crocotulam* vocari, ſatis eſt notum.

Croceus color in rubris numeratur.

13. *Amplexati ſunt ſtercora.*] Hîc varij ſunt Interpretes; quidam ſtercus amplexatos eſſe dicunt pueros antè delicatos, qui voluptuosè veſcebantur, quia ſtercore paſcebantur columbino, quod magno ſibi pretio comparabãt. ita ſanctus Thomas, Dionyſius, & Hugo.

Alij tunc amplexatos eſſe dicunt ſtercora, quia qui priùs ſuper lectulos croceis inſtratos veſtibus cum exquiſita munditie dormiebant, iidem

A ſecum actum exiſtimabant perquàm bellè, ſi fimetum haberent, aut ſterquilinium, vbi infelices noctes cubando tranſigerent, quod hoſpitium, tanquam magnum aliquod beneficium, obuiis amplectebãtur manibus. ita probare videntur Rabbi Salomon, Lyra, Figueirus; neque diſplicet Caſtro.

Non nemo ſuſpicari poſſet, de inſtituto hîc agi, ſeu miniſterio, quod apud Babylonios ſubierunt Iudæi, apud quos nihilo honeſtiorem vitam, quàm poſtea apud Romanos habuerunt; quare, vt auctor eſt Iuuenalis, teſtis ipſe oculatus, tota ſupellex fœnum erat, in quo cubarent, & cophinus, ſeu ſporta, quę viliſſimis ſeruiret miniſteriis: B ſic autem ille Satyra 3.

Iudæorum vile miniſterium.

——— *Delubra locantur*
Iudæis, quorum cophinus, fœnúmque ſupellex.

Dicit autem Auguſtinus in illud Pſalmi 80. *Manus eius in cophino ſeruierunt: Per cophinum ſignificantur opera ſeruilia, mundare ſtercora, terram portare*, &c. Cùm autem occaſio ſeſe offerret exportandi ſtercora, illa libenter videbantur amplexari, quia eo labore quæſtus parabatur, & victus.

Ego hæc ita probo, vt tamen multò putem 14.
probabilius, horũ cadauera, qui in croceis olim ſtragulis dormiebant, amplexari ſtercora, ideſt, in ſterquiliniis extabuiſſe, quod perinde eſt, atque aſinorũ ſepultura fuiſſe tumulata. Sterquilinium C autem voco, nõ fimetum, aut locum congregando ſtercori deſtinatum, ſed quamcunque partem, vbi cadauer ipſum inſepultum computruit; vt pluribus oſtendimus ſuprà capite 16. numero 5. Hæc autem explicatio ideo mihi probatur magis, quia de mortuis videtur hîc agere Propheta: priùs enim dixerat eos, qui veſcebantur voluptuosè, interiiſſe in viis; nunc autem dicit, amplexatos ſtercora, ideſt, in ſterquilinio, eo nempe in loco, vbi ceciderũt in viis: nam ſterquilinium vocatur quicunque locus immundus, licèt nihil habeat ampliùs impurum, & obſcœnum, quàm quod ab ipſius cadaueris ſitu contraxit.

Verſ. 6. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi* 15.
D *mei peccato Sodomorum.*] Multi hîc iniquitatem, & peccatum propriè ſumunt, rationémque reddere contendunt, cur grauiùs peccaſſe cenſeantur Iudæi, quàm Sodomitæ. Sed ſanè, vt ex ſequentibus conſtat, non tam de peccato vtriuſque populi, quàm de peccati ſupplicio ſermo eſt: etenim ratio, quæ ſtatim ſubiicitur, non tam peccatum cum peccato, quàm ſupplicium cum ſupplicio componit. Fateor, ex ſuppliciorum diuerſitate coniectari poſſe peccatorum in vtroque populo diſcrimen, præſertim cùm ab æquo, atque ſapiente iudice pro delicti menſura pœnarum modus conſtitutus ſit. Verumtamen ipſa dicendi forma in aliam cogitationem verba trahit. Et ita putant plerique è recentioribus, tametſi ex E antiquis multi contrà ſentiant. Non hîc diſputo an grauiùs peccauerint Iudæi, quàm Sodomitæ, ſed an de peccatorum comparatione nunc agat Propheta. Maiora fuiſſe Iudæorum peccata dicit Ezechiel capite 16. verſu 48. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma ſoror tua ipſa, & filiæ eius, ſicut feciſti tu, & filiæ tuæ.* In ſuis ſibi ſceleribus placuiſſe Iudæos, ſicut antè Sodomitas, tradit Iſaias capite 3. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, neque abſconderunt.* Quòd verò iniquitas, & peccatum, pro iniquitatis, atque peccati ſuppliciis ſumatur in Scriptura frequenter, ſatis conſtat iis, qui in ſacra lectione verſati ſunt

ו Vau.

mediocriter.

16. *Quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.*] Diſcrimen proponitur, quod præcipuè in illarum vrbium vaſtatione ſpectari potuit. Ciuitas quippe Solymitana quaſi corpus lenta tabe, ſic ipſa lento bello, & his incommodis, quæ bellum comitantur, conſumpta eſt, non breui, aut repentina ſtrage, ſed morte in multos annos, & in varia rerum diſcrimina producta. Vbi ſpectari licuit plurima morte ipſa, & extremo Reipublicæ caſu grauiora: qualia fuêre aſſidua mortis expectatio, amicorum cædes, inſepulta cadauera, eò fames adacta, vt è natorū carnibus menſas inſtrueret, & alia plura ingenuis animis indigniſſima. At Sodomæ, & viciniarum ciuitatum exitium momento temporis inexpectatum accidit, ita vt priùs eſſent vrbes ſubuerſæ, quàm ſubuerti poſſe timerentur. Porro hoc mortis genus eſſe optabile, certè ab hominibus optari dixit

17. Iob capite 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* Idem externi ſæpe clamāt, qui in breui, ac repentino caſu aliquid felicitatis eſſe putant. Sic Horatianus negotiator Satyra 1. militis inſtitutum laudat, qui non diu conflictatur cum fluctibus, ſed momento temporis aut vincit, aut moritur:

Breue, ac repentinū mortis genus, fœlix à quibuſdam exiſtimatum.

Militia (inquit) *eſt potior: quid enim? concurritur: hora*

Momento cita mors venit, aut victoria læta.

Illud, *& non ceperunt in ea manus*, aliquid habet impeditum; Hebraicè eſt לא חלו *lochalu*; Septuaginta conuerterunt, ἐπόνεσαν, ideſt, *laborarunt*; Symmachus ἔτρωσαν, ideſt, *vulnerarunt*, nempe hominum manus, quæ lentè aliquid faciunt; ſed Dei, qui temporis momento Sodomam deleuit: ſed neque Vulgati mens alia: ſignificat enim, manus hominum nihil incœptaſſe, aut, quod idem eſt, nihil eſſe molitas contra Sodomam. Illud autem, *in ea*, per accuſatiuum expone: præpoſitio namque ב cui Latinè reſpondet, *in*, accuſatiuum etiam habet; niſi ita accipias, in ea expugnanda adeò non perfecêre negotium humanæ manus, vt neque aggredi tentauerint, aut oppugnare cœperint.

18. Verſ. 7. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte.*] Addit iam alia ad commiſerationem grauia, ad dolorem acerba, propoſita fortunæ mutatione illorum, qui cùm conſecrati eſſent Deo, & ad illius honorem, & cultum deſtinati, ad vilia, ac ſordida miniſteria traduci non debuerant. Dicuntur autem hi candidiores niue, & lacte, nō ſolùm propter nitorem, candorémque faciei, cuius in hac Nazaræorum ſeparatione, atque delectu, aut nulla, aut non ſemper videtur habita ratio: ſed etiam propter veſtimentorum munditiam, & elegantiam, quæ in his, qui Deo propiores, magíſque familiares eſſe exiſtimantur, vulgaris eſſe non ſolet. Sanè cùm Machabæi ſolliciti eſſent de his, quæ apud ipſos magno eſſent in loco, quibus ne quid ab hoſtibus accederet mali metuebant, in his maximè numerant Nazaræos libro 1. capite 3. verſu 49. *Expanderunt libros legis, ex quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum, & attulerunt ornamenta ſacerdotalia*, &c. *& ſuſcitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies, & clamauerunt voce magna in cœlum dicentes: Quid faciemus iſtis, & quò eos deducemus?* & Amos capite 2. beneficij magni loco ponitur, quòd ex populo Deus excitauit Nazaræos. *Suſcitaui* (inquit) *de filiis veſtris in Prophetas, & de iuuenibus*

ᵹ Zain. Nazaræorū ſpecies, & honor.

A *veſtris Nazaræos.* De Nazaræorum inſtitutis, & viuendi genere habes Numerorum capite 6. & nos nonnihil diximus ad illud Actorum capite 18. *Qui ſibi totonderat in Cenchris.*

Rubicundiores ebore antiquo.] Locus hic diu vexauit, ac diſtraxit auctores: cuius explicatio tam eſt varia, quàm varij ſunt Interpretes; quos hîc numerare non eſt animus, quia longus eſſe nolo. 19.
In Hebraico textu nihil eſt, cui reſpondeat illud Vulgati, *antiquo*, ſed tantùm eſt עצם *eſem*; quod Septuaginta vertunt, ὑπὲρ λίθε, *ſuper lapidē*. Symmachus ὑπὲρ τὰ περίβλεπτα, *ſuper conſpicua, & viſenda*; Vulgatus vertit, *ebur*, quia עצם *eſem*, os eſt, id nempe, quod firmitatem adfert animali. Cùm
B verò os elephantinum primum habeat locum, neque vulgarem commendationem, ac pretium, amplam illam ſignificationem oſſis ad ebur, ideſt, ad os elephantinum, coëgit. Sed erat adhuc grauis difficultas: nam licèt ebur aliquid ſit illuſtre ac nitidum, non tamen rubrū eſt, atque ideo non dêbuit purpureus Nazaræorum vultus cum ebore conferri. Hîc ſudant Interpretes, fingúntque interdum aliqua, quæ non facilè curioſis ingeniis perſuadent. 20.
Dicunt enim quidam ebur antiquitate rubeſcere, quod an ipſi viderint, neſcio, id ſcio, affirmare neminem ſe vidiſſe: quod ſanè frequens eſſe debuit, quando ad explicandum gratum Nazaræorum ruborem ducta eſt inde ſimilitudo: non enim ſimilitudo, maximè ſi quidquam olet prouerbiale, ſumi ſolet niſi ab
C eo, quod frequenter occurrit; ſicut nunc illorum candor cum niue, lactéque confertur. Neque ſi temporeruberet ebur, credo ita gratum futurum colorem illum, vt inde ſimilitudo traheretur, ad explicandum nitorem, qui in Nazaræorum genis purpuraſcit. Fieri enim natura ſolet, vt ſi quis rebus ab antiquitate color inducitur, ingratus ille ſit, & indecorus. Sanè palleſcere antiquitate elephanti dentes, docet Plinius libro 8. capite 3. & illorum iuuenta ex dentium candore facilè cognoſcitur: quod etiam exectis ab elephanto dentibus contingere dicemus ſtatim.

Ego hîc maximè probo, quod viſum eſt ex noſtra Societate Pinedæ in caput 28. Iob, ad illud, 21.
D *Locus ſapphiri lapides eius*, & Caſtro in hunc locū: qui docent, ebur olim colore infici ſolitum purpureo: quod verum eſt, quod adeò fiebat frequēter, vt ebur ſucco illuminatum puniceo locum fecerit aut prouerbio, aut prouerbiali ſimilitudini; qua vſi ſunt antiqui, dum eximiū ex rubore ſplendorem ſignificare ſtudent; quo licèt recens, & candidiſſimum ebur interdum imbuebatur: puto tamen tunc maximè fieri ſolitum, cùm antiquū eſſet, quia iam color ab antiquitate contractus abſtulit ab ebore id, quod in ipſo maximè commendamus, & expetimus. Quòd verò dentes elephantini tempore palleſcant, colorémque trahant prorſus indecorum, & triſtem, docuit ſuprà Plinius libro 8. capite 3. qui in pallore cognoſci
E affirmat elephanti ſenectam; & ſanè nos ipſi in antiquo ebore paſſim experimur. Ne ergo pereat ebur, quod tāto habetur in pretio, color illi purpureus inducitur, quod ignotum fuiſſe huic Prophetæ non eſt veriſimile, cùm vndecunque terrarum Hieroſolymam lautam, atque copioſam vrbem eiuſmodi comportarentur deliciæ, & in vrbe ſolia, atque etiam domus conſtruerentur ex ebore, cui vetuſtas ſplendorem abſtulit, quē purpureus ſuccus additus ab arte reſtituit. Huius rei frequentem, ac familiarem vſum docēt antiquorum

Ebur purpura inficitur.

rum

rum ſcripta, ex quibus huc pauca congeram; plura tibi occurrent, ſi antiquam profanorum eruditionem conſulas. Primus ſit Homerus libro 4. Iliadum, qui dum deſcribit, qualis eſſet ſpecies in Menelao ſaucio, ex ebore tincto duxit ſimilitudinem. Sic autem ille:

Nam veluti quando mulier ebur purpura tinxerit
Mæonia, vel Caira, maxillare vt ſit equorum,
Quo & thalami, equitéſque, & Rex,
Et equus, & quadriga ornari ſolent:
Nō aliter, ô Menelae, crura tibi ſanguine rubebāt.

Hunc imitatus eſt Virgilius libro 1. Æneidos:

Cæſariem nato genitrix, lumenque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores,
Quale manus addunt ebori decus. ----

& meliùs libro 12. cùm deſcriberet Lauiniam pudore ſuffuſam:

Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit,
Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur. -------

Eadem ſimilitudine vſus eſt Ouidius libro 4. Metamor. Statius libro 1. Achilleid. Claudianus libro 1. de raptu; Ouidius vtrunque coniunxit, tam pallere antiquitate, quàm tingi oſtro ebur libro 2. Amorum Eleg. 5. vbi puellam inducit in ſcelere deprehenſam, & igneo rubore perfuſam:

Quale coloratum Tithoni coniuge cælum
Subrubet, aut ſponſo viſa puella nouo.
Quale roſæ fulgent inter ſua lilia mixtæ,
Aut vbi cantatis luna laborat equis.
Aut quod, ne longis flaueſcere poſſit ab annis,
Mæonis Aſſyrium fœmina tingit ebur.

22. At dices, ſi rubor hic commendatur in Nazaræorum genis, multò faciliùs cum ipſa purpura potuiſſet conferri, cui naturalis rubor non cum ebore, cui aſcitus eſt aliunde puniceus ille ſplendor. Reſpondeo, aliter in lana bis tincta, & in ipſo cocco rubere igneum illum colorem, atque in genis: in his enim viuus eſt, & nitidus color, & vibrans ex ſe aliquid igneum, quod non facit in cocco, ac murice, aut in aliis materiis, putà lana, ac ſerico, in quibus rubet, non rubicat purpura; quomodo aliter color albus apparet in charta, & lacte, aliter in niue: in hac enim candicat, & emicat color ille candidus, in illis tantùm albet. Hoc planè videmus in ebore, aut in aliquo alio oſſe, dummodo terſum ſit; in quo renidere colorem conſpicimus, & vibrare ex ſe aliquid lucidum, & illuſtre, quod neque ſericum facit, neque materia alia quantumuis pretioſa. Dum ergo genarum rubor aptè explicandus fuit, ab ebore infecto murice trahi debuit ſimilitudo.

23. Sunt qui *antiquum* hîc idem eſſe cenſent, quod pulchrum, pretioſum, aut charum, quia id aliquando ſonat vox *antiquum*; ſed etiam ſi demus pretioſa, & chara antiqua nominari, quod ſanè dicendum eſt, at non in pretio, ac caritate, ſed in colore rubente, atque purpureo comparatio fit. Quare ſi rubrum non eſſet ebur, eſſet omnino aliena, immo & inepta ſimilitudo.

24. *Sapphiro pulchriores.*] Hebraicè, *exciſio ſapphiri.* Comparatio elegans, & quæ reliquas omnes exſuperat. Quaſi dicat, tales ſunt, quaſi ex ſapphiro eſſent exciſi, & ex ipſo formati: vt enim quem candidum ſignificare volumus ex alabaſtrite lapide formatum, & ſumptum ex lapidicina, vnde candicans ille, & niueus lapis effoditur; ſic quem

A non iam ſapphiro ſimilem, ſed idem cum ſapphiro ſignificare volumus, ex ſapphiro exciſum, & ex eo exculptum appellamus.

Verſ. 8. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.*] Ideo ſuprà Nazaræorum ſpeciem expreſſa tam illuſtris, & elegans, vt magis ex mutatione appareret ſqualor, & deformitas. Ex ſplendore veſtium, ex oris nitore, totóque corporis habitu ad dignitatem compoſiti, cognoſcebantur vbique Nazaræi, trahebántque admirabundos, & beneuolos ſpectantium oculos: at iam exhauſta, & ante ſuum tempus arida, atque rugata cute deformes, non modò in plateis cum lætitia, & plauſu non excipiuntur, ſed neque eſſe exiſtimantur è Nazaræorum ordine; B tanta facta eſt corporis, ſtatúſque mutatio. 25. ח Cheth.

Adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.] Cùm extrema ſignificatur macies prouerbiali forma tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores, cutis dicitur adhærere oſſibus, conſumpto eo, quod erat in animali ſucculentum. Sic Dauid Pſalmo 101. *Adhæſit os meum carni meæ*; vbi caro pro cute ponitur. Iob. capite 19. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.* Tunc autem cutis deficiente ſucco, quod habebat à carnibus, areſcit, & contrahitur, ita vt nigrorem contrahat, & ſimilis appareat carbonibus, & ollæ, vt dixit antè Ioel, & Nahum, vterque capite 2. Eodem loquendi genere vſi ſunt profani in eundem vſum. 26. Prov. *Cutis adhærens oſſibus.*

C Verſ. 9. *Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame: quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ.*] Neceſſe eſt, multa ſubierint acerba, qui eò redacti ſunt, vt conſumptis carnibus cutis adhæreret oſſibus. Quare meliùs dicit actum eſſe cum illis, qui gladio repentè ſublati, quàm qui lenta fame, ac diuturna tabe conſumpti ſunt. Hîc nihil eſt, quod addas ad ea, quæ diximus nuper verſu 6. Illud notandum pro eo, quod Vulgatus reddit, *(conſumpti à ſterilitate terræ*, Septuaginta conuertiſſe, *à frugibus agrorum.* Sed eſt ſententia eadem: ſubauditur enim ibi, *non,* ſicut alibi ſæpe, quando præceſſit prepoſitio מן *min,* vt pluribus oſtēdimus ad illud Iſaiæ capitis 10. *cōputreſcet ruga à facie olei.* ideſt, ab olei defectu. D Quare Septuaginta tranſlatio ſic eſt explicanda, conſumpti ſunt à fructibus agri, nempe deficientibus. 27. ט Teth.

Verſ. 10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos.*] Oſtendit, quomodo mitiùs actum ſit cum his, qui accelerata morte ferro, quàm cum illis, qui lenta fame conſumpti ſunt: non enim eò eſſent adactæ matres, vt filiorum carnibus paſcerentur, quod auerſatur, horrétque natura ipſa, maximè in fœminis, quæ molliùs afficiuntur in prolem. Illud, *miſericordium*, tripliciter explicari poteſt, & ad rem ipſam ſatis accommodatè. Primò, vt amplificetur famis magnitudo, ac rabies, quæ miſericordes etiam, ac amantes animos, à quibus omnis crudelitatis E ſpecies abeſſe ſolet, eò adduxit, vt lacerarent filios, in quorum amorem impotentes ſunt, eóſque in cibos ſibi condirent. & hæc mihi explicatio præ cæteris placet. Alij putant, admixtum hîc eſſe aliquid ironicū, quaſi in matribus neget miſericordiam. Origenes miſericordiæ quoddam genus videtur agnoſcere in natorum cæde, quorum carnibus ſuæ ſibi neceſſitati matres cōſuluerunt: ſi enim leuiora paſſi ſunt, qui ferro, quàm qui fame, tabéque defecerunt, melior ſa- 28. י Iod.

nè conditio fuit filiorum, qui breui materna manu hinierunt, quàm qui diu ægrum traxerunt, atque infelicem ſpiritum. Sanè mater illa, de qua Ioſephus libro 7. de bello capite 8. illata filio morte, liberatum iri filium dicebat infortuniis morte ipſa grauioribus, quæ fames poſtea, & ſeruitus afferret.

29. Portò licèt veriſimilius ſit, filios occiſos à matribus, ex hoc tamen loco, & ex capite 2. verſu 20. nihil habemus ampliùs, quàm coxiſſe matres filios, eóſque ſibi in cibos adhibuiſſe: quod quidem fieri potuit, poſtquam fame, aut morbo filij priùs eſſent extincti. De aliis autem fœminis, de quibus Ioſephus libro 7. capite 8. & 4. Regum capite 6. verba ſunt in textu magis aperta. Hæc omnia Deus minatus antè fuerat populo ſuo, ſi quando à Diuinæ legis obſeruatione recederet, Deuteronomij capite 28.

30. ℶ Caph. Verſ. 11. *Compleuit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ.*] Diu Dominus à cæde cohibuerat vltricem manum; erupit tamen furor iam antè conceptus, &, quod facere ſtatuerat, re ipſa compleuit: tradidit námque incendio ciuitatem, illámque poſt tot rerum diſcrimina, poſt comeſos à parentibus filios, quo nihil excogitari poterat horribilius, à fundamentis euertit.

31. ℶ Lamed. Verſ. 12. *Non crediderunt Reges,* &c.] Is erat ciuitatis ſitus, ea loci natura, ſic ad omnes belli caſus, & machinas comparata præſidia, vt nulla humana induſtria, ac vi expugnari poſſe videretur: quod non ciues ſolùm exiſtimabant, ſed omnes etiam terræ Principes, quibus moles illa tanta ignota non erat. Sanè Iebuſæi olim totum ciuitatis huius ſeu naturali, ſeu comparato ab arte munimento tribuebant, vt à cæcis, & claudis defendi poſſe prædicarent, 2. Regum 5.

32. ם Mem. Verſ. 13. *Propter peccata Prophetarum eius.*] Rationem reddit, cur ciuitas, quæ omni humana virtute videbatur ſuperior, expugnata fuerit: neque enim Chaldæi quicquam potuiſſent, in vrbem tam egregiè munitam, niſi peccata, quæ intus graſſabantur, & hominum vites, & murorum propugnacula ſubuerterent; ſed præſertim meminit ſanguinis iuſtorum effuſi, qui ab vltore Deo quotidie vindictam exigebat. Qui autem fuerint illi iuſti, obſcurum eſt: ſed veriſimile hoc loco reſpexiſſe Prophetam ad Iſaiæ ſanguinem, & aliorum Prophetarum, quos impius Rex Manaſſes magno numero interfeciſſe traditur 4. Regum capite 24. vbi propter illius peccata veniſſe dicitur Nabuchodonoſor, & afflixiſſe rem Iudaicam. *Propter peccata*, inquit, *Manaſſæ vniuerſa, quæ fecit, & propter ſanguinem innoxium, quem effudit, & impleuit Ieruſalem cruore innocentium.* Quod etiam dixit Ieremias ſuprà capite 15. verſ. 4. Aliqui hoc loco ſermonem eſſe putant de illis infantibus, quorum ſanguine patres impias aras imbuebant. Sed ſanè vt hæc grauiſſima peccata fuerint, quibus à Deo aut prædictum, aut impoſitum non leue ſupplicium, at hi iuſti in Scriptura ſacra nominari non ſolent, ſed innocentes, aut alio quouis nomine infantilibus annis accommodato.

33. נ Nun. Verſ. 14. *Errauerunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine.*] Hic locus variè tentatus eſt, & variè redditus ab Interpretibus: &, vt verum fatear, in nulla illorum explicatione acquieſcit animus. Quidam de iuſtis illis hunc locum accipiunt, quorum ſanguis proximè effuſus eſſe traditur: alij de Sacerdotibus, pſeudóqueprophetis, qui iuſtorum ſanguine impias contaminarunt manus: alij de obſeſſis, qui quaſi excæcati reuera fuerunt ab hoſtibus, ſicut Sedecias, & vagi per vrbem in cadauera ſtrata, atque fluentia ſanguine errantes incurrerent.

Ego hæc ſpectare arbitror ad Sacerdotes, & Prophetas, qui ſuprà dicuntur iuſtorum effudiſſe ſanguinem, qui, ſi vlli alij, cæci vocari potuerunt, quo tempore vrbem inuasêre Chaldæi: tunc enim veriſimile eſt, talia fuiſſe paſſos, qualia hìc à Propheta commemorantur. Cùm autem aliquis conſilij eſt inops, & magno agitur curarum æſtu, cæcus appellatur; quia quemadmodum ſi captus eſſet oculis, quò ſe poſſit conuertere non videt. Subaudienda verò hìc eſt ſimilitudinis nota tam in cæcis, quàm in aliis, de quibus poſtea. His verò, qui tanquam cæci, certè ſine conſilio, graſſante intra mœnia Chaldæo, vagabantur, quamcumque ſe darent in partem, occurrebant cædes, & exundans ſanguis, quibus non pedes modò, ſed etiam veſtimenta maculabant: quare illos, quicumque forent obuij, tanquam pollutos auerſabantur. Cùm antè in ea rerum perturbatione, atque æſtu neminem haberent, quem ſequerentur ducem, quia metus, & angor omnium oculis caliginem offuderat, fecerunt, quod cæci ſolent, vt mutuò amplecterentur lacinias, & cæci duces eſſent, & oculi cæcorum, quia eòdem illa cæcorum turba conuolabat, neſcia perfugiúmne, an exitium quæreret. Hæc mihi viſa ſunt in re impedita valde dici poſſe non improbabiliter; deſidero, vt alij melius aliquid inueniant: nam quæ hactenus legi, minùs meo ſatisfaciunt ſtudio, niſi ego quoque cæcus Interpretum lucem non intueor. 34.

Polluti ſunt ſanguine.] Credo re vera pollutos fuiſſe ſanguine illos, qui hoc loco nominantur cæci, quòd ſi polluti mortuorum ſanguine, conſequens etiam erat, vt immunditiam contraherent legalem, & ab alio quocunque repellerentur. Sacerdotes námque, vt habes Leuitici capite 22. verſu 4. qui mortuū tetigerint, immundi ſunt; quare alij omnes aut ſubſannātes, aut quia re ipſa immundos putabant Sacerdotes illos, à ſuo congreſſu repellebant. 35.

Verſ. 15. *Recedite polluti clamauerūt.*] Hæc verba ſunt aliorum, qui pollutos antè iuſtorum ſanguine Sacerdotes, pòſt verò illorum cæde, quibus Chaldæi totam ſtrauerunt ciuitatem, auerſantur, & reſpuunt. Hæc verba credo vſurpari ſolita ab his, quibus occurrebant aliquando polluti. Quòd verò hæc de Sacerdotibus capienda ſint, argumento eſt, quòd non niſi Sacerdotes ex mortuorum contactu polluti cenſebantur. 36. ס Samech.

Iurgati quippe ſunt, & commoti.] Illi videlicet, quibus odioſi fuêre Sacerdotes, qui cùm cæcos illos excipere deberent humaniter; illos tamen, quos iuſtorum ſanguinis reos eſſe nouerant, cum iurgio, atque execratione repellebant.

Dixerunt inter Gentes, non addet vltrà, vt habitet in eis.] Quemadmodum Gentes clamabant, deſertum eſſe populum à Deo, vt habes ſuprà capite 40. verſu 2. vbi Nabuzardan agnoſcit, ab offenſo Deo traditum eſſe populum in manus hoſtiles: ſic etiam populus gnarus quid eſſet in vrbem peccatum à Sacerdotibus, clamabat id, quod puto ſæpius à Gentibus, qui vrbem obſidebant, audierāt, Deum iam à Sacerdotibus receſſiſſe, atque adeò illis nullum à reliqua turba honorem deberi: 37.

debeti : cum qua ſententia perbellè conſentit quod proxime ſubiicitur.

38. Pe. Verſ. 16. *Facies Domini diuiſit eos : non addet, vt reſpiciat eos.*] Verba ſunt populi de Sacerdotibus cæcis, atque pollutis ſanguine, qui clamat à Deo Sacerdotes eſſe reiectos. *Facies* autem *Domini* pro Domino ſumitur. Dominus itaque diuiſit, ideſt, proiecit à ſe Sacerdotes, quos etiam puto ſtatim *ſenes* appellari, neque ad ordinem illum antè ſibi maximè commendatum amplius reſpecturus eſſe dicitur.

39. *Facies Sacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.*] Hæc mihi veriſimilem faciunt cogitationem meam, quòd nempe cætera Iudæorum turba cum irriſione exceperit Sacerdotum cæcam illam ſollicitudinem. Puto autem, vt dixi, eoſdem hîc vocari Sacerdotes, & ſenes, quia non omnes ad Sacerdotium vocabantur, niſi qui iam eſſent nacti Sacerdotalem ætatem, ideſt, illam, in qua conſilium eſſet, & ingenij maturitas; quam grandem fuiſſe oportet: quãdo, vt docet Origenes in principio 4. homiliarum in Cantica, & Hieronymus in proœmio libri 1. Ezechielis, cautum erat ab Hebræis, ne quis initium Geneſis, aut initium, & finem Ezechielis, aut denique Canticum Canticorum legeret, niſi priùs ætatem Sacerdotalem haberet, grandem vtique. Hieronymus triginta annorum eſſe dicit; de ætate nihil hîc diſputo. Illud ſcio, Sacerdotes inter Hebræos vocatos eſſe ſenes, atque ideo in Teſtamento nouo, ex vſu credo veterum dici presbyteros, qui iidem ſunt Græcè, quod Latine ſenes. Duæ ergo erant in Sacerdotibus cauſæ, quæ auctoritatem apud alios conciliare poterant; & nomen ipſum ſacrum, quod honorem indicit, & ætas grandior, quæ ſi afflicta quoquo modo fuerit, miſericordiam mouet. At ſic erant Sacerdotes illi viles, & odioſi, vt nullus eorum ordinem, & nomen ſuſpexerit, neq; ſenilis ætatis ſit miſertus. Hæc mihi in tanta ſententiarum varietate viſa ſunt dici poſſe non improbabiliter: neque tamen in illis mihi ipſi omnino ſatisfacio; quod tamen aut extortum ſit valde, aut alienum à textu nihil video.

Ætas Sacerdotalis grandior.

40. Ain. Verſ. 17. *Cùm adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum.*] Damnat hic Propheta vanam Iudæorum ſpem, ſtultaque conſilia, qui cùm paratum ſibi ſperarent Ægyptiorum auxilium, contemnendas ſibi duxerunt Chaldæorum acies. Qua de re ſæpius à Ieremia clamatum; ſæpe in vanam illam ſpem multa cum aliorum offenſione dicta, propter quæ grauia paſſus, & tantùm non interfectus eſt.

41. ꜭ Sade. Verſ. 18. *Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum.*] Credo, hîc eſſe ſermonem de his, quorum auxilio tutos ſe fore ſperabant Iudæi à Chaldæorum armis: à quibus id conſequuti ſunt, vt ne in medio quidem ciuitatis, & in ipſis plateis, vbi omnia magis videntur expedita, & tuta, veſtigia tutò ponere potuerint. Ac ſi dicat, adeò nobis auxilio non fuerunt, vt quæ nobis tuta videbantur, eripuerint, reddiderintque nobis inſidiarum plena. Hanc ego ſententiam iuxta Vulgati tranſlationem ideo probo, quia verbum, *lubrico*, actiuum eſſe video, neque cui alteri attribui poſſit, facilè inuenio: eſt enim lubricum aliquid facere, ita vt in eo nequeant inceſſu firmo inſiſtere veſtigia. Sanè Iuuenalis Satyra 11. actiuè poſuit:

Lubrico, verbum actiuum.

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.

42. *Appropinquauit finis noſter, completi ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter.*] Tandem vt Sacerdotum, populique peccata, & nimis veſana fiducia in externo auxilio iampridem exigebat, finis aduenit ciuitati, & extremi dies; finis, inquam, quod repetens doleo, Solymitanæ gloriæ, & libertatis aduenit. Eadem ter ingeminata ſententia epitaſim habet. Illud, *quia*, in extrema parte otioſum eſt in trãſlatione Latina, quæ idioma hîc retinuit Hebraicũ, vbi כי quod idem valet quod *quia*, aut *quoniam*, ornatus tantùm gratia adhiberi ſolet: quod à Vulgato ſæpè fieri docuimus in illud Iſaiæ capite 66. numero 30. *Quia parturiuit, & peperit Sion.* ita docet Euthymius in illud Pſalmi 9. *Quoniam laudatur peccator.* Exempla affert Salmeron plurima, Prolegomeno 16. pagina 414. vbi detracta particula illa, conſtat tamen orationis ſententia: *Dicite, quia Dominus his opus habet*, ideſt, dicite, Dominum his opus habere. *Magiſter, ſcimus, quia verax es.* ideſt, te eſſe veracem; & mille alia: ſic nunc poſtremum illud, *quia venit finis noſter*, nihil eſt aliud, quàm *venit finis noſter*.

Quia, interdum otioſum.

Verſ. 19. *Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cæli.*] Multi Iudæorum, intenta ſæpe fuga, ſalutem ſibi quæſierunt, & ad extremum cum præcipua nobilitate Sedecias; ſed neque aſtu eludere Chaldæorum ſolertia, neque fuga illorum velocitatem effugere potuerunt: vt enim aquila acutiſſimam habet oculorum aciem, & volatum pernicem, atque conſtantem; ſic Chaldæi in vtroque aquilis quàm ſimillimi eam habuerunt ſolertiam, vt nihil non peruiderint eam velocitatem, atque conſtantiam, vt omnia fuerint conſequuti. Hæc porro velocitas Chaldæorum, haud dubiè equorum fuit: equi enim, qui Euphratem bibunt, vt docent tam ſacræ, quàm profanæ literæ, velociſſimi ſunt: de quibus nos ſuprà, capite 4. numero 26. ad illud, *Velociores aquilis equi eius.* 43. ק Coph.

Super montes perſequuti ſunt nos.] Alluſio fortaſſe eſt ad Sedeciam, qui cum aliis plurimis, cùm ſe ex vrbe fuga corripuiſſet, deprehenſus eſt, vt vidimus ſuprà capite 39. de quo item 4. Regum capite 25. Sed quia in montibus latebræ erant opportunæ, atque arduæ (de quibus nos plura in Iſaiam, capite 2. numero 6. de quibus Ioſephus libro 14. Antiquitatum, capite 26. & libro 1. de bello capite 12. ad quas Iudæi in extrema, atque deſperata fortuna confugiebant, vbi earum ſitum, aſcenſúmque deſcribit) veriſimile eſt, eò ſe recepiſſe Iudæos plurimos, & Chaldæorum ſolertia inde deductos. 44.

Verſ. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.*] Hîc quoque variè diſtrahuntur Interpretes. Quidam de Chriſto ſeruatore capiunt, quorum laudo pietatem: ſed quorundam in iudicando moderationem deſidero, qui ita huic adhærent ſententiæ, vt alias omnes penè impietatis, & Rabbinicæ perfidiæ condemnent. Quod ſanè non facerent, ſi rationes expendiſſent attentiùs, & quibus ſententiæ aliæ placuiſſent, agnoſcerent. Illud de Seruatore Chriſto ego ſic probo, vt accipiam typice, atque accommodatitio ſenſu: nam hiſtoricus, qui vtrique ſupponitur, aliquid aliud ſpectare ſemper mihi viſus fuit. Scio, aliquos ex his, qui Chriſto hæc attribuunt, exiſtimare, propriè eſſe accipienda de Chriſto, qui ſanè neque pauci ſunt, neque auctores è vulgo: cùm in hanc cogitationem omnes fermè Patres antiqui conſpirent. Sed ſanè plurimi refert, aut obiter, & quaſi ex occaſione in locum aliquem incurriſſe Scripturæ ſacræ, aut il- 45. ר Res.

lum

REGVLA. *Aliter Patres interdũ accipiunt Scripturæ loca dum expoſitorem agunt, quã antea, dum Eccleſiaſt.*

lum ſtudioſè, & data opera, explicandum ſuſcepiſſe: ita vt non tam quis Eccleſiaſten, & diſputatorem, quàm expoſitorem agat, & interpretem. Videmus enim non rarò è ſanctis Patribus, & clariſſimis Eccleſiæ Doctoribus, nonnullos aliter expoſuiſſe locum, quem ſeorſum aſſumunt, & ad cogitationes ſuas accommodant, quàm cùm id ſumpſerint negotij, vt illum explicarent, & aptè cum adiunctis, filo non contradicente, componerent. Acceperunt ſanè hæc multi ex antiquis Patribus de Chriſto propriè, ſed poſtea ex illis nemo, dum agit interpretem, & in Threnorum explicatione verſatur, vno excepto, quod ego viderim, Theodoreto: nam de ſancto Thoma, & ſancto Bonauentura ſtatim videbimus.

46. At ex Interpretibus omnes fermè, qui filum à principio deducunt, aliter cogitant, propriéque de aliquo Iudæorum Rege, qui ſub Ieremiæ tempus rem adminiſtrauit Iudaicam, hæc interpretantur, ſed in aſſignando Rege non omnes omnino conſentiunt. Quidam Sedeciam agnoſcunt, eámque ſuæ ſententiæ idoneam eſſe putant rationem, quia proximè dixerat Propheta, à Chaldæis, qui velociores aquilis fuerunt, in deſerto aliquos exceptos inſidiis; è quorum numero, vt capite 39. vidimus, fuit Sedecias, cui poſt occiſos liberos effoſſi ſunt oculi. Ita tenent ex Hebræis nonnulli, neque diſplicet ſancto Thomæ, & ſequitur Maldonatus.

47. Alij de Ioſia capiunt, quod probat ſanctus Thomas, & Hieronymus in caput 12. Zachariæ, ad illa verba: *In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem.* vbi ſuam producit ſententiam, non alienam, vt non nemo putauit. Tenet Figueirus: & omnino id opinari debent, qui Lamentationes haſce, & quartum præcipuè caput de Ioſia inſtitutum eſſe putant, quorum è numero eſt ſanctus Thomas, & ſanctus Bonauentura, Rabbanus in Threnorum prooemio: item Hugo, qui hoc etiam loco de Ioſia ad literam exponit; licèt id Hebræorum commentum eſſe dicit. tenet Lyra, Vatablus, & Chaldæus, & Interlinearis. Et hæc mihi ſententia magis probaretur, ſi quemadmodum noſter Interpres conuertit *Chriſtus Dominus*, quod facere ſaluo Hebraico textu, immo innitante poſſet, conuertiſſet, *Chriſtus Domini.* Dixi inuitari nos ab eo textu, quem nunc habemus, quia nomen *Chriſtus*, cùm ſit in regimine, iuxta Grammaticorum regulas, obliquum poſt ſe requirit, non rectum: & ita iuniores omnes conuertunt. Sed quia puncta, ex quibus ſtatus ille regiminis cognoſcitur, nouum eſt Iudæorum commentum, non vrget admodum viros doctos hæc ratio. Grauior mihi eſt auctoritas Vulgati, qui ante puncta illa à Iudæis inuenta, *Chriſtus Dominus* reddidit, nõ *Chriſtus Domini.* Cùm autem vbi Vulgatus habet, *Dominus*, Hebraicè ſit יהוה *Iehouah*, quod nomen vni Deo in Scriptura tribuitur, fit ex hac tranſlatione, vt *Chriſtus Dominus* non alius ſit, quàm Chriſtus Seruator.

48. Sed quia de Ioſia, vt vidimus, accipiunt multi, neque ſine graui fundamento, de illo quoque, quæ reliqua ſunt huius verſus, interpretabimur: & primùm de Chriſto. Vſitatum eſt Prophetis, vt cùm in Teſtamento veteri vmbra aliqua occurrit noui, à typo ſubitò ad veritatem, ideſt, ad Euangelij tempus aſſurgant: deinde verò eodem orationis impetu ad interrupta redeant. Solet autem, quod veteri Teſtamento infertur ex nouo, includi parentheſi, quod hîc faciendum eſſe

REGVLA. *Cùm in Teſtamento veteri vmbra occurrit noui, ad illud interdum gradus fit.*

A arbitror. Docuimus hoc pluribus ad illud Zachariæ capite 13. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum.* & ad illud Iſaiæ 45. *Rorate cæli deſuper.* vbi exempla plurima producta ſunt; ſed hæc duo inſtar erunt omnium, ex Propheta à parentibus plagato ſuſtulit ſe Zacharias ad Chriſtum percuſſum à Patre: & ex ſalute, libertatéque per Cyrum cõparata captiuo populo excitauit ſe ipſum Iſaias, vt Chriſtum aduocaret maioris vindicem libertatis, & melioris ſalutis auctorem. Sic etiam modò, cùm meminiſſet Propheta eorum, qui in deſerto à Chaldæorum exercitu comprehenſi ſunt, inter quos captus fuit Sedecias, & indi-

B gniſſimis modis à Rege barbaro acceptus, & illuſus; ex hac ſimilitudine altiùs euectus Ieremias Chriſtum Seruatorem contemplatur, captum, non propter ſua, ſicut Sedecias, ſed propter noſtra peccata, quíque non mitiùs à Iudæis, quàm à Nabuchodonoſor Sedecias, acceptus eſt.

Spiritus oris noſtri.] Spiritus pro vita ſumitur, 49.

Spiritus, pro vita.

quia vitam non aliter quàm ſpirando ducimus. Quare ſi quis obſtructis faucibus ſpiritum præcluſerit, ille ſtatim vitam eripit animali. Dicitur autem ſpiritus oris, quia per os illum inſpiramus, & ducimus. Quare qui Chriſtum appellat ſpiritum oris ſui, idem vitam appellat ſuam. Quomodo illum appellat Paulus ad Coloſſen-

C ſes 3. verſu 4. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra.* Hebraicè pro ore eſt אפים *apaim*, quæ vox inter alia, *nares* præcipuè ſignificat; ſed eſt vis eadem: nam etiam per nares ſpiritum ducimus, & fortaſſe Deus viuens ſignificatur, & non mortuus, ſicut Gentium idola, cùm de illo dicitur Iſaiæ capite 2. verſu 22. *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt.* Iſaiæ 2.

In peccatis noſtris.] ideſt, propter peccata noſtra. 50.
Quomodo *in*, idem valeat, quod *propter*, diximus capite 3. verſu 48. ad illud, *in contritione filiæ populi mei.*

Cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus.] 51.
Millies audierant Iudæi, Chriſtum fore prote-

D ctorem, & vmbram, ſub cuius alis in rerum anguſtiis tutum eſſet, & patens miſeris perfugium. Dixerunt itaque ſæpe Chriſtum vmbram, quia cùm illud eſſet valde optabile, frequens erat in miſerorum ore; & cùm illius patrocinium nunquam defuturum crederetur, ſine metu ſperabant, prædicabántque inter Gentes, ſibi eſſe viuendum.

Hæc de Chriſto, nunc de Ioſia. Appellatur hîc 52.
Chriſtus Domini, ſicut etiam alij vocabantur Reges Iſraël, quo nomine non ſemel Saül appellatus fuit à Dauid. Vocari etiam potuit *ſpiritus oris*, ideſt, vita ſubditorum; quia vulgari, & penè prouerbiali dicendi forma, vita dicitur alicuius is, ex quo noſtra dependet vita, aut id, quod vita

E communi hominum ſenſu cenſeri ſolet, qualis eſt libertas, & bona fortuna. Nam qui exul eſt, aut alligatus ſeruituti, mortuus exiſtimatur, ſicut etiam cui eiuſmodi vita eſt, vt commutari à prudentibus cum morte poſſit. Qua ratione mori ſe dicit, qui cum dura, atque ærumnoſa fortuna cõflictatur. Cùm ergo ab optimo Rege Ioſia omnia ſibi proſpera populus promitteret, optimè illum *ſpiritum oris ſui*, ideſt, vitam appellauit ſuam. Vitam præterea noſtram appellamus eum, quem plurimùm diligimus, vt docet communis loquendi vſus tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores. Sanè gratiſſimum, atque chariſſimum

Ioſias regno charus, & vtilis.

fuiſſe

fuiſſe toti populo Ioſiam, docet illud Eccli. capite 49. verſu 1. *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta, opus pigmentarij. In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini.* Hæc omnia beneuolentiam indicant teneram, & dulcem, qualis in illos eſſe ſolet, quos vulgaris amator animam ſuam, & vitam ſuam appellat.

53. *Captus eſt in peccatis noſtris.*] Supplicium graue videri potuit gentis Iſraëliticis Ioſiæ cædes, quia ſtatus ille profligati populi indignus erat tanto Rege: aut quia illo ſublato Reges ſucceſsère, qui rem turbarunt publicam, & peregrinum hoſtem in vrbem iam prædæ, ac vaſtitati deuotam induxerunt. Quomodo captus fuerit à Pharaone Ioſias, tradit Rabbi Salomon, ſed nugatur hîc, quemadmodum alibi frequenter, non ſolùm audacter, ſed etiam infantiliter.

55. *Cui diximus, in vmbra tua viuemus in Gentibus.*] Viuente Ioſia nihil ſibi à Gentibus metuebant Iudæi; quia ipſe ſtrenuum ſe præſtiterat in purgando non templo ſolùm, ſed etiam regno ab his immunditiis, & ſordibus, quas impij ante ſe Reges importarant; quare gratiam ſibi à Deo miſſe videbatur, à qua non exiſtimabatur eſſe deſerendus: ſed vrgebant peccata tum Manaſſæ, vt ſtatim ante Ioſiæ cædem dixit Deus, 4. Regum capite 23. verſu 27. & aliorum, & idcirco ſublatum eſt illud, quod toti populo ſperabatur fore perfugium.

56. Verſ.21. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.*] Poſt parentheſim, de Chriſto ſublato, redit Propheta ad intermiſſum lamentationis argumentum, & quid ab hoſtibus tum longè ſummotis, tum à vicinis, & cognatis paſſa fuit Hieroſolyma, oſtendit. Egit de Chaldæis, qui longè fuerunt aquilis in perdendo populo velociores. Egerat de Sacerdotibus, & Prophetis fallacibus, à quibus non leuis plaga: egerat de peccatis, vnde orta prima tanti incendij fax; nunc de hoſtibus agit, qui Chaldæorum armis non ſolùm adfuerunt, ſed etiam acuerunt furorem, & ad excindendam funditus vrbem inflammarunt. Hi fuerunt præſertim Idumæi, de quibus Pſalmo 136. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom, in die Ieruſalem; qui dicunt, exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.* Similia habes apud Abdiam à verſu 11. Eſt autem hæc ſubamara, & ironica conceſſio; qualis illa Eccleſ. capite 11. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua.* quaſi dicat, Nunc lætaris, ſed planè gaudio prorſus intempeſtiuo; aderit námque tempus, in quo non minùs crudeliter ab eodem accipiaris hoſte, nec minùs, quàm nos, miſerabiliter lugeas. Hus ad Idumæos pertinet, dicta ab Hus filio Aram, de quo Geneſis 10. Hîc regnauit Iob, vt habes Iob. capite 1.

Sin.

57. *Ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.*] Quid calix, & ebrietas prouerbiali figura ſignificent, explicuimus ſuprà capite 25. à numero 29. Quomodo verò Idumæi ad ebrietatem vſque ex calice Diuini furoris abundè biberint, habes eodem capite 25. numero 20. vbi terra Hus dicitur Auſitis, ſed numero 21. apertè ponitur Idumæorum nomen. Quod verò dicitur, *nudaberis*, aut ad ebrietatem ſpectat, quæ vbi largior eſt, nulla à temulentis adhibetur pudoris, aut honeſtatis ratio. Aut certè, quia ebrij expoſiti ſunt omnium iniuriis, & irriſionibus, & talia interdum nudi patiuntur, qualia paſſum eſſe Sedeciam inebriatum à Babyloniis, aut verè tradunt, aut, quod potiùs reor, fabulantur Rabbini, de quo nos ad finem capitis 52. Fortaſſe alluſum eſt ad ſeruilem conditionem, ærumnoſam, & miſeram: ancillæ etenim ſic tractantur ignominiosè à dominis & nimis crudelibus, & ſupra modum impudicis, vt illa reuelentur, quæ non eſſe velata, honeſtis inſtar mortis ſit. Qua de re varia habes teſtimonia Ezechielis capite 16. verſu 37. Oſeæ capite 2. verſu 3. Nahum capite 3. verſu 5. Vide, quæ diximus ſuper Iſaiam capite 20. numero 12. De hac Idumæorum nuditate eſt illud Ieremiæ 49. verſu 10. *Ego vero diſcooperui Eſau: reuelaui abſcondita eius.*

Verſ.22. *Completa eſt iniquitas tua, filia Sion: non addet vltrà, vt tranſmigret te.*] Ad finem capitis con- 58. Thau.
ſolatur Propheta populum ſuo more, immo Dei; qui, vt notauimus capite 1. numero 65. & capite 19. numero 22. duris plerumque aſſolet dulcia ſubiungere. Priùs dum Idumæis talia minatur, qualia ipſi Iudæis pararunt infortunia: deinde, quia deferbuiſſe dicit Diuinum furorem, neque vltrà populum tunc extorrem à finibus ſuis aliò diſceſſurum. Ex quo liquet, hæc ſcripta fuiſſe poſt captam vrbem, & Sedeciam inde tranſlatum; immo poſtquam ex Ægypto abductæ ſunt Iudæorum reliquiæ, quarto contra gentem illam infelicem Chaldæorum appulſu. *Iniquitas* hic pro iniquitatis ſupplicio ponitur, qualis eſt ſpoliatio bonorum, ærumnoſa ſeruitus, & quæ ancillarum ſtatum ſequuntur incommoda: qualia ſunt, quæ nunc commemorauimus, nuditas, ignominia, & ebrietatis metaphoricæ poculum. Quemadmodum *non vltrà, non ampliùs*, & ſimilia, non vbique ſignificat aliquid perpetuum, ſed interdum diuturnum, aut minùs quàm antè frequens, diximus ſupra Iſaiam capite 2. verſu 9. & capite 23. numero 29.

Viſitauit iniquitatem tuam filia Edom: diſcooperuit 59.
peccata tua.] Non ſic de Idumæis, quorum Deus peccata punire cœpit: ſic enim illos per eoſdem Chaldæos ſeuerè mulctauit, vt tamen adhuc habeat extentam manum, & ad vulnus ſæpius iterandum armatam. Quomodo Nabuchodonoſor eodem, quo Ægyptios, & Iudæorum reliquias appulſu, Idumæos, Tyrios, Moabitas, & Ammonitas, gentéſque alias Iudaico nomini quondam inimicas expugnauerit, vidimus ſuprà capite 44. numero 27. *Diſcooperire peccata*, nihil aliud puto, quàm impoſito ſupplicio ſignificari præceſſiſſe culpam: neque enim verus, ac iuſtus iudex inculpatos punit, ſicut homo, qui, vel quia ignorat, vel quia affectu rapitur immoderato, inſontes interdū iniquis exercet, atque inſequitur modis.

IN

ARGVMENTVM CAPITIS V.

HOC caput orationem continet Ieremiæ,qua Deum placare ſtudet Iudæorum populo miſerabiliter afflicto; quoque id magis ex arte, immo potiùs ex cæleſti diſciplina faciat, hoſtium iniurias, & populi ſortem ærumnoſam commemorat. Quare,quæ in his Lamentationibus,immo eorum plurima, quæ in longa hac prophetia latè perſecutus eſt, in breuem hanc, ſed Spiritus, atque artificij plenam orationem contulit. Illud hîc obſeruandum, licet Alphabeti literas, quod in aliis capitibus artificioſè ſeruauit, huic extremo capiti non præfixerit, Alphabeti tamen numerum, ſicut in capitibus aliis, fuiſſe ſeruatum: vt enim alia viginti ac duobus verſibus,quot ſunt in Alphabeto literæ,concluduntur,ſic etiam caput hoc extremum idem verſiculorum numerus abſoluit.

THREN. CAP. V.

1. *Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & reſpice opprobrium noſtrum.*

2. *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos: domus noſtræ ad extraneos.*

3. *Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ.*

4. *Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparauimus.*

5. *Ceruicibus noſtris minabamur: laſſis non dabatur requies.*

6. *Aegypto dedimus manum, & Aſſyriis vt ſaturaremur pane.*

7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt: & nos iniquitates eorum portauimus.*

8. *Serui dominati ſunt noſtri: non fuit qui redimeret de manu eorum.*

9. *In animabus noſtris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deſerto.*

10. Pellis

IN IDEM CAP. PARAPHR.

A 1. Recordare, Domine, ac vide, quibus vndique iactemur incommodis, quàm apud Gentes ignominioſè vexemur.

2. Hæreditatem noſtram alieni poſſident,& domos noſtras habitant extranei.

3. Sic hominum prædæ, atque ludibrio vita noſtra patet, ſicut pupilli, ac viduæ potentiorum iniuriis exponuntur: illi, quia parentum cuſtodia; hæ, quia virorum patrocinio deſtitutæ ſunt.

4. Aquam, quæ vltrò ſe in hominum vſus, & commoditatem effundit, non ali-
B ter bibimus,quàm pecunia coëmptam;neque aliter è communi ſylua ligna congerimus, ac facimus noſtra, quàm pecunia iniuſtis exactoribus numerata.

5. Nullum eſt tempus nobis à labore vacuum: vbi vno ſumus labore perfuncti, alius ſuccedit, vbi è fractis oneri ceruicibus pondus excuſſimus, rurſus aliud noſtra nobis infortunia minantur.

6. Sic erat anguſta Iudæorum fortuna,vt quo panem ad ſuſtentandam famem compararent,ſuas manus,atque operas lo-
C carent externis, tam qui apud Ægyptios, quàm qui apud Babylonios exulabant.

7. Peccauerunt quidem parentes noſtri, qui iam vita, laboribúſque perfuncti ſunt:nos tamen eorum peccata longa poſt ſæcula portamus.

8. His,qui ſeruili erant conditione,atque animo,ſeruilem nos operam impendimus: neque vllus fuit, qui nos ex illorum eximeret poteſtate.

9. Cibum nobis non ſine magno vitæ diſcrimine quærebamus, cùm in deſerto, vbi panis ſeſe oſtẽdebat aliqua cõmoditas,

vis

A vis vndecumque occurreret armata.

10. *Pellis noſtra, quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.*

10. Pellis noſtra præ longa fame colorem contraxit luridum, & nigrum: quare ſimilis eſt clibano, quem ignis exurit & ſiccat, & fuligo fœdum reddit, atque atrum.

11. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.*

11. Oblata vis eſt muliebri pudori à petulante turba Hieroſolymis, & in ciuitatibus Iuda, illibatis antea puellis libata, ac temerata virginitas.

12. *Principes manu ſuſpenſi ſunt: facies ſenum non erubuerunt.*

12. Qui Principes erant noſtri, ſublati ſunt in crucem, neque ſenilis ætas,
B cui honor debetur, & reuerentia, hoſtilem manum continuit ab iniuria.

13. *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt.*

13. Eò vſque vilis fuit adoleſcentum ætas inimicis, vt illam nefariæ libidini ſuccumbere compulerint. Vſque eò puerilis ætatis miſerti non ſunt, vt illam ſub graui lignorum ſarcina laborantem oppreſſerint.

14. *Senes defecerunt de portis: iuuenes de choro pſallentium.*

14. Neque ſenes iam in portis, vbi legitimus eſt Iudicum conſeſſus, iudicij, aut deliberationis gratia conſident: neque iuuenes ad chorum, & tibiam, aut cantant ſuauiter, aut ſaltant numero-
C ſè.

15. *Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter.*

15. Longè iam à nobis, & omnino defecit gaudendi materies: & feſtiuus chorus, genialiſque plauſus in lugubre lamentum conuerſus eſt.

16. *Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccauimus.*

16. Defecerunt prorſus illi dies geniales, & læti, quos obire coronati, ac lauti ſolebamus. Væ nobis, quibus hanc rerum viciſſitudinem peccatorum multitudo, & grauitas inuexit.

17. *Propterea mæſtum factum eſt cor noſtrum, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri.*

17. Hinc ortum eſt, vt cor noſtrum mœrore contabeſcat, & oculis præ la-
D crymarum abundantia obortæ ſint tenebræ.

18. *Propter montem Sion quia diſperiit, vulpes ambulauerunt in eo.*

18. Magnum præterea ad cordis mœrorem, oculorúmque caliginem pondus habuit, quòd ſic eſt Sion ſtrata miſerabiliter, vt periiſſe funditus videri poſſit. Quæ ſic eſt ſyluarum in modum efferata, vt magis ſit apta ferarum luſtris, quàm hominum domiciliis, in qua ſua ſibi latibula vulpes poſuerunt.

19. *Tu autem Domine in æternum permanebis, ſolium tuum in generationem & generationem.*

19. Nulla erit tanta firmitas, quam non vis externa, aut ipſa rerum natura debilitet, atque euertat. Tu ſolus es, ô Domine, cuius potentiam neque franget, neque debilitabit æternitas. Defecit ſo-
E lium, quod Reges noſtri antè poſſederant, ſolium autem tuum ſempiternam habebit ſtabilitatem, & gloriam.

20. *Quare in perpetuum obliuiſcêris noſtri? derelinques nos in longitudine dierum?*

20. Cùm ergo nulla tibi potentia vires infringere, aut laſſare poſſit, neque ſit difficile, Iudæorum gentem, idest, populum tuum ab hoſtibus tueri, cur tandiu noſtræ calamitatis obliuiſceris? Cur longo

A iam tempore abs te derelicti ſub hoſtium poteſtate vileſcimus?

21. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio.*

21. Non eſt tibi, ô Domine, difficile, ab exilio nos, & ærumnoſa conditione conuertere: neque vllus eſt, qui hoc ipſum præſtare poſſit præter te. Quare ſi tu conuertere volueris, tunc nos verè, & non aliter conuerſi exiſtimabimur, tum ad tuam beneuolentiam, & gratiam, tum ad illum gradum, & ordinem, vnde hoſte ſuperante decidimus. Obſecro igitur, vt collapſa reſtaures, & ſtatum innoues, & priſtinos
B dies, quos te placato iam olim meliores habuimus.

22. *Sed proiiciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer.*

22. Sed quid votis inſiſto, quid precibus vrgeo, vt rem Iudaicam quamprimùm inſtaures, cùm tu populum ad annum vſque ſeptuageſimum abieceris, non vtcunque in gentem noſtram, ſed vehementer offenſus?

IN CAPVT V. THRENORVM IEREMIÆ.

ORATIO IEREMIÆ.

Verſ.1. *Recordare, Domine, quid acciderit nobis, intuere, & reſpice opprobrium noſtrum.*]

1. ERAT hîc Dominum Ieremias, vt populum variè vexatum, & afflictum conſoletur, ac liberet; & quod alij plerunque faciunt, dum aliorum miſericordiam excitare ſtudent, vt ſtatum ærumnoſum, & fortunæ mutationem ob oculos proponant, id nunc facit optimus orator Ieremias: quæcunque enim in Threnis, & eorum plurima, quæ in tota prophetia latè perſecutus eſt, in breuem hanc, ſed ſpiritus, doloris, atque artificij plenam orationem congeſſit. In hoc verſu omnia ſunt aperta; tantùm obſeruandum, duo hæc verba, *recordor*, & *intueor*, aliquid ſignificare ampliùs, quàm quod ſonant, nempe, memoriam, atque aſpectum practicum: iuxta quæ Deus recordari, atque intueri dicitur id, quod aut ſuppliciis punit, aut beneficiis compenſat, aut à periculis, aut angoribus eximit. Sicut *non videre*, aut *obliuiſci*, nihil omnino facere, ſiue à beneuolo, ſiue ab offenſo animo profectum, quo quis teſtetur ſe aut recordari, aut videre illa, quæ aut meritis penſanda, aut plagis caſtiganda ſunt. Qua de re vide, quæ nos pluribus de *recordor* Iſaiæ capite 43. verſu 40. & capite 49. numero 4. de *intueor*, ſeu *proſpicio*, Iſaiæ 58. numero 20.

2. Verſ.2. *Hereditas noſtra verſa eſt ad alienos: domus noſtræ ad extraneos.*] Hæc prædicta fuerant antea ſæpe, & expreſsè capite 6. verſu 12. *Tranſibunt domus eorum ad alteros, agri, & vxores pariter.* Credo, hîc alluſum eſſe ad caput 32. vbi Ieremias iuſſus eſt à Deo, quo tempore vrbs à Chal-
C dæis obſeſſa de ſalute, ac libertate deſperabat, agrum emere, ex quo fructum ſperabat nullum, quia fermè datus iam erat in Chaldæorum manus. Ait ergo iam Propheta, accidiſſe quod ipſe multò ſuſpicabatur antè, hæreditatem nempe ſuam, quam à patruele pretio, tempore valde importuno, compararat, veniſſe in hoſtium poteſtatem: quod item de domibus magno aliorum labore, & ſumptu conſtructis affirmat: quæ res valde facit ad commiſerationem. Hoc tanquam vulnus ad ignominiam graue plangit Iſaias capite 1. verſu 7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.* & ex profanis Maro Ecloga 1.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros: en queis conſeuimus agros.

Verſ.3. *Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ.*] Filij à parentibus orbati, & 3.
D vxor à viro viduata, patère ſolent omnium iniuriæ, ac prædationi. Quare hos tanquam ab omni patrocinio deſertos Deus aliorum commendat miſericordiæ, ac fidei, & ſibi ipſi dicit eſſe curæ. Dum ergo Propheta queritur, pupillum eſſe populum, & matres eſſe viduas, id planè ſignificat pati ſe ab hominum iniuria, quod pupilli ſolent, & viduæ à potentiorum vi, & ab eorum, qui infirmiorum bonis inſidiantur, calumnia. Hic verò tam in pupillis, quàm in viduis ſubaudienda eſt nota comparationis, in hunc ſenſum: *Facti ſumus quaſi pupilli.*

Verſ.4. *Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna* 4.
noſtra

noſtra pretio comparauimus.] Si variè accipias tempus, aut locum, variè etiam neceſſe eſt locum iſtum accipias. Quidam Ieremiam, cùm hæc ſcriberet, in Iudæa eſſe putant, & de his agere, qui in Iudæa relicti ſunt, qui vſque adeò premebantur auguſtè à victore Chaldæo, vt pretio biberent aquas pluuiales, quas ipſi in ciſternas ſuas antè concluſerant; & ligna, quæ ſua ſibi conſueuerant manu, tanquam aliena pretio compararent: atque ideo exiſtimant dixiſſe, *aquam noſtram, & ligna noſtra.* Sed quominus hæc probem facit, quòd non diu Iudæi manſerunt in Iudæa, poſt dirutam Hieroſolymam: nam occiſo Godolia, qui relicti fuerunt à Chaldæis, tranſlati ſunt in Ægyptios, quibuſcum Ieremias profectus fuit. Neque præterea tunc in Iudæa commorari licuit, ſic durum experti ſunt Chaldæorum imperium, vt aquam ſibi, & ligna pecunia coëmerint, immo iuſſi ſunt à Godolia præſide colligere vindemiam, & meſſem. Adde, quòd aliqua dicuntur in hoc capite, quæ in illa tempora, in quibus in Iudæa permanſit Ieremias, conuenire non poſſunt.

5. Commodiùs hæc ad tempus illud videntur poſſe referri, in quo Iudæi partim erant apud Babylonios, partim apud Ægyptios extorres, aut certè poſtquam ex Ægypto traducti ſunt cum aliis Babylonem. Tunc verò ſic ſunt à Chaldæis inclementer accepti, vt talia pertulerint, qualia hîc à Ieremia deplorantur. Eſt autem durum, & ab omni humanitate prorſus alienum, ab his priuari commodis, quæ communis hominum, immo & naturæ lex omnibus voluit eſſe communia: qualis eſt aqua non collecta, ſed quæ ſponte fluit, & vltrò ipſa ſe humanis vſibus largitur, & ligna, quæ ſylua fert. Cuius apud Babylonios vſum fuiſſe communem, ex eo fit veriſimile, quia id Propheta dolet exulibus non eſſe conceſſum, quaſi extra naturam forent, & ſpiritum communem. Appellat autem Propheta Iudæorum nomine ſuam aquam, & ligna ſua, quia tunc ſua facta ſunt, & non aliter, quando pecunia pro lignis, & aqua oblata eſt, aut quia naturali lege ſua eſſe debuerunt.

6. Quòd ſi verum eſt, quod de Verpis, ideſt, de Iudæis tradit Iuuenalis Satyra 14. vſque adeò illos fuiſſe inclementes, vt in alienos à ſua religione homines, quæ ab humanitate, & ab ipſa natura præſcribuntur iura, omnino prodiderint, iure hæc ab externis ſiue iniuriam, ſiue ignominiam ſubeunt. Quid magis ex natura optimè conſtitura, quàm monſtrare viam erranti, aut ſitienti fontem, aut vbi leuare poſſit ſitim, oſtendere? Quod humanitatis officium ſi quis prætermiſiſſet, mille ab Athenienſibus configebatur execrationibus, vt auctor eſt Cicero 3. de Officiis. *A natura* (inquit Cicero 1. de Officiis) *eſt, vt omnium rerum, quas ad communes hominum vſus natura genuit, ſeruetur communitas, quale eſt, monſtrare viam, quæ communis eſt omnibus, ignoranti: non prohibere profluentem aquam, pati ab igne ignem capere, & ſimilia.* At ſic obduruerunt in externos Iudæi, aut ſic illis communium rerum vſum inuiderunt, vt communiſſima hæc noluerint cum illis habere communia. Audi, quid de illis Iuuenalis ſuprà, vbi falsò addit ex communi, vt arbitror, gentium errore, inhumanitatem illam, & ſocietatis humanæ proditam legem accepiſſe Iudæos à Moyſe, quod ex eo, credo, coniectabant, quia omnibus videbat, illud violatæ ſocietatis crimen eſſe commune.

Iudæorum in externos inhumanitas.

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes.
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere Verpos.

Quid ergo miremur, ſi aquam non niſi pretio dato bibant Iudæi, quando ipſi communem omnibus aquam tam inclementer negant, aut ſi communia vitæ ſubſidia nemo illis gratis impartiat, cùm neque viam erranti ipſi demonſtrent?

Verſ. 5. *Ceruicibus noſtris minabamur: laſſis non dabatur requies.*] Hîc puto ceruices oppreſſas, nempe ſeruitutis iugo, pro quolibet duro, atque ignobili miniſterio ſumi. Portabant ſerui onera, aut humeris, & ceruicibus impoſita, ſicut iumenta dorſo; aut actis in iugum plauſtrale ceruicibus, quod bouum eſt, ita vt plauſtrum traherent, & in eo onus, ſtercus puta, ſaxum, aut aliquid ſimile Chaldaica paraphraſis, quæ manuſcripta ſeruatur in Bibliotheca Complutenſi, hîc aliquod commemorat durum, & ab inaudita crudelitate pondus, quod non tam ad vſum ſuum, quàm ad Iudæorum ignominiam, atque ludibrium, impoſuerunt Chaldæi, ſed planè aliquid olet fabuloſum. Sic enim ad hunc Ieremiæ locum, *Vidit*, inquit, *Nabuchodonoſor impios perfectos filiorum Iſraël, qui ibant exonerati: & præcepit ſarcinatoribus, vt conſuerent folia librorum legis, & vt facerent ex eis manticas, & impleuerunt eas lapillis, qui erant in ripa Euphratis. Et onerauerunt eos ſuper colla eorum: & in illo tempore laborauimus, non erat nobis requies.* Hæc Chaldæus. Fides penes ipſum ſit, quæ ſanè apud me leuiſſima eſt. Minari autem ſuis ceruicibus dicuntur Iudæi, quia ex heſterno operè coniectabant, quid ſibi ferendum eſſet oneris in craſtinum, ſibique ipſis laborem in craſtinam lucem indicebant hoc modo, aut ſimili: O collum ingenuum quondam, & liberum, quot te manent onera ſeruilibus etiam ceruicibus indigna! O brachia, qui vos labor, quæ vos exercebunt, & frangent miniſteria! ô caput mille iam conuitiis, & diris execrationibus deuotum! Qui dicendi modus vſitatus eſt in dolore, ac metu, quo ſibi miſer prædicit, & minatur incommoda, ſicut felix & lætus omnia ſibi ſecunda pollicetur. 7.

Hebræorum fabula.

Verſ. 6. *Ægypto dedimus manum, & Aſſyriis, vt ſaturaremur panibus.*] Locus iſte mihi perſuadet, hæc fuiſſe à Ieremia compoſita, quo tempore Iudæi partim agebant apud Babylonios, quò abducti fuerunt à Nabuchodonoſor, partim apud Ægyptios, quò vltrò ipſi occiſo Godolia confugerant: cùm enim ſpoliati bonis non haberent, quo ſuam inopiam, & famem ſuſtentarent, neceſſarium illis fuit, ad aliorum abundantiam confugere, ſibique ab illa modis prouidere variis. Quare Ægyptiis, Aſſyriiſque (ideſt, Babyloniis, qui etiam Aſſyrij nominantur, quia ad ſe illorum imperium transtulerunt) manus porrexerunt aut locatas mercede, aut ſeruiles, vt pane licèt anguſto vitam vtcunque traherent ærumnoſam, & ægram. 8.

Dare manus, tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores multa ſignificat; quæ omnia in hunc locum non inuita veniunt. Eſt dare manus, ſocietatem inire, & fœdus, & tam aliis ſpondere, quàm ab aliis admittere, quod vtrumque futurum ſit ex vſu: ſic dicimus, accipere, ac dare 9.

Dare manus.

manus:& manus viciſſim inter ſe conſertæ,ſymbolum ſunt amicitiæ,ac fidei.

10. Dare item manus, eorum eſt,qui ſe victos fatentur:hi enim manus porrigunt alteri colligandas,aut ſupplices,quaſi velint vitam,quam belli, ſeu fortunæ conditio morti deuouerat, ſeruitute redimere:vnde etiam manus dare,ſeruire eſt. Sic 1.Paralip.29. *Vniuerſi Principes,& Potentes,& cuncti filij Regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni Regi.* & 2. Paralip. capite 30. *Nolite indurare ceruices veſtras: tradite manus veſtras: Domino ſeruite.* vtrunque factum eſſe, veriſimile eſt:vtrum horum contigerit,incertum.Vide,quæ diximus ſuprà ad illud capitis 50. verſu 15. *Vbique dedit manum.*

11. Verſ.7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt.*] Vetus erat Hebræorum querela, luere ſe parentum errata; quod hac forma prouerbiali plurimùm exprimebant. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* de quo nos ſuprà capite 31.ad eadem verba.vide locum illum: neque enim aliquid eſt nouum, quod addamus. Quomodo verò filij parentum ſuorum peccata luant, diximus ſupra capite 15. numero 17.ad illud:*Propter Manaſſem filium Ezechiæ.*Illud,*non ſunt*, idem eſt, atque iam diem ſuum obierunt: qui dicendi modus in Scriptura frequens, vbi pro, *non ſunt*, plerunque eſt, *& non ipſi.* Sic Dan.9. explico illud Danielis capite 9. verſu 26. *Et non erit populus, qui eum negaturus eſt.* ideſt, peribit ille populus. Vide, quæ diximus capite 31. numero 38.

12. Verſ.8. *Serui dominati ſunt noſtri.*] Durum exiſtimatur, & turpe,ſi quando dominus eò demittitur, vt ſeruo quondam ſuo ſeruire cogatur: licèt enim ſeruitus malum iudicetur grande, quia mors quædam ciuilis eſt, neque minùs interdum quàm naturalis mors honeſtis ingeniis accidat horribilis: tamen è fortunæ viciſſitudine plurimum non ſolùm indignitatis, ſed etiam acerbitatis accedit. Sic ſe Philiſtæi ad agendum fortiter hortabantur contra Iſraëlitas 1. Regum capite 4. verſu 9. *Confortamini, & eſtote viri Philiſtiim, ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis.* Qui verò ſint iſti ſerui, quibus collapſa re Iudaica ſeruierunt Hebræi, obſcurum eſt. Quidam Ægyptios eſſe putant, qui cùm è Cham filio Noë propagati ſint, ſerui eſſe debuerunt Iſraëlitarum, qui ex Sem per Abrahamum orti fuerunt.Cham verò fratris ſui Sem conſtitutum eſſe ſeruum à parente,conſtat Geneſis capite 9. *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius.* Alij de Idumæis, Moabitis,& Ammonitis intelligunt, qui adfuêre Chaldæis in expugnanda Iudæa, quibus olim Reges Iſraël iugum, & tributum impoſuerunt.

Seruorum ſerui miſeri.

13. Sed ſanè aliquid amplius oſtendit Propheta, neque ſuam ſeruitutem coarctat ad Ægyptios, apud quos fuerunt non ita dudum Iudæi, aut ad vicinas gentes, apud quas fortaſſe ſub id temporis nulli, aut pauci ſeruierunt. Sanè ſuprà capite 40. poſt euerſam vrbem à Chaldæis, omnes Iudæi, qui è communi clade ſuperſtites ad Ammonitas, Moabitas, Idumæos, vicináſque alias ciuitates confugerant, ad Godoliam in ſuos fines liberi remigraſſe dicuntur. Quare de Chaldæis potiùs videntur hæc accipienda; qui ſerui dicuntur, quia eo nomine Hebræi Gentiles appellabant, cùm ſe ipſos liberos clamarent, & Ioan.8. fortaſſe ſolos. Sic Ioannis 8. verſu 33. dixerunt A Iudæi: *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam.* Quàm illi falſo hæc dicant, docet hic 14. Ieremiæ locus. Vtcunque ſe res habeat: neque enim aliquid hîc ſequimur omnino certum; ſatis eſt, vt Iudæi ſeruire dicti fuerint, ſi illorum ſubierint imperium, qui aliis quibuſcunque ſeruierunt, ſiue Chaldæis, ſiue aliis aliorum ordinum hominibus. Eſt enim veriſimile, tanquam prædæ partem datos eſſe Iudæos Chaldæorum ſeruis, è quorum numero non pauci in caſtris agebant Babylonicis. Niſi mauis, ſeruos ideo dici dominatos eſſe Iudæis, quia domini ſeruos ſuos præponebant illis, quibus & durum imponerent penſum, & illud poſtea dominorum nomine exigerent.Quomodo olim in Ægy- B pto eidem populo dominati videbantur ſerui, qui Pharaonis iuſſu operibus præerant: de quibus Exodi capite 1. verſu 11. *Præpoſuit itaque* (nempe Rex) *eis magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus.* & ſtatim verſu 14. *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris, luti, & lateris, omnique famulatu,*&c.& hoc poſtremum mihi præ cæteris placet.

15. Verſ.9. *In animabus noſtris afferebamus panem nobis,à facie gladij in deſerto.*] Memorat hoc loco, & deinceps Propheta eorum plurima, quæ obſeſſi, aut capti Iudæi in ſua regione paſſi ſunt. Laboraſſe vehementer fame Iudæos, quo tempore C clauſa ab hoſte tenebatur Hieroſolyma: habes ſuprà capite 52. An tunc foras egreſſi fuerint, vt fami comparato vndecunque cibo ſubuenirent, non habemus alibi, quod ego viderim, egreſſos tamen conſtat ex hoc loco. Quanto verò ſe periculo expoſuerint, cùm per medios hoſtes irrumpendum eſſet, nemo non videt, aut cùm pauxillum panis ex deſerto, ideſt, ex locis, quæ ſunt extra ciuitatem, importandum eſſet, cùm vndecunque vis occurreret armata: quare optimè dicitur, *in animabus noſtris*, ideſt, cum vitæ periculo, *afferebamus panem.* Tantum verò periculi adiri, quo tempore eſſent in Babylone captiui, veriſimile non eſt: neque video, quomodo tunc ex deſerto panis eſſet quærendus, cùm D ſatis ciuitati ipſi de re frumentaria foret prouiſum.

16. Verſ.10. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.*] Experientia ipſa docet, plenam ſucci faciem fame macteſcere, atque ſiccari, & ex eo colorem contrahere luridum, ac nigrum. Ex quo fit, vt qui ex fame traxêre maciem, illi cum olla, carbone, aut clibano conferantur. Suprà Threnorum capite 4. de Nazaræis,cùm præceſſiſſet fames:*Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. A facie tempeſtatum*, idē eſt,quod *à tempeſtate*: facies enim addita præpoſitione nihil interdum addit præter ornamentum; quare *à facie gladij*, quòd proximè præceſſit, idem eſt, E quod *à gladio.* Tempeſtatis nomen vim habet hyperbolicam: ſonat etenim *tempeſtas* aliquid vehemens, & horribile, quæ vox per metaphoras ad alia plurima transfertur.

Macies exaggerata.

17. Verſ.11. *Mulieres in Sion humiliauerunt.*] Hinc conſtat, quod modò dicebamus: agit hîc de iniuriis, atque ludibriis, quibus perfunctus eſt populus in ſua regione: nam ſicut in Sion oppreſſæ ſunt virgines, ſic etiam ibidem macies, & nigrities ibidem à fame contracta; de hac iniuria, ac vi mulierum, ac virginum pudori oblata ſæpe dictum eſt ab hoc Propheta.

18. Verſ.12. *Principes manu ſuſpenſi ſunt, facies ſe-*

num

num non erubuerunt.] Hebraicè בידם *biiadam*, quod ſignificare poteſt, manu eorum, nempe Chaldæorum, fuiſſe ſuſpenſos Iudæorum Principes, aut manu ſua, ideſt, Principum, ita vt ſe ipſos Principes ſuſpendio peremerint. Contigit enim aliquando, vt vexationem corporis, & angorem animi, aut futurum dedecus aliqui voluntaria morte redemerint. Exemplum nobis eſt Achitophel, Saül, Abimelech: &, ſi Ioſepho credimus, in direptione Iudææ per Romanos Iudæorum non pauci: ſed placet non tam ſua Iudæorum Principes, quàm aliena manu fuiſſe ſuſpenſos, aut alio mortis genere ſublatos: quod textus ipſe non obſcurè ſuadet. Violenta enim videretur explicatio, ſi, cùm de Chaldæis proximè dictum fuerit, *Mulieres in Sion humiliauerunt*, & ſtatim de iiſdem, *Facies ſenum non erubuerunt*, extorqueretur ab illis id, quod medium eſt, & non potiùs contexeretur cum illis, quæ nemo diſtraxit à Chaldæis. Quo verò tempore hæc Principum ſuſpenſio, ſeu cædes contigerit, incertum eſt. Ego tunc exiſtimo, quando cum Sedecia plures alij comprehenſi, atque interfecti ſunt: de quibus Ieremias capite 52. verſu 10. *Iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius, ſed & omnes Principes Iuda occidit in Reblatham.* & eodem capite verſu 24. *Tulit magiſter militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem ſecundum, & tres cuſtodes veſtibuli, & de ciuitate tulit eunuchum vnum, qui erat præpoſitus ſuper viros bellatores, & ſeptem viros de his, qui videbant faciem Regis, qui inuenti ſunt in ciuitate: & ſcribam Principem militum, qui probabat tyrones: & ſexaginta viros de populo terræ, qui inuenti ſunt in medio ciuitatis, &c. & percuſſit eos Rex Babylonis, & interfecit eos.* Exiſtimo autem, qui tam hîc, quàm qui paulò antea dicuntur occiſi, eos adactos in patibulum; tum quia hoc ſupplicij genus eo tempore familiare Chaldæis, vt conſtat in cauſa Mardochæi, & Aman, qui ligno, ideſt, patibulo deſtinati ſunt: ille ab Aman, hic à Rege Aſſuero: tum maximè, quia illud ſupplicij genus, quo homines ſuſpenduntur, & eleuantur à terra, quia magis, dum ſublimes pendent, aſpectabiles ſunt, magis etiam ſunt ad exemplum. Quod verò generali vocabulo capite 52. Ieremias complexus eſt, dum dicit, Principes illos interfectos eſſe, id nunc ſpeciatim exprimit, dum ſuſpenſos fuiſſe ſignificat.

Patibulum familiare Chaldæorū ſupplicium.

19. Facit huc, ſi modò verum eſt, & non potiùs merum Rabbinorum figmentum, quod in traditionibus Talmudicis legitur, vt refert Quinquarboreus citatus à Martino del Rio, ad illud Threnorum 2. verſu 20. *Si occiditur in Sanctuario Domini Sacerdos, & Propheta.* Ait enim ex traditionibus Hebræorum, *vſque ad aduentum Nabuzardan præfecti militiæ Regis Babylonici ſanguinem Zachariæ inſtar ollæ aqua plenæ, igne ſuppoſito efferbuiſſe. Quæ cùm animaduertiſſet Nabuzardanus, iam facta ab illo magna ſanguinis Iudæorum effuſione, à ſenioribus, qui aderant, tandem tormentis propoſitis, vt faterentur, quid hoc eſſet, extorſiſſe*, &c. *Quod vbi reſciuit Nabuzardanus, Senatores omnes magnæ Synagogæ, quæ Hieroſolymis erat, aliósque Senatores, qui in qualibet ciuitate Iudæorum erant, cum iuuenibus, & virginibus, & literatis omnibus, capite truncari iuſſit: neque ceſſauit ſanguis ille feruere, donec Nabuzardanum taduit occiſionis.*

Hebræorum fabula de Zachariæ ſanguine.

20. *Facies ſenum non erubuerunt.*] Solet caput canum, & rugoſa facies honorem ſibi conciliare, apud ingenuos tamen, & non illiberales animos: nam apud crudeles, & barbaros alia ratio eſt, maximè ſi intercedat auaritia, quæ omnia humanitatis iura peruertit. Chaldæus igitur non ſolùm non exhibuit cano capiti reuerentiam, ſed etiam ſenili collo graue iugum impoſuit; quod dixit Iſaias capite 47. verſu 6. ſic enim ille de Chaldæo: *Super ſenem aggrauaſti iugum tuum valde.* Referam hîc, licèt non libenter, quia Rabbinorum nugas vehementer odi, quod de violata ſenum reuerentia refert Rabbi Salomon ex libro Agada: capta Hieroſolyma vocaſſe ad ſe Antiochiam Sanhedrin, ideſt, Senatores, & Iudices Iudæorum ordinarios: cúmque videret eos vultu venerabili, ac graui, collocaſſe eos in ſellis aureis, poſtulaſſéque, vt ſibi aliquid narrarent de lege. Cùm autem ventum eſſet ad caput, vbi de votorum religione ſermo eſt, rogaſſet, an quis ab eo, quod religioſè promiſit, recedere vllo modo poſſet; cúmque ipſi reſpondiſſent: *Eat ad ſapientem, & ſoluet, ſeu relaxabit ei.* tunc intuliſſe Regem: *Vos igitur relaxaſtis Sedeciæ iuramentum fidelitatis, quam mihi iurauerat.* tunc iuſſiſſe, vt ex aureis ſoliis deiicerentur in terram, alligatiſque capitum comis ad equinas caudas per terram raptarentur. Hæc Rabbi Salomon, quæ ſi vera forent, ſatis erant in hunc locum opportuna; ſed ipſe ſuam liberet fidem.

Fabula Hebræorum.

21. Verſ. 13. *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt.*] Nihil aliud ſignificari hîc puto, quàm quod ſonat: quia victores quiduis ſibi licere putant in miſerorum corpora: & hoc vitium non apud externos ſolùm, quibus pro lege voluntas, immo & libido eſt; ſed etiam apud Hebræos, apud quos publica erant effœminatorum proſtibula, qui nefariæ aliorum libidini ſuccumberent. Neque ſolùm in vrbe, ſed etiam in templo 4. Regum 23. verſu 7. de Ioſia, qui vixit ſub hæc tempora: *Deſtruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini.* Plura nos de libidine hac Hebræorum præpoſtera ad illud Iſaiæ 2. verſu 6. *Et pueris alienis adhæſerunt.*

22. Pro, *impudicè abuſi*, Hebraicè eſt, ducti ſunt טחון *tachon*, ideſt, ad molam, ſeu molendum, ſeu ad piſtrinum, quod ex Hebraica origine ab Hiſpanis dicitur, *tahona*; ſed eſt omnino ſenſus idem: nam molere tam apud Latinos, quàm apud Hebræos, aliquid indicat obſcœnum. De Latinis eſt illud Horatij libro 1. Satyra 2. *Alienas permolere vxores.* Græci μύλλειν, quod molere valet, etiam libidinari ſignificat, vnde μυλλὰς ſcortum eſt. Sanè vbi Iob. capite 31. legis: *Scortum alterius ſit vxor mea*, Hebraicè eſt, *molat alteri vxor mea.* & dum Iudicum 16. Samſon in carcere iuſſus eſſe dicitur molere, quidam ex Hebræis dicunt, vacaſſe tunc liberis ſuſcipiendis ex Philiſtinorum fœminis, quæ adducebantur à parentibus, vt ex generoſo parente generoſa item ſuſciperetur ſoboles. Hieronymus in illud Iſaiæ capite 47. *Tolle molam, & mole farinam*, ſic refert hanc Iudæorum cogitationem, vt non improbet. Vide, quæ diximus in noſtris Commentariis ad illum Iſaiæ locum.

Tahona vnde dicta. Molo, verbum obſcœnum.

23. *Et pueri in ligno corruerunt.*] Lignum vinculorum genus eſt, non tam ad cuſtodiam, quàm ad tormentum, quod etiam neruus appellatur: de quo nos pluribus ad illud Actorum capite 17. *Et pedes eorum ſtrinxit ligno.* Lignum præterea patibulum eſt, vnde frequens, *affixus ligno*, aut è *ligno pendens.*

pendens. Ego exiſtimo, aliquid eſſe aliud magis infirmæ illi puerorum ætati accommodatum: quale eſt lignis, aut virgis fuiſſe percuſſos ad ſanguinem vſque, & mortem: quod putat Maldonatus; aut geſtandis è ſylua lignis ſic eſſe defatigatos, & oppreſſos, vt oneri ſuccubuerint, corruerintque exanimes; quæ ſpecies ſatis eſt ad commiſerationem grauis.

24. Verſ.14. *Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium.*] Duo ſunt, quæ abundantem, & bene conſtitutam Rempublicam oſtendunt, & iudicia legitima à viris & ætate grauibus, & iudicio, prudentiáque maturis obiri ſolita; & aliquid honeſtæ voluptatis, quod præſtari ſolet ab ingenua, atque liberali iuuentute. Vtrunque defuit in ciuitate illa copioſa, ac lauta, quæque omnium optimè olim, cùm fas, & ius valeret, adminiſtrabatur: neque enim iam ſenes in portis, vbi legitimus conſenſus aut iudicij, aut deliberationis gratia conſident; neque iuuenes ad chorum, & tibiam numeroſè aut cantant, aut orbes ſuos ſaltatorios obeunt. Quomodo iudicia exerceantur ad portas, ſæpius à nobis dictum eſt. Chorus, vt diximus ad illud Canticorum 7. *niſi choros caſtrorum*, inſtrumentum eſt muſicum, neque hoc loco dubitandum; cùm ſit pro choro נגנה *neghinah*, quod non pſallentium, aut ſaltantium cœtum, ſed inſtrumentum ſignificat muſicum: ſed quia ad eiuſmodi inſtrumenta aliquid plerunque cantari ſolet, ſit vt נגנה *neghinah* pro cantico ſumatur; ſicut apud Hiſpanos *lyræ* dicuntur carmina, quæ de more cantantur ad lyram.

25. Verſ.15. *Defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter.*] Hoc ſæpe prædictum ab aliis fuerat, & ab Ieremia non ſemel, capite 16. verſu 9. *Ecce ego auferam de loco iſto, coram oculis veſtris, & in diebus veſtris, vocem gaudij, & vocem lætitiæ.* Et idem capite 25. numero 10. gaudium, credo, vocatur, id nuptiale carmen, & nouorum coniugum feſtiuæ voces, quarum loco ſucceſſit mœror, & luctus. Quod dixit etiam in ſimili rerum permutatione Iob capite 30. verſu 31. *Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Vbi obſeruo, non dixiſſe Prophetam, ceſſaſſe gaudium, ſed eſſe mutatum in lugubre carmen; quia voluptatem immaturam, qualis eſt illa, quam in hac vita captat mortalis homo, conſequitur perturbatio, ac luctus.

26. Verſ.16. *Cecidit corona capitis noſtri.*] Vbi erat gaudium cordis, & chorus in conuiuiis putà, & epithalamiis, ſimul etiam coronæ reperiebantur, quæ geniales illos dies ornabant, hilarabántque. Ex quo fiebat, vt per metonymiam corona ſumeretur pro lætitia, quia eius familiare ſignum eſt, vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ capite 35. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* Quòd autem in conuiuiis, feſtiſque lætioribus coronati accumberent, aut incederent Iudæi, probauimus multis in caput 1. Canticorum. Corona igitur cecidiſſe dicitur è capite, quia defecerunt illi dies, atque deliciæ, in quibus coronati lætabantur Iudæi.

In gaudio corona adhiberi ſolita.

27. *Væ nobis, quia peccauimus.*] Peccatis ſuis attribuit, non Chaldæorum armis, aut Dei inclementiæ, quòd ſpoliata ſit ciuitas illis deliciis, quas habere conſueuerat in otio, atque ideo ita dolet de oblatis infortuniis, vt peccata ſua execretur, & horreat: & quidem inſanus eſt, & omnino cæcus, qui cùm in peccatis ſit, putat tamen, ſibi permiſſum eſſe coronari, aut intereſſe genialibus curis.

Stultus, cui in peccatis lætos ducit dies.

Verſ.17. *Propterea mœſtum factum eſt cor noſtrum.*] 28.
Cauſam reddit, propter quam tam grauiter ſit affectus populus, & tam impensè doleat, quia nempe peccarit, & peccati pondus importabile ſuſtinere cogitur.

Ideo contenebrati ſunt oculi noſtri.] Excæcari ſolent 29.
miſerorum oculi plorando, vt ex hiſtoriis tam ſacris, quàm profanis accepimus. Sic Dauid Pſalmo 37. verſu 11. præ lacrymis ſibi dicit obſcurari oculorum aciem. *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Et clariùs Iob capite 16. verſu 17. *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* Sic Ezechias attenuatos ſibi oculos eſſe dixit ſuſpicientes in excelſum, Iſai. cap. 38. nempe lacrymando, atque orando. Niſi mauis, contenebratos oculos ideo dici, quia tenebras amant, & in tenebris morantur. Qui etenim triſtes ſunt, illi neque libenter lucem aſpiciunt, & hominum conuictum auerſantur. Sic Maro de Didone in affectu non diſſimili ex rerum natura:

Mortem orat, tædet cæli conuexa tueri.

Tales autem oculi à tenebris, quas tam inquirunt auidè, obtenebrati dici poſſe videntur.

Verſ.18. *Propter montem Sion, quia diſperiit.*] 30.
Aliam addit dolendi cauſam, quia periiſſe videt montem Sion, ideſt, ea amiſiſſe ornamenta, propter quæ olim ſpectabilis erat. Vulgo autem hominum id periiſſe exiſtimatur, quod magnam paſſum eſt rerum mutationem. Mons hîc pro ciuitate ponitur, quia in monte conſtructa, aut quia eius pars nobiliſſima erat mons Sion.

Vulpes ambulauerunt in eo.] Cùm vaſtata dicitur 31.
ciuitas, in ea hominum loco feræ ſucceſſiſſe dicuntur, non minùs ſæpe à ſacris ſcriptoribus, quàm à profanis. Qua de re nos pluribus in Iſaiam capite 34. numero 21. De ſacris Iſaias loco proximè citato de Idumæis: *Poſſidebunt eam onocrotolus, & ericius,* &c. Idem cap. 13. de Babylonia, & de Ieruſalem, cap. 7. De profanis eſt illud Horatij in Epodo Ode 16.

Euerſa ciuitatis deſcriptio.

Agros, atque lares patrios, habitandáque fana,
Apris relinquet, & edacibus lupis.

& libro 3. Carminum Ode 3.

— Priami, Paridiſque buſto
Inſultet armenta, & catulos feræ
Celent inultæ. —

Sic nunc in ruinis euerſæ Hieroſolymæ vulpes dicuntur habitare, quia locus olim ciuibus frequens, ſic eſt ſyluarum in modum efferatus, vt ferarum latebris magis ſit opportunus, quàm hominum domicilio. Locus hic ad mores grauis, in quo ſpectare licet, quàm animus à Domino derelictus ſibi ipſi diſſimilis ſit: de quo illud dici quàm veriſſimè poteſt, quòd in domum, quæ ad improbum habitatorem deflexit, iactari ſolet: *O domus antiqua, quam diſpari domino dominaris!*

Anima à Deo deſerta ſpecies miſerabilis.

Verſ.19. *Tu autem, Domine, in æternum permanebis.*] 32.
Ex mutatione eius vrbis, quæ in æternum duratura videbatur, quia ſatis apparebat contra vim omnem externam habere præſidij, probat in vno Deo ſpem, & fiduciam eſſe collocandam: quando moles illa tanta neque hoſtes arcere, neque ciues ſuos conſeruare potuit. Quare orat Deum, vt in ſuam ſibi fidem populum recipiat, quando ipſi nulla potentia vim afferre poteſt, & rem ſuæ tutelę creditam extorquere: ſed orat ſupplici quadam, & humili querela, quæ non tam

indigna

indignationem indicat, quàm ſpem. Quaſi dicat: Nihil miror, quod ciuitas hæc ab arte plurimùm, ſed multò magis à natura munita collapſa ſit, ſuóſque ciues hoſti prodiderit, quando nulla eſt potentia, ac firmitas creata, quæ non infirmari, atque excindi poſſit: illud miror, queróque, cùm tu æternus ſis, & cuius vires neque debilitauerit, neque infirmatura ſit omnis æternitas, cuiúſque ſolium nullas habiturum ſit viciſſitudines, deſerueris populum tuum, illúmque hoſtium voluntati vexandum, atque illudendum tradideris. Quare commodè conſequitur ſtatim:

33. Verſ. 20. *Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri? derelinques nos*, &c.] Obliuiſcor idem eſt, atque non exhibere memoris animi ſignificationem aliquam, qualis eſſet captiuorum libertas, inimicorum vltio, aut in tot malorum cumulo benignius aliquod leuamentum. Porrò hîc obſeruandum, in orationibus Sanctorum plerunque aliquid admiſceri, quod pertineat ad Diuinam laudem, quia illa eſt quaſi captatio quædam beneuolentiæ. Ex quo fit, vt apud hunc Prophetam aliquando *laus*, pro oratione, aut precatione ſumatur, vt pluribus oſtendimus cap. 7. verſu 16. ad illud, *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem.* & in illud Threnorum 2. v. 19. *Conſurge, lauda in nocte.*

34. Verſ. 21. *Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur.*] Hæc de libertate, redituque captiuorum ex Babylone, & de maiore aliqua ſpiritualique ſeruitute ſumi poſſunt. Ego vtranque hîc video, hiſtoricè quidem temporariam, ac Babylonicam; allegoricè tamen ſpiritualem, & æternam. Et quidem Babylonicam hîc agnoſcunt Hugo, Lyra, Dionyſius, Olympiodorus: neque longè hinc abeunt ſanctus Thomas, & Rabbanus, qui dicunt, orare Prophetam, vt ad illud tempus reducatur populus, in quo Deum religioſè colebat, & ab illo viciſſim cuſtodiebatur in pace. Si de re Babylonica ſermo ſit, non eſt interpretatio difficilis: ſignificat enim Propheta, eò Iudæorum ſtatum defluxiſſe, vt ab vno Deo, qui ſempiternus eſt, & in cuius aſpectu vis omnis creata futilis eſt, neque magis firma, quam fumus, aut nebulæ, quæ difflantur à vento, reſtaurari poſſit. Quare ſi ipſe conuertere velit gentem profligatã, & abiectam, conuertetur, redibitque ad antiquam dignitatem, & nomen, non ſecus ac mortuus excitatur ad vitam. Ideo addit ſtatim: *Innoua dies noſtros ſicut à principio.* quaſi petat, vt eo modo in ſinum ſuum accerſat, amplectatúrque populum, quo olim amplexus eſt, quando animo erat in illum placato, magíſque benigno: quæ omnia in temporalem pacem, atque ſalutem optimè conueniunt.

35. Si de ſpirituali ſalute capias, quod faciunt ſæpe, atque optimè Patres, docemur hîc, quomodo gratia Dei liberi noſtri arbitrij motum antecedat. Qua de re pluribus agunt Scholaſtici, quorum hoc eſt negotium. Vide Auguſtinum libro de gratia, & libero arbitrio cap. 5. Sed illud difficile, quomodo Zacharias cap. 1. verſu 3. contra ſtatuere videatur conuerſionis ordinem: ait enim ibi Dominus: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Huic obiectioni occurrit ſanctus Thomas hîc, & nos in illum Zachariæ locum nonnihil diximus; ſed paucis Concilium Tridentinum vtrunque locum conciliat, exponítque ſeſſione

Zachar. 1. *A Deo principium conuerſionis noſtra.*

6. cap. 5. in hunc modum: *Cùm dicitur in ſacris literis, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur* (quia nimirum poſſumus non conuerti, ſicut ſtatim dicitur de illis, qui vocati ſunt, *Et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.*) *Cùm reſpondetur, Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur.*

Innoua dies noſtros ſicut à principio.] Hæc ſi referas ad temporariam libertatem, orat Propheta, vt antiqua Iudæorum tempora reſtituat, nempe, vt ad patrias ſedes frequens redeat captiuorum turba; vt inſtauretur templum, & prioris ſtatus renouetur forma: aut certè orat, vt in liberando populo ex Chaldæorum tyrannide, illa renouet beneficia, atque miracula, quæ antiquiſſimis generis Iſraëlitici temporibus edidit, cùm populum eundem exemit ex Ægyptio iugo. Talia videtur oraſſe in eodem ſtatu, atque fortuna, Iob capite 29. verſu 2. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me? Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum*, &c. Tam hæc, quàm quæ ſequuntur omnia, temporarium aliquid, & humanum ſonant. De ſpirituali ſalute, ac libertate ſenſus eſt facilis: eſt enim ſermo, aut oratio eius, qui à Dei gratia aliquando cecidit, cupítque ab eo rurſus gratiam inire, & in ſtatum antiquum reuocari. Quod opus vnius Dei eſt. 36.

Verſ. 22. *Sed proiiciens repuliſti nos: iratus es contra nos vehementer.*] Non dubitabat Propheta, diuturnum fore Iudæorum exilium: ſæpe etenim prædixerat, nonniſi ſeptuageſimò anno ſolutum iri captiuitatem. Quare ſe ipſum videtur reprehendere, quòd exorare ſtudeat à Domino id, cui ſciebat longum eſſe ſpatium definitum. Quaſi dicat: Quid votis inſiſto, quid precibus vrgeo, cùm tu proiiciens repuleris, id eſt, longè, diúque proieceris, non vtcunque in gentem noſtram, ſed vehementer offenſus? Hebræi ſuſpenſam eſſe putant extremam hanc clauſulam, atque ideo, vt tradit hîc Vatablus, repetendum eſſe putat illud ex proximo verſu: *Conuerte nos*, &c. & ita refert Figueirus, concludi in antiquis codicibus textum Hebraicum. Ego ex his, quos conſului, nullum deprehendi, qui non eo modo terminetur, quem Vulgatus habet. Neque ratio, quam ex Hebræis videtur aſſumpſiſſe Figueirus, quidquã efficit apud eos, qui illorum ſuperſtitionibus, ac nugis addicti non ſunt. Dicit enim ideo aliter concluſam eſſe orationem hanc, ſeu lamentationem poſtremam, ne quid durũ, aut inauſpicatum audiatur in fine. Valebit fortaſſe apud ſuperſtitioſos, & inanium rerum captatores hæc ratio: ſed quibus hæc leuia ſunt, & nugatoria, non curant. Hic finis ſit Lamentationum. Faxit Deus, etiam ſit illorum, quæ lacrymas excutere, & lamentationem apud pios excitare debent, vt vita noſtra exors culpæ ſit, & lætum potiùs epithalamium cantet in Diuino complexu, quàm in exilio æterno æternis ſe gemitibus exerceat. Hæc verò, quæ à me ſcripta ſunt, quæque in poſterum ſcribi contigerit, non Eccleſiæ ſolùm, quod omnino debeo, ſed Doctorum etiam cenſuræ committo. Abſoluta hæc ſunt anno 1615. ſexta die Decembris ad gloriam, & honorem beatiſſimæ Trinitatis, & puriſſimæ, atque omnino immaculatæ Virginis, & B. P. Ignatij, & B. P. Fran. Xauierij, quibus millies ſpiritum meum, & ſæpius commendo. 37.

EXPOSITIO PSALMI 136.

1. ABſoluimus iam Ieremiæ Threnos, qui, vt vides, in deploranda Iudæorum fortuna, vrbis excidio, exilio Babylonico, & hoſtium iniuriis, & contumeliis amplificandis conſumuntur. Ea omnia neque alio ſpiritu,ac ſenſu video in Pſalmo 136.à Dauide tractari,neque minùs ornatè, neque minùs dolenter. Intuebatur quippe multò antè oculorum coniectu planè prophetico, quæ præſens Ieremias aut ſpectare potuit, aut audire: quæ ſic expreſſit ſingula,vt cum Ieremia videri potuerit rebus gerendis interfuiſſe. Quare non videbar à meo mihi inſtituto receſſurus, ſi ad Ieremiæ planctum hanc quoque captiuorum lamentationem adiungerem;quæ licèt à Ieremia compoſita non ſit, à Ieremiæ tamen ſenſu, & à Threnorum argumento non recedit: atque ideo Ieremiæ nomen in ipſo Pſalmi titulo præponitur.

ARGVMENTVM IN PSALMVM CXXXVI.

TRIA tempora habuère Iudæi vario ſucceſſu, atque diſcrimine, ſub tempus, imperiúmque Babylonicum. Vnum, quo exciſa fuit Hieroſolymitana ciuitas, & res Iudaica prorſus attrita.. Aliud, in quo & difficilis tranſmigratio, ſeu peregrinatio fuit, & longum, & ærumnoſum exilium in Babylonico ſolo tranſactum. Poſtremum,quando iam anno à captiuitate ſeptuageſimo, cum gaudio, & honore, ad inſtaurandas patriæ ruinas remigrarunt. Hæc omnia tempora præuidit multò antè, prædixitque verbis minimè obſcuris Regius Vates Dauid. Captiuitatem, & cædem,templique,atque vrbis vaſtitatem,in Pſalmo 78. Deus venerunt gentes. *Iudæorum lætum,atque triumphantem reditum Pſal.*125. In conuertendo Dominus. *Viæ difficultates, & moleſtias,exilij ærumnas,& quæ hæc conſequuntur incommoda,in hoc Pſalmo 136.vbi primùm docet, quemadmodum Solymitani exules, aut in medio curſu, aut prope vrbem ipſam Babyloniam ad fluminum littora ſubſtiterint,largéque fuerint patriæ deſiderio collacrymati. Et quò ſibi aut gaudendi,aut cantandi facultatem præciderent, muſica inſtrumenta abiecerint, reliquerintque ex ſalicum ramis ſuſpenſa. Cúmque vrgerent hoſtes, vt Sionium in modum aliquid cantarent: ipſi contrà in regione idolis conſecrata Sionium aliquid poſſe ſonare negant: neque fas eſſe,vt in communi dolore maternæ ſtragis cantando viderentur immemores. Quare dicunt,niſi manuum ſuarum obliuiſcantur, nunquam ſubituram ipſorum animos vrbis obliuionem: neque ſilendum eſſe de Sione, dum linguæ, ſermoniſque facultas fuerit. Deinde orat,vt talia hoſtes,Idumæi maximè ac Babylonij,patiantur, qualia ipſi Iudæis intulerunt incommoda: precatúrque ſecunda omnia Perſis,ac Medis,qui ad petram allident, infantes Babylonios, & eorum cerebro ſaxa reſpergent.*

PSALMVS CXXXVI.

1. *SVper flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus:cùm recordaremur Sion.* A

IN EVNDEM PARAPHR.

1. CVm ventum eſſet ad flumina,quæ peregrinantibus in tractu occurrerunt Babylonico, ibi ſubſtitimus, déque oculis noſtris lacrymas vbertim excuſſit Sionis memoria, patriæque deſiderium.

2. In

2. Ne

2. *In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.* A

2. Ne verò contra id,quod temporis ratio,& ciuium officium poſtulabat, aliquid feſtiuum,ac lætum tentaremus:inſtrumenta muſica,quæ nobiſcum ex patria occumbente ſuſtulimus, ex littoralium arborum ramis pependerunt.

3. 4. *Quia illic interrogauerunt nos,qui captiuos duxerunt nos,verba cantionum:*

3. 4. Qui verò captiuum agmen, tanquam deuotum macello gregem, abducebant, petierunt curioſo planè ſtudio, vt Sionium aliquid caneremus.

5. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

5. Quo ſenſu reſpondebimus, aut quo animo cantica Diuino nomini conſecrata
B cantabimus in terra tũ aliena, tũ falſorum deorum impiis ſuperſtitionibus delibuta?

6. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.*

6. Nunquam, ô Ieruſalem, continget, vt obliuiſcar tui, niſi fieri poſſe quis putet, vt quis ſuæ obliuiſcatur dexteræ.

7. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.*

7. Nunquam omittam ſermonem de te familiarem, & aſſiduum, donec mihi ſermonis,linguęque facultas non defuerit.

8. *Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.*

8. Si vbi orta mihi fuerit libertatis lux, & gaudendi cauſa,hymnum de te primum non inſtituero, ideo erit, quia adhærebit mihi lingua palato, aut alio quouis modo vocalis mihi facultas auferetur.

9. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem:* C

9. Recordare, Domine, quid Idumæi dixerint,fecerintve,quo tempore magis ab hoſte Chaldæo res Solymitana iactabatur.

10. *Qui dicunt:Exinanite,exinanite vſque ad fundamentum in ea.*

10. Quemadmodum odium inflãmarint hoſtile, hortatíque fuerint, vt ab imis vſque fundamentis ciuitatem euerterent.

11. *Filia Babylonis miſera:beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.*

11. Et tu Babylon miſera, aliquando quoque vaſtaberis. Faxit bene Dominus illi, qui talia tibi referat vltor iniuriæ noſtræ, qualia abs te genus noſtrum paſſum eſt infortunia.

12. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.*

12. Bene illi ſit,qui vincet,& occupabit te; quíque paruulos tuos, ſicut olim tu noſtros, allidet ad petram; ſaxáque infantili cerebro,ac ſanguine reſperget.

PSALMI TITVLVS.

Pſalmus Dauid Ieremiæ.

2. PSALMVS hic apud Hebræos ἀνεπίγραφος eſt,ideſt, ſine inſcriptione, ac titulo. Quare ex antiquis plurimi neque meminęrunt, neque agnouerunt inſcriptionẽ iſtam.Sic certè putat Hilarius, quod accepiſſe ſe dicit à ſenioribus Hebræorum: ſic Theodoretus,qui varios docet à variis titulos huic Pſalmo præfixos. Ego primùm in Hebraico textu nullum titulum lego,& ſicut à Septuaginta ſiue ab aliis, longè poſt tempora Dauidica varia epigraphe multi notantũr Pſalmi:ſic puto, hunc etiam Pſalmum variè, vt dixi, à variis inſcriptum fuiſſe,titulo ſiue ad materiam,ſiue ad tempus;ſiue ad ſtyli,terúmque ſimilitũdinem attẽperato. Sic Pſal.111.præpoſitũ eſt Aggæi,ac Zachariæ nomẽ, quia dę reditu agebatur captiuorũ, quorũ è numero fuerunt Zacharias, & Aggæus.

Tituli Pſalmis non omnes à Dauide præfixi.

D Mihi certum eſt,huius Pſalmi ſcriptorem fuiſſe Dauid;quod ſatis probat nomen ipſum, quod iampridem à multis ſæculis ab Eccleſia in ipſius Pſalmi capite ſeruatum eſt.Cauſam verò eam eſſe arbitror,quia Ieremias eo vixit tempore,quo exciſa fuit Ieruſalem,& captiui ciues ad ſolum Babylonicum traducti:& quia ipſe Threnos edidit eodem argumento, huic Dauidico Pſalmo non diſſimiles. Plura de Pſalmorum titulis præfari, non eſt eius, qui vnius tantùm Pſalmi commentationem inſtituit:neque quod ad Pſalmum iſtum attinet, puto aliquid afferri poſſe aut magis certum, aut quod maximi dictum eſſe interſit:quare Pſalmum iam exponere tentemus. 3.

Verſ.1. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & flenimus.*] Hîc primùm explorandum occurrit, quo loco ſint hęc flumina,ad quorum ripas conſediſſe 4.

ſediſſe dicuntur, & fleuiſſe captiui. An flumina, quæ Babylonicos abluunt muros, & mediam ciuitatem interluunt, qualis videri poteſt Euphrates, qui cùm vnus ſit fluuius, ad varios tamen ciuitatis vſus per foſſas varias, ſiue alucos deriuari traditur ab Herodoto lib. 1. & à Strabone lib. 16. quare multorum fluminum inſtar obtinet nomẽ. Seu certè ad ripas conſedere aliorũ fluminũ, quæ ex Palæſtina in Chaldæorum regionem commigrantibus frequenter occurrunt. De Euphrate plures locum iſtum accipiunt, quia re vera ille, ſi vſquam alius fluuius, appellatur Babylonis. Hîc ego nihil certum habeo, quod affirmem, neque in re ipſa aliquid video magni eſſe momenti: communem explicationem probo, & ad alias rationes addo, opportunum viſum olim Hebræis orationi locum iuxta flumina, quia motus ille chryſtallini liquoris admirabilem oſtendit potentiam Dei, & ad cæleſtia eleuat languentem ſpiritum. Sic hoc ipſo captiuitatis tempore Ezechiel ad Euphratem, quem ipſe appellat Chobar, ideſt, magnum flumen, admirabiles habuit illuſtrationes, capite 1. Sic Daniel iuxta Tigrim capite 10. & longo pòſt tempore Iudæorum oratoria ad fluminum ripas videntur extructa. Sanè Paulus Actorum capite 16. cùm iuxta flumen domum eſſe vidit, ſuſpicatus eſt, oratorium eſſe, ſeu proſeucham, quia illud fortaſſe vſitatum eſt Iudæis. Addo, Iudæos ſicut poſtea capti apud Romanos ad Tiberim habitarunt, vt auctor eſt Philo de legatione ad Caium, & Martialis libro 1. Epigrammatum 98. Iudæum Tranſtiberinum vocat; ſic etiam apud Babylonios ſuas ſibi domos habuiſſe ad ripas Euphratis. Id mihi colligere poſſe videor ex Ezechiele capite 3. *Veni ad tranſmigrationem ad aceruum nouarum frugum ad eos, qui habitabant iuxta flumen Chobar: & ſedi vbi illi ſedebant, & manſi ibi ſeptem diebus mœrens in medio eorum.* Communem hanc explicationem ita probo, vt aliam partem putem non improbabilem, quam his mihi rationibus perſuadeo.

In fluuiorũ ripa aptus orationi locus.

5. Primùm, quia cùm Babylon, ſeu Babylonia non tantùm dicatur ciuitas ipſa Imperij ſedes, ſed regio tota, à qua etiam, qui extra ciuitatem quacunque in parte regionis illius habitant, Babylonij dicuntur. Quare quotquot in ea regione labuntur flumina, vocari poſſunt flumina Babylonis. Deinde ab his, qui captiuorum illud agmen cogebant, iuſſi dicuntur Solymitani cantores, Leuitæ nempe, cãtare de canticis Sion. Vnde coniectare licet, non temerè in ipſo curſu conſediſſe captiuos, & ad fluminis ripas ſuſpendiſſe citharas. Prætereа non videbantur captiui emenſuri tantum ſpatij, quantum Babylonem vſque eſt onuſti citharis, & muſicis organis, cùm aliis oneribus, exhauſto, atque fatiſcente corpore, in media via laſſi, oppreſsíque defecerint. Eſt autem veriſimile, cumprimùm è terra promiſſionis exceſsère, attigerúntque Babylonicos fines, ingentem accepiſſe dolorem, abieciſséque quicquid ipſis olim voluptati fuit, aut in poſterum futurum videbatur: idque maxime, cùm barbari milites, qui captiuorum agmen traducebãt, Sionia cantica cantari ſibi poſtulabant. Quod credo otioſi, ac voluptarij homines ad muros vſque ciuitatis non diſtuliſſent. Quam ſententiã ex Hebræis nonnulli ſequuntur, qui ideo putant fleuiſſe captiuos, quia Ieremias, qui cum aliis quoque captiuus ducebatur, permittente militiæ magiſtro Nabuzardan, reuerſus eſt in patriam;

Babylonia, nomen ciuitatis, & prouinciæ.

ſed errant, vt ſolent, ſatis infantiliter Hebræi: neque enim Babylonis flumina vidit Ieremias, cùm ex Ramah, quæ non longè à Hieroſolymis diſtat, à magiſtro militiæ redire ſit permiſſus ad Godoliam, vt liquet ex capite 40.

6. *Super,* idem eſt, quod iuxta, vt pluribus oſtendimus in noſtris Commentariis in Zachariam cap. 4. num. 4. vbi exemplorum ſatis. Duo nunc accipe, alterum Exodi 16. *Quando ſedebamus ſuper ollas carnium.* & Numerorum capite 26. verſu 3. eſt exemplum huic quàm ſimillimum: *Super Iordanem contra Iericho.* ſic hoc loco, *ſuper flumina*, idem eſt, quod iuxta flumina, ſeu ad fluminum ripas.

Super, idem quod iuxta.

7. *Illic ſedimus.*] Credo, vt ſe à viæ labore, atque moleſtia tantiſper reficerent: eiuſmodi enim loca, & propter aquarum copiam, quæ non ſemper peregrinantibus occurrit, & quia fortaſſe traiectio facilis non erat, ſubſiſtere ibi aliquandiu neceſſe fuit. Hoc mihi veriſimilius eſt: & quia hoc his, qui pedibus iter habent longum, plerunque contingit: & quia omnes conſediſſe, ex loquendi modo, exiſtimari poſſunt: quod in medio curſu contigiſſe facile, extra illum rerum articulum difficile admodum videtur potuiſſe contingere. Scio verbum, *ſedere*, aliquid indicare ærumnoſum, & triſte, vt apud Iſaiam ſæpe, & apud Ieremiam ſæpius obſeruauimus. Sed non puto hoc loco ſic eſſe ſumendum; neque aliter, vt reor, ſubſtitère ad fluminum ripas victores Babylonij, quàm victi, captiuique Iudæi.

8. *Dum recordaremur Sion.*] Olim in pleriſque codicibus vulgatis legebatur, *tui Sion*; ſed neque id habent Hebraici, aut Græci codices, neque Latini nuper à Sixto correcti. Oſtẽdit Propheta, quid præſertim ex captiuorum oculis lacrymas expreſſerit, nempe memoria, ac deſiderium Sionis, ad quam retorquebant ſæpe oculos; neque iam Babylonicos ingreſſi fines intueri poterant. Excitabat autem magis patriæ deſiderium alienæ regionis horrida facies, in qua trahendam ſibi videbant non tam vitam ærumnoſam, & ægram, quàm prolixam mortem. Quam fuerint Iudæi patriæ amantes ſuo etiam tempore, tradit Cornelius Tacitus libro 21. Annalium, vbi docet eo eſſe Iudæos in patriã ſtudio, vt decedere malint è vita, quàm ex vrbe. *Si transferre,* inquit, *ſedes cogerentur, maior vitæ metus quàm mortis.* Mirum eſt, quod oculatus ipſe teſtis tradit Hieronymus in caput 1. Sophoniæ. *Vſque ad præſentem,* inquit, *diem perfidi coloni poſt interfectionem ſeruorum, & ad extremum Filij Dei excepto planctu prohibentur ingredi Ieruſalem, & vt ruinam ſuæ eis liceat flere ciuitatis, pretio redimunt, vt qui quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas. Videas in die, quo capta eſt à Romanis, & diruta Ieruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis, anniſque obſitos, & in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes.* Ad mores hic campus ſeſe oſtentat apertum, & latũ. Sedet orando nempe tranquillè nimirum, ac longæ orationis otio animus pius contemplatus Babylonis aquas, quæ perpetuò fluunt, & ſeſe effundũt in pelagus, vbi aut vaneſcunt ipſæ, aut marinis fluctibus confuſæ ſalſæ fiunt, & amaræ: neque iis etiam, quos ſitis vehementer excruciat, poculentæ. Quid aliud faciat, qui Sionias, ideſt, cæleſtes delicias aliquando guſtauit, cùm conſtrictũ ſe videat apud Babylonios, neque euolare poſſe ad regionem illam, vbi tantùm libertas eſt, & ea vita, quæ verè poteſt appellari vitalis? Sic Dauid: *Fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte, dum dicitur*

Iudæi patriæ amantes.

Patriæ cæleſtis deſiderium.

anima

animæ meæ, Vbi eſt Deus tuus? Vide Auguſtinum in hunc Pſalmum, & plures alios expoſitores, qui magis in ſẽſus myſticos,& allegoricos incũbunt.

9. Verſ. 2. *In ſalicibus,in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.*] Caietanus hic putat,Iudæos,cùm capti abducerentur è patria,non tuliſſe ſecum organa, quæ ex arborum ramis ſuſpendere potuerint, atque ideo non tam propriè quàm figuratè hæc eſſe intelligenda.Cur autem ita ſentiat,eam adducit coniecturam, quia vrgente hoſte inhumano,ac barbaro, priuatiſque domibus,ſimul cũ ipſo templo,aut dirutis,aut exuſtis,neque otium erat,neque facultas,ferendi ſecũ organa,quæ poſtea relinquerẽt. Quare ſenſum eſſe putat,ideo ſe lętitiam per inſtrumenta illa ſignificatã abieciſſe, quia apud Babylonica flumina coacti ſunt, vbi inter ſalices agerent,& littorales plantas. Quemadmodum ſi quiſquam propter affectam valetudinem libros abiiciat,& ſtudia literarũ,in lecto ſe dicit reliquiſſe libros. In hanc fermè ſententiã Caietanus, qui licèt acutè, vt ſolet, tamen quia ſolus eſt,vt reor,qui ita ſentiat, neque ratio adeò grauis, vt literæ vim, communémque cogitationem conuellat, cenſeo ſumenda organa propriè ſuſpenſa. Si Iudæi, qui organa ſuſpendiſſe dicuntur, fuga ſe ex vrbe, quam vaſtabat hoſtis, ſubduxiſſent, & in ipſo fugiendi conatu eſſent comprehenſi,vt de Sedecia legimus,non videbatur infirma Caietani coniectura.Qui enim ſaluare cupit vitam, facilè contemnit, quæ implicare poſſunt,aut retardare fugientẽ. At Iudæi manſerunt in vrbe,ibi à Babyloniis comprehenſi,ſeruare potuerunt ibi, quæ barbarus, & auarus hoſtis contempſiſſet.Contempſit,credo,muſica hæc inſtrumenta,quæ militibus nulli eſſe poterant vſui, maximè cùm in copioſa,& lauta ciuitate,aliæ forent exuuiæ, quæ auidos prædatorũ ſinus implerent.Neque deerat ratio,cur captiui ſecum afferre vellent ſacra illa inſtrumenta,tum quia è templo nihil aliud videbant eſſe reliquum; tũ,vt haberent, quo ſtatum illum ærumnoſum, & lugubrem ſolarentur.Notum eſt autem,quantum habeant miſeri leuamentum à muſica. Sufficiat ex ſacris monumentis exemplum Saülis, cuius ex animo cum angore, ipſum quoque exagitantem ſpiritum puer Pſaltes pellebat. Ex profanis eſt illud Virgilij libro 3. Æneidos de Polyphemo: *Muſica, mœroris leuamentum.*

——ea ſola voluptas
Solamẽnque mali,de collo fiſtula pendet.

De captiuis, quíque conſtricti vinculis ruſticam nauant dominis,& moleſtam operam, qualis Iudæos manebat apud Babylonios: déque his,qui addicti ſunt remis, quorum miſera eſt, & morti non diſſimilis fortuna, dixit Ouidius libro 4. de Triſtibus Elegia 1.

Hoc eſt,cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero cùm graue mollit opus.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulſa brachia pulſat aqua.

Quid igitur miremur laboris,peregrinationíſque ſocia habere voluiſſe Iudæos inſtrumenta muſica,quæ poſtea meliori conſilio proiecerunt? Solere ex ardẽte patria,& ab hoſtibus omni ex parte occupata,à fugientibus rapi, & per longa viarum,rerúmque diſcrimina pretioſum aliquid circunferri,expreſſit ex eo,quod frequenter fit,Virgilius,qui Æneam inducit libro 1. mittentem ad Didonem dona erepta ex incendio,& libro 7. ad Latinum Regem:

Dat tibi præterea fortunæ parua prioris
Munera,reliquias Troia ex ardente receptas.

A Ex his mihi difficile non eſt, contra quam putat Caietanus,à captiuis ex vrbis incẽdio erepta fuiſſe organa,& ad ſalices vſque Babylonici fluminis portata. Nunc aliquid præterea nobis obſeruandum.

In ſalicibus in medio eius.] Non dubito ad fluminis oras fuiſſe ſalices,non tam quia id fert rerum natura (familiares namq; ſunt littoribus ſalices, locíſque paluſtribus, vt nos ipſi quotidie videmus,& docent,qui de re ruſtica ſcripsẽre.Plinius libro 16.c.18.non niſi in aquoſis proueniunt ſalices. Idem Columella libro 5. c.7. Ouidius amnicolas appellat ſalices)quàm quòd ſic habemus in hoc Pſalmo, quem ſpectaſſe videtur Iſaias ca.15. B cùm Babylonicum flumen, ad quod abducti ſunt etiam Moabitæ,torrentem ſalicum appellat. 10. *Salix, littoralis arbor.*

Porrò cùm quis cantare non vult, quia aut id dedecere putat ætatem grauem, aut quia ea eſt temporum conditio, vt lacrymas potiùs quàm plauſum,& canticum requirat,inſtrumenta muſica ex arbore ſuſpendit. Quod vt commune Gentibus fuit, ſic puto à Gentibus accepiſſe Iudæos. Dixit hoc ex profanis Maro Ecloga 7. 11. *Inſtrumẽta artis ſuſpendi ſolita.*

Hìc arguta ſacra pendebant fiſtula pinu.

Qui loquendi modus prouerbialem videtur habere ſpeciem, qui ſignificat, non ampliùs iam ab aliquo vacandum eſſe muſicæ. Quare licèt Iudæi ex ſalicibus nunquam ſuſpendiſſent organa,dum- C modo iam ſtatuiſſent abſtinere à cantu,dici poſſent reliquiſſe organa ex arbore ſuſpenſa, & hoc libentiùs daremus Caietano:ſed credo,re vera & erepta eſſe ex vrbis naufragio inſtrumenta illa,& ex ſalicibus ad fluminis ripas pependiſſe.

In his ſalicibus, vbi ſilent citharæ ſuſpenſæ, optimè adumbratur pœnitentiæ natura:ſalix etenim nihil habet pulchrũ & amabile,frõdes glaucæ, & ſubtriſtes:nullus in ea fructus,qui dolentẽ exhilaret,frõdes amarę ſunt.Vnde illud Maronis: 12.

——ſalices carpetis amaras.

Silẽt ibi,quæ exhilarare ſolẽt animos,nẽpe chordę vocales,& voces numeroſę.Hęc amat animus peccatorum ſuorum conſcientia, atque mœrore compunctus.At vbi peracta pœnitentia,& pecca- D torum ſordes camino tribulationis excoctæ ſunt, qualis videri poteſt fornax Babylonica, non iam occurrunt ſalices,in torrentibus amarę,& triſtes, ſed lætæ arbores,ex quibus coronæ contextę caput illuſtrant,& exornant. Habes hoc Zachariæ c. 1. vbi cùm iã inſtarent libertatis dies, Angelus in profundo fluminis apparuit, non inter ſalices, vbi ſuſpenſæ olim citharæ,ſed inter myrteta,quę pulchra ſunt,& ſpiritum ad cantandum inuitant. *Pœnitentia qualis.* Zachar. 1.

In medio eius.] Nempe Babyloniæ;quæ,vt diximus,tam ſignificat ciuitatem, quàm prouinciam totam.Hìc ego duos Hebraiſmos inuenio:alterũ, illud,*in medio*,quod nihil eſt aliud,quã præpoſitio *in*,ſicut etiã *de medio*,idem eſt quod *de*.Quare quę dixit 4.Regum c.4. *In medio populi mei ego habito*, E nihil ſignificauit aliud,quàm habitare ſe in populo ſuo. Sic ſalices illæ ideo in medio Babylonis eſſe dicuntur, quia in Babylone ſunt. Alter Hebraiſmus eſt, quia relatiuum deſideratur, quod frequens eſt apud Hebræos, vt docuimus ſuprà capite 8. num. 20. Erit ergo ſenſus, in ſalicibus, quæ ſunt in ea,nempe Babylone. 13. Regvla. *Relatiuum ſæpe deficit.*

Verſ. 3. *Quia illic interrogauerunt nos,qui captiuos duxerunt nos:verba cantionum: & qui abduxerunt nos, hymnum.*] Sic diſtinguunt codices tã Græci, quàm Hebraici:neque ſi aliter diſpungas, quemadmodum eſt in pleriſque editionibus Latinis, diuerſus eſt ſenſus. Rogabant,aut iubebant Babylonij 14.

mili

militesà captiuis Iudæis,à Leuitis credo, qui ex inſtituto poterant in templo canere,aut voce,aut ſidibus,aut alio quouis inſtruméto vocali; quod multas ob cauſas rogare,aut iubere potuerũt,vel vt animos mœrentes patriæ deſiderio,cantu illo patrio ſolarentur, vel quia ipſi audire ſtudebant, quo carmine,aut ſonorum genere Diuinæ laudes in templo ſolerent celebrari,aut denique vt illorum lacrymis inſultarent, quas exprimebat patriæ,templique recordatio.Quodcunque horum eſt veriſimile,nihil certum:duo poſteriora magis in barbaros Chaldæorum animos conueniunt.

15. Illud,*quia*,non arbitror particulam eſſe cauſalẽ,ita vt ideo ſuſpenſa fuerint è ſalicibus,aut fracta organa, ne aut imperanti, aut roganti Chaldæorum voci parere cogerentur:ſolet enim vox, *quia*,apud Hebræos redundare,vt pluribus oſtendimus ad illud Iſaiæ 66.n.30.*quia parturiuit,& peperit Sion.* Quaſi dicant captiui, nos cantandi facultatem nobis ipſis præcidimus, hoſtes tamen Babylonij, vt cantaremus, aut hortabantur, aut vrgebant. Hìc prætetea epexegeſis quædam eſt, ideſt, eãdem ſententia iterata, & per Zeugma verbum, *interrogauerunt*, in ſecundo hemiſtichio ante hymnum repetendum eſt.

16. *Cantate nobis de canticis Sion.*] Audierãt proculdubio Babylonij Diuinas laudes mirifico cantu in Solymitano templo celebrari; quod cùm fortaſſe olim audire vellent, non tamen obſidionis tẽpore, aut direptionis vrbis potuerunt, quia dũ tuba clangit,& bellicus clamor ſonat,ſilẽt tibiæ, ac citharæ,& quæ ad demulcendas aures adhiberi ſolet tam ſacra,quàm profana ſymphonia. Videri ergo poſſent id rogare à captiuis, ſuo vt ſatisfaciant ſtudio, & quod in Sion antè ſalua Republica, id faciant etiam dum tantiſper ſubſiſtunt ad flumina Babylonis.

17. Verſ.4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*]Duæ cauſæ retardare potuerunt cantores illos exules, ne rogata, ſeu imperata facerent:tum quia non bene ſe cum lacrymis & luctu cantus,ac tympana conciliant,iuxta illud, *muſica in luctu importuna narratio*: tum quia nefas videbatur,quæ cantari ſolita erant in Sion,ideſt, cãtica Domini,in Babylonia canerẽtur,& profanis,atq; curioſis auribus ſeruirent. Hoc poſtremum cauſantur exules illi pſaltæ dum dicunt, *Quomodo cãtabimus canticũ Domini in terra aliena?* Quaſi nefas eſſe ducant,dare ſanctum canibus,& ante porcos margaritas proiicere.Vbi obſerua,quemadmodũ cantores illi extorres a patria,& Babylonicæ poteſtati traditi,non ſolùm dicant, cantare ſe nolle in aliena terra, ſed etiam omnino ſe poſſe negẽt. *Quomodo*,inquiunt,*cantabimus*?ac ſi dicant: Nullã nobis ad canendum facultatem reliquit profana regio,in quam ingreſſi ſumus,neque locus eſt cãticis,quibus olim dũ templum perſonabat, in ea regione,in qua impius eſt cultus, & aræ ſceleratæ conſecratæ dæmoni: quare neque ſpiritus eſt vllus ad habitum,& ſonum,neque lingua ad fingendas voces ad ſacram cantilenam. Sanè non video, quomodo qui in Babylone eſt, ſub poteſtate nempe dæmonis,& inter ſalices amaras, & quæ, vt docet hìc Hieronymus, non ſolùm ipſæ ſteriles ſunt, ſed etiam infœcundos reddunt, qui ex illis aliquid acceperunt,cantare poſſit aliquid numeroſum,& lætum.

Peccatori exultare non licet.

18. Hìc etiam apparet aliud ſeruitutis genus longè miſerabile, quod ſubit, qui ſæculo ſeruit, & Principum oculis,immo & ignobilis vulgi cogitationi ſatuæ. Cùm enim hunc dolor exanimem reddat,& eluguem,& paupertas inter ſalices cõſtituat,ex quibus ſuſpenſa ſunt omnia mœrentis animi oblectamenta,iubet tamẽ vox inſolens ſeuerti illius domini,vt cãtet;neque ille audet quicquam obtẽdere,cum videri nolit aut pauper, aut miſer,& cătat in dolore, & cum ſtomacho ridet. Quod ſane tormenti genus eſt, quale neque captiuis imponerent Babylonij.

Sæcularium ſeruitus miſerabilis.

Occaſio præſcindenda.

19. Chaldaica paraphraſis manuſcripta, quæ ſeruatur in bibliotheca Cõplutẽſi(vnde Arias Montanus ſumpſit id, quod in Biblijs Regiis legimus Chaldaicè,reliquit tamen plurima, quia aliquid olebant aut fabuloſum,aut fidei,vt modeſtiſſimè loquar,plus quàm dubiæ) ad hunc locum addit, Leuitas,qui ſacra illa inſtrumẽta tractabat, quò ſibi pulſandi, aut tractandi fides facultatẽ eriperent,pollices ſibi dentibus præcidiſſe,& tunc reſpondiſſe Babyloniis,*Quomodo cantabimus?*&c.De hiſtoriæ fide non diſputo,illud dico, ſi hoc verũ eſſet,documentum nos habere maximum, vt illa à nobis amoueamus,quę inuitare,aut iuuare poſſunt,vt aliquid contra pietatem,aut pudorem audeamus. Sanè ſi organa ex ſalicum ramis ſuſpẽſa non eſſent,& digiti aſſueti tractandis fidibus non eſſent abſciſſi, facilè induci poſſent Leuitæ Deo ſacri in Babylonico tractu organa pulſare, quæ nonniſi in templo perſonare fas erat. Hoc planè eſt, quod Saluator docuit Matthæi cap.5. *Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te.*

Matth.5.

20. Verſ.5. *Si oblitus fuero tui,Ieruſalem,obliuioni detur dextera mea.*] Quemadmodũ recordari is dicitur, qui practicæ memoriæ aliquod exhibet teſtimonium cum tali memoria conſentaneum, veluti ſi miſero faueas, aut impium inſectere, ac punias; tunc planè oſtendis,aut memorem eſſe te alienę miſeriæ, aut improbitatis: ſic etiam obliuiſci in Scriptura is dicitur, cuius aliquod opus nõ bellè conſentit cum memoria: quemadmodum Deus obliuiſci dicitur, cùm non miſeretur inopis, aut afflicti, aut cùm peccatoris ſcelera impunita relinquit.vnde frequens,*ne memineris iniquitatum*,ideſt,ne punias:& proximè Threnorum c.5. *Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri?* Vbi hoc idem obſeruauimus. Oblitus iuxta hæc dicitur paternæ nobilitatis,aut regiſ nominis,qui ignobilem, ac puſillum animum ad res abiicit ſordidas, & regio animo indignas.Oblitus eſt parentis mortui,qui canticis indulget,& choreis, quia hæc non bene cũ paternæ mortis memoria conſentiunt:ſic credo,obliuiſci Ieruſalem ab hoſtibus exciſæ, & ab exulibus derelictæ,nihil eſt aliud, quàm cantare, ideſt, ſignum exhibere aliquod exultantis animi. Quare animi ingenui, & materni funeris non immemores,cantare reſpuunt; quòd ſi id facere aliquando tentauerint, aliquod ſibi imprecantur infortunium,nempe,*obliuioni detur dextera mea*,cuius à nobis ſententia exploranda eſt.

Hebræorum fabula.

Oblitus qui dicatur?

21. Communis eſt recentiorum ſententia, optare ſibi cantores hoſce captiuos, vt manus dextera, quæ ſonos elicit numeroſos ex fidibus,torpeſcat, & graui diſſoluatur paralyſi, ſi pulſare tentet in tanta patriæ clade inſtrumenta lætitiæ. Quæ ſententia quominùs mihi placeat,facit,quia iam organa ſuſpenſa fuerant ex ſalicibus, &, vt videtur non improbabile, fortaſſe confracta. Deinde, quia non dextra ſolùm ſonos elicit numeroſos, & varios,ſiue ex fidibus, ſiue ex tibiis, quare ſiniſtræ quoque aliquod eſſet optandum infortunium. Deinde, quia ſeueri illi, atque inſolentes domini non exigunt, vt muſica pulſent, aut inſtent

flent inſtrumenta,ſed vt canant hymnum de canticis Sion. Adde, quòd hæc forma videtur, aut imprecatio prouerbialis, ſed quo alio in loco huiuſmodi loquendi modus occurrat, non inuenio.

22. Caietanus in dextera felicitatem deſignari putat, & re vera vt in ſiniſtra aduerſa,ſic in dextera proſpera deſignat Scriptura: quare ſenſum eſſe putat, nihil mihi à Domino proſperum contingat, ſi in communi dolore, eóque iuſtiſſimo modulari coner. Caſſiodorus in dextera Chriſtum intelligit,& putat ſignificari hoc loco, vt à Chriſti Seruatoris dextera decidat, ideſt, vt ego interpretor, ne mihi Chriſtus Seruator adſit,aut nulla ad me per Chriſtum ſalutis pars pertineat expectatæ. Hieronymus in dextera ſignificari putat opera, quorum tunc Deus obliuiſcitur, quando mala ſunt. *Obliuioni*, inquit,*dextera detur mea,hoc eſt,opera mea:non dixit, ſiniſtra,ſed dextera:ſiniſtra enim ſemper in obliuione eſt.*

23. Hæc ego non poſſum non probare,quia magnis ingeniis probari video: ſed dicam hîc duo, quæ alicui fortaſſe non diſplicebunt.Et primùm, ſi hîc aliquid demus imprecationis,puto in obliuione dexteræ fauorem, vel auxilium à Domino negatum ſignificari: quaſi dicat captiuorum hic cœtus,nunquam Deus dexteram meam regat,aut illi adſit. Notum eſt, adeſſe Dominum alicui à dextris,cùm illum tegere,ac moderari vult. Rationem eius dedimus in noſtris Commentariis ſuper Acta capite 2.numero 65. In hunc ſenſum accipio illud Pſalmi 109. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges.* & Pſalmi 15. *A dextris eſt mihi, ne commouear.* Quare qui precatur ſibi, vt dextera apud Deũ detur obliuioni, id planè precatur,vt à Diuina protectione cadat.Ex quo etiã fit, vt locum, quem benignus, atque protector Deus tenere debuit,diabolus occupet, & omnia hominis conſilia,cœptáque peruertat. Quod de peccatore cecinit Dauid Pſalmo 108. *Et diabolus ſtet à dextris eius.* Id ergo ſibi precantur captiui, ſi quando excidat è memoria Ieruſalem, vt à Deo patrono deſerantur,& diaboli permittantur arbitrio.A qua cogitatione non longè abiit Hieronymus, & illam probat Genebrardus, dum ſic exponit:*Deus obliuiſcatur vltrà afferre opem dexteræ meæ.*

A dextris eſſe,quid.

Pſal.109.

Pſal. 15.

Pſal. 108.

Qua pœna dignus, qui immaturè lætatur.

24. Hæc mihi viſa ſunt neque aliena à textu, & quæ cum rerum articulo maximè cõueniant:ſed addam quod omnium maximè iampridem mihi probatum eſt, tum in Commentariis in Cantica, prolegomenon 9. & in Iſaiam capite 49. numero 63. tum etiam proximè capite 17. Ieremiæ ad illud: *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino.* vbi diximus vſitatum eſſe in omni fermè natione, vt in annulis, armillíſque deſcriptas geſtarent illorum imagines, quos in honore haberent, aut amore. Exemplorum ſatis adduximus in illo Ieremiæ loco,quæ hîc repetere neceſſarium non eſt,inde pete. ſed non omittam illud, quod ad hunc locum plurimum facit ex Iſaia,capite 49.vbi Deus nunquam fore dicit, vt obliuiſcatur Hieroſolymæ, quia in manibus ſuis deſcriptam quaſi ciuis eſſet illius: loquitur autem hominum more, qui memoriale ſecum geſtant eorum,quorum obliuiſci nolunt:*Ego* (inquit) *non obliuiſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te,muri tui coram oculis meis ſemper.* vtique in annulo deſcripti. Sic etiam Solymitani ciues, qui tam amabant ciuitatem ſuam, vt diximus ſuprà

Imagines eorum, quos amamus, in annulis geſtantur.

Iſai.49.

A verſu 1.numero 8.in manibus geſtabant expreſſam ex auro, aut inſculptam gemmis Ieruſalem: quare fieri non poterat, vt illa vnquam ex memoria caderet, quia non poterat non occurſare ſæpius oculis, quemadmodum ſæpe manus occurſat. Dicunt ergo captiui deſiderio languentes patriæ, ſi cõtingat vnquam, vt dexteræ obliuiſcamur noſtræ, in qua depicta es, ô Ieruſalem, tunc obliuiſcemur tui;atqui manus noſtræ nunquam erit obliuio,neque igitur tui.

Sed obſtrepet aliquis, & dicet, illud, *obliuioni detur*, imperatiuum eſſe modum,atque ideo durè admodum in hanc explicationem trahi.Reſpondeo,vſitatũ eſſe in Scriptura ſacra,maximè apud B Prophetas,vt imperatiuus ſumatur pro futuro:& ſanè hic in Hebraico textu futurum eſt potiùs, quàm imperatiuus. 25.

Verſ. 6. *Adhæreat lingua mea faucibus meis,ſi non meminero tui.*]Duo aſſirmat populus iſte captiuus, & mœſtus: alterum,non venturam eſſe vnquam in obliuionem Ieruſalem,cui rei ſatis videtur eſſe prouiſum,dum expreſſa geſtatur in annulis, & quaſi manibus inuſta:alterum, eius nomen in ore futurum eſſe frequens. Vt ergo nuper dixerat, quandiu foret manus, futuram quoque in memoria,atque ante oculos Hieroſolymam:ſic nũc aſſirmat,quando lingua fuerit expedita, & libera,illius nomen etiam apud Babylonios audiendum eſſe. Eſt ergo ſenſus:Si non meminero tui, C ideo erit,quia aut areſcet lingua, aut adhæreſcet palato: quandiu enim ſpirare potero, & vocem fingere, nomen tuum in noſtris audietur conuentibus. Explicatio hæc facilis eſt, & hîc quoque imperatiuus pro futuro ponitur: & re vera in Hebraico textu hîc etiam futurum eſt. 26.

Si non propoſuero Ieruſalẽ in principio lætitiæ meæ.] Negant cantores iſti peregrini, canendum eſſe ſibi,ſaltem canticum Domini,in terra aliena;donec mutata fortuna,aut remigrarent in patriam, aut ſpes eſſet oblata remigrãdi:quod principium appellat lætitiæ ſuæ. Si in principio lætitiæ noſtræ,ideſt,hymnorum, ſeu canticorum (nam eadem vox hîc eſt שמחה *ſimchah*, quæ paulò antè, vbi noſter reddidit *hymnus*) non auditum fuerit D nomen tuum, ô Ieruſalem, quod canticis noſtris primum præbebit argumentum, ideo erit, quia impedita lingua eripietur nobis loquendi facultas. Hîc autem per zeugma repetẽdum,*Adhæreat lingua mea faucibus meis.* Principium hymnorum, ſiue lætitiæ tunc primùm habuerũt captiui, cùm facta per Cyrum redeundi facultate, ad viam in patriam accinxerunt ſeſe.de quibus Ieremias capite 31.verſu 4. *Ornaberis tympanis tuis,& egredieris in choro ludentium.* 27.

Verſ. 7. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom in die Ieruſalem.*] Vſitatum eſt,vt cùm nobis aliquid bene precamur,aut cùm noſtra dolemus infortunia, vt hoſtibus aliquid imprecemur mali. De priori eſt illud Pſalmi 67. *Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis,ſic pereant peccatores* E *à facie Dei,& iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei.* Et Iudicum capite 5. in fine: *Pereant omnes inimici tui, Domine, qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet,ita rutilent.*De poſteriori in eodem omnino argumento eſt illud Threnorum capite 4. *Gaude, & lætare filia Edom*, &c. & Pſalmo 68. *Deus venerunt gentes.* Sic hoc loco Propheta, vbi populum induxit adeò triſtem,vt ſilentium canticis æternum indixerit, crudelitatem proponit Idumæorum, qui Chaldæorum manus, & iram 28.

REGVLA. *Cùm nobis precamur bona,hoſtibus precamur interdum mala.*

acuebant,vt à fundamentis ciuitatem euerterēt, orátque Deum, vt vicem illis rependat, ne tanta illa barbari ingenij diritas impunita ſit. Porrò quàm fuerint Idumæi Iudæorum nomini ſemper infenſi,docuimus ſuprà capite 49.vbi etiā oſtendimus, quemadmodum eadem paſſa fuerit Idumæa ab eodem hoſte,quæ paulò antè Ieruſalem. Adi locum,& ſimul prophetiam Abdiæ, & Iſaiæ caput 34. vbi multa de Idumæorum ſtrage, illiúſque cauſa.

29. *Dies alicuius,quid.*
In die Ieruſalem.] Dies alicuius,aut tempus dicitur,in quo aliquis magnum aliquod decus cōſecutus eſt, aut in quo ſtudij ſui,ac voti compos euaſit,quomodo dies Domini dicitur,in quo vniuerſum iudicaturus eſt Deus, & ibi ſuæ potētiæ, atque iuſtitię illuſtre quoddam ſignum editurus. Ad eos,qui impias Seruatori Chriſto manus iniecerunt,quia quod antea tantopere cupiebāt,conſequuti ſunt,dixit idem Chriſtus: *Hæc eſt hora veſtra.* Dies etiam dicitur alicuius, in quo graue aliquod detrimentum accipit: quomodo Latini ſæpe dicunt,Reipublicæ tempora,ideſt,tempora, in quibus publica res maximè laborauit.Dies ergo Ieruſalem hoc loco dicitur illa, in qua propter inſignem plagam maximè nobilitata eſt Ieruſalem.

30. Porrò illud, *in die Ieruſalem,* ſatis explicat,qualem eſſe velit illam memoriam filiorum Edom, nempe,vltricem, & grauem, qualem illius diei exigebant merita, in quo exciſa fuit Ieruſalem, quando Idumæi non ſolùm iaciebant faces ad incendium, totóque nixu ad vaſtitatem ciuitatis incumbebant, ſed etiam vt alij ſecum idipſum facerent, hortabantur. Dies hic ſecuram exigebat manum, quam Dominus in Idumæorum interitum extenderet.

31. *Qui dicunt,exinanite.*] Satis indicant,quomodo ſint in Iudæos animati Idumæi,quando nihil ex ea tam illuſtri mole ſupereſſe volunt. Deeſt autem hîc relatiuum,quod ſatis apud Hebræos vſitatum. Quare,ſic legas,oportet,Exinanite vſque ad fundamentum,quod eſt in ea. Hic porrò, vt notauit Genebrardus, apparet quædam hiſterologia, quæ poſteriori loco poſuit, id quod in priori poſitum oportuit. Tunc autem expeditus erit ſenſus,ſi ita legas:Memento, Domine, filiorum,qui in die Ieruſalem Chaldæorum animos inſtimulabant,dicentes:Exinanite,&c.

32. Verſ. 8. *Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet.*] Sicut contra Idumæos aduerſum aliquid precantur cantores hi captiui, ſic etiam contra Babylonios, à quibus plagam illam ingentem accepère. Videtur autem beneuola precatio iis, quorum armis expugnabitur Babylonia. Quaſi dicat: Bene ſit illis,qui noſtras vlciſcuntur iniurias,& à quibus talia patiantur Babylonij, qualia

A ipſi nobis attulerunt incommoda:quod fecerunt Cyrus,& Darius,quos Dominus ad extinguendā Chaldæorum potentiam adminiſtros aſſumpſit.

Verſ.9. *Beatus,qui tenebit.*] Hebraice אחז *achaz,* 33.
poſſidere, ſiue *obtinere* ſignificat. Et eſt hic proprium illorum,qui armis,& vi ciuitatem ab hoſtibus ereptam occuparunt. Fortunet, inquiunt, Deus illorum incœpta,atque conſilia, qui occupabunt Babylonem, atque illius opprimēt vires, & inſolentiam frangent.

Et allidet paruulos tuos ad petram.] In quibuſ- 34
dam codicibus eſt, *ſuos*, quam lectionem aut ſequuntur, aut ad illam alludunt nonnulli ex Patribus. Gregorius in explanatione Pſalmi 90.ad finem, Arnobius,& Caſſiodorus hîc, & complu-
B res alij, ſed emendatiores codices *tuos* habent, quemadmodum & textus Hebraicus. Alliſerant Babylonij ad petram Hebræorum infantes, vt locus hic indicat, qui in retributione paruulorum alliſionem annumerat, ídque præcipuè: & fauent multa loca,quæ in Ieremiæ Threnis occiſos eſſe dicunt Hebræorum infantes. Quòd verò eandem vicem Babyloniis rependerint Perſæ, docet non obſcurè Iſaias capite 13.verſu 16.vbi cùm ageret de Perſarum irruptione in Babyloniam,ait: *Infantes eorum allidentur in oculis eorum.*

Perſæ in Babylonios crudeles.

Locus hic valde à Patribus vſurpatus eſt, vt 35.
probent ſtatim, vbi primùm cupiditates inordinatæ, aut motus animi laſciuientes eruperint,
C opprimendos eſſe, allidendóſque ad Chriſtum, qui petra eſt,& nihil non conterit: ita Auguſtinus,Hieronymus hîc,& epiſtola de cuſtodia virginitatis ad Euſtochium,optimè illuſtre hoc argumentum tractat; cuius verba, quia aliorum etiam cogitationem continent, referre libuit: *Nolo* (inquit) *ſinas cogitationem creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat, dum paruus eſt hoſtis,interfice,nequitia, ne Zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem: Filia Babylonis miſera,beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quā retribuiſti nobis: beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impoſſibile eſt, in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille*
D *laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare ſolida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Chriſtus eſt.* Diuus præterea Petrus, vt refert Clemens Romanus in epiſtola 1.ad Iacobum fratrem,ad finem, docet,qua ratione quotidianum peccatorum noſtrorum examen obiri à nobis poſſit vtiliter. *Inſtruebat* (inquit) *actus ſua vitæ omni hora cuſtodire,& in omni loco Deum reſpicere; firmiter ſcire cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere.* Plura nos in hanc ſententiam ad illud Canticorum 2. *Capite nobis vulpes paruulas.* Hæc de toto Pſalmo, quæ Eccleſiæ cenſuræ, ac correctioni ſubiicio.

Vitiis in principio reſiſtendū.

PRÆFATIO AD THRENOS poëtica illuſtratos paraphraſi.

ILligaram iam olim, benigne Lector, cùm ætas illi ſtudio minùs eſſet inepta, poëticis numeris Ieremiæ Threnos,amici cuiuſdam hortatu,qui cōmentationem in idem moliebatur argumentum:quorum tamen carminū prorſus eram oblitus,etiam dum hanc Ieremiæ plangenti operam nauarem. Neque putabam, quæ tunc ad alienū potiùs quàm ad meum luſeram ſtudium,mihi etiam in aduerſariis eſſe relicta. Caſu tamen venerunt in manus:quæ cùm recognoſcerem, neque omnino diſplicerent, maximè cùm diſſeminata iam

iam eſſent, neque parum corrupta, vt fit plerunque cùm ab imperitis, neque admodum attentis deſcribuntur, ſtatui illa Threnorum Commentariis attexere; quia vt ipſi Hebraicè à Ieremia primùm poëtico ſtylo, numeróque ad plangẽdum accommodato compoſiti ſunt: ſic etiam Latinè numeroſo, ac lugubri ſtylo cõponi poſſe videbantur, qualis eſt Elegiacus, cui à dolore, miſeratione, ac fletu datum eſt nomen. Sed quia compoſitionem illam antiquam ad alterius potiùs mentem, cuius obſequebar ſtudio, quàm ad eam ſententiam, quam in meis Commentariis ſequutus ſum, quondam attemperaueram, faciendum mihi exiſtimaui, vt nonnulla corrigerem, alia mutarẽ, neque admodum pauca, quia pauca non ſunt, in quibus mihi cum illo, qui ſuas mihi cogitationes carminibus alligandas commiſit, non conueniret. Cùm verò Pſalmi 136. cuius propter argumentum commune Ieremiæ Threnis, quia ipſe quoque Threnus eſt, explicationẽ adiunxerim, illum quoque numeroſè compoſui, iuueneſcente ſtylo, & Muſis ad deſuetum iampridem munus reuocatis. Quæ licèt ab ætate iam grandi aliena videantur, ignoſcet tamen lector, cuius ſtudio in hoc etiam ſcribendi genere ſeruire volui.

PARAPHRASIS IN THRENOS Ieremiæ Prophetæ.

IN CAPVT I.

ALEPH.

Qvomodo ſola Sion claris populoſa, frequénſque
Antè viris, eheu, quomodo ſola ſedet?
Quæ iura in populos latè dabat ampla ſubactos,
Nunc vidua in morem clauſa, gemenſque ſilet.
Nec leue dat grauibus dominis captiua tributum
Vrbs domina, & claro nobilis imperio.

BETH.

Imminet atra dies operi deuota moleſto,
Incubat ad lacrymas nox tamen atra magis.
Nemóque de cunctis, quos antè colebat amicos,
Viſcera fomentis lenibus ægra fouet.
Quin potiùs verſis ſtudia in contraria curis
Hoſtili exacuunt arma inimica manu.

GVIMEL.

Mœſta nimis Iuda, ac dominis aſſueta ſuperbis
Exul in externam ſe dedit orba fidem.
Nec tamen interea requies datur vlla, licétve
Quas malè vitarat non ſubiiſſe manus.
Anguſtis etenim tanquam foret addita clauſtris,
Vincula Chaldæo vilis ab hoſte tulit.

DALETH.

Flet deſerta Sion, quòd totis cognita terris
Iam ſacra, iam templi limina nullus obit.
Sunt biſores vacuæ, nullo ingrediente. Sacerdos
Luget, vbi arcani ſtant ſine thure foci.
Virginibúſque nitor, vultu ſqualente, ſeneſcit.
Nil niſi cuncta grauis complet amarities.

HE.

In noſtram Domino ſic conniuente ruinam
Hoſtili caput hoc ſubdidit imperio.
Exuuiis hoſtis patria occumbente receptis,
In patrios abigit commoda noſtra lares.
Infantéſque rapit peregrinas victor in oras,
Non ſecus ac mutum paſtor in arua pecus.

VAV.

Quæq; erat antè Sion luxu ſpectanda decoro,
Horret, & à macie lurida forma riget.
Præq; fame, vt ſiccis aries in ſaltibus errat
Pallida, ſic proceres verſat, agitque fames.
Coguntur tamen huc laſſis veſtigia plantis
Moliri ante ſuos accelerata duces.

ZAIN.

Exul ad Euphratis gens Abrahamæia tractus
Verſabat cladis tempora dura ſuæ.
In quibus antiqui periit decor aureus oris:
Próque ſuo expendit crimine ſupplicium.
Incubuit, quando belli importabile pondus,
Nec tamen è multis attulit vnus opem.
Flebat ſe miſeram, nec erat miſerabilis hoſti,
Qui tunc pro lacrymis aſpera probra dedit.
Auſus & impuro perſtringere ſabbata naſo,
Atque intermiſſis prodita feſta ſacris.

CHET.

Sed niſi peccaſſet, peregrináque dogmata noſſet,
Eſſet ab antiquo non peregrina gradu.
Ille nec exereret dura in conuitia linguam,
Cui priùs ad laudem cauſa, ſegéſque fuit.
Nec gemeret ſeſe ſpretam, pudibundáque fletu
Vda retrò in patrias verteret ora domos.

TETH.

Traxit mœſta Sion obſcœno è puluere ſordes,
Vilia dum peragit munera nuda pedes.
Exigit hoc meritò lacrymoſa obliuio ſortis,
Quam pro deliciis poſthabitura fuit.
In præceps acta eſt, nec, qui rorantia largè
Lumina ſollicitus tergat, amicus adeſt.
Ipſa gemo, aſt hoſtis ſeſe iactantior effert,
Virtuti attribuens vulnera noſtra ſuæ.

IOD.

Grande nefas, imis tracta è penetralibus vſque
Venit ad hoſtiles inclyta gaza manus.
Sed grauius gentes quod in intima ſacra profanæ
Immiſère ſuos, se prohibente, pedes.

CAPH.

Ferre nequit populus vacui ieiunia ventris,
Nec tamen is vires, quo tueatur habet.
Quidquid erat pretij ſtomachi calor improbus hauſit,
Et largas tenui pro dape ſparſit opes.
Flecte, Deus, faciles oculos clementior, & me
Quam vilem reputet barbara turba, vide.

LAMED.

Siſte parum, cohibe veſtigia tarda viator,
Quiſquis es, atque vrbis conſpice buſta meæ.
Et ſtatue, an ſpecies mage ſit lacrymabilis vlla,
An ſors ſit miſeris vlla dolenda magis.
Sternere nónne ſatis Solymeia tecta fuiſſet,
Duráque in obſeſſos ſtringere tela viros?
Qui rari aufugium vicina in ſede locarant,
Rarus vt Autumno eſt deficiente botrus.
Abſtulit hos etiam vindemia plena racemos,
Hei mihi, quantum opera ſumpſit auara manus.
Sat memini, hæc iuſta cecinit Deus aſper ab ira,
Sed quàm vera fides, tam mihi vana fuit.

MEM.

Illum inter cædes inimicáque tela putares,
Armaſſe vltrices, tædifrráſque manus.

Mœniáque iniectis vaſtaſſe Sionia flammis,
Quę populo, membris dura quòd oſſa, dabant.
Et coniuratum noſtras violenter in arces
Deſuper Aſſyrias applicuiſſe faces.
His me ſuppliciis opera ad meliora vocabat,
Ad documenta tamen mens erat illa rudis.
Addidit hoc aliud tumida graue fulmen ab ira,
Ne ſuper vlla foret libera ab hoſte fuga.
Firma etenim expandit fugitiuis retia plantis,
Et captam refugo compulit ire gradu.
Sic me deſertam voluit tabeſcere, toto
Mœrentem nimiùm, ſollicitámque die.

NVN.

Quod quondam vigilans captiua in colla pararat,
Præuiſo impoſuit tempore grande iugum.
Hic ſcelerum fructus, quæ ſtricto immania nexu
Seſe ad ceruices complicuêre meas.
Quorum laſſa graui depreſſa eſt pondere ceruix,
Quis queat hoc tandem ſurgere ab interitu?

SAMECH.

Quos mihi præſidio rebar, decorique futuros,
Hos Dominus media ſtrauit in vrbe duces.
Aſciuitque ad fata diem crudelia, vidi,
Vidi, inquam, electos occubuiſſe meos.
Iuda olim incedens, ſeu virgo tenerrima, vidit
Cognato exundans ſanguine pingue ſolum.
Non ſecus atque lacus calcatis ſordet ab vuis,
Quas ſuper immani pondere præla premunt.

AIN.

His ideo lacrymis vndantia lumina rorant,
Viſceráque internus conficit ægra dolor.
Quod nullus crebris animam ſingultibus ægram
Abiectámque piis integrat alloquiis.
Et mea, quod fugiens per inhoſpita tecta propago,
Inſultante ferum vulnus ab hoſte tulit.

PE.

Mœſta Sion paſſis ſolatia flagitat vlnis,
Flagitat, & nullus præſtat amicus opem.
Nec mirum, quoniam Deus eſt, qui barbara ductor
In Iudam horribili concitat arma tuba.
Faſtidita iacet, veluti quam menſtrua fœdant
Eluuio, atque olidi ſanguinis vnda putris.

TSADE.

Iuſtus es, ô Domine, & iuſto me pondere damnas,
Torpueram ad voces perfida nempe tuas.
At vos me, ô populi, potiùs ſpectate dolentem,
Quàm tanti ob culpam fulminis eſſe ream.
Nam iuuenis pulchra cum virgine, pulcher & ipſe
Vincula captiuos nectit in arcta pedes.

COPH.

Quos ego credideram ſocios malè cauta fideles,
Me miſeram turpi deſeruêre fuga.
Quæſieram ſaltem blanda ſolatia linguæ,
Nunc doleo ficto prodita ab officio.
Longa Sacerdotes non vendicat infula, in vrbe
Conticuêre graues, & periêre ſenes.
Atque iidem, membris macie tabentibus, orant
Queis reuocent animas ore tremente cibos.

RES.

Quando alij abiiciunt, ad te, mea vita, reuertor,
Vnica nempe meis ara relicta malis.
Cor mihi viſceribus mœrore, æſtûque ſolutis
Ardet, & in tepidas triſte liqueſcit aquas.
Vndique diſcrucior, ſtant námque ſimillima morti,
Arma inimica foris intus acerba fames.

SIN.

Cúmque obſeſſa malis vlulem, non audior vlli,
Immo hoſti riſus mœſta querela mouet.
Lætus námque ſuam ſtudio ſpem lactat inani,
Méque tibi ex animo prorſus abiſſe putat.
Fallitur is, paſsúſque eadem ludibria credet
Te quondam noſtris indoluiſſe malis.

THAV.

O vtinam queis me ſtrinxit violenter, & vſſit
Ante oculos veniant aſpera facta tuos.
Inq; vicem doleas, cùm falce inſenſus acuta
Vinitor ad minimos deſecet vſque botros.
Sic gemitus ſolare meos, námque intima quantum
Viſcera confodiant cura, dolórque vides.

CAPVT II.

ALEPH.

Qvomodo ceu terras tenebroſis obumbret amictus
Cæleſtis Solymas obruit ira domos?
Quomodo ſydereo Sulamitida ab æthere plebem
Strauit ad vſque imum tanta ruina ſolum?
Nec Deus alta ſui reſpexit in atria templi,
Subdita vbi ad ſacros ſcamna fuêre pedes.

BETH.

Eruit omnipotens vrbis monumenta ſuperbæ.
Nec decori eximio parcere cura fuit.
Et quibus heu fallax inerat fiducia, muri
In latus excidio procubuêre graui.
Polluit electo cum Principe nobile regnum,
Quod ſtimulat ſalſis barbara turba iocis.

GVIMEL.

Contudit Iſacidum diuina potentia vires,
Quámque tulit clemens antè, negauit opem.
Quin ipſe vltrices iaculatus ab æthere flammas
Hoſtili Solymas perdidit igne domos.

DALETH.

Viſcera in Iſacidum, neruúmque, oculóſque tetendit,
Appetat vt iaculis, tranſadigátque ſuis.
Neu deſignato iaculum deerraret ab ictu,
Firmata intorſit tela cruenta manu.
Quidquid erat pulchrum ferro tulit aſper, & igne,
Igne, inquam, & ferro nobile quidquid erat.
Magnáque vt vndantes voluunt incendia flammas,
Sic quos ira æſtus hauſerat antè, vomit.

HE.

An non ille ferox inimicas imbibit iras,
Qui gentem è media depulit vrbe ſuam?
Qui firmo ſtabiles munimine ſubruit arces?
Quo duce plebs vno funere merſa iacet?
Quo adnitente malis plena eſt ingentibus, & quo
Vltore ad nugas, ludibriúmque patet?

VAV.

Quæ in Solymis habuit tentoria ſplendida terris,
Quæ velut immodicis æſtibus vmbra fuit.
Diruit, vt pulchrum ſiquis malè diſſipet hortum,
Quem pro deliciis ſepſerat ante ſuis.
Hinc ſtata feſtiuo ſiluerunt ſabbata cantu,
Imbuit arcanos victima nulla focos.
Non Rex, non vllus ſacrata in veſte Sacerdos.
Omnia Diuinus perculit iſte furor.

ZAIN.

Proiecit Dominus, quas antè ſacrauerat aras,
Inq; adyta Aſſyrios intulit vſque pedes.
Murorúmque minas, decora, atque illuſtria, turres
Juſſit in hoſtiles capta venire manus.
Hoſtis vbi alta capi templi penetralia cernit,
Quódque adyta arbitrio ſunt adeunda ſuo.
Sic dedit elatas temerata per atria voces,
Ceu plebs feſtiuo religioſa die.

CHETH.

Nempe hæc Diuinæ ſteterat ſententia menti,
Murorum vt caderent hoſte premente minæ.
Artificique domos metatus ſtamine, ſignet

Ordine,

Ordine, quo pereant ſingula, quóve modo.
Quo tamen vſque grauem muri traxêre ruinam,
Indefeſſa grauis perſtitit ira manus.

TETH.

Qui in foribus ſteterat iudex bipatentibus, idem
Excidit illuſtri de ſtatione ſenex.
Reges, qui Solymæ fuerant pro vectibus vrbi,
Quique tuebantur templa, laréſque duces,
Perdidit, & ſparſos peregrinis abdidit oris,
Degeréque obſcuro iuſſit in exilio.
Lex, & iura ſilent tela inter & arma; nec vllus
Qui à Domino referat viſa, Propheta manet.

IOD.

Qui ut ſolio quondam, cauſiſq́, foróque vacabant,
Puluere in abiecto conticuere ſenes.
Squallentíque habitu miſerè, fœdéque ſolutis
Ferales cineres impoſuêre comis.
Nec minùs hirſutis ſtrinxerunt aſpera villis
Tegmina, temporibus non aliena ſuis.
Turpiter obſcœno ſe puluere mœſta volutat,
Et turpat nitidum caſta puellá caput.

CAPH.

Defecêre oculi lacrymis manantibus vdi,
Viſceráque inſolitus perculit intia tremor.
Adde, quòd in tepidas confectum extabuit vndas
Immani oppreſſum pondere triſte iecur.
Et cur non doleam? cùm non appareat vlla,
Apta ſit immodicis quæ medicina malis.
Cùm teneros ipſo genitricis ab vbere natos
Intimus attenuet, deſtituátque calor.
Inq́, foro medio, vitaq́, in limine claudant,
Quod vix ſpectarant, morte premente dies.
Quod vix dum ex vtero, iamiamque ad funera nati
Tranſlati ad tumulum ſint propè de tumulo.

LAMED.

Quod faceret ſtrictum natorum in viſcera ferrum,
Hoc media in turba præſtat acerba fames.
Sunt vbi, clamabant, Cerealia dona, merúmque?
Sunt vbi, quæ paſtu debile corpus alam?
Hi ſimul, atque illi, matrum quos vbera lactant,
Matrum ante ora cibo deficiente cadunt.

MEM.

Quo tua, mœſta Sion, lenimine vulnera ſoler?
Cui ſimilem plagam ſuſpicer eſſe tuam?
Te quibus aſſimilem? ſeu te quibus arbiter æquem?
Quælibet eſt longè quàm tua plaga minor.
Scilicet in lacera contritio tanta Sione eſt,
Eſt quantus vaſtis fluctibus Oceanus.
Quod Deus inflixit, non eſt medicabile, vulnus,
Nempe iſtud medica plus valet arte malum.

NVN.

Qui tibi debuerant naſcenti occurrere cladi,
Atque intentatæ prodere ſigna necis.
Falſa tibi fatui cecinêre oracula vates,
Polliciti ad votum fata ſecunda tuum.
Nec tua detracto vulgabant crimina fuco,
Quiſque tibi incuteret deſuper ira minas.
Quo te præteritos annos, moréſque peroſam
Offenſi traherent Numinis ante pedes.
Sed dum mendaci lactant ſpe, prædita longum
Exilium infelix, exitiúmque vides.

SAMECH.

Diruta conſpiciens collapſáque templa viator,
Inclyta quæ paucis antè diebus erant.
Comploſis pariter, iunctíſque ad ſibila palmis
Ad fera concuſſit ſcommata molle caput.
Hæcne vrbs, quæ ante alias nitidum caput extulit vrbes?
Nullus cui tanto in corpore næuus erat?
Lætitiam toti, quæ afferret idonea terræ,
Deliciáſque graui funderet alma ſinu?

At vix vlla manent veteris veſtigia formæ,
O quanta quanta eſt facta ruina domus?

PE.

Laxauêre auidas inimici in vulnera fauces
Vt fera, quæ obiectos appetit ore cibos.
Sibilat vt ſerpens, fremit vt leo, concutit hoſtis.
Atque acuit dentes in mea damna ſuos.
Et deſiderij mea poſt diſcrimina compos
Hæc inſultanti ſcommate probra iacit.
Hæc eſt illa dies, & ineluctabilis hora,
Hora, inquam, votis mille vocata meis.
Inueni, & vidi temerari cædibus vrbem,
Quæ mihi lapſa graues obtulit exuuias.

AIN.

Quæ in caput ante tuum decreta æterna fuerunt,
Retulit omnipotens tempora ad iſta Deus.
Et quas antè tibi monitu prædixit amico,
Heu nimiùm veras conſpicis eſſe minas.
Diruit oratus, ſed inexorabilis vrbem,
Atque hoſti plauſum, lætitiámque dedit.
Et quò te rabies domitam violentiùs vrat,
Hoſtile ad cæli ſuſtulit aſtra caput.

TSADE.

Contemplati arces, & diruta mœnia ciues,
In quibus eſt veteris culminis vmbra recens.
Talibus attonitam crebra ad ſuſpiria plebem
Ægri ipſi exacuunt, inſtimulántque modis.
Funde, age, da lacrymas noctúque, diúque fluentes,
Qualiter hybernis riuus abundat aquis.
Nec tibi perpetuis querulæ ſingultibus vnquam
Pupilla in lacrymis det taciturna modum.

COPH.

Surge, age, cùm terris nox attulit atra quietem
Surge, age, & ante Deum ſedula funde preces.
Nec ſemel id facias, opus hoc iterabile quando
Inchoat excubias quælibet hora nouas.
Duráque flebilibus liqueſcant viſcera curis,
Effluat offenſum molle cor ante Deum.
Ante Deum, mentémque leua, ſupplèxque ſupinas
Pro fœdo infantum funere tolle manus.
Quos matrum in gremio per publica compita fudit
Non prolixa minùs, quàm violenta fames.

RES.

Quò, pater, vſque furor! quò ſe, pater, vſque tenebit
Ira ferox, noſtris non ſaturata malis?
An vnquam externam tanta ad diſpendia gentem,
Aut ſimilem in ſtragem compulit antè furor?
Maturóſne ferox, immaturóſque racemos
Vinitor in vacuos attulit ánne lacus?
Horrendum viſu facinus, dictúque nefandum,
Et feritas ipſis non bene nota feris.
Tantula quos palmæ pueros menſura notabat,
Vbere qui matris fœtus alendus erat.
Horum adigit genitrix tenuata in viſcera ferrum,
Quos de viſceribus fuderat antè ſuis.
Et ſecat in partes, verubúſque rigentibus aptat,
O pudor, ô Solyma, grandis in vrbe dolor.
Nec pudet humanas cognata in viſcera carnes
Condere, & in gremio rurſus habere ſuo.
Adde, quòd exanimis duro cadit enſe Sacerdos
Ante aram, & ſacros mitis vt agna focos.

SIN.

Nulla hîc ætatis, nulla hîc reuerentia ſexus,
Vis hoc, & rabies imperat vna loco.
Ecce ſenes, ſenibúſque recèns ad vulnera nati
Vno, eodémque pares interiêre modo.
Et pueri, & caſta ſpecie florente puellæ
Sublati ante ſuum procubuêre diem.
In genus omne hominum delectu ad funera nullo
Graſſata eſt gladio vindice dira manus.

THAV.

Vt ſolet innumerus ſacra ad ſolemnia cœtus,
Patria quem pietas, relligióque vocat.
Vndique conſertos ſic ad fera bella vocaſti,
Qui oppreſſæ incuterent vimque, metúmque mihi.
Nec ſe vltore, fuit multis è millibus vnus,
Qui prædaturo liber ab hoſte foret.
Nectare quos niueo, mollique ad pectora preſſu
Lactaui, & firmum robur ad vſque tuli.
Hos mihi cernenti, vel ferro inimicus acuto,
Seu grauior ferro perdidit atra lues.

IN CAPVT III.

ALEPH.

ILle ego ſum, lapſam cui cernere contigit vrbem,
Cui fuit à Domino vindice plaga grauis.

ALEPH.

Ille ego ſum, lucem qui non admittor in vllam,
Quem vinctum obſcurus compede carcer habet.

ALEPH.

Quem Dominus tanquam cura hæc foret vna, labórque,
Aſſiduè in caſus verſat, agítque nouos.

BETH.

Vt veſtis longo putreſcit inutilis vſu,
Sic riget in lacero corpore nigra cutis.
Nigra cutis ſulcis rugata ſenilibus, oſſa
Fracta iacent; periit marcida facta caro.

BETH.

Clauſtra mihi anguſto conſtrinxit ahenea gyro;
Addidit & pedibus vincula dura meis.
Aſſidui comites, ne quod mihi dulce leuamen
Hæſerunt lateri, félque, dolórque meo.

BETH.

Addixit latebris tenebroſa horrentibus vmbra,
Quæ puto iam cineris ſunt prope buſta mei.

GVIMEL.

Me ſuperinducto circundedit aggere, compes,
Ne fugiam, vinctos ſtrinxit adaucta pedes.

GVIMEL.

Néve aures vnquam vox tangeret anxia mites,
Vtilis ad gemitus nulla feneſtra patet.

GVIMEL.

Vndique concluſa eſt quadrato ſemita ſaxo,
Nec reliqua eſt tutæ ſpes ſuper vlla fugæ.

DALETH.

Qualis ab inſidiis rapidus furit vrſus ab antro,
Vt leo prædæ inhians, talis & ipſe mihi eſt.

DALETH.

Abſtulit effugium, clauſo mihi tramite, & oſſa
Confracta exſangui contremuêre metu.

DALETH.

Vt ſcopus obiicitur, cui tela minantur, & arcus,
Sum ſcopus ad pharetræ ſpicula factus ego.

HE.

Renibus infixa eſt laceris lethalis harundo,
Hæsêre in fibris tela cruenta meis.

HE.

Me turba inſano deluſit barbara riſu,
Et populo ad nugas fabula nota fui.

HE.

Non tam fel ſæui, nec amari abſynthia guſtus,
Quàm quo me exſaturat pœna, dolórque Dei.

VAV

Dum cineri, ac lapidi conſueta cibaria miſcet,
Saucia nudauit dentibus ora ſuis.

VAV.

Nec pacem video, nec quæ faſtidia pellat,
Vllus in mentem ſpes, ratióque ſubit.

VAV.

Atque ita languebam Domino vt prodente putarem
Tempora iam vitæ ſumma fuiſſe meæ.

ZAIN.

Te peto, quandoquidem deſunt mihi cætera, quando
Tu mihi profugium, tu mihi ſola ſalus.

ZAIN.

Cerne vt iura hoſtis violet temerarius illa,
Quæ natura homini non violanda dedit.

ZAIN.

Fel mihi pro victu, pro potu abſynthia ſumpſi,
Illud nempe famem depulit, iſta ſitim.

ZAIN.

Hæc ego dum repeto, penitúſque infixa reuoluo,
Conſcia mens duris ſoluitur ægra malis.

ZAIN.

Cùm tamen aſpicio, dum ſe magis incitat ardor
Pectore ab offenſo qualia dona cadant.

ZAIN.

Sic meditor tacitus. Qui funere merſit acerbo,
Ille idem ad vitæ commoda reſtituet.

CHETH.

Non etenim ſcelerum vis coniurata perennes
Quas ſtillat pietas, attenuauit opes.

CHETH.

Quod ſpiro, & nigras quod nondum mergor in vmbras
Agnoſco id totum muneris eſſe tui.

CHETH.

Horriſonos inter bellique, tubæq; fragores,
Exaudis noſtras, anteuoláſque preces.

CHETH.

Deſuper, alme pater, pietas noua naſcitur abs te,
Eoo quoties naſcitur orbe dies.

CHETH.

Ecquem promiſſis fraudaſſe fidelibus vnquam
Argueris? conſtans eſt tibi nempe fides.

CHETH.

His anima auxiliis ſpirat mea, & hic mihi vindex,
Hæc laceræ ſupereſt anchora ſola rati.

TETH.

Cui ſe difficilem? ſurdas cui præbuit aures,
Qui offenſos ſupplex decidit ante pedes?

TETH.

Vtile, crede mihi, à Domino ſperare ſalutem,
Differat ille licèt, non tamen vſque negat.

TETH.

Vtile, crede mihi, eſt, primis patienter ab annis,
Quod Deus impoſuit, ſuſtinuiſſe iugum.

IOD.

Exiget hic triſtes per amica ſilentia curas,
Quando humeris vltrò tam graue portat onus.

IOD.

Hæc eſt nempe iugum famuli portantis imago,
Hic ſilet, & ſperat, quódque precatur, habet.

IOD.

Inq; preces pronus nitidos in puluere vultus
Ponet, vt exoret, quam miſer orat opem.

IOD.

Permittet palmis violanda ſonantibus ora,
Nec faciem innumeris ſubtrahet opprobriis.

CAPH.

Expertus, quòd vota Deus ſi incenſus moratur,
Non tamen æternas protrahet vſque moras.

CAPH.

Admittis facilis, quem deſeruiſſe videtur,
Nam ſtimulant curæ corda paterna piæ.

CAPH.

Non vexat miſeros ſtudióque, animóque volenti,
Nec pietas noſtris gaudet amica malis.

LAMED.

LAMED.

Nec cordi eſt, homines dura quaſi compede vinctos,
Tundere, & incuſſo ſternere membra pede.

LAMED.

Nec, ſi in Diuinas temet quis iudicis aures
Æterni, cauſas inſinuare ſuas.

LAMED.

(Quod peruerſè agit, qui proterit omnia, iudex)
Reppulit à iuſto, legitimóque foro.

LAMED.

Denique, ſi quenquam ſcelerata calumnia vexat,
Hac Deus aſſenſu non probat acta ſuo.

MEM.

Quòd ſi quis ſtatuat, Domino hæc renuente venire,
Ah! ſtolida neſcit ſe ratione capi.

MEM.

Siue aduerſa premant homines, ſeu proſpera luxent,
Hæc facta ignaro quis putet eſſe Deo?

MEM.

Ecquis ita eſt amens, ſua qui putet impius acta
Celari, & fuco diſſimulante tegi?

MEM.

Cuíque ſit omnipotens iuſti violator, & æqui,
Et qui nec norit noſtra, nec illa regat.

MEM.

Et qui fortuna, ac fato putet omnia ferri,
Si ſapit admiſſis det magis ille ſuis.

NVN.

Occurſet ſpretis, quas olim obtendimus, vmbris
Deforme ante oculos, & ſine nube ſcelus.

NVN.

Et gnari hoc natum ſcelerato è ſemine fœnus,
Quæramus faciles ſupplice mente Deum.

NVN.

Cordáque cum manibus tollamus ad aſtra ſupinis,
Fors venia, ac vitæ dulce leuamen erit.

NVN.

Sublimi ergo animo, pudibundo ad crimina vultu
Hæc ſingultanti pectore verba ſonent.

NVN.

Dum nos in fœdas merſêre piacula ſordes,
Dura tibi in pœnas molle cor ira rapit.

NVN.

Si in nos iſte tuus non eſt placabilis æſtus,
Hoc meriti eſt noſtri, iudiciíque tui.

SAMECH.

A te, ſancte Pater, media diſcludimur ira,
Durus & in noſtram concutis arma necem.

SAMECH.

Interiectæ adimunt nobis commercia nubes,
Ne tangant aures irrita vota tuas.

SAMECH.

Arbor vt abſciſſis radicibus arida putret,
Sic nos in populis arida ligna ſumus.

PE.

Vt ſiccæ ad prædas inhiant, & vulnera fauces,
Sic hoſtis rabido barbarus ore fremit.

PE.

Dum ſequimur vatum fallacia murmura, veris
Noſtri ſe laqueis implicuêre pedes.

PE.

Dum populi cladem, conuulsáque mœnia cerno,
Fluxêre ex oculis flumina larga meis.

AIN.

Cùm meditor requie nulla laxante dolorem,
Non intermiſſis ora rigantur aquis.

AIN.

Donec ſyderea Dominus miſeratus ab arce
Excipiat querulas, exhilarétque preces.

AIN.

Flent oculi nimiùm, nimiúmque potenter anhelus
Spiritus à tepidis mergitur æger aquis.
Dum quæ iure ſuo complectitur oppida Iuda
Diruta in Aſſyrias conſpicor iſſe manus.

TSADE.

Immeritò inſidiis, laqueíſque hoſtilibus arctor,
Qualis ab aucupio capta tenetur auis.

TSADE.

Ne pateant reditus, ad quas malè duximus auras,
Anguſto includor difficilíque lacu.
Ora ſuperpoſito clauduntur hiantia ſaxo,
Datque oculis lumen nulla feneſtra meis.

TSADE.

Triſte caput turpi merſerunt flumina limo,
Iam, dixi, eſt miſero ſpes mihi nulla ſuper.

COPH.

Nec tamen omnino ſpes excidit, efferor ad te,
Et repeto ex alto vota, precéſque lacu.

COPH.

Audiſti hanc vocem, ſperóque ad cætera pronus,
Excipies animo non renuente preces.

COPH.

Imploratus opem propior laturus amicam
Veniſti, ô rebus firma columna meis.
Spiritus exanimis ſubitò ad tua verba reuixit,
Te præſente metum dum procul eſſe iubes.

RES.

Iam deploratam vici, te vindice, cauſam,
Et tua me pietas viuere poſſe dedit.

RES.

Scis, Domine, vt fuerim titulis traductus iniquis,
Dum malè corrupto verſor ab arbitrio.
Tu meliùs noſtram patronus ſuſcipe cauſam,
Atque meo pœnas vltor ab hoſte cape.

RES.

Scis mea quas fuerint meditati in vulnera fraudes,
Quáſque ineant hoſtes in mea damna vias.

SIN.

Scis, quo infeſta ſono ſtrepuêre opprobria, quæve
In me conſiliis propoſuêre ſuis.

SIN.

Quæ maledicta palàm iactarint aſpera, quæq́;
Clàm toto imbiberint in mea probra die.

SIN.

Quidquid agant, quocunque loco, ſeu qualibet hora,
Siue quies laxet, ſeu graue frangat opus.
De me ſemper agunt, ego ſum nugantibus apta
Materia, & fatuis fabula certa iocis.

THAV.

Redde, age, da meritis mercedem ſontibus æquam,
Quáſque ipſi pœnas promeruêre, luant.

THAV.

Contegit vt clypeus, tegat hos, tegat angor, & vrat,
Deuotum diras in caput adde minas.

THAV.

Quòd ſi eluctari ſtulto conamine tentent
Credentes celeri pondus ineſſe fugæ.
Vrgebis grauis vſque, neque hos patieris ad vnum
Et cælo, & cæli munere poſſe frui.

IN CAPVT IV.

ALEPH.

QVomodo in obſcura ſplendor latet aureus vmbra,
Verſus & in nigrum eſt candidus antè color?
Quomodo quæ fuerant ſacra in penetralibus ædis
Barbarus in triuiis ſaxa profana rotat?
Aurea progenies Solymarum gloria matrum
Decolor à prima quomodo luce manet?

BETH.

Inclyta fulgebat primo aſpectabilis auro,
Cui nempe ex auro textile tegmen erat.
Iam tamen excoctæ nigraq; ſimillima teſtæ eſt,
De putri ſigulus quam tulit antè luto.

GVIMEL.

Quid queror interea crudelia pectora matrum,
Præ quibus humanas dixeris eſſe feras?
Nam lamiæ ad catulos nudarunt vbera,noſtræ
A lamiis vinci ſuſtinuère nurus.
Spectarunt etenim natorum arentia labra,
Nec lac pignoribus dulce dedêre ſuis.
Sed ferus vt paruos deſpectat ſtruthio pullos,
Sic duri ad natos obriguêre ſinus.

DALETH.

Infantum linguam ſcabris ſitis arida fixit
Faucibus,& bleſæ vocis ademit iter.
Orabat tremulo panem puer horridus ore,
Et quæ porrigeret,non erat vlla manus.

HE.

Nec fera nobilibus vis,& fortuna pepercit,
Quò ſpectata minùs,nempe dolenda magis,
Splendida quos menſis aluit genialibus eſca;
Hoſce fames medio prodidit atra foro.
Qui crocea induerant regali tegmina luxu,
In cœno,& putri decubuère fimo.

VAV.

Quòd ſi ex ſupplicio fas eſt inquirere culpam,
O Solyma,eſt Sodomæ,quàm tua culpa,minor.
Non obſeſſa diu,ſed puncto temporis hauſta eſt,
Nec peregrè hoſtiles arma tulêre manus.

ZAIN.

Dum fuit antiquus Solymæ ſtatus integer vrbis,
Dûmque ad celſa minax ſuſtulit aſtra caput.
Non Nazaræis candens magè lacteus humor,
Aut ea,quæ hybernis nix ſedet alba iugis.
Candida ſanguineo facies ardore rubebat,
Non ſecus ac niueum purpura tingit ebur.
Forma decens,veluti ſi vnquam ſpirantia fingat
Sapphiro è pulchra ſigna magiſtra manus.

CHETH.

Nunc tamen,ô lacrymæ,macie deformis,& atra
Illuuie,cremio ſtat magè nigra cutis.
Sic forma extremis fuſcata coloribus horret,
Obuius vt dicas,barbarus iſte quis eſt?
Non tam innata manet,quàm pendet ab oſſibus,illa
Quæ tanquam lignum eſt arida facta cutis.

THETH.

Quòd ſi facta licet componere triſtia factis,
Et datur arbitrio pendere damna meo.
Mitiùs interiit gladius,quem durus ademit,
Quàm,quos longa fuit depopulata fames.
Námque horum longo fluxère cadauera tabo,
Fœnora dum ſterilis nulla miniſtrat ager.

IOD.

Ex ardente fame rabies accenſa,benignum
Quod natura dedit,prodidit officium.
Fœmina námque ſua natura mitis,& ipſa
Materna in natos conditione magis.
Corpora natorum ſtridentibus addita flammis
Appoſuit menſis fercula amara ſuis.
Vſque adeò Solymæ res contigit aſpera genti,
Vſque adeò Domini perſtitit ira grauis.

CAPH.

Sed bene habet,Dominus tanta hac incendia noſtro
Sanguine reſtrinxit,iudicióque ſuo.
Iam totum euomuit,quem pectore ſorbuit æſtum,
Præda ea eſt Solymos flamma inimica lares.
Mœniáque ingenti cecidère ingentia caſu,
Sparſa iacent imis eruta ſaxa locis.

LAMED.

Qui colit hinc alias cum Regibus incola terras.
Hoc quaſi prodigium duceret eſſe nouum.
Si bene munitam ſuccederet hoſtis in vrbem,
Atque Sionæas ſterneret ira domos.

MEM.

Hæc tamen impurus ſtulto cum vate Sacerdos
Inuexit meritis vulnera tanta ſuis.
Horum opera,& tædis media furialibus vrbe
Vndauit iuſto ſanguine pinguis humus.

NVN.

Sanguine in hoc turpes,atque hac in cæde profani,
Quærit vt ignotum lumine caſſus iter.
Sic hos ſeu baculus,ſeu prehenſa lacinia rexit,
Dum cæcis obeunt compita luminibus.

SAMECH.

Aſt illi,quorum toga tangitur obuia,longè
His à ſe errantes vocibus excutiunt.
Cedite ſanguinei procul hinc,procul eſte,nec vnquam
Tangite polluta tegmina noſtra manu.
Accenſiſque odiis ipſi inter iurgia cæci
Intorquent grauibus talia verba probris.
Veſtra hæc impietas patriis à ſedibus actos
Iſacidas durum miſit in exilium.
Atque vagi dubiis peregrini in ſedibus errant,
Toto errant,toto deſerit orbe Deus.

PE.

Diſpulit in Gentes,nec iam miſerebitur vltrà
Qui mala fronte graui traxit in iſta Deus.
Nec mirum,quoniam non ſacra in veſte Sacerdos,
Non ætate grauis,conſilióque ſenex.
Permouêre animos,hic longis obſitus annis,
Ille miniſterij relligione ſui.

AIN.

Integra dum ſtabili vis,& fortuna Sionis
Staret,& antiquo conſpicienda gradu.
Spectabant oculi verè in ſua commoda cæci,
Promiſſas toties à Pharaone manus.
Defecère tamen Phariam dum tempus in arctum
Veſana dubiam mente ſequuntur opem.

TSADE.

Quæ magè firma forent,eadem magè lubrica fecit,
Sæpe data,& nobis ſæpe negata fides.
Per firma infirmi titubarunt compita greſſus,
Hanc ſpem Niliaci nempe dedêre doli,
Venit acerba dies,& ineluctabile tempus,
Quod duro Solymas vulnere perdet opes.

COPH.

Longè aquilam pedibus præuertitur ille volantem
Qui impellit noſtram,proſequitúrque fugam.
Effuſi ad montes contendimus, ocyùs ipſe
Arduus ad montes,& iuga celſa volat.
Credidimus noſtram teſquis,nemoríque ſalutem,
Sed cingi inſidiis ſe quoque teſqua vident.

RES.

Præ cunctis tamen,heu!dolor hic violentiùs vrit,
Quem de viſceribus non trahet vlla dies.
Nam cecidit Chriſtus,qui noſtri eſt halitus oris,
Per quem nos vitæ ſpiritus intus alit.
Heu!cecidit Chriſtus Dominus,quem criminia captum
Inſtar auis laqueo noſtra dedère neci.
Cui quondam elati certa ſpe diximus,ô Rex,
Nos tua in externis gentibus vmbra teget.

SIN.

At tu,quæ noſtræ genti inſidiaris Idume.
Huſide quæ victrix in regione ſedes.
Exulta,atque alacris noua concipe gaudia:námque
Tu quoque plena mero pocula felle bibes.
Et turpem ad vomitum venies temulenta,dabíſque
Nudata opprobrij ſigna pudenda tui.

THAV.

THAV.

Euge Sion, addet nil iam Deus vltor ad iram,
Pœnarum exhauſtum eſt, iam ſatis. euge Sion.
Non iterum ad gentes peregrina errabis, & exul,
Hic datus eſt ire, ſuppliciôque modus.
At grauiora iſtis tibi poſt dabit vltor, Idume,
Criminàque ad populos prodet operta Deus.

IN CAPVT V.

Oratio Ieremiæ.

ALme faue, & caſus, Genitor, reminiſcere noſtros,
Aſſuetus tangat corda paterna dolor.
Reſpice quàm grauiter populorum iniuria vexet,
Vt toto lacerent aſpera probra die.
Pellimur, inque domos procul hinc venit aduena noſtras,
Et Solyma externus rura colonus arat.
Squalleſcunt viduæ charo ſine coniuge matres
Pupilla abſque ſuo turba parente ſumus.
Et niſi det nobis numerata pecunia potum,
Non erit vlla grauem quæ leuet vnda ſitim.
Quæq; patent aliis communibus eruta ſyluis,
Accendunt inopes vendita ligna focos.
Languida vix poſuit ceruix graue pondus, & inſtat
Rurſus ab immani pondere maius onus.
Nec laſſis humeris requies datur vlla, minatur
Proxima militiam, quæ venit hora, nouam.
Colla Parithonius dominus captiua ſubegit
Aſſyrius eadem feſſa miniſteriis.
Nec tamen hinc nobis merces datur altera, panis
Qui ſaturet miſeros tam graue penſat onus.
Peccauêre patres longo iam tempore, & orbos
Luce ſepulcralis molliter vrna tegit.
At ſeri expendunt maiorum errata nepotes,
Et, quæ non auſi tangere, furta luunt.
Alterna rediêre vices patriæ ocyùs vrbis
Mutata eſt caſu priſtina forma graui.
Quem Solyma imperio gens antè premebat herili,
Huic iam mutato nomine ſeruit hero.
Nec potis eſt quiſquam ruptis ſeruilia vinclis
Reddere ab Aſſyrio libera colla iugo.
Exiguam ob Cererem caput obiectare periclis
Non piget, armatas nec ſubiiſſe manus.
Arduus in vaſta gladio furit hoſtis eremo,
Déque ipſo inuentas excutit ore dapes.
Ater vt aſſiduo clibanus torretur ab igne,
Exuſſit pellem non minor igne fames.
Fœmina concubitu gemuit Solymitis iniquo,
Caſta peregrinos fœmina paſſa thoros.
Eſt quoque virginitas teneris libata puellis,
Mœnibus ô Iuda, non bene ſepta tuis.
Quin etiam horribili nexu trabe pendet ab alta
Iudæo in populo, qui modò primus erat.
Nec capiti cano, rugiſque ſenilibus hoſtis
Inſultare auidè barbarus erubuit.
Dedecus experti iuuenes, Venerémque nefandam
Flent taciti oppreſſæ damna pudicitiæ.
Et vobis animos pueri exhalantibus, agros
Preſſerunt humeros pondere ligna graui.
Si portas ſpectes, & quid magè nobile portis?
Sublati portas deſeruêre ſenes.
Si loca feſtiuis quondam exhilarata chorais,
His cithara & chordæ conticuêre locis.
Denique quicquid erat nobis ludóque, iocóque,
Illud ab exulibus ſuſtulit vna dies.
Lætitia æternùm moduli, cithareq; valete,
Non venit ad curas barbitos apta meas.
Myrrhina ſecedant procul hinc vnguenta, coronæ
Feſtiuum nudent, ac geniale caput.
Heu tamen, heu nobis quos hæc ad tempora lento
Crimina, ſed certo corripuêre gradu.
Idcirco aſſiduo mens carpitur ægra dolore,
Exhauſtóſque oculos lux inimica fugit.
Quòd deſerta iacent faſtigia celſa Sionis,
Pars turbis quondam, conciliíſque frequens.
Et quòd in auulſis, quas iam tegit herba, ruinis
Nunc foueas vulpes, tutáque luſtra parant.
Tu, cui maieſtas nullo mutabilis æuo,
Nec videt alternas, nec timet alta vices.
Immemor auxilium cur longa in tempora differs,
Opportunam olim ferre paratus opem?
Anne pater Solymæ nulla eſt tibi cura ſalutis?
Anne tibi ex animo funditus excidimus?
Sed tu, quandoquidem noſtræ fuit vnica cladis
Cauſa ſalutares deſeruiſſe vias.
Conuerte errantes peruerſo è tramite, & ad te
Atque tua humanus noſtráque, nóſque trahes.
Et quæ lapſa iacent hoſtilibus eruta telis
Ad primam è miſera conditione refer.
Si noſtrum hoc meritum eſt, neque nos meruiſſe negamus
Pœnarum dedimus, te repetente, ſatis.
Denique placatus, quos nos malè nouimus antè,
Fac precor, vt ſtimulos temperet ira ſuos.

PARA

PARAPHRASIS POETICA
IN PSALMVM CXXXVI.

VT primùm ventum eſt, vbi ſe Babylonius amnis
Obiicit, & tacito murmure voluit aquas,
Sedimus, ac tepido ſtillarunt lumina rore,
Dum Solymi ſubeunt buſta relicta ſoli.
Quóque forent mutis æterna ſilentia plectris:
Nam canere in patria funere grande nefas.
Organa littoreis damnauimus abſona truncis,
Organa flebilibus iam magis apta modis.
Quíque loca extorres egêre ad inhoſpita greſſus,
Hoc nos ad lacrymas ſcommate ſollicitant.
Eia, agite, ad patrios cantate Sionia ritus
Carmina, quæ feſtis concrepuère choris.
Quo nos hæc animo, quo nos tractabimus ore,
Molliter audaci ſtridula plectra manu?
Anne aliquis ſacrum peregrino carmen in orbe
Audiat, aut vanos gens venerata deos?
Tunc Solymæ alta tuæ venient obliuia terræ,
Quando oculos fugiet dextêra trunca meos.
Mutus ero de te, cùm faucibus aſpera ſiccis
Argutos nequeat fingere lingua ſonos.
A te principium dulcis mihi cantus habebit,
Lætitiæ primum tu mihi ſemen eris.
Fac Domine vt generis ſubeant ludibria noſtri
Vltima, quæ Solymis intulit atra dies.
Aſpice, vt hoſtiles accenderit inuidus iras
Hoſtis Idumæo de grege vile genus.
Macti animo, aiebat, ſceleratam exſcindite molem,
Infima ab vſque imo vertite ſaxa loco.
Tu quoque, tu Babylon miſeris exercita fatis,
Fortunæ ſtimulos experiere meæ.
Illi fauſta precor, votis Deus annuat, æquum
Qui tibi pro meritis triſte rependet onus.
O vtinam bene ſit, qui mœnibus imperet illis,
Læta Semiramius quæ dedit antè labor.
Quíque, quod in patria nuper ſpectauimus vrbe,
Id quoque, tu Babylon, vt patiaris, aget.
Scilicet illiſis vt ad aſpera ſaxa cerebris
Materna infantum purpurat ora cruor.

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN HIS IEREMIÆ COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Prior numerus, caput; poſterior, numerũ marginalem; P, Prolegomena; Thren. Threnos; Pſ. Pſalmum; col. columnam indicat.

A

Abnegatio.

Abnegatio Religioſo neceſſaria. 46. 17. columna 868.

Abſtractum.

Abſtractum pro concreto. 9.10. col.246.& 29.5.col.614.

Abundantia.

Abundantia pernicioſa. 48.24.col.906.

Abutor.

Abuti quid. 18.40.col.432.

Actio.

Actio, pro eius obiecto. Thren.3.54.col.1136.

Ad.

Ad,& *in*, pro *de*. 27.19.col.594.& 49.15.col.935.

Adagium, vide Indicem prouerbiorum.

Adoleſcens.

Adoleſcentum nobilium ornatus. Thren.4.5. col.1157.

Adoleſcentia.

Adoleſcentia populi Hebræorum. 2.2.col.53.

Adulator.

Adulator peſtifer. 51.14.col.1004.

Adulatorum ingenium. Thren.2.56.col.1100.

Ædifico.

Ædificare varios habet vſus. 12.41.col.310.

Ædificare idẽ quod ornare domũ. 22.16.col.485.

Ædificare, atque plantare, diuturnam commorationem indicant. 29.6.col.614.

Ædificium.

Ædificiorum inſania. 22.17.col.486.

Ægyptij.

quo tempore Ægyptij reſtituti. 25.19.col.554.

Ægyptus.

libertas ex Ægypto. 31.3.col.655.

Ægypti & Iudæorum vaſtitas. 44.27.col.851.

bos Ægypto pro deo. 46.32.col.872.

Ælamitæ.

Ælamitæ reſtituti poſt 70. annos. 25.19.col.554.

Ælamitæ qui? 49.71.col.951.

Ælamitæ quando à ſeruitute liberati. 49.78. col.952.

Æſtas.

Æſtas, ſeu meſſis pro anno. 8.37.col.234.

Ætas.

Ætatis nota, pro ætate. 2.7.col.54.

Ætas infirma miſericordiam mouet. Thren. 1. 32.col.1056.

Ætas ſacerdotalis grandior. Thren.4. 39. col.1169.

Æthiops.

Æthiops, ſeu niger, de improbis. 38.5.col.790.

Affectus.

Deo humani tribuuntur Affectus. 18.9.col. 423.

carnis Affectus mortificandi. 48.22.col.906.

Afflictio.

benigna Dei Afflictio, & ad ſalutem attemperata. 30.17.col.635.

Afflictio à Deo vt peccatum cognoſcatur. 30.18. col.ead.

Afflictio vtilis. 48.25.col.906.& 31.45.col.669.

Afflictio aperit oculos. Thren.1.37.col.1057.

paupertas, pro qualibet Afflictione. Thren.3.4. col.1122.

Ager.

Ager à Ieremia emptus, cur dictus figuli. 32.25. col.710.

Allegoria.

Allegoricus ſenſus in hiſtorico fundatur. 50.31. col.973.

Alphabetum.

literæ Hebraïcæ non eodem ſemper ordine in Alphabeto. Thren.2.63.col.1102.

Alphabetum variè adhiberi ſolitum in poëmate. Thren.3.1.col.1121.

Amicus.

Amici inutiles quomodo ab Hiſpanis vocentur. 3.7.col.99.

Amici, aut cognati maximum dæmonis inſtrumentum. 9.9.col.246.

Amen.

Amen quid? 11.6.col.283.

Amor.

ſingularis Dei Amor, & prouidentia. 2.10.col.55.

Dei humanitas, & Amor. 3.7.col.98.

tribulatio ab Amore. 9.13.col.247.

Chriſti ſingularis in ſuos Amor. 12.21.col.303.

ex Amore diſciplina, & correctio. 31.7.col.656.

Ammonitæ.

Ammonitæ reſtituti poſt 70. annos. 25.19.col.554.

Ammonitæ contra Iſraël. 49.4.col.932.

Angelus.

Angeli quomodo animas deferunt. 51. 18. col.1005.

Animus.

Animi ingrati ſtupor. 2.18.col.57.

obſtinati Animi vox. 2.96.c.83.& 17.43.col.413.

Animus in peccando pertinax. 3.23.col.104.
Animus in malitia obſtinatus. 6.12.col.180.
Animus maximè in peccando profuſus. 6.13.col. ead.
effigies Animi à Domino relicti. 6.18.col.182.
Animus debet eſſe robuſtus viro Apoſtolico. 6.47.col.189.
iis, quos Deus miſit, Animos inſpirat audaces. ibid.col.ead.
quomodo obſtinatum Animum Deus emolliat. 6.50.col.190.
obſtinati Animi periculum. 6.53.col.191.
obſtinati Animi ſupplicium. 13.40.col.331.
Dei minæ non ſinunt quietum eſſe Animum. 15. 60.col.369.
obſtinati Animi medicina difficilis. 19.1.col.437.
etiamſi homines malum afferant Animum, ipſos aſſumit Deus ſuæ iuſtitiæ miniſtros. 25.11. col.551.
vnitas Animorum in Eccleſia. 32.43.col.716.
graues minæ contra obſtinatum Animum. 44. 22.col.850.
luxu molleſcunt Animi. 46.47.col.877.
magis Animus, quàm munus, ſpectandus. 6. 39. col.187.
per oculos multa mala in Animum irrumpunt. Thren.3.90.col.1144.

Anima.

Animæ à Deo deſertæ ſpecies miſerabilis. Thren. 5.31.col.1188.
per oculos multa mala in Animam irrumpunt. Thren.3.90.col.1144.
Anima alicuius, pro aliquo. 3.27.col.105.
vſque ad Animam. 4.21.col.133.
qualis Anima à Deo deſerta. 10.34.col.274.
Animæ peccatricis ſpecies. 12.27.col.305.
quàm Deo chara Anima iuſti. 12,29.col.306.
in eo, qui ſaluti ſtudet Animarum, Deus loquitur. 15.71.col.372.
zelus Animarum valde vtilis, & nullum Deo ſacrificium gratius. ibid.col.ead.
Anima à Deo derelicta omnium prædæ expoſita. 25.75.col.571.
Deus cur Animam deſerat. ibid.col.ead.
eleuare Animas. 44.10.col.846.
Angeli quomodo Animas deferunt. 51. 18. col.1005.
iurare per Animam ſuam quid? 51.28.col.1009.

Animal.

Animalia domeſtica derelicta efferantur. 33. 19. col.731.

Antiquitas.

Babylonis Antiquitas. 5.26.col.162.

Annulus.

idolorum imagines in Annulis & armillis geſtari ſolitæ. 17.7.col.400.
Annulus in manu. 22.36.col.492.
charorum effigies in Annulis. 22.39. col.493. & Pſ.24.col.1201.

Annus.

ſerò dediſcitur, quod prioribus Annis diſcitur. 13.39.col.331.
imperfectus Annus in numerando interdum additur, interdum omittitur. 25.2.col.549.
dies Annis appoſiti nihil interdum ſpatij addunt. 28.8.col.599.
ſeptuaginta Anni, communis vitæ terminus. 29.9. col.615.
ad ſeptimum Annum Hebræorum ſeruitus. 34.16.col.748.
ante Annum quartum Ioacim, nullam prophetiam ſcriptis mandarat Ieremias. 36.1.col.769.

Antichriſtus.

ex qua Tribu Antichriſtus futurus. 8.30.col.232.

Apoſtolicus.

Apoſtolicus vir à Deo mittendus. 1.21.col.22.
vir Apoſtolicus quomodo à Deo ad ſuum munus diſponitur. 1.31.col.26.
à ſeipſo retexendus. ibid.col.ead.
viri Apoſtolici conſtantia. 1.62.col.38.
vir Apoſtolicus, murus ciuitatum. 1.63.col.ead.
viro Apoſtolico animus debet eſſe robuſtus. 6.47. col.189.
vir Apoſtolicus abſtinet à nugis, & ioco. 15.65. col.370.
obedientia audaces ſpiritus addit viro Apoſtolico. 17.44.col.411.
Diuini verbi vis in pectore Apoſtolico. 20.13. col.452.

Aqua.

Deus ſicut Aqua viua, quid boni afferat. 2.42. col.65.
Aqua fellis. 8.26.col.231.
Aqua capitis, & Aqua pedum, quid? 9.3.col.243.
Aqua, pro tribulatione. Thren.3.99.col.1147.

Aquilo.

Aquilo, pro re inauſpicata, & triſti. 50.11.col.966.

Arabes.

Arabes, latrones, & mercatores. 3.10.col.99.

Arabia.

Arabia, quotuplex. 25.47.col.563.

Aratrum.

Aratrum imprimi ſolitum in ciuitatum excidio. 26.11.col.580.

Arca.

Arca in ſecundo templo non fuit. 3.40.col.109.
Arca quãdo è tabernaculo ſublata. 7.16.col.205.

Ardor.

Ardor, pro iracundia. 15.16.col.358.

Arma.

oratio magis quàm Arma potens. 21.6.col.466.
inimici Dei interdum in ſeipſos Arma conuertunt. 21.10.col.467.
Armorum ſplendor. 46.2.col.864.
Armorum elegantia, & ſumptus. 46.5.col.ead.
Arma Dei quæ? 50.47.col.979.
Peccatores Deus inimicorum Armis vexat. Thren.1.94.col.1074.

Armilla.

idolorum imagines in annulis, & Armillis geſtari ſolitæ. 17.7.col.400.

Arreptitij.

Arreptitij qui? 29.28.col.622.

Ars.

inſtrumenta Artis ſuſpẽdi ſolita. Pſ.11.col.1197.

Arx.

porta, pro Arce. 1.52.col.34.

Aſor.

Aſor caput Cedar. 49.66.col.950.

Aſtrum.

Aſtra, maximè Sol, & Luna, pro diis habita. 10.2. col.263.

Auarus.

iuſtum ſupplicium Auari. 48.43.col.911.

Auerſio.

duo in peccatore, Auerſio, & conuerſio. 2.41. col.65.

Auis.

Aues inauſpicatæ, & feræ in deſcribenda ciuitatum ſtrage. 4.52.col.143.
Aues quædam temporum opportunitatem agnoſcunt.

ſcunt. 8.10.col.227.
Auis diſcolor. 12.24.col.304.
Aurum.
Aurum quod precioſum & purũ,51.11.col.1003.
in Auro venenum,& mors. 51.13.col.ead.
Auris.
incircumciſæ Aures, & labia. 4.13.col.130.
Auſtrum.
à deſerto,& Auſtro tempeſtas. 4.22.col.133.
Auxilium.
abſcondere faciem,eſt,Auxilium negare. 33.8. col.727.

B

Baal.
BEel,ſeu Baal,commune idolorum nomen. 9. 17.col.248.
Baal quid. 32.38.col.715.
Baalim.
vnde dicti Baalim gentium dij. 9.17.col.248.
Babylon.
Babylonis antiquitas. 5.26.col.162.
Babylonia quomodo Iudæis ignota. 16. 15. col.384.
Babylon mare dicitur. 16.24.col.387.
Babylon quomodo capta. 51.41.col.1012.
Perſæ, cùm caperetur Babylon, Iudæis pepercerunt. 51.67.col.1019.
murus Babylonis quantus. 51.73.col.1021.
muri Babylonis portæ. 51.74.col.ead.
Babylonia nomen ciuitatis, & prouinciæ. Pſ. 5. col.1195.
Babylon cur mons caliginoſus. 13.21.col.324.
Babylonius.
vicini populi infenſi Iudæis, & à Babyloniis vaſtati. 12.37.col.309.
ſub tempus Babylonicum nulli ad Iudæorum religionem adſcripti. 16.33.col.389.
Babyloniis ſignum,columba. 25.80.col.573.
imperium Babylonicum tres tantùm habuit Reges. 27.10.col.592.
Bel magna reuerentia apud Babylonios. 51.61. col.1018.
murus Babylonicus quantus. 51.73.col.1021.
muri Babylonici portæ. 51.74.col.ead.
Perſæ in Babylonios crudeles. Pſ.34.col.1203.
Baculus.
*Baculus,& virga,*pro quicunque ſuſtentat. 48.38. col.910.
Baruch.
Baruch cur in odio apud Iudæos. 43.3.col.831.
Baruch querimonia. 45.3.col.853.
liber Baruch à quo compoſitus. P.4.8.col.5.
Bel.
Bel,ſeu Baal,commune idolorum nomen. 9.17. col.248.
Bel quis? 50.8.col.965.
Bel magnò in honore apud Babylonios. 51.61. col.1018.
Bellum.
ſanctificatum Bellum. 6.6.col.178.
Bellum Pharaonis cõtra Chaldæos.46.1.col.863.
Bellua.
Bellua minùs ſtupida quã peccator. 8.9.col.227.
Bethel.
vitulus, qui in Bethel ſæpius nominatus, quàm qui in Dan. 48.33.col.908.
Beneficium.
Beneficiorum Dei adhuc ſeruata monumenta. 32.33.col.713.
Benjamin.
in Tribu Benjamin,& Iuda erat Ieruſalem. 6.1. col.175.
luſus elegans in notatione vocabuli.6.2.col.176.
Benjaminitæ fortes. ibid.col.ead.
Rachel ſumitur pro Tribu Iuda, & Benjamin,atque Ephraim. 31.33.col.665.
Benignitas.
Dei mira Benignitas. 21.23.col.468.
Chriſti Benignitas. 23.15.col.512.
Biblia.
diſtinctio capitum in Bibliis non eſt ab autore canonico. 27.3.col.590.
Boanerges.
Boanerges quid. 10.24.col.271.
Bonus.
*Bonus,*pro benigno,& grato.Thrẽn.3.44.col.1133.
Borith.
Borith quid? 2.70.col.74.
Bos.
Bos Ægypto pro Deo. 46.32.col.872.
Bruchus.
Bruchus multitudinem ſonat. 51.39.col.1011.
Brutum.
à Brutis multa didicimus. 8.11.col.227.

C

Cadauer.
Gentiles CAdauera comburunt.34.4.col.744. Iudæi Cadauera non cremabant. 34.6.col.ead.
Cœtus.
quantum noceat nugatorum Cœtus. 15. 72. col.373.
qui in templo, aut in Sanctorum Cœtu viuunt, niſi boni fuerint,peſſimi ſunt. 24.2.col.533.
exempla eorum, qui in Sanctorum Cœtu peſſimi. 24.3.col.534.
Calamitas.
publicum peccatum, publicæ Calamitatis cauſa. 3.12.col.100.
hoſtibus noſtra Calamitas cælanda.4.33.col.136.
calix,ſeu lagũcula pro Calamitate.13.12.col.321.
Calamus.
Calamus quid. 6.42.col.188.
Calix.
Calix,ſeu lagũcula pro calamitate.13.12.col.321.
Calix dulce interdum, & interdum amarum ſignificat. 25.29.col.557.
morte damnatis Calix datur. 25.30.col.558.
Calor.
*Calor,*pro temulentia. 51.58.col.1017.
Caluitium.
Caluitium in luctu. 7.46.col.213.
Camela.
Camelæ libido. 2.75.col.76.
Cantus.
Cantus meretricius. 2.78.col.77.
Cantus fœminarum,libidinis fax. 9.25.col.250.
ad molam Cantus in nuptiis. 25.16.col.553.
Cappadocia.
Palæſtini è Cappadocum genere. 47. 10.col.886.
Caput.
manus ſuper Caput. 2.113.col.88.
in luctu Caput obnubitur. 14.7.col.341.
Caput,pro perſona. 52.5.col.1028.
Caput,pro dominatu. Thren.1.31.col.1055.
Caput in luctu cinere conſpergitur. Thren.2.57. col.1095.
Carcer.
Carcer in templo. 20.7.col.449.
Carcer cur dictus lacus. 37.12.col.784.
Carcer Ieremiæ non tam ad cuſtodiam,quàm ad cru

cruciatum. ibid.col.ead.
Ieremias in Carcere vinctus manibus, ac pedibus. 38.15.col.794.
puteo, qui Carcer eſt, ſaxum opponi ſolitum ad os. Thren.3.97.col.1146.

Carmelus.

Carmelus,pro loco vbere,ac læto. 2.24.col.59.
Carmelus pro re fœcunda, & pulchra. 4. 53. col.143.
Carmelus duplex. 46. 42. col. 875. & 48. 51. col.914.

Carmen.

noſtro tempori magis aptum ferale Carmen, quàm feſtiuum. 9.24.col.250.
funebre Carmen aliud in Principem, aliud in vulgarem hominem. 34.11.col.746.
Carmina acroſticha, aut cum ordine alphabetico. Thren.p.9.col.1035.

Caro.

Carnis affectus mortificandi. 48.22.col.906.

Cedar.

Cedar quid. 2.31.col.61.
Aſor caput Cedar. 49.66.col.950.

Cedareni.

Cedarenorum ſedes. 49.59.col.949.
Cedareni inculti, & vagi. 49.60.col.ead.

Celeuma.

Celeuma quid. 25.64.col.568.48.53.col.915.

Ceremoniæ.

cur Hebræis datæ externæ Ceremoniæ. 7. 56. col.211.
quædam indictæ Ceremoniæ ante conflatum vitulum. 7.37.col.ead.

Cerua.

Cerua,animal gratum,& mite. 14.8.col.341.

Cethin.

Cethin quid. 2.30.col.61.

Chaldæi.

Chaldæorum equi velociſſimi. 4.26.col.134.
ignis,Chaldæorum ſignum. 4.31.col.136.
Chaldæorum natura. 5.31.col.164.
Chaldaicum idioma. 10.13.col.267.
Chaldæis multi de vicinis regionibus adfuêre contra Ieruſalem,non tamen omnes. 25.26. col.556.
bellū Pharaonis contra Chaldæos. 46.1.col.863.
Pharao victus à Chaldæis. 46.8.col.865.
Chaldæorum ruina multis populis ſaluti fuit. 50.3.col.964.
turpis voluptas in Chaldæorum conuiuiis.52.12. col.1030.

Charus.

Charorum effigies in annulis. 22.39.col.493.

Chriſtus.

Chriſti manſuetudo. 11.20.col.288.
doctrinæ Chriſti calũnia quæſita. 11.22.col.289.
Chriſti ſingularis in ſuos amor. 12.21.col.303.
Chriſtus quaſi colonus. 14.13.col.342.
Chriſtus paſtor bonus. 23.6.col.509.
Chriſtus qualis paſtor, & rector. 23.13.col.511.
Chriſti benignitas. 23.15.col.515.
Chriſtō cur datū myrrhatū vinū. 25. 30.col.558.
Dauid patronymicè pro Chriſto. 30.13.col.634.
Chriſti regnum æternum. 33.26.col.734.
Chriſto cur velata facies. Thren.3.78.col.1142.

Cibus.

in Cibis expreſſæ variæ rerum imagines. 44.17. col.849.
Cibus lugentium. 16.6.col.381.

Circumciſio.

nationes aliæ,præter Iudæos,Circumcidi ſolitæ. 9.35.col.254.
nationes Iudæis vicinæ non Circumciſæ. 9.36. col.ead.
Eſau Circumciſionis notam ſuſtulit.ibid.col.255.
Idumæi Circumcidi coacti. ibidem.
Idumæi Circumciſi, & ſubiecti Iudæis. 49.45. col.944.

Ciſterna.

Ciſterna diſſipata. 2.45.col.66.
Ciſternæ veteres. 38.3.col.789.

Ciuitas.

Ciuitatum murus, vir Apoſtolicus. 1.63.col.38.
peccata publica Ciuitatē polluunt. 3.12.col.100.
in deſcribenda Ciuitatum ſtrage aues inauſpicatæ,& feræ. 4.52.col.143.
aratrum imprimi ſolitum in Ciuitatum excidio. 26.11.col.580.
ſale conſperſæ Ciuitates. ibid.col.ead.
ab aquis nomen Ciuitates ſumunt.41.17.col.821.
virgo cur dicta Ciuitas. Thren. 1.79.col.1071.
euerſæ Ciuitatis deſcriptio.Thren.5.31.col.1188.

Clementia.

Dei ſingularis Clementia. 5.1.col.153.

Cœlum.

in Cœlo obſcuro mœror intelligitur, & ſtatus miſer. 4.48.col.141.
ad Cœlum aſcendere. 51.70.col.1020.
Cœleſtis patriæ deſiderium. Pſ.8.col.1196.

Cœleſtis.

Cœleſtium conſideratio vileſcere facit inferiora. 31.47.col.670.

Cœmeterium.

Cœmeteria, ſeu ſepulcra communia apud Hebræos. 26.17.col.582.

Cognatio.

Cognatio non ſemper ſanguinis ſocietatem deſignat. 1.51.col.34.

Cognoſco.

Cognoſco,idem eſt quod deſtino. 1.16.col.20.
Cognoſco in ſuperiore prouidentiam;in inferiore obſeruantiam ſignificat. 22.22.col.487.

Colaphus.

Colaphus,grauis ignominia. Thre.3.55.col.1136.

Color.

croceus Color in rubris numeratur. Thren.4.12. col.1161.

Columba.

Deus,Columba. 25.78.col.572.
Babyloniis ſignum,Columba. 25.80.col.573.& 46.34.col.873.

Coma.

Iudæis circumtonſa Coma. 9.39.col.256.
Gentiles quidam attonſi Coma. 9.40.col.ead.

Comparatio.

Comparationis ſpecialis modus. 3.27.col.105.

Concionator.

Deus infirmis & ineptis ad prædicandi munus, robur & eloquentiam præbet. 1.30.col.26.

Concretum.

Concretum,pro abſtracto. Thren.2.3.col.1084.
tria hominem ineptum reddunt ad Euangelium prædicandum. 1.32.col.27.
qualia Concionatoris verba. 1.33.col.ead.
Concionatoris forma in Ieremia. 1.57.col.36.
Cōcionator humilis,& modeſtus. 10.24.col.270.
graue à vano Cōcionatore dānū. 23.37.col.519.
Concionator maledictus, qui ludicris vtitur.48. 22.col.906.

Confundo.

Confundo,quid. 48.32.col.908.

Confuſio.

idolum,Confuſio. 3.60.col.118.
Confu

Confuſio, pro idolis. 10.29.col.272.

Congregor.

Congregor, pro morior. 8.16.col.229.

Coniux.

noui Coniuges in epithalamiis vocantur Reges. 13.30.col.328.

Coniuratio.

Coniuratio quid. 11.9.col.284.

Conſcientia.

Conſcientia innocentis vitæ audaciam parit. 2.16.col.57.

Conſilium.

Conſilium perturbatio adimit. 46.29.col.871.

Conſolator.

durum eſt in dolore Conſolatorem non habere. Thren.1.18.col.1051.

Conſpectus.

ſtare in Conſpectu, idem quod miniſtrare. 35.17. col.763.

in Conſpectu eſſe, aut coram aliquo, poteſtatem indicat. 40.7.col 810.

Conſtantia.

viri Apoſtolici Conſtantia. 1.62.col.38.

Ieremiæ Conſtantia, & fidelitas. 17.43.col.410.

Conteſtor.

Conteſtor quid. 11.7.col.283.

Contractus.

qualis publica ſtipulationum fides, & Contractuum.32.12.col.705.

Contritio.

Contritio ſuper Contritionem. 4.41.col.139.

Conuerſio.

duo in peccatore, auerſio, & Conuerſio. 2.41. col.65.

vera Conuerſio, ac ficta. 4.4.col.127.

à Deo principium Conuerſionis noſtræ. Thren. 5.35.col.1189.

Conuerto.

Conuerti inferiorum eſt. 15.73.col.374.

Cor.

quid iuxta Cor Domini. 3.47.col.111.

Cor incircumciſum. 4.13.col.130.

Cor abeſſe dicitur ab ſtulto. 5.30.col.163.

peccata in Corde ſcripta. 17.3.col.398.

latitudo Cordis. 17.8.col.400.

Cor, ornamentum. 17.9.col.ead.

lex noua quomodo ſcripta in Corde. 31. 99. col.687.

Cornu.

Cornu, pro fortitudine. 48.40.col.910.

Corona.

in gaudio Coronæ adhiberi ſolitæ. Thren.5.26. col.1187.

Correctio.

optanda eſt à Domino Correctio, ſicut à Medico ſectio. 10.36.col.274.

benigna Dei Correctio, & ad ſalutem attemperata. 30.17.col.835.

ex amore diſciplina, & Correctio. 31.7.col.655.

Dei optanda Correctio in hac vita. Thren. 3.50. col.1134.

Creo.

Creari dicitur, quod ad formam meliorem adducitur. 31.67.col.677.

Crines.

Crines diſperſi quid. 7.47.col.213.

Crux.

in Teſtamẽto veteri labor, & Crux, grauia.15.38. col.364.

Culpa.

peccator ſua Culpa perit. 2.46.col.66.

Cultus.

timor, pro obſeruantia, & Cultu.10. 3.col.264.

Currus.

Curruum Pharaonis adhuc in mari rubro veſtigia. 32.33.col.713.

Cuſtodia.

ſenſuum Cuſtodia maximè neceſſaria. 9.28. col.252.

D

Dæmon.

amici aut cognati, maximum DÆmonis inſtrumentum. 9.9.col.246.

Dæmonis calliditas. 17.32.col.407.

Dæmon bonis ad fraudem vtitur. ibid.col.ead.

Deus aliter ac Dæmon nobis peccata oſtendit. 31.47.col.670.

Damnum.

peccati Damna. 4.35.col.137.

Dan.

tribus Dan quo loco ſita. 4.30.col.135.

Dan vbi. 8.28.col.232.

vitulus qui Bethel ſæpius nominatus, quàm qui in Dan. 48.33.col.908.

Daniel.

conciliatur cum Ieremia Daniel. 25.1.col.549.

Dauid.

Dauidis oſſa non videntur exhumata. 8.3. & 4. col.225.

Dauid patronymicè pro Chriſto. 30.13.col.634.

Decalogus.

præcepta de victimis, poſteriora præceptis Decalogi. 7.39.col.212.

Deliciæ.

qui Deliciis affluit, difficilè conuertitur. 31. 64. col.676.

Demolitio.

Demolitio ſicut molitio artem deſiderat. Thren. 2.25.col.1092.

Deſcendo.

Deſcendo, idem quod venio. 22.2.col.481.

Deſertum.

Deſertum ſterile. 2.11.col.56.

Deſertum Pharã à nemine habitatũ. 2.20.col.58.

poſt eductam aquam de petra, Deſertum habitabile. 2.22.col.59.

à Deſerto & Auſtro tempeſtas. 4.22.col.133.

cur Iudæi in Deſerto non circũciſi.7.41.col.212.

lugere dicuntur quæ Deſerta aut inornata ſunt. Thren.1.24.col.1053.

Deſidia.

peccatoris Deſidia. 31.61.col.675.

Deſperatio.

vnde naſcitur Deſperatio. 2.88.col.80.

Deſperatio ex obſtinatione. 8.24.col.231.

Deſperatio ex aſſiduitate peccãdi. 18.11.col.423.

Deus.

Deus ad puniẽdũ, & auxiliãdũ vigil. 1.41.col.30.

Deus priùs admonet, quàm feriat. 1.47.col.33.

verbũ Dei quãta reuerẽtia audiendũ.1.58.col.36.

ſtantes olim verbum Dei audiebant.ibid.col.ead.

quod à Deo audimus, ſtatim opere complendum. 1.60.col.37.

ſingularis Dei amor, & prouidentia. 2.10.col.55. & 5.33.col.164.

magno in pretio habitus à Deo populus Iſraël, & quaſi ſanctus. 2.12.col.56.

Deus hominum iudicio ſuam innocentiam ſupponit. 2.16.col.57.

Deus dicitur gloria. 2.32.col.62.

Deo ita ſeruiẽdũ,ſicut antea vanitati.2.33.col.ead.
grauiſſimè fert Deus ſe ab hominibus deſeri.2.34. col.63.
Deus ſicut aqua viua quid boni afferat. 2. 42. col.65.
Iudæi magnã Deorũ turbã coluerũt.2.90.col.81.
Deus,in largiendo liberalis,& velox.2.94.col.83.
Dei humanitas, & amor. 3.7.col.98.
Deus exorari vult. 3.19.col.102.
Dei admirabilis patientia. 3.22.col.103. & 6.37. col.187. & 44.21.col.850.
Deus alios pro aliis ſufficit. 3.28.col.106.
Dei ſingularis clementia. 3. 32. col. 107. & 5.1. col.153.
pœnitentia nos Deo conciliat. 3.33.col.107.
quid iuxta cor Dei. 3.47.col.111.
Deus feciſſe dicitur,quod fieri permiſit. 4.20. col.132.
Deus ad puniendum inuitus. 4.37.col.138.
Quis Deum ignorare dicatur. 4.46.col.141.
Deus quem ſeruat modum in peccatoris conuerſione. 5.3.col.155.
Donorum Dei abuſus. 5.14.col.158.
qui à Deo deſeritur, prædæ atque iniuriæ patet. 5.19.col. 160.
miſer,à quo Deus manum amouet medicam.6.16. col. 181.
Deum ab aliquo recedere, quid. 6.17.col.ead.
graue ſupplicium,à Domino deſeri. ibidem.
effigies animi à Deo relicti. 6.19.col.182.
Dei iuſta iudicia. 6.39.col.187.
iis, quos Deus miſit, animos inſpirat audaces. 6.47.col.189.
Deus quomodo obſtinatum animum emolliat. 6.50.col.190.
peccator à Deo derelictus. 6.55.col.192.
vilis eſt,qui à Domino recedit. 7.48.col.214.
Dij gentium ipſis ignominiæ ſunt. 8.3.col.225.
obſtinatus cum Deo certat. 8.7.col.226.
omne præſidium infirmum offenſo Deo. 9. 30. col.253.
à Deo omne præſidium. 9.31.col.ead.
à timore nata Deorum multitudo. 10.2.col.264.
differentia inter Deum & idola. 10.12.col.266.
quæ habita à gentibus pro Diis. 10.15.col.268.
Numinis natura à ſublunaribus aliena. 10.17. col.ead.
quæ turbida ſunt & aſpera,Deus ſedat, & emollit. 10.21.col.270.
Deus quorum poſſeſſio. 10.27.col.271.
qualis anima à Deo deſerta. 10.34.col.274.
à Deo tribulatio vtilis. 10.35.col.ead.
optanda eſt à Domino correctio, ſicut à Medico ſectio. 10.36.col.ead.
lex Domini valde commendata. 11.7.col.283.
Deo vindicta relinquenda. 11.27.col.290.
modeſtè agendum cum Deo. 12.2.col.297.
quàm Deo chara anima iuſti. 12.29.col.306.
Deus repellit quos aliquando complexus eſt. 13. 5.col.319.
qui maximè à Deo ornati, quum deficiunt, deteriores fiunt. 13.7.col.320.
pœnitentia dat gloriam Deo. 13.16.col.322.
Deus affligi patitur ſuos,quaſi non curet. 14. 12. col.342.
propheta,qui laudat Deum. 14.21.col.344.
Ieruſalem,ſolium Dei. 14.22.col.345.
Dei ſingularis humanitas in peccatores. 15.22. col.359.
Dei grauis in peccatorem offenſio.15.23.col.360.
cum Deo commercium. 15.38.col.364.
Deo parere honeſtum,& dulce. 15.55.col.368.
manus Dei,idem quod prophetia. 15.57.col.ead.
Dei minæ non ſinunt quietum eſſe animum.15. 60.col.369.
Dei voluntas eſt hominum ſalus. 15.70.col.372.
in eo,qui ſaluti ſtudet animarum,Deus loquitur. 15.71.col.373.
à ſolo Deo bona ſperari poſſunt. 17.34.col.407.
quod à Deo,id ſolum laudabile. 17.42.col.410.
Dominus facilè hominum naturam commutat. 18.2.col.421.
reuocat Deus ſententiam, ſi homo reuocat mentem. 18.8.col.423.
Deo humani tribuuntur affectus. 18.9.col.ead.
Dei fidelis promiſſio. 21.7.col.466.
inimici Dei interdum in ſeipſos arma conuertunt. 21.10.col.467.
Dei mira benignitas. 21.23.col.471.
quod Deo familiare iuramentum. 22.5.col.482.
nomen Dei in alicuius nomine reperiri, ſingulare munus eſt. 22.41.col.494.
vultus Dei toruus,& minax. 23.18.col.513.
Dei verbum quomodo à profano ſecernitur. 23. 49.col.522.
Dei deliciæ,iuſti. 24.6.col.535.
Deus aſſumit homines ſuæ iuſtitiæ miniſtros, etiãſi ipſi malũ afferant animũ.25.11.col.551.
iudicium Dei incipit à domo ſua. 25.40.col.561.
Deus etiam ab homine iudicari vult. 25. 67. col.568.
à Deo derelictus,omnium prædæ expoſitus. 25. 75.col.571.
Deus cur animam deſerat. ibid.col.ead.
Deus columba. 25.78.col.572.
fortia duce Deo, ab imbelli ſuperata. 25.83. col.574.
Nabuchodonoſor à Deo gentes obtinuit, & regna. 27.9.col.592.
patientiam dat Dominus laboranti. 29. 11. col.616.
orari vult Deus,etiam ad ea quæ promiſit.29.13. col.617.
benigna Dei vexatio,& ad ſalutem attemperata. 30.17.col.635.
ſingularis Dei humanitas. 31.21.col.661.
Deus homini pro patre. ibidem.
Ephraim cur primogenitus Dei. 31.22.col.ead.
pœnitentia noſtra incipit à Deo. 31.43.col.669.
Deus aliter ac dæmon nobis peccata oſtendit. 31.47.col.670.
Dei in pœnitentem affectus tener. 31.52.col.672.
Dominus quos amat, ſecum deducit. 31. 96. col.687.
Deus præcipuus Doctor. 31.108.col.690.
doctrina Dei practica. 31.111.col.691.
Dei miſericordia. 32.30.col.712.
beneficiorum Dei adhuc ſeruata monumenta. 32.33.col.713.
cùm minus homo propter peccata ſperare poterat, magna illi Dominus promittit. 32. 42. col.716.
orari ſe Deus vult, etiam ad ea, quæ vltrò conceſſurus eſt. 33.3.col.726.
Deo honorem conciliat vita Sanctorum. 33.12. col.729.
durum eſt,habere Deum inimicum.37.5.col.782.
Dei fidelitas,& humanitas. 38.13.col.794.
furor Dei conflatus, ſeu ſtillans, pulchra metaphora. 42.10.col.827.

ſeruus

ſeruus dicitur Dei, qui eius conſilio ſeruit, licèt inuitus. 43.13.col.853.
Deus noſtris commodis inuigilat. 44.4.col.844.
panis in Deorum ſimilitudinem formatus.44.17. col.648.
Deos ſuos Gentiles comedere ſoliti.ibid.col.848.
contra Deum omnis vis infirma. 46.30.col.872.
Deo vota perfectè ſoluenda. 48.23.col.906.
Dij Gentium captiui. 49. 8.col.933.& 51. 61. col.1017.
terror immitti ſolitus à Deo. 49.12.col.934.
Deum nemo effugiet. 49.34.col.941.
ſine Deo futilis omnis potentia. 49.48.col.945.
paruuli dicuntur exercitus, quicunque potentia, aut numero ſunt ſine Deo. 49.49.col. 946.
Deus decor iuſtitiæ. 50.21.col.970.
Deus quid ſperet dum affligit. 50.27.col.971.
arma Dei quæ. 50.47.col.979.
peccatorũ menſurã ſpectat Deus.51.25.col.1008.
Deus notat minima quæque ſcelerum incrementa. 51.27.col.ead.
nullum niſi in Deo firmamentum ſtabile. Thren. 1.41.col.1059.
peccata ſemper ante oculos Dei. Thren. 1. 73. col.1069.
ſcabellum Dei templum, & area. Thren. 2.4. col.1084.
ſagittæ Deo cur attributæ.Thren. 2.10.col.1087.
Deus priùs humanitate, pòſt ſeueritate vtitur. Thren. 2.27.col.1092.
Deus conſideratè punit. Thren.2.29.col.1093.
Deus in peccatorem quaſi vrſus, & leo. Thren. 3.16.col.1125.
inexhauſta Dei miſericordia. Thren. 3. 39. col.1131.
Dei optanda correptio in hac vita. Threñ. 3.50. col.1134.
Dei iugum, aut ſupplicium quomodo ferendum vtiliter. Thren.3.47.col.1133.
poſt tempeſtatem tranquillitas à Deo. Thren. 3. 57.col.1136.
Deus magis ad miſerendum, quàm ad puniendum pronus. Thren.3.59.col.1137.
error multorum de Diuina prouidentia. Thren. 3.69.col.1139.
animæ à Deo deſertæ ſpecies miſerabilis. Thren. 5.31.col.1188.
à Deo principium conuerſionis noſtræ.Thren.5. 35.col.1189.

Dextera.

à Dextris eſſe, quid? Pſ.23.col.1202.

Diabolus.

Diabolus Dei miniſter,& ſeruus. 25.13.col.552.

Dies.

Dies Domini incertus. 1.42.col.30.
Dierum plenus quis. 6.29.col.185.
Dies,pro felicitate. 17.46.col.412.
Dies annis appoſiti nihil interdum ſpatij addunt. 28.8.col.599.
Dies magna quæ. 30.8.col.633.
Mercenarij dies. 31.39.col.668.
Dies alicuius, in quo quis ſuis potitur votis. 46. 13.col.867.
Dies alicuius quid? Pſ. 29.col.1202.

Dilectus.

Dilectus, epithetum populi Iudaici.11.12.col.285.

Diſcipulus.

cur malè inter doctorem,&Diſcipulum aliquando conueniat. 15.44.col.365.

Diſciplina.

ex amore Diſciplina,& correctio. 31.7.col.656

Diuitiæ.

vtile aliquando Diuitiis ſpoliari. 2.9.col.55.
ornamenta pretioſa,& Diuitiæ cum mortuis inferri ſolita. 8.2.col.225.

Do.

verbum *Do*, ſimilitudinem aliquando explicat. 34.28. col.753.

Doctor.

quid proprium Doctorum, & Sacerdotum.2.26. col.60.
cur malè inter Doctorem & diſcipulum aliquando conueniat. 15.44.col.365.
Deus præcipuus Doctor. 31.108.col.690.

Doctrina.

Doctrinæ Chriſti calumnia quæſita. 11. 22. col.289.
ſtultorum Doctrina,tribulatio eſt.31.42.col.669.
humana Doctrina, niſi Spiritus adſit,infirma eſt. 31.108.col.690.
Doctrina Dei practica. 31.111.col.691.
iteranda ſæpe eadem Doctrina, ſi neceſſitas poſtulet. 36.4.col.770.

Dolor.

verus pœnitens neque ſomnum habet liberum à dolore. 3.63.col.117.
Dolor ex peccato. 4.37.col.138.
durum eſt, in Dolore loqui non poſſe. 6.24. col.183.
ex gaudio intempeſtiuo Dolor. 8.33.col.233.
verus de peccatis Dolor. 20.26.col.456.
grauis Doloris ſignificatio,quando contra innocentes,& res inanimatas indignamur. 20.31. col.457.
in Dolore graui contra amicos, & contra nos ſæuimus. 20.32.col.ead.
in Dolore veſtimenta diſciſſa. 36.23.col.775.
durum eſt, in Dolore conſolatorem non habere. Thren.1.18.col.1051.

Dominor.

Dominor, idem quod caſtigo. 31.97.col.687.

Dominus.

ſeruis lugere coram ſeueris Dominis non permiſſum. Thren.1.14.col.1049.

Domus.

iuſtitia Domum amplificat, & ornat. 22. 20. col.486.
Domus vulgi quæ. 39.10.col.804.

Donum.

Donorum Dei abuſus. 5.14.col.158.
Dona hominum fallacia. 17.31.col.406.
magis animus, quàm Donum, ſpectandus. 6.39. col.187.

Dorſum.

Dorſum,& non facies. 18.27.col.428.

Draco.

Draco elephantis ſanguinem exugit. 51. 50. col.1015.

Duplex.

Duplex,idem quod ingens. 16.29.col.387.

Dux.

paſtor, pro Duce. 12.28. col.306.& 17. 50. col.413.& 49.48.col.945.

E.

Ebrietas.

EBrietas pro vino, ſicut ſaturitas pro pane. 13.13.col.322.

Ebrietas pro perturbatione, & tremore. 23.17. col.513.
Ebrietas pro turbatione, atque æſtu. 25.39. col.561.
Ebrietas dolorem & perturbationẽ ſonat. 48.41. col.911.
Ebrietas, & ſatyritas, pro multitudine, & abundantia. Thren.3.56.col.1136.

Ebur.

Ebur purpura inficitur. Thren.4.21.col.1164.

Eccleſia.

Eccleſiæ dignitas. 3.49.col.112.
vnitas animorum in Eccleſia. 32.43.col.716.
Eccleſia pro cógregatione. Thren.1.58.col.1064.

Effigies.

Effigies animi à Deo relicti. 6.18.col.182.
charorum Effigies in annulis. 22.39.col.493.
Effigies peccatoris. Thren.1.75.col.1069.

Elephans.

draco Elephantis ſanguinem exugit. 51. 50. col.1015.

Ephraim.

Ephraim cur primogenitus Dei. 31.22.col.661.
Ephraim primogenitus Iacob. ibid.col.662.
Rachel pro Tribu Iuda ſumitur,& Benjamin,atque Ephraim. 31.35.col.665.
Ephraim honoratus à Iacob. 31.49.col.671.
Ephraim quomodo primogenitus.31.50.col.ead.
Ephraim cur delicatus. ibidem.

Epithalamium.

noui coniuges in Epithalámiis vocantur Reges. 13.30.col.328.

Epitaphium.

Epitaphij forma. Thren.1.63.col.1065.

Epulum.

Epulum in Hebræorum funeribus. 16.6.col.381.
Epulum in Gentilium funeribus. ibidem.

Equus.

Chaldæorum Equi velociſſimi. 4.26.col.154.
Equi amatores. 5.15.col.159.
Equi,qui ad Euphratem aluntur,ſunt feroces,& celeres. 51.39.col.1012.

Eſau.

Eſau cur circumciſionis notam ſuſtulit. 9.36. col.255.

Et.

Et, particula expoſitiua. 22.45.col.494.
Et, diſiunctiua,pro *vel*. 16.2.col.379.
Et, particula comparatiua. 31.6.col.656.

Euangelium.

tria hominem inceptum reddunt Euangelio prædicando. 1.32.col.27.
quæ dura ſunt, Euangelij tempore mollia fiunt. 31.18.col.660.

Euchariſtia.

Euchariſtiæ vſus. 44.17.col.849.
Euchariſtia cur dicatur frangi. Thren. 4. 10. col.1160.

Euphrates.

equi,qui ad Euphratem aluntur,feroces, & celeres. 51.39.col.1012.

Euilmerodach.

Ioachim eleuatus ab Euilmerodach. 52. 7. col.1028.
Euilmerodach in vincula à patre coniectus.52.9. col.1029.

Ex.

Ex, interdum comparat cum exceſſu. 4. 24. col.134.
Præ,& *ex*,compatationi inſeruiunt.49.37.col.942.

Excuſatio.

Excuſatio peccatorum vana. 2.10.col.55.

Execratio.

quæ videtur Execratio, interiectio eſt. 20. 24. col.45 .
labor irritus,pro Execratione. 31.11.col.657.
in fœdere feriendo ad iuſiurandum Execratio adhibita. 34.27.col.753.
iuramento adiungitur Execratio. 42.4.col.825.
Phocenſium Execratio. 51.82.col.1024.

Exedra.

Exedra quid. 35.11.col.761.

Exemplum.

illud alicui tribuitur, qui aliis vt illud facerent, Exemplo fuit. 15.19.col.359.
potentiorum Exẽpla valde noxia. 15.20.col.ead.
Sacerdotum, & Principum pernicioſum Exemplum. 23.22.col.514.
Exempla eorum qui in Sanctorum ſocietate peſſimi. 24.3.col.534.
Exempli magna vis. 35.1.col.757.
Sanctorum Exempla iuuant. 38.12.col.793.

Exercitus.

Exercitus ſignificatus in flumine. 49.37.col.942.
paruuli dicuntur Exercitus,quicunque potentia, aut numero ſint ſine Deo. 49.49.col.946.

Exilium.

quo ſenſu decem Tribus dicantur ab Exilio reuerſæ. 3.43.col.110.
Iudæi in Exilio idola coluerunt. 16.14.col.384.
redierunt ab Exilio tam qui cum Sedecia, quàm qui cũ Iechonia tranſmigrarũt. 29.16.col.618.
mitius Exilium fuit iis qui cum Iechonia tranſmigrarunt. 29.17.col.ead.
Iudæi ex Exilio ſine moleſtia, imò cum voluptate remigrarunt. 31.17.col.660.
quomodo decem Tribus ab Exilio redierunt. 31.23.col.662.
Exilium mors quædam eſt. 31.32.col.665.

Exprobratio.

idolorum Exprobratio. 10.14.col.267.

Exul.

Exul,pro mortuo. 31.86.col.683.

F.

Fabula.

Hebræorum Fabula. 2.80.col.78.
Rabbinorum Fabula de Sedecia. 39.3.col.801.

Facies.

dorſum,& non Facies. 18.17.col.428.
Facies pro eo,cuius eſt facies. 22.42.col.494.
abſcondere Faciem,auxiliũ negare.33.8.col.727.
Faciem ponere. 44.9.col.846.
orantes in Faciẽ procidunt.Thren.3.53.col.1135.
Facies, ſeu vultus pro perſona. Thren.3.66. col.1138.
Facies damnatis operitur, & in mœrore. Thren. 3.77.col.1141.
Chriſto cur velata Facies. ibid.col.1142.

Fames.

Fames Iudæorum quo tempore. 14.2.col.339.

Faunus.

Fauni ficarij qui. 50.60.col.984.

Felicitas.

meridies pro Felicitate. 6.7.col.178.
impiorum Felicitas.9.6.col.245. & 12.6.col.298.
malorum Felicitas exitus habet amaros. 12. 9. col.299.
dies,pro Felicitate. 17.46.col.412.
timenda maximè humana Felicitas,quæ proxima eſt ruinæ. 48.16.col.905.

Fel.
aqua Fellis. 8.26.col.231.
Femur.
Femoris percuſſio. 31.46.col.670.
Feneſtra.
ingreſſus per Feneſtras, aliquid inopinatum indicat. 9.27.col.251.
Fera.
aues inauſpicatæ, & Feræ in deſcribenda ciuitatum ſtrage. 4.52.col.143.
Ferreum.
Ferreum, pro duro. 11.3.col.281.
iugum Ferreum. 28.17.col.602.
Feſtum.
Feſtorum obſeruatio. 17.53.col.414.
Ficus.
Ficus in Palæſtina frequens. 24.1.col.533.
Ficus primæ. 24.6.col.535.
fauni Ficarij qui. 50.60.col.984.
Fides.
nemini Fidendum. 9.8.col.245.
diuina Fides omni teſtimonio ſuperior. 28.13.col.601.
qualis publica ſtipulationum Fides, & contractuum. 32.12.col.705.
Fidelitas.
Ieremiæ conſtantia & Fidelitas. 17.43.col.410.
Dei Fidelitas. Thren.3.41.col.1132.
in Deo Fidendum. Thren.3.42.col.ead.
Fiducia.
ſpei, & Fiduciæ proprietas. 17.39.col.409.
Filia.
pater Filiam virginem cuſtodit. 3.18.col.102.
Filiæ varia ſignificatio. Thren.3.22.col.12.
Filius.
quomodo parentum peccata Filij luant. 2.28.col.60.
quomodo parentum merita, vel peccata in Filios deriuentur. 15.17.col.358.
diuturna vita Filiis, qui patri obediunt. 35.12.col.761.
Ioſiæ quot Filij. 1.7.col.16.
ſtruthio in Filios crudelis. Thren.4.6.col.1159.
Flos.
ſepulcra Floribus ornari ſolita. 48.17.col.904.
Flumen.
in Fluminibus hoſtiles copiæ ſignificatæ. 12.19.col.302.
exercitus ſignificatus in Flumine.49.37.col.942.
in Fluuiorum ripa aptus orationi locus. Pſal.4.col.1194.
Fœdus.
ſanguis in Fœdere ſanciendo. 31.88.col.684.
teſtamentum, idem quod Fœdus. 31.90.col.685.
in Fœdere feriendo ad iuſiurandum execratio adhibita. 34.27.col.753.
Fœdus connubiale cum populo. 50.17.col.968.
Fœmina.
imbelles vocati Fœminarum nomine. 6.4.col.177.
Fœminarum luctus. 7.51.col.214.
cantus Fœminarum, libidinis fax. 9.25.col.250.
graue eſt, à Fœminis aut vinci, aut illudi. 38.21.col.796.
in luctu Fœminę terram capillis verrunt. Thren.2.39.col.1096.
Fœtor.
Iudæis naturalis Fœtor. 31.81.col.682.
Fœtor Iudæis cum Baptiſmo deponitur. 31.83.col.ead.
Fons.
Fontes, terræ vbera. 18.13.col.424.
Fornax.
Fornax tribulationis. 9.12.col.247.
Fortis.
Fortia, duce Deo, ab imbelli ſuperata. 25.83.col.574.
Fortè.
Fortè, non ſemper dubitat. Thren.3.54.col.1135.
Fortuna.
Dominus facilè humanam Fortunam commutat. 18.2.col.481.
pedes illoti Fortunam miſeram ſignificant. Thren.1.46.col.1060.
Frango.
Frangi cur dicatur panis. Thren.4.8.col.1159.
Frangi cur dicatur Euchariſtia. ibid.10.col.1160.
Fruges.
primitiæ Frugum gratiſſimæ, & Deo conſecratę. 2.13.col.56.
Funiculus.
virga idem quod Funiculus. 10.28.col.272.
Funus.
epulum in Hebræorum Funeribus. 16.6.col.381.
epulum in Gentilium Funeribus. ibid. col.ead.
planctus ſolennis in Iudæorum Funere. 22.26.col.489.
in Funere odores cremati. 34.8.col.745.
Iudæi Funeri aromata adhibent. 34.9.col.ead.
Funebre carmen aliud in Principem, aliud in vulgarem hominem. 34.11.col.746.
tuba, pro Funere. 46.49.col.878.48.60.col.916.
Sedeciæ regium Funus. 52.11.col.1029.
Furor.
Furoris ſpiritus quid. 6.26.col.184.
Furor Dei conflatus, ſeu ſtillans, pulchra metaphora. 42.10.col.827.
Futilitas.
terrenarum rerum quanta Futilitas. 2.44.col.66.
Futurum.
imperatiuus pro Futuro. 4.2.col.127.

G

Gaudium.
ex Gaudio intempeſtiuo dolor. 8.33.col.235.
in Gaudio coronæ adhiberi ſolitæ. Thren.5.26.col.1187.
Galaad.
reſina in Galaad. 8.39.col.236.
Chriſtus, Galaad. 8.41.col.ead.
Galaad, pars nobiliſſima Libani. 22.6.col.482.
Galaad reſinarum ferax. 46.16.col.868.
Galaad pro religioſis clauſtris. 46.17.col.ead.
Gens, vide, *Gentilis*.
Gentilis.
Gentiles quidam attonſi comam. 9.40.col.256.
epulum in Gentilium funeribus. 16.6.col.381.
Gentes ſine adiuncto, pro Gentilibus. 16.32.col.388.
Gentiles cadauera comburunt. 34.4.col.744.
Gentiles in luctu corpus ſauciabant. 41.8.col.818.
Deos ſuos Gentiles comedere ſoliti. 44.17.col.848.
Dij Gentium ipſis ignominiæ ſunt. 8.3.col.225.
quæ habita à Gentibus pro diis. 10.15.col.268.
Gentes Hieroſolymam venire ſolitæ. 25.38.col.560.
Dij Gentium captiui. 49.8.col.933. & 51.61.col.1017.

à templo Gentiles arcebantur. Thren.1.56.col. 1063.

Gladius.

Gladius cur vorare & ſaturare dicatur. 46.14. col.867.

Gigas.

Gigantes ante diluuium viuis veſcebantur carnibus. Thren.2.61.col.1102.

Gloria.

Deus dicitur Gloria. 2.32.col.62.
dare Gloriam,quid. 13.16.col.322.
pœnitentia dat Gloriam Deo. ibidem.

Godolias.

Godolias cur cum poteſtate relictus. 40.10.col. 811.

Gratiarum actio.

Pſalmus 117. in Gratiarum actionibus cantari ſolitus. 33.15.col.730.

Grex.

Grex à paſtoribus numerari ſolitus. 33.18.col. 731.

H

Hebdomada.

ſeptem HEbdomadæ cur celebres. 5.34.col. 165.

Hebræi.

adoleſcentia populi Hebræorum. 2.2.col.53.
cur Hebræis datæ externæ ceremoniæ. 7.36.col. 211.
epulum in Hebræorum funeribus. 16.6.col.381.
literæ in ſcribendo permutatæ apud Hebræos. 25.52.col.564.
ſepulcra cõmunia,ſeu cæmeteria apud Hebræos. 26.17.col.582.
Hebræis familiare,nomina cognata verbis addere. 30.4.col.631.
ad ſeptimum annum Hebræorum ſeruitus. 34.16.col.748.
ieiunia cur ab Hebræis inſtituta. 36.14.col.773.
Hebræi in numerando rationem habent aut perfecti numeri,aut quantitatis magis notæ. 36.21.col.774.
de exhumato Nabuchodonoſor Hebræorum fabula. 52.10.col.1029.
alphabeticus ordo in Hebræorum poëſi. Thren. p.6.col.1033.
reges Hebræorum ſacrati. Thren. 2.5.col.1085.
Hebræorum fabula de Zachariæ ſanguine. Thr. 5.19.col.1185.
fabula Hebræorum. 2.80.col.78. & Thren. 2.33. col.1094. & 5.7.col.1182. & 20.col.1186. & Pſal.20.col.1200.

Helcias.

Helcias Ieremiæ pater,non Sacerdos ſummus. prol. 1.1.col.1.

Heliopolis.

Heliopolis ſuperſtitioſa. 43.20.col.835.

Hieronymus.

Hieronymus mutauit aliquando ſententiam. 13. 11.col.321.

Hieroſolyma.

Hieroſolymæ ſitus. 21.14.col.471.
Iudæorum in Hieroſolymam amor. 22.13.col. 484.
gentes Hieroſolymã venire ſolitæ.25.38.col.560.
quinto anno poſt Hieroſolymam exciſam nationes multas ſubegit Nabuchodonoſor. 47.4. col.885.
Iudæi ad Hieroſolymæ ruinas venire ſoliti, cantandi gratia. Thren.prol.8.col.1035.
prouinciæ multæ Hieroſolymæ vectigales. Thr. 1.9.col.1048.

Hinnitus.

Hinnitus lætitiæ vox. 8.28.col.232.
Hinnitus quid. 13.44.col.332.

Hircus.

Hirci, pro principibus & moderatoribus. 50. 22.col.970.
Hiſtoricus ſenſus fundamentum allegorici. 50. 31.col.973.

Hodie.

Hodie, pro tempore proximo. 34.20.col.750.

Holocauſtum.

diſcrimen inter Holocauſtum & victimas. 7.32. col.210.
Holocauſta,& victimæ tantùm in terra promiſſionis offerenda. 7.40.col.212.

Homo.

grauiſſimè fert Deus ſe ab Hominibus deſeri. 21.34.col.468.
neque Homo, neque volucris. 4.51.col.142.
Hominum inſipientia. 10.7.col.265.
Dei voluntas eſt Hominum ſalus.15.70.col.372.
ſpes in Homine vana. 17.17.col.403.
qui in Homine confidit,valde miſer. 17.23. col. 404.
differentia illorum qui in Deo,& qui in Homine confidunt. 17.25.col.405.
dona Hominum fallacia. 17.31.col.406.
Dominus facilè Hominum fortunam commutat. 18.2.col.421.
reuocat Deus ſẽtẽtiam, ſi Homo reuocat mentem. 18.8.col.423.
ſigillum Hominem repræſentat. 22.37.col.492.
Deus aſſumit Homines ſuæ iuſtitiæ miniſtros, etiamſi ipſi malum afferant animum. 25.11. col.551.
Deus etiam ab Homine iudicari vult. 25.67.col. 568.
Deus Homini pro patre. 31.21.col.661.
cùm minus Homo propter peccatum ſpectare poterat,magna illi Dominus promittit.32.42. col.716.
peccata ſicut funes Homines trahunt ad gehennam. Thren.1.74.col.1079.

Honor.

ſepulturæ Honor. 9.29.col.252.
Deo Honorem conciliat vita Sanctorum. 33.12. col.729.

Horror.

Horror ex duro nuntio. 23.17.col.513.
iudicij extremi Horror. 32.3.col.702.

Hoſanna.

Hoſanna,interiectio gratulantis,& fauentis. 31. 14.col.659.

Hoſtis.

Hoſtibus noſtra calamitas cælanda.4.33.col.136.
in fluminibus Hoſtiles copiæ ſignificatæ. 12.19. col.302.
ex omni loco Hoſtes contra Ieruſalem. 12.32. col.307.
Hoſtes victi tribulis,& plauſtris obtriti. 51.46. col.1014.
victi ab Hoſte calcati. Thren. 1.78.col.1070.

Humanitas.

Dei Humanitas & amor. 3.7.col.98.
ſingularis Dei Humanitas. 31.21.col.661.
Deus priùs Humanitate, pòſt ſeueritate vtitur. Thren.2.27.col.1092.

Hyena.

Hyena.
Hyenæ natura. 12.27.col.305.
Hyperbole.
Hyperbole, cælum attingere. 49.34.col.942.
Hyperbolicæ locutiones in Scriptura. 50.31. col.974.

I

Iaceo.
IAceo, idem quod ceſſo. Thren.2.67.col.1104.
Idololatria.
in omni loco Iudæorum Idololatria. 2.107.col. 87.
Idolum.
Idolorum confuſio. 3.60.col.118.
Idolum offendiculum. 4.6.col.128.
Idolorum vanitas. 10.5.col.264.
differentia inter Deum,& Idola. 10.12.col.266.
Idolorum exprobratio. 10.14.col.267.
confuſio pro Idolis. 10.29.col.272.
Iudæi multorum Idolorum cultores. 11.10. col. 284.
Iudæi in exilio Idola coluerunt. 16.14.col.384.
Idolum peccatum dicitur,& delictum. 17.6.col. 399.
Idolorum imagines in annulis,& armillis geſtari ſolitæ. 17.7.col.400.
Ioacim Idolorum charactere compunctus. 22.25.col.488.
Idola cum ſuis cultoribus captiua. 48. 10. col. 902.
Idumæi.
Idumæi circumcidi coacti. 9.36.col.255.
Tyrij,Idumæi,& Sidonij reſtituti. 25.20.col.555.
Idumæi in ſpeluncis habitant. 49.20.col.937.
Idumæorum anguſti fines, & populus exiguus. 49.32.col.940.
Idumæi circumciſi,& ſubiecti Iudæis. ibid. 43. col.944.
Iechonias.
Iechonias dictus Chonias. 22.40.col.493.
redierunt ab exilio tam qui cum Iechonia,quàm qui cum Sedecia tranſmigrarunt. 29.16. col. 618.
Iecur.
Iecoris varia ſignificatio. Thren.2.41.col.1097.
Ieiunium.
Ieiunium antonomaſticè pro ieiunio expiationis. 36.8.col.771.
Ieiunia cur ab Hebræis inſtituta. 36.14.col.773.
Ieiunium à Iudæis inſtitutum pro excæcatione Sedeciæ. 39.7.col.803.
Ieremias.
Ieremiæ genus. P.1.1.col.1.
Helcias Ieremiæ pater, non Sacerdos ſummus. P.1.1.col.ead.
Ieremiæ patria. P.2.3.col.2.
Ieremias Chriſti typus. P.2.3.col.3.
Ieremiæ ſtylus qualis. P.2.4.col.ead.
Ieremias quomodo ſanctificatus. 1.17.col.20.
Ieremias mortuus. 1.22.col.22.
Ieremias prophetare recuſat. 1.26.col.24.
in Ieremia concionatoris forma. 1.57.col.36.
aliquot dies fleuit Ieremias. 7.53.col.215.
Ieremias virgo. 16.2.col.379. & 32.23.col.710.
Ieremiæ conſtantia & fidelitas. 17.43.col.410.
conciliatur cum Ieremia Daniel. 25.1.col.549.
Ieremias in volumen redigit prophetias. 30.1. col.631.
Ieremiæ obedientia. 32.15.col.706.
ad annum quartum Ioacim nullam prophetiam ſcriptis mandarat Ieremias. 36.1.col.769.
carcer Ieremiæ non tam ad cuſtodiam, quàm ad cruciatum. 37.12.col.784.
Ieremias in lacum videtur nudus dimiſſus. 38.9. col.792.
Ieremias in carcere vinctus manibus,ac pedibus. 38.15.col.794.
Ieremias quamdiu prophetauit. P.3.5.col.4.
Ieremiæ ſcripta. P.4.7.col.ead.
Ieremiæ vita. P.5.10.col.6.
Ieremiæ mors. P.6.11.col.7.
Ieremias an viuat. P.6.12.col.8.
an à Ieremia Plato aliquid didicerit? P.6.14. col.ead.
Ieremias autor Threnorum. Thren.P.1. col. 1031.
ager à Ieremia emptus cur dictus figulus. 32.25. col. 710.
Ieruſalem.
in Tribu Benjamin,& Iuda erat Ieruſalem. 6.1. col.175.
Ieſus quidam plangit Ieruſalem. 7.53.col.215.
vicinæ nationes contra Ieruſalem. 12.20.col.302.
ex omni loco hoſtes contra Ieruſalem. 12. 32. col.307.
Ieruſalem ſolium Dei. 14.23.col.345.
Chaldæis multi de vicinis regionibus adfuère contra Ieruſalem, non tamen omnes. 25.26. col.555.
Ieruſalem vaſtitas,& ſolitudo. 26.12.col.580.
Ieruſalem ciuitas exultationis. Thren.2.59.col. 1101.
Ieſus Chriſtus, vide, Chriſtus.
Ieſus.
Ieſus quidam plangit Ieruſalem. 7.53.col.215.
B. Ignatius.
B.Ignatius lacrymas in poteſtate habuit. Thren. 2.40.col.1097.
Ignis.
Ignis,& ſol,Chaldæorum Deus. 1.45.col.32.
Ignis Chaldæorum ſignum. 4.31.col.136.
Ignis, & ligna. 5.24.col.161.
verbum Diuinum Igni ſimile, & malleo. 23.50. col.522.
Ignis pro quocunque ſupplicio. 29.23.col.620.
Ignominia.
Dij gentium ipſis Ignominiæ ſunt. 8.3.col.225.
grauis ſeruilis cōditionis Ignominia à nuditate. 13.36.col.330.
Ignorantia.
Ignorantia affectata. 9.11.col.246.
Ignoro.
Ignoro multa ſignificat. Thren.3.61.col.1137.
Imago.
Imago, ſeu vmbra mortis,quid. 2.19.col.58.
in cibis expreſſæ variæ rerum Imagines. 44.17. col.849.
idolorum Imagines in annulis, & armillis geſtari ſolitæ. 17.7.col.400.
eorum Imagines, quos amamus, in annulis geſtantur. 22.39.col.493.& Pſal.24.col.1201.
Imperatiuus.
Imperatiuus pro futuro. 4.2.col.127.
Impij.
Impiorum felicitas. 9.6.col.245.& 12.6.col.298.
cur Impij fortunati. 12.1.col.297.

Impiorum felicitas exitus habet amaros. 12.9. col.299.
Impij infortunia quomodo ferant. Thren. 1.43. col.1060.
eleuatur Impius,vt grauior ſit ruina. Thren.2.2. col. 1083.

Impoſſibile.

Impoſſibile in Scriptura quid. 13.41.col.331.

In.

In, idem quod *propter*. 15.47.col.366.& Thren.3. 94.col.1145.
In, & *ad*, pro *de*. 27.19.col.594.

Inane.

Inane,& vacuum, ſeu nihili. 4.47.col.141.

Incarnatio.

Incarnatio,res noua. 31.65.col.676.

Incircumciſus.

cor Incircumciſum. 4.13.col.130.
Incircumciſæ aures,& labia. ibid.col.ead.

Incluſor.

Incluſor quid. 24.5.col.534.

Inconſtantia.

rerum Inconſtantia. 18.2.col.421.

Incuria.

quàm pernicioſa paſtorum Incuria. 10.33. col. 273.

Indignatio.

ira,atque Indignatio, pro ſupplicio.6.27.col.184.

Infernus.

Inferni deſcriptio. 2.95.col.83.
Inferni pœna. Thren.1.18.col.1051.

Infortunium.

durum eſt,videre noſtrorum Infortunia. 20.24. col.455.

Ingratitudo.

Ingratitudo ſtulta. 44.14.col.847.

Ingratus.

Ingrati animi ſtupor. 2.18.col.57.

Inimicus.

Inimici Dei interdum in ſeipſos arma conuertunt. 21.10.col.467.

Iniquitas.

Iniquitas, pro ſupplicio. 6.15.col.180.& 16.28. col.387.
Iniquitas ,& *peccatum*, pro peccati pœna. 50.42. col.977.

Iniuria.

qui à Domino deſeritur, prædæ , atque iniuriis pater. 5.19.col.160.

Initior.

Initiari quid. 32.39.col.715.

Innocens.

conſcientia Innocentis vitæ audaciam parit. 2. 16.col.57.

Innocentia.

Deus hominum iudicio ſuam innocentiam ſupponit. 2.16.col.ead.

Inobedientia.

Inobedientia ex ſuperbia. 43.2.col.830.

Inſpiratio.

Inſpiratio contempta. 6.51.col.190.

Inſtrumentum.

Inſtrumenta artis ſuſpendi ſolita. Pſal. 11. col. 1197.

Inſula.

Inſulæ dicuntur prouinciæ remotæ, licèt in mari non ſint. 25.45.col.563.
Inſula dicitur,quòd abeſt longè. 47.11.col.886.

Ioachaz.

Sellum dictus Ioachaz. 22.10.col.484.
Ioachaz quando regnauit. 22.11.col.ead.
Sellum idem qui Ioachaz. 1.7.16.

Ioachim.

Ioachim eleuatus ab Euilmerodach. 52.7. col. 1028.

Ioacim.

Ioacim hiſtoria. 22.24.col.488.
Ioacim idolorum charactere compunctus. 22. 25.col.ead.
Ioacim iniuſtum habuit corpori impietatis ſymbolum. ibidem.
ante annum quartũ Ioacim nulla Ieremiæ prophetia ſcriptis mandata. 36.1.col.769.
Ioacim captus,& reſtitutus regno.36.13.col.773.

Ionadab.

Ionadab quis. 35.4.col.758.

Ioſias.

Iudæi ſub Ioſia ad Dominum conuerſi. 3.59.col. 117.
Ioſiæ quot filij. 1.7.col.16.
omnes Ioſiæ filij vocati Iechoniæ. 1.11.col.18.
Ioſias regno charus, & vtilis. Thren. 4.52. col. 1172.

Ira.

Ira,atque indignatio, pro ſupplicio.6.27.col.184.
ſcopus Iræ Dei peccator. 7.54.col.215.
vaſa Iræ quid. 50.47.col.979.

Iracundia.

Iracundiæ dolor admixtus. 7.29.col.209.
Iracundiæ dolor ineſt in homine , ſecus in Deo. 7 31.col.ead.
ardor,pro Iracundia. 15.16.col.358.

Iſraël.

magno in pretio habitus à Deo populus Iſraël, & quaſi ſanctus. 2.12.col.56.
cur auerſatrix Iſraël,& Iuda præuaricatrix. 3.25. col.104.
Ammonitæ contra Iſraël. 49.4.col.932.

Iuda.

cur auerſatrix Iſraël,& Iuda præuaricatrix. 3.25. col.104.
tribui Iudæ inſigne leonis. 25.82.col.573.
Rachel ſumitur pro tribu Iuda , & Benjamin, atque Ephraim. 31.33.col.665.

Iudæi.

Iudæi ad Chaldæos , & Ægyptios idola coluerunt. 2.50.col.68.
nullus ordo Iudæorum non vexatus. 2.51. col. eadem.
Iudæi magnam deorum turbam coluerunt. 2. 90.col.81.
in omni loco Iudæorum idololatria. 2.107.col. 87.
Iudæi inuidi. 3.28.col.106.
Iudæi ſub Ioſia ad Dominum conuerſi. 3.59. col.117.
Iudæi in montium latebris abſcondi ſoliti. 4.55. col.144.
Iudæi quando acceperunt diſciplinam. 5.6. col. 156.
ſpes Iudæorum in templo quàm infirma. 7.14. col.204.
quo conſilio indicta Iudæis ſacrificia. 7.38.col. 211.
cur Iudæi in deſerto non circunciſi.7.41.col.212.
nationes aliæ præter Iudæos circumcidi ſolitæ, 9.35.col.254.

nationes Iudæis vicinæ non-circunciſæ. 9.36. col.ead.
Iudæis circumtonſa coma. 9.39.col.256.
Iudæi multorum idolorum cultores. 11.10.col. 284.
ſpeluncæ variæ ad Iudæorum perfugia. 12.33. col.307.
vicini populi infenſi Iudæis,& à Babyloniis vaſtati. 12.37.col.309.
Iudæi ad omnes nationes abiêre profugi. 12.38. col.ead.
regiones vicinæ à Iudæis ſuperatæ. 12.41. col. 310.
fames Iudæorum quo tempore. 14.2.col.339.
Iudæi in exilio idola coluerunt. 16.14.col.384.
Babylonia quomodo Iudæis ignota. 16.15. col. eadem
ſub tempus Babylonicum multi ad Iudæorum religionem adſcripti. 16.33.col.389.
Iudæorum in Hieroſolymam amor. 22.13. col. 484.
planctus ſolennis in Iudæorum funere. 22.26. col.489.
nationes aliæ cum Iudæis poſt ſeptuaginta annos in patrias reſtitutæ. 25.18.col.554.
templi honor apud Iudæos maximus,& in eo fiducia. 26.3.col.577.
ex Iudæis,qui tranſmigrarunt,rediêre nonnulli. 29.9.col.616.
ex Iudæis redierunt ab exilio tam qui cum Sedecia,quàm qui cum Iechonia tranſmigrarũt. 29.16.col.618.
Iudæi reſtituti ſuos ſibi inimicos ſubiugarunt. 30.27.col.638.
Iudæi ex exilio ſine moleſtia,imò cum voluptate remigrarunt. 31.17.col.660.
Iudæis naturalis fœtor. 31.81.col.682.
fœtor Iudæis cum Baptiſmo deponitur. 31.83. col.ead.
quomodo Iudæorum filij parentum peccata non luant. 31.84.col.ead.
quomodo Iudæi propter peccata dicantur non abiecti. 31.121.col.694.
Iudæi cadauera nõn cremabant. 34.6.col.744.
Iudæi funeri aromata adhibent. 34.9.col.745.
Ieiunium à Iudæis inſtitutum pro excæcatione Sedeciæ. 39.7.col.803.
Iudæi in ſpeluncis abſconditi. 39.9.col.804.
Iudæi templi ruinas viſitare ſoliti.41.12.col.820.
Iudæorum miſera conditio. ibidem.
Baruch cur in odio apud Iudæos. 43.3.col.831.
Ægypti,& Iudæorum vaſtitas. 44.27.col.851.
Idumæi circuncıſi,& ſubiecti Iudæis. 49.43.col. 944.
Babylonij in Iudæos magis ſæuierunt,quàm illis conceſſum. 50.27.col.971.
Perſæ,dum caperetur Babylon, Iudæis pepercerunt. 51.67.col.1019.
Iudæi ad Hieroſolymæ ruinas venire ſoliti , lamentandi gratia. Thren.P.8.col.1035.
Iudæi magnis grauati vectigalibus. Thren.1.10. col.1048.
Iudæi à Gentilibus ignominioſè vexati. ibidem. col.ead.
Iudæi Sabbatarij. Thren.1.40.col.1058.
Iudæorum vile miniſterium. Thren. 4. 13. col. 1162.
Iudæorum in externos inhumanitas. Thren.5.6. col.1181.
Iudæi patriæ amantes. Pſal.8.col.1196.

Iudicium.

Deus hominum Iudicio ſuam innocentiam ſupponit. 2.16.col.57.
Dei iuſta Iudicia. 6.39.col.187.
Iudicium Dei incipit à domo ſua. 25.40. col. 561.
Iudicij extremi horror. 32.3.col.702.

Iugum.

Iugum ferreum. 28.17.col.602.
Dei Iugum,aut ſupplicium quomodo ferendum vtiliter. Thren.3.47.col.1133.
Iugum legis quomodo portandum. Thren.3.48. col.1134.

Iuramentum.

Iuramenti religio. 4.7.col.128.& 5.31.col.164.
qui ſanctè Iurant,felices. 4.8.col.129.
ſi,Iuramenti nota. 15.39.col.364.
quod Deo familiare Iuramentum. 22.5.col.482.
Iuramenti forma. 42.3.col.825.
Iuramento adiungitur execratio. 42.4.col.ead.
Iuramento,ſeu adiurationi adiuncta maledictio. 48.21.col.865.
Iurare per animam ſuam, quid. 51.28.col.1009.

Iuſtitia.

Iuſtitia domum amplificat,& ornat. 22.20. col. 486.
Deus aſſumit homines ſuæ Iuſtitiæ miniſtros, etiamſi ipſi malum affectant animum. 25.11. col.551.
Deus decor Iuſtitiæ. 50.21.col.970.

Iuſtus.

Iuſtus quàm vtilis Reipublicæ. 5.1.col.153.
oratio Iuſti potentiſſima. 7.24.col.207.
Iuſtorum preces cur aliquando non exorant. 15.1.col.353.
Iuſtus peccatoribus inuiſus. 18.29.col.429.
Iuſti, Dei deliciæ. 24.6.col.635.

L

Labia.

incircunciſæ aures,& Labia. 4.13.col. 130.

Labor.

Labor inutilis. 12.35.col.308.
in Teſtamento veteri Labor,& crux grauia. 15. 38.col.364.
patientiam dat Dominus Laboranti. 29.11.col. 616.
Labor irritus, pro execratione. 31.11.col.657.
Laborum grata recordatio. 31.55.col.673.
durum eſt,in Labore conſolatorem non habere. Thren.1.18.col.1051.
ſenectutem adducit Labor,& mœror.Thren.3.8. col.1123.

Lacinia.

Orientalium longa Lacinia. 1.56.col.36.

Lacrymæ.

Lacrymæ interdum exhauſtæ. 9.1.col.43.
Lacrymæ latebras amant. 13.26.col.326.
Lacrymæ interdum ex lætitia. 50.13.col.967.
Lacrymæ non facilè ſimulantur , ſicut fletus. Thren.1.15.col.1050.
B.Ignatius Lacrymas in poteſtate habuit.Thren. 2.40.col.1097.
Lacrymæ corpus extenuant.Thren.3.91.col.1144.

Lacus.

carcer cur dictus Lacus. 37.12.col.784.
Ieremias in Lacum videtur nudus demiſſus. 38. 9.col.792.

Lætitia.

Lætitia.
hinnitus, Lætitiæ vox. 8.28.col.232.
qua pœna dignus qui immaturè Lætatur. Pſalm. 23.col.1201.
Lamentatrix.
Lamentatrices & præficæ. 7.52.col.215.
Viri ad Lamentandum conducti. 9.22.col.249.
Lapis.
non Lapis in angulum. 51.36.col.1011.
Latebra.
Iudæi in montium Latebris abſcondi ſoliti.4.55. col.144.
lacrymæ Latebras amant. 13.26.col.326.
Later.
Lateres in Palæſtina rari. 48.47.col.913.
Latro.
Arabes,Latrones,& mercatores. 3.10.col.99.
Latro militis nomen,& latrunculus. 18.36. col. 431.
Latronis inopinatus aduentus. 18.38. col.432.
Laus.
Laus, pro munere. 7.23.col.207.
Laus, pro oratione. ibidem.
Laus cum oratione coniungitur. Thren. 2.69. col.1104.
Lenitas.
Dei ſingularis Lenitas, & patientia. 6.37. col. 187.
Leo.
Leo de ſuperbia Iordanis. 49.41.col.943.
Deus in peccatorem quaſi vrſus,& Leo.Thren.3. 16.col.1125.
Leo in abſcondito. Thren.3.18.col.1126.
Leuita.
Leuitæ quos agros habere poſſint. 32.8.col.704.
aliqui extra Leuiticum genus in templo miniſtrarunt. 35.17.col.764.
Lex.
repudij Lex. 3.1.col.97.
tunc Lex eſſe cenſetur,quando obligat.7.39.col. 212.
Lex Domini valde commendata. 11.7.col.285.
Lex noua quomodo ſcripta in corde. 31.99.col. 687.
Legis nouæ multò quàm antiquæ facilior cognitio. 31.104.col.689.
iugum Legis quomodo portandum. Thren.3. 48.col.1134.
Libanus.
Galaad, pars nobiliſſima Libani. 22.6.col.482.
Libellus.
Libellus repudij. 3.2.col.97.
duo Libelli in pactis. 32.14.col.706.
Liber.
cur Liber in vaſe clauſus fictili. 32.14.col.706.
Liber quid,ſeu volumen. 36.3.col.769.
antiquus Liber, ſeu volumen quomodo paginas habeat. 36.22.col.775.
Liber Baruch à quo compoſitus. P.4.8.col.5.
Liberalis.
Deus in largiendo Liberalis,& velox. 2.94.col. 83.
Libertas.
Libertas ex Ægypto. 31.3.col.655.
Libido.
camelæ Libido. 2.75.col.76.
ſitis, pro Libidine. 2.84.col.79.
ſanguis, pro Libidine. 2.106.col.86.
cantus fœminarum Libidinis fax. 9.25.col.250.
Libidinoſus.
Libidinoſi ſtatio. 2.81.col.78.
non facilè Libidinoſus conuertitur. 2.88.col.80.
Lignum.
Lignum cum foraminibus, tormenti genus. 20. 5.col.448.
Lingua.
Lingua formidoloſa. 48.69.col.919.
Linguæ damna. 9.5.col.245.
Lingua arcus,verba ſagittæ. ibidem.
Lingua,vulnus graue. 18.32.col.430.
Litera.
Literæ in ſcribendo permutatæ apud Hebræos. 25.52.col.564.
Literæ in ſcribendo permutatæ apud profanos. 25.53.col.565.
Literæ Hebraicæ non eodem ſemper ordine in alphabeto. Thren.2.63.col.1102.
Locuſta.
Locuſta,multitudinis ſymbolum. 46.53.col.879.
Lubrico.
Lubrico,verbum actiuum. Thren.4.41.col.1169.
Luctus.
Luctus vnigeniti. 6.46.col.189.
caluitium in Luctu. 7.46.col.213.
fœminarum Luctus. 7.51.col.214.
in Luctu caput obnubitur. 14.7.col.341.
habitus Lugentium. 41.7.col.817.
barba in Luctu raditur,& corpus inciditur. ibid.
Gentiles in Luctu corpus ſauciabant. 41.8.col. 818.
ſerpentis Luctus. 46.50.col.878.
quomodo, familiaris vox in admiratione,& Luctu. 48.37.col.910.
nox opportuna Lugentibus. Thren. 1.13. col. 1049.
ſeruis Lugere coram ſeuero domino non permiſſum. Thren.1.14.col.1050.
Luctus cur dicatur ſordes. Thren.1.16.col.1050.
Lacrymæ non facilè ſimulantur, ſicut Luctus. Thren.1.15.col.ead.
Lugere dicuntur, quæ deſerta & inornata ſunt. Thren.1.24.col.1053.
caput in Luctu cinere conſpergitur. Thren.2.37. col.1095.
in Luctu fœminæ terram capillis verrunt. Thre. 2.39.col.1096.
Lugeo.
Lugeo,idem quod pereo. 2.38.col.64.
Lugeo aliquid triſte ſonat in quacunque materia. 14.4.col.340.
habitus Lugentium. 41.7.col.817.
nox opportuna Lugentibus. Thren.1.13. col. 1049.
Lugere dicuntur quæ deſerta,aut inornata ſunt. Thren.1.24.col.1053.
Lumbus.
accingere Lumbos,quid. 1.56.col.36.
Lumbare.
mLubare quid? 13.2.col.318.
Lumbare reuera adductum ad Euphratem. 13.9. col.320.
Luna.
Luna cur Regina. 7.27.col.208.
aſtra,maximè Sol,& Luna pro diis habita. 10.2. col.263.
Lupus.
Lupus veſpertinus. 5.10.col.157.
Lupa.

Lupa.
meretrix cur dicta Lupa. 2.107.col.87.
Luxurioſus.
Luxurioſus fœtens,& putris. 3.11.col.100.
Luxus.
Luxu molleſcunt animi. 46.47.col.877.
M
Macies.
MAcies exaggerata. Thren.5.16.col.1184.
Madianitæ.
Madianitæ rei paſtoritiæ vacant. 35.6.col.750.
Malitia.
animus in Malitia obſtinatus. 6.12.col.180.
Malleus.
verbum Diuinum Malleo ſimile,& igni.23.50.col. 522.
Malum.
Malorum ſucceſſio. 4.41.col.139.
Mando.
Mando, & præcipio,verba militaria.15.14.col.357. & Thren.1.84.col.1072.
Manè.
Manè conſurgere. 7.21.col.206.
Manſuetudo.
Chriſti Manſuetudo. 11.20.col.288.
Manus.
Manus ſuper caput. 2.113.col.88.
Manus Dei idem quod prophetia. 15.57.col.368.
in Manu ſcribuntur,quæ amantur. 17.37.col.408.
dare Man⁹ quid.50.34.col.975.& Thr.5.9.col.1182.
Manuum expanſio victum ſignificat, & ſupplicem, & dolentem. Thren.1.82.col.1071.
Manus expanſa auxilium implorat, aut dolorem oſtendit. Thren.1.83.col.1072.
Manus in oratione leuantur.Thren.2.74.col.1141. & Thren.3.74.col.1141.
Mare.
Curruum Pharaonis adhuc in mari rubro veſtigia. 32.33.col.713.
plenitudo terræ,aut Maris quid. 47.6.col.885.
Mare, pro re magna. Thren.2.50.col.1099.
Mare, pro re maximè horribili.Thre.2.51.col.ead.
B. Maria virgo.
pater virginis Mariæ vocatus Heli, Heliacim, & Ioacim. 1.10.col.18.
Maſpha.
Maſpha vbi ſita. 40.11.col.811.
Maturitas.
Maturitas grata. 31.11.col.657.
Medi.
Medi,& Perſæ domiti à Nabuchodonoſor. 25.49. col.564.
Medium.
Medium, ſæpe redundat. 9.10.col.246.
Medium præpoſitioni nihil addit. 12.41.col.310. & 41.13.col.820.
Melchon.
Moloch,& Melchon regem ſonant. 8.35.col.234.
Mens.
per ſomniũ Mens illuſtratur verbis.23.43.col.520.
per ſomnium Mens illuſtratur ſignis.23.44.col.ead.
Menſtruum.
Menſtruorum abominatio. 2.81.col.78.
Menſtruatus.
Menſtruata ſedere ſolita. Thren.1.5.col.1046.
Mercator.
Arabes,latrones,& Mercatores. 3.10.col.99.
Meretrix.
cantus Meretricis. 2.78.col.77.
Meretrix cur dicta lupa. 2.107.col.87.
non libidinatur in aperto. ibid.col.ead.
Meretrix in via. 3.9.col.99.
Meridies.
Meridies, pro felicitate. 6.7.col.178.
Meritum.
Merita in precando proponi ſolita. 2.109.col.88.
Merodach.
Merodach quis? 50.9.col.965.
Meſſis.
Meſſis,ſeu æſtas, pro anno. 8.37.col.234.
Miles.
ſanctificati Milites. 6.6.col.178.
latro Militis nomen,& latrunculus. 18.36.col.431.
Minæ.
diuinæ Minæ ſpiritus deprimunt inſolentes. 13.15. col.322.
Dei Minæ non ſinunt quietum eſſe animum. 15. 60.col.369.
Miſer.
mortem optant Miſeri. 32.5.col.703.
Miſericordia.
Dei Miſericordia. 32.30.col.712.
ætas infirma Miſericordiam mouet. Thren.1.32. col.1056.
infantibus debita Miſericordia. Thr.2.74.col.1140.
inexhauſta Dei Miſericordia.Thren.3.39. col.1131.
Deus magis ad Miſerendum,quàm ad puniendum pronus. Thren.3.59.col.1137.
Moabitæ.
Moabitæ reſtituti poſt ſeptuaginta annos. 25.19. col.554.
Modeſtia.
Modeſtè agendum cum Deo. 12.2.col.297.
qua Modeſtia iuſti de Deo querantur.12.4.col.ead.
Mœror.
ſenectutem adducit labor,& Mœror. Thren. 3.8. col.1123.
Mola.
ad Molam cantus in nuptiis. 25.16.col.553.
Molo.
Molo,verbum obſcœnum. Thren.5.22.col.1186.
Moloch.
Moloch,& Melchon regem ſonant. 8.35.col.234.
Mons.
Montes commoueri. 4.49.col.142.
Montes caliginoſi qui. 13.19.col.323.
Morbus.
peccata Morbus. 10.32.col.273.
Mors.
vmbra, ſeu imago Mortis quid? 2.19.col.58. & 13.25.col.326.
pœnitẽtia in Morte periculis plena. 13.24.col.325.
Mors ſomnus quidam eſt. 13.25.col.326.
peſtis, pro Morte. 15.11.col.357.
Mors repentina. 15.34.col.363.
exilium,Mors quædam eſt. 31.32.col.665.
Mortem optant miſeri. 32.5.col.703.
præparatio ad Mortem, morte iam inſtante, videtur ſuſpecta. 46.29.col.872.
Mors peccatoris. 51.18.col.1005.
de Morte Sedeciæ ex pudore, fabuloſa hiſtoria. 52.11.col.1029.
alia ſententia de Morte Sedeciæ. 52.12.col.1030.
Ieremiæ Mors. P.6.11.col.7.
breue, ac repentinum Mortis genus felix à quibuſdam exiſtimatum. Thren.4.17.col.1163.
Moyſes.
tabernaculum Moyſis in templo Salomonis.7.19. col.206.
Moyſis & Samuelis cur oratio potentior. 15.2. col.353.
Multus.
Multus, ſicut omnis,epitaſim habet. Thren.1.22. col.1053.
Mundus.
è Mundo nihil niſi noxium, & vile. 2.43.col.66.
Munus.
laus, pro Munere. 7.23.col.207.
ſcribarum Munus. 8.13.col.228.

Murus.
Murus ciuitatum, vir Apoſtolicus. 1.63.col.38.
Murus Babylonicus quantus. 51.73.col.1021.
Muri Babylonici portæ. 51.74.col.ead.
Muſica.
Muſica mœroris leuamentum. Pſal.9.col.1197.
Muſica inſtrumenta adhibentur in funeribus. 48.60. col.916.
varia pro variis animorum affectibus. ibid.col.917.
Myrica.
Myrica quid? 17.18.col.403.
ſicut Myrica. 17.20.col.404.
Myrrha.
Chriſto cur datum Myrrharum vinum. 25.30.col.558.

N

Nabò.
NAbò vnde dicta. 48.2.col.900.
Nabuchodonoſor.
Nabuchodonoſor à Deo gentes obtinuit,& regna. 27.9.col.592.
Nabuchodonoſor varias ſubiecit nationes. 44.27.col.852.
Nabuchodonoſor multas nationes ſubegit quinto anno poſt Hieroſolymam exciſam.47.4.col.885.
de exhumato Nabuchodonoſor, Hebræorum fabula. 52.10.col.1029.
Natio.
Nationes aliæ præter Iudæos circumcidi ſolitæ. 9.35.col.254.
Nationes Iudæis vicinæ nõ circũciſæ.9.36.col.ead.
vicinæ Nationes contra Ieruſalem. 12.20.col.302.
Iudæi ad omnes Nationes abiêre profugi. 12.38. col.309.
aliæ Nationes captæ cum Iudæis,& cum eis etiam reſtitutæ. 12.39.col.ead.
Nationes aliæ cum Iudæis poſt ſeptuaginta annos in patrias reſtitutæ. 25.18.col.554.
quomodo Nationes dicantur non ſurrectutæ,cùm aliquando ſurrexerint. 25.57.col.566.
Nabuchodonoſor varias ſubiecit Nationes. 44.27. col. 852.
Nabuchodonoſor Nationes multas ſubegit quinto anno poſt Hieroſolymam exciſam. 47.4.col.885.
Natura.
labilis humana Natura. 18.1.col.421.
Nazaræi.
Nazaræorum ſpecies,& honor. Thren.4.18. col.1163.
Neruus.
Neruus quid? 20.4.col.448.
Neſcio.
Neſcio,idem quod alienum puto. 19.7.col.439.
Niger.
Niger,ſeu Æthiops de improbis. 38.5.col.790.
Nitrum.
Nitrum quid? 2.69.col.74.
Nomen.
Nomen iteratũ tranſcriptorem decipit.1.14.col.19.
ab vxore ſeruile Nomen alienum. 2.60.col.71.
Diuini Nominis obſeruantia. 5.31.col.164.
Nomen Dei in alicuius Nomine reperiri,ſingulare munus eſt. 22.41.col.494.
Nomen illuſtre Societatis Ieſu. ibidem.
tale alicui dicitur futurum Nomen, qualis conditio,aut merita. 23.15.col.512.
duo eiuſdem ſignificati Nomina epitaſim habent. 25.86.col.576.
numero plurali Nomen, aut verbum additur ſingulare. 28.12.col.601.
Hebræis familiare,Nomina cognata verbis addere. 30.4.col.631.
parentis Nomen latè patet. 31.80.col.681.
Sedecias ſuo ſe Nomine condemnat. 39.6.col.802.
in Nominibus futuri euentus portenduntur. 46.40.col.875.
ex Nominibus compoſitis altera tantùm pars interdum conuertitur. 46.54.col.879.
Nomina compoſita non eodem ab omnibus modo conuertuntur. 46.55.col.ead.
ſignificatio interdum magis ſpectatur, quàm Nominis proprietas. 49.55.col.947.
cùm Nomen in plurali præceſſit, adiectiuum, aut verbum in ſingulari ponitur. 49.56.col.ead.
ſuperiores, & domini Nomina ſubditorum mutare ſoliti. 1.8.col.17.
Nomen Dei ex quibuſdam Nominibus ſublatum. 1.9.col.18.
commune Nomen veſtimento, & parti veſtitæ. Thren.1.48.col.1061.
Non.
Non ipſe, idem quod non eſt. 31.38.col.667.
Non eſſe, idem quod perire. ibidem.
Nouale.
Nouale quid? 4.11.col.129.
Nouum.
Nouum, idem quod poſterius. 26.5.col.579.
Nox.
Nox opportuna lugentibus. Thren.1.13.col.1049.
Noctis vigiliæ. Thren.2.70.col.1105.
Nuditas.
grauis ſeruilis conditionis ignominia à Nuditate. 13.36.col.330.
Nugator.
quantum noceat Nugatorũ cœtus. 15.72.col.373.
Numen.
Numinis natura à ſublunarib⁹ aliena.10.17.col.268.
ſtultus, qui in ligno Numen eſſe putat. 10.25.col.271.
Numerus.
Numeri exigui ratio in Scriptura haberi nõ ſolet. 1.5.col.15.& 20.36.col.458.
pluralis Numerus pro ſingulari quando ponitur. 2.40.col.65.
ternarius Numerus cum epitaſi. 7.3.col.201.
ſeptenarius Numerus multitudinem ſignificat.15.33.col.362.
exigui temporis aut Numeri haberi ratio non ſolet. 20.36.col.458.
Numero plurali nomen, aut verbum additur ſingulare. 28.12.col.601.
cùm è magno Numero pauci relicti ſunt, omnes dicuntur periiſſe. 44.2.col.843.
paruuli dicuntur exercitus quicunque Numero, aut potentia ſint ſine Deo. 49.49.col.946.
Nuncius.
horror ex duro Nuncio. 23.17.col.513.
Nuptiæ.
ad molam cantus in Nuptiis. 25.16.col.553.

O

Obedientia.
OBedientia audaces ſpiritus addit viro Apoſtolico. 17.44.col.411.
Obedientiæ mira commendatio. 24.13.col.537.
mira Obedientiæ compenſatio. 31.55.col.673.
Ieremiæ Obedientia. 32.15.col.706.
Obedientiæ vis. ibid.col.707.
Obedientiæ violatæ pœna. 35.9.col.761.
Obliuiſcor.
Obliuiſcor, magnam rerum mutationem indicat. 50.19.col.969. & Thren.3.32.col.1112.
Oblitus quis dicatur? Pſal.20.1200.
Obſequium.
Obſequij ardentiſſimi ſignum. 7.26.col.208.
Obſeruantia.
timor pro Obſeruantia,& cultu. 10.3.col.264.
Obſtinatio.
Obſtinati animi vox. 2.96.col.83.& 17.43.col.411.

Obſti

Obſtinati animi periculum. 6.54.col.191.
Obſtinatus cum Deo certat. 8.7.col.226.
Obſtinatus ad peccandum præceps. 8.8.col.227.
deſperatio ex Obſtinatione. 8.24.col.231.
Obſtinati animi ſupplicium. 13.40.col.331.
peccatoris imprudens Obſtinatio. 15.22.col.359.
Obſtinati mors mala. 19.3.col.438.
graues minæ contra Obſtinatum animum. 44.22. col. 850.
Obſtinationis horribile ſuppliciũ. 51.18.col.1005.

Occaſio.

Occaſio peccatorum fugienda. 51.9.col.1002.
Occaſio præcidenda. Pſal.18.col.1199.

Oculus.

Oculos alicuius videre. 32.3.col.702.
Dei Oculi non otioſi. Thren. 1.54.col.1062.
peccata ſemper ante Oculos Dei. Thren.1.73.col. 1069.
per Oculos multa mala in animam irrumpunt. Thren.3.90.col.1194.
vexatio aperit Oculos. Thren.1.37.col.1057.

Odium.

ſerpentis Odium. 46.51.col.879.

Oeſtrum.

Oeſtrum quid? 46.45.col.877.

Olim.

Olim vnde dictum. 31.6.col.656.

Oliua.

Oliua, pro re pulchra. 11.15.col.287.

Olla.

Olla, pro cruciatu. 1.43.col.30.

Omne.

Omne, & ſimilia cum epitaſi. 1.49.col.33.
Omnes pro multis. 31.105.col.689.

Onager.

Onager quid? 2.76.col.76.
Onagri ſitis. 14.9.col.341.

Onus.

Onus, ambiguã vox. 23.59.col.526.
quomodo nõ Onus verbũ Domini. 23.62.col.526.

Opes.

ornamenta pretioſa, & Opes cum mortuis inferri ſolita. 8.2.col.225.

Ophaz.

Ophaz quid? 10.10.col.266.

Opportunitas.

aues quædam temporum Opportunitatem agnoſcunt. 8.10.col.227.

Optimates.

Optimates longè quàm plebei peiores.5.8.col.156.

Oratio.

laus pro Oratione. 7.23.col.207.
Oratio iuſti potentiſſima. 7.24.col.ead.
Orationem impedire grauis offenſionis eſt. 14.16. col.343.
Moyſis, & Samuelis cur Oratio potentior. 15.2. col.353.
inimicorum venia maxima ad Orationem diſpoſitio. 15.3.col.ead.
Oratio illi inutilis,qui de corrigenda vita non laborat. 15.6.col.354.
Sancti & defuncti Orant. 15.8.col.356.
Oratio magis quàm arma potens. 21.6.col.466.
Orari vult Deus etiam ad ea quæ promiſit. 29.13. col.617.
Orari ſe Deus vult etiam ad ea quæ vltrò conceſſurus eſt. 33.3.col.726.
Orantis habitus,& ſtatus. Thren.2.68.col.1104.
laus cum Oratione coniungitur.Thr.2.68.col.ead.
extrema miſeria, ſi quis Orare non permittitur. Thren.3.15.col.1125.
Orantes in faciem procidunt. Thre.3.33.col.1135.
manus in Oratione leuari ſolitæ. Thren.2.71.col. 1105. & Thren.3.74.col.1141.
Orationis impedimenta. Thren.3.80.col.1142.
Oratio humilis,potens. ibidem.
in fluuiorum ripa aptus Orationi locus. Pſalm.4. col.1194.

Orientalis.

Orientalium longa lacinia. 1.56.col.36.

Origenes.

Origenes peccati memor concionem intermittit. 23.54.col.524.

Ornamentum.

Ornamenta pretioſa,& opes cum mortuis inferri ſolita. [illegible]col.225.

Os.

Prophetæ, Os Domini. Thren.1.87.col.1072.

Os.

Oſſa Regum effoſſa. 8.1.col.223.
cur Oſſa de ſepulturis effoſſa. 8.2.col.224.
Dauidis Oſſa non videntur exhumata. 8.3. & 4. col.225.226.

Otium.

ſaturitas,& Otium alunt libidinem. 5.16.col.159.
quæ Otioſa ſunt, ac inutilia, cenſentur ac ſi non eſſent. 5.30.col.163.& 9.31.col.253.
Otioſus nemo in amantis domo. 7.26.col.208.

P

Pacificus.

PAcifici dicuntur familiares, & domeſtici, ſeu viri pacis. 38.24.col.796.

Palæſtina.

in Palæſtina non faſtigiata,ſed plana tecta. 19.13. col.440.& 32.36.col.714.
ficus in Palæſtina frequens. 24.1.col.533.
Palæſtini à Cappadocum genere. 47.10.col.886.
Palæſtina campeſtris. 47.14.col.887.
latrones in Palæſtina rari. 48.47.col.913.

Palus.

Palus, pro materia paluſtri. 51.43.col.1013.

Panis.

Panis in deorum ſimilitudinem formatus. 44.17. col.848.
Panis cur dicatur frangi. Thren.4.8.col.1159.
Panis quæ forma. Thren.4.8.col.1160.
Panis quadra quid? ibidem.

Paſtor.

quàm pernicioſa Paſtorum incuria. 10.33.col.273.
Paſtor, pro duce. 12.28.col.306. & 17.53. col.414. & 49.48. col.945.
Chriſtus qualis Paſtor, & rector. 23.13.col.511.

Pater.

quomodo Parentum peccata, vel merita in filios deriuentur. 15.17.col.358.
quomodo Parentũ peccata filij luant. 2.28.col.60.
Pater filiam virginem cuſtodit. 3.18.col.102.
Deus homini pro Patre. 31.21.col.661.
diuturna vita his,qui Patri obediũt.35.52.col.761.
Euilmerodach in vincula à Patre coniectus. 52.9. col.1028.
Pater Virginis Mariæ vocatus Heli, Heliacim, & Ioacim.1.10.col.18.
Parentis nomen latè patet. 31.80.col.681.

Patibulum.

Patibulum, familiare Chaldæorum ſupplicium. Thren.5.18.col.1185.

Patientia.

Dei admirabilis Patientia. 3.22.col.103.& 6.37. col.187. & 44.21.col.850.
Patiẽtia,idem quod dilatio,& mora. 15.51.col.367.
Patientiam dat Dominus laboranti. 29.11.col.616.

Paulus.

Paulus malè formabat literas. 36.5.col.770.

Paupertas.

Paupertas, pro qualibet afflictione. Thren.3.4.col. 1122.

Pax.

pro communi Pace,& Regum vita orandum. 29. 7.col.615.

Peccator.

Peccatorum ſupplicium. 2.35.col.63. & 8.25.col. 231. & 44.8.col.845.
duo in Peccatore,auerſio,& cōuerſio. 2.41.col.65.
Peccator ſua culpa perit. 2.46.col.66.
indocilis Peccator. 2.92.col.82.
excuſatio Peccatorum vana. 2.100.col.84.
peſſimus Peccatorum ſtatus, cùm pudorem abiiciunt. 3.13.col.100.
Peccatorum amaritudo. 4.36.col.138.
Deus quo ſeruat modum in Peccatoris conuerſione. 5.3.col.155.
Peccatoris duritíes. 5.4.col.ead.
Peccator inuerecundus. 6.36.col.187.
Peccator à Deo derelictus. 6.55.col.192.
Peccator, ſcopus iræ Dei. 7.54.col.215.
bellua minùs ſtupida,quàm Peccator. 8.9.col.227.
Peccatoris ſtupor. 8.10.col.ead.
iuſtum Peccatoris ſupplicium. 8.25.col.231.
longè à Peccatore riſus. 8.33.col.233.
Peccatores grauiter cadunt, quia Deo ſua peccata occulta putant. 12.11.col.299.
Dei ſingularis humanitas in Peccatorem. 15.22. col.359.
Peccatoris impudens obſtinatio. ibidem.
Dei grauis in Peccatorem offenſio. 15.23.col.360.
grauiori afficitur ſupplicio,qui cum maiori cognitione Peccat. 17.51.col.413.
viæ Peccatorum difficiles. 18.23.col.427.
iuſtus Peccatoribus inuiſus. 18.29.col.429.
Peccator ſtultus. 29.24.col.620.
Peccatoris deſidia. 31.61.col.675.
Peccatorum ſpes excitatur. 32.42.col.716.
ſicut Peccator in actione,aut re non bona typus eſt rei ſanctæ; ſic Sanctus,in actione etiam ſancta, typus eſſe poteſt rei malæ. 38.10.col.792.
Peccatoris ſtatus miſerrimus. 38.11.col.793.
pœnitentia Peccatori neceſſaria. ibidem.
qui ſemel Peccat,magnum parit aditum ad maiora peccata. 44.11.col.846.
Peccator humana magis curat, quàm Diuina. 44. 13.col.847.
Peccatoris quando deſperata ſalus. 51.18.col.1005.
mors Peccatoris. ibidem.
effigies Peccatoris. Thren.1.75.col.1069.
Peccator, os Domini dulce,amarum reddit. Thre. 1.88.col.1073.
Peccatores Deus inimicorum armis vexat. Thren. 1.94.col.1074.
Deus in Peccatorem quaſi vrſus, & leo. Thren.3. 16.col.1125.
Peccatori exultare non licet. Pſal.17.col.1199.

Peccatum.

quomodo parentū Peccata filij luant. 2.28.col.60.
Peccata quàm eluantur difficile. 2.68.col.741.
Peccata fruſtra ſimulatione celantur. 2.73.col.75.
pœnitentia Peccata lauat. 2.72.col.ead.
excuſatio Peccatorum vana. 2.100.col.84.
Peccata publica ciuitatem polluunt. 3.12.col.100.
publicū Peccatū publicę calamitatis cauſa.ibidem.
Peccati damna. 4.35.col.137.
dolor ex Peccato. 4.37.col.138.
res vna præclarè geſta multa Peccata obterit. 5.13. col.158.
digna Peccatis retributio. 6.14.col.180.
graue Peccatum,quod ex veniæ facilitate committitur. 7.12.col.204.
ſupplicium Peccato reſpondens. 8.26.col.231.
Peccata,morbus. 10.32.col.273.
quomodo parentum merita, vel Peccata in filios deriuentur. 15.17.col.358.
Peccatū,& iniquitas,pro ſupplicio. 16.28.col.387.
Peccata in corde ſcripta. 17.3.col.398.
ſupplicium Peccatorum æternum. 17.4.col.399.
idolum Peccatum dicitur,& delictum.17.6.col.ead.
verus de Peccatis dolor. 20.26.col.456.
in templo varia Peccata. 23.23.col.515.
ſtultitia pro Peccato. 29.24.col.620.
afflictio à Deo, vt Peccatum cognoſcatur. 30.18. col.635.
propter Peccatum, ſterilitas terræ. 31.29.col.665.
quale futurum Peccatorum examen.31.56.col.673.
Peccati pœna. 31.57.col.674.
quomodo Iudæi propter Peccata dicantur non abiecti. 31.121.col.694.
qui ſemel peccat, magnum parat aditum ad Peccata maiora. 44.11.col.846.
Peccatū in loco, aut perſona ſacra multò grauius. 48.33.col.909.
iniquitas,& Peccatum, pro peccati pœna. 50.42. col.977.
occaſio Peccatorum fugienda. 51.9.col.1002.
Peccatorum menſurā ſpectat Deus.51.25.col.1008.
Deus notat minima quæque Peccatorum incrementa. 51.27.col.ead.
ſi quid aduerſum accidat, Peccatis adſcribendum. Thren.1.42.col.1059.
Peccata ſemper ante oculos Dei.Thr.1.73.col.1069.
Peccatorum menſura. ibidem.
Peccata ſicut funes homines trahunt ad gehennā. Thren.1.74.col.1069.
graue Peccatorum pondus. Thren.3.49.col.1134.
ſtultus,qui in Peccatis lætos ducit dies. Thren.5. 27.col.1187.
Peccatis in principio reſiſtendum. Pſ.35.col.1205.
Origenes Peccati memor concionem intermittit. 23.54.col.524.

Pectus.

Diuini verbi vis in Pectore Apoſtolico. 20. 13. col.452.

Perdix.

Perdicis natura. 17.31.col.406.

Periculum.

tepidi Periculum. 4.12.col.130.
recidiui Periculum. 15.24.col.360.
in alieno Periculo diſcendum. 44.5.col.844.
quantū à mala vicinitate Periculū. 48.26.col.906.

Perire.

Perire, pro abeſſe. 18.31.col.430.

Periurus.

Periurus,aut violator voti nomen Dei polluit. 34. 23.col.751.

Perſæ.

Medi,& Perſæ domiti à Nabuchodonoſor. 25.49. col.564.
Perſæ,cùm caperetur Babylon,Iudæis pepercerūt. 51.67.col.1019.
Perſæ in Babylonios crudeles. Pſal.34.col.1203.

Perturbatio.

ebrietas prò Perturbatione, & tremore. 23. 17. col.513.
Perturbatio conſilium adimit. 46.29.col.879.

Pes.

Pes,aliquid obſcœnum. 2.83.col.79.
Pedes illori fortunam miſeram ſignificant. Thren. 1.46.col.1060.
Pedes, pro obſcœnis. Thren.1.47.col.1061.
Pes, pro calceo. Thren.1.48.col.ead.

Peſtis.

Peſtis, pro morte. 15.11.col.357.

Pharan.

deſertum Pharan à nemine habitatū. 2.20.col.58.
aliqua pars deſerti habitata. 2.21.col.ead.

Pharao.

curruum Pharaonis adhuc in mari rubro veſtigia. 32.33.col.713.
bellum Pharaonis contra Chaldæos. 46.1.col.863.

Pharao victus à Chaldæis. 46.8.col.865.
Pharao quoties ingreſſus Syriam. 47.1.col.883.
Phaſſur.
Phaſſur duplex. 21.2.col.465.
Phocenſes.
Phocenſium execratio. 51.82.col.1024.
Planctus.
Planctus in directum. 7.49.col.214.
Planctus ſolennis in Iudæorum funere. 22.26.col. 489.
Plenitudo.
Plenitudo terræ,aut maris quid? 47.6.col.885.
Pluuia.
verbum Diuinum ſimile rori ac Pluuiæ. 23.51.col. 523.
Pœnitentia.
Pœnitentia peccata lauat. 2.72.col.75.
Pœnitentia nos Deo conciliat. 3.33.col.107.
vera Pœnitentia. 3.35.col.108. & 56. col.114.& 4.10.col.129.
verus Pœnitens neque ſomnum habet liberum à dolore. 3.63.col.117.
Pœnitentia curſum mutat. 8.6.col.226.
Pœnitentiam volucres docent. 8.11.col.228.
Pœnitentia dat gloriam Deo. 13.16.col.322.
Pœnitentia in morte periculis plena.13.24.col.325.
Pœnitentia noſtra incipit à Deo. 31.43.col.669.
Dei in Pœnitentem affectus tener. 31.52.col.672.
Pœnitentis vis admirabilis. 31.53.col.ead.
Pœnitentia pecca[illegible] neceſſaria. 38.11.col.793.
Pœnitentis officium. Thren.2.73.col.1140.
Pœnitentia qualis. Pſal.12.col.1198.
Pontifex.
ſacerdotibus aliis aliqua iudicia permiſſa à ſummo Pontifice. 29.27.col.621.
Populus.
magno in pretio habitus à Deo Populus Iſraël, & quaſi ſanctus. 2.12.col.56.
Populus terræ quid. 34.30.col.754.
Chaldæorum ruina multis Populis ſaluti fuit. 50. 3.col.964.
Porta.
Porta, pro arce. 1.52.col.34.
terræ Portæ quæ? 15.27.col.361.
Porta fictilis quæ? 19.4.col.438.
muri Babylonici Portæ. 51.74.col.1021.
Portæ publici conuentus. Thren.1.26.col.1054.
Portæ, ciuitatis arces. ibid.col.ead.
Potentia.
Diuinæ Potentiæ argumentum. 10.20.col.269.
ſine Deo futilis omnis Potentia. 49.48.col.945.
Paruuli dicuntur exercitus quicunque Potentia, aut numero ſunt,ſine Deo. 49.49.col.946.
Præ.
Præ, & *ex*, comparationi ſeruiunt. 49.37.col.942.
Præceptum.
quãdo Præcepta tradita de victimis. 7.36.col.210.
Præcepta de victimis poſteriora præceptis Decalogi. 7.39.col.212.
Præcipio.
mando,& *Præcipio*,verba militaria. 15.14.col.357. & 47.18.col.888.
Præparo.
Præparo,idem quod firmo. 10.16.col.268.
Præda.
qui à Domino deſeritur, Prædæ,atque iniuriæ patet. 5.19.col.160.
Prædicator, vide, *Concionator*.
Præfica.
Præficæ,& lamentatrices. 7.52.col.215.
Præficæ apud Hebræos. 9.21.col.249.

viri ad lamentandum conducti. 9.22.col.ead.
Præſidium.
omne Præſidium infirmum offenſo Deo. 9.30.col. 253.
à Deo omne Præſidium. 9.31.col.ead.
Præparatio.
Præparatio ad mortem, morte iam inſtante,videtur ſuſpecta. 46.29.col.872.
Precatio.
obteſtatio ſimul cũ Precatione.Thr.1.61.col.1065.
Preces.
bonorum Preces cur aliquando non exorant.15.1. col.355.
cadere Preces, ſeu proſterni quid? 36.10.col.772.
Preces proſterni cur dicantur.Thre.3.53.col.1135.
Primitiæ.
Primitiæ frugum gratiſſimæ, & Deo conſecratæ. 2.13.col.56.
Princeps.
ſacerdotum, & Principum pernicioſum exemplũ. 23.22.col.514.
Principum miſera conditio. 38.20.col.795.
hirci, pro Principibus & moderatoribus. 50. 22. col.970.
Pro.
Pro, idem quod *propter*. Thren.2.71.col.1140.
Promiſſio.
terra Promiſſionis quomodo propter peccata abominabilis. 2.25.col.59.
Dei fidelis Promiſſio. 21.7.col.466.
Propheta.
ſecuritas à Propheta falſo. 6.31.col.185.
Propheta,qui laudat Deum. 14.22.col.344.
Prophetæ aliquibus inſani vocati. 29.29.col.622.
ſigna Prophetica. 32.9.col.704.
Prophetæ,os Domini. Thren.1 87.col.1072.
Propheta, cui promiſſum eſt verbum, quod omni ex parte vorari poteſt,bonum. 33.20.col.732.
Prophetia.
ante annum quartum Ioacim nullam Prophetiam ſcriptis mandarat Ieremias. 36.1. col.769.
Prophetia per ſigna. 43.11.col.833.
Prouincia.
inſulæ dicuntur Prouinciæ remotæ, licèt in mari non ſint. 25.45.col.563.
Prouidentia.
error multorum de Diuina Prouidentia. Thren.3. 69.col.1139.
ſingularis Dei Prouidentia,& amor. 2.10.col.55. & 5.33.col.164.
Prouincia.
caput Prouinciæ, pro tota prouincia.44.1.col.843.
Prouinciæ multæ Hieroſolymæ vectigales. Thren. 1.9.col.1048.
Pſalmus.
Pſalmus 117. in gratiarum actionibus cantari ſolitus. 33.15.col.730.
tituli Pſalmis non omnes à Dauide præfixi. Pſal. 2.col.1193.
Pudor.
peſſimus peccatorum ſtatus, cùm Pudorem abiiciunt. 3.13.col.100.
Puteus.
Puteo,qui carcer eſt, ſaxum opponi ſolitum ad os. Thren.3.97.col.1146.

Q

Quia.
QVia, ſæpe redundat.4.35.col.137.& Thren.4. 42.col.1170.

Quia, ex effectu cauſam probat. 4.36.col.137.
Quia, aduerſatiua particula. 48.71.col.921.

Quies.

ſilentium, Quies, & ſtupor. 8.22.col.230.

Quomodo.

Quomodo, familiaris vox in admiratione, & luctu. 48.37.col.910.
Quomodo, vox apta admirationi. Thren.1.3. col. 1046.

R

Rabbini.

fabula Rabbinorum de Sedecia. 39.3.col.801.

Rachel.

Rachel ſumitur pro Tribu Iuda, & Benjamin, atque Ephraim. 31.33.col.665.

Racemus.

vſque ad Racemum. 6.20.col.182.

Ramach.

Ramach quid? 31.34.col.665.

Rechabitæ.

Rechabitarum inſtitutum. 35.2.col.757.
Rechabitarum genus. 35.4.col.758.
quis Rechabitici generis autor. 35.7.col.759.
Rechabitarum ſeuerum vitæ genus. 35.8.col.760.
Rechabitæ quomodo in templo miniſtrauerint. 35.16.col.763.
Rechabitæ videntur fuiſſe cantores. 35.17.col.764.

Recordor.

Recordor, fauorem & gratiam ſonat. 2.5.col.54.
item aliquid aliud altè in mente defixum. ibid.
Recordor, pro memoriæ affectu. 44.19.col.849.

Recidiuus.

Recidiui periculum. 15.24.col.360.

Regina.

luna cur Regina. 7.27.col.208.

Regnum.

Chriſti Regnum æternum. 33.26.col.734.

Regio.

Regiones vicinæ à Iudæis ſuperatæ. 12.42.col.310.
Regio, idem quod pars. 44.6.col.846.

Regulus.

Reguli natura. 8.31.col.232.

Relatiuum.

Relatiuum ſæpe ſine antecedenti. 4.25.col.134.
Relatiuum ſæpe ſubauditur. 28.4.col.598.

Religio.

iuramenti Religio. 4.7.col.128. & 5.31.col.164.
ſub tempus Babylonicum nulli ad Iudæorum Religionem adſcripti. 16.33.col.384.
vana Religio. 24.8.col.536.
Religionum prima tempora. 24.6.col.535.
votum in Religioſo loco conceptũ. 34.22.col.751.
ſabbati Religio. Thren.1.36.col.1058.

Religioſus.

Religioſus non redeat ad ſæculi cogitationes. 13.8.col.320.
Religioſi bonum. 17.25.col.405.
quomodo Religioſus vir in ſuo ſtatu langueſcat. 24.7.col.535.
Religioſi mali inuerecundia. 34.22.col.751.
Galaad pro Religioſis clauſtris. 46.17.col.868.
abnegatio Religioſo neceſſaria. ibidem.
Religioſi peccatum grauius. 48.32.col.909.

Reliquus.

Reliquus quis in terra. 24.17.col.538.

Rempham.

Rempham quid. 7.28.col.208.

Renes.

Renes, ideſt, viſcera. Thren.3.22.col.1126.

Renouatio

ſpiritus Renouatio. 4.11.col.130.

Repentè.

Repentè idem quod inopinatum. 18.8.col.422.

Reprobatio.

Reprobationis ſignum. 6.55.col.192.
Reprobationis ſignum eſt, in terra ſcribi. 17.35. & 37.col.408.

Repudium.

Repudij lex. 3.1.col.97.
libellus Repudij. 3.2.col.ead.
vxor Repudiata vilis. 3.4.col.98.
Repudiata quomodo terram contaminat. 3.5.col. eadem.

Requies.

Requies importuna. 45.6.col.855.

Reſina.

Reſina in Galaad. 8.39.col.236.
Reſina quid. 8.40.col.ead.

Reſpondeo.

Reſpondeo, verbum forenſe. 40.16.col.812.

Reſpublica.

iuſtus quàm vtilis Reipublicæ. 5.1.col.153.

Retributio.

digna peccatis Retributio. 6.14.col.180.

Reuertor.

Reuerti aliquid irritum ſonat. 21.8.col.467.
Reuertor conatum ſignificat inutilem. 23.33.col.518.

Rex.

ſol Rex. 7.28.col.208.
oſſa Regum effoſſa. 8.1.col.223.
Moloch, & Melchon Regem ſonant. 8.35.col.234.
Rex appellatur qui delicatus eſt, & lautus. 13.28. col.327.
noui coniuges in epithalamiis vocantur Reges. 13.30.col.328.
tres tantùm habuit Reges imperiũ Babylonicum. 27.10.col.592.
pro communi pace, & Regum vita orandum. 29.7.col.615.
Reges mutuò ſe fratres ſalutant. 34.11.col.746.
Reges Hebræorum ſacrati, & vncti. Thren.2.5. col.1085.

Riſus.

longè à peccatore Riſus. 8.33.col.233.

S

Saba.

à Saba thus nobile. 6.41.col.188.

Sabbatum.

Sabbati religio. Thren.1.39.col.1058.
Iudæi Sabbatarij. Thren.1.40.col.ead.

Sacerdos.

Sacerdos obediens. P.2.3.col.3.
quid proprium Sacerdotum, & doctorum. 2.27. col.60.
principes Sacerdotum multi. 20.2.col.447.
Sacerdotum, & Principum pernicioſum exemplũ. 23.22.col.514.
Sacerdotibus aliis aliqua iudicia permiſſa à ſummo Pontifice. 29.27.col.621.
Sacerdotes in lege veteri defecerunt, ſecus in noua. 33.27.col.734.
Sacerdotes magni habiti. 33.28.col.735.
ætas Sacerdotalis grandior. Thren.4.39.col.1169.

Sacrificium.

Sacrificia immolata ante vitulum conflatum. 7.37.col.211.
quo cõſilio indicta Iudæis Sacrificia. 7.38.col.ead.
Sacrificia extra terram promiſſionis oblata. 7.43. col.213.
quomodo fideles Sacrificia offerãt. 33.28.col.735.

excifo

exciſo templo, in eius ſitu Sacrificari poterat. 41.11.col.819.

Sacramentum.

Sacramenta medicinæ. 8.41.col.236.

Sæculum.

Sæculi ſtatuta pernicioſa. 10.4.col.264.
Sæculi viæ,ſeu ſemitæ. 18.21.col.426.
Sæcularium ſeruitus miſerabilis. Pſ.18.col.1199.

Sagitta.

Sagittæ Deo cur attributæ. Thren.2.10.col.1087.

Sal.

Sale conſperſæ ciuitates. 26.11.col.580.

Salix.

Salix,littoralis arbor. Pſ.10.col.1197.

Salomon.

ante tempus Salomonis tabernaculum non fuit in templo aliquo. 7.18.col.205.
in templo Salomonis tabernaculum Moyſis. 7.19. col.206.

Salus.

Dei voluntas eſt hominum Salus. 15.70.col.372.
in eo,qui Saluti ſtudet animarum, Deus loquitur. 15.71.372.
peccatoris quãdo deſperata Salus. 51.18.col.1005.

Samaria.

Samaria vitibus abundans. 31.10.col.658.

Samuel.

Moyſis,& Samuelis cur oratio potentior. 15. 2. col.353.

Sanguis.

Sanguis multa ſignificat. 2.102.col.85.
Sanguis,pro libidine. 2.106.col.86.
Sanguis contra aliquem. 26.7.col.579.
Sanguis in fœdere ſanciendo. 31.88.col.684.
draco elephantis Sanguinẽ exugit.51.50.col.1015.

Sanctitas.

ſupplicium fucatæ Sanctitatis. 4.14.col.131.
ſi interna abſit Sanctitas, externa Domino non probatur. 7.2.col.201.
externa Sanctitas vana. 7.7.col.203.

Sanctus.

ſacer,ſeu Sanctum,pro execrando. 11.14.col.286.
qui in templo,aut in Sanctorum cœtu viuunt, niſi boni fuerint,peſſimi ſunt. 24.2.col.533.
Deo honorem conciliat vita Sanctorum. 33.12. col.729.
ſicut peccator in re, aut actione non bona typus eſt rei ſanctæ; ſic Sanctus,in actione,etiam ſancta,typus eſſe poteſt rei malæ. 38.10.col.792.
Sanctorum exempla iuuant. 38.12.col.793.
Sanctificantur etiam inanimata. 1.19.col.21.
Sanctis quibuſdam impedita lingua. 1.24.col.23.

Sanctifico.

Sanctifico,idem quod deſtino. 1.18.col.20.
Sanctifico,idem quod immolo,aut ſeparo. 12. 9. col.299.
Sanctificantur etiam inanimata. 1.16.col.21.

Sapiens.

Theman, Sapientum ſchola, aut ſapientum ſedes. 49.16.col.935.

Saturitas.

Saturitas,& otium alunt libidinem. 5.16.col.159.
Saturitas,& ebrietas pro multitudine,& abundantia. Thren.3.56.col.1136.

Scio.

Scire,eſt obedire. 9.31.col.253.

Scutum.

Scuti forma,& vſus. Thren.3.109.col.1148.

Scriba.

Scribarum munus. 8.13.col.228.
Scribarum error. ibidem.

Securitas.

Securitas à Propheta falſo. 6.31.col.185.

Sedeo.

Sedere,mœſtorum eſt. Thren.1.4.col.1046.
menſtruata Sedere ſolita. Thren.1.5.col.ead.

Sedecias.

redierunt ab exilio tam qui cum Sedecia, quàm qui cum Iechonia tranſmigrarũt.29.16.col.618.
Sedecias viuus ignobilis,in morte honoratus.32.4. col.703.
Rabbinorum fabula de Sedecia. 39.3.col.801.
Sedecias ſuo ſe nomine condemnat. 39.6.col.802.
ieiunium à Iudæis inſtitutum pro excæcatione Sedeciæ. 39.7.col.803.
Sedeciæ Regium funus. 52.11.col.1029.
de morte Sedeciæ ex pudore fabuloſa hiſtoria. ibi.
alia ſententia de morte Sedeciæ. 52.12.col.1030.

Segor.

Segor cur vitula conternans. 48.55.col.915.

Sellum.

Sellum dictus Ioacham. 22.10.col.484.
Sellum idem qui Ioacham. 1.7.col.16.

Semen.

quod Semen verum. 2.65.col.73.
Semina aliquando degenerant. 2.67.col.ead.

Semita.

viæ,ſeu Semitæ ſæculi. 18.21.col.426.

Sempiternus.

Sempiterni,iidem qui *antiqui*. Thren.3.12.col.1124.

Sennacherib.

Sennacherib exercitus deletus in Topheth.31.124. col.695.

Senectus.

Senectutem adducit labor,& mœror. Thren.3.8. col.1125.

Senſus.

Senſuum cuſtodia maximè neceſſaria.9.28.col.252.
quæ Senſibus blandiuntur,venenata ſunt. 51.14. col.1004.
Senſus allegoricus hiſtorico nititur.50.31.col.973.

Sepulcrum.

Sepulcrum patens. 5.28.col.162.
Zachariæ Sepulcrum. 8.2.col.225.
cur oſſa de Sepulcris effoſſa. ibid.col.224.
Sepulcra communia, ſeu cœmeteria apud Hebræos. 26.17.col.582.
Sepulcra floribus ornari ſolita. 48.17.col.904.

Sepultura.

Sepultura carere,miſerum. 7.60.col.216.
Sepulturæ honor. 9.29.col.252.

Serpens.

Serpentis luctus. 46.50.col.878.
Serpentis odium. 46.51.col.879.

Seruus.

Seruus dicitur Dei, qui eius conſilio ſeruit, licèt inuitus. 43.13.col.833.
Seruis lugere coram ſeuero domino non permiſſum. Thren.1.14.col.1049.
Seruorum ſerui miſeri. Thren.5,13.col.1183.

Si.

Si,iuramenti nota. 15.39.col.364.
Si,conditionalis ſupplenda. 50.42.col.977.

Siclus.

Siclus duplex. 32.10.col.705.
Sicli character. 32.11.col.ead.

Sidonij.

Tyrij,Idumæi,& Sidonij reſtituti. 25.20.col.555.

Sigillum.

Sigillum hominem repræſentat. 22.37.col.492.

Signum.
ignis Chaldæorum Signum. 4.31.col.136.
obſequij ardentiſſimi Signum. 7.26.col.208.
Signum reprobationis eſt,in terra ſcribi. 17.35.& 37.col.408.
Signis mens illuſtratur per ſomniũ. 23.44.col.520.
Signum Babyloniis, columba. 25.80.col.573. & 46.34.col.873.
Signum,pro re ſignificata. 31.46.col.670.
Signa prophetica. 32.9.col.704.
prophetia per Signa. 43.11.col.833.
Silentium.
Silentium quies,& ſtupor. 8.22.col.230.
Sileo.
Sileo, idem quod *ceſſo*. 47.17.col.888.& 51.10. col.1001.
Silo.
tabernaculum quando in Silo. 7.15.col.205.
Simulatio.
peccata fruſtra Simulatione cælantur. 2.73.col.75.
Sitis.
Sitis,pro libidine. 2.84.col.79.
onagri Sitis. 14.9.col.341.
Societas.
malorum Societas. 9.4.col.244.
Societatis Ieſu nomen illuſtre. 22.41.col.494.
qui in templo, aut in Sanctorum ſocietate viuunt, niſi boni fuerint,peſſimi ſunt. 24.2.col.533.
exempla eorum qui in Sanctorum Societate peſſimi. 24.3.col.534.
Societas malorum fugienda. 51.8.col.1002.
Sol.
Sol,& ignis Chaldæorum Deus. 1.45.col.32.
Sol rex. 7.27.col.208.
Sol,& Luna pro diis habita. 10.2.col.263.
Solemnitas.
Solemnitas cum cantico, & tubis. Thren. 2. 24. col. 1091.
Somnus.
verus pœnitens neque Somnum habet liberum à dolore. 3.63.col.117.
Somnium.
per Sõnium mens illuſtratur verbis.23.43.col.520.
per Somnium mens ſignis illuſtratur. 23.44. col. ead.
Spectaculum.
Spectacula noxia. 9.28.col.252.
Spelunca.
Speluncæ variæ ad Iudæorum perfugia. 12. 33. col.307.
Iudæi in Speluncis abſconditi. 39.9.col.804.
Idumæi in Speluncis habitant. 49.20.col.937.
Spes.
Spes falſa. 6.33.col.186.
Spes Iudæorũ in tẽplo quàm infirma.7.14.col.204.
Spes in homine vana. 17.17.col.403.
Spei,& fiduciæ proprietas. 17.39.col.409.
Spes quietis laborantes recreat. 31.54.col.672.
peccatorum Spes excitatur. 32.42.col.716.
Spes,pro reſperata. Thren. 3.54.col.1136.
Sponſus.
ſponſa in Sponſi familiam cooptatur.3.18.col.102.
Sponſa.
Sponſa in ſponſi familiam cooptatur.3.18.col.ead.
Stater.
Stater quid? 32.10.col.704.
Status.
peſſimus peccatorum Status, cùm pudorem abiiciunt. 3.13.col.100.
Sto.
Stare in conſpectu, idem quod miniſtrare. 35.16. col.763.
Sto quid? 46.4.col.564.
Sterquilinium.
Sterquilinium quid? 16.5.col.381.
Sterilitas.
Sterilitas terræ propter peccata. 31.29.col.663.
Sterilitas ſub conditione promiſſa. 31.30.col.664.
Strages.
aues inauſpicatæ,& feræ in deſcribenda ciuitatum Strage. 4.52.col.143.
Struthio.
Struthio in filios crudelis. Thren.4.6.col.1159.
Stultus.
Stulti ſerò ſapiunt. 23.34.col.518.
Stultorum doctrina,caſtigatio eſt. 31.42.col.669.
Stultus,qui in peccatis lætos ducit dies. Thren.5. 27.col.1187.
Stultitia.
Stultitia pro peccato. 29.24.col.620.
Stupor.
ingrati animi Stupor. 2.18.col.57.
peccatoris Stupor. 8.10.col.227.
ſilentium,quies,& Stupor. 8.22.col.230.
Succiſio.
malorum Succiſio. 4.41.col.139.
Supplicium.
peccatorum Supplicium. 2.35. col. 63. & 8.25. col.231.& 44.8.col.845.
Supplicium fucatæ ſanctitatis. 4.14.col.131.
iniquitas pro Supplicio. 6.15.col.180. 16.18. col.387.
graue Supplicium,à Domino deſeri. 6.17.col.181.
ira,atque indignatio,pro Supplicio. 6.27.col.184.
graue Supplicium,noſtra ab alienis deuorari. 8.17. col.229.
Supplicium peccato reſpondens. 8.26.col.231.
qui plura accepit,maiora debet Supplicia. 11.17. col.287.
Supplicium obſtinati animi. 13.40.col.331.
Supplicium peccatorum æternum. 17.4.col.399.
grauiori afficitur Supplicio, qui cum maiori cognitione peccat. 17.51.col.413.
Supplicium eorum, qui verbum Dei peruertunt. 23.66.col.527.
Supplicium incipit à domeſticis. 25.60.col.566.
ignis,pro quocumque Supplicio. 29.23.col.620.
iuſtum Supplicium auari. 48.43.col.911.
obſtinationis horribile Supplicium. 51. 18. col.1005.
peccatum, & iniquitas pro Supplicio. 16. 18. col. 387.
Dei iugum, aut Supplicium quomodo ferendum vtiliter. Thren.3.47.col.1133.
patibulum, familiare Chaldæorum Supplicium. Thren.5.18.col.1185.
Superbia.
inobedientia ex Superbia. 43.2.col.830.
Superbus.
Superbi pœna. 13.4.col.319.
Super.
Super,idem quod iuxta. Pſ.6.col.196.
Suſtineo.
Suſtineo,idem quod ſpero. 15.51.col.367.
Synagoga.
Synagogæ adoleſcentia. 22.32.col.491.
Syria.
Pharao quoties ingreſſus Syriam. 47.1.col.883.

T

Tabernaculum.

Tabernaculum, pro re momentanea. 2. 16. col.57.4.43:col.140. Thren.2.16.col.1089.
Tabernaculum vbi primùm ſitum. 7.15.col.205.
Tabernaculum quando in Silo. ibidem.
quando è Tabernaculo arca ſublata. 7.16.col.ead.
quem in locum Tabernaculum tranſlatum.ibidem.
Tabernaculum non fuit in templo aliquo ante tempus Salomonis. 7.18.col.ead.
Tabernaculum Moyſis in templo Salomonis.7.19. col.206.

Tabeſco.

Tabeſco quid? 46.29.col.872.

Taceo.

Tacere infelicium eſt. 47.13.col.887.
Taceo, & ſileo,idem quod ceſſo. 51.10.col.1002.

Tahona.

Tahona vnde dicta. Thren.5.22.col.1186.

Taurus.

Taurus,pro forti. 46.31.col.872.

Taxus.

Taxus vim habet veneni. 11.23.col.289.

Tectum.

in Palæſtina non faſtigiata,ſed plana Tecta.19.13. col.440.

Templum.

ſpes Iudæorum in Templo quàm infirma. 7. 14. col.204.
tabernaculum non fuit in Templo aliquo ante tempus Salomonis. 7.18.col.205.
in Templo Salomonis tabernaculum Moyſis.7.19. col.206.
carcer in Templo. 20.7.col.449.
in Templo varia peccata. 23.23.col.515.
qui in Templo,aut in Sanctorum cœtu viuunt,niſi boni fuetint,peſſimi ſunt. 24.2.col.533.
Templi honos apud Iudæos maximus, & in eo fiducia. 26.3.col.577.
Templum,thalamus ſponſæ,& Dei. 31.67.col.677.
Rechabitæ quomodo in Templo miniſtrauerint. 35.17.col.763.
aliqui extra Leuiticū genus in Templo miniſtrarunt? 35.18.col.764.
exciſo Templo,in eius ſitu ſacrificari poterat. 41. 11.col.819.
Iudæi Templi ruinas viſitare ſoliti. 41.12.col.820.
à Templo Gentiles arcebantur. Thren. 1. 56. col.1063.
ſcabellū Dei Templū, & arca. Thren.2.4.col.1084.
Templi Solymitani ſplendor. Thren.4.1.col.1157.

Tempus.

aues quædam Temporum opportunitatem agnoſcunt. 8.10.col.227.
exigui Temporis, aut numeri ratio haberi non ſolet. 20.36.col.458.
ſpatium quodlibet Temporum in tres partes diſtribuitur. 28.2.col.597.
Tempus meſſionis. 51.47.col.1014.

Tempeſtas.

à deſerto,& Auſtro Tempeſtas. 4.22.col.133.
poſt Tempeſtatem tranquillitas à Deo. Thren.3. 57.col.1136.

Tenebræ.

lubricum in Tenebris. 23.24.col.515.
Tenebræ exteriores. 38.4.col.790.

Tepidus.

Tepidi periculum. 4.12.col.130.

Terra.

Terra quando mota. 4.50.col.142.
Terræ portæ quæ? 15.27.col.361.
in Terra ſcribi,eſt reprobationis ſignum. 17.35.& 37.col.408.
fontes,Terræ vbera. 18.13.col.424.
quomodo in Terra nemo dicatur reliquus. 24.17. col.538.
populus Terræ quid? 34.30.col.754.
plenitudo Terræ,aut maris quid? 47.7.col.885.

Terra promiſſionis.

Terra promiſſionis quomodo propter peccata abominabilis. 2.25.col.59.
Terræ promiſſæ laus. 3.52.col.112.
holocauſta,& victimę tantùm in Terra promiſſionis offerenda. 7.40.col.212.
ſacrificia extra Terram promiſſionis oblata. 7.43. col.213.

Teſtamentum.

in Teſtamento veteri labor,& crux grauia. 15.38. col.364.
Teſtamentum idem quod fœdus. 31.90.col.685.
Teſtamentum cur dictum nouum. 31.91.col.ead.
Teſtamentum nouum perfectum. 31.93.col.686.

Terror.

Terror immitti ſolitus à Deo. 49.12.col.934.

Theman.

Theman, ſapientū ſchola,aut ſedes.49.16.col.935.

Theſaurus.

Theſaurus quid? 10.23.col.270.

Threni.

Threnorum artificium. Thren.p.5.col.1033.
Threnorum vtilis lectio. Thren.p.6.col.1034.
Threni elegantiſſimi. Thren.1.1.col.1045.

Thus.

Thus à Saba nobile. 6.41.col.188.

Timor.

à Timore nata deorum multitudo. 10.2.col.264.
Timor,pro obſeruantia,& cultu. 10.3.col.ead.
Timor religionē ſignificat,&Deum.32.44.col.716.
Timor,pro re timenda. Thren.2.82.col.1110.

Tonitru.

Tonitru,vox Dei. 11.17.col.288.

Topheth.

Topheth quid? 7.56.col.216.
Topheth multinominis. 31.124.col.695.
Sēnacherib exercitus deletus in Topheth.ibidem.

Tormentum.

lignum cum foraminibus,Tormenti genus. 20.5. col.448.

Tranquillitas.

poſt tempeſtatem Tranquillitas à Deo. Thren.3. 57.col.1136.

Tribulatio.

Tribulatio quæ vtilis. 5.5.col.155.
fornax Tribulationis. 9.12.col.247.
Tribulatio ab amore. 9.13.col.ead.
à Deo Tribulatio vtilis. 10.35.col.274.
Tribulatio vtilis in hac vita.17.49.col.413. Thren. 3.72.col.1140.
ſtultorum doctrina, Tribulatio eſt. 31.42.col.669.
in Tribulatione quid cogitandum. Thren. 3. 39. col.1131.
aqua,pro Tribulatione. Thren.3.99.col.1147.

Tribus.

quo ſenſu decem Tribus dicantur ab exilio reuerſæ. 3.43.col.110.
Tribus Dan quo loco ſita. 4.30.col.135.
in Tribu Benjamin, & Iuda erat Ieruſalem. 6. 1. col.175.
ex qua Tribu Antichriſtus futurus. 8.30.col.232.
ſingularum Tribuum ſua vexilla. 25.82.col.573.

Tri

Tribui Iudæ inſigne leonis. Ibidem.
cum duabus Tribubus plurimi è decem redierunt. 30.3.col.631.
quomodo decem Tribus ab exilio redierunt. 31.23.col.662.
Rachel ſumitur pro Tribu Iuda, & Benjamin, atque Ephraim. 31.33.col.665.
Tribus, quæ ſubſtiterunt vltra Iordanem primùm abductæ. 49.2.col.931.
decem Tribus quomodo dicantur cum duabus rediiſſe. 50.12.col.967.

Tuba.

Tuba, pro funere. 46.49.col.878.48.60.col.916.
ſolemnitas cum cantico, & Tubis. Thren. 2. 24. col.1091.

Tyrij.

Tyrij, Idumæi, & Sidonij reſtituti. 25.20.col.555.

V.

Vacca.

Vacca, ſeu vitula, pro laſciuiẽte. 46.44.col.876.

Vacuum.

inane, & Vacuum, ſeu nihili. 4.47.col.141.

Vade.

Vade, interiectio. 3.30.col.107.& 13.2.col.317.

Vanitas.

Deo ita ſeruiendum, ſicut antea Vanitati. 2. 33. col.62.
idolorum Vanitas. 10.5.col.264.

Vas.

Vaſis ſignificatio multiplex. 21.11.col.467.
Vas pretioſum quid? 25.71.col.570.
cur liber in Vaſe clauſus fictili. 32.14.col.706.
Vaſa iræ quid? 50.47.col.979.
Vas fictile, pro re futili. Thren.4.4.col.1158.

Vaſtitas.

extrema Vaſtitas. 9.14.col.247.

Vaticinium.

Vaticinium, vox ambigua. Thren.3.85.col.1143.

Vbera.

fontes, terræ Vbera. 18.13.col.424.

Velox.

Deus in largiendo liberalis, & Velox. 2.94.col.83.

Venenum.

in auro Venenum, & mors. 51.13.col.1003.
quæ ſenſibus blandiuntur, Venenata ſunt. 51. 14. col.1004.

Venia.

graue peccatum, quod ex Veniæ facilitate committitur. 7.12.col.204.
inimicorum Venia, maxima ad orationem diſpoſitio. 15.3.col.353.

Ventus.

Ventus vrens. 4.22.col.135.& 18.26.col.428.
in Ventum loqui. 5.23.col.161.
Venti vnde? 10.22.col.270.
Ventorum vis multiplex. 51.1.col.999.

Verbum.

Verbum, pro aduerbio. 4.54.col.143.

Verbum.

Verbum Dei quanta reuerentia audiendum. 1. 58.col.36.
ſtantes olim Verbum Dei audiebant. Ibidem.
Verba, pro interiectionibus. 2.1.col.53.
Verbum Dei contemptum. 8.14.col.229.
lingua arcus, Verba ſagittæ. 9.5.col.245.
Diuini Verbi vis in pectore Apoſtolico. 20. 13. col.452.
per ſomniũ mens illuſtratur Verbis. 23.42.col.520.
Dei Verbum quomodo à profano ſecernitur. 23. 49.col.522.
Diuinũ Verbũ ſimile igni, & malleo. 23.50.col.ead.
Verbum Diuinum ſimile rori, ac pluuiæ. 23. 51. col.523.
Verbum Diuinum ſimile vomeri. 23.53.col.ead.
Verbũ Domini quomodo nõ onus. 23.62.col.526.
ſupplicium eorum qui Verbum Dei peruertunt. 23.66.col.527.
qui auertunt alios à Verbo Dei. 23.67.col.528.
Verba bona, quæ conſolantur, aut bene precantur. 33.20.col.732.
Verba mala exeeratoria. 33.21.col.ead.
Verba quædam nomen aliquod ſubaudiunt. 43.12 col.833.

Vernaculus.

Vernaculus quis? 2.46.col.67.

Vertex.

vſque ad Verticem. 2.51.col.68.

Veſtimentum.

Veſtimenta in dolore diſciſſa. 36.23.col.775.

Vexatio, vide, Afflictio.

Vexillum.

ſingularum tribuum ſua Vexilla. 25.82.col.573.

Via.

Via, pro regione lata. 11.11.col.284.
ſæculi Viæ, ſeu ſemitæ. 18.21.col.426.
Viæ peccatorum difficiles. 18.23.col.427.
Viarum ſtratores. 50.50.col.980.

Vicinitas.

quãtum à mala Vicinitate periculũ. 48.26.col.906.

Victima.

diſcrimen inter holocauſta, & Victimas. 7. 32. col.210.
quas Victimas probet Deus. 7.35.col.210.
quãdo præcepta tradita de Victimis. 7.36.col.ead.
præcepta de Victimis poſteriora præceptis Decalogi. 7.39.col.212.
holocauſta, & Victimæ tantùm in terra promiſſionis offerenda. 7.40.col.ead.
Victima, pro cæde. 46.15.col.867. & Thren.2.79. col.1108.

Victor.

à Victore quod eſt in victi nomine glorioſum aufertur. 22.40.col.493.
victi à Victoribus calcati. Thren.3.52.col.1135.

Vidua.

Vidua dicitur, à qua vir abeſt. Thren.1.7.col.1047.

Vigilia.

Vigiliæ noctis. Thren.2.70.col.1105.

Vindemia.

Vindemia, pro direptione. 6.21.col.182.& Thren. 1.64.col.1066.

Vindicta.

Deo Vindicta relinquenda. 11.27.col.290.

Vinum.

Chriſto cur datũ myrrhatum Vinũ. 25.30.col.558.
Vinum paruulis porrigi ſolitum. Thren. 2. 44. col.1097.

Vir.

Vxor omnia ſe Viro debere putat. 3.15. col.102.
Vir, idem quod quilibet. 9.8.col.246.
Viri ad lamentandum conducti. 9.22.col.249.
Vir Apoſtolicus à Deo mittendus. 1.21.col.22.
Vir Apoſtolicus quomodo à Deo ad ſuum munus diſponitur. 1.31.col.26.
vxorum culpa ſæpe in Viris. 44.16.col.848.
Vidua dicitur, à qua vir abeſt. Thren.1.7.col.1047.

Virga.

Virga, idem quod funiculus. 10.28.col.272.
Virga, & *baculus*, pro quacumque ſuſtentatione. 48. 38.col.910.

Virgæ paſtorales dux. Thren.2.26.col.1092.
Virga duplex. Thren.3.5.col.1122.

Virgo.

pater filiam Virginem cuſtodit. 3.18.col.102.
Virgines plorare ſoliti. 9.24.col.250.
Ieremias Virgo. 16.2.col.379.
Virgo cur dicta ciuitas. Thren.1.79.col.1071.

Vis.

contra Deum omnis Vis infirma. 46.30.col.872.

Viſio.

Viſio, vox ambigua. 9.33.col.254.

Vita.

conſcientia innocentis Vitæ audaciam parit. 2.16. col.57.
pro communi pace,& Regum Vita orandum. 29.7. col.615.
ſeptuaginta anni communis Vitæ terminus. 29.9. col.ead.
Deo honorem conciliat Vita Sanctorum. 33.12. col.729.
diuturna Vita his,qui patri obediūt.35.12.col.761.
Vitæ mutatio. 48.31.col.908
Ieremiæ vita. p.5.10.col.6.

Vitis.

non eſt vua in Vitibus. 8.19.col.229.
Samaria Vitibus abundans. 31.10.col.657.

Vitium.

Vitia adoleſcentiæ difficilia. 13.42.col.332.
Vitiis in principio reſiſtendum. Pſ.55.col.1203.

Vitula.

Ægyptus Vitulis aſſimilata. 46.31.col.872.
Vitula,ſeu vacca,pro laſciuiente. 46.44.col.876.
Segor cur Vitula conternans. 48.55.col.915.

Vitulus.

quædam indictæ ceremoniæ ante conflatum Vitulum. 7.37.col.211.
ſacrificia immolata ante Vitulum conflatum.ibidē.
Vitulus,qui in Bethel ſæpius nominatus,quàm qui in Dan. 48.33.col.908.
Virtus intemperantiæ ſymbolum. 50.28.col.972.

Viuens.

Viuens, aliquid interdum vile.Thren.3.71.col.1140.

Vmbra.

Vmbra ſeu imago mortis quid? 2.19.col.58.& 13. 25.col.326.

Vnguis.

Vnguis adamantinus. 17.7.col.400.

Vocor.

Vocor,idem quod ſum. 11.15.col.287.& 23.15 col.512.& 33.25.col.734.& 46.41.col.875.

Volucris.

neque homo,neque Volucris. 4.51.col.142.
pœnitentiam Volucres docent. 8.11.col.228.

Volumen.

Volumen,ſeu liber quid? 36.3.col.769.
Volumen, ſeu antiquus liber quomodo paginas habeat. 36.22.col.775.

Voluntas.

Dei Voluntas eſt hominis ſalus. 15.70.col.372.
Diuinæ Voluntati omnia ſubiecta. 18.7.col.422.

Voluptas.

Voluptas ante ſuum tempus. 48.19.col.865.
turpis Voluptas in Chaldæorum conuiuiis. 52.12. col.1030.

Vomer.

verbum Diuinum ſimile Vomeri. 23.53.col.523.

Votum.

Votum in religioſo loco cōceptum.34.22.col.751.
periurus,aut violator Voti nomen Dei polluit.34. 23.col.ead.
Dies alicuius, in quo quis ſuis potitus Votis. 46. 13.col.867.
Deo Vota perfectè ſoluenda. 48.23.col.906.

Vox.

obſtinati animi Vox.2.96.col.83.& 17.43.col.411.
hinnitus lætitiæ Vox. 8.28.col.232.
tonitru Vox Dei. 11.17.col.288.
quomodo, familiaris Vox in admiratione, & luctu. 48.37.col.910.

Vt.

Vt, non ſemper eſt finalis particula,ſed effectum ſignificat. 23.47.col.521.& 44.3.col.844.
Vt, valde,ſeu vehementer valet. 20.37.col.459.
Vt, idem quod vtinam. 20.38.col.ead.

Vua.

non eſt Vua in viribus. 8.19.col.228.

Vulnus.

linguæ Vulnus graue. 18.32.col.430.

Vultus.

Vultus Dei toruus,& minax. 23.18.col.513.

Vxor.

ab Vxore ſeruile nomen alienum. 2.60.col.71.
Vxor repudiata vilis. 3.4.col.98.
repudiata Vxor quomodo terram contaminet.3.5. col.ead.
Vxor omnia ſe viro debere putat. 3.15.col.102.
Vxor,graue impedimentum. 16.1.col.379.
Vxorum culpa ſæpe in viris. 44.16.col.848.

Z

Zacharias.

Zachariæ ſepulcrum. 8.2.col.225.
Hebræorum fabula de Zachariæ ſanguine. Thren.5.19.col.1185.

Zelus.

Zelus animarum valde vtilis, & eo nullum Deo ſacrificium gratius. 15.71.col.372.

FINIS.

.99966121